UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

urn:nbn:de:hbz:466:1-81978

Visual Library

Th. 872a.

C III
7

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CURSUS THEOLOGICUS,

AUTHORE

R. P. JOANNE BAPTISTA GORMAZ,
SOCIETATIS JESU, S.S. THEOLOGIÆ IN PLURIBUS HISPANIÆ ACADEMIIS, ET IN GREGORIANA COLLEGII ROMANI PROFESSORE EMERITO.

TOMUS II.

COMPLECTENS

TRACTATUS DE JUSTITIA, ET JURE, DE SANCTISSIMO INCARNATIONIS MYSTERIO, DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET IN SPECIE, DE SACRAMENTO BAPTISMI, DE CONFIRMATIONE, DE VENERABILI EUCHARISTIA, DE POENITENTIA VIRTUTE, ET POENITENTIA SACRAMENTO.

Collegij Societatis JESU Paderbornæ. Anno 1707.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus GEORGII SCHLÜTER.

Anno MDCCVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX
DISPUTATIONUM, ET SECTIONUM.
TOMI SECUNDI.

TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE.

Disputatio prima. *De Essentia, & Divisione Justitia.* f. 1.
Sect. 1. De definitione Justitiæ, ejusque partibus. f. 2.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 9.
Disputatio 2. *De Natura, Proprtione, & Objecto Justitiæ Commutativæ.* f. 15.
Sect. 1. Quomodò se exerceat Justitia Commutativa? ibid.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 22.
Disputatio 3. *De Præstantia, & Exigentia Justitiæ Commutativæ.*
Sect. 1. Resolvitur Controversia. f. 29.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 31.
Sect. 3. Quomodo Justitia obliget ad operandum? f. 32.
Sect. 4. Solvuntur opposita. f. 34.
Disputatio 4. *De Constitutivo Juris Proprietatis.*
Sect. 1. Quid sit Jus Proprietatis. f. 37.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 39.
Sect. 3. A qua forma proveniat Jus Proprietatis in creatura? f. 42.
Sect. 4. Exponitur Sententia nostra. f. 44.
Sect. 5. Solvuntur opposita. f. 47.
Disputatio 5. *De Dominio Proprietatis.*
Sect. 1. De Prærequisitis ad Controversiam. f. 51.
Sect. 2. Exponitur creatum Dominium Proprietatis. f. 53.
Sect. 3. Utiles doctrinæ nostræ illationes. f. 56.
Sect. 4. Solvuntur opposita. f. 60.
Disputatio 6. *De Divisione rerum in varia Dominia, & de objecto Dominii.*
Sect. 1. Quomodo facta fuerit prima rerum Divisio? f. 66.
Sect. 2. De objecto Dominii. f. 69.
Sect. 3. Solvuntur opposita. f. 73.
Disputatio 7. *De usu distincto à Dominio, ejusque praxi.*
Sect. 1. Exponitur status præsentis Controversiæ. f. 76.
Sect. 2. Eligitur secunda sententia, & Praxis exponitur. f. 80.
Sect. 3. Solvuntur opposita. f. 87.
Disputatio 8. *De Subjecto Dominii, prout respicit Beneficiarios.*
Sect. 1. De Beneficiariis. f. 90.
Sect. 2. Quomodò teneantur Beneficiati expendere partem fructuum excedentem congruam sustentationem? f. 94.
Sect. 3. Solvuntur opposita. f. 102.
Disputatio 9. *De Objecto Dominii, ut respicit religiosos, servos, filios, & uxores.*
Sect. 1. Quale Dominium habeant religiosi, & servi? f. 106.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 109.
Sect. 3. De filiis, & uxoribus. f. 111.
Disputatio 10. *De Objecto Dominii relatè ad creaturam ergà Deum.* f. 113.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 118.
Disputatio 11. *De Dominio creato pleno simul penes duos.*
Sect. 1. Exponitur, & resolvitur Controversia. f. 124.
Sect. 2. Proponuntur, & rejiciuntur adversariorum responsiones. f. 127.
Sect. 3. Solvuntur opposita. f. 132.
Disputatio 12. *De Titulis, quibus Dominium acquiritur.*
Sect. 1. De Titulis Servitutis, Effectionis, & occupationis. f. 136.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 139.
Sect. 3. De Titulis voluntariæ, & involuntariæ Translationis. f. 141.
Sect. 4. Solvuntur opposita. f. 144.
Sect. 5. De Titulo, Usucapionis, vel Præscriptionis. f. 145.
Sect. 6. Solvuntur opposita. f. 148.
Disputatio 13. *De Injuria, sive Injustitia.*
Sect. 1. An Injustitia sit peccatum ex genere suo grave? f. 150.
Sect. 2. Quomodò consideranda sit gravitas materiæ Injustitiæ? f. 152.
Sect. 3. Solvuntur opposita. f. 155.
Sect. 4. An detur materia gravis infra victum Diei proportionatum? f. 159.
Disputatio 14. *De Restitutione.*
Sect. 1. Quomodo Restitutio sit necessaria ad salutem? f. 162.
Sect. 2. Vtrum præceptum Restitutionis sit Negativum, vel Positivum. f. 165.
Disputatio 15. *De Radicibus Restitutionis.*
Sect. 1. Quot sint Restitutionis Radices, & quanta obligatio ex re accepta? f. 167.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 170.
Sect. 3. Quomodo oriatur obligatio restituendi ex injusta acceptione? f. 171.
Sect. 4. Solvuntur opposita. f. 174.
Sect. 5. Quid, & quantum debeat restitui ratione injustæ acceptionis? f. 177.

Disputatio 16. *De obligatione restituendi ex Contractu, vel quasi Contractu.*
Sect. 1. De obligatione immediata ex justo Contractu, vel quasi Contractu Commutativo. f. 180.
Sect. 2. De obligatione orta mediatè ex Contractu, immediatè ex culpa. f. 182.
Sect. 3. De obligatione restituendi ex quasi Contractu. f. 184.
Disputatio 17. *De reliquis ad Restitutionem spectantibus.*
Sect. 1. De modis cooperandi per se ad alterius damnum contra justitiam. f. 186.
Sect. 2. De Circumstantiis Restitutionis. f. 189.
Disputatio 18. *De Judiciis.*
Sect. 1. De Judice. f. 191.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 194.
Sect. 3. De Accusatore, & Teste. f. 197.
Sect. 4. Solvuntur opposita. f. 199.
Sect. 5. De Reo, & advocato. f. 201.
Sect. 6. Solvuntur opposita. f. 203.

TRACTATUS
De Sanctissimo Incarnationis Mysterio. f. 206.

Disputatio 1. *De Possibilitate, sive Cognoscibilitate Incarnationis.*
Sect. 1. An Incarnatio, antequam foret, potuerit solis naturæ viribus cognosci possibilis? f. 207.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 210.
Sect. 3. De Cognoscibilitate mysterii jam facti. f. 214.
Sect. 4. Solvuntur objectiones. f. 217.
Disputatio 2. *De Convenientia Mysterii Incarnationis.*
Sect. 1. Quibus fuerit conveniens Mysterium Incarnationis? f. 219.
Sect. 2. Solvuntur opposita f. 221.
Disputatio 3. *De Physica, & Metaphysica Necessitate Incarnationis.*
Sect. 1. An Deus fuerit necessitatus physicè, vel metaphysicè ad Incarnationem? f. 225.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 228.
Disputatio 4. *De Necessitate Morali.*
Sect. 1. Proponitur, & rejicitur moralis Necessitas. f. 232.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 235.
Sect. 3. An reperiatur in Deo moralis aliqua Necessitas ex suppositione? f. 238.
Sect. 4. Solvuntur opposita. f. 240.
Disputatio 5. *An Verbum Divinum sit Incarnatum?*
Sect. 1. Proponuntur Hebræorum, & Hæreticorum errores. f. 242.
Sect. 2. Stabilitur, & roboratur Catholica veritas contra Hebræos. f. 244.
Sect. 3. Solvuntur opposita. f. 250.
Disputatio 6. *De Deo Homine contra Paganos, & Hæreticos.*
Sect. 1. Assertiones Catholicæ. f. 256.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 259.
Disputatio 7. *An fuerit necessaria Incarnatio ad condignam satisfactionem pro peccato lethali?*
Sect. 1. Utrum pura creatura possit condignè satisfacere pro peccato lethali? f. 262.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 265.
Disputatio 8. *De Merito condigno puræ Creaturæ circa primam peccatoris gratiam, & remissionem peccati.*
Sect. 1. An possit creatura pura de condigno mereri peccatori remissionem peccati? f. 270.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 273.
Disputatio 9. *De magnitudine Lethalis offensæ.*
Sect. 1. Resolvitur Controversia. f. 277.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 281.
Disputatio 10. *Quantus sit valor & condignitas Satisfactionis in meritis Christi Domini.*
Sect. 1. An ex Dignitate Verbi derivetur specialis valor in opera Christi Domini? f. 286.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 288.
Sect. 3. Quomodo ex Dignitate Verbi derivetur specialis valor in merita Christi? f. 291.
Disputatio 11. *An opera meriti, & satisfactionis Christi sint simpliciter infinita, in ratione meriti, & Satisfactionis.*
Sect. 1. Proponitur, & resolvitur Controversia. f. 295.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 297.
Sect. 3. An satisfactio Christi absque ullo favore Dei extrinseco fuerit æqualis, & superabundans? f. 303.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 306.
Disputatio 12. *De Satisfactione ex Commutativa Justitia, & de Essentia Redemptionis.*
Sect. 1. Proponitur, & resolvitur Controversia. f. 309.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 313.
Sect. 3. De Essentia, & proprietatibus Satisfactionis Christi. f. 315.
Disputatio 13. *De Constitutivo Hypostaticæ Unionis, & Communicatione Idiomatum.*
Sect. 1. De Unione hypostatica. f. 318.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 321.
Sect. 3. De Communicatione Idiomatum. f. 324.
Sect. 4. Solvuntur opposita. f. 326.
Disputatio 14. *De Subsistentia, & Humanitate.*
Sect. 1. De Prærequisitis ad Controversiam? f. 330.
Sect. 2. Controversiæ resolutio. f. 334.
Sect. 3. Illationes doctrinæ nostræ. f. 338.
Sect. 4. Solvuntur opposita. f. 343.
Disputatio 15. *Quid Verbum assumpserit, quidve potuerit assumere?*
Sect. 1. De Termino assumpto, & assumptibili. f. 351.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 356.
Disputatio 16. *Quisnam assumpserit, vel potuerit assumere?*
Sect. 1. De Termino assumente, & assumptivo. f. 358.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 362.
Disputatio 17. *De Prædefinitione Christi ut Redemptoris.*
Sect. 1. An Christus potuerit prædefiniri ut Redemptor reparativus ante absolutam prævisionem peccati? f. 368.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 371.
Disputatio 18. *De causa finali, sive de motivo decernendi Incarnationem.*
Sect. 1. An Christus fuerit prædefinitus ante absolutam prævisionem peccati? f. 374.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 377.
Disputatio 19. *De Ordine Decretorum.*
Sect. 1. Exponitur ordo Decretorum. f. 382.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 388.

Disp.

Disputatio 20. *De Intellectu, & Voluntate Christi Domini.*
Sect. 1. De Intellectu, & voluntate Christi, ejusque concordia cum voluntate Divina. f. 393.
Sect. 2. De impeccabilitate Christi Domini. f. 395.
Sect. 3. De concordia libertatis Christi cum ejus impeccabilitate. f. 397.
Sect. 4. Solvuntur opposita. f. 399.
Disputatio 21. *De Gratia Christi Domini substantiali.*
Sect. 1. An Christi Domini humanitas sanctificetur per sanctitatem substantialem Increatam? f. 401.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 404.
Disputatio 22. *De Gratia Christi Domini Habituali.*
Sect. 1. An, & qua Gratia habituali Sanctificetur Christi Domini humanitas? f. 408.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 413.
Disputatio 23. *De Gratia Capitali Christi Domini.*
Sect. 1. Quomodo conveniat Christo Domino munus, & ratio Capitis? f. 418.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 421.

TRACTATUS
De Sacramentis in Genere.

Disputatio 1. *De Essentia, & Existentia Sacramentorum.*
Sect. 1. An ratio constitutiva Sacramenti æquè conveniat Novis, & antiquis? f. 425.
Sect. 2. Definitur Sacramentum. f. 426.
Disputatio 2. *De Materia, & Forma Sacramentorum.*
Sect. 1. An Sacramenta coalescant ex rebus, & verbis, tanquam materia, & forma? f. 429.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 432.
Sect. 3. Quomodo Christus Dominus determinaverit materiam, & formam Sacramentorum? f. 434.
Sect. 4. Solvuntur objectiones. f. 436.
Disputatio 3. *De Intentione Ministri, & Auctore Sacramentorum.*
Sect. 1. An Intentio Ministri sit de essentiali Sacramenti constitutivo? f. 440.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 444.
Sect. 3. Reliqua de Intentione, & Ministro. f. 448.
Sect. 4. De Authore Sacramentorum. f. 452.
Disputatio 4. *De Virtute, Effectu Sacramentorum, & Dispositione suscipientis.*
Sect. 1. An Sacramenta causent physicè gratiam? f. 454.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 457.
Sect. 3. Quomodo Sacramenta sint causa moralis gratiæ? f. 460.
Sect. 4. Solvuntur opposita. f. 463.
Sect. 5. De Charactere Sacramentali. f. 466.
Sect. 6. Quænam dispositio requiratur ad suscipiendum Sacramentum? f. 470.
Disputatio 5. *Reliqua de Sacramentis in genere.*
Sect. 1. An omnia Sacramenta possint causare primam gratiam. f. 473.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 477.
Sect. 3. De requisitis ad licitam Sacramenti administrationem. f. 481.
Sect. 4. Solvuntur opposita. f. 486.
Sect. 5. De simulata Sacramentorum administratione. f. 489.
Sect. 6. Solvuntur opposita. f. 494.

TRACTATUS
De Sacramento Baptismi.

Disputatio 1. *De Institutione Baptismi.*
Sect. 1. Quando institutus fuerit, & cœperit obligare Baptismus? f. 498.
Sect. 2. An Baptismus validè, & fictè susceptus recedente fictione conferat gratiam? f. 502.
Sect. 3. Solvuntur opposita. f. 504.
Disputatio 2. *De Essentia Metaphysica, & Physica Baptismi.*
Sect. 1. De definitione, materia, & forma Baptismi. f. 506.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 511.

TRACTATUS
De Sacramento Confirmationis.

Disputatio 1. *An Confirmatio sit verum, & proprium Novæ Legis Sacramentum?*
Sect. 1. Sacramenti Confirmationis veritas scripturâ, Traditione, & Patribus comprobatur. f. 516.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 518.
Disputatio 2. *De Institutione, & Essentia Confirmationis.*
Sect. 1. Institutionis tempus, & hujus Sacramenti Essentia designantur. f. 520.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 525.
Disputatio 3. *De Ministro, obligatione, & ritu Confirmationis.*
Sect. 1. De Ministro Extraordinario Sacramenti Confirmationis. f. 529.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 532

TRACTATUS.
De Venerabili Eucharistiæ Sacramento.

Disputatio 1. *De Institutione Eucharistiæ.*
Sect. 1. Qua die Christus Eucharistiam instituit? f. 534.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 539.
Disputatio 2. *De Essentia Sacramenti Eucharistiæ.*
Sect. 1. De Essentia metaphysica, & physica Eucharistiæ. f. 542.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 552.
Disputatio 3. *De Transubstantiatione.*
Sect. 1. Explicatur Conversio. f. 559.
Sect. 2. De Conversione Eucharistica. f. 563.

TRACTATUS DE POENITENTIA,
Pars I. De Virtute.

Disputatio 1. *De Essentia, & Existentia Virtutis Pœnitentiæ.*
Sect. 1. An Pœnitentia theologicè sumpta sit virtus? f. 570.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 575.
Disputatio 2. *Utrùm Pœnitentia Theologicè sumpta sit Virtus specialis?*
Sect. 1. An, & qualis sit specialis Pœnitentiæ Virtus? f. 582.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 590.
Disputatio 8. *De Objecto Materiali, & Formali, Virtutis Pœnitentiæ.*
Sect. 1. Resolvitur Controversia. 601.
Sect. 2. Solvuntur opposita. f. 605.
Disputatio 4. *De Efficacia, Subjecto, & Praxi Pœnitentiæ.*
Sect. 1. An omnia peccata deleri possint per Pœnitentiam? f. 610.

Sect. 2. Solvuntur oppoſita. f. 612.
Sect. 3. De Subjecto, & Praxi Pœnitentiæ. f. 615.
Sect. 4. Solvuntur oppoſita. f. 617.
Diſputatio 5. *De Contritione Perfecta.*
Sect. 1. An contritio ſufficiens ad juſtificationem extra Sacramentum debeat eſſe ex motivo Charitatis? f. 621.
Sect. 2. Solvuntur oppoſita. f. 624.
Sect. 3. Quomodo Contritio perfecta attingat motivum Charitatis? f. 628.
Sect. 4. Solvuntur oppoſita. f. 632.
Sect. 5. Quænam ſit Dilectio, quam cum Sacramento exigit Tridentinum ad impii juſtificationem? f. 639.
Sect. 6. Solvuntur oppoſita. f. 641.
Sect. 7. An perfecta Contritio habeat ſemper adjunctam remiſſionem lethalis? f. 644.
Sect. 8. Solvuntur oppoſita. f. 647.
Diſputatio 6. *De Attritione.*
Sect. 1. An Attritio ex metu gehennæ concepta ſit actus honeſtus, & ſupernaturalis? f. 649.
Sect. 2. Solvuntur oppoſita. f. 654.
Sect. 3. An attritio Generalis ſuperna, ex metu gehennæ, ſit ſufficiens ad valorem, & fructum Sacramenti Pœnitentiæ? f. 662.
Sect. 4. Prolegomena pro praxi Eccleſiæ inveſtiganda. f. 667.
Sect. 5. Illationes doctrinæ noſtræ. f. 679.
Sect. 6. Solvuntur oppoſita. f. 686.

PARS II.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Diſputatio 1. *De Inſtitutione, & Neceſſitate Sacramenti Pœnitentiæ.*
Sect. 1. De Tempore Inſtitutionis, & Neceſſitate Sacramenti Pœnitentiæ. f. 694.
Sect. 2. Illationes doctrinæ Moralis. f. 700.
Sect. 3. Solvuntur oppoſita. f. 708.
Diſputatio 2. *De Eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ.*
Sect. 1. De Metaphyſico, & Phyſico conſtitutivo. f. 718.
Sect. 2. Solvuntur oppoſita. f. 723.
Diſputatio 3. *De Materia remota, & obligatione Pœnitentis.*
Sect. 1. De Principiis ad diſputationem requiſitis. f. 728.
Sect. 2. Qualis debeat eſſe Sacramentalis Confeſſio? f. 737.
Sect. 3. Solvuntur oppoſita. f. 744.
Diſputatio 4. *De abſolutione, & adæquato Sacramenti Eſſentiali conſtitutivo.*
Sect. 1. De Verbis abſolutionis. f. 752.
Sect. 2. De ſenſu legitimo verborum abſolutionis Sacramentalis. f. 756.
Sect. 3. Illationes doctrinæ Moralis. f. 760.
Sect. 4. Solvuntur oppoſita. f. 763.
Diſputatio 5. *An Abſolutio poſſit abſenti conferri?*
Sect. 1. De ſtatu, & progreſſu Controverſiæ. f. 766.
Sect. 2. Reſolvitur Controverſia. f. 770.
Sect. 3. Solvuntur oppoſita. f. 776.
Diſputatio 6. *An dari poſſit Sacramentum Pœnitentiæ Validum, & Informe?*
Sect. 1. Reſolvitur Controverſia. f. 780.
Sect. 2. Solvuntur oppoſita. f. 784.
Diſputatio 7. *De Satisfactione Sacramentali.*
Sect. 1. De Effectu Sacramentalis Abſolutionis. f. 787.
Sect. 2. De obligatione Confeſſarii ad injungendam Pœnitentiam, & Pœnitentis ad acceptandam, & implendam. f. 790.
Sect. 3. Solvuntur oppoſita. f. 794.
Diſputatio 8. *De Miniſtri Muneribus, & Obligatione.*
Sect. 1. De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ. f. 797.
Sect. 2. Solvuntur oppoſita. f. 801.
Diſputatio 9. *De Sigillo Sacramentali.*
Sect. 1. De Præcepto, & materia Sigilli Sacramentalis. f. 804.
Sect. 2. Solvuntur oppoſita. f. 809.



In

IN SECUNDAM SECUNDÆ ANGELICI PRÆCEPTORIS.

TRACTATUS DE JUSTITIA, ET JURE.

1. NObilissimas disputationes aggredimur, non modò Theologis, verùm etiam utriusque Juris Studiosis valde perutiles, de quibus agunt Scholastici omnes cum Magistro in quartum sententiarum dist. 15. & cum D. Thoma 2. 2. à quæst. 57. Omissis modò variis justitiæ divisionibus, tum propriis, tum impropriis, de quibus infra agendum est, aliquam juris notitiam prælibare oportet, ut prima ista disputatio clarior evadat; ut enim ex Cajo monet accuratè Justinianus L. Facturus 1. ff. de origine Juris, *certè cujusque rei potissima pars principium est.* Jus itaque sumi solet primò pro lege, quæ est regula reddendi justum, atque in hoc sensu jus dividitur in Canonicum, & Civile, easque omnes subdivisiones admittit, quas lex; unde dicitur jus naturale, positivum, divinum, humanum. Secundò sumitur pro arte, peritia, vel scientia legum, & sic dicitur quis utriusque Juris Studiosus, Doctor, seu Professor. Tertiò pro sententia judicis, quæ est veluti privata lex, qua jus dicitur, & acquiritur, & exinde extenditur ad significandum locum, ubi sententia datur; sic dicitur aliquis comparere in jure. Quartò pro justo latè, & genericè, qua ratione idem est, ac honestum, & legitimum, sive conforme alicui obligationi, qualiscunque illa sit; quo in sensu comprehendit objecta, & actus omnium virtutum; nam ea omnia sunt debita, & exiguntur à singulis virtutibus ad justè, & honestè operandum. Quintò pro justo, sive debito ex justitia, quod jus ex parte creditoris dicitur jus activum, & ex parte objecti, quod respicit, dicitur jus passivum. Exemplum sit in justitia commutativa, quæ jus strictius respicit inter homines. Petrus quidem habet jus in domum suam, Jus illud ex parte Petri dicitur activum; domus verò, quam respicit ut suam, dicitur jus passivum; jus autem activum subdividitur in publicum, & privatum; publicum est communitatis, aut Reipublicæ, quod à Theologis, & Juristis appellari solet jus altum; privatum est jus particularium personarum, quod ab eisdem dici solet jus bassum, quale profectò est particulare jus proprietatis. Aliud dicitur jus ad rem; aliud verò jus in re; jus ad rem est, quod immediatè, & directè solùm dat actionem personalem, seu in personam habentem rem, vi cujus poteris ab illa rem exigere, & obligare, ut rem tradat; non autem dat actionem realem, seu in rem ipsam; quia res nondum est tibi devincta, nec directè, & immediatè obligata juri tuo, sed solùm est obligata persona ad illam rem suo tempore tibi dandam; & hoc jus acquiritur per promissionem, emptionem, venditionem, & per illos contractus, quibus non transfertur dominium ante traditionem; item per hæreditatis successionem, antequam illam habeas, per electionem ad beneficium, præsentationem, & his similia; jus autem in re est, quod immediatè, & directè tribuit actionem realem, seu actionem in rem ipsam; ita ut res sit immediatè, & directè devincta, attributa, & obligata habenti jus, ac proinde ad quemcunque res illa transeat, manet obligata eidem habenti jus; hoc autem jus acquiritur per contractus secuta traditione, per aditionem hæreditatis, per collationem beneficij, & his similia. Requiritur enim titulus ad acquirendum hoc jus tum validè, tùm licitè; hic autem titulus dicitur origo, & radix, ex qua proficiscitur juris acquisitio; talis fuit, ut infrà videbimus, rerum divisio in mundi primordiis, & talis nunc est hæreditaria successio, donatio, legatum, venditio, permutatio, conductio, & quælibet alia species contractus conferentis jus in re, nec non usucapio, & præscriptio legitima.

DISPUTATIO I.

DE ESSENTIA, ET DIVISIONIBUS JUSTITIÆ.

2. JUstitia virtus, ut constans est apud omnes Theologos, & Juris peritos, est virtus ad alterum. Ratio est, quia justum latè sumptum, ut advertit D. Thomas 2. 2. quæst. 57. art. 1. in Corpore idem significat, ac æquale inter duo agentia, ideóque quæ ita ad æqualitatem rediguntur, à vulgo dicuntur justari. Unde idem D. Thomas quæst. 58. art. 2. in Corpore ait:

re ait: *justitia ergo propriè dicta requirit diversitatem suppositorum*, id est, non potest reperiri inter extrema, aut partes constitutivas ejusdem suppositi, quod etiam docuit Aristoteles libro 5. Ethicorum cap. 5. ubi justum dicitur græcè *diceon*, quod bifariam latinè significat, sive ex æquo divisum in duas partes æquales; ita ut compensatio juris unius suppositi sit æqualis juri alterius; ut enim habet D. Thomas eodem art. 2. *cùm nomen justitiæ æqualitatem importet, ex sua ratione justitia habet, quod sit ad alterum; nihil enim est sibi æquale, sed alteri, & quia ad justitiam pertinet actus humanos rectificare, ut dictum est, necesse est, quòd æqualitas ista, quam requirit justitia, sit diversorum agere potentium. Actiones autem sunt suppositorum, & totorum, non autem propriè loquendò partium, & formarum, seu potentiarum.* Quamobrem, qui utitur jure suo per actionem ordinatam ad se, & non ad alterum, non exercet actum justitiæ, quamvis ille, qui sine legitima causa contravenit juri alterius, semper in injustitiam incidat, ut notavit opportunè Molina tract. 2. de justitia, & jure disp. 1. num. 4. v. g. qui vescitur cibô suô, induitque se vestibus suis, actum exercet, ad quem habet jus, dicitùrque proinde uti jure suo, non tamen exercet actum justitiæ, eò quòd justitia sit ad alterum, & ille in ejusmodi actibus nequaquam alterum respiciat: qui tamen sine legitima causa contravenerit illi juri, prohibendo, ne alter ejusmodi actum exerceret, injustitiam committeret. Alteritas verò suppositi ad justitiam requisita dari potest inter membrum Reipublicæ, & ipsam communitatem, quia Petrus, ut membrum Reipublicæ, jam est suppositum distinctum ab ipsa communitate civili, & politica, quam non constituit ut totum physicum substantiale, sed ut totum per aggregationem, quod resultat ex multis suppositis, quòd autem duæ animæ seperatæ, quæ non essent suppositæ, possent injustitiam operari, si ponerentur in via cum potentia ad agendum benè, & malè, ideò esset, quia, cùm non constituerent in eo casu suppositum, illarum actiones non essent suppositorum; at, cùm non possint suppositum constituere, quin earum actiones sint suppositorum, & quin actio cujusque partis suppositi, sit actio suppositi; exinde non potest justitia, aut injustitia versari inter partes ejusdem suppositi; atque in eo sensu dicitur à Theologis cum D. Thoma justitiam versari inter suppositæ.

SECTIO I.

De definitione justitiæ, ejúsque partibus.

3. SUppono 1. Justitiam utpote tradentem Domino jus ad rem, vel jus in re, dare Domino id, quod suum est, vel constituere suum id ipsum, ad quod jus affert: tripliciter autem dicitur aliquid suum alicujus juxta triplicem considerationem, qua potest unus considerari habens jus adversus alterum; potest etim considerari primò tanquam pars cum parte, prout quisque ex duobus est pars in binario aliquo; unus autem habet jus directè ordinatum in bonum suæ libertatis, & alter sustinet debitum adimplendi jus illud; quo in sensu privatus cum Principe, & cum Republica; particularis cum cummunitate, Petrus cum Paulo, & sic de aliis consideratur tanquam pars cum parte. Secundò considerari potest tanquam membrum communitatis habens jus ad bona communia, quà talia. Tertiò tanquam communitas habens jus ad bona cujusque membri quà talis; atque ista est origo triplicis juris, ratione cujus potest aliquid tripliciter dici suum alicujus. Primò si est proprium alicujus tanquam principaliter ad ejus bonum, aut commodum libertatis ipsius ordinatum; sic omnia, quæ cadunt sub dominiü proprietatis, dicuntur sua respectu dominii, sive sua suitate proprietatis. Secundò dicitur suum alicujus, quod est commune; ita ut si distribuendum sit, debeat ordinari ad utilitatem, & libertatem membrorum illius communitatis; quo in sensu bona illa communia dicuntur sua istius membri suitate communitatis, licèt per validam distributionem aliqua ex illis bonis communibus possint fieri propria ipsius particularis, v. g. si bona Reipublicæ communia redundent, dividendáque sint, tunc appropriabuntur partibus Reipublicæ, & quod erat partium suitate communitatis, fieret jam suum suitate proprietatis.

In hac tamen distributione non attenditur 4.
æqualitas inter rem, & rem, quæ est propria justitiæ commutativæ respicientis duntaxat jus proprietatis, & per se intendentis æqualitatem arithmeticam inter partes, sed respicitur æqualitas proportionum inter Reipublicæ membra; ita, ut si digno ut unum, dentur quatuor, digno ut duo dentur octo, ideóque vocatur proportio proportionum, seu æqualitas geometrica, quæ datur inter quatuor ad minimùm terminos, nimirum inter dignitatem, aut meritum majus unius, & dignitatem, aut meritum minus alterius, atque inter bona majora collata uni, & minora collata alteri; & hæc æqualitas geometrica respicitur à justitia distributiva; cùm enim suum alicujus suitate proprietatis, & suitate communitatis respiciant jura valdè diversa, exinde etiam specificant diversas virtutes, ut latè tradit D. Thomas quæst. 61. art. 1. Justitia enim commutativa respicit jus partis, seu quasi partis ad partem, ideóque quando communitas cum aliquo contrahit & se obligat ad dandum centum v. g. pro victoria, si hæc obtineatur, hoc debitum jam non respicit bona ut communia, sed quatenus intercedentia inter partem, & partem; at justitia distributiva semper respicit bona

bona quatenus debita suitate communitatis; unde D. Thomas eo art. 1. ad 5. *justitia distributiva, & commutativa non tantùm distinguuntur secundùm unum, & multa, sed secundùm diversam debiti rationem; alio enim modo debetur alicui id, quod est commune, alio modo id, quod est proprium.*

5. Tertiò dicitur suum alicujus, quod est communitatis per ordinationem partis ad totum, seu prout pars bonum illud ad totum ordinat, quod dici potest suum respectu communitatis, non quidem suitate communitatis, sed suitate membri, quatenus membrum debet consulere bono communi, ideóque ordinat actiones suas in bonum commune, & hæc suitas conveniens communitati pertinet ad justitiam legalem, quâ membra Reipublicæ omnes omnino leges observant, vel observare decernunt, ut conducentes ad bonum commune. Ratio hujus est, quia sicut, quod est totius, est quodammodo partis; sic, quod est partis, est quadammodo totius: unde sicut justitia distributiva dans bona communia partibus, respicit jus diversum à justitia commutativa, ita justitia legalis dans toti, quod est partis, dat illi id, quod est quodammodo totius per jus valdè diversum, proindéque respicit jus diversum non solùm à justitia commutativa, sed etiam à distributiva, quæ est expressa D. Thomæ doctrina; de hac enim justitia legali generali, seu universali quæst. 58. art. 5. in Corpore ita ait: *justitia, sicut dictum est, ordinat hominem in comparatione ad alium, quod quidem potest esse dupliciter, uno modo ad alium singulariter consideratum, alio modo ad alium in communi; secundùm scilicet quod illi, qui servit, alicui communitati, servit omnibus hominibus, qui sub communitate illa continentur; ad utrumque ergo se potest habere justitia secundùm propriam rationem; manifestum est autem, quod omnes, qui in communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem, sicut partes ad totum; pars autem id, quod est, totius est; unde & quodlibet bonum partis est ordinabile in bonum totius; secundùm hoc ergo bonum cujuslibet virtutis, seu ordinantis aliquem hominem ad seipsum, sive ordinantis ipsum ad aliquas personas singulares, est referibile, est bonum commune, ad quod ordinatur justitia, & secundùm hoc actus omnium virtutum possunt ad justitiam pertinere secundùm quod ordinat hominem ad bonum commune, & quantum ad hoc justitia dicitur virtus generalis; & quia ad Legem pertinet ordinari ad bonum commune, ut suprà dictum est; inde est, quòd talis justitia prædicto modo generalis dicitur justitia legalis, quia scilicet per eam homo concordat Legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune.*

6. Quapropter justitia legalis, quæ habet pro objecto formali bonum commune, & respicit debitum communitati, sive quod est suum respectu communitatis, non quidem suitate communitatis, sed suitate membri, licèt sit formaliter quædam particularis justitia virtus, quatenus respicit hoc determinatum objectum formale boni communis, nihilominus appellatur causaliter, & formaliter justitia communis universalis, & generalis, quatenus imperat actus cujusque virtutis in ordine ad bonum commune, ideóque Aristoteles libro 5. Ethicorum cap. 1. & 2. eam appellat virtutem communem; virtus enim, quæ essentialiter differt ex suo objecto formali ab aliis virtutibus, & dat alteri, nempe communitati, quod suum est suitate membri, est vera justitia virtus, cúmque imperare possit, & suò imperiò causare actus omnium virtutum ad obtinendam honestatem sui objecti formalis, est causaliter, & virtualiter justitia communis universalis, & generalis, ut constabit num. sequenti; unde & ipsa intendere potest bona omnium partium, prout intendit bonum totius, eo pacto, quo Medicus, qui intendit sanitatem totius hominis, potest ex hac intentione procurare, ac intendere sanitatem singularum hominis partium; quare cùm justitia legalis intendat bonum commune, & ad bonum commune spectet, ut singuli exerceant non solùm virtutes ad alterum, sed etiam ad se ipsos, exinde quamoptimè potest præcipere singulis non solùm, ut exerceant virtutes ad alterum, sed etiam ad se ipsos, adeòque & quòd sint temperantes, & fortes. Sic Charitas dicitur formaliter virtus particularis, quia habet pro objecto formali bonitatem divinam, quod non est objectum formale ullius alterius virtutis, & etiam eadem Charitas à Theologis dicitur causaliter, & virtualiter virtus communis, universalis, & generalis, quatenus ex amore bonitatis divinæ imperat actus omnium aliarum virtutum.

7. Sic etiam cœlum, quia ita per suam essentiam distinguitur ab aliis corporibus, ut habeat virtutem causandi cætera corpora, licèt sit aliquod corpus particulare in essendo, & est, & appellatur ab omnibus universale, virtuale, & generale in causando; ex quo apparet clarum discrimen inter justitiam legalem, distributivam, & commutativam ex objecto suo formali desumptum; nam justitia commutativa respicit suum suitate proprietatis, justitia distributiva respicit suum suitate communitatis, quatenus quod est communitatis, est quodammodo membri, ut docent Theologi cum D. Thomas quæst. art. 1. ad 2. *dicendum, quod sicut pars, & totum quoddammodo sunt idem, ita quod est totius quodammodo est partis, & ita cùm ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur, quilibet aliquo modo respicit, quod suum est;* tandem justitia legalis respicit suum suitate membri, ut docet ipse D. Thomas cit. num. 5. Quapropter membrum ordinat opus suum in bonum commune, tanquam in terminum ad *quem*, ideóque inter justitias, sola justitia legalis appellatur à Theologis communis, generalis, & universalis. Ratio etiam Philo-

Philosophica suffragatur; quia denominationes specie diversæ sumuntur à termino ad *quem*, eo pacto, quo mutatio Frigoris in calorem dicitur calefactio, à calore, qui est terminus ad *quem*, & non dicitur frigefactio à frigore, quod est terminus à *quo*, quare licèt tres enumeratæ justitiæ virtutes distinguantur specie, sola tamè justitia legalis propter commune jus, quod habet pro termino *ad quem*, appellari debet justitia communis: unde commutativa, & distributiva sunt duæ species non quidem communis, sed particularis justitiæ. Exinde

8. Suppono 2. Hæc tria jura esse specie formali diversa, proindéque specificare tria objecta formalia, sive tres justitiæ virtutes. Ratio est, quia jus justitiæ commutativæ continet suitatem proprietatis, jus justitiæ distributivæ suitatem communitatis, jus justitiæ legalis suitatem membri; atqui suitates hujusmodi, ut constat à num. 4. sunt specie formali distinctæ: ergo & ista tria jura sunt specie formali distincta. Prærerea justitia commutativa, ut infrà dicemus, affert jus directè, & immediatè ordinatum duntaxat ad commodum, sive ad bonum libertatis subjecti sui; Petrus enim, qui est Dominus equi dominiô proprietatis, potest pro libito, & libertate sua uti, vel non uti equô, commutare, vendere, aut retinere; quia illud jus proprietatis non tendit directè ad utilitatem libertatis aliorum, sed ad bonum libertatis Petri, per quod distinguitur à jure juridictionis, quod non tendit ad utilitatem superioris, sed ad utilitatem subditorum, seu communitatis; at justitia distributiva non affert jus directè, & immediatè ordinatum duntaxat ad commodum libertatis subjecti sui, nempe communitatis, sed præcipuè ad utilitatem membrorum; è contra justitia legalis non affert jus ordinatum duntaxat directè, & immediatè ad commodum libertatis membri operantis ex jure suo, sed præcipuè ad utilitatem communitatis: atqui hæc tria jura, ut ex terminis patet, sunt specie formali distincta: ergo &c.

9. Suppono 3. Principem, vel Rempublicam exigentem à subditis tributa justa, non ea exigere ex justitia distributiva, licèt quantitas tributorum sit proportionalis, & Geometrica, sed ex dominio alto explicato num. 1. & 5. pertinente ad justitiam legalem, sive providentialem, uti appellat illam Exim. Doct. in opusculo de justitia; ratione cujus bona subditorum juxta honestam proportionem devincta sunt bono communi. Ratio est, quia justitia distributiva solùm exercetur, quando distribuitur aliquid inter membra attento directè, & immediate jure proportionali membrorum: atqui tributa, quæ solvenda sunt à membris, non respiciunt directè, & immediatè jus membrorum, sed potiùs jus altum principis, aut Reipublicæ: ergo non exiguntur ex justitia commutativa, vel ex distributiva, sed ex jure alto Principis, aut communitatis; exinde justitia vindicativa, ut infrà dicemus, non est species stricta, seu pars subjectiva justitiæ relatè ad illum, qui punitur, cùm nullùs habeat jus ad punitionem, nec fiat ipsi injuria, si non puniatur, licèt sit saltem in humanis strictè justitia commutativa, ac proinde pars subjectiva justitiæ relatè ad contractum inter Principem, & Rempublicam; ex contractu equidem sive explicitô, sive implicito cum Republica tenetur judex, si superior non cedat juri ad punitionem apponere bonitatem punitionis juxta proportionem delicti. His positis

Assero 1. cum omnibus Theologis post D. Thomam 2. 2. quæst. 18. art. 1. & cum omnibus Juris consultis post Ulpianum §. justitia institutis de justitia, & jure, & Lege justitia ff. de justitia & jure, si rectè explicetur, sustineri debet expositio justitiæ, quam tradit Ulpianus, nempe: *constans, & perpetua Voluntas jus suum unicuique tribuens.* Hæc enim expositio, ut bene notat Esparza de virtute justitiæ quæst. 8. quamquam ab omnibus recipiatur, nihilominus ita à pluribus explicatur, ut potiùs videatur emendari, quàm defendi; quapropter ne à Theologicis principiis deflectamus, & ne rejiciamus explicationem communi consensu receptam, opus est eam admittere in sensu D. Thomæ, qui eo art. 1. optimè notat voluntatem actualem, sive actum virtuosum voluntatis, de quo Ulpianus in præsenti loquitur, sumi ad explicandum habitum virtutis, ad eum modum, quo effectus sumitur frequentissimè ad explicandâ causam; virtus equidem est habitus, seu qualitas stabilis in potentia ad eliciendum suos actus, ideoque actus virtuosus est exercitium virtutis tanquam proprius effectus virtutis; unde in præsenti exponitur justitia actualis ad explicandam justitiam habitualem, seu virtutem justitiæ; quare si justitia actualis rectè per ea verba declaretur, manebit exinde optimè expositа natura virtutis justitiæ, sive justitia habitualis, en verba D. Thomæ, *cùm enim omnis virtus sit habitus, qui est principium boni actûs, necesse est, quòd virtus definiatur per actum bonum, qui est circa ea, quæ ad alterum sunt, sicut circa propriam materiam virtutis.* 10.

Quòd autem actus justitiæ per ea Ulpiani verba rectè declaretur, exinde constat, quia justitia virtus est præcipuè *circa ea, quæ ad alterum sunt, sicut circa propriam materiam*, ut constat à num. 2. Alteritas verò supposiți duplex est, altera realis, qualis datur inter Petrum, & Paulum, altera ex fictione juris, qualis reperitur inter Petrum, ut est persona privata, & inter ipsum, ut est Tutor pupilli; nam Tutor censetur agere, quasi ageret ipse pupillus, ideóque illius actio in jure est actio pupilli, at cùm se gerit, ut persona privata, non est actio pupilli, sed Petri, jam propria justitiæ materia est jus passivum, sive quod alteri debetur titulô suitatis, quod quando confertur ipsi, dicitur jus suum illi reddi; ut enim habet Isidorus libro 10. Ethimologiarum cap. 9. *justus* 11.

dicitur

dicitur, qui jus custodit; unde actus justitiæ dat unicuique jus suum, sive id, ad quod habet jus, quod quidem est materia justitiæ, ideoque dat ex hoc ipso motivo, quia honestum est tribuere unicuique id, ad quod habet jus, quod quidem est objectum formale justitiæ; quare, ut ibidem ait D. Thomas *actus justitiæ per comparationem ad propriam materiam virtutis, & objectum tangitur, cùm dicitur jus suum unicuique tribuens.* Rursus ut aliquis actus sit virtuosus, requiritur, quòd sit voluntarius, & quòd sit stabilis, & firmus; nam ut docet Philosophus in secundo Ethicorum cap. 4. ad virtutis actum tria requiruntur; primum quòd operetur sciens; secundum eligens propter debitum finem; tertium immobiliter; quæ omnia explicant illa verba: *constans, & perpetua voluntas*: etenim ly voluntas explicat voluntarium, sive eligens propter debitum finem reddendi unicuique, quod suum est; quod haberi non potest, quin præsupponatur cognitio ad scienter operandum; nam ut dicitur tertio Ethicorum cap. 1. *quod ignoranter agitur, est involuntarium*: ly constans, & perpetua significat firmitatem, & tendentiam actûs virtuosi; nam si actus sit velleitas, aut volitio dandi Petro suum, & postea auferendi, non est actus virtutis; unde debet esse constans volitio dandi Petro suum, & perpetua, id est volitio nunquam auferendi.

12. Ex hac itaque doctrina concludit D. Thomas art. 1. *prædicta definitio est completa definitio justitiæ, nisi quòd habitus ponitur pro actu, qui per actum specificatur; habitus enim per actum dicitur, & si quis vellet eam in debitam formã definitionis reducere, posset sic dicere: quòd justitia est habitus, secundùm quem aliquis constanti, & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit, & quasi est eadem definitio cum ea, quam Philosophus ponit in 5. Ethicorum dicens, quòd justitia est habitus, secundùm quem aliquis dicitur operativus secundùm electionem justi.* Hucusque D. Thomas, quæ citare placuit, ut constet, quo in sensu, & ex quo fundamento omnes antiqui admiserint eam justitiæ expositionem ab Ulpiano traditam, & quomodo ex doctrina D. Thomæ, & Philosophi ad debitam formam definitionis Theologicæ posset facilè reduci explicandô virtutem per habitum, & non per actum; ex his etiam rationibus, & authoritatibus reduci quoque potest non modò ad debitam formam definitionis Theologicè consideratæ, qua justitiæ natura per sua essentialia prædicata exprimitur; verùm etiam ad rigorem Philosophicæ definitionis comprehendendô sub proximo genere, & differentia adæquatam essentiam definiti.

13. En igitur brevem, & claram definitionem justitiæ universaliter sumptæ, *habitus per se operativus ex honestate reddendi alteri æquale juri suo.* Prima pars, nimirum habitus operativus ex honestate reddendi alteri, est genus, per quod justitia convenit cum omnibus virtutibus voluntatis, quæ sunt ad alterum; omnes namque illæ voluntatis virtutes sunt habitus per se operativus ex honestate reddendi alteri; honestas siquidem est objectum formale virtutis voluntatis non minùs, quàm veritas sit objectum formale virtutis intellectûs. Præterea voluntas ipsa, quantumvis sit operativa ex honestate, non est virtus; nam voluntas non participat rationem habitûs, sed potentiæ vitalis; nec per se est duntaxat determinata ad agendum bonum imputabile, sed potest quoque ex jure libertatis suæ eligere malum morale, & imputabile. Per secundam autem definitionis partem, scilicet *reddendi alteri æquale juri suo* traditur differentia virtutis justitiæ à reliquis virtutibus voluntatis; nam ad solam justitiam attinet per se reddere alteri æquale juri suo, sive sit suum suitate proprietatis, sive suitate communitatis, sive suitate membri: reliquæ enim voluntatis virtutes ad alterum, licèt habeant pro objecto formali honestatem dandi alteri id, quod debetur, vel non dant per se æquale debito, vel non attinguunt debitum titulo suitatis, sed aliis titulis, nimirum liberalitatis, gratitudinis, aut similium, ut constabit num. 15. unde hæc prædicata justitiam explicant per proximum genus, & differentiam adæquandô essentiale significatum definiti: atqui definitio, quæ ita se habet, est juxta omnes regulas summulisticas stricta definitio: ergo &c.

Confirm. Qui debens pluribus creditoribus ex justitia commutativa, & non potens solvere ad æqualitatem arithmeticam, solvit ad geometricam, non compensat jus, quod per se non possit habere æqualem satisfactionem, quam justitia respicit, licèt hìc, & nunc per accidens ex defectu materiæ non possit æqualitatem illam apponere: sed exinde patet pertinere ad justitiam, quod per se tendat ad reddendum alteri æquale juri suo: ergo &c. Præterea justitia distributiva, & legalis non respiciunt merita particularium, aut communitatis, prout sunt actus virtuosi per se incompensabiles ab hominibus, sed prout conducunt ad utilitatem membrorum, aut communitatis, quæ utilitas est per se æquabilis, & compensabilis, nec aliter participant rationem rigorosam justitiæ: sed exinde patet, non sufficere ad rationem rigorosam justitiæ, quòd tendat ad reddendum alteri qualitercunque jus suum, sed omninò requiri, quòd per se tendat ad reddendum alteri æquale juri suo: ergo justitia rigorosè sumpta est habitus per se operativus ex honestate reddendi alteri æquale juri suo. 14.

Assero 2. Justitia legalis distributiva, & commutativa sunt partes subjectivæ justitiæ; reliquæ verò virtutes voluntatis ad alterum non sunt partes subjectivæ justitiæ, sed potentiales. Probatur Conclusio facile ex dictis: illæ dicuntur partes subjectivæ virtutis utiliter sumptæ, quæ perfectè participant rationem, 15.

& definitionem talis virtutis : atqui justitia legalis distributiva, & commutativa perfectè participant rationem virtutis justitiæ utiliter sumptæ, quandoquidem unaquæque ex illis est habitus per se operativus ex honestate reddendi alteri æquale juri suo, ut constat ex dictis : ergo sunt partes subjectivæ justitiæ, proindéque sunt rigorosæ species justitiæ. Partes verò potentiales, seu potestativæ alicujus virtutis, ut docet D. Thomas quæst. 80. art. 1. sunt, quæ ita in aliquo conveniunt cum universali definitione illius virtutis, ut in aliquo alio deficiant, & non conveniant cum ea ratione communi ; exinde cùm justitia sit virtus ad alterum per se intendens dare æquale juri alterius, omnes virtutes, quæ ita conveniunt cum justitia in hoc, quòd sint ad alterum, ut simul deficiant, & non conveniant cum ratione essentiali justitiæ, vel in hoc, quòd per se non intendant dare æquale, vel in hoc, quòd non dent debitum titulô suitatis, sed aliis titulis, convenienter dicuntur partes potentiales, ac potestativæ justitiæ, seu virtutes justitiæ annexæ ; sed sic se habent reliquæ virtutes voluntatis ad alterum relatè ad justitiam aliter sumptam, ut expendenti constabit, & statim magis explicabimus: ergo sunt partes potentiales, seu potestativæ justitiæ.

16. Quamobrem virtutes justitiæ annexæ, quas Theologi potentiales, seu potestativas vocant, ad duas classes reduci possunt. In prima quidem classe reponendæ sunt Religio erga Deum, pietas erga parentes, & observantia præsertim erga viros virtute præditos, cùm in hoc præsertim deficiant à justitia, quòd per se non possint reddere æquale debito. In primis enim Religio intendens dare Deo cultum debitum ratione infinitæ suæ excellentiæ, deficit à rigore justitiæ, cùm per se non possit Deo dare cultum æqualem debito, juxta illud Psal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi* ? præterea pietas ita intendit compensare, quæ accepit à parentibus, ut per se non possit reddere æquale, ut docet Aristoteles 8. Ethicorum cap. ultimo : *accepimus enim esse à parentibus, quod non possumus reddere* ; tandem observantia ita intendit dare viris præsertim probis debitum cultum, & honorem, ut per se non possit reddere æquale ; cùm virtus non possit ab homine recompensari secundùm æquale præmium, ut lumine naturæ constat, ut docet Philosophus 4. Ethicorum cap. 3.

17. In secunda classe reponuntur à D. Thoma veritas, gratitudo, vindicatio, liberalitas, amicitia, & affabilitas, quæ in eo deficiunt in justitia, quòd, cùm justitia del alteri, quod debet titulô suitatis, ad quod proinde solvendum lex, sive naturalis, sive positiva obligat, istæ dant alteri, quod debent titulô honestatis, & ad quod solvendum lex non ita obligat. In primis namque veritas aliis dat, quod iis debitur titulô cujusdam honestatis se tenentis ex parte dantis, per quam unusquisque debeat alteri, ut se talem exhibeat in verbis, & pactis, qualis est. Gratitudo etiam dat alteri id, quod illi debetur propter beneficia, quæ contulit ; vindicatio tribuit alteri, quod illi correspondet ratione malorum, quæ fecit, ideóque relatè ad illum, qui punitur, non invenit jus in eo ad punitionem, neque heret illi injuria, si non puniretur, proindéque relatè ad illum, qui punitur, non est pars subjectiva justitiæ, sed potentialis, ut diximus num. 9. Præter istas tres virtutes, quæ alteri dant, quod illi debetur debitô minùs latô, & sine quo honestas morum conservari non potest, liberalitas, amicitia, & affabilitas dant alteri id, quod illi debetur debitô magis latô, & minùs propriô, quod ita confert ad majorem honestatem, ut sine eo honestas morum conservari non possit, ideóque magis deficiunt à ratione debiti, & justitiæ.

Assero 3. Ex tribus speciebus rigorosis justitiæ, videlicet legali, distributiva, & commutativa, sola justitia commutativa obligat ad restitutionem ; ita ferè omnes Theologi cum D. Thoma 2. 2. & cum Exim. Doct. in opusculo de justitia. Probatur 1. Sola illa justitia obligat ad restitutionem, qua læsa tollitur, quod proprium est alicujus, vel impeditur, ne fiat proprium, quod debebat proprium fieri : atqui sola justitia commutativa affert jus, seu suitatem proprietatis, per quod differt essentialiter à justitia legali, & distributiva, cùm justitia legalis solùm afferat suitatem membri, & distributiva suitatem communitatis : ergo sola justitia commutativa obligat ad restitutionem. Confirm. 1. Nemo obligatur ad restitutionem, ut ex inductione per singula facilè apparebit nisi tollat ab altero, quod est proprium ipsius, vel non conferat, quod debebat facere illius proprium ; unde ut infrà constabit, radices præcipuæ, ex quibus oritur obligatio restitutionis, sunt injusta acceptio, sive injusta retentio, & res accepta : atqui sola justicia commutativa respicit hanc suitatem proprietatis : ergo sola justitia commutativa obligat ad restitutionem. Confirm. 2. Onus restitutionis semper respicit obligationem dandi aliquid alteri in bonum libertatis ipsius, vel ex contractu, vel quasi ex contractu ; atqui onus restitutionis proveniens ex contractu, vel quasi contractu pertinet ad solam justitium commutativam : ergo sola justitia commutativa obligat ad restitutionem. 18.

Hæc autem est ratio, quare omnes Theologi cum Philosopho, & D. Thoma agnoscant pactum reddendi æquale non solùm in commutationibus voluntariis, quod per se est evidens, ut quando ex pacto do tibi centum, ut des mihi pomum ; verùm etiam in commutationibus involuntariis, ut quando nolente Domino fur accipit bona Domini ; tunc enim intercedit pactum saltem virtuale, & prævalens actuali intentioni particulari furis volentis restituere, 19.

restituere, quo se obligat ad restituendum, ut bene notat Esparza quæst. 25. ad eum modum, quo, ut diximus à num. 130. de Sacramentis, quando hæreticus Arrianus baptizzans in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti cum intentione faciendi, quod facit Christus, vel facit Ecclesia, validè baptizat; quia intentio illa generalis faciendi id, quod facit Ecclesia, sine qua haberi non potest Baptismus, quem Arrianus efficaciter intendit, prævalet particulari illius intentione, qua non vult credere Trinitatem; ita intentio generalis creaturæ rationalis, qua vult suam felicitatem, quæ haberi non potest, si nolit alteri restituere, quod ipsi debetur, prævalet intentioni particulari, qua non vult restituere; cum hoc tamen discrimine, quòd illa intentio generalis est Arriano libera, quandoquidem liberè intendit facere, quod facit Ecclesia: creaturæ autem rationali ea intentio generalis volendi suam felicitatem non est omnino libera, sed potiùs necessaria, ut in tractatu de Beatitudine à num. 1. diximus cum Augustino, qui libro 13. de Trinit. cap. 3. cujusdam Mimi dictum reformans ait: *si dixisset, omnes Beati esset vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate*; unde non solùm in commutationibus voluntariis, sed etiam in involuntariis obligatio restituendi alteri, quod suum est, oritur ex contractu saltem virtuali prævalenti, & necessario creaturæ rationali: atqui obligatio, quæ oritur ex contractu, pertinet ad solam justitiam commutativam: ergo obligatio restituendi pertinet ad solam justitiam commutativam.

10. Probatur 2. ex D. Thoma quæst. 62. art. 1. in Corpore, ubi hæc habet: *restituere nihil aliud esse videtur, quàm iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ; & ita in restitutione attenditur æqualitas justitiæ secundùm recompensationem rei ad rem, quod pertinet ad justitiam commutativam, & ideò restituere est actus commutativæ justitiæ, quando scilicet res unius ab alio habetur vel per voluntatem ejus, sicut in mutuo, vel depósito, vel contra voluntatem ejus, sicut in rapina, vel furto*: sed exinde clarè patet, tam in commutationibus voluntariis, quàm in involuntariis solam justitiam commutativam obligare ad restitutionem: ergo &c. Confirm. Si Petrus actum suum virtuosum non ordinet ad bonitatem Reipublicæ, nec illum eliciat, quando hìc, & nunc elicere potest, non ideo tenetur aliquid restituere Reipublicæ ex eo præcisè, quòd inde non læserit aliquod Reipublicæ jus proprietatis; pariter si Princeps, vel Respublica potens conferre bona per geometricam proportionem membris, ea non conferrat, sed sibi retineat, non exinde tenetur ad restitutionem ex eo præcisè, quòd non læserit aliquod jus proprietatis membrorum; si verò Princeps, vel Respublica faciat pactum cum Petro dandi ei v. g. centum, si obtineat victoriam, eâ obtentâ tenetur conferre illa centum; & si aliquis hoc impediat, tenetur ad restitutionem, eo præcisè, quòd impediat, ne fiat proprium Petri, quod ex pacto debebat fieri proprium illius: ergo justitia legalis, & distributiva non obligant ad restitutionem, benè verò justitia commutativa, quæ sola respicit jus, & suitatem proprietatis.

Probatur 3. Eatenus iniquus distributor bonorum communium Reipublicæ non conferens Petro id, quod juxta geometricam proportionem tenebatur illi conferre, manet obnoxius restitutioni, quia ex pacto explicito, vel implicito cum Republica tenetur ad justam distributionem, & ad facienda propria Petri ea, quæ non facit; unde justitia distributiva, contra quam, ut præcisè fit ex vitio acceptionis personarum, non obligat ad restitutionem; sed commutativa, quæ habetur ratione pacti, ratione cujus debebant fieri propria Petri, quæ iniquè propria facta non sunt: quod exinde manifestè apparet; nam quamvis fiat iniquè distributio ab administratore, dum non intercedat error in substantia, non tenetur ad restitutionem ille, qui bona recepit, sed ille, qui contra pactum iniquè distribuit v. g. tenetur distributor conferre beneficium, vel officium Reipublicæ digniori, illùdque confert digno, omisso iniquè digniori, ille qui tale officium, vel beneficium suscepit, non tenetur ad restitutionem; cùm non fuerit ullo modo obligatus pacto aut formali, aut æquivalente, quod pertinet ad justitiam commutativam; tenetur tamen iniquus ille distributor, qui egit contra pactum: ergo neque justitia legalis, neque distributiva, sed sola commutativa obligat ad restitutionem. 21.

Quapropter in eo casu de iniqua distributione absque errore in substantia, vel una saltem lex cum duplici respectu, vel duæ leges, vel quasi leges considerandæ sunt, quarum altera respicit validitatem distributionis, altera prohibet, & reddit illicitam: ratione primæ validè retinet officium, vel beneficium ille, qui per eam distributionem illud suscepit; ratione secundæ peccabit iniquus distributor contra justitiam distributivam propter vitium acceptionis personarum. Præterea transgrediendò pactum initum cum Republica fecit injuriam digniori, cui ex illo pacto, seu ex illa justitia commutativa debebat conferre tale officium, vel beneficium; unde illa distributio fuit valida respectu recipientis, sed iniqua, & injuriosa respectu excluſi, cui administrator non solùm ex justicia distributiva, sed etiam ex justitia commutativa tenebatur conferre; sic Sacerdos in lethali existens consecrat validè, sed illicitè, validè quidem ex legitima potestatate à Christo accepta, illicitè tamen contra legem præcipientem, quòd Sancta Sanctè tractentur, & quòd probet se ipsum homo, antequam de Pane illo edat, & de Calice bibat; de quo agit Tridentinum sess. 13. cap. 7. Ex quibus omnibus 22.

bus manifestè constat, obligationem restitutionis oriri ex sola justitia commutativa. Ex dictis

23. Fit 1. cum communi Theologorum contra Cardinalem de Lugo. Justitiam legalem, & distributivam univocè convenire in ratione justitiæ. Ratio est, quia justitia rigorosa universaliter sumpta operatur ex honestate reddendi alteri æquale juri suo, præscindendò à suitate communitatis, membri, aut proprietatis, quæ sunt differentiæ, per quas justitia universaliter sumpta contrahitur ad legalem, distributivam, & commutativam, ut constat à num. 15. atqui unaquæque ex his speciebus justitiæ verè, & propriè participat rationem generalem justitiæ; ita ut ratio significata per nomen sit eadem in his tribus speciebus justitiæ; unde & habent commune nomen justitiæ, & ratio significata per nomen est in illis omnino eadem: sed hoc sufficit, & requiritur ad univoca: ergo tres istæ virtutes conveniunt univocè in ratione justitiæ.

24. Fit 2. Non posse dari justitiam propriè, & rigorosè inter partes ejusdem suppositi, licèt possit dari aliqualis per translationem. Ratio est, quia ut diximus cum D. Thoma num. 2. justitia est virtus operativa ad adæquandum jus alterius; cùm autem actiones, & oppositiones sint suppositorum, nullúmque suppositum dici possit æquale sibi ipsi, exinde æqualitas, quam intendit justitia, proindéque & justitia ipsa non potest reperiri inter partes ejusdem suppositi; atque in eo sensu requirit duo suppositа, sive realia, sive ex fictione juris ex dictis num. 11. Præterea, qui justitiam exercet, non potest operari, quin actio adæquandi jus alterius tribuatur toti supposito operanti, nec jus alterius potest manere adæquatum, quin maneat adæquatum jus totius suppositi; unde justitia dicitur quædam æqualitas inter justos, qua duo dicuntur justi, & æquales; atqui non possunt dici justi, & æquales, quin suppositа ipsa dicantur æqualia, & justa per considerationem, & relationem unius ad alterum; ita ut nullum possit dici propriè, & strictè æquale sibi: ergo justitia propriè, & strictè sumpta reperitur tantùm inter duo suppositа, videlicet inter Petrum, & Paulum, non verò inter partes ejusdem suppositi.

25. Nihilominus per translationem aliquam dici potest justitia versari inter partes alicujus suppositi. Ratio est, quia ut ex Aristotele 5. Ethicorum cap. ultimo advertit D. Thomas quæst. 58. art. 2. in eodem supposito hominis datur quædam partiũ distinctio, seu potentiarũ superiorum, & inferiorum, quæ ita ordinantur, ut una debeat præesse, & imperare; altera verò subesse, & obedire; quod satis est, ut quando pars superior imperat, & inferior obedit, dicantur per quandam translationem servare justitiam; sicut dicuntur injustitiam exercere, quando inferior præcipit, & superior obedit. Quapropter in Adamo ante peccatum, quia appetitus sensitivus perfectè obediebat rationi, dicebatur per quandam justitiæ translationem reperiri inter eas partes justitiam originalem, licèt non reperiretur justitia strictè dicta, de qua agimus, sed gratia sanctificans, quæ justitia appellatur, quia subjectum suum facit justum, & sanctum, ita ut non possit per hanc sanctitatem una pars esse sancta, & altera peccatrix; unde non potest inter illas partes reperiri stricta justitia, de qua agimus, licèt reperiatur per translationem, ut expositum est.

Fit 3. Justitiam commutativam, quæ sola 26.
ad restitutionem obligat, esse specialiter ad alterum, ut clariùs constabit, quando agemus de jure proprietatis. Ratio verò, quæ nunc delcendit ex dictis, est, quia justitia commutativa ita obligat per respectum ad alterum in favorem libertatis ipsius, ut nisi impediatur à lege irritante, quam justitia per se non requirit, sit in ejus potestate juxta voluntatem suam ponere, vel auferre talem obligationem; atqui neque justitia legalis, neque distributiva, neque ulla virtus ad alterum ita obligant, ut constat à num. 15. ergo justitia commutativa aliqua speciali ratione præ omnibus virtutibus est ad alterum. Mi. & conseq. tenent, & maj. patet; quia justitia commutativa obligat relatè ad alterum; ita ut in potestate illius, qui habet jus proprietatis, sit hanc obligationem ponere, vel auferre, nisi lege impediatur: v. g. obligatur Petrus ex justitia ad non accipiendum sibi librum Pauli; at si Paulus sciens, & volens consentiat, cessat tota hæc obligatio, & Petrus potest sibi accipere librum Pauli, eóque uti, acsi esset suus; obligatio enim justitiæ commutativæ est, cui contraveniendò fit injuria, ideóque manet obligatio ad restitutionem: atqui scienti, & liberè, ac validè consentienti non potest fieri injuria, ut est commune omnium axioma: ergo obligatio justitiæ commutativæ ita pendet à voluntate habentis jus proprietatis, ut in ejus potestate sit auferre talem obligationem, nisi impediatur à lege: dicitur *nisi impediatur à lege*: nam pupilli, qui sunt sub tutore non possunt per suam voluntatem auferre obligationem justitiæ, quia impediuntur à lege irritante eorum contractus.

Præterea nullam aliam virtutem ad alterum 27.
obligare modò explicatò patet; nam obligatio justitiæ commutativæ directè, & præcipuè est in favorem, vel bonum libertatis illius, qui habet jus, ut constat ex num. 8. spectat enim ad favorem, vel bonum illius, cui obligamur ex justitia, ut si non impediatur lege naturali, aut positiva irritante, cessioné facere possit pro sua libertate cedere huic favori, vel bono, & nos deobligare: atqui obligationes aliarum virtutum non sunt directè, & præcipuè in favorem, aut bonum libertatis alterius, sed vel in favorem subditorum, vel boni communis, ut obedientia, justitia legalis, & distributiva; vel per se fundantur in naturali decentia actionum,

ad

ad quas obligant, eámque respiciunt directè, & præcipuè, ut indispensabilem, ut Charitas, Religio, Pietas, Observantia, Urbanitas, Gratitudo, & id genus aliæ; unde obligatio Religionis fundatur in naturali decentia tribuendi Deo, qui habet supremam excellentiam, supremum cultum; obligatio pietatis fundatur in decentia, ut Filij reddant honorem parentibus, à quibus esse acceperunt: obligatio observantiæ fundatur in decentia honorandi majores, quæ quidem decentia auferri non potest, etiamsi illi, quibus obligamur, consentiant in oppositum; quare præter obligationem justitiæ commutativæ sola obligatio obedientiæ pendet à voluntate Superioris, qui potest eam auferre, vel dispensando, vel tollendo præceptum; at non potest in favorem, aut bonum suæ libertatis, sed in favorem subditi, aut boni communis; ideóque Superior non potest obligare subditos pro solo favore, aut bono libertatis ipsius, sed solùm potest obligare ad ea, quæ sunt utilia subdito, aut communitati: ergo nulla alterius virtutis obligatio est ad alterum, sicut est ad alterum obligatio justitiæ commutativæ.

28. Fit 4. Quamoptimè posse dari aliquâ obligationem ortam ex titulo à justitia commutativa distincto ad dandum aliquid Petro, quin Petrus habeat jus justitiæ commutativæ ad illa bona; unde si ille, qui ex eo titulo tenetur dare, non daret, licèt peccaret contra virtutem, qua ex eo titulo obligatur; at quia non peccaret contra justitiam commutativam, non teneretur ad restitutionem; v. g. Petrus promittit, aut se votò constringit ad dandum Paulo centum, ac proinde tenetur ex Religione dare centum Paulo: si autem ea non conferat, peccat contra Religionem, seu contra votum; non autem contra justitiam commutativam; unde si dispensetur in voto, nulla manet obligatio restituendi, aut dandi Petro ea centum. Pariter potest aliquis habere titulum ad transferendum dominium rei in alterum, eò quòd habeat jus pertinens ad actionem alterius virtutis, ad quam hìc, & nunc consideratur, ut unicum medium translatio dominij rei in alterum.

29. Quapropter actio translativa non esset actus justitiæ, licèt alter, qui eam translationem cum detrimento illius impediret, committeret injustitiam, v. g. Pater habet jus ad conservandam suam vitam, & in casu extremæ necessitatis ad conservandâ vitam per medium venditionis Filij, si aliud medium non supperat, proindéque redigere potest Filium sub servitute, & jure proprietatis alterius, modo quo infrà explicabimus, quin Pater habeat ullum jus proprietatis in Filium; ad eum modum, quo in casu extremæ necessitatis potest pauper assumere bona Domini, eáque vendere, & transferre jus proprietatis in alterum, quamvis pauper non habeat jus proprietatis in ea bona, quæ erant sub jure proprietatis Domini, à quo illa accepit; quare si Dominus acceptionem impediviſſet, licet peccasset contra Charitatem, non peccasset contra justitiam, nec teneretur ad restitutionem; ex quibus omnibus constat, solum jus proprietatis spectans ad justitiâ commutativam afferre obligationem restitutionis; verùm de his latiùs infrà, cùm de dominio proprietatis sermo fuerit.

SECTIO II.

Solvuntur Oppositа.

OBjicies 1. contra 1. Assertionem impugnandò communem definitionem justitiæ: quod est constans, & perpetuum, nunquam deficit: atqui virtus justitiæ deficit sæpè tum quoad actum, tum quoad habitum: ergo justitia non est quid constans, & perpetuum, proindéque actus justitiæ non erit constans & perpetua voluntas. Confirm. 1. Impossibile est, ut adsit perpetua aliquatenus, & constans voluntas in parvulo, qui nullum actum voluntatis exercuit; atqui parvulo infunditur justitia cum Baptismo: ergo &c. Confirm. 2. quia hæc definitio est nimis obscura: ergo est rejicienda. Resp. dist. maj. nunquam deficit in eo genere, in quo est constans, & perpetua, conc. in alio genere, neg. maj. & dist. min. sæpè deficit ex natura habitûs, nego; ex prava oppositione agentis contra naturam habitûs, conc. mi. & neg. conseq. Ratio est, quia constantia, & perpetuitas actûs justitiæ non stat in eo, quòd voluntas per alium actum injustum non possit agere injustè contra naturam actûs, & habitûs justitiæ; sed in eo, quòd actus justitiæ ita conferat id, quod debetur juri alterius, ut se ipso nunquam velit contra jus illud agere: & quòd habitus justitiæ sit qualitas ad ejusmodi actum eliendum, ut diximus à num. 10. cùmque actus justitiæ nunquam in hoc deficiat, ideo dicitur in eo genere constans, & perpetua voluntas. 30.

Ad 1. Confirm. conc. maj. & dist. min. infunditur justitia habitualis, conc. actualis, neg. min. & conseq. Nam ea justitia habitualis, quæ infunditur, si aliquando exerceatur, eliciet actum, qui sit constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens, quod satis est, ut per hujusmodi actûs expositionem declaretur habitus justitiæ. Est autem hoc discrimen inter habitum infusum, & acquisitum; quòd cùm acquisitus generetur per actus justitiæ repetitos, supponit actus justitiæ, à quibus generatur; at habitus per se infusus non acquiritur per actus, sed à Deo supernaturaliter infunditur, ac proinde non est necesse, quod præsupponat actus, ut patet in parvulo baptizato, qui habitum supernaturalem justitiæ, aliósque per se infusos recipit cum gratia, quæ est eorum radix, ut diximus in tract. de gratia sanctificante à num. 4. Ad 2. Confirm. neg. ant. 31.

quia semel suppositò, Ulpianum exposuisse justitiam actualem ad intelligendam naturam justitiæ habitualis, neutiquam manet obscura ea justitiæ expositio.

32. Objicies 2. Tribuere unicuique jus suum spectat dumtaxat ad Principem: atqui justitia non solùm datur in Principe, sed etiam in privatis: ergo non bene explicatur justitia. Resp. dist. maj. tribuere unicuique jus suum imperandô, dirigendô, & etiam cogendô subditos ad tribuendum spectat duntaxat ad Principem, conc. tribuere executivè jus suum unicuique, neg. maj. & concessa mi. neg. conseq. quia licèt ad solum Principem pertineat dirigere, & per imperium etiam cogere subditos ad tribuendum unicuique jus suum; at executivè pertinet ad unumquemque subditorum: quin imò, si Princeps ea, quæ agenda sunt, committeret subdito, subditus ipse ex sua justitia ageret, quæ ex virtute justitiæ acturus erat Princeps, ideóque ait D. Thoma quæst. 58. art. 6. reperiri in principe architectonicè, & in subdito administrativè, seu executivè: quod etiam tradit de Judice, & privata persona quæst. 58. art. 1. ad 5. Unde, ut notavit Esparza quæst. 11. si subditus bene affectus ad bonum commune fiat Princeps ex eodem affectu virtutis, quo antea operabatur executivè, operabitur deinceps architectonicè: non sic autem faber navium, si fiat Nauclerus; nam tunc ex diversa consideratione, diversóque motivo operabitur, proindéque uteretur arte diversa.

33. Objicies 3. præsertim contra nostram definitionem: potest dari justitia ejusdem ad se ipsum: ergo non bene definitur per conceptum essentialem in ordine ad alterum. Probatur ant. qui contra legem, quæ id prohibet, interficit se ipsum, est injustus contra se ipsum, cùm faciat contra jus, quod ipsemet habet, ne interficiatur; quando verò suam vitam conservat, est justus erga se ipsum, cùm faciat id, ad quod habet jus: ergo justitia, & injustitia non solùm sunt ad alterum, sed etiam ad se ipsum. Confirm. 1. Charitas non solùm est ad alterum, sed etiam ad se ipsum, cùm non solùm teneamur ex Charitate diligere proximos, sed etiam nos ipsos: ergo & justitia etiam est ad se ipsum. Confirm. 2. ex Augustino libro de Moribus Ecclesiæ cap. 15. ubi ait: *ad justitiam pertinet ob hoc, quod servit Deo, cæteris imperare, quæ homini sunt subjecta;* sed homini subjectus est appetitus sensitivus, juxta illud Genesis 4. *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*: ergo justitia est etiam ad se ipsum.

34. Resp. neg. ant. ad probat. neg. ant. Nam qui se ipsum interficit, non facit injustitiam sibi ipsi, nec est injustus contra se ipsum, sed nihilominus peccat contra justitiam, & facit injuriam Reipublicæ, & Deo; juxta ea, quæ dicemus num. 325. Respublica enim habet jus aliquale, ne occidatur civis saltem relatè ad suam potestatem, ideóque olim, qui se ipsum interficiebat, puniebatur à Republica privandô illum sepulturâ, ut docet Aristoteles 5. Ethicorum cap. ultimo, & ex eo S. Thomas quæst. 56. art. 3. ad 2. facit etiam injuriam Deo, quia Deus habet jus, ne occidatur servus. Ad 1. Confirm. omitto ant. & neg. conseq. Quia Charitas ordinatur ad diligendum aliquem propter suam bonitatem: cúmque non solùm reperiatur in aliis bonitas, qua diligibiles sint; sed etiam reperiatur in nobis bonitas, qua diligibiles simus; exinde Charitas potest tendere non solùm ad alterum, sed etiam ad se ipsum: at justitia ordinatur ad adæquandum, sive ad ponendam æqualitatem cum jure alterius; cúmque nemo possit adæquari sibi ipsi, sed alteri, exinde justitia non potest esse ad se ipsum, sed ad alterum.

35. Dixi *omitto ant.* quia rigorosè & scholasticè loquendô sunt malti, qui doceat, Charitatem esse ad alterum, & solùm dici ad se ipsum per translationem, ut habet S. Gregorius Papa Homilia 17. in Evangelia: *minùs, quàm inter duos Charitas haberi non potest; nemo enim propriè ad semet ipsum Charitatem habere dicitur, sed dilectio in alterum tendit, ut Charitas esse possit.* Cæterùm quia, ut plures etiam docent, potest dari Charitas, qua aliquis se propter suam bonitatem amet, ideo permisi ant. ne inhæreamus quæstioni de nomine. Ad 2. Confirm. dist. maj. pertinet vel per proprietatem, vel per translationem, conc. semper per proprietatem, neg. maj. & concessa mi. neg. conseq. quia subjectio illa appetitûs non est totius ad totum, sed partis ad partem ejusdem suppositi, prout pars inferior subjecta erat superiori, non prout inferior erat subjecta sibi ipsi; sicut enim nemo potest esse sibi ipsi æqualis, ita neque sibi ipsi subjectus, ideóque inter partem superiorem, & inferiorem non dabatur justitia propriè sumpta, sed solùm per translationem, ut diximus à num. 25. Exinde tradunt plures discrimen inter justitiam, & amicitiam: quia ad amicitiam non requiritur æqualitas, sed sat est affectus rationalis propter bonitatem amati capacis amicitiæ, sive distinguatur adæquatè, sive inadæquatè à supposito. Quare docent, inter Christum quà hominem, & Deum, intercedere quidem veram amicitiam, non verò rigorosam justitiam. Verùm de his in Tractatu de Incarnatione, & de Christi Domini satisfactione.

36. Objicies 4. contra 2. Assertionem ex Buridano & aliis: qui constituitur à Republica distributor bonorum communium, peccat non solùm contra justitiam distributivam, sed etiam contra commutativam, si non distribuat fideliter geometrica proportione juxta particularium dignitatem, & meritum: ergo etiam justitia commutativa versatur circa distributionem bonorum communium secundùm jus, quod habent in illam particulares: ergo justitia commutativa, & distributiva non sunt justitiæ specie distinctæ, ac proinde non dantur tres, sed duæ duntaxat species justitiæ. Resp. conc. ant.

ant. & dist. 1. cons. justitia commutativa versatur circa distributionem bonorum communium attentis jure, & suitate communitatis; nego, attentis jure, & suitate proprietatis bonorum, quæ debebant conferri isti, & iniquè non conferuntur, conc. 1. & neg. 2. conseq.

37. Ratio est, quia ut diximus à num. 21. distributor bonorum communium ex pacto explicito, vel saltem implicito cum Republica in favorem subditi tenebatur facere propria hujus ea bona, quæ fecit propria alterius; ideo enim solet dari stipendium administratori, & distributori, & confertur honor à Republica, ut pacti hujus onus sustineat; hoc autem jus respicitur à justitia commutativa, quod habetur ratione pacti, ideóque talis iniquus distributor manet obnoxius restitutioni: ad justitiam autem distributivam solùm attinet jus suitate communitatis, circa quod, ut diximus num. 30. interveniunt vel una lex cum duplici respectu, vel duæ leges; altera quidem concedens valorem actionis, si non sit error in substantia; altera prohibens, ne fiat, nisi juxta geometricam proportionem, ne committatur peccatum ex vitiosa acceptione personarum; unde illa iniqua distributio est valida, sed illicita contra justitiam distributivam propter vitium acceptionis personarum. Cæterùm quantùm attinet ad motivum formale justitiæ distributivæ est longè, latéque diversum à motivo justitiæ commutativæ, ut constat ex dictis; quare justitia commutativa, & distributiva non sunt eadem, sed duæ species justitiæ.

38. Objicies 5. Potest distributor iniqua distributione peccare contra jus proprietatis subditorum: ergo potest etiam justitia distributiva respicere jus proprietatis, proindéque manebit eadem cum justitia commutativa. Probatur ant. casu, quo ex aliquo testamento deberet communitas distribuere centum in particulares pro cujusque dignitate; tunc enim distributor peccaret contra jus proprietatis singulorum, si iniquè distribueret, & teneretur ad restitutionem: ergo &c. Resp. dist. ant. contra jus proprietatis quatenus tangit bona ipsius suitate duntaxat communitatis, nego; quatenus respicit bona communitatis, quæ ex pacto debebant fieri propria ipsius, & iniquè non fiunt, conc. ant. & neg. conseq. Ad probationem dist. eodem modo ant. & neg. conseq.

39. Ratio est, quia, ut probabile censet Cardinalis de Lugo cum D. Thoma, in eo casu distributor peccaret contra utramque justitiam; contra distributivam, quia non servaret geometricam proportionem, proindéque incurreret vitium acceptionis personarum; & contra commutativam, quia non faceret propria hujus ea bona, quæ ex lege faventi isti debebant fieri propria ipsius; atque juxta hanc doctrinam fortasse oporteret in Confessione explicare duas malitias contra istas duas justitias. Cæterum, quia alii non minùs probabiliter docent cum ipso Lugo, & D. Thoma, quòd distributor ille in eo casu solùm apparenter, & etymologicè esset distributor, & re ipsa non esset, nisi solutor ex justitia commutativa, exinde tantùm læderet justitiam commutativam; ad eum modum, quo Famulus, seu œconomus, cui Dominus dat nummos elargiendos per partes æquales sex personis, & non sic elargiens, peccat solùm contra justitiam commutativam.

40. Et ratio utriusque est, quia justitia distributiva sic distribuit bona communia in particulares, ut isti acquirant de novo jus proprietatis in aliquid, quod antea ex jure proprietatis erat communitatis; at in dicto casu illa centum ex testamento legata nunquam fuerunt jure proprietatis bona communitatis, sed subditorum ex voluntate testatoris, tradita tamen communitati tamquam executrici voluntatis testatoris; ex quo, ut benè docent plures cum Exim. Doct. in opusculo de justitia, licèt justitia distributiva per se intendat proportionem geometricam circa plures actu existentes, & commutativa proportionē arithmeticam inter partem, & partem; potest tamen justitia distributiva quandoque per accidens esse circa unum determinatè existentem, quamquàm respiciat alios mente conceptos.

41. Tum etiam justitia commutativa potest quandoque per accidens esse non tantùm circa unum. Ratio est, quia justitia commutativa stat sæpe numerò circa plures; ut cùm debes multis, & unicuique solvis æquale juri proprietatis ipsius: cum etiam distributiva stare potest eo modo explicato circa unum, ut cùm unus esset, qui oppositionem haberet ad Cathedram, seu beneficium; tunc enim circa illum exerceri posset justitia distributiva; & quidem si duo strenuè pugnarent contra hostes Reipublicæ, unus nempe ex pacto stipendij inito cum Principe, alter verò sine pacto, illi daretur stipendium ex justitia commutativa, isti ex distributiva; ut docuit D. Thomas quæst. 61. art. 4. ad 2. In quo clarè conspicitur diversitas jurium, quæ declaravimus ad fundandas duas istas justitias, & ad exercitium utriusque circa unum.

42. Quapropter id, quod docent Aristoteles 5. Ethicorum cap. 2. 3. & 4. & D. Thomas quæst. 61. art. 2. aliique communiter, nempe justitiam commutativam quærere in suo objecto æqualitatem arithmeticam; distributivam verò quærere geometricam, intelligendum est per se ex natura virtutum; justitia enim distributiva per se intendit, ut bona communia conferantur per quandam proportionem cum dignitate personæ particularis spectatis etiam aliis particularibus saltem mente conceptis, simùlque prohibendô vitium acceptionis personarum; unde si huic digno ut sex daret Respublica centum, alteri duplô minùs digno dabit quinquaginta; justitia verò commutativa per se unicè intendit mensurare res cum jure alterius; unde quando debitor habens plures creditores, & impotens solvere singulis totum id, quod

quod debet secundùm proportionem arithmeticam, soluit per accidens, quantùm potest secundùm proportionem geometricam; per accidens quidem, nam per se hoc non intendit, sed quærit æquale arithmeticè debito, ita ut qui debet centum, debet centum.

43. In aliquo tamen casu per accidens ratione impotentiæ solvendi pluribus creditoribus æquale arithmeticè, intendit, ut solvatur æquale geometricè; sicut justitia distributiva intendens per se æquale geometricè potest quandoque per accidens dare æquale arithmeticè; ut si plura Reipublicæ membra per accidens reperirentur cum eadem in omnibus proportione arithmetica; at licèt distributiones tunc factæ à justitia distributiva essent æquales non solùm geometricè, sed etiam arithmeticè; nihilominus ut ab hac justitia procedunt, sunt formaliter justitiæ non per hoc, quòd sint æquales arithmeticè; sed per hoc, quòd sint æquales geometricè. Econtra solutio geometrica facta pluribus creditoribus ex justitia commutativa propter impotentiam faciendi arithmeticam non est justa ex hoc, quòd servat geometricam; sed ex hoc, quòd servat, & intendit quantum potest arithmeticam. Ex quo appareret, aliud discrimen inter utramque istam justitiam.

44. Objicies 6. ex Scoto: Justitia vindicativa relatè ad illum, qui punitur, non est pars subjectiva, seu species justitiæ, ut diximus num. 9. atqui est eadem cum justitia distributiva: ergo justitia distributiva non est species, seu pars subjectiva justitiæ. Probatur mi. justitia vindicativa habet idem objectum formale, ac distributiva, quatenus tendit ad tribuendam pœnam pro delictis proportione geometrica, inferendò scilicet pœnam diversam pro diversa dignitate delinquentis: ergo justitia vindicativa est eadem cum distributiva. Resp. conc. maj. & neg. mi. ad probationem neg. ant. Ratio est, quia justitia distributiva conferens aliquid membris Reipublicæ, confert id, ad quod membra habent jus suitate communitatis; cùm autem nullus habeat jus, ut puniatur; delinquèns enim non fit creditor, sed potius debitor: exinde justitia vindicativa valdè diversa est à distributiva; quòd autem judex peccaret, si pro arbitrio suo relinqueret reum impunitum, procedit, ut supra diximus ex pacto explicito, vel implicito inito cum Republica, ratione cujus teneatur ex justitia commutativa ponere in Republica bonitatem punitionis æqualem civili matitiæ delicti: sed exinde

45. Objicies 7. ex aliis: Judex, qui per justitiam vindicativam operatur justè, elicit actum justitiæ commutativæ; & qui operatur injustè non tribuendò pœnam proportionatam delicto, eo ipso peccat contra justitiam commutativam: sed non ita bene ageret, neque in ea specie peccaret, si justitia vindicativa non esset eadem cum commutativa: ergo justitia vindicativa, & commutativa non sunt diversæ. Resp. dist. maj. prout respicit jus delinquentis nego, prout respicit contractum saltem implicitum cum Republica conc. maj. & dist. pariter mi. cum conseq. Itaque non dubitamus, quòd justitia vindicativa sit eadem cum commutativa, respiciendò jus Reipublicæ ex pacto habitum. Dicimus autem, non esse justitiam commutativam ex jure aliquo delinquentis.

Quare justitia præmiativa, & vindicativa 46.
in humanis sunt commutativa justitia, cum hoc tamen discrimine, quòd vindicativa respicit jus in principe, vel Republica contra delinquentem; præmiativa verò respicit jus in operante virtuosè, & honestè, quod acquirit per obsequium erga alterum; unde licèt creatura non possit acquirere strictum justitiæ jus contra Deum, ut infrà constabit; nihilominus quia Deus non est minùs liberalis, quàm homines, præmiùmque promisit bonis operibus, attendit ad rationem commutativæ justitiæ in præmiando, & puniendo, jusque hominis excedit præmiando, cùm præmiet ultra condingnum, illiùsque debitum non adæquat puniendo, cùm puniat citra condignum, ut habent omnes Theologi cum D. Thoma, qui hoc modo illigendus est quæst. 61. art. 4. ad 1. dum ait: *forma divini judicij attenditur secundùm rationem commutativæ justitiæ, prout scilicet recompensat præmia meritis, & supplicia peccatis.*

Objicies 8. Justitia legalis vel est eadem 47.
cum pietate; vel cum obedientia: atqui pietas, & obedientia non sunt species, seu pars subjectiva justitiæ: ergo justitia legalis non est species, seu pars subjectiva justitiæ, proindeque non sunt tres, sed duæ tantùm species justitiæ. Probatur maj. virtus pietatis non solùm inclinat ad colendos parentes, sed etiam Patriam, quod est unicum munus justitiæ legalis, vel saltem justitia legalis nihil aliud intendit nisi observantiam legum, quod est unicum obedientiæ munus: ergo justitia legalis vel est eadem cum pietate, vel cum obedientia. Resp. neg. maj. Ad probationem neg. ant. quoad utramque partem. Ratio est, quia alius est respectus Filij ad parentes, à quibus Filius adæquatè distinguitur; alius verò est respectus ad communitatem, quam componit ut membrum ipsius, à qua proinde non distinguitur adæquatè.

Hunc secundum respectum considerat justi- 48.
tia legalis, qua magis unimur communitati, quàm parentibus, & ratione cujus communitas habet jus in bona particularia suitate membri; alter verò respectus attingitur à pietate, qua magis unimur parentibus, quatenus in ratione principij, à quo procedimus, magis strictè tenemur erga parentes, quàm erga patriam; unde pietas, & justitia legalis respiciunt objectum formale valde diversum, quod etiam patet in virtute obedientiæ; siquidem obedientia solùm quærit honestatem se conformandi cum præcepto Superioris; at justitia legalis non respicit

respicit tale objectum formale, sed bonum commune præscindendò à jure jurisdictionis, sive à conformitate cum præcepto Superioris, & unicè attendit ad honestatem boni illius communitatis, cujus est pars, quæ duo valde diversa sunt; cùm sit pars communitatis, & non sit pars Superioris.

49. Hæc porro est ratio, cur justitia legalis non solùm distinguitur à justitia particulari, tanquam unum, & plura quomodocunque sumantur, sed tanquam unum, & multa unita inter se, & cum ipso uno vinculo Societatis Civilis; comparatur enim tamquam pars cum toto interveniente participatione bonorum, & malorum, & ordinatione ad unum communem finem legis, Magistratûs &c. per quod distinguitur à liberalitate, & misericordia, quæ exercentur circa unum, & multa, nec respiciunt multitudinem civiliter unitam, & per hujusmodi unionem includentem etiam ipsum, qui eas virtutes exercet; quin potiùs, ut ex terminis patet, diversimodè afficiuntur homines ad ea, quæ sunt propria ipsorum, & ad ea, quæ immediatè, & directè respiciunt bonum commune corporis civilis, ideoque hujusmodi honestates quamoptimè specificant diversas virtutes.

50. Ex quo docent communiter Theologi, ut benè monet Esparza quæst. 11. non dari virtutem legalem erga totum genus humanum; cùm non detur totum genus humanum sub eodem capite civiliter unitum præter unionem, qua cum uno capite Deo conjungitur, quæ unio spectat ad Charitatem; at unio civilis, de qua agimus, reperitur in Familia, aliisque majoribus communitatibus; ideóque juxta Philosophum libro 5. Ethicorum cap. 6. & D. Thomam quæst. 58. art. 7. ad 2. & 3. *justitia incumbens bono Familiæ* distinguitur specie à justitia intendente bonum civitatis; quia Familia componitur ex personis non habentibus eam jurium, & bonorum, atque libertatis invicem independentis distinctionem mutuâ, quam habent cives comparati inter se, & cum civitate. Ex his Philosophi, & D. Thomæ principiis censet Esparza, justitiam legalem esse speciem subalternam continentem sub se alias species.

51. En illius discursum: Justitiæ legales intendentes bonum commune aliarum minorum communitatum sunt diversæ specie juxta diversitatem specificam ipsarum communitatum; quia ut docet Philosophus libro 3. Politicorum cap. 3. & 4. *Respublicæ* (eadem est ratio de aliis communitatibus) *dissident inter se specie ea diversitate specifica finium, ad quos proximè, & immediatè ordinantur*; atque hunc finem intendit intendens bonum commune cujusque communitatis proprium; unde justitia legalis militis erga exercitum dissidet specie à justitia legali mercatoris erga societatem mercatoriam; quia ille victoriam, hic divitiarum incrementum intendit; idem dicitur proportionaliter de aliis communitatibus dissidentibus inter se specie, maximè verò de his, quæ sunt invicem subordinatæ, ideoque habent fines invicem subordinatos; quo pacto comparatur Tribus cum civitate, & civitas cum Regno; neque verò hujusmodi specifica multiplicitas justitiarum legalium est absurda, aut communi hominum sensui repugnans, licèt non sit communiter ab Authoribus animadversa, quia consonat Philosopho, & efficaci ratione utitur; video hìc plura immiscerì posse de voce, ideòque satis sit hæc insinuâsse, ne teramus tempus in quæstionibus de voce.

Objicies 9. contra 3. assertionem. Plures sunt 52.
virtutes à justitia commutativa distinctæ, quæ obligant ad restitutionem: ergo non solùm justitia commutativa fundat jus ad restitutionem. Probatur ant. Pater habet jus ad alimenta exigenda à Filio in casu necessitatis, quod quidem jus non respicit utilitatem Filij, sed ipsius Patris: atqui hoc jus non est objectum justitiæ commutativæ, & obligat ad restitutionem: ergo &c. Resp. neg. ant. ad 1. neg. maj. quia in eo casu Pater non habet jus ad alimenta, sed Filius tenetur ex pietate erga parentes conferre in eo casu alimenta parentibus; unde si in eo casu non conferret, non peccaret contra justitiam commutativam, sed contra pietatem, ideoque non teneretur ad restitutionem; ad eum modum, quo ille, qui se voto astrinxit ad dandum Petro centum: ille tenetur ex Religione dare Petro centum, quin exinde Petrus habeat jus ad illa centum, ideóque si ille post votum non daret, licet peccaret contra Religionem, non peccaret contra justitiam commutativam, neque teneretur ad compensandum lucrum, quod Petrus acquisivisset, si habuisset illa centum, ut diximus à num. 28.

Objicies 10. instando simul solutionem: si 53.
Filius nondum sit emancipatus, nullâque habeat bona, quibus alat Patrem in gravi necessitate constitutum, potest Pater Filium vendere ad sublevandam suam necessitatem, proindéque habet jus proprietatis in Filium obligans alios ad restitutionem, si lædant tale jus: atqui illud jus non pertinet ad justitiam commutativam: ergo non sola justitia commutativa obligat ad restitutionem. Resp. conc. 1. & neg. 2. partem majoris. Nam Pater in eo casu non habet jus proprietatis in Filium, sed habet jus ad conservandam suam vitam utendo in eo casu medio venditionis Filij, proindéque habet jus proprietatis quoad potestatem vendendi pro eo casu Filium; unde si aliquis impediret sum illius potestatis; ita ut pater passus esset aliquod detrimentum ea de causa in vita, salute, honore, aut similibus, regulariter cessabit obligatio restituendi, si damnum illud reparabile non est, ut infra dicemus agendo de restitutione; si autem sit reparabile, obligatio erit damnum illud reparandi, quia directe fuit illatum contra jus proprietatis respiciens potestatem patris ad utendum tunc medio venditionis

Filij pro eo casu necessitatis ; tale autem jus non est objectum pietatis, sed justitiæ commutativæ; unde obligatio restituendi non procedit ab alia virtute, nisi à justitia commutativa, quæ læsa est.

54. Hæc omnia facilè explicantur quamplurimis aliis exemplis,& quidem primò. Jus jurisdictionis certum est non dare Superiori jus proprietatis in subditos, cùm directè non tendat ad utilitatem ipsius, sed ad utilitatem subditorum, vel communitatis; nihilominus jus ad potestatem gubernativam est jus proprietatis Superioris, sibique debitum; unde qui impediret jus ad talem potestatem, peccaret contra justitiam commutativam, & si ea de causa Superior passus esset aliquid in vita, salute, honore, & similibus, quod reverâ esset compensabile, maneret obligatio ad restitutionem; pariter Princeps ex titulo justitiæ legalis habet jus ad pacem Reipublicæ stabiliendam, & ex jure alto, potest uti bonis subditorum ad talem finem, quin habeat jus proprietatis in bona subditorum; nihilominus habet jus proprietatis ad utendum tali potestate pertinens ad justitiam commutativam, quod appellari solet jus reflexum.

55. Pariter Summus Pontifex juxta communem Theologorum sententiam habens potestatem directam ad gubernationem spiritualem, habet potestatem indirectam ad utendum bonis temporalibus, si usus ille sit medium necessarium ad gubernationem spiritualem; unde licèt non habeat dominium proprietatis in ea bona temporalia, quæ indirecta sunt respectu juris suæ potestatis, habet nihilominus dominium proprietatis in talem potestatem, ut eà utatur, vel non utatur; quod idem apparet in pluribus aliis exemplis, quæ affert Cardinalis de Lugo disp. 1. de justitia, & jure sect. 1. à num. 9. Hoc autem jus reflexum, licèt non sit jus proprietatis in bona, quæ ab illa potestate respiciuntur, appellatur tamen jus eminentiale fundatũ in potestate directa utendi tali mediô, ratione cujus juris eminentialis potest transferre jus proprietatis in alios circa talia media; sic pauper in extrema necessitate constitutus accipiens bona alterius necessaria ad sublevandam præsentem necessitatem, potest ratione illius juris eminentialis ea bona licitè vendere, atque in alios transferre jus proprietatis.

56. Sic etiam Pontifex, si non supperat aliud medium ad gubernationem spiritualem, potest transferre in alios jus proprietatis in Regnum, ratione suprà dicti juris eminentialis, quamvis non habeat jus proprietatis in Regnum; sicut nec pauper habet jus proprietatis in bona, quæ accipit; cæterùm quia hoc jus eminentiale non aliter se extendit ad bona aliorum, nisi prout ea necessitas exigit ad conservandum jus directum suæ potestatis, non aliter licèt uti ea potestate, nisi in tali necessitate; neque aliter fundari potest obligatio ad restitutionem in eo, qui læderet jus talis potestatis, v. g. Respublica habens jus alrum ad subveniendum necessitati communi, habet indirectè jus ad bona civium, quatenus necessaria sunt ad eum finem; quare si civis sciret etiam ex revelatione aliter subveniendum necessitati communi, non teneretur permittere usum rei suæ, atque eodem modo Filius in simili casu non teneretur cooperari ad venditionem suam ad succurendum parenti; ex quibus omnibus manifestè apparet, jus ad restitutionem, seu obligationem restituendi duntaxat provenire posse à jure læso proprietatis, quod est unicum objectum formale *quo* justitiæ, ut dicemus disputatione sequenti.

Objicies 11. Iniquus distributor bonorum Reipublicæ non potest distribuere illicitè, quin distribuat invalidè; atqui invalidiras obligat ad restitutionem: ergo justitia distributiva obligat etiam ad restitutionem, proindéque obligatio ad restitutionem non oritur ex sola justitia commutativa. Probatur major: si distributio posset esse illicita, quin esset invalida, lex illa de valore daret facultatem ad peccandum: sed hoc dici non potest: ergo &c. Resp. neg. maj. ad probationem neg. maj. quia lex de valore non dat facultatem ad peccandum, sed relinquit libertatem, ut homo possit peccare agendô illicitè contra legem; sic Christus Dominus dans potestatem Sacerdotibus ad consecrandum, simùlque prohibens graviter, ut non faciant consecrationem, dum lethali peccatô inficiuntur, non dat facultatem ad peccandum, sed dat potestatem ad valorem consecrationis, & relinquit libertatem Sacerdoti, ut adimplendô alteram legem, vel quod idem esset utrumque legis respectum, & impositam obligationem licitè agat, vel ut pro sua pravitate lethaliter peccet agendô contra legem prohibentem, licèt agat validè ex potestate, quam Christus illi contulit ad valorem. 57.

Quod idem dicendum est in aliis quamplurimis rebus, in quibus homines habent facultatem ad aliquid faciendum validè ex una potestate cum libertate ad agendum illicitè contra legem prohibentem. v. g. legitimus Superior vetare tibi potest locationem tuæ domûs, intendens præcisè reddere illicitum locationis contractum, non verò invalidum; habet enim Superior facultatem non solùm annullativam contractûs, sed etiam merè prohibitivam, quo in casu habes jus proprietatis ad validam locationem domûs, sed quia prohibetur à Superiore, ne licitè fiat, si fieret tunc ille contractus, esset validus, & illicitus; pariter Filius post sponsalia contracta cum Bertha etiam in sensu compositio hujus impedimenti habet integrum jus suum ineundi matrimonium cum Caja: sed tale jus est licitè impedibile à Bertha, cùm illa sponsalia contracta, licèt non sint impedimentum dirimens, sint impedimentum impediens. 58.

Quare lex, vel privilegium, licèt concedere sæpe soleat facultatem ad actum peccaminosum ut ponibilem sub aliqua licita formalitate, 59.

te, nunquam tamen concedit facultatem ad actum in ſenſu compoſito prohibitionis, ſeu ad ponendum actum peccaminoſum, ut peccaminoſum, v. g. diſpenſatio conceſſa conſanguineis, vel affinibus ad ineundum matrimonium, non ſolùm reddit liberam ab inceſtu copulam matrimonialem, ſed etiam extramatrimonialem; ita ut copula habita poſt obtentam diſpenſationem, & ante initum matrimonium, non ſit inceſtuoſa, licèt ſit illicita, ut probat Thomas Sanchez libro 7. de Matrimonio diſp. 17. num. 9. Unde ea diſpenſatio eſt facultas habendi non inceſtuoſam copulam extramatrimonialem, quin ſit facultas ad habendam copulam extramatrimonialem; pariter diſpenſatio ad veſcendum carnibus facit liberam ab Eccleſiæ prohibitione comeſtionem aliunde peccaminoſam, quin concedat facultatem ad peccandum; unde ſi is, qui habet diſpenſationem, comedat carnes furtivas, comeſtio illa erit contra juſtam, ſed non contra Eccleſiæ prohibitionem, quam abſtulit diſpenſatio.

60. Tandem probabile cenſent plures cum Cardinali de Lugo diſp. 5. ſect. 7. à num. 134. videlicet Religioſum abutentem pecuniâ ad uſus turpes, quando habet generalem licentiam expendendi pro libito, peccare quidem contra alias virtutes, ſed non peccare ſemper contra paupertatem; nam licet ea licentia non ſit facultas, ut ponatur actus contra aliquam virtutem, eſt tamen facultas, ut non ponatur pecuniæ uſus contra paupertatem, hoc eſt citra legitimam licentiam ad validè expendendum, per quod manet facultas ad valorem, & libertas ad peccatum; quòd autem in his, & ſimilibus conceſſionibus nulla ſit umbra peccati, conſtat in facultate à Chriſto Domino conceſſa ad conſecrandum validè cum libertate ad conſecrandum illicitè: ex quibus omnibus patet, contra juſtitiam commutativam quà talem peccari peccatô juſtitiæ ſtrictæ obligantis per ſe ad reſtitutionem; contra diſtributivam quà talem peccatô, & vitiô acceptionis perſonarum; contra legalem quà talem peccatô oppoſitô honeſtati boni communis, licèt aliqui cum Turriano diſp. 8. de juſtitia, & jure num. 11. doceant, illud peccatum non committi, niſi ex contemptu expreſſo boni communis; at alij, quos ſequitur Cardinalis de Lugo diſp. 1. ſect. 4. num. 65. docent, poſſe aliquem lethaliter peccare infamandô, vel nocendô graviter ſuæ communitati, etiamſi hoc non faciat ex comptemptu, vel odio ipſius.

DISPUTATIO II.

DE NATURA, PROPORTIONE, ET OBJECTO JUSTITIÆ COMMUTATIVÆ.

61. Cùm ſola juſtitia commutativa ſit ea, quæ fundat obligationem reſtituendi, ſi jus ejus lædatur, ut conſtat à num. 18. ea de cauſa poſt explicationem, quam dedimus de aliis juſtitiis, reſtat, ut de iſta deinceps ex profeſſo agamus cum Theologis in toto ferè iſto Tractatu; quamquam enim reſtitutionis nomen, ut habet D. Thomas quæſt. 62. art. 1. ad 2. importet iterationem quandam, & ideo ſecundùm primam impoſitionem nominis reſtitutio videatur locum habere præcipuè in exterioribus, quæ manentes eædem, & ſecundùm ſubſtantiâ, & ſecundùm jus dominij ab uno poſſunt ad alium devenire; nihilominus ſicut ab hujusmodi rebus nomen commutationis translatum eſt ad actiones, vel paſſiones, quæ pertinent ad reverentiam, vel injuriam alicujus perſonæ, ſeu nocumentum, vel profectum; ita etiam nomen reſtitutionis ad hæc derivatur, quæ licèt realiter non maneant, tamen manent in effectu, vel corporali, puta cùm ex percuſſione læditur corpus, vel qui eſt in opinione hominum, ut eùm aliquis verbô opprobriosô remanet infamatus, vel etiam minoratus in ſuo honore; quamobrem juſtitia commutativa circa iſta omnia ſe extendit, eásque omnes commutationes, ſeu quaſi commutationes reſpicit.

SECTIO I.

Quomodo ſe exerceat juſtitia commutativa.

62. SUppono 1. ex Ariſtotele 5. Ethicorum cap. 2. & ex D. Thomam 2. 2. quæſt. 61. art. 3. commutationes alias eſſe voluntarias; involuntarias alias. Voluntariæ ſunt illæ, quæ ſponte fiunt ex utraque parte, ut emptio, venditio, mutuum, commutatio, locatio, depoſitum, fidei juſſio, & id genus aliæ; emptor enim dat pretium intentione commutandi illud in rem emptam; venditor dat rem, intentione cummutandi rem in pretium; unde venditio fit ſponte ex utraque parte, ideóque eſt commutatio voluntaria. Pariter mutans dat rem intentione commutandi illam in rem ejusdem ſpeciei; commodans, ac deponens dat rem uno tempore cum intentione recipiendi eandem numerô rem; locans dat uſum rei cum intenione commutandi talem uſum in pecuniam.

63. Fidejuſſor conſtituit ſe debitorem pro alio cum intentione, ut ille alius conſtituatur debitor ipſi; unde omnes iſtæ conjuctiones ſponte ex

te ex utraque parte fiunt, proindéque sunt commutationes voluntariæ. Involuntariæ sunt, quæ non fiunt spontè ex utraque parte; sed ita, ut primus actus non fiat cum intentione commutandi v. g. furtum; qui enim furatur rem alienam, non furatur cum expressa intentione commutandi, & reddendi vel eandem rem, vel æqualem, licèt habeat intentionem æquivalentem, & quasi habitualem reddendi ex dictis num. 19. qui autem patitur, non spontè patitur, sed invitus; unde solus secundus actus restituendi rem, & reparandi damnum, fit cum actuali, & expressa intentione commutandi, & ponendi debitam æqualitatem, atque ab utraque parte spontè admittitur, ideóque dicitur commutatio voluntaria.

64. Commutationes involuntariæ dividuntur ab Aristotele, & D. Thoma in clandestinas, & violentas; clandestinæ sunt, in quibus primus actus fit occultè per fraudem, ut communiter fiunt furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, cædes cum dolo, falsum testimonium, infamatio per occultam detractionem, & id genus aliæ; violentæ sunt, in quibus primus actus fit per violentiam, ut vincula, verberatio, cædes, rapina, mutilatio, convitium, & contumelia; omnes isti actus injustitiæ consistunt in eo, quòd aliquis contra jus alterius utatur re, vel personâ illius, aut personâ sibi conjunctâ ipso invito, ideóque sunt injustitiæ contra rem, personam, vel dignitatem alterius, aut contra personã conjunctam; exinde furtum, & rapina distinguuntur in eo, quòd furtum est injuria, per quam quis clam, & per fraudem accipit rem alterius ipso Domino rationabiliter invito.

65. Rapina est injuria, per quam quis manifestè & per violentiam accipit rem alterius invito rationabiliter Domino. Injuriæ clandestinæ, & violentæ specie morali differunt; cùm enim virtus, ut ait D. Thomas, consistat in medio deviante ab extremis vitiosis, habet extrema specie diversa eidem virtuti opposita. Sic liberalitati opponuntur prodigalitas, & avaritia; cùmque malitiæ, quæ specie morali differunt, explicandæ sint in confessione, injuriæ clandestinæ, & violentæ debent in confessione aperiri; & ratio ulterior est, quia per injuriam manifestam irrogatur etiam inhonoratio, cùm videatur persona despici; per occultam verò non despicitur, sed videtur ratio ejus haberi, proindéque injuriæ manifestæ sunt per se graviores; unde rapina specie differt à furto occulto, & est injuria gravior furtô; contumelia est injuria gravior occulta detractione, & sic de aliis. Quomodo materia proxima justitiæ commutativæ juxta acceptionem D. Thomæ distinguatur ab objecto materiali, dicemus à num. 103.

66. Suppono 2. Pythagaricos, ut docet Aristoteles 5. Ethicorum cap. 5. & dicemus à num. 72. in hoc maximè errâsse, quòd existimaverint, omne justum consistere in Talione, quod appellari solet contrapassum purè physicè sumptum, hoc est in eo, quod quis patiatur id, quod fecit, ut apud Æschilum Poëtam tragicum statuit Rhadamantus dicens, *siquis quod fecit, patiatur, jus erit æquum*, quare dicebant, nihil aliud exigendum ad æqualitatem justitiæ, & ad justam injuriarum satisfactionem, nisi physicam rerum proportionem correspondentem pœnæ talionis; ita ut si unus alterum alapâ percusserit, nihil aliud sit necessarium ad æqualem compensationem, nisi quôd alapâ repercutiatur. Hanc doctrinam, ut ipsi naturæ lumini contrariam impugnavit Philosophus, requirens arithmeticam proportionem inter pœnam, & delictum consistentem non quidem in æqualitate purè physica, sed morali, quam Philosophi doctrinam ut certam amplectuntur omnes Theologi, ut infrà dicemus.

Suppono 3. cum D. Thoma contra Scotum, 67. virtutem esse speciem habitûs, id est, esse habitum pertinentem ad speciem tendentem imputabiliter ad bonum, & impotentem tendere sub ratione mali, sive ad malum formaliter imputabile; unde non est habitus indifferens, ut contrahatur ad speciem bonitatis, eliciendô actum imputabiliter bonum, & deinceps contrahatur ad speciem vitij eliciendô actum imputabiliter peccaminosum. Ratio est, quia si est virtus per se infusa, habet Deum specialem Authorem: unde non potest habitus ille virtuosus per se tendere ad malum: si est virtus acquisita, generatur, & acquiritur ex repetitione actuum virtutis, proindéque solùm inclinat ad similes actus: cùm autem actus virtutis non possit elici circa malum cognitum, ut malum, vel ut imputabile agenti, sed circa bonum saltem ùt prudenter cognitum, ac proinde quatenus actus non potest imputari ad formale peccatum, exinde habitus virtutis non potest inclinare ad actum imputabiliter peccaminosum: his positis

Assero 1. cum omnibus Theologis: Justitia 68. commutativa est virtus voluntatis non quidem Theologica, sed moralis. Probatur 1. pars. Justitia commutativa est habitus, quo creatura rationalis redditur stabiliter potens ad operandum ex prudenti repræsentatione boni reddendô unicuique, quod suum est suitate proprietatis: ut enim habet Aristoteles 2. Ethicorum cap. 6. *virtus moralis est habitus electivus in mediocritate consistens, quæ quidem mediocritas ratione præfinita sit, atque ita, ut præfiniret ipse prudens*; unde in circumstantiis, in quibus adverterem, Petrum exigere à me suum ensem, ut se interficeret, restitutio ensis esset simpliciter injusta ab illa circumstantia extrinseca, ideóque non fieret tunc secundùm prudentiam, nec procederet à virtute justitiæ, solúmque esset justitia secundùm quid, nempe talis, quæ esset bona, si à nulla extrinseca circumstantia vitiaretur; quare cùm habitus justitiæ solùm incliner ad actum secundùm prudentiam, seu secundùm rectam rationem, non

movetur

movetur ab honesto tantùm secundùm quid, sed ab honesto simpliciter: atqui habitus, qui non inclinat ad eliciendum actum, nisi quando prudenter proponitur suum objectum simpliciter honestum, est vera virtus non quidem intellectûs: nam hæc non movetur ab honestate, sed à veritate: ergo est virtus voluntatis.

69. Confirm. 1. ex Aristotele 3. Ethicorum cap. 8. expressè docente, fortitudinem illam, qua aliqui milites aggrediuntur pericula propter fines non rectos, non esse virtutem; quod idem est de industria militari, & politica, si pravo fine acquirantur; sicut enim opinio non est virtus intellectûs, quia ex intrinsecis suis non est incapax falsitatis; ut enim docet ipse Philosophus 6. Ethicorum cap. 8. *opinione fieri potest, ut mentiamur;* ita habitus voluntatis non est virtus, si ex intrinsecis suis non est impotens tendere ad malum saltem imputabile: atqui justitia eo ipso, quòd inclinet ad compensationem simpliciter honestatem, inclinat tantùm ad bonum, & est impotens tendere ad malum saltem imputabile; ipsum enim lumen naturæ dictat honestum simpliciter esse, & naturæ rationali conforme, reddere unicuique, quod suum est, quando ex nullo titulo prohibemur à prudentia: ergo justitia commutativa est virtus voluntatis.

70. Confirm. 2. Nullus Philosophus, aut Theologus agnovit hucusque duas virtutes naturales justitiæ commutativæ specie distinctas inter eadem saltem extrema v. g. inter Petrum, & Paulum, sed unam duntaxat; ex quo apparet, non participare naturam justitiæ commutativæ illum habitum, qui ex intrinsecis suis possit tendere ad reddendum alteri, quod suum est, etiam in circumstantiis, in quibus restitutio illa redderetur peccaminosa; bene verò, quando non potest tendere, nisi proponatur cum exclusione omnis malitiæ; quare virtute ut principio nemo potest mali uti: unde Augustinus libro 2. de libero Arbitrio cap. 19. ait: *virtutibus nemo malè utitur; cæteris autem bonis, id est mediis, & minimis non solùm bene, sed etiam malè quisque uti potest, & ideò virtute nemo malè utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non benè uti possumus: nemo autem bene utendò malè utitur:* tum etiam Angelicus quæst. 2. de virtutibus explicandò virtutem art. 2. in Corpore ait: *requiritur autem, quòd actus sit rectus, & quòd habitus non possit esse principium contrarius:* sed exinde clarè constat, justitiam commutativam esse virtutem voluntatis: ergo &c.

71. Probatur jam 2. Assertionis pars: virtus moralis in eo differt à Theologica, quòd Theologica respicit pro objecto formali *quod* aliquid divinum, virtus verò moralis non ita, sed bonitatem creatam, saltem denominativè sumptam: atqui virtus justitiæ commutativæ non respicit pro objecto formali *quod* aliquid divinum, sed honestatem creatam denominativè sumptam, in eo consistentem, quòd unicuique reddatur, quod suum est suitate proprietatis, quin necesse sit amare jus divinum, ut opus erat ad objectum formale *quod*; sæpe enim volunt homines restituere debitum inimico, quin inimicum ament, nec illius jus diligant, nec talis tendentia pertinet ad justitiam, sed vel ad Charitatem, vel ad concupiscentiam, ut diximus etiam à num. 52. de virtutibus Theologicis, & infrà iterum dicemus: ergo justitia commutativa non est virtus Theologica, sed moralis.

72. Assero 2. cum Angelico quæst. 61. art. 4. cæterisque Theologis contra Pythagoricos: proportio arithmetica, sive justum, quod respicit justitia commutativa, non stat in pœna Talionis purè physicè considerata, proindéque neque in contrapasso pro ea talionis pœna accepto. Probatur 1. Si Princeps, vel aliquis Magistratû gerens per injuriam percusserit rusticum ad ponendam æqualitatem arithmeticam, sive justum, quod commutativa justitia respicit, non debet repercuti, & si repercutiatur, compensatio excedit injuriam; è converso, si rusticus alapâ percusserit Principem, vel hominem in Magistratu constitutum, ad compensandam injuriam non sufficit, ut rusticus alapâ repercutiatur; debet enim majori supplicio plecti; aliter compensatio non esset æqualis, sed minor, quàm injuria illata; siquidem in æstimatione morali injuriæ, & pœnæ crescunt, & decrescunt ex dignitate majori, vel minori personarum, quibus, vel à quibus inferuntur: sed exinde proportio arithmetica, sive justum, quod respicit justitia commutativa, non stat in pœna talionis purè physicè considerata, neque in contrapasso pro ea talionis pœna accepto: ergo &c. Confirm. Justitia commutativa intendit, ut in contractibus onerosis emptionis, venditionis, aliisque quasi contractibus par pari referatur, nimirum pretium moraliter æquale rei venditæ; quod si aliter fieret, læderetur humana societas: atqui ut par pari referatur, deturque pretium moraliter æquale, non sufficit ea pœna talionis, seu contrapassi purè physicè considerata, cùm ea quandoque sit major, quandoque sit minor, quam ipsa offensa in æstimatione morali, ut constat ex dictis: ergo &c.

73. Probatur 2. & explicatur ampliùs conclusio: pœna talionis, aut contrapassi physicè considerata aliquando est moraliter major, quàm injuria, atque adeò excedens, & injusta, ut patet in Principe, si alapâ repercutiatur à rustico; pateretur enim majorem injuriam, quàm si rusticus percuteretur à Principe; aliquando est moraliter minor, & tunc est deficiens, ut patet in rustico, si alapâ repercutiatur, quia percussit alapâ Principem; aliquando est moraliter æqualis, & tunc potest esse simpliciter justa, si designetur in pœnam; sic rusticus, qui percussit alium æqualem, si percussione ejusdem speciei repercutiatur, pœna illa poterit censeri moraliter æqualis injuriæ, ac proinde justa:

justa: sed exinde patet, proportionem arithmeticam, quam respicit justitia commutativa, non stare in æqualitate purè physica rei ad rem, sed in æqualitate morali: ergo &c.

74. Confirm. ex eo, quòd pœna talionis physicè considerata, licèt sit aliquando æqualis injuriæ, non sit semper æqualis, sed frequenter in æqualis, licèt aliquando statuatur in recompensationem pœna talionis, ut dicitur Exodi 3. *reddet animam pro anima, dentem pro dente, oculum pro oculo, manum pro manu*: sic etiam statutum est aliquibus legibus, ut injustus accusator, si convincatur injustè accusâsse, puniatur pœnâ talionis, hoc est eâdem specie pœnâ, quâ accusatus punitus fuisset, si delictum ipsi imputatum verum fuisset, & comprobatum: ita, ut qui injustè accusavit alterum de furto, vel homicidio, puniatur pœnâ furis, vel homicidæ: at quia non semper est æqualis, ideò statuitur aliis legibus, ut reus in pœnam patiatur malum majus physicè eo, quod fecit: sic Exodi 22. dicitur, *si furatus fuerit ovem, aut bovem, aut vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove*; qui enim furatus est bovem, præsertim violenter, non solùm intulit damnum, quod dici solet injuria realis, sed etiam intulit injuriam contra personam, quæ dici solet injustitia personalis, quam leges considerant ad æqualitatem compensationis metiendam, vel quandoque ad deterrendos alios: sed exinde apparet, non sufficere ad justitiam commutativam æqualitatem purè physicam, si non contineat æqualitatem moralem: ergo &c.

75. Assero 3. Objectum formale justitiæ commutativæ sunt ea omnia, quæ ab ipsa attinguntur vel ad compensandum, vel ad resarciendum jus proprietatis alterius. Probatur facilè, & explicatur simul conclusio. Illud dicitur objectum materiale alicujus virtutis, quod immediatè subjicitur objecto formali talis virtutis: atqui ea omnia, quibus jus proprietatis alterius compensatur, ne lædatur, vel quibus, si læsum fuerit, resarcitur, immediatè subjiciuntur objecto formali justitiæ commutativæ: ergo ea omnia sunt objectum formale justitiæ commutativæ &c. Confirm. Si ex contractu debeo Petro centum, teneor illi reddere centum, ne jus proprietatis Petri lædam, & ut illud compensem; si verò auferendò illi sua lædo jus proprietatis ipsius, ut agam juxta naturam justitiæ commutativæ, opus est, ut non velim auferre Petro sua, proindéque ea, quæ volo auferre, ne lædam jus alterius, dicuntur objectum materiale justitiæ commutativæ per modum fugæ, & recessûs; ea verò, quæ dare volo ad compensandum jus alterius, ne illud lædam, vel ad resarciendum, si læserit, dicuntur objectum materiale per modum amplexionis, & accessûs: sed hoc perinde est, ac dicere objectum materiale justitiæ commutativæ esse ea omnia, quæ ab ipsa attinguntur, vel ad compensandum, vel ad resarciendum jus proprietatis alterius: ergo &c.

Assero 4. Jus activum proprietatis non est objectum formale *quod* justitiæ commutativæ. 76.
Probatur 1. Illud est objectum formale *quod* alicujus virtutis, quod non solùm movet ad amplectendum objectum materiale, quod denominat honestum, vel ad fugiendum, quod denominat inhonestum, illiqúe virtuti oppositum, sed etiam est ratio movens, quam actus ipse virtutis indispensabiliter amplectitur, ut diximus à num. 52. de virtutibus Theologicis. Sic color dicitur objectum formale *quod* potentiæ visivæ, quia non solùm est ratio videndi alia, sed indispensabiliter etiam videtur, quando videntur alia; non enim possumus videre objecta colorata, nisi videamus etiam ipsum colorem; atqui jus activum, licèt sit ratio movens ad reddendum unicuique, quod suum est, non est ratio indispensabiliter amanda ab actu justitiæ amplectente, & volente compensationem, ut suprà diximus: ergo jus activum non est objectum formale *quod* justitiæ commutativæ. Confirm. Potest aliquis esse justus absque eo, quòd amet, & velit jus activum alterius; immò quamvis illud oderit, ac velit destruere: ergo jus activum alterius non est objectum formale *quod* justitiæ commutativæ. Probatur ant. Servus potest esse justissimus, potéstque velle tribuere Domino omnia, quæ illi debentur ratione dominij, & tamen potest odisse, ac nolle suam servitutem, sive dominium domini, & curare se redimere à dominio, atque per legitimam redemptionem destruere in se jus Domini: ergo &c.

Probatur 2. & explicatur à priori eadem ratio; quando ratio movens ad actum non movet per convenientiam, sive repræsentata tanquam bonum amabile, possumus amplecti objectum, ad quod movet, quin amplectamur rationem moventem: sic morbus movet ad curationem, & debitum movet ad solutionem; non enim movet morbus, nec debitum per convenientiam, sive propositum ut bonum amabile, ideoque possumus amare eam solutionem, quin amemus morbum, aut debitum; non ita quando ratio movens ad actum movet per convenientiam, sive ut bonum amabile; tunc enim non possumus amare objectum materiale propter formale, quin amemus formale; sic non possumus amare medium, ut bonum ad obtinendum finem, quin eo ipso amemus finem, eo præcisè, quòd finis non aliter nos moveat, nisi quatenus proponitur ut bonum amabile; sic non possum amare proximum propter bonitatem divinam, quin amem divinam bonitatem, eò quòd bonitas divina non moveat ad talem amorem, nisi ut repræsentata, ut bonum amabile; unde è converso, quando ratio formalis movet, quin repræsentetur ut bonum amabile, possumus quàm optimè amplecti rem, ad quam movet, quin amplectar rationem moventem: 77.

ventem: cúmque hoc modo se habeat jus activum relatè ad justum passivum, possum quamoptimè elicere actus justitiæ, quibus volo compensationem juris alterius, quin jus activum alterius amem: sed hoc perinde est, ac dicere, tale jus activum non esse objectum formale *quod* justitiæ commutativæ: ergo &c.

78. Assero 5. Jus activum proprietatis est objectũ formale *quo* justitiæ commutativæ. Probatur 1. Illud est objectum formale *quo* alicujus virtutis, quod licèt non ametur, est nihilominus ratio indispensabiliter movens ad actus, quibus amplectimur objectum virtutis: atqui jus activum proprietatis, licèt non sit id, quod indispensabiliter amatur à justitia commutativa, est nihilominus ratio indispensabiliter movens ad actus talis justitiæ, quibus volumus, & amplectimur compensationem juris alterius: ergo &c. Conseq. tener, & major est definitio objecti formalis *quo*. Minor verò prob. Ratio, propter quam movemur ad solvendam rem hanc Petro, & non Paulo, est, quia Petrus habet contra nos jus activum, & non Paulus, ideoque tenemur dare juris compensationem Petro, & non Paulo: ergo jus activum alterius est ratio indispensabiliter movens ad actus justitiæ.

79. Confirm. paritate omnium virtutum moralium, quæ sunt ad alterum: Religio enim movet ad cultum Latriæ absolutum offerendum Deo, & non creaturæ; quia in Deo residet suprema excellentia, cui debetur talis cultus; quæ quidem excellentia non residet in creatura, ideóque habet pro objecto formali *quo* supremam Dei excellentiam; Gratitudo, quia vult reddere debita ratione beneficij accepti, quod non est necesse amare, habet pro objecto formali *quo* beneficium acceptum; Misericordia, quia movetur ab aliena miseria ad succurrendum pauperi, quam quidem miseriam non amamus, habet pro objecto formali *quo* alienam miseriam; Obedientia, quia ad faciendam rem præceptam, movetur à præcepto, quòd non est necesse amare, habet pro objecto formali *quo* ipsum præceptum: ergo ex eo, quòd justitia commutativa moveatur à jure activo alterius, quod non est necesse amare ad reddendum alteri id, quod ille debeatur, habebit pro objecto formali *quo* jus activum alterius.

80. Probatur 2. Objectum formale justitiæ est, quod debetur ex jure activo, non utcumque, sed immediatè subjectum, seu ut formaliter debitum ex tali jure, ut constat ex num. 75. justitia enim vult dare unicuique, quod ipsi ex jure debetur, quia ipsi debetur: atqui dare alteri id, quod ipsi debetur, quia ipsi debetur, est formaliter moveri à jure activo alterius, sive formaliter respicere jus activum alterius tanquam rationem formalem non necessariò amatam ad actum justitiæ, in quo quidem stat objectum formale *quo*: ergo jus activum alterius est indispensabiliter objectum formale *quo* justitiæ commutativæ. Confirm. Eò quòd detur in Petro jus activum contra Paulum, ut Paulus illi solvat centum, illa centum reverâ denominantur debita ab ipso jure; quamquam enim jus activum proprietatis non sit debitum, ea tamen, quæ jus exigit, debita sunt, & reverâ suscipiunt denominationem debiti; cúmque justitia commutativa velit solvere tale debitum, quia debitum est, vult ideo solvere centum, quia jus activum erga illa residet in altero: sed in eo stat, quód jus activum proprietatis alterius sit objectum formale *quod* justitiæ commutativæ: ergo &c.

81. Assero 6. Honestas simpliciter denominativè sumpta, quam amplectitur actus justitiæ commutativæ, eam propter suam honestatem amandô, est objectum formale *quod* justitiæ commutativæ. Probatur 1. Qui vult solvere alteri, quod suum est, quia suum est, illúdque solvit per actum virtuosum justitiæ, illud vult, & reddit alteri, quia hìc, & nunc simpliciter est honestum, ut constat à num. 68. proindéque amat, & movetur ab honestate illa denominativè sumpta: sed in eo stat, quòd honestas illa justitiæ sumpta denominativè sit objectum formale *quod* justitiæ commutativæ: ergo &c.

82. Confirm. & explicatur hæc ratio: Objectum materiale, quod actus virtutis amplectitur propter suam honestatem denominativè sumptam, denominatur honestum ab objecto suo formali, sive respiciat objectum formale per convenientiam, sive per non convenientiam; sic Superior volens punire subditum, quia peccavit, vult honestatem punitionis, quam peccatum denominat honestam per non convenientiam, immò & per contrarietatem; ex eo enim, quòd peccatum sit malum, punitio est justa, immò punitio non esset justa, si peccatum aut reale, aut juridicum non præcessisset, proindéque punitio denominatur honesta à peccato per non convenientiam, non minùs, quàm solutio debiti denominatur honesta per non convenientiam à jure activo alterius, quod præsupponit, quin necesse sit illud indispensabiliter amare, quamvis actus justitiæ amet honestatem simpliciter denominativè acceptam, ut constat à num. 76. sed in eo stat, quòd ea honestas denominativè accepta sit objectum formale *quod* justitiæ commutativæ: ergo &c.

83. Probatur 2. Illud est objectum formale *quod* justitiæ commutativæ, à quo movetur, quodque amplectitur indispensabiliter actus virtuosus talis justitiæ, ut constat à num. 76. atqui actus virtuosus justitiæ commutativæ movetur ab honestate simpliciter solutionis denominativè sumpta, quam indispensabiliter amplectitur; ex eo enim aliquis vult per actum virtuosum commutativæ justitiæ solvere debitum, quia honestum est in illis circumstantiis solvere alteri, quod suum est, quod perinde est, ac respicere, & amplecti solutionem, ut simpliciter denominativè honestam: ergo &c.

Confirm.

84. Confirm. Inter objectum materiale, & formale *quod* non est necesse, ut intercedat distincto realis; sed sat est, quòd intercedat distincto formalis ex modo concipiendi. Sic actus vitalis, qui est realiter ens, ut ens pertinet ad Metaphysicam; ut vitalis ad Animasticam: sic Bonitas Divina amata propter se ipsam ab actu Charitatis respicitur à Charitate ut objectum materiale, & formale; ut materiale quatenus amat illam; ut formale, quatenus amat propter ipsam, & quæcunque alia amantur per Charitatem, attinguntur amando divinam bonitatem propter ipsam; in quo stat, quòd Divina Bonitas sit objectum formale *quod* Charitatis: atqui etiam ille, qui per actum virtuosum solvit alteri, quod illi ex justitia commutativa debet, vult dare illi solutionem repræsentatam simpliciter honestam, ac proinde attingit solutionem ut objectum formale, eámque vult dare, quia in illis circumstantij denominatur simpliciter honesta, proindéque attingit eam honestatem denominativam ut objectum formale, atque à solutione ut denominativè honesta, & amata movetur indispensabiliter ad faciendum, quidquid facit solvendò per actum virtuosum justitiæ commutativæ: ergo honestas illa simpliciter denominativè sumpta est objectum formale *quod* justitiæ commutativæ.

85. Quapropter actus justitiæ commutativæ rectus, & virtuosus non amplectitur honestatem solutionis quidditativè sumptam, sed simpliciter, & denominativè tantùm acceptatam. Ratio ex sæpe alibi dictis est, quia solutio simpliciter honesta debita, quà debita quidditativè sumptæ includit solutionem, quæ debetur tanquam objectum materiale, & formale *quod*, atque jus activum, ratione cujus debetur tanquam objectum formale *quo*; cúmque actus virtuosus justitiæ commutativæ non amet indispensabiliter jus activum alterius, ut constat à num. 76. exinde non amat honestatem solutionis quidditativè sumptam, proindéque non respicit illam tanquam objectum formale *quod*; honestas autem solutionis simpliciter denominativè tantùm accepta solùm includit id, quod sustinet denominationem solutionis simpliciter justæ, quam vult, & amplectitur, quia denominatur simpliciter justa, & honesta; ita ut non possit aliter exerceri actus virtuosus justitiæ commutativæ, ut constat à num. 68. quod idem est, ac dicere; eam honestam simpliciter denominativè acceptam esse objectum formale *quod* justitiæ commutativæ; quæ doctrina generalis est ad omnes virtutes intendentes honestatē denominativè acceptam, & provenientem ab aliquo objecto purè formali *quo*, quales scilicet sunt virtutes Religionis, Obedientiæ, Misericordiæ, Pœnitentiæ, & id genus aliæ. Ex dictis

86. Fit 1. Jus passivum suscipiens denominationem justi, & debiti à jure activo esse quidem honestum secundùm id, quod dicit denominativè. Ratio est, quia honestum est reddere alteri, quod ipsi ex jure activo debetur; per quod, ut ipso naturæ lumine patet, non significatur, quòd reddatur jus activum, sed quòd reddatur id, quod exigitur, & denominatur debitum à jure activo; quod ab omnibus Theologis appellatur jus passivum; unde jus passivum denominativè sumptum, ut contradistinguitur à jure activo, est honestum; licèt enim denominatio moralis dari non possit, quin fundetur in forma physica, nihilominus, quando forma physica non denominat se ipsam; sed objectum honestas moralis denominativè sumpta non stat in ea forma physica, sed in objecto denominato; neque reponi potest in objecto denominato quidditativè, sed tantùm denominativè sumpto.

87. Quapropter in objecto denominato prout ab actu virtuoso justitiæ attingitur, considerandæ sunt duæ formalitates; altera quidem objecti immediatè attacti, ratione cujus dicitur objectum materiale talis actûs; altera honestatis denominativè acceptæ, ratione cujus attingitur, & propter hanc honestas illa denominativa dicitur objectum formale; rursum cùm objectum illud nunquam attingatur, nisi propter honestatem denominativam formaliter ab objecto materiali distinctam, non solùm est ratio attacta, sed etiam ratio, propter quam attingitur; in quo stat, quòd objectum illud honestum denominativè sumptum sit objectum formale *qucd* justitiæ commutativæ.

88. Fit 2. Posse quandoque haberi actus justitiæ specie diversos ex diversitate specifica personarum, contra quam fit injustitia, atque etiam ex diversitate specifica statuum, ad quos aliquæ personæ pertinent, ut latè tradit Cardinalis de Lugo disp. 1. à num. 39. Ratio est, quia justitia consistit in medio; unde si per extrema specie distinct, sive ratione sui, sive ratione statuum fiat contra justitiam, orientur exinde in linea morali injustitiæ specie distinctæ. Sic læsiones in fama, & honore hominis, & Dei differunt specie explicanda in confessione; quia jus, quod Deus habet in bona sua longè diverso modo, refertur ad Deum, quàm jus, quod homo habet ad bona sua, referatur ad hominem: ad Deum enim pertinent illa per dominium, essentiale, quo Deus privari non potest, nam jus illud divinum fundatur in essentia divina, ratione cujus est Dominus omnium creaturarum, cúmque Deus privari non possit essentiâ divinâ, exinde privari non potest jure proprietatis respectu creaturarum.

89. Jus autem ad bona sua pertinet ad hominem accidentaliter, & ex concessione divina, juxta illud ad Romanos 13. *non enim est potestas, nisi à Deo*; unde homo privari potest à Deo tali jure, & Deus illud potest alteri concedere; quo in casu alter posset licite, & justè privare alium usu earum rerum, quas habebat. Sic concessit Deus olim jus Israelitis circa plura bona Egyptiorum; quare jus divinum est longè perfectius, & altius jure humano, proinde-

deque

déque, qui illud lædit, quamvis idem bonorum genus respiciat, lædit jus specie diversum à jure hominum; unde facit actum injustitiæ specie diversum ab actu injustitiæ contra hominem, magísque diversum, quàm læsio famæ à læsione fortunarum ejusdem hominis; exinde censent aliqui, injuriam contra Angelum, & hominem non esse specie diversam, si præcisè referantur ad jus læsum, quia utrobique læditur jus accidentale collatum à Deo.

90. Si autem injuriæ istæ referantur ad status diversos hominis viatoris, & Angeli Beati, evadent actus injuriæ specie diversi; nam injuria, vel inhonoratio Angeli esset contra cultum, & Religionem illi debitam propter statum Beatitudinis, qualis non esset inhonoratio contra hominem viatorem, ac proinde illa injustitia contra Angelum saltem haberet malitiam distinctam ab injustitia purè sumpta, & sic contineret utramque malitiam; quod idem dicendum est de inhonoratione hominis viatoris, & hominis Beati; unde etiam patet, circa eandem specie virtutem posse ex aliis titulis dari vitia opposita, specie diversa; ex eodem fundamento censent, aliquas injustitias contra defunctos aperiendas esse in confessione ad intelligendam earum malitiam, quia vel defunctus est beatus: & tunc inhonoratio illa, vel infamatio habebit speciem irreligionis, quam num superiori diximus esse in Sanctorum Angelorum inhonorationem; vel est damnatus; & tunc nulla videtur esse posse gravis inhonoratio, vel infamatio circa personam omninò infamem, & nullo honore dignam, & quæ saltem quoad affectum omnium vitiorum genere turpis est; cæterum hæc ratio non tam probat declarandam esse circumstantiam personæ defunctæ, quàm circumstantiam Beati, seu damnati, quæ nobis rarò constare potest.

91. Quamobrem Cardinal de Lugo num. 41. expresè docet, neutrum per se loquendò declarandum esse in confessione; nam inprimis loquendò de homine damnato, falsum est, quòd nequeat injustè infamari, quia non obstante infamia illa vitiorum, quibus scatet in inferno, retinere potest bonam famam circa multa, quæ vivens gessit, quæ bona fama injustè læderetur per infamiam ordinis valde diversi ab ea infamia damnationis; loquendò autem de Beato, præsertim declarato, & acceptato ab Ecclesia, (nam de Beato, qui privatâ tantùm notitiâ crederetur, fortè aliter dicendum esset) distinguendum est inter inhonorationem ob præcisam infamationem; nam ea inhonoratio præter malitiam injustitiæ referret secum speciem irreligionis; infamatio verò excludens inhonorationem non ita; verùm de his agendum latè nobis est, quando sermo sit de restitutione famæ, & honoris.

92. Fit 3. Actum justitiæ essentialiter supponere jus in altero, & debitum in eliciente ad compensandum in altero jus suum; ratio est, quia justitia tendit ad adæquandum, & compensandum jus suum alterius, ergo præsupponit tale jus, & debitum ad compensationem; an autem sufficiat, quòd jus præcesserit, & debitor se ipso non satisfecerit, quamvis satisfactio pro ipso facta sit ab altero, vel Deus juri suo cesserit, valde inter se dissident Turrianus disp. 1. dub. 2. & Cardinal de Lugo disp. 1. sect. 1. censet enim Turrianus, non posse elici actum justitiæ, si Dominus, quomodocumque sit, jam cesserit juri suo; quia post illam cessionem extinctum est jus, & perinde se habet, ac si non præcessisset; cúmque non possit dari actus justitiæ, si jus illud non præcesserit; ita nequit dari, si jus jam sit extinctum. Econtra Cardinal. de Lugo à num. 24. fusè contendit, omnino dicendum esse, posse in eo casu exerceri actum justitiæ; quia si jus illud non præcessit, non potest dici, quod ego debui, & per me ipsum non satisfeci; unde non potest lumen naturæ dictare, quòd ego ponam justam aliquam æqualitatem cum jure, quod præcessit.

Si verò jus illud præcessit, & ego non satisfeci, quamvis Deus cesserit juri suo, est verum dicere, quod debui, & non satisfeci; quo in casu ipsum lumen naturæ dictat, honestum esse adæquare, quantùm possit jus illud, quod præcessit ex honestate adæquandi utcunque tale jus; unde quamvis jus illud sit jam extinctum, manet locus ad actum justitiæ, sive strictæ, sive latæ, quo videtur respicere Scriptura Jeremiæ, dum ait: *vide, quàm malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum*; quod exinde dictum esse videtur, ut non solùm peccatores, sed etiam justi, quibus jam Deus remisit peccata cedendo juri ad inimicitiam, & punitionem, possint honestè operari ad compensandum utcunque jus divinum, quod præcessit ab honestate compensandi jus illud, quod reverâ pertinet ad justitiam, saltem latam, ad illam nempe, quæ reposita inter creaturam, & Deum omnium Creatorem; censeo tamen, utramque sententiam conciliari posse, si dicatur, in eo casu non posse elici actum justitiæ effectivè debitum, bene verò debitum affectivè, nempe ex honesto affectu compensandi utcunque jus illud à me non compensatum, quod videtur innegabile, cúm circa peccata jam remissa possimus elicere veros pœnitentiæ actus ad eam justitiam pertinentes; vide, quæ dixi cum D. Thoma, & Suario num. 76. de virtute Pœnitentiæ. 93.

Fit 4. Ex dictis facilè intelligi modum loquendi S. Thomæ quæst. 58. art. 10. dicentis: justitiam commutativam attingere medium rei; alias verò virtutes medium rationis; non enim vult dicere, quòd actus justitiæ commutativæ non ducantur ratione, neque negat, alias virtutes habere, ut medium rei in suis objectis, in quo stat eorum honestas objectiva, sed solùm vult, quòd medium justitiæ solummodò commensuretur cum jure alterius ad res suas, quod facilè cognosci potest attendendo ad 94.

jus, & objectum juris; in objecto verò aliarum virtutum opus est majori consiliô rationis ad inveniendum medium honestum, v. g. ad inveniendum medium honestum in Temperantia, opus est considerare cibi quantitatem, & qualitatem stomachi, vires naturæ, indigentiam &c. in quibus nequit dari regula generalis ad inveniendum medium, & ideo dicitur medium rationis, hoc est operosiori consiliô rationis inveniendum.

95. Ex quibus facilè habetur, quo sensu dixerit D. Thomas art. 9. justitiam esse circa actiones, non circa passiones, ut sunt aliæ virtutes; non enim perinde negatur, quòd aliæ virtutes sint circa actiones, cùm omnes sint regula actionum humanarum; neque negatur, justitiam saltem secundariò moderari passiones; cùm certum sit, justitiam, quæ inclinat ad servandum illæsum omnium jus, eo ipso moderari avaritiam, qua velit homo retinere aliena, & iram, qua velit contra justitiam occidere: solùm ergo vult, quod primario curat justitia de actionibus ritè ad alterum disponendis, servandô, aut compensandô alter jus suum, ex quo secundariò sequitur, quòd mansuetudo emperet iram, liberalitas avaritiam, fortitudo timorem, quibus trahi posset homo ad lædendum jus per suas actiones: econtra verò aliæ virtutes Cardinales voluntatis, ut temperantia, & fortitudo primariò moderantur passiones gulæ, & ignaviæ, quæ propterea dicuntur præcipuè versari circa passiones.

SECTIO II.

Solvuntur Oppositа.

96. OBjicies 1. contra 1. Assertionem: de ratione virtutis est, ut docet Augustinus libro 2. de libero arbitrio cap. 18. & 19. & D. Thomas 1. 2. quæst. 55. art. 2. ut eâ nemo possit malè uti efficiendô actum formaliter malum, seu imputabiliter peccaminosum; atqui habitu acquisito justitiæ possumus malè uti eliciendô actum formaliter malum, seu imputabiliter peccaminosum; ergo justitia acquisita non est virtus. Probatur min. habitu justitiæ acquisitæ possumus uti ad faciendos omnes actus, qui moventur ab honestate tribuendi unicuique id, ad quod habet jus; sed actus formaliter malus, sive imputabiliter peccaminosus moveri potest à tali honestate: ergo &c. Probatur min. cùm Petrus deposuerit gladium suum apud Paulum, ac deinde illum repetit, ut vel se, vel alterum injustè interficiat, potest Paulus reddere gladium Petro propter honestatem reddendi unicuique, quod suum est; atqui reddendô gladium in ea occasione peccat; ergo ex objecto formali justitiæ, atque adeò per habitum justitiæ potest fieri actus formaliter malus, & imputabiliter peccaminosus.

97. Resp. neg. min. Ad prob. dist. maj. ab honestate tantùm secundùm quid, nego; ab honestate simpliciter, sive à nulla circumstantia extrinseca vitiata, conc. maj. & dist. min. neg. cons. Ad probationem dist. maj. per honestatem tantùm secundùm quid, concedo, propter honestatem simpliciter nego, maj. & conc. min. nego conseq. Ratio est, quia objectum formale virtutis voluntatis, ac perinde justitiæ commutativæ non est honestas sumpta tantùm secundùm quid, sed simpliciter, ut cum Philosopho, Augustino, & D. Thoma diximus num. 68. cùm autem in illis circumstantiis non detur honestas simpliciter, sed tantùm secundùm quid, exinde in illis circumstantiis non repræsentatur objectum formale justitiæ, proindéque non potest tunc elici actus virtuosus justitiæ; quapropter hoc dictamen, honestum est tribuere alteri jus statum, seu jus suum est unicuique tribuendum, prout reducitur ad dictamen lumine naturæ per se notum, seu ad legem naturalem, non præscindit ab honestate simpliciter, sine qua non daretur actus honestus approbatus lumine naturæ, sed potiùs inhonestus, & reprobatus.

Objicies 2. Habitus justitiæ commutativæ est indifferens, ut sit vitium, vel virtus; ergo 98.
non est revera virtus. Probatur ant. habitus inclinans ad aliquid, quod est indifferens, ut sit honestum, vel inhonestum est, indifferens, ut sit virtus, vel sit vitium; atqui habitus justitiæ inclinat ad aliquid indifferens, ut sit honestum, vel inhonestum, inclinat ad restitutionem rei debitæ, quæ quidem restitutio aliquando est honesta, aliquando inhonesta, ut constat in supràdicto exemplo gladij. Confirm. habitus indifferens, ut generetur, vel augeatur, vel per actus honestos, vel inhonestos, est indifferens, ut sit virtus, vel vitium; sed habitus justitiæ commutativæ, quo tribuitur unicuique, quod suum est, est indifferens adhoc, ut generetur, & augeatur per actus honestos, vel inhonestos. Hoc affertur à Scoto dist. 17. in 3. quæst. 2. §. *quantùm ad istum articulum*, ubi docet, habitum naturalem justitiæ commutativæ non esse essentialiter virtutem, sed contingenter, scilicet quando conjungitur cum dictamine rectæ rationis dictantis hìc, & nunc honestum esse tribuere alteri id, ad quod habet jus; cæterùm hæc facilè diluuntur ex Doctriua Philosophi, Augustini, & D. Thomæ suprà adducta.

Resp. neg. ant. Ad prob. omitto maj. 99.
quæ falsa est; habitus enim indifferens ad id, quod est honestum, vel in honestum, non habet pro objecto formali honestatem simpliciter, quod necessarium erat, ut esset virtus; unde talis habitus non esset virtus, sed ad summum indifferens, ad eum modum, quo voluntas potest elicere actus vitiosos, & virtuosos, & alios, nõ est virtus, sed potentia indifferens ad utrumque; cæterùm permissâ maj. neg. min. nam justitiæ commutativæ habitus non inclinat ad aliquod, quòd sit indifferens, ut sit honestum,

& in-

& inhoneſtum, ſed tantùm inclinat ad honeſtum; habet enim pro objecto formali honeſtatem ſimpliciter, ut conſtat à num. 81. Ex qua provenire non poteſt actus formaliter in honeſtus, aut imputabiliter peccaminoſus, bene verò actus formaliter honeſtus, & virtuoſus. Exinde ad confirmationem omitto ſimpliciter maj. & nego min. nam habitus juſtitiæ commutativæ non eſt indifferens, ut generetur, & augeatur per actus formaliter inhoneſtos, ſed determinatè generatur, & augetur per actus formaliter, & imputabiliter honeſtos.

100. Quin potiùs, ſi actus illi aliquando eſſent materialiter mali, eò quòd agens invincibiliter non adverteret aliquas circumſtantias malitiæ; quod ſatis eſt, ut actus ſit materialiter malus juxta illorum Doctorum ſententiam, de qua meminimus à num. 760. De virtutibus Theologicis nunquam eſt formaliter, & imputabiliter peccaminoſus, quod ſatis eſt, ut habitus juſtitiæ commutativæ non poſſit generari, & augeri per actus formaliter inhoneſtos; bene verò per honeſtos; at juxta ſententiam illam, de qua ibidem meminimus, quæ docet, in eo caſu actus non tantùm manere formaliter non peccaminoſos, ſed etiam eſſe formaliter honeſtos, habitus juſtitiæ commutativæ nunquam poterit generari, & augeri, niſi ab actibus formaliter honeſtis; cæterùm ad rem noſtram ſatis eſt, ut poſſit generari, & augeri ab actibus formaliter honeſtis, & non ab actibus aliter inhoneſtis, quod clarè deducitur ex principiis cujuscunque ex illis duabus ſententiis.

101. Objicies 3. ex Pythagoricis contra ſecundam aſſertionem: Juſtitia commutativa in eo differt à diſtributiva, quòd hæc reſpicit proportionem geometricam, illa verò arithmeticam; atqui in contrapaſſo, ſive in pœna talionis purè phyſicè conſiderata datur proportio arithmetica; ergo juſtum, quod reſpicit juſtitia commutativa, eſt idem, ac contrapaſſum, ſive pœna talionis purè phyſicè conſiderata. Confirm. 1. Judicium divinum eſt ſemper juſtum; atqui in eo conſiſtit pœna talionis purè phyſicè conſiderata; aliter non diceretur Matth. 7. *in quo judicio judicaveritis, judicabimini, & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis*: ergo &c.

102. Confirm. 2. Juſtitia diſtributiva reſpicit etiam moralem æqualitatem arithmeticam, non verò phyſicam; ergo juſtitia commutativa tantùm reſpicit æqualitatem arithmeticam purè phyſicam; ſive quod idem eſt, contrapaſſum, aut pœnam talionis purè phyſicè conſideratam. Confirm. 3. Si juſtum, quod reſpicit juſtitia commutativa, non eſſet idem, ac contrapaſſum in ſenſu explicato deſumeretur, & differentia voluntarij, & involuntarij eò quòd, qui involuntariè fecit injuriam, quia peccavit minùs, minùs puniatur; atqui hæc ratio nulla eſt; ſiquidem voluntarium, & involuntarium, quæ accipiuntur ex parte noſtra, non diverſificant medium juſtitiæ, quod eſt medium rei quoad ſe, & non tantùm quoad nos: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quoad ſecundam partem: commutativa verò arithmeticam moraliter ſumptam, conc. purè phyſicè conſideratam, nego maj. & diſt. min. neg. conſeq. 103. Ad 1. Confirm. neg. min. Quia in judicio Divino non ſolùm attenduntur actiones naturæ purè phyſicè inſpectæ, ſed præſertim ſecundùm bonitatem, aut malitiam moralem conſideratæ; atque in eo ſenſu correſpondet illi præmium, aut ſupplicium, cum eo tamen diſcrimine, quod Deus non ſolùm æqualiter, ſed etiam ſuperabundanter præmiat ultra condignum, & puniat citra condignum, ductus ſuâ miſericordiâ, etiam cum damnatis, quin exinde dici poſſit, attendi ſolùm ad proportionem phyſicam; ſiquidem attenditur potiùs proportio moralis.

Ad 2. Confirm. neg. ant. Nam juſtitia Diſtributiva, ut conſtat ex num. 4. non attendit ad jus proprietatis, ſed ad geometricam proportionum, quæ non eſt moraliter arithmetica, cùm ſit excedens reſpectu unius, & exceſſa reſpectu alterius; unde D. Thoma 2. 2. quæſt. 81. art. 4. ad 2. ait. in diſtributiva enim juſtitia nō attenditur æqualitas ejus, quod quis accipit ad id, quod ipſe impendit, ſed ad id, quod aliàs accipit ſecundùm modum utriusque perſonæ. 104. Ad 3. Confirm. neg. min. Quia ex, eo quòd juſtitia commutativa attendat ad medium rei in conferendis præmiis, & ſuppliciis, & injuria voluntariè facta ſit major, per quæ involuntarie fit, debet omninò ad compensandum medium rei attendere ad voluntarium, & involuntarium; unde idem D. Thomas art. 4. ad 3. ait. quando actio injurioſa eſt voluntaria, excedit injuriam, & ſic accipitur, ut major res; unde oportet majorem pœnam ei recompenſari, non ſecundùm differentiam quoad nos, ſed ſecundùm differentiam rei.

Objicies 4. contra 3. Aſſertionem: objectum materiale juſtitiæ commutativæ eſt æquale juri creditoris; atqui æquale non ſolùm ſtat in eo, quòd ponitur ad compenſandum jus, ſed etiam ſtat in ipſo jure activo creditoris; æqualitas enim eſt relatio prædicamentalis, quæ non conſiſtit in ſolo termino, ſed etiam in fundamento: ergo & objectum materiale juſtitiæ commutativæ non ſolùm eſt id, quod attingitur ad compenſandum jus alterius, ſed etiam eſt jus activum alterius. Confirm. Non ſolùm attinet ad juſtitiam commutativam velle dare alteri, quod ſuum eſt, ſed etiam velle, & amare jus alterius; ergo objectum materiale juſtitiæ commutativæ non ſolùm eſt, quod attingitur à juſtitia commutativa ad compenſandum, vel reſarciendum jus alterius, ſed etiam eſt jus ipſum activum alterius. 105.

Reſp. diſt. maj. eſt æquale quidditativè ſumptum, nego, denominativè acceptum, conc. maj. & diſt. pariter min. neg. conſeq. Ratio eſt, 106.

quia

quia licèt æquale quidditativè sumptum includat jus alterius; at sumptum denominativè non includit, nisi id, quod sustinet denominationem debiti, & reddendi alteri habenti jus, ut jus ejusdem compensetur, ut à num. 86. Ratio à priori est, quia ad justitiam, quæ est virtus voluntatis, non attinet, se extendere ad ea omnia, ad quæ se extendit intellectus repræsentans jus activum alterius, & id, quod illi debetur; sed attinet ad illam tendere ad id, ad quod obligatur ex ea prævia intellectûs repræsentatione, cúmque solùm maneat obligatio compensandi jus activum, ponendô justum denominativè sumptum, exinde justitia commutativa non amat justum quidditativè, sed denominativè sumptum; vide plura alia circa hoc à num. 56. de virtute Pœnitentiæ.

107. Ad Confirm. neg. ant. quia ut constat ex num. superiori ad justitiam commutativam solùm spectat compensare jus alterius, sive præservativè, ne lædatur, sive reparativè, ut læsum resarciatur; hoc autem munus nequaquam exercetur amandô jus activum alterius, sed volendô, & apponendô jus passivum, quod duntaxat est debitum; unde hoc solùm debet amari, & apponi à justitia commutativa; jus enim activum non est debitum, sed est id, propter quod jus passivum debetur, ut ex terminis patet; quare justitia commutativa non respicit tanquam objectum materiale jus activum alterius. Nec refert, quòd jus passivum, quod amatur, non possit haberi absque jure activo præcedenti; nam hoc commune est cuicunque puro termino, & objecto formali *quo*, cum hæc necessariò debeant præcedere; sic judex moveretur ex delictis ad eliciendum actum justitiæ vindicativæ, ut obtineat honestatem puniendi delicta, & tamen non potest honestè velle, & optare, ut fiant delicta ad obtinendam honestatem punitionis; quod idem est de Medicina respectu ægritudinis, de Pœnitentia respectu peccati, & de millenis aliis.

108. Objicies 5. contra 4. Assertionem: jus activum alterius non potest esse objectum formale *quo* justitiæ commutativæ, quin eo ipso sit objectum formale *quod*; atqui juxta nostra principia, ut constat à num. 78. est objectum formale *quo*: ergo etiam est objectum formale *quod*. Probatur maj. qui amat honestatem ponendi actionem conformem juri activo alterius, non amat solùm aliquid indifferens ad habendam, vel non habendam hanc honestatem: atqui actio conformis juri activo alterius, prout ab eo jure activo justitia est indifferens ad habendam, vel non habendam eam honestatem conformitatis cum jure activo, & ut habens talem honestatem conformitatis constituitur partialiter per jus activum alterius: ergo, qui amat honestatem ponendi actionem conformem juri activo alterius, non solùm amat actionem, sed etiam amat jus activum alterius; quod perinde est, ac non posse respicere jus activum alterius ut objectum formale *quo*, quin illud respiciat, ut objectum formale *quod*.

Confirm. Eo ipso, quòd pœna sit per se ipsam indifferens, ut sit proportionata, vel improportionata culpæ ad hoc, ut sit justa, vel injusta, constituitur proportionata per ipsam culpam; unde qui per justitiam vindicativam amat pœnam ut justam, & ut proportionatam culpæ, non solùm amat pœnam, sed etiam ipsam culpam; si enim amaret solùm pœnam, prout contra distinguitur à culpa, amaret ipsam pœnam solùm, ut est indifferens ad hoc, ut sit proportionata, vel improportionata, culpæ quod est absurdum: ergo etiam, qui amat compensationem ut justam, sive ut æqualem juri alterius, eo ipso amat jus alterius; hoc argumentum impulit Cardinalem de Lugo in tractatu de Pœnitentia ad asserendum actum Pœnitentiæ præsupponentem peccatum esse aliqualem amorem peccati: cæterùm id asserere ex ipsis terminis apparet absurdum, neque argumentum istud ullo modo cogit ad id asserendum. Quare. 109.

Resp. neg. maj. Ad prob. dist. maj. non amat aliquid indifferens intrinsecè, & entitativè, nego, extrinsecè, & denominativè, conc. maj. & dist. pariter min. neg. conseq. Ratio est, quia id, quod est justitia commutativa, solvitur Petro habenti jus ad illud, nequaquam exigit ex suis intrinsecis, quòd Petrus habeat tale jus, ac proinde intrinsecè, & entitativè est indifferens, ut supponat, vel non supponat illud jus Petri. Cæterùm ex suppositione, quòd præcedat tale jus, non manet jam extrinsecè indifferens, ut suscipiat, vel non suscipiat ab eo jure denominationem debiti; sed denominatur extrinsecè ab ipso jure ad suscipiendam hanc extrinsecam denominationem; ita tamẽ, ut jus activum non suscipiat eam denominationem debiti, sed illam suscipit duntaxat jus passivum; cùm autem justitia solùm exigat id, quod est extrinsecè, & denominativè debitum, exinde solùm exigit amplexionem juris passivi, non autem juris activi; quare jus activum non amatur à justitia, proindéque manet duntaxat objectum formale *quo* respectu justitiæ; unde. 110.

Ad Confirm. dist. ant. constituitur proportionata per ipsam culpam, si constitutio sumatur quidditativè, omitto, si sumatur denominativè, neg. ant. & conseq. Ratio ex dictis est, quia res illa proportionata denominativè sumpta non est ea forma, quæ denominat, sed est subjectum, quod ab ea forma extrinsecè denominatur, & suscipit denominationem; unde quando à culpa præcedente mala ut octo, pœna ut 8. denominatur proportionata, & ad æqualitatem infligenda, id, quod est denominativè proportionatum, & infligendum, atque sub eo conceptu amatur à justitia vindicativa non est culpa, sed pœna. 111.

Quamobrem pœna ut denominativè proportionata 112.

tionata culpæ amatur à juſtitia vindicativa nequaquam amatur, quatenus eſt extrinſecè indifferens, ut ſit, vel non ſit proportionata culpæ, ſed quatenus eſt extrinſecè proportionata, & ab ipſa culpa præcedente ſuſcipit actu denominationem proportionatæ; quare intellectus illuminando voluntatem, ut eliciat actum juſtitiæ vindicativæ proponit voluntati & culpam præcedentem, & pœnam infligendam culpæ proportionatam, at voluntas non amplectitur id omne, quod repreſentatur per illam expreſſionem intellectus, ſed quod repreſentatur proportionatum, & ſuſcipit denominationem proportionati à culpa præcedente; unde idem ſuo modo dicendum eſt de iure paſſivo, quod commutativa juſtitia reſpicit relatè ad ius activum, à quo denominatur proportionatum. Vide à num. 115.

113. Objicies 6. contra 5. Aſſertionem. Jus activum alterius eſt purus terminus præſuppoſitus reſpectu juſtitiæ commutativæ: atqui purus terminus non eſt obiectum formale *quo*: ergo ius activum alterius non eſt objectum formale *quo* juſtitiæ commutativæ. Reſp. diſt. maj. eſt purus terminus præſuppoſitus, quatenus ly *purus* ſignificat ius præſuppoſitum ad amorem, & non amatum conc. quatenus ſignificat ius purè præſuppoſitum, & non movens ad amorem alterius neg. maj. & diſtincta pariter mi. neg. conſeq. Explico diſtinctionem. Dupliciter poteſt aliquid quin terminet amorem præſupponi ad amorem alterius, atque in eo ſenſu datur duplex genus puri termini. Primò quidem ſi præſupponatur ad amorem alterius, quin ad talem amorem moveat, ſicut dici ſolet de intentione Miniſtri, quæ præſupponitur ad conſtitutionem Sacramentorum, quin ad eorum amorem moveat; & ſicut dicitur de operibus naturalibus relatè ad collationem aliquorum auxiliorum ſupernaturalium gratiæ, & tunc eſt purus terminus non includens motionem ad amorem ejus rei, cujus eſt purus terminus, proindéque eſt purus terminus, & non obiectum formale *quo*.

114. Secundò poteſt aliquid quin terminet amorem movere ad amorem, & ad illum præſupponi, quo in caſu dicitur reſpectu amoris purus terminus, & objectum formale *quo*. Sic delicta non amata à judice præſuppoſita ad punitionem, & moventia ad amandam, & volendam juſtam punitionem, ſunt purus terminus præſuppoſitus ad amorem punitionis, & objectum formale *quo* reſpectu talis amoris; cum autem ius activum alterius quantumvis non ametur à juſtitia commutativa amplectente, & amante jus paſſivum præſupponatur ad illum amorem, atque ad eum moveat, ut conſtat à num. 78. & 83. exinde eſt purus terminus ſpectans non quidem ad primum, ſed ad ſecundum genus puri termini, proindéque eſt purus terminus, & objectum formale *quo* juſtitiæ commutativæ; quod quidem commune eſt omni objecto formali moventi per non convenientiam ad amorem ſui objecti materialis, ut conſtat: ex num. 76. & 79.

Objicies 7. contra 6. Aſſertionem. Non poteſt voluntas amplecti honeſtatem juris paſſivi denominativè ſumptam, ratione ipſius honeſtatis, quin amplectatur jus activum, à quo jus paſſivum denominatur honeſtum: ergo ſi jus activum non eſt objectum formale *quod*, neque honeſtas juris paſſivi denominativè ſumpta, poterit eſſe objectum formale *quod* juſtitiæ commutativæ. Prob. ant. Non poteſt intellectus cognoſcere honeſtatem iuris paſſivi denominativè ſumptam à jure activo provenientem, quin per eundem actum cognoſcat jus activum: ergo non poteſt voluntas amplecti eandem honeſtatem, quin per eundem actum amplectatur jus activum. Reſp. neg. ant. Ad prob. conc. ant. & neg. conſeq. Ratio eſt, quia intellectus eſt potentia neceſſaria, ac proinde non poteſt proponi unum, ut cognoſcibile per aliud, quin cognoſcat unum, & aliud; ſic non poteſt proponi medicina ut utilis ad hanc ægritudinem, quin cognoſcantur ſimul medicina, & ægritudo; neque proponi poteſt hoc opus honeſtum, ut utile ad pœnitentiam pro peccato comiſſo, quin cognoſcantur ſimul hoc opus honeſtum, & peccatum commiſſum. 115.

At voluntas eſt potentia libera, quæ ex iure libertatis ſuæ poteſt ex duobus, quæ per intellectum proponuntur, unum eligere, & amare, & alterum non amare. Sic quando proponitur medicina utilis ad hanc ægritudinem, quamoptimè amat medicinam, quin amet ægritudinem, imò eam odio habet; ſic etiam, quando proponitur, hoc opus honeſtum utile ad pœnitentiam pro peccato commiſſo, amat rectiſſimè opus honeſtum, quin amet peccatum commiſſum, imò illud deteſtatur; quare licèt intellectus proponat voluntati honeſtatem juris paſſivi denominativè ſumptam, & habitam à jure activo, quamoptimè poteſt amare eam honeſtatem denominativè ſumptam, quin amet jus activum: immò quandoque poteſt eam honeſtatem amare, ſimúlque fugere jus activum, & intendere illius deſtructionem, ut conſtat in exemplo ſervi adducto num. 76. unde in ejusmodi rebus ab intellectu ad voluntatem nulla tenet paritatis ratio. Ex dictis. 116.

Fit 1. Cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 58. art. 4. Juſtitiam commutativam (idem eſto de diſtributiva, & legali) non eſſe tanquam in ſubjecto in appetitu ſive iraſcibili, ſive concupiſcibili, ſed eſſe in voluntate: Ratio eſt, quia, ut conſtat à num. 8. juſtitia movetur ab honeſtate adæquandi jus alterius, ut conferat alteri quod ſuum eſt: honeſtas autem non movet, niſi per rationem propoſitam, cùm non poſſit repræſentari ut honeſtas, niſi repræſentetur conformis naturæ rationali ut rationali: atqui amplecti id, quod proponitur honeſtum, ſive, quod idem eſt, id, quod per rationem proponitur conforme naturæ rationali, ut rationali, non pertinet 117.

pertinet ad appetitum sive irascibilem, sive concupiscibilem, sed dumtaxat ad voluntatem, ideoque Philosophus cit. num. 12. dicit iustitiam esse tanquam in subiecto in potentia elective, videlicet in voluntate: ergo iustitia non est tanquam in subiecto in appetitu, sive irascibili, sive concupiscibili, sed tantùm in voluntate. Roboratur: habitus iustitiæ in ea potentia manet tanquam in subiecto, ad quam attinet elicere actus iustitiæ; atqui ad solam voluntatem attinet elicere actus iustitiæ, cùm sola voluntas moveatur à bono honesto: ergo &c. Quamobrem iustitia, licèt dicatur aliquando veritas non dicitur formaliter, sed arguitivè veritas, prout arguit verum dictamen rationis, à quo dirigitur, & quo præsuppositio, atque illuminante amplectitur honestatem repræsentatam. Propter utilitatem doctrinæ subiungo, quæ accuratè notat Antonius Perez tract. 1. de just. & jure, disp. 2. cap. 2. num. 38. ubi sic ait: *Non desunt Authores, qui impugnent S. Thomam dicentem justitiam residere in voluntate, existimantes omnes virtutes morales residere in intellectu: opinantur enim habitus inclinantes voluntatem non distingui à speciebus impressis repræsentantibus dulcedinem bonitatis sæpe exercitis; sed hæc opinio non est, & leve fundamentum habet, & potest facilè impugnari experientiâ: experimur enim post acquisitum habitum virtutis aut vitij, hominem ex levi aut parum intensa cognitione moveri ad ardentem & intensum affectum, quod profectò oritur ex intensione habitûs augentis virtutem voluntatis supra virtutem & intensionem ipsius cognitionis. At intensio specierum impressarum nihil confert ad intensionem actûs voluntatis, nisi quatenus possunt facere intensam cognitionem; quare si quando non faciunt intensam cognitionem experiamur fieri intensum affectum, id non speciebus impressis, sed aliis causis tribuendum est. Adde S. Augustin. expressè docere, neminem virtute malè uti, id est, nemo potest uti humilitate ad actus superbiæ: at speciebus impressis possumus pravè uti: nam ipsa memoria actûs humilitatis potest movere hominem ad actum superbiæ de ipsa humilitate exercita; & est communis sententia Patrum, victoriam vitiorum & acquisitionem virtutum afferre periculum superbiæ, non quidem per se; actus enim virtutis nunquam est malus, sed per memoriam & cognitionem virtutum.*

118. Fit 2. Jus propriè dictum solùm posse reperiri in natura rationali. Ratio est, quia ius propriè dictum confert habenti illud facultatem, ut honestè agat non transgrediendo limites iuris sui: nam si loquamur de iure iustitiæ, ius illud genericè sumptum, nihil est aliud, quàm respectus moralis ad rem suam alicuius, suitate proprietatis, communitatis, aut membri, quod certè convenire dumtaxat potest naturæ rationali; Si autem loquamur de iure passivo sumpto pro debito, aut ex iustitia, aut ex quacunque alia virtute, aut præcepto; quo in sensu ius activum se extendit ad quodcunque præceptum, & legem sive naturalem, sivè positivam ex dictis num. 1. cùm sola natura rationalis astringi possit, & obligari lege, & præcepto, soláque ipsa possit & legem, & præceptum imponere, exinde manifestum apparet adhuc in hoc sensu, de quo sermo solet esse in præsenti solam naturam rationalem capacè esse talis iuris propriè dicti.

Quamobrem 1. Juris divisio, qua in sensu 119.
nuper dicto ius dividitur in naturale simpliciter, & positivum, non solùm ratione iuris positivi, verùm etiam ratione iuris naturalis, coarctanda est ad solam naturam rationalem; unde ius naturale simpliciter est illud, quod ligat naturam rationalem, videlicet Deum, Angelos, aut homines independenter ab ulla inter se conventione societatis, aut lege libera per ipsos lata, ostenditque aliqua bona, aliqua mala, aliqua permissa: tale est dictamen, quod habemus de Deo colendo: suppositia enim hominis existentia non pendet ex libera Dei dispositione, vel hominis, quod eiusmodi dictamen liget nos, sed ipsa recta ratio ostendit nobis independenter ab ullo libero præcepto talem obligationem, ideoque ius naturale simpliciter sumptum est immutabile, & indispensabile relatè ad obiectum, quod ius naturæ respicit; si enim obiectum illud ex aliqua circumstantia mutetur, cùm sub illa circumstantia non sit ea materia, quæ respicitur à iure naturæ, iam sub ea circumstantia non versatur ius naturæ, proindéque sub illa potest fieri licitum, quod absque illa circumstantia ex ipso iure naturæ erat illicitum v. g. Jure naturæ simpliciter dicto prohibetur homo ex privata facultate agens innocentem occidere, aut absque ulla iusta causa bona retinere quæ alter iustè possidet, & sic de aliis, at si superveniat facultas à Deo, qui est Dominus vitæ, & necis, potest homo ex superveniente illa legitima potestate licitè occidere innocentem; sicut quando Deus præcepit Abrahamo, ut filium suum unigenitum Isaac immolaret; sic ex publica authoritate à Deo concessa, potest Princeps interficere malefactorem, quem nullus homo ex facultate privata potest licitè interficere: sic etiam adveniente iusta causa extremæ necessitatis ad propriam vitam conservandam licet accipere, distrahere, & vendere bona, quæ alius iustè possidet, & quæ tunc sunt unicum medium ad vitam pauperis conservandam.

Dicitur in divisione jus naturale simpliciter 120.
ut contradistinguatur à iure naturæ secundùm *quid*, quo gaudet creatura in ordine ad aliqua bona proprietatis, & consistit in eo, ut sit iuxta aliqualem inclinationem naturæ subiectam tamen absolutæ saltè potentiæ Dei potentis illam impedire, aut privare effectu suo; unde sine libera concessione divina volente se accommodare illi aliquali naturæ inclinationi, non gaudebit creatura eo iure proprietatis, nec aliter

ter gaudebit, niſi juxta liberam divinam conceſſionem, ut bene notavit Maurus quæſt. 173. Sic dicitur, hominem habere jus proprietatis ſecundùm quid naturale ad movendum manus, & pedes ad propriam libertatem, quatenus ex natura ſua non eſt ſervus alterius; at hoc jus proprietatis non datur abſoluè in homine, niſi Deo liberè annuente, & modò, quo annuit iſti inclinationi naturæ; cùmque Deus de facto jus iſtud conceſſerit, quousque homo vel ex ſua libertate nolit ſe ſuo jure privare, ut contingeret, ſi ſe venderet, & conſtitueret ſub ſervitute alterius, vel quousque eo jure non privetur ab aliqua lege juſta etiam humana, ut privantur jure gentium ea libertate, qui capiuntur, & fiunt ſervi in bello juſto; exinde creatura nullum habet jus naturale proprietatis ſimpliciter in ulla bona, ſed tantùm ſecundùm quid, & auferibile, atque à jure poſitivo dependens, ut dicemus à num. 199.

121. Jus poſſitivum eſt illud, quod pendet ex libera voluntate Dei, vel creaturæ; unde licèt omnes circumſtantiæ, ſub quibus antea obligabat ex parte materiæ, eædem maeant, poteſt mutari, cùm voluntas Superioris, aut Legislatoris poſſit revocare præceptum, & legem; hoc jus poſſitivum aliud eſt divinum, quod nempe Deus ipſe liberè dictavit; tale eſt jus vetus contentum in veteri teſtamento circa ceremonias, & politias; tum etiam jus novum contentum in novo teſtamento circa Sacramenta, & alia, quæ Deus liberè inſtituit, vel præcepit; aliud eſt jus poſitivum humanum, quod nempe authoritate puri hominis conditum eſt; ſi reſpiciat directè publicam utilitatem totius communitatis, dicitur jus publicum, & altum, quale eſt jus Principis, Reipublicæ, & Magiſtratûs; ſi directè reſpiciat propriam uniuscujusque utilitatè, licèt indirectè, & ex conſequenti in publicam etiam utilitatem redunder, vel ordinetur, dicitur jus privatum, & paſſum; tale eſt jus, quod Petrus habet in bona ſua, atque ad hoc reducuntur leges de contractibus, aliæque ſimiles.

122. Utrumque hoc jus poſitivum ſubdividi poteſt in Canonicum, & civile. Canonicum eſt, quod à Summis Ponificibus Eccleſiæ Catholicæ traditum, conſtitutum, vel approbatum eſt ad actiones fidelium, ſeu Chriſtianorum proximè ad divinum cultum ad pacem, & juſtitiam Chriſtianam in populo Chriſtiano conſervandam, & augendam; ultimatè verò ad finem æternæ beatitudinis dirigit; jus civile eſt, quod authoritate Principis ſæcularis eſt conditum ad Reipublicæ civilis gubernationem temporalem, atque ad ſalutem civium conſervandam. Quare jus Canonicum ex duplici præſertim titulo differt à civili. Primo quidem ex parte efficientis, ſeu ferentis legem, ratione cujus hoc jus Canonicum dicitur etiam Pontificium, eò, quòd à Pontifice quà ſupremo Principe Eccleſiaſtico latum fuerit, aut in ſyn legis approbatum: at jus civile vocatur Imperatorium, Regium, municipale, juxta diverſam Legislatoris, aut legem approbantis authoritatem.

Secundo differt ex parte finis, quem proximè reſpicit; jus namque civile intendit dirigere hominem in bonum commune, ſecundùm quod congruit humanæ ſocietati civiliter viventi, cujusmodi juſtitia conſiſtit in legali juſtitia, & civili; quam prudentia dirigit, ut Philoſophus ait num. 12. Non quidem monaſtica, ſed civilis; jus verò Canonicum intendit hominem dirigere ad bonum cummune, ſecundùm quod congruit humanæ ſocietati, quatenus non ſolùm civiliter vivit, ſed ſecundùm fidem in Deum intendendò, & vitam aliam expectandò; de jure in re, & jure in rem, aliisque diviſionibus diximus jam à num. 1. De jure paterno, conjugali, & dominativo, ſive ut alij ajunt, paterno œconomico, & herili infrà agendum eſt. Moneo interim ad jus non ſufficere ſuitatem alienativam, ſed requiri veram explicatam à num. 3. Unde quamvis ſervus dicat, Petrum eſſe ſuum dominum, non habet jus in dominum, quia non habet ſuitatem veram conſiſtentem in eo, quòd res, quæ dicitur ſua alicujus, ſub ordinetur ſibi, & non è converſo. Quare D. Thomas art. 1. ad 3. accuratè dixit: dicitur autem ſuum uniuscujusque, quod ad ipſum ordinatur, ſicut ſervus eſt Domini, & non è converſo.

124. Inter naturale jus, & poſitivum quaſi medium intercedit jus gentium; convenit enim cum jure poſitivo in eo, quòd ſit à libera hominum voluntate inſtitutum, & ab eo differt quatenus ad jus poſitivum non præcedit moralis quædam neceſſitas omnibus, vel ferè omnibus hominibus communis, quæ eos impellat ad jus iſtud ſtabiliendum, ut ſic omnium, vel ferè omnium utilitates reſpiciat, quæ moralis neceſſitas præcedit ad jus gentium ſtabiliendum; ideóque jus iſtud omnium, vel ferè omnium gentium uſu, & moribus introductum eſt per modum legis præceptivæ, vel permiſſivæ, quo jure introducta ſunt bella, paces, fœdera, captivitates, ſervitutes, & contractus ferè omnes.

125. Quamquàm enim jure naturæ nullus homo ſit ſervus alterius, tamè hoc jus naturæ non prohibet, ſed permittit, ut exigentibus utilitatibus humani generis poſſit licitè condi lex de ſervitute ex dictis num. 120. non enim datur jus naturæ tantùm præceptivum, aut prohibitivum, ſed etiam permiſſivum; ſic dicitur, quod jus naturæ permittit Petro, ut matrimonium in eat, vel non ineat; convenit etiam jus gentivum cum jure naturæ in eo, quòd præcedat aliqua exigentia omnibus, vel ferè omnibus hominibus communis, ut ſtabiliatur, & ab eo differt, quia ea ſola exigentia non eſt jus ſtabilitum, neque tale eſt, usquedum libera hominum voluntate condatur; ſic prima rerum diviſio, ut infrà dicemus, facta eſt jure gentium id exigentibus omnium, vel ferè omnium

gentium utilitatibus: at usque, dum lex fuit stabilita, unusquisque poterat bonis uti absque injuria alterius, quod post legem stabilitam jam non licebat.

126. Quamobrem approbare nequaquam possum communem Juristarum expositionem de jure naturæ, & jure gentium, quæ continetur in jure civili L. 1. ff. de justitia, & jure, ubi ex Ulpiano dicitur jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit; nam jus istud nõ humani generis proprium, sed propriũ omniũ animalium, quæ terra, mariq; nascuntur; avium quoque commune est; hinc descendit maris, atque feminæ conjungatio, quam nos Matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio, hinc educatio; videmus etenim cætera quoque animalia, feras etiam istius juris peritia censeri. Jus gentium est, quo gentes humanæ utuntur, quod à naturali recedere, inde licet facilè intelligere, quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune est; additurque statim L. 2. hoc exemplum ex Pomponio veluti erga Deum Religio, ut parentibus, & Patriæ pareamus.

127. Ex quibus omnibus Jurisconsulti communiter docent, jus naturale illam tantùm esse inclinationem, in qua & homines, & bruta conveniunt; reliquas autem hominum inclinationes, quæ brutis communes non sunt, non pertinere ad jus naturæ, sed gentium. Cæterùm hæc expositio duo confundit toto cælo diversa; nimirum instinctum quemdam conformem naturæ, ut sensitivæ, per quem homo cum brutis convenit, proindéque, sicut bruta impotentia sunt honestè agere, quod requirebatur ad jus naturæ propriè dictum, ut constat à num 124. ita homo eo tantùm instinctu ductus imporens est honestè agere; aliter non esset instinctus, per quem conveniret, sed per quem differret à brutis; unde instinctus ille non est jus naturæ propriè dictum.

128. Alius est instinctus naturæ conformis rationali, ut rationali, per quem homo agens honestè agit, differtque essentialiter à brutis, qui proinde est jus naturæ propriè dictum, quamvis homo in eo cum Brutis non conveniat; quod certè ex doctrina SS. Patrum, Theologorum, & Philosophorum moraliũ manifestè deducitur. Ratio est, quia juxta SS. Patres, Theologos, & Philosophos morales jure naturæ obligamur, & non tantùm jure gentium, ut colamus Deum, ut parentibus, & Patriæ pareamus; ut non colamus Idola, ut non blasphemus, non pejeremus, non mentiamur: atqui in his omnibus, ut ex terminis patet, homo non convenit cum brutis: ergo ad jus naturæ propriè dictum non requiritur inclinatio, in qua homo cum brutis conveniat; quare jus naturæ simpliciter, & propriè dictum, est illud, quod exclusa omni lege libera, aut positiva, quæ hoc approbet, reprobet, aut permittat, ligat naturam rationalem, ut hoc approbet, reprobet, vel permissum agnoscat, ut suprà diximus; videantur Exim. Doct. lib. 2. de Legibus cap. 17. Molina tract. 1. de justitia, & jure disp. 6. propè finem, & Vasquez 1. 2. disp. 157. cap. 1.

129. Fit 3. cum D. Thoma 2. 2. quæst. 61. art. 3. materiam proximam, & immediatam justitiæ commutativæ in sensu D. Thomæ distingui à materia proxima, & immediata justitiæ distributivæ, licèt materia remota sit eadem. Ratio est, quia materia proxima, & immediata justitiæ distributivæ juxta acceptionem D. Thomæ est distributio bonorum communium; aut si mavis, etiam onerum per se intendens proportionem geometricam juris respicientis non quidem suitatem proprietatis, sed suitatem communitatis, ut constat à num. 3. & 8. Materia proxima, & imediata justitiæ commutativæ est commutatio, seu compensatio per se intendens proportionem arithmeticam juris respicientis non quidem suitatem commutinatis, sed suitatem proprietatis, ut ex eisdem locis constat; atqui distributio illa bonorum communium est actio distincta à compensatione arithmetica juris proprietatis: ergo materia proxima, & immediata harum virtutum est diversa; quamobrem juxta acceptionem D. Thomæ materia proxima & immediata virtutis non dicitur objectum materiale, sed actus ipse virtutis tendens circa objectum materiale virtutis; unde in ea acceptione materia remota harum virtutum est eadem, cùm materia remota justitiæ commutativæ sint ea, quæ possumus commutare, sed eadem quoque possumus distribuere; sicut enim possumus distribuere pecunias, & labores; sic possumus hæc eadem commutare: ergo juxta acceptionem D. Thomæ materia remota harum virtutum est eadem.

DISPUTATIO III.

DE PRÆSTANTIA, ET EXIGENTIA JUSTITIÆ COMMUTATIVÆ.

130. PRæstantia virtutum inferenda est aut ex præstantiori objecto formali, aut ex modo notabiliter nobiliori illud attingendi; unde virtutes Theologicæ sunt præstantiores moralibus, quia virtutes Theologicæ habent pro objecto formali *quod* ipsum Deum, cui uniunt imediate potentias ipsas rationales, ut diximus, à num. 53. de virtutibus Theologicis; ideóque

ideóque habent pro objecto formali *quod* ipsum ultimũ finem, quem perfectè, sive immediatè attingunt; at virtutes morales habent pro objecto formali *quo* honestatem creatam, quæ est medium ad ultimum finem, cúmque ultimus finis sit perfectior mediis, quæ sunt ad finem, exinde clarè constat, virtutes Theologicas esse præstantiores virtutibus moralibus; quærimus igitur in præsenti, an virtus justitiæ commutativæ inter virtutes morales sit præstantior aliis virtutibus; neque est controversia de virtutibus moralibus, quæ aliunde supponuntur habere objecta formalia inæqualia in perfectione, sed de illis, quæ considerantur vel aliunde æqualia, vel pares in cæteris, nisi in speciali tendentia justitiæ ad alterum; unde agimus de his virtutibus cæteris paribus, quatenus objecta formalia duarum virtutum, licèt inter se aliunde æqualia, habent hoc discrimen, quòd unum movet ad operandum in ordine ad se; alterum verò in ordine ad aliud; vel si utrumque movet ad operandum in ordine ad aliud, ex se affert unum majorem extensionem, quàm alterum; si enim objectum formale virtutis operantis in ordine ad se supponatur nobilius, non manet locus controversiæ; siquidem ex suo objecto formali nobiliori evadet virtus absque controversia nobilior; sic castitas, quæ tendit ad imitandam Spiritûs puritatem, est absque controversia nobilior matrimoniô, juxta illud 1. Corinth. 7. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*; unde ad controversiam supponuntur cætera paria præter peculiarem respectum ad alterum, & quærimus, an ex hoc peculiari respectu ad alterum argui debeat nobilius objectum formale, vel saltem nobilior modus tendendi specificans nobiliorem virtutem. Pro decisione sit

SECTIO I.

Resolvitur Controversia.

131. ASsero 1. Justitia commutativa cæteris paribus est præstantior ex genere suo aliis virtutibus moralibus, quæ non sunt ad alterum, sed ad se ipsum. Probatur 1. Virtutes, quæ per se intendunt, & amant objectum formale perfectius, sunt ex se perfectiores, ut constat ex num. superiori: atqui virtus justitiæ commutativæ cæteris paribus ex eo, quòd sit virtus ad alterum per se, & ex genere suo intendit, & amat objectum perfectius, quàm virtutes morales, quæ sunt ad se ipsum: ergo justitia commutativa saltem per se, & ex genere suo est cæteris paribus perfectior virtutibus moralibus, quæ sunt ad se ipsum. Probatur min. virtutes ad se, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 58. art. 12. per se intendunt, & & amant honestatem, per quam homo est bonus præcisè sibi ipsi: virtutes autem ad alterum per se amant honestatem, per quam homo est bonus non solùm sibi ipsi, sed etiam alteri; non enim reddunt hominem solùm bonum sibi, sed etiam bonum alteri illæ virtutes, quæ sunt ad alterum: atqui honestas, per quam homo est bonus non solùm sibi, sed etiam alteri per se, & ex genere suo cæteris paribus est formaliter diversa, & major, quàm honestas, per quam bonus est præcisè sibi: ergo &c. Confirm. 1. ex D. Thoma in hac 2. 2. q. 58. à 12. ubi ait: *etiamsi, loquamur de justitia particulari, præcedit inter alias morales duplici ratione*; quod ibi latè probat; unde postea agens de Religione q. 85. à 5. docet, quòd Religio sit pars justitiæ &c. undea 6. in Corpore infert: *Religio præeminet inter alias virtutes morales*, nempe inter illas, quæ strictè justitiæ non sunt, siquidem pars nequit præeminere toti, cujus est pars: ergo &c.

Confirm. 2. ex Aristotele 5. Ethicorum cap. 1. ubi agendô de justitia docet: justitia eo ipso, quòd sit ad alterum, quodammodo esse bonum alterius: & 1. Rethor. cap. 9 ait, necesse esse, ut sint maximæ virtutes, quæ sunt aliis utilissimæ, eò quòd virtus sit postea benefactiva. Exinde idem Philosophus 2. de anima textu 49. docet, ex tribus potentiis vegetativis, quæ sunt nutritiva, augmentativa, & generativa, potentiam generativam, per quam viventia ordinantur ad bonum alterius, esse cæteris paribus perfectiorem nutritivâ, & augmentativa, per quam ordinantur ad bonum proprium: ergo in virtutibus moralibus paritate rationis eo ipso, quòd justitia sit ad alterũ, non est cæteris paribus, & ex genere suo perfectior reliquis virtutibus moralibus, quæ sunt ad se ipsum. 132.

Probatur 2. Justitia eo ipso, quòd sit ad alterum est cæteris paribus perfectior per se, & ex genere suo quàm temperantia, & fortitudo, aut quævis alia virtus moralis quæ, sit ad se ipsum: ergo &c. Probatur ant. temperantia habet pro objecto formali honestatem rectè se habendi circa delectabilia gustûs, & tactûs; fortitudo habet pro objecto formali honestatem rectè se habendi circa terribilia destructiva vitæ; justitia autem commutativa habet pro objecto formali honestatem commensurandi actiones juri alterius contradistincti à nobis, ac proinde non deservit solùm ad nos reddendos honestos, sed ut etiam simus boni aliis: atqui virtus, quæ ex genere suo, & per se tendit non solùm ad reddendum subjectum bonum sibi, sed etiam aliis, est cæteris paribus per se, & ex genere suo præstantior virtutibus, quæ solùm tendunt per se, & ex genere suo ad reddendum subjectum bonum sibi, ut constat ex num. superiori: ergo &c. 133.

Confirm. Comparandô justitiam commutativam cum liberalitate, & magnificentia, cum magnanimitate, & modestia; nam liberalitas, & magnificentia respiciunt honestatem rectè se habendi circa pecunias, ac rectè 134.

se iis utendi; unde præcipuè versantur circa bonum proprium habentis; & quamvis ex usu pecuniarum possit oriri bonum alterius, est materia valdè limitata respectivè ad justitiam, quæ versatur circa omnes actiones ad alterum illi debitas; unde justitia est perfectior per se, & ex genere suo liberalitate, & magnificentia; tum etiam modestia aliquando sumitur pro virtute, qua homo rectè se habet circa mediocres honores; magnanimitas verò circa maximos, ac debitos maximè virtuti; per hoc autem, quòd homo rectè se habeat circa honores mediocres, vel maximos, rectè se habet præcisè in ordine ad se ipsum: ergo justitia commutativa, quæ non solùm se habet in ordine ad subjectum suum, sed etiam in ordine ad alias personas, est cæteris paribus per se, & ex genere suo præstantior illis virtutibus.

135. Assero 2. Justitia hominis erga Deum per se, & ex genere suo cæteris paribus est perfectior Religione. Probatur 1. Justitia erga Deum, ut constat à num. 81. habet pro objecto formali honestatem denominativè sumptam tribuendi Deo, quidquid illi debetur, cùm Deus circa omnia creata habeat jus proprietatis; Religio verò habet tantùm honestatem tribuendi Deo cultum ipsi debitum: atqui universalior, ac proinde, cæteris paribus major est ex genere suo honestas tribuendi Deo, quidquid ipsi debetur, quàm honestas tribuendi Deo duntaxat cultum ipsi debitum: ergo justitia est per se, & ex genere suo cæteris paribus virtute Religionis præstantior. Confirm. eadem ratione, qua Theologi communiter docent, Religionem esse per se, & ex genere suo perfectiorem obedientiâ erga Deum, eò quòd Religio tendat ad jus, quod Deus habet per se ad cultum creaturarum. Obedientia verò non tendat ad tale jus essentiale Deo, sed ad jus fundatum in superveniente, & intimato præcepto Divino, sive in honestate conformandi se tali præcepto, sine quo præcepto Deus esse poterat: ideòque ex ratione juris essentialis perfectioris ex se, & ex genere suo jure non essentiali evadit Religio perfectior obedientia; quare cùm Religio, & justitia erga Deum respiciant jus essentiale Dei, ut objectum formale *quo*, & in hoc sint pares; at Religio solùm respicit jus illud in ordine ad cultum Deo debitum, justitia verò in ordine ad omnia, quæ Deo debentur, ex latitudine majoris perfectionis in objecto suo formali necesse est, ut justitia erga Deum per se, & ex genere suo evadat perfectior Religione: ergo &c.

136. Probatur 2. Justitia generalis, quæ respiceret jus quodcunque debitum Deo, aut creaturis, quomodocunque alteri debeatur, sive ad arithmeticam, sive ad geometricam proportionem, procul dubio esset nobilior virtute justitiæ duntaxat commutativæ, non quidem ex eo, quòd justitia commutativa non sit ad alterum, neque ex eo, quod non respiciat jus divinum, cùm utramque hanc formalitatem contineat, sed ex eo, quod non respiciat jus divinum sub tanta latitudine, ac respiceret justitia illa generalis: atqui Religio erga Deum non respicit jus divinum sub tanta latitudine, ac respicit justitia erga Deum: ergo justitia erga Deum per se, & ex genere suo est nobilior Religione: hæc autem est ratio, quare difficile possumus solùm ratione ducti assignare numerum virtutum moralium, nisi recurrendò ad distincta objecta formalia, quæ occurrunt in diverso modo agendi, juxta quam diversitatem assignandæ sunt virtutes.

Quapropter Philosophi, & Theologi non solùm assignant virtutem justitiæ unam specie, sed triplicem juxta triplex objectum formale in actibus humanis valdè frequens assignatum à num. 3. & 8. quod ad multiplicandas virtutes attendi debet, ideóque, ut constat à num. 15. item Philosophi, & Theologi assignant alias virtutes potestativas justitiæ, sive sub justitiæ nomine comprehensas, quales sunt Religio, pietas, plurésque aliæ; eò quòd nobiliori modò videtur ita stabiliri istam hominis fragilitatem in ordine ad actus in humana vita frequentes juxta honestates infimas ad alterum, quæ sufficientes sunt ad specificandas diversas virtutes morales: unde justitia illa, quæ dicitur una ex virtutibus moralibus, sive Cardinalibus, non accipitur una numerò aut specie, sed ut una per aggregationem specificam aliarum virtutum, quæ sunt ad alterum, sicut dici solet una civitas, unus populus, unum regnum per aggregationem multarum civitatum, & oppidorum: Ex dictis 137.

Fit 1. Justitiam legalem per se, & ex objecto formali esse perfectiorem justitia particulari commutativa. Ratio est, quia justitia legalis habet pro objecto formali honestatem dandi id, quod alteri debetur in bonum communitatis, cujus nos sumus pars civilis; justitia verò commutativa non respicit honestatem reddendi jus alteri, prout conducit ad bonum communitatis, sed præcisè prout alter est à nobis distinctus, habétque jus proprietatis contra nos: atqui sicut totum est majus parte; sic honestas tendens ad bonum totius est cæteris paribus melior honestate, quæ non respicit bonum totius, sed partis, vel quasi partis; quamvis enim justitia commutativa possit reddere aliquid communitati, non respicit communitatem quasi bonum commune, sed quasi partem universi habentem jus proprietatis contra debitorem, quod arithmeticè compensandum est; unde non respicit bonum commune quà tale, licèt hoc respiciat per se justitia legalis: ergo justitia legalis per se, & ex genere suo est præstantior justitiâ commutativâ. 138.

Fit 2. Justitiam commutativam hominis erga Deum, quæ nimirum habet pro objecto formali honestatem denominativam dandi Deo, quidquid illi ex jure proprietatis debetur, esse præstantiorem cæteris paribus justitia legali; Ratio est, quia justitia legalis vel respicit communita- 139.

munitatem includentem Deum, & omnes creaturas, vel communitatem includentem solas creaturas. Si secundum cùm Deus se solas sit nobilior universa creaturarum communitate, certè justitia illa, quæ ex jure Dei movetur, nobilius objectum formale respicit, quàm quæ movetur ex jure communitatis; si primum licet totum includens Deum & creaturas sit perfectius extensivè, eò quòd ultra perfectionem Dei includat perfectionem mundi, nihilominus Deus solùm est totum quoddam eminentiale perfectius intensivè toto continente Deum, & mundum, ut communiter docent Theologi.

140. Ratio est, quia totum includens virtualiter, & eminenter omnes perfectiones alterius totius seclusis imperfectionibus, est intensivè perfectius toto includente easdem perfectiones formaliter additis imperfectionibus; Deus autem solùm includit eminenter omnes perfectiones totius constantis ex Deo, & mundo seclusis imperfectionibus: ergo se solo est intensivè perfectior aggregato ex Deo, & mundo, ac proinde honestas dandi Deo id, quod debetur ex jure suo est intensivè major honestate dandi id, quod debetur toti constanti ex Deo, & mundo. Id circo charitas habens pro objecto formali Bonitatem Divinam secundùm se est perfectior virtute, quæ haberet pro objecto formali bonitatem totius constantis ex Deo, & mundo: ergo pariter dicendum est in casu nostro. Video posse hìc misceri quæstionẽ de voce, si quis contendat Deum etiam in aggregato continere suam perfectionem intensivè, ut revera continet; quare ut evitemus quæstionem de voce, dicimus eam perfectionẽ attingi majori puritate in solo Deo, quàm, si attingatur simul in eo aggregato perfectio etiam creaturæ, quod ad rem nostram satis est; sicut majori puritate procedit Charitas, quæ movetur à sola Bonitate Divina, quàm procederet alia virtus, quæ non moveretur à sola bonitate divina, sed simul etiam à creata.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

141. OBjicies 1. contra 1. Assertionem. Magis principaliter ordinatur homo ad bonum suum, quàm ad bonum aliorum: ergo virtutes ad se, per quas homo ordinatur ad bonum proprium ipsius, sunt cæteris paribus perfectiores, & principaliores virtute justitiæ, per quam homo ordinatur ad bonum, & perfectionem aliorum, ac proinde justitia commutativa non est per se, & ex genere suo adhuc cæteris paribus nobilior cæteris virtutibus moralibus, quæ sunt ad se ipsum. Resp. dist. ant. magis principaliter ordinatur ad bonum suum, quàm aliorum, si bonum aliorum non sit etiam bonum suum, conc. si sit etiam bonum suum, neg. ant. & conseq. Ratio est, quia actus justitiæ, & cujusvis virtutis ad alterum utramque bonitatem continet, cùm sit, & bonum alteri, & bonum subjecto elicienti tale virtutis exercitium; unde ex hoc titulo satis apparet virtutem justitiæ cæteris paribus nobiliorem esse per se, & ex genere suo reliquis virtutibus moralibus, quæ solùm sunt ad subjectum, in quo residen.

142. Objicies 2. Virtus, quæ versatur circa difficiliora, est præstantior: sed fortitudo, quæ est ad se versatur circa difficiliora, quàm justitia, quæ est ad alterum: fortitudo enim versatur circa omnium difficillima, hoc est circa pericula mortis, & circa mortem ipsam: ergo fortitudo est præstantior justitia. Resp. dist. maj. Est præstantior simpliciter, si habeat objectum formale minús perfectum, neg. Est præstantior tantùm secundum quid, concedo majorem, & distincta pariter mi. neg. conseq. Ratio est, quia perfectio virtutis per se, & principaliter desumitur ex objecto formali; unde virtus, quæ habet objectum formale, minùs perfectum, etiam si versetur circa difficiliora erit perfectior solùm secundùm quid, non autem simpliciter; ea autem virtus, quæ habet nobilius objectum formale erit simpliciter perfectior, quàm altera, cúmque ita se habeat justitia commutativa propter peculiarem suum tendendi modum respectu fortitudinis, ut constat à num. 133. Exinde erit simpliciter perfectior fortitudine, quamvis fortitudo ex victoria majorum difficultatum sit præstantior secundùm quid.

143. Objicies 3. Ex Aristotele 4. Ethicorum 3. Magnanimitas amat, & perficit justitiam omnésque alias virtutes: atqui virtus, quæ se habet ut perficiens est præstantior virtute, quæ se habet ut perfectibilis: ergo saltem magnanimitas, quæ non est ad alterum, est cæteris paribus nobilior justitia quæ est ad alterum. Resp. dist. maj. amat, & perficit perfectione quadam accidentali, conc. perfectione quadam essentiali, seu spectante ad substantiam virtutis, neg. maj. & dist. pariter mi. neg. conseq. Ratio est, quia ad perficiendum aliquid perfectione quadam accidentali, & non spectante ad substantiam rei, non requiritur tanta perfectio, ac requiritur in re perfectibili, ut patet in pulchritudine accidentali hominis, quæ licet ornet, & perficiat accidentaliter hominem est imperfectior homine.

144. Sic etiam se habet magnanimitas respectu aliarum virtutum, quas perficit perfectione quadam merè accidentali, sine qua salvatur substantia justitiæ, & aliarum virtutum; quin imo exinde desumi potest argumentum contra Adversarios; nam justitia quodammodo videtur requiri ad substantiã magnanimitatis; siquidem magnanimitas, quæ non fundatur in justitia, aliisque virtutibus, non est virtus; qui enim appetit magna, & non habet magnas virtutes, non est magnanimus, sed potiùs

peccat contra magnanimitatem per excessum appetendo sibi improportionata, cùm non sit magnus, & apperat magna; unde si magnanimitas perficit justitiam accidentaliter, justitia perficit quasi substantialiter magnanimitatem, proindéque ex ratione perficiendi major censenda est justitia, quàm magnanimitas.

145. Objicies 4. contra 2. Assertionem: Ex virtutibus ad alterum illæ sunt præstantiores, quæ reddunt id, quod debent Deo, quàm quæ reddunt aliis à Deo: atqui Religio est virtus, dans Deo debitum cultum, obedientia est virtus dans Deo debitam observantiam mandatorum: ergo sunt præstantiores justitia. Resp. dist. maj. quàm quæ reddunt aliis à Deo, si non reddant simul id, quod Deo debetur ratione sui juris, conc. si reddant simul Deo per se spectato id, quod Deo debetur ratione sui juris, neg. maj. & conc. mi. neg. conseq. Ratio est, quia justitia commutativa, de qua agimus, non solùm tendit ad reddendum creaturis, quod illis ex jure suo debetur, sed etiam ad reddendum Deo per se spectato, quod ex jure suo illi debetur.

146. Dixi ex industria *Deo per se spectato*, quia non solùm respicit jus divinum quatenus constituit communitatem cum creaturis, sub qua consideratione ea communitas non est intensivè tam nobilis, ac sit solus Deus per se spectatus, aut saltem non attingitur ita purè, ut constat ex num. 140. unde ex hoc respectu, quem justitia, de qua agimus, dicit ad Deum evadit præstantior Religione & obedientia, cùm respiciat jus divinum sub majori latitudine, ut constat ex num. 135. Nihilominus propter respectum, quem Religio & obedientia habent ad Deum, dicuntur virtutes istæ partes potentiales justitiæ, ut constat à num. 15. & docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. quæst. 4. art. 7. ad 3. quæst. 80. art. 1. & quæst. 104. art. 2. ad 2.

147. Objicies 5. 1. Regum. 15. dicitur melior est obedientia, quàm victimæ: atqui afferre victimas est actus Religionis: ergo actus obedientiæ licet non respiciat jus Dei essentiale, est melior actu Religionis respiciente jus Dei essentiale, proindéque erit præstantior justitia respiciente quoque essentiale jus divinum. Respondeo distinguendo, seu explicando maj. melior est obedientia ex parte rei oblatæ, quàm victimæ oblatæ per Religionem, conc. est melior simpliciter Religione, neg. maj. & conc. mi. neg. conseq. Ratio est, quia testimonium illud Scripturæ docet actum Religionis quo quis ex objecto formali Religionis, hoc est, propter honestatem colendi Deum, offert Deo in ipsius honorem propriam voluntatem, obediendo Deo ex parte rei oblatæ est melior, & perfectior actus, quàm quo offert victimas; ideóque S. Gregorius libro ultimo moralium cap. 12. explicans illum locum, ait; nam per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur; sicut ergo voluntas est perfectior qualibet alia victima, sic actus obedientiæ, quo Deo in honorem ejus offertur propria voluntas est perfectior ex parte rei oblatæ actus, quo offeruntur aliæ victimæ, videatur D. Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 3. ad 1.

148. Objicies 6. ex virtutibus, quæ versantur circa proximos, liberalitas, & magnificentia, quæ dant alteri gratis ea, quæ non debent, sunt præstantiores justitia, quæ solùm dat id, quod debet; misericordia etiam, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 3. art. 3. & 4. est præstantissima omnium virtutum, quæ versantur circa proximum: ergo saltem magnificentia, liberalitas, & misericordia sunt præstantiores justitia. Resp. dist. ant. Sunt præstantiores secundùm quid, conc. simpliciter, neg. ant. & conseq. Ratio est, quia ut suprà diximus, major præstantia virtutis simpliciter sumitur ex objecto formali præstantiori; cúmquæ justitia erga Deum habeat objectum formale præstantius, quàm liberalitas magnificentia, & misericordia erga proximum, exinde est simpliciter præstantior liberalitate, magnificentia, & misericordia erga proximum; tres namque istæ virtutes habent pro objecto formali honestatē denominativè sumptam sublevandi miseriam proximi, & moventur à titulo residente in creatura; justitia verò erga Deum habet pro objecto formali honestatem compensandi jus divinum, & à jure divino movetur, quod incomparabiliter excedit objectum formale trium illarum virtutum, ac proinde elevat justitiam ad perfectionem simpliciter majorem ad eum modum, quo castitas, quia imitatur Spiritus puritatem, est melior matrimonio, ut diximus à num. 130.

149. Objicies 7. Justitia erga Deum non est perfecta justitia, cùm non ponat perfectam æqualitatem cum debito; impossibile quidem est, ut adæquemus id, quod Deo debemus: ergo est imperfectior, quàm justitia erga proximum, quæ cùm ponat æqualitatem perfectam cum debito est perfecta justitia: atqui Religio, & obedientia est perfectior, quàm justitia præcisè erga proximū: ergo est etiam perfectior, quàm justitia erga Deum. Resp. omitto ant. de quo infra, & dist. conseq. est imperfectior secundùm quid, conc. simpliciter, neg. conseq. ad mi. subsumptam conc. mi. & neg. conseq. Ratio est, quia justitia erga Deum, quamvis in eo sensu non sit rigorosa justitia, at pro suo objecto formali *quo* revera respicit jus divinum, à quo virtus sumit majorem suam perfectionem simpliciter; justitia autem præcisè erga proximum non respicit pro objecto formali jus divinum, sed creatum, proindéque secundùm istum conceptum est imperfectior Religione & obedientia erga Deum, quæ pro objecto formali quo respiciunt jus divinum.

SECTIO III.

SECTIO II.

Quomodo justitia obliget ad operandum?

150. SUppono 1. ex dictis à num. 86. justum, quo jus alterius compensari potest ad æqualitatem, dupliciter sumi, primò pro justo secundùm quid, quod nimirum in se æquale est debito & cum exclusione circumstantiæ, à qua vitietur, revera attingi potest ab actu virtutis justitiæ, à quo hìc, & nunc non elicitur propter circumstantiam extrinsecam, qua vitiatur, atque adeò non evadit justum simpliciter, sed manet justum secundùm quid. Sic casu, quo debeas Petro 4. Julios, si illos ex odio, aut affectu pravo restituas, compensabis ad æqualitatem jus Petri, ea tamen compensatio, & restitutio non procedet, ab habitu virtutis justitiæ, eò quòd non sit simpliciter justa, sed tantùm secundùm quid. Secundò sumi potest justum simpliciter, quandò scilicet evadit ex integra causa bonum, & tunc est objectum virtutis, & reverâ attingibile per actum virtutis justitiæ.

151. Suppono 2. Objectum formale virtutis justitiæ, sicut & aliarum virtutum dici finem formalem justitiæ, extrinsecum quidem respectu objecti materialis, quod se habet, ut æquale, & justum saltem secundùm quid ad juris compensationem; unde cùm finis extrinsecus præcepti non cadat sub præceptum, non requiritur, quòd justum materiale sit justum simpliciter ad resarciendum jus alterius, vel compensandum ex justitia, ut docent Theologi cum D. Thoma 1. 2. quæst. 96. art. 3. ad 2. ubi ait: dicendum, quòd aliquis actus dicitur esse virtutis dupliciter, uno modo ex eo, quòd aliquis operatur virtuosè, sicut actus justitiæ est facere recta, & fortitudinis facere fortia, & sic lex præcipit aliquos actus virtutum; alio modo dicitur actus virtutis, quia aliquis operatur virtuosè eo modo, quo virtuosus operatur virtuosè, & talis actus semper procedit à virtute, neque cadit sub præcepto legis, sed est finis, ad quem Legislator ducere intendit; idem repetit quæst. 10. art. 10. & 2. 2. quæst. 44. art. 1. & 8. ad 1. Exim. Doct. libro 2. de Legibus cap. 10. & libro 3. cap. 29. & Cajetanus 2. 2. quæst. 122. art. 4. His positis

162. Assero 1. Virtus justitiæ non obligat determinatè ad operandum semper ex eo formali motivo, ac ad ita operandum, vagè saltem aliquando obligat. Probatur 1. Assertionis pars; nam justitia, sicut & reliquæ virtutes morales eo modo obligant, quo expedit homines obligare: atqui expedit homines obligari aliquando ad actiones, & omissiones simpliciter justas, non quidem justas determinatè ex motivo formali justitiæ, sed ita, ut satisficiant, si sint simpliciter justæ ex quocunque motivo cujusvis virtutis: ergo justitia non obligat determinatè semper ex suo formali motivo. Prob. antec. obligatio operandi aliquando justum simpliciter exinde nascitur, quia homo tenetur tendere ad suum ultimum finem, ad quem non tendit, nisi virtuosè agendò, & adimplendò plura præcepta, & actus virtutum, ad quos ex præcepto per se tenetur; quales sunt actus fidei, spei, & charitatis, ut constat ex Alexandro VII. & Innocentio XI. citatis num. 107. de charitate: atqui ad ita operandum satis est, quòd compensatio juris alterius fiat ex motivo formali justitiæ: ergo &c.

153. Confirmatur. Licèt expediat, ut justitia per præceptum negativum obliget ad non furandum, at cùm possit homo uon furari ex pluribus motivis, videlicet ex motivo justitiæ, charitatis, & obedientiæ, aliisque similibus, & libertas humana non sit restringenda sine necessitate, expedit, ut homo, cùm obligatur ad non furandum, maneat cum libertate non furandi ex quocunque motivo honesto, si non sint possibiles actus indifferentes in individuo, vel si sint possibiles actus indifferentes in individuo, expedit, ut maneat liber ad non furandum ex quocunque motivo non honesto, licèt ex obligatione bene agendi, aliquando debeat respicere aliquando motivum honestum. Rursus expedit, ut homo obligetur ad restituendum ablatum; at non expedit, ut obligetur determinatè ex motivo justitiæ, sed ut relinquatur illi libertas moralis ad quodcunque motivum honestum, vel aliquando etiam ad non inhonestum, si dantur actus indifferentes in individuo; ergo &c.

154. Probatur jam secunda pars assertionis: nam homo tenetur aliquando saltem bene agere ad obtinendum finem suum supernaturalem, quod fieri nequaquam potest, nisi actio illa respiciat motivum honestum alicujus virtutis, sicque reverâ evadat virtutis actus; quo in casu, si homo ille non habeat aliud motivum formale virtutis præter motivum justitiæ, & reverâ operetur ex honestate formali justitiæ, jam operatur meritoriè actum virtutis, quo meretur præmiũ conferendum ab ultimo fine; sic ut latè dixi in Tractatu de virtute Pœnitentiæ, possumus elicere actum attritionis sufficientis ad valorem, & fructum Sacramenti vel ex motivo obedientiæ, justitiæ, charitatis, aut cujusvis alterius universalis virtutis voluntatis: sed exinde constat, hominem obligari aliquando non quidem determinatè, sed vagè ad eliciendum actum formalem justitiæ: ergo &c.

155. Confirmatur. Illa est obligatio vaga alicujus virtutis, quæ adimpleri potest per honestatem formalem vel hujus, vel alterius virtutis, proindéque illa est obligatio vaga justitiæ, quæ adimpleri potest per honestatem formalem alterius virtutis, vel per honestatem formalem justitiæ: atqui compensatio juris alterius virtuosa, & meritoria obtineri potest vel per honestatem formalem alterius virtutis, vel per honestatem formalem jnstitiæ; ut ex num. superiori constat; ergo

ergo justitia vagè saltem obligat ad operandum aliquando ex motivo formali. Quapropter si sint possibiles actus indifferentes in individuo, non obligatur homo semper, & quando liberè operatur ad operandum vagè ex motivo justitiæ, vel alterius virtutis; bene verò si non sint possibiles actus indifferentes in individuo; nam homo semper, & quando liberè operatur, tenetur non agere malum; unde si non detur alius modus non agendi malum, nisi operandô bonum, vel agendô honestè ex motivo alicujus virtutis, tenebitur ad operandum ex motivo alicujus virtutis; ac proinde vagè obligabitur à quacunque virtute.

156. Assero 2. Ad satisfaciendum determinatè exigentiæ justitiæ non requiritur, ut apponatur justum simpliciter, sed satis est, si apponatur æqualis juris compensatio ex animo saltem virtuali compensandi jus alterius, quæ sit justitia secundùm *quid*. Probat. Quando aliquid jam est præceptum in universali, non debet præcipi iterum in particulari, nisi detur specialis ratio, & speciale motivum illud præcipiendi: atqui datur universale præceptum obligans nos ad hoc, ut operemur moraliter, hoc est cum perfecta advertentia rationis operemur ex motivo honesto, vel saltem non inhonesto: ergo nisi adsit specialis ratio, & speciale motivum, justitia, & quævis alia virtus moralis, dum obligat nos ad faciendas aliquas actiones, non debet iterum præcipere, ut illas faciamus ex motivo honesto, vel non inhonesto: atqui nulla est ratio, propter quam justitia, dum præcipit, ut restituamus, præcipiat ex motivo honesto, vel saltem non inhonesto, cùm sufficiat præceptum illud universale: ergo &c.

157. Confirmatur. Potest aliquis per eundem actum implere exigentiam determinatam justitiæ, ac proinde præceptum justitiæ, simulque transgredi aliud præceptum, E. G. cùm quis restituit aliquid ex motivo vanæ gloriæ, per eundem actum implet præceptum restituendi, quod attinet ad justitiam, & transgreditur præceptū prohibens vanam gloriam: quin potiùs, si aliquis restituat rem alienam minoris pretii ex fine furandi, deinde rem majoris pretii, per eundem actum implet præceptum restituendi rem illam minoris pretii, quod attinet ad justitiam, & transgreditur aliud præceptum non furandi, quod spectat ad eandem justitiam: sed exinde clarè patet ad satisfaciendum determinatè exigentiæ justitiæ non requiri, quòd ponatur justum simpliciter, sed satis esse, si apponatur æqualis juris compensatio, quæ sit justa secundùm *quid*: ergo &c. Ex dictis

158. Fit 1. Quòd, quando præceptum duntaxat obligat ad faciendum rem præceptam, qui facit rem præceptam quomodocunque, & ex quocunque fine illam faciat, satisfacit tali præcepto quoad exigentiam ejus rei, licèt fortasse transgrediatur aliquod aliud præceptum; unde quia præceptum audiendi Sacrum die festo, obligat solùm ad audiendum Sacrum, qui reverâ illud audit ex quocunque motivo, aut fine illud audiat, supponendô habere intentionem requisitam ad talem auditionem, satisfacit præcepto quantum ad istam ejus exigentiam. Idcirco si quis die festo audiat unum Sacrum cum intentione non satisfaciendi præcepto per auditionē illius Sacri, sed satisfaciendi postea per auditionem alterius, nihilominus satisfacit præcepto, nec tenetur ad audiendum aliud. Ratio est, quia implicat, quòd quis faciat totum, quod ab aliquo præcepto præcipitur, & non satisfaciat præcepto: sed nihil aliud præcipitur ex determinata hujus præcepti exigentia, quàm ut audiatur Sacrum die festo: ergo implicat, ut quis audiat Sacrum die festo, & non satisfaciat præcepto.

159. Fit 2. Unamquamque virtutem obligare ad amorem formalem vel saltem virtualem observandi omnia præcepta gravia talis virtutis. Ratio est, quia unusquisque obligatur ad non committendum ullum peccatum, sive ad volendū, & procurandum ultimum finem suum, quem per quodcunque peccatum lethale amittit: atqui eo ipso, quòd habeat voluntatem obtinendi ultimum finem suum, quem per quodcunque peccatum lethale amitteret, habet amorem formalē, vel saltem virtualem honestatis cujuscunque virtutis; sive quod idem est, amorem cum transgressione gravi cujuscunque virtutis incompossibilem, in quo stat ratio amoris saltem virtualis de honestate cujuscunque virtutis.

160. Quamobrem, si in aliquibus circumstantiis censeatur necessarius actus formalis cujuscunque virtutis ad non transgrediendum graviter aliquod præceptum, & perseveret illa voluntas, quæ est virtualis amor honestatis cujuscunque virtutis, non poterit cum illa componi omissio talis actûs necessarii ad evitandam eam transgressionem; sic actus generalis attritionis, sive elicitus ex universali motivo dicitur voluntas virtualis amandi Deum super omnia pro tempore, quo præceptum illud obliget, simulque dicitur voluntas virtualis adimplendi omnia præcepta gravia, eò quòd talis generalis attritio sit incompossibilis cum transgressione cujuscunque præcepti obligantis sub gravi; neque sumi potest paritas à virtutibus moralibus ad Theologicas, ad quarum actus per se obligamur; nam virtutes Theologicæ, cùm uniant potentias immediatè cum ultimo fine, sunt principales, & incompossibiles per virtutes morales, quæ sunt quasi illarum instrumenta; ad eum modum, quo causa principalis nequit per instrumenta sua suppleri.

SECTIO IV.

Solvuntur Oppositа.

161. OBjicies 1. contra primam assertionem: justitia obligat determinatè ad faciendos actus justos: atqui actus non sunt justi, si fiant ex objecto formali justitiæ: ergo justitia obligat determi-

determinatè ad operandum ex objecto formali juſtitiæ. Reſp. diſt. maj. ad faciendos actus juſtos ſecundùm quid, vel ſimpliciter, conc. ſemper, & determinatè ſimpliciter juſtos, nego maj. & diſtincta pariter minori nego conſequentiam. Ratio eſt, quia juſtitia obligat determinatè ad compenſandum jus alterius, cúmque ea compenſatio fieri poſſit vel per actum juſtum ſecundùm quid, vel per juſtum ſimpliciter, ut conſtat à num. 68. & 150. exinde ad adimplendam eam exigentiam determinatam juſtitiæ non requiritur ſemper actus juſtus ſimpliciter; ſed ſatis eſt quandoque actus juſtus ſecundùm quid.

162. Objicies 2. Fides non ſolùm obligat ad credendum, quæ Deus revelavit, ſed etiam ad credendum ex infallibili verbo Dei, ſive ex objecto formali fidei; ſpes non ſolùm obligat ad ſperandum, quæ Deus ut auxiliator promiſit, ſed etiam obligat ea ſperanda ex objecto formali ſpei, ſive quia Deus ut auxiliator ea promiſit: charitas non ſolùm obligat ad amandum Deum in ſe bonum, ſed etiam ad amandum ratione ſuæ bonitatis, ut ſibi bonæ, quæ eſt objectum formale charitatis: ergo juſtitia, & aliæ virtutes morales non ſolùm obligant determinatè ad facienda juſta, ſed etiam ad facienda illa ex motivo, & objecto formali talium virtutum, ac proinde juſtitia obligat determinatè ad faciendum juſtum ſimpliciter, & ex objecto formali juſtitiæ.

163. Reſp. conc. antec. & nego conſequentiam, quia fides, ſpes, & charitas ſunt virtutes Theologicæ immediatè unientes potentias rationales cum Deo, proindéque ſunt virtutes principales, & magis neceſſariæ homini; virtutes autem morales non uniunt potentias rationales immediatè cum Deo, ſed tendunt ad media, quibus ducimur ad unionem cum Deo, ac proinde dicuntur inſtrumenta virtutum Theologicarum, & virtutes multò minùs neceſſariæ, quàm virtutes Theologicæ; cùm autem ex principali ad inſtrumentale, & ex neceſſario ad non neceſſarium nulla teneat paritas, non bene arguitur ex determinata exigentia virtutum Theologicarũ; nec ex illis eſt ulla paritas ad determinatam exigentiam virtutum moralium, quod manifeſtè patet, ſi attendamus ad reſpectum, quem virtutes Theologicæ habent ad morales; nam charitas obligat ad ſervanda omnia præcepta gravia, cùm ſit incompoſſibilis cum transgreſſione cujuscunque præcepti gravis, & tamen non obligat ad obſervanda omnia præcepta ex motivo, & objecto formali charitatis, ſed relinquit libertatem obſervandi præcepta virtutum moralium ex quocunque motivo honeſto, vel ſaltem non inhoneſto; ex quo clarè conſtat, exigentiam indeterminatam virtutum moraliũ ſolùm tendere ad objectum ſuum honeſtum ex quocunque motivo, vel ſaltem ad non inhoneſtum.

164. Objicies 3. contra ſecundam aſſertionem: juſtitia, & quælibet alia virtus moralis non ſolùm debet obligare ad media, ſed etiam ad finem: atqui finis juſtitiæ eſt, ut exerceamus actus bonos ſimpliciter ex honeſtate relucente in compenſatione juris alterius, hoc eſt in apponendo juſtum ſimpliciter ex honeſtate juſtitiæ: ergo ad ſatisfaciendum adæquatè exigentiæ juſtitiæ requiritur, quòd apponatur juſtum ſimpliciter, & non eſt ſatis, quòd apponatur compenſatio æqualis juris, quæ ſit juſta ſecundùm quid. Reſp. diſt. maj. ſed etiam ad finem vel promovendum, vel non amittendum ex quocunque fine honeſto, vel ſaltem non inhoneſto, conc. ad finem determinatè obtinendum per honeſtatem talis virtutis, nego maj. & conceſſa minori nego conſequentiam.

165. Ratio eſt, quia in hoc argumento confunditur finis hominis cum fine juſtitiæ, & cujusvis alterius virtutis moralis; finis namque juſtitiæ, & cujusvis virtutis moralis eſt honeſtas creata, quæ eſt objectum formale *quod*; finis autem hominis, & cujusvis naturæ rationalis eſt ipſe Deus; ad hunc autem finem tenetur homo liberè operans, & ad promovendum ſaltem aliquando, ut ſuprà diximus, vel ad nunquam amittendum, quod fieri poteſt operandò aliquando ex quocunque fine honeſto, quamvis non ſit motivum juſtitiæ, & operandò aliquando, ſi non repugnent actus indifferentes in individuo ex fine non inhoneſto; unde ad ſatisfaciendum exigentiæ determinatæ juſtitiæ non requiritur, quòd determinatè operemur ex motivo formali juſtitiæ. Cæterùm, quia ſi non compenſaremus jus alterius per compenſationem æqualem juri, quæ ſit ſaltem juſta ſecundùm quid, peccaremus graviter, & amitteremus finem noſtrum: exinde tenemur ad talem compenſationem, quæ ſit juſta ſecundùm quid; neque tenemur ad ulteriorem compenſationem ex determinata exigentia juſtitiæ, ut conſtat à num. 156.

166. Objicies 4. Si juſtitia non obligaret ad operandum ex objecto formali juſtitiæ, ſequeretur, quòd ille, qui debet centum, ſi det centum, ex quocunque motivo illa det, ſatisfaceret obligationi juſtitiæ: ſed hoc eſt falſum: ergo juſtitia obligat ad determinatè operandum ex objecto formali juſtitiæ. Probatur min. Si ille, qui debet centum, det centum animò donandi, non ſatisfacit obligationi juſtitiæ, ſed remanet debitor illorum centum non minùs, quàm ſi hæc non dediſſet: ergo non ſatisfacit reddendò illa ex quocunque motivo non inhoneſto. Reſp. diſt. maj. ſequeretur, quòd, qui det centum, ſi det centum ex quocunque motivo illa det, ſatisfaceret obligationi juſtitiæ caſu, quo non velit remanere obligationem ad dandum alia centum, conc. caſu, quo velit remanere obligationem ad dandum alia centum, neg. maj. & diſtincta pariter min. nego conſeq.

167. Ratio eſt, quia obligatio ex juſtitia non eſt ſicut obligatio ex præcepto; etenim obligatio ex præcepto non habetur ex propria voluntate, ſed ex voluntate Superioris; at obligatio ex juſtitia

stitia haberi potest ex propria voluntate obligati; exinde qui debet centum, & dat centum, non quidem ad compensandum, & satisfaciendum debito, sed merè gratis, eo ipso vult manere obligatus ad danda alia centum; unde non manet liber ab onere justitiæ, ad quod ex propria sua voluntate potest, & vult se obligare: si autem ex propria sua voluntate non vellet manere obligatus, eo ipso quòd daret centum ex quocunque motivo, satisfaceret obligationi justitiæ, quantumcunque compensatio illa non esset justa simpliciter, sed tantùm secundùm quid, ideóque num. 15. diximus in assertione, sufficere justum secundùm quid, quando detur ex animo saltem virtuali compensandi jus alterius. Ex dictis

168. Fit 1. Magnum esse discrimen inter auditionem Sacri debitam ex præcepto, & solutionem debitam ex justitia. Ratio est, quia quod debetur ex præcepto, non pendet à nostra voluntate, sed à voluntate Superioris; unde si Superior præcipit auditionem Sacri, & nos Sacrum audiamus, non possumus facere, quod præceptum jam non sit impletum, ideóque non possumus facere, quòd iterum obliger. Quamobrem qui audit Sacrum, quamvis nolit, per auditionem Sacri præceptum verè adimplet: at obligatio ex justitia, cùm haberi possit ex voluntate propria illius, qui obligatur, potest manere ad dandum centum, quamvis ille det centum, si ea velit dare, & det gratis, ac proinde velit manere obligatus. Econtra contingeret in voto, quandoquidem haberi potest ex propria voluntate voventis; unde si ille, qui vovit jejunium, vel auditionem Missæ, nolit satisfacere per hoc jejuuium, vel per hanc auditionem, eo ipso vult manere obligatus ad aliud jejunium, & ad aliam Missæ obligationem, proindéque ad adimplendum istud votum, tenebitur iterum jejunare, & Missam audire.

169. Fit 2. Quòd si quis reddat commodatum, videlicet librum, quantumcunque reddat librũ animô donandi, & volens, ut maneat obligatio ad reddendum illum librum commodatum, nihilominus satisfacit obligationi, & non remanet obligatio. Ratio ex dictis est, quia implicat, ut datio rei alienæ sit donum gratuitum, & non sit restitutio debiti, & ut postquam reddidit homo alienum Domino suo, remaneat obligatio reddendi; unde cùm id, quod est commodatum, remaneat alienum, & non sit commodatarii, exinde ejus dominium non transfertur in eum, cui commodatur, proindéque repugnat, ut datio rei, qua commodatum redditur, sit donum gratuitum, & non sit redditio debiti, ideóque repugnat, ut remaneat obligatio illud reddendi. Ex oppositâ ratione, si quis reddat mutuum animô donandi, & volens, ut maneat obligatio reddendi, non satisfacit debito, remanetque obligatus, quia per mutuum transfertur dominium à mutuante in mutuatarium; unde si mutuatarius reddat pecuniam, quam accepit animô donandi, cùm reverâ sit Dominus talis pecuniæ, verè donat, adeóque cùm velit obligationem remanere, manet obligatus ad solvendam aliam pecuniam.

170. Fit 3. Obligationem ex justitia (idem esto de aliis virtutibus) tamdiu remanere, quamdiu remanent circumstantiæ, sub quibus datur obligatio; non verò quando occurrunt circumstantiæ, pro quibus vel non datur, vel suspenditur, & impeditur obligatio virtutis; unde si istæ circumstantiæ possent supervenire ex altera virtute, poterit obligatio justitiæ impediri, vel suspendi per obligationem alterius virtutis. Explicatur exemplis: justitia obligat ad non accipiendem rem alienam invitô irrationabiliter Dominô, cúmque ille, qui reperitur in extrema necessitate, ita ut non possit vitam conservare, nisi accipiat rem alienam, tunc illam non accipiat invitô irrationabiliter Dominô, sed vel non invitô, vel irrationabiliter invitô, exinde propter obligationem conservandi vitã potest, ac debet rem alienam accipere. Pariter justitia obligat ad restituendum depositum Domino petenti. Cæterùm quia leges non obligant pro circumstantiis, pro quibus non est bonum, ut obligent, sed potiùs est bonum, ut non obligent, exinde quando adveniunt tales circumstantiæ, non obligat justitia ad restituendum depositum Domino petenti: quamobrem non obligat, si Dominus repetat à me gladium, & alius mihi minetur mortem, si reddam gladium; tunc enim propter timorem mortis cadentem in virum constantem, deobligor ad reddendum pro illis circumstantiis gladium, ideóque tunc suspenditur obligatio justitiæ; similiter si Dominus repetat gladium, Magistratus, vel Princeps interdicat mihi redditionem gladii, ego pro illis circumstantiis non teneor gladium reddere, imò teneor non reddere, quia expedit, ut Princeps, vel Magistratus propter justas causas possit suspendere hanc, & alias similes obligationes privatorum; tum etiam si Dominus repetat gladium in injuriam, vel grave damnum sui ipsius, aut aliorum, v. g. ad occidendum se iniquè, vel ad occidendum alios, non teneor pro illis circumstantiis reddere gladium, imò teneor non reddere, quia expedit, ut non tenear pro illis circũstantiis depositũ reddere; unde quotiescunque præcepta naturalia justitiæ, vel aliarum virtutum proponuntur, non exprimendô debitas circumstantias, potest suspendi, vel impediri eorum obligatio, licèt non possit suspendi, vel impediri, si proponantur exprimendô omnes debitas circumstantias.

(o)

DISPU-

DISPUTATIO IV.

DE CONSTITUTIVO JURIS PROPRIETATIS.

171. PLures juris divisiones dedimus à num. 1. & 118. de quibus omnibus agendum nobis est in præsenti disputatione, ut clarè innotescat natura jurjs proprietatis, quod solùm inter omnia jura obligat ad restitutionem ex dictis num. 18. quin potiùs reliquæ juris acceptiones intelligi nequaquam possunt, nisi priùs explicetur jus proprietatis, quod solùm, ut dicemus disputatione sequenti, inter cætera omnia jura fundat rei dominium; ea de causa ab explicatione juris istius incipimus, cujus declaratio valde difficilis visa est multis Theologis, ut exinde inferre liceat, quàm parum de se humana mens præsumere possit; siquidem in re alioquin adeò nota, quam vel ipsi Rustici facillima apprehensione cognoscunt, intelligentes, quis sit Dominus rei, quis non, majora hominum ingenia non parum laborant. Percurremus breviter aliorum sententias, nostramque deinceps proponemus, & defendemus, Pro quo sit

SECTIO I.

Quid sit Jus proprietatis?

172. PRima sententia, quam refert Lessius cap. 2. de justitia, & jure dubitat. 1. num. 1. docet, jus proprietatis esse potestatem legitimam ad rem obtinendam, vel ad aliquam functionẽ, vel quasi functionem, cuius violatio iniuriam constituit. Contrà tamen, quia hæc explicatio nihil declarat, proindéque est collusoria. Etenim iniuria nihil est aliud, quàm violatio iuris proprietatis; unde dicere hoc ius esse potestatem, cujus violatio iniuriam constituit, perinde est, ac dicere, esse potestatem, cuius violatio est violatio iuris proprietatis: sed hæc declaratio nihil explicat, & est mera collusio terminorum, ut per se patet; ad eum modum, quo si quis diceret, virtus Religionis est, cuius violatio irreligionem constituit, lex est actus, cuius violatio constituit inobedientiam: ergo talis expositio iuris proprietatis est omnino rejicienda

173. Secunda sententia, quam refert, & rejicit Cardinalis de Lugo, tenet, ius proprietatis esse facultatem utendi re absque iniuria alterius. Contrà tamen est, quia hoc idem est, ac dicere absque violatione iuris proprietatis alterius, quasi esset magis notum ius proprietatis alterius, quàm istius. Quærimus enim in præsenti, quid sit ius proprietatis alterius, ac proinde quid sit iniuria, quæ non habetur, nisi fiat contra istud ius: atqui per istam expositionem hoc nullo modo declaratur: ergo est rejicienda. Quamobrem optimè ponderat Eminentissimus de Lugo in præsenti vulgarem circulum in expositione juris, justitiæ, injuriæ, & debiti ex justitia commutativa.

Quod sic ostenditur: nam rogatus, quid est 174.
justitia? dicis, esse virtutem tribuentem unicuique jus suum: rogatus deinde, quid est istud jus, dicis, esse idem, ac justum, seu debitum: instatur iterum: etiam obedientia debetur Legislatori, & tamen non est justitia. Explica ergo, quale esse debeat illud debitum, illud justum, illud jus, quod respicit justitia commutativa. Dicis, esse speciale quoddam debitum, cujus violatio est injusta, seu injuria, seu quod idem est, contra justitiam commutativam. En vitiosam collusionem terminorum: si autem dicas, speciale illud debitum esse debitum alicui ex jure activo proprietatis, bene dicis; sed desideramus istam explicationem juris activi proprietatis, ut exinde cognoscamus justitiã commutativam, & injustitiam, debitum ex illa justitia, & ipsum jus passivum, seu quid sit in aliquo rem esse suam suitate proprietatis, quod per datam expositionem nequaquam declaratur.

Tertia sententia, quam defendit Eminen- 175.
tissimus laudatus disp. 1. sect. 1. à num. 5. docet, jus istud proprietatis esse prælationem aliquam moralem, qua hic homo præfertur moraliter aliis in usu talis rei propter connexionẽ, quam res habet cum eo. Apponit exemplum in fera capta, quæ ratione capturæ peculiarem habet connexionem cum venatore, & venator habet prælationem ad alios quoad usum feræ, quam si venator postea donet, seu vendat, transfert in donatarium, vel emptorem titulô donationis, vel emptionis, & sic transfertur connexio illa moralis cum fera, & prælatio ad alios quoad usum feræ, & hoc est acquirere jus proprietatis in feram, & feram esse suam suitate proprietatis. Intelligit autem ipse Eminentissimus hìc nomine *usûs* rei utilitatem percepibilem ex illa re, in qua utilitate capienda Dominus proprietatis debet præferri aliis, & in hoc, inquit, differt hoc jus à dominio, seu jure jurisdictionis, quòd quamvis suam etiam importet prælationem juritdictio, non verò quoad usum, & utilitatem ex rebus sibi competentem; siquidem jus jurisdictionis respicit commodum, & utilitatem subditorum potiùs, quàm prælati: hanc expositionem rejicit Ripalda disp. 83. de Ente supernonum. 103. Esparza lib. 8. de virtute justitiæ quæst. 2. & mihi etiam displicet. Quare

Contrà 1. Nam inter varia jura dantur etiam alia aliis subordinata, ut est jus cujuscunque civis respectu juris Reipublicæ, vel Principis, & cujuscunque creaturæ respectu Dei: ergo in his prælatio in usu utili rei debet esse similiter ordinata, ac proinde conjuncta cum aliqua 176.

habitudine, & afferens jus justitiæ commutativæ in creatura contra Deum, & in civibus contra dominium altum Reipublicæ: sed hoc omnino est falsum: ergo & explicatio hujus Authoris Eminentissimi nulla est. Contrà 2. Datur prælatio in usu utili rerum conveniens quibusdam præ aliis ex sola urbanitate, gratitudine, pietate, aliisque similibus titulis, qui nullum important jus proprietatis. Dantur similiter connexiones rerum cum personis minores, & minores sufficientes ad fundandum jus proprietatis; omnes enim virtutes, quæ sunt ad alterum, respiciunt peculiarem aliquam connexionem rerum, quas exhibent cum persona, cui illas exhibent, ut patet in Religione, pietate, urbanitate, gratitudine, aliisque similibus, nec tamen sunt justitia commutativa, nec respiciunt jus proprietatis, ut constat à num. 11. imò qui habet purum usum facti sibi utilem, habet eam specialem connexionem cum re, quam assignat Adversarius, & tamen, ut infrà ipse fatetur, & videbimus à num. 312. non habet dominium: ergo dum non assignatur qualis, & quanta debeat esse prælatio, vel connexio relucens in objecto justitiæ commutativæ, ut constituat jus proprietatis, res manet omnino inexplicata.

177. Quarta sententia, quam tenent Molina, Ripalda, & alii, docet, jus proprietatis esse potestatem moralem disponendi de re pro libito, cui si contraveniatur sine legitima causa, fiat injuria. Contrà tamen, quia hæc explicatio incidit in circulum vitiosum, de quo diximus num. 175. dum jus explicat per injuriam, quæ fit, si violetur jus, & injuriam per violationem juris, in quo stat circulus vitiosus; quin potiùs si aliquis faciat contra facultatem, quam alter habet non quidem in favorem proprium, sed in favorem ejus, qui obligatur, vel in favorem comunitatis non facit injuriam, de qua agimus, sive quod idem est, non lædit ius proprietatis, sed solùm committit inobedientiam, & contravenit juri alterius sine legitima causa: ergo ut contraventio sit hæc iniuria, de qua agimus, scilicet lædens jus proprietatis, debet esse contra ius proprietatis; unde si ius proprietatis explicetur per contraventionem ex tali iniuria, explicatur per circulum vitiosum, & nihil per eam expositionem declaratur.

178. Assero cum pluribus Doctoribus, quos sequuntur Esparza quæst. 3. & Maurus quæstione 157. ius proprietatis est legitima potestas directè, & principaliter in bonum propriæ libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem alterius. Probatur 1. Jus proprietatis ex communi hominum sensu principaliter, & directè respicit bonum libertatis illius, qui habet tale ius; est enim attributum, ut bene habeat, atque ut eius usu sibi provideat cum prælatione respectu aliorum, & independenter ab aliorum voluntate saltem cæteris paribus. Sic qui est Dominus libri, habet legitimam potestatem, ut per suam voluntatem restringat libertatem aliorum in bonum ipsius libertatis, ita ut ipso nolente, quia pro libertate sua non vult, non possint alii licitè, & validè uti eo libro ex defectu iuris, & sic habeant moraliter restrictam suam libertatem, id est non habentem licitam, nec validam facultatem ad librum attendendò ad solum ius proprietatis excluſum quavis altera lege, aut præcepto, ad quem librum excluſa quavis altera lege, aut præcepto ex solo iure proprietatis habet Dominus licitam, & validam facultatem respicientem utique bonum libertatis ipsius.

Per hunc namque conceptum clarè apparet 179.
ius proprietatis distinctum ab omni alio iure. Nam ius iurisdictionis, licèt afferat etiam legitimam potestatem ad restringendam per voluntatem suam libertatem alterius, at non respicit directè, ac principaliter favorem, aut bonum restringentis, sed illius, cui libertas restringitur, vel saltem bonum communitatis; neque excogitabilis est ea facultas restringendi ita moraliter in favorem proprium, vel in bonum libertatis propriæ libertate alterius, nisi reverâ convertatur cum iure proprietatis: sed exinde apparet, per conceptum à nobis assignatum quàm optimè explicari ius proprietatis: ergo &c. Vide à num. 195. Confirmatur. Legitima potestas est illa, quæ, si non superveniat præceptum, aut lex prohibens, non solùm reddit actum validum, sed etiam licitum; si verò superveniat lex, aut præceptum prohibens, & non irritans, adhuc reddit actum validum, licèt non licitum; imò licèt superveniat lex irritans contractum, non tollens ius, adhuc manet reverâ ius, licèt ligatum ab illa lege, sive impeditum: atqui inassignabilis est legitima potestas à nobis tradita, & explicata, quæ non convertatur cum iure proprietatis: ergo &c.

Probatur 2. Illud est ius proprietatis, quod 180.
simpliciter & absque aliquo limitante facit rem suam propriam alicuius: atqui legitima potestas à nobis explicata est, quæ simpliciter sine addito limitante facit rem suam propriam alicuius: ergo est illa, quæ verè constituit jus proprietatis. Probatur min. Eo ipso, quòd Petrus possit per suam voluntatem restringere libertatem aliorum in favorem, aut bonum suæ libertatis, ne utantur librô, alii licitè non possunt eo uti sine voluntate Petri, & Petrus potest licitè uti pro sua voluntate. Sic Dominus agri habet potestatem prohibendi, ne alii transeant per agrum suum, ne ascendant ad suas arbores, ne decerpant fructus, quia Dominus proprietatis est, & sic sibi placet; unde licitè dicere potest, sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas: è converso, quia ius iurisdictionis est in favorem subditi, & communitatis, atque favorabile subdito, & communitati, Superior, ut Superior licitè dicere non potest: sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas, sed ut licitè præcipiat, necesse est, ut tendat præceptum in favorem subditi, aut communitatis; exinde ius jurisdictionis non respicit subditos tanquam bona proprietatis, & reverâ relatè ad illos distinguitur à iure

jure proprietatis. Quò respexit D. Thomas 1. p. q. 31. art. 1. ad 3. ubi loquendò de jure proprietatis ait, dicitur autem suum uniuscujusque, quod ad ipsum ordinatur; sicut servus est Domini, & non è converso: ergo explicatio nostra adæquatè tradit essentiam juris proprietatis.

181. Probatur 3. Obligatio, quæ respondet juri proprietatis, seu quam hoc refundit in reliquos distinctos ab eo, cui ineſt, non est solùm obligatio conscientiæ ad alterum, ita ut peccet ille, qui negat alteri bonum, vel irrogat malum, ad quod præstandum, vel irrogandum lege aliqua qualitercunque tenetur in conscientia; nam talia peccata committi possunt contra omnes virtutes, quæ sunt ad alterum, & non afferunt jus proprietatis, proindéque talia peccata non obligant ad restitutionem; aliter omnes peccantes contra obligationem quamlibet tenerentur ad compensationem omnium malorum ex peccato consequentium, & ad eam cogi possent à Judice; unde qui patereturea mala, posset uti occulta compensatione, quoties deficeret aliud remedium, ideóque qui peccâsset contra votum Deo factum, ex quo provenire poterat utilitas proximo, peccâsset contra jus proprietatis residentis in proximo, & teneretur ad restitutionem; ita ut si non esset alia via, posset proximus uti occulta compensatione, quæ sequela est absurda, & maximè perturbativa Reipublicæ, ut per se satis liquet.

182. Idcirco obligatio conscientiæ fundata in jure proprietatis ultra obligationem favorabilem alteri ad non ampliandam, aut ad restringendam propriam liberam potestatem disponendi de rebus ordinatam ad propriam felicitatem, quod est commune omni obligationi conscientiæ ad alterum inter homines, superaddit aliam obligationem non restringendi alienam ejusdem rationis liberam potestatem, quod est proprium, & peculiare prædicatum obligationis fundatæ in jure proprietatis convenientis alteri: sed hæc omnia tradit expositio juris proprietatis superiùs à nobis data, ut expendenti constabit, & patet ex ipsa declaratione, quam dedimus: ergo

183. est adæquata expositio juris proprietatis.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio: illa duo prædicata sunt, primum quidem libera, & legitima potestas disponendi de rebus directè, & principaliter ordinata in bonum libertatis illius, qui habet jus; alterum est impedibilitas illius potestatis gravans cæteros, qui non habent idem jus, ideóque qui operantur contra jus proprietatis, & contra obligationem fundatam in illo, duo scilicet facit, quæ non debet facere, unum est ampliare propriam facultatem ultra terminos sibi præscriptos; alterum est restringere alienam citra suos, ex quibus non nisi alterum perpetrat, qui operatur contra obligationes in conscientia ad alterum non fundatas in jure proprietatis; ille namque, qui vovit dare sua pauperibus, & non dat, vel peccat ex ingratitudine ex defectu charitatis, aut contra Religionem, sed non propterea restringit, sed solùm non ampliat terminos alienæ liberæ facultatis; siquidem antequam tradantur bona ex illis titulis debita, non desinunt esse propria ejus, cujus erant, nec fiunt propria eorum, quibus debebant dari, nec debebant dari ex ullo titulo justitiæ commutativæ, sed ex titulo Religionis, aut alio simili, proindéque eorum bonorum retentio nec transgreditur limites proprios retinendò ea bona, nec restringit alienos.

Quamobrem obligatio restringendi se, & dilatandi alium est diversa ab obligatione non dilatandi se, & non restringendi alium; siquidem contraventio hujus posterioris obligationis utpote deturbans alium à possessione, & bonis suis, est per se magis contristativa ipsius, cæteris paribus, quàm transgressio prioris obligationis, quæ neminem exspoliat bonis jam suis, vel quæ ex titulo justitiæ commutativæ deberent fieri sua, sed tamen conservat peccantem in præexistente possessione bonorum suorum: sed exinde patet, jus proprietatis esse legitimam potestatem suprà à nobis expositam: ergo &c. Ex his constat, jus proprietatis non solùm reperiri in creatura, sed etiam in Deo, cùm non solùm detur ea legitima potestas, quæ respicit bonum libertatis creaturæ, sed etiam quæ respicit bonum libertatis Dei; siquidem non solùm est bona creaturæ libertas creata, sed etiam est bona Deo libertas Divina; bona quidem essentialiter, si respiciat Divinam libertatem essentialiter sumptam, & bona denominativè, si si respiciat libertatem Divinam denominativè sumptam; verùm hæc omnia clariora fient ex solutione argumentorum. 184.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

OBjicies 1. Parvulis nondum habentibus usum rationis, nec libertatem, convenit verum jus in hæreditate Patris, qui jam decessit, ut constat ex Apostolo ad Roman. 8. *Si autem filij, & hæredes;* & ad Galatas 4o. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit Dominus omnium, sed sub Tutoribus, & Actoribus est;* quod idem contingit illis, qui incidunt in amentiam; non enim retinent libertatem, & tamen retinent omnia sua jura proprietatis: ergo non est de ratione juris proprietatis ea legitima potestas ad restringendum moraliter libertatem alterius. 185.

Resp. conc. antec. & nego consequentiam, quia ut aliquis habeat jus proprietatis, non requiritur, quòd actu habeat exercitium liberum voluntatis, ut patet in dormientibus, qui reverâ sunt Domini, retinentque omnia sua jura proprietatis, quin ullum exerceant tunc actum liberum voluntatis; quamobrem talis actus liber nequaquam requiritur ad actuale jus proprietatis, sed sufficit actualis legitima potestas, 186.

quæ

quæ convenit habenti jus proprietatis, qua per suam voluntatem possit restringere moraliter voluntatem alterius in favorem proprium, quotiescunque ipse expeditus sit ad volendum, ideóque in explicatione nostra non diximus, jus illud esse actum voluntatis, sed esse legitimam potestatem ad talem actum; idcirco cùm ebrii, & amentes eam potestatem legitimam retineant, reverâ retinent omnia sua jura proprietatis.

187. Objicies 2. Aliquid alteri favens, & tendens in bonum illius, potest ipsi deberi non quidem ex justitia, sed ex charitate, pietate, fidelitate, & gratitudine; atqui is, cui debetur, potest per voluntatem suam, qua exigit, quod debetur, restringere voluntatem alterius in favorem proprium, aut in bonum suæ libertatis: ergo ea legitima potestas ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem alterius in favorem suum, aut in bonum suæ libertatis convenit aliis, quæ non sunt jus proprietatis, proindéque ea explicatio juris proprietatis non est recta.

188. Resp. conc. mai. & nego min. Ratio est, quia ille, cui aliquid ipsi favens, debetur ex gratitudine, charitate, pietate, aut fidelitate, non habet ullam potestatem ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem alterius, adeóque nullum habet jus proprietatis, vel iurisdictionis adversus alterum; solùm enim potest exigendô id, quod illi debetur, ponere conditionem, qua posita obligetur alter lege fidelitatis, aut alia simili ad dandum, quod debet: ut enim ego debeam aliquid alteri, sufficit, ut à lege, vel à voto obliger ad illud dandum, quo in casu non pecco restringendô moraliter libertatem alterius in favorem proprium, quod requirebatur, ut committerem iniustitiam, & ut alter haberet ius proprietatis contra me, sed solùm pecco quatenus contra eam legem, & votum non restringo libertatem, & non adimpleo votum meum, quo ex Religione tenebar libertatem meam restringere; unde illæ virtutes enumeratæ non afferunt ius proprietatis.

189. Obiicies 3. Unusquisque potest uti rebus suis pro libito non minùs in utilitatem, ac subventionem aliorum, quàm in propriam: bona enim temporalia ad hoc potissimùm uniuscuiusque iuribus subduntur, ut unusquisque illis utatur in communem felicitatem, nec vitiô caret avaritiæ, immisericordiæ, aut alio simili, qui res suas omnes ad propriam utilitatem præcisè restringit: ergo non est de ratione iuris proprietatis dispensatio in propriam utilitatem, aut in bonum suæ libertatis, ac proinde non constituit ius proprietatis ea legitima potestas à nobis explicata. Resp. dist. ant. quoad secundam partem: bona temporalia ad hoc potissimùm subduntur iuribus uniuscuiusque, ut utatur illis in communem felicitatem directè, & principaliter, neg. indirectè, secundariò, & minùs principaliter, conc. antecedens, & neg. consequentiam.

190. Ratio est, quia nemo potest uti honestè rebus suis in utilitatem, & commodum aliorum, quin eo ipso sibi maximè consulat; siquidem opus honestum propter meritum est utile operanti, & propter suam bonitatem, & pulchritudinem manentem in memoria, quantùm est de se, per totam æternitatem est delectabile; unde per se plus prodet danti dedisse, quàm accipienti accepisse, iuxta illud Actorum 20. *Beatius est magis dare, quàm accipere;* idcirco quamvis bona proprietatis deservire possint ad utilitatem aliorum, si à Domino conferantur, nihilominus ius proprietatis principaliter, & directè ordinatur duntaxat ad felicitatem sui subiecti, licèt pro libito Domini secundariò, & minùs principaliter possit inservire aliis; qua de causa in iuris explicatione diximus, esse legitimam potestatem ad restringendam moraliter libertatem alterius, directè, & principaliter in bonum libertatis Domini, sive habentis ius.

191. Obiicies 4. Supremus Princeps licitè potest impedire iura subditorum, cùm possit præcipere, & cogere multis de causis, ut bona particularium cum singulorum iactura convertantur in utilitatem vel communem, vel aliorum privatorum: ergo ius proprietatis non habet ex essentia sua, ut sit legitima potestas ad restringendum per suam voluntatem libertatem alterius in favorem proprium, aut in bonum suæ libertatis. Resp. conc. ant. & nego conseq. hæc enim obiectio confundit duo, nempe legitimam potestatem cum usu talis legitimæ potestatis. Ratio est, quia si Princeps, aut Respublica solùm prohibet usum, & non transferr dominiũ, adhuc manet legitima facultas dominii, vel iuris proprietatis respiciens valorem actûs; si autem irritet contractum, aut translationem iuris, nec ius tollat, manet tunc ea legitima facultas, sicut manet in pueris, & dormientibus, ut ablata ea lege irritante possit exerceri absque collatione novi iuris, & dominii: si autem ex dominio alto ius tollat, tunc non manet ea legitima facultas eò præcisè, quòd ius proprietatis non maneat; ex quo patet, manere eam legitimam potestatem eo modo, quo manent dominium, & ius proprietatis, proindéque esse convertibilem cum iure proprietatis; quod item infertur ex eo, quod docent Jurisconsulti cum Bartholo, qui in *L. si quis §. differentia* num. 40. ff. *de acquirenda possessione* dominium purum temporalium definit ius disponendi perfectè de re corporali, nisi lege prohibeatur; quod perinde est, ac includere legitimam potestatem à nobis explicatam.

192. Obiicies 5. Jus iurisdictionis est utile habenti tum secundùm se, tum quoad multiplicem eius usum, nec est impedibile ab aliis intra proprios terminos, atque in se includit liberam facultatem præcipiendi, prohibendi, aliarúmque similium operationum: ergo iuxta explicationem nostram ius proprietatis nullo modo distingueretur à iure iurisdictionis, quod est omnino falsum. Resp. dist ant. quoad secundam

partem

partem, includit liberam facultatem præcipiendi, & prohibendi directè, & principaliter ordinatam in bonum libertatis suæ, sive in utilitatem illius, qui habet ius, nego, in bonum, & utilitatem subditorum, sive communitatis, conc. ant. & nego consequentiam. Itaque ius iurisdictionis considerari potest vel respectu Superioris habentis illud, vel respectu subditorum, ad quorum gubernationem ordinatur. Respectu Superioris est ius proprietatis, & sic est formaliter utile subiecto suo, & confert ad eius felicitatem, sive ad bonum libertatis illius; unde qui Superiorem iniustè deturbaret à suo munere, peccaret contra iustitiam commutativam, & teneretur ad restitutionem, ut suprà diximus. At respectu subditorum non est ius proprietatis, sed iurisdictionis, quia non ordinatur directè, & principaliter in bonum Superioris habentis ius, sed solùm subditorum, & communitatis; ex quo apparet magnum discrimen declaratum in explicatione nostra inter ius proprietatis, & ius iurisdictionis.

194. Obiicies 6. Deus habet ius proprietatis super omnes res creatas: atqui Deus nulla re creata uti potest in bonum libertatis ipsius, cùm nulla res creata possit Deo prodesse: ergo non est de ratione iuris proprietatis ea legitima facultas disponendi in bonum propriæ libertatis. Hoc argumentum etiam confundit bonum libertatis cum obiecto libertatis; libertas enim potest esse bona habenti, licèt obiectum libertatis non afferat illi bonitatem, ut suprà diximus; sic omnipotentia, quæ est virtus productiva omnium creaturarum, est Deo bona, licèt creaturæ, quæ sunt terminus omnipotentiæ, nullam Deo afferant bonitatem; sic etiam lumine naturæ constat, bonum esse Deo habere potestatem ad disponendum pro libito suo de rebus creatis, quæ titulò supremi dominii fundato in ipsa divina natura sunt Dei, licèt illæ nullam afferant Deo utilitatem, aut bonitatem. Quare ad argumentum

195. Respondeo omissis præmissis, nego conseq. quia nos non dicimus, quòd ius proprietatis quatenus à Deo, & creatura præscindit, sit legitima potestas disponendi de termino, qui afferat utilitatem, aut bonitatem Domino, sed quòd sit legitima potestas directè, & principaliter ordinata in bonum libertatis Domini, quæ certè Deo convenit; unde convenit ipsi jus proprietatis circa omnes creaturas, quamvis creaturæ nullam bonitatem, aut utilitatem Deo afferant, quin potiùs, si quis diceret, creaturas jam afferre Deo aliquam bonitatem, & utilitatem, seu gloriam extrinsecam, cujus est capax, licèt non afferant intrinsecam, cùm se solo sit simpliciter infinitè perfectus, satis erat ad jus proprietatis ex parte termini, cùm sufficiat utilitas præscindens ab intrinseca, & extrinseca. Hanc extrinsecam utilitatè possunt afferre Deo creaturæ, juxta illud Pauli 2. ad Timoth. 2. *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum*; quo in sensu falsa est minor propositio, quam permisimus. An autem creatura possit habere jus proprietatis contra Deum non quidem relatè ad jus essentiale fundatum in natura Divina, sed relatè ad jus liberum ex contractu, quæstio est infrà à nobis decidenda, quando agemus de subjecto dominii.

196. Objicies 7. Si unus duntaxat homo existeret in mundo, & nulla esset alia creatura rationalis, talis homo haberet jus activum proprietatis ad utendum membris, & rebus suis: atqui non posset per suam voluntatem moraliter restringere voluntatem alterius: ergo non est de essentia juris proprietatis ea potestas à nobis explicata. Hoc argumentum iterum confundit legitimam potestatem cum usu legitimæ potestatis. Quare Resp. conc. maj. & dist. min. non posset pro casu, quo alter existeret, & esset capax talis restrictionis, nego, pro casu, quo non existeret alter, & non esset capax, conc. min. & nego consequentiam. Ratio est, quia ad jus proprietatis solùm spectat, quòd sit legitima potestas suprà à nobis explicata, licèt ex aliquo accidente non possit de facto in actum prodire; hoc autem jam haberet istud jus, licèt unus duntaxat homo existeret in mundo, cùm in se haberet eam potestatem ad restringendam moraliter libertatem alterius, si poneretur alter capax restrictionis; quin potiùs omnes Metaphysicæ definitiones ita intelliguntur, & explicantur; non enim respiciunt actum accidentalem, sed potentialem sibi omnino convenientem. Idcirco, cùm dicimus, homo est animal rationale, non dicimus, quòd actu sentiat, & actu discurrat, sed quòd quantùm est ex se virtus ad sentiendū, & discurrendum; aliter Petrus in sensu composito infantiæ, dementiæ, vel somni non esset homo, quod dicere ridiculum esset. Pariter cùm dicimus in casu nostro, quòd si unus solus homo in mundo existeret, non restringeret moraliter libertatem alterius, non dicimus, quòd non haberet potestatem, quam revera haberet ratione juris proprietatis, ut si aliquis existeret, posset illius libertatem restringere, quod satis est ad intelligendam essentiam Metaphysicam juris proprietatis à nobis explicatam non quidem per usum legitimæ potestatis, sed per legitimam potestatem, quæ illi homini tunc inesset.

197. Obiicies 8. Talis potestas adhuc, ut à nobis explicata, non sufficit ad constituendum Metaphysicè ius proprietatis: ergo per illam nondum explicamus rectè ius proprietatis. Probatur antec. Si quis voverit votò simplici, se obedicturum Confessario, Confessarius habebit potestatem per suam voluntatem obligandi, ac moraliter restringendi libertatem illius: atqui non habebit adversùs illum ius ullum activum proprietatis: ergo &c. Resp. neg. ant. ad probat. neg. mai. quia Confessarius in eo casu non haberet potestatem per suam voluntatem restringendi moraliter libertatem alterius, qui voverit se obtemperaturum, sed solùm haberet potestatem ponendi conditionem, sub qua ille,

qui vovit, votò se adstrinxit ad moraliter restringendam suam voluntatem; ad jus autem proprietatis non sufficit potestas ponendi conditionem, sub qua alter restringat suam libertatem, sed requiritur, ut sit potestas per suam voluntatem restringendi moraliter libertatem alterius. Quamobrem si Confessarius præciperet in eo casu, ut ille, qui vovit, daret centum Petro, & ille nollet illa centum dare, non peccaret contra justitiam commutativam, nec tenetur ad restitutionem, quia non restrinxit libertatem aliorum, quod requirebatur ad hoc peccatum contra jus proprietatis, sive justitiam commutativam, sed tantùm non restrinxit suam contra votum, quod non sufficit ad injustitiam commutativam, ut diximus à num. 138.

SECTIO III.

A qua forma proveniat jus proprietatis in Creatura?

198. NOn est quæstio de jure alto proprietatis, quod habet Deus in omnes creaturas sive ad producendas, sive destruendas, vel ad exigenda quæcunque opera creaturarum titulò proprietatis; nam illud jus Dei, cùm sit illi essentiale, absque ulla controversia consistit in natura, & essentia Divina, in qua etiam consistit altum dominium Dei super omnia creata. Ratio est, quia jus, & dominium illud Divinum est perfectio simpliciter simplex necessariò conveniens Deo; siquidem Deus, cùm sit Ens primum, à quo omnia alia entia essentialiter pendent tum in fieri, tum in conservari, est essentialiter Dominus omnium aliarum rerum jure, & dominio inabdicabili; ita ut ipsa essentia Divina sit jus Dei in creaturas, casu, quo Deus illas producat, & jus, ut possit eas producere, si velit, vel ut possit, si velit illas jam productas destruere; unde sicut Deus non potest à se abdicare essentiam Divinam, ita non potest à se abdicare illud jus proprietatis, quod proinde non dicitur prædicamentale, sed transcendentale. Procedit itaque controversia de jure proprietatis, quod creaturæ convenit; nam hoc non convenit creaturæ essentialiter, sed accidentaliter, atque à Deo illi concedirur, juxta illud Pauli ad Rom. 13. *Non enim est potestas, nisi à Deo*; an autem in Deo reperiri possit aliud jus proprietatis fundatum in pacto, quo rationalem creaturã sibi habeat mutuò obligatam ex justitia cõmutativa, est quæstio resolvenda, cùm de subjecto dominii agemus, ut præmonui num. 195.

199. Quapropter jus, & dominium creatum proprietatis, tum jurisdictionis distinguitur realiter ab ipsis creaturis, quæ jus habent. Ratio est, quia eo ipso, quòd jus proprietatis, aut jurisdictionis creaturæ conveniens sit ipsi accidentale, potest ipsa existere sine eo jure, proindéque est à jure separabilis; cúmque substantia distinguatur realiter ab eo, quod ipsi accidentaliter advenit, & à quo ipsa est separabilis, juxta illud: *quæ realiter separantur, realiter distinguuntur*; exinde jus proprietatis, aut jurisdictionis, quod habet creatura in alias creaturas, distinguitur realiter à creatura, quæ habet jus. Quare Petrus, qui modò est Dominus agri, qui est Pater Francisci, qui est Rex, aut Pontifex, potuit esse sine tali munere; unde accidentaliter advenit ipsi jus Patris in filium, & jus proprietatis in alia bona. Quin potiùs jus naturale jurisdictionis, aut proprietatis creaturæ conveniens super alias creaturas, quale est in ordine ad aliqua jus Patris in filium, & alia similia, non est fundatum in essentiali exigentia naturæ, sine dependentia saltem à lege libera Dei, & quandoque à propria libertate, & lege etiam humana, ideóque solùm dicitur jus naturale, quatenus ex aliquali inclinatione naturæ concessũ est ab Authore naturæ in his circumstantiis, in quibus tolli potuit, & non concedi de potentia absoluta Dei. Conceditur tamen subjectum semper voluntati Divinæ, & quandoque voluntati propriæ, & voluntati Superiorum. Sic concessit Deus nobis jus ad movendas manus, & pedes, prohibuitque, ne alii nos impedirent; sic concessit jus in propriam libertatem, ita, ut possimus illi cedere, ex dictis n. 120. ut quando aliquis se vendit in mancipium. Ex his autem oritur difficultas ad assignandam formam, à qua proveniat in creatura jus proprietatis.

200. Esparza, quem plures Recentiores sequuntur quæst. docet, jus compleri essentialiter per actum realem voluntatis, quo homo acceptat beneficium legis præferentis illum aliis, vel per actum intellectûs, & realem, quo cognoscit se pro libito posse uti tali re; per hoc enim constituitur proximè liber ad utendum re sua; dominium autem completè sumptum est proxima potestas libera. Cæterùm, ut verum fatear, sicut negare non possum, per hos actus compleri dominium actuale ut proximè liberè exercendum; sic in genere judico, per id non satisfieri præsenti difficultati. Difficultas siquidem non stat in assignanda proximitate libertatis ad agendum, sed in explicando jure habituali, vel quasi habituali, quod etiam dormiens, amens, vel parvulus, qui physica carent libertate proxima, reverà habent in res suas, & sunt veri Domini. Quærimus ergo de hoc jure, in quo consistat.

201. Prima sententia docet, jus, sive dominium istud esse prælationem rationis fictam; nam est quid permanens in homine; nihil autem physicum permanet in homine, in quo hoc jus stare posset, cùm jam transiêrint actus voluntatis, & intellectûs, per quos fieri solet translatio juris in contractibus: dicere autem, quòd transactis illis actibus maneat in homine quædam realis qualitas physica, in qua consistat jus, ut dixit Nonnemo apud Raynaudum lib. 3. de virtutibus num. 21. videtur aliquibus non solùm falsum, sed etiam ridiculum; quis enim credat quando Petrus in Europa moritur, & filius

apud

apud Indos existens acquirit jus in hæreditatem, quòd statim filio imprimat realem quamdam intrinsecam qualitatem physicam, à quo produceretur ista qualitas? restat ergo, ut dicatur, consistere jus istud in aliquo ente rationis ficto. Cæterùm hæc sententia, dum negat formam realem, & assignat tantùm ens rationis fictum, inintelligibilis est. Quare contra illam sic arguo primò, quia nullo fingente intellectu sunt alii præ aliis Domini rerum, habentque reale dominium, & non fictum: ergo jus est quid reale, & non purè rationis. Secundò, quia neque fictio durat semper, quamvis aliquando duret: atqui dominium, & jus est permanens, & durans: ergo vel non consistit in fictione, vel si hoc non obstante in ea consistit, poterit etiam consistere in aliis entitatibus realibus, non obstante, quòd non remaneant physicè.

202. Secunda sententia, cujus meminêre Ripalda, & Raynaudns, docet, jus consistere in ente quodam actuali, quod absolutè nec est ens rationis, nec reale, sed est ens tertium, sive medium, quod vocant ens morale. Contrà tamen 1. Per sola entia physica intelliguntur bene denominationes istæ morales: ergo inane quid est ad moralitates explicandas confingere entitatulas morales, quæ neque sint ens reale, neque ens rationis. Probatur ant. Nam quid morale est homini, qui heri promisi hanc rem hodie facere, obligari hodie ad præstandum promissum: sed id, quod formaliter obligat, est juxta Adversarios externa acceptata promissio non legitimè retractata, nec ab aliquo relaxata, aut non acceptata, quæ proinde dicitur hodie moraliter perseverans in effectu suo, & obligatione ad rem promissam; idemque est de omnibus aliis moralibus denominationibus, ut expendenti constabit: ergo denominationes istæ non aliter explicari possunt, nisi per formam realem, & physicam obligantem acceptatam, vel aceptibilem, & non legitimè retractatam, aut non relaxatam.

203. Contrà 2. Obligatio, & denominatio moralis superveniens, quæ non fundetur in aliquo prædicato reali, est prorsus chymerica, & inintelligibilis, ut constabit inductione per singulas denominationes morales; sic quid morale ex mendacio externo hominem esse hodie peccatorem, quin possit dici, hanc denominationem esse fictam, & chymericam; provenit enim ab ipso mendacio externo, quod quia legitimè retractatum non est, neque remissum, aut condonatum, moraliter perseverat, proindéque formaliter denominat hominem peccatorem: ergo ad has moralitates explicandas non sunt fingendæ illæ entitatulæ mediæ inter ens reale, & rationis. Contrà 3. Eo ipso, quòd homo heri peccaverit, illiusque peccatum non sit hodie remissum, præscindendò à quacunque entitatula media inter ens reale, & rationis, homo est hodie formaliter peccator, & habet revera denominationem moralem peccatoris, & peccatum externum hodie moraliter perseverat: ergo denominationes istæ morales non habentur per entitatulam aliquam mediam, inter ens reale, & rationis. Fateor tamen, ingenuè illos, qui entia negativa admittunt distincta à positivis, latam aperire viam his inintelligibilibus entitatulis mediis inter ens reale, & rationis.

Tertia sententia ait, jus consistere in denominatione extrinseca morali reali proveniente ab aliquibus actibus physicis, per quos acquiritur jus, qui quamvis physicè præteriêrint, moraliter tamen perseverant, dum jus, sive dominium dicitur perseverare apud aliquem. Si autem quæras, quinam sint illi actus, respondent, esse varios pro varietate modorum acquirendi jus, & exemplum apponunt in contractu, quo Petrus transfert jus in Paulum: dicunt itaque, actus illos contrahentium moraliter perseverantes constituere jus Pauli deinceps circa talẽ rem. Si verò ulteriùs quæras, in quo ſter moralis illa perseverantia, hoc opus, hic labor est. Nonnulli Recentiores duas assignant carentiarum entitatulas, quæ, ut ajunt, sunt ens reale distinctum ab omni positivo; sunt, ajunt carentia actuum, qui præcesserunt, & carentia retractationis ipsorum, per quas carentias censent perseverate moraliter actus, qui physicè præcesserunt. Si objicias, jus est effectus acquisitus per illos actus contrahentium: ergo non consistit in illis actibus etiam moraliter perseverantibus. Respondent, jus esse effectum moralem illorum actuum, quatenus illi induunt prædictas carentias, per quas ipsi moralirer perseverant. Plura displicent in explicatione hujus sententiæ. Quapropter 204.

Contrà 1. Quia imperceptibiles sunt carentiæ, quæ sint aliquid reale, & entitatulæ distinctæ realiter ab omni ente positivo; imò & sunt omnino repugnantes, ut suppono ex Philosophia. Rursus loquendò de carentia actuum contrahentium, quomodo hæc induci poteſt ab ipsis actibus, si est improducibilis, & distincta ab omni ente reali passivo; si enim est inducibilis verè, & non chymericè, jam augebit numerum rerum, & entium positivorum, cùm habeat prædicata transcendentalia, & connexionem cum causa inducente, loquendò autem de carentia retractationis est eadem difficultas, quia etiam haberet connexionem cum causa inducente, proindéque augeret numerum rerum, & esset ens positivum. Insuper ista carentia non oritur à contractu præterito; siquidem præcedebat multò ante contractum. Demum per multos contractus, ut patet in matrimonio, acquiritur jus, & dominium perseverans moraliter, quantumvis contrahentes retractent voluntates, quibus contraxerant: ergo jus, sive dominium inde resultans non requirit carentiam retractationis ad moralem sui perseverantiam: ergo falsò, & absurdè dicitur, perseverantiam illam moralem stare formaliter in prædictis carentiis, & eas oriri ex actibus præteritis. 205.

Contrà 2. In primo instanti, in quo dantur illi 206.

illi actus contrahentium, jam datur jus in Petro, atqui non dantur illæ duæ carentiæ, cùm stare nequeant in eodem instanti carentiæ actuum cum ipsis actibus: ergo jus non consistit formaliter in actibus moraliter perseverantibus per illas duas carentias: quòd si sermo sit de jure non actuali, sed perseverante quasi habitualiter, neque jus istud potest stare formaliter in carentiis, quibus deficientibus jus non deficit: atqui deficientibus illis carentiis jus non deficit, ut pater in contractu matrimonii, qui non deficit, licèt deficiant illæ carentiæ per retractationem contrahentium. Unde aliud est assignandum constitutivum hujus moralis perseverantiæ. Vide, quæ de his latiùs dixi à num. 196. de actibus humanis.

207. Quarta sententia docet, jus constituere formaliter in recto rationis dictamine adjudicante alicui titulo præsuppositò certos usus licitos rerum diversos quidem pro diversitate jurium, quæ oriri solent à diversis titulis. Sic Deo titulò supremæ suæ excellentiæ creatoris omnipotentis, sive titulò Dei competit pro libito suo usus cuilibet rei creatæ. Dictamen ergo rectæ rationis comparans, & adjudicans ejusmodi titulò talem usum dicitur esse formaliter jus, sive dominium Dei in res creatas; similiter etiam in creaturis titulò emptionis, & pretii, & pariter venatori titulò captionis feræ adjudicantur pro libito suo tales, vel tales usus circa rem emptam, vel captam, sive alio modo à se habitam: dictamen ergo rectæ rationis adjudicans tales usus alicui homini ratione prædicati, vel alterius similis tituli est jus, sive dominium. Quòd si objicias, prædictum, dictamen, cùm sit actus intellectûs transiens, non semper durare, quamdiu durat habitualiter in aliquo jus, seu dominium. Respondent aliqui Recentiores Patroni hujus sententiæ, semper durare dictamen primæ regulæ æternæ in mente Divina, quod satis est. Cæterùm si hæc sententia non assumat principia nostra, quæ dabimus num. 208. & unicè persistat in iis, quæ Authores sui tradunt, falsa omnino est; ideòque persistendò in eorum explicatione

208. Contra sententiam sic explicatam arguo primò: prædictum dictamen judicat post actus illos contrahentium pertinere ad Petrum usum rei. Modò sic, & rogo, quomodo judicat pertinere? dices tanquam ad Dominum habentem jus in tali re; alius namque modus pertinendi impertinens esset ad intentum. Modò sic: ergo prædictum dictamen judicat, usum rei pertinere ad Petrum ut Dominum, & ut habentem jus in illa re, proindéque supponit, & non constituit jus, sive dominium Petri circa talem rem. Contrà 2. Judicare, tales usus rei pertinere ad Petrum post talem contractum, est judicare, licere illi post talem contractum tales usus, quales aliis forent illiciti pro libito ipsius Petri: ergo dictamen sic judicans supponit in Petro præ aliis potestatem licitè utendi tali re, & restringendi moraliter libertatem aliorum in favorem suum; atqui ea potestas est formaliter jus proprietatis Petri, ut constat à num. 179. ergo jus proprietatis est quid præsuppositum ad illud judicium, seu dictamen, ac proinde non stat formaliter in illo. Vide à num. 215.

SECTIO IV.

Exponitur Sententia nostra.

Assero cum pluribus Recentioribus, quos partim sequitur Maurus quæst. 173. jus proprietatis conveniens creaturæ stat formaliter in lege, seu quasi lege favente uni, gravante reliquos, quatenus uni confert directè, & præcipuè in bonum libertatis ipsius potestatem legitimam ad restringendum moraliter per suam voluntatem aliorum. Dicitur *in lege*, quatenus lex extenditur ad naturalem, & positivam, & humanam. Dicitur *seu quasi lege*, nam dantur aliqui contractus, qui sunt eminenter lex, & præstant quoad hoc eosdem effectus, quos lex præstaret, tum etiam sunt aliqui actus supremi Domini æquivalentes legi. Sic casu, quo Deus produxisset unum solùm hominem, eique dedisset dominium, ea voluntas dandi dominium non esset strictè lex, sed quasi lex, id est virtualiter, & eminenter lex. Ratio est, quia lex strictè sumpta respicit communitatẽ, quam certè illa divina voluntas non respiceret; in hoc sensu præceptum, & pactum stabile, & validum vocatur ab aliquibus eminenter, & virtualiter lex. Conclusio igitur explicata 209.

Probatur primò. Nulli creaturæ competit jus proprietatis in alias creaturas ex natura sua præcisè, sed accedente extrinseco beneplacito, seu lege positiva, vel ordinatione Divina, ut diximus num. 199. quin imò quamvis homini capienti feram, enenti equum, aut facienti aliquod artefactum competat jus in hujusmodi res titulò captionis, emptionis, seu effectionis, non tamen independenter à lege: posset enim Legislator, saltem supremus, nempe Deus ut supremus Dominus, à quo omnis potestas descendit, ut summæ naturæ constat, & habetur ad Rom. 13. *Non enim est potestas, nisi à Deo*, prædictos titulos privare effectu acquirendi juris, & è contra sectusis illis titulis potest Deus conferre jus, ita ut præcisè posita lege illa jus habeatur, ablatâ verò præcisè illâ jus desit; sed exinde patet, jus proprietatis stare in ejusmodi lege, seu quasi lege: ergo &c. Videatur Esparza quæst. 25. art. 9. Confirmatur ex Philospoho, qui jus proprietatis non nisi ad legem reducit; sic enim habet 5. Ethicorum cap. 4. *Justum autem, quod est in commerciis, est quidem æquum quoddam, & injustum iniquum; sed non illa comparatione rationum, sed arithmetica; nihil enim refert, si probus pravo detraxerit, an pravus probo; neque si adulterium probus, an pravus commiserit, sed ad differentiam nocumenti lex respicit tantùm*: sed exinde constat, 210.

jus

jus proprietatis ſtare in lege, ſeu quaſi lege à nobis explicata: ergo &c.

211. Probatur 2. Ut ex ipſa experientia conſtat, adhuc ab ipſis legibus humanis nunc immutantibus, nunc approbantibus multos contractuum modos provenit, ut iidem actus contrahentium fundent jus accedente beneficio legis, & recedente non fundent; quod etiam patet in ipſa lege Divina, quæ in prima rerum conditione dedit homini jus in inferiores creaturas, & poſtea dedit Iſraëlitis jus in terram Canaam: ergo jus proprietatis habetur à lege Divina, ſive humana favente uni, & gravante alios quoad uſus licitos; ita ut illi, quem Dominum conſtituit, conferat legitimam poteſtatem explicatam à num. 179. in qua, ut diximus, conſiſtit jus proprietatis: ſed exinde patet, jus proprietatis conſtitui ab ejusmodi lege: ergo &c. Confirmatur. Eo ipſo, quòd detur lex conferens alicui eam legitimam poteſtatem, licèt cætera omnia deſint, datur in illo jus proprietatis; ſi autem nulla ſit lex, quæ prohibeat, ut alterius libertatem primariò in bonum libertatis noſtræ reſtringamus per legitimam illam poteſtatem, eo ipſo in altero, quoad effectum iſtum nullum datur jus proprietatis contra nos: atqui illud dici debet formale conſtiturivum juris proprietatis, quo poſito jus formale ponitur, & quo ablato jus formaliter deficit: ergo &c. Vide à num. 223.

212. Probatur 3. Nullum eſt excogitabile jus proprietatis in creatura, quod non poſſit à Deo non modò ligari, verùm etiam tolli per ſuam voluntatem; cùm enim omnes creaturæ, quia creaturæ ſint eſſentialiter ſub dominio proprietatis Dei, ſolùm poſſunt habere jus proprietatis, quale ultra beneficium productionis à Deo illis liberè conceditur, vel per ipſum, vel per alios mediante poteſtate à Deo conceſſa; unde nulla inclinatio creaturæ rationalis, quantumvis naturalis ſit, participat rationem juris proprietatis, niſi dependenter ab ejusmodi libera conceſſione vel à Deo per ſe ipſum facta, vel facta à creaturis ex libera facultate à Deo conceſſa: ſed in eo ſtat, quòd jus proprietatis creaturæ conveniens conſiſtat in lege, ſeu quaſi lege à nobis explicata: ergo &c. Confirmatur. Diverſiſſimè convenit naturæ rationali jus proprietatis, ac conveniat rationalitas; hæc enim convenit naturæ rationali eſſentialiter, ideóque non eſt beneficium diſtinctum à beneficio creationis; at jus proprietatis convenit illi accidentaliter, ut conſtat ex num 199. ideóque eſt beneficium diſtinctum à beneficio creationis non minùs, quàm conſervatio ſit beneficium diſtinctum à beneficio creationis: ſed hoc perinde eſt, ac dicere jus proprietatis haberi in creatura per legem, ſeu quaſi legem à nobis explicatam: ergo &c.

213. Quapropter jus proprietatis ad ea, quæ ſunt juxta aliqualem naturæ inclinationem, ut bene notat Maurus quæſt. 173. habetur ab hac, vel ſimili conceſſione Dei, vel aliorum, qui ad hoc habent poteſtatem à Deo, do tibi facultatem, ut moveas manus, & pedes in tuam utilitatem, & ut in tuam utilitatem aliis prohibeas, ne alii te impediant in motu manuum, aut pedum, ne te interficiant, ne amputent manus, aut pedes &c. Pariter jusjurisdictionis Patris in filium, quod videtur eſſe juxta aliqualem inclinationem naturæ, ſtat in actu, quo Deus v.g. Patribus dicit: *Præcipite filiis in eorum utilitatem*: & ſimiliter filiis, *obedite parentibus præcipientibus in veſtram utilitatem*; jus verò proprietatis, aut jurisdictionis in alia, quæ non ſunt juxta naturæ inclinationem, faciliùs apparet, non poſſe, niſi à lege provenire; ſic reſpectu Pontificis, Regum, & ſubditorum clarè apparet, poteſtatem, ſeu jurisdictionem provenire à lege, ſeu quaſi lege, cùm ille, qui eſt Pontifex, potuiſſet non eſſe Pontifex, ille, qui eſt Rex, potuiſſet non eſſe Rex, & ille, qui eſt ſubditus, potuiſſet non eſſe ſubditus; quin imò poteſt homo & Regnum, & Pontificatum deponere: ex dictis

214. Fit 1. Jus proprietatis dividi in jus ad rem, & jus in re, ut diximus à num. 1. de qua diviſione latè agit Molina tract. 2. diſp. 2. jus in re dici ſolet reale, quia potiùs reſpicit, & devincit ſibi res, quàm determinatas perſonas; eſt enim facultas rem aliquam ſibi vindicandi ut propriè ſuam, à quocunque, & ubicunque detineatur. Jus ad rem dici ſolet perſonale, quia potiùs reſpicit, ac devincit ſibi determinatas perſonas, quàm rem ipſam, ut rem ex jure conferant; eſt enim facultas rem aliquam ſibi vindicandi, & exigendi ab aliqua perſona, etiamſi ab aliquo detineatur; exemplum ſatis perſpicuum dedimus ſuprà in emptore; emiſti equum à Petro numeratâ pecuniâ, & ille nondum tradidit equum, quo in caſu habes titulum, ſcilicet emptionem, ſed non habes traditionem equi: habes ergo reſpectu equi jus ad rem, quippe ſi equus ad alium ſive furtò, ſive donatione, ſive aliter perveniat, non potes ab alio exigere, ſed ſolùm à Petro venditore, contra quem habes actionẽ titulô initi contractûs: at poſtquam equus eſt tibi traditus, habes jus in re circa equum, quippe potes ipſum exigere, à quocunque detineatur, non verò à Petro venditore, niſi ipſe poſt traditionem ſibi equum reaſſumpſerit.

215. Quapropter regulariter loquendô ad acquirendum jus in re requiruntur duo, ſcilicet titulus, & traditio, ſeu poſſeſſio. Titulus eſt quoad nos radix, & origo juris, nempe terminus, quo poſito lex confert jus. Talis eſt donatio, venditio, ſucceſſio hæreditaria, electio in beneficium, & alia ejusmodi, ex quibus præcisè non comparatur dominium, & jus in re, ſed apponitur titulus, ut adveniente traditione dominium, & jus in re comparetur, prædictus titulus vel eſt verus, ut cùm adeſt vera venditio, Canonica electio, legitima ſucceſſio, aut alius ſimilis, vel eſt præſumptus. Quando reverà non adeſt, ſed ſimulatur aliquis ex his, qui ſufficiunt

unt ad transferendum dominium, dicique solet titulus coloratus, & tunc non adest radix dominii, nisi cùm bona fides intercedit. Dixi *regulariter loquendò*, tum quia si loquamur de rebus, quæ sub alterius dominio non erant, ipsa possessio, seu illarum acceptatio est titulus, quo primò occupans comparat jus in re; tum quia loquendò de rebus, quæ perseverant sub aliquo dominio, excipiuntur aliqui casus, in quibus ex dispositione legum acquiritur jus in re, sive dominium per titulum, quamvis traditio non intercedat. Primò in beneficiis posita præcisè collatione, & acceptatione. Secundò in hæreditate, eo ipso, quòd hæreditatem adeas, sive acceptes. Tertiò in legatis, in quibus mortuo Testatore acquirit legatarius etiam inscius jus in re contra hæredem. Quartò in his, quæ donantur, & legantur causis piis, de quibus, aliisque casibus dicemus à num. 250.

216. Hoc jus in re indispensabiliter requiritur ad dominium, ut constabit à num. 235. Quare oportet aliquas dominii species breviter explicare. Dominium aliud dicitur plenum, & perfectum, de quo latè agemus à num. 144. aliud verò imperfectum, & hoc est multiplex, scilicet ususfructus, usus, habitatio, emphiteusis, feudum, libellus, superficies, servitus, possessio, de quibus latè agunt Jurisconsulti. Nos autem hìc breviter trademus, quæ utilia sint ad nostrũ institutum. Ususfructus igitur est jus utendi, & fruendi re aliena salvâ ipsius substantiâ, proindéque usufructuarius percipit, utitur, & fruitur fructibus rei alienæ. Hinc est, quòd ususfructus non constituitur propriè in rebus, quæ usu consumuntur, sed impropriè, & ex benignitate legum præstita cautione, & obligatione reddendi æstimationem illarum rerum finito tempore usûsfructûs legalis, vel conventionalis. Legalis est, qui lege ipsa constituitur, ut habet Pater in peculio adventitio filii existentis sub patria potestate; conventionalis est, qui constituitur ex privata dispositione, ut per donationem, stipulationem, pactionem, & quid simile.

217. Usus est jus utendi re aliena salvâ ipsius substantiâ, & vocatur usus juris, seu juridicus contrapositè ad usum facti, qui absque ullo jure reperiri sæpè solet tum in usu licito, ut quando quis habet usum liberè ab aliquo revocabilem, de quo agemus à num. 324. tum in usu illicito, ut quando quis equitat injustè in equo alieno, & comedit, vel induit furtiva; conveniunt usus juris, & ususfructus in eo, quòd uterque debet salvâ servare Domino proprietario substantiam rei. Differunt in eo, quòd usuarius habet rem ad usum proprium (in quo differt à depositario, qui si utatur depositô, tenetur ad æstimationem usûs) quin illam rem possit alteri tertio locare, vel concedere, neque re frui. At usufructuarius re fruitur quoad omnes istos effectus, quod Instit. de usu, & habitat. §. *iisdem istis modis*, ita explicatur; Minus autem est juris in usu, quàm in usufructu; nam is, qui fundi nudum habet usum, nihil ulteriùs habere intelligitur, quàm ut oleribus, pomis, floribus, fœnô, stramentis, lignis ad usum quotidianum utatur, in eodem quoque fundo hactenus licet ei morari, ut neque Domino fundi molestus sit, neque his, per quos opera rustica fiunt, impedimento sit, neque ulli alii jus, quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest, cùm is, qui usumfructum habet, possit hæc omnia facere.

Ex quo patet, usum juris, & usumfructum, 218.
prout à jure traduntur, & definiuntur, non esse usum, & usumfructum in actu secundo, hoc est, ipsum actum utendi, & fruendi, qui usus in actu secundo vocatur usus, vel ususfructus facti, sed usum, & usumfructum in actu primo, hoc est, jus utendi, & fruendi re aliena salvâ ejus substantiâ, qui quidem usus vocatur usus, & usûsfructus juris. Præterea non definitur jus utendi, & fruendi re propria, quòd jus, quia causatur à dominio directo habentis tale jus, vocatur jus, & ususfructus causalis: sed definitur usus, & ususfructus purè formalis, hoc est, jus utendi, & fruendi re aliena, quod jus non causatur à dominio directo habentis tale jus. Habitatio est quid medium inter usum, & usumfructum; est enim jus utendi domô, quod dum conceditur, intelligitur non solùm ad habitandum in illa personaliter, sed etiam ad locandũ, nec propterea servat omnino leges usufructûs; nam prædictum jus habitationis solùm finitur morte illius, cui concessum est. Ususfructus verò multis aliis modis cessat, ut infrà videbimus.

Emphiteusis est jus circa rem alienam immo- 219.
bilem fruendam in perpetuum, vel saltem decennium sub obligatione pensionis reddendæ Domino proprietario. Convenit cum usu, & usufructu in eo, quòd sit jus in rem alienam, quod vocatur dominium utile, seu indirectum supponens in alio dominium directum proprietatis. Differt ab usufructu communiter sumpto; quia hic est etiam circa mobilia, & finitur morte usufructuarii, & nequit in alterum transferri. Emphiteusis verò est solùm circa immobilia, non finitur morte Emphiteutæ, & potest in alterum transferri. Feudum est jus fruendi re aliena immobili, vel quæ pro immobili habetur cum onere fidelitatis, & obsequii personalis exhibendi. Differt ab emphiteusi, quia feudum purum non exigit à feudatario pensionem realé, sed obsequium personale, pro quo tamen sæpe imponitur realis pensio, & tunc quamvis per leges feudorum reguletur, parum differt ab emphiteusi, ut notat Molina tract. 2. disp. 10. Libellus est quasi emphiteusis, seu feudum subalternum, ideóque Doctores passim feudum, & emphiteusim appellant libellum; est igitur jus à feudatario, vel emphiteuta translatum in alium pro pensione sibi solvenda.

Superficies dicitur jus ædificandi, vel plan- 220.
tandi in alieno solo; itaque cùm ex contractu, ex quo oritur illud jus, non concedatur absolutè so-

tè ſolùm ſuperficiei, ſed tantùm ſuperficies, domò, vel vineâ deſtructâ finitur jus, neque poteris ibidem iterum ædificare, niſi denuo contrahas: finito contractu domûs, vel vineæ talis ſolo affixæ pertinent ad Dominum ſoli, non ad ſuperficiarium, cui tamen debent ſolvi illa melioramenta. Durante autem contractu poteſt ſuperficiarius locare alteri domum, vel vineam inconſultò Dominò propriò ſoli, ſi absque penſione ſolvenda fuiſſet conceſſa ſuperficies; ſi verò cum penſione, requiritur conſenſus proprietarii, quia tunc ſuperficiarius cenſetur verus emphiteuta. Servitus, prout in præſenti uſurpatur, eſt jus, quo aliquis adſtringit ſibi, ſuisque rebus ſervire rem alienam. Unde non dicitur ſervitus uſusfructus, quem Dominus percipit ex ſua re, aut mancipio ſuo; nam res propriæ non dicuntur Domino proprietario obligari, quamvis illis utatur; obligatio enim rerum adhæret perſonæ, nemo autem ſibi ipſi obligatur, aut ſervit. Itaque ſervitus habet ſub ſe rationem uſusfructûs, emphiteuſis, feudi, habitationis, & ſuperficiei; nam omnia iſta jura faciunt uſufructuario, uſuario, emphiteutæ, feudatario, & habitatori, atque ſuperficiario ſervire rem alienam.

221. Poſſeſſio, ut notat Lugus, generatim ſumpta, non eſt propriè jus, quamvis, ſi vera eſt, dicat juris adminiculum, & ſolet definiri jus inſiſtendi rei non prohibitæ poſſideri. De illa agit latè, & doctè Molina diſp. 12. & 17. advertens, furem verè poſſidere, absque jure tamen inſiſtendi rei, & vocatur poſſeſſio facti, ipſa ſcilicet occupatio, ſeu habitatio rei, quæ ſæpe eſt absque poſſeſſione juris, ſive absque jure poſſidendi, ut de uſu diximus num. 212. Dicitur *poſſeſſio*, quaſi pedum poſitio, aut cum poteſtate ſeſſio; hinc communiter definitur à Jurisperitis tentio rei corporalis corpore, & animò, jurisque adminiculò. Dicitur *tentio*, aut *detentio*, ſcilicet vera, vel ficta. Vera, quando res poſſeſſa manibus, vel pedibus contrectatur, ut ſæpe fit. Ficta, ſeu æquivalens, quando in multis eventibus corporaliter nulla realis apprehenſio intercedit, ſed ſolùm ex interventu alicujus actus, qui ex legum diſpoſitione reali apprehenſioni æquivalet, res dicitur poſſideri.

222. Dicitur *rei corporalis*, quia incorporea à Jurisperitis non dicuntur poſſideri, ſed quaſi poſſideri, quamvis apud Theologos, ut notat Leſſius lib. 3. cap. 3. dubitat. 9. ad incorporea extendatur; unde Theologicè loquendò auferenda eſt à definitione particula *corporalis*. Abſolutè quidem dicimus, poſſideri beneficium, & alia hujusmodi. Dicitur *corpore, & animò*, quia ad poſſeſſionem non ſufficit tentio corporalis, quam habet bajulus, ſeu depoſitarius rei alienæ; neque ſufficit animus poſſidendi, quem ſcilicet habet quis circa theſaurum, vel feram, quam nunquam habuit, ſed requiritur utrumque vel per ſe, vel per alium, ut contingit in pupillo per Tutorem. Additur tamen *juris adminiculò*, non quòd omnis poſſeſſio facti debeat eſſe juſta; nam fur verè poſſidet rem furtivam, ſed quia jura non impediunt, ne talis tentio cenſeatur ſufficiens ad conſtituendam poſſeſſionem; ſicut impedirent, ne detentio rei Sacræ, aut bonorum Eccleſiaſticorum facta à Laico, quamvis continuata conſtituat juris poſſeſſionē. Vide num. 252.

Fit 2. Legem conſtitutivam juris proprie- 223.
tatis illam eſſe, quæ ſe ipſa vult alicui dare liberam facultatem diſponendi de re tanquam ſua, ita ut poſſit moraliter reſtringere in bonum ſuæ libertatis per voluntatem ſuam libertatem aliorum, ut ſuprà diximus; unde jus confert eo modo, quo vult illud conferre. Quapropter ſi nolit conferre jus, niſi præſuppoſito aliquo puro termino, non erit conſtitutiva juris, quando terminus ille non præſupponitur; quando verò terminus ille præſupponitur, jus quidem habebitur non à puro termino, ſed à lege, quæ ſic, & non aliter ſe ipſa vult jus conferre. Exemplum perſpicuum eſt, ut ſæpe diximus, in eo, qui efficaciter vult dare eleëmoſinam, quando ſonuerit horologium; ille ſiquidem vult ſe ipſo obligare per ſuam voluntatem, non verò per pulſum horologii, quem reſpicit ut purum terminum, cùm pulſus horologii non habeat vim ullam ad obligandum, proindéque homo ille tunc, quando ſonuerit horologium, manebit obligatus per ſuam voluntatem, quia tunc jam ponitur purus terminus, quo poſito ille per ſuam voluntatem vult ſe efficaciter obligare.

Idcirco cùm plures leges conferant jus inde- 224.
pendenter ab acceptatione alterius, aliæ verò conferant ſolùm, quando alter occupat, ut diximus à num. 215. & fuſiùs infrà à num. 250. exinde aliquæ leges præfigunt ſibi purũ terminum, ut ſe ipſis jus conferant, quem aliæ leges ſibi non præfigunt. Vide, quæ de puris terminis diximus num. 908. de Sacramentis, & à n. 96. de gratia. Si autem lex, ut Thomiſtæ contendunt, non ſtet in actu voluntatis, ſed intellectûs, cùm actus ille intellectûs habeat ſimilẽ tendentiam in ordine ad vim legis, quam haberet actus voluntatis; exinde ſi ad illam tendentiam actus voluntatis præfigeret ſibi purum terminum, etiam actus intellectûs ſibi præfiget purum terminum, proinde tota diverſitas inter legem conſiſtentem in actu voluntatis, & conſiſtentem in actu intellectûs deſumitur ex eo, quòd altera ſit lex expreſſiva, altera verò affectiva, utraque tamen, ut ſit vera lex, reſpiciet idem objectum, præfixosque ſibi habet eoſdem puros termions; cæterùm hæc omnia clariùs conſtabunt ex ſolutione argumentorum.

SECTIO V.

Solvuntur Oppoſita.

OBjicies 1. Lex illa, à qua provenire poſ- 225.
ſet dominium, ſæpe antecedit, & quidem ab æterno, ſi eſt Divina, cùm ſit actus Divinæ voluntа-

voluntatis: atqui jus, sive dominium humanum est temporale: ergo jus humanum nequit provenire à lege tanquam à forma. Resp. dist. maj. est antecedens, sive æterna physicè in existendo ad intra, conc. moraliter in denominanda ad extrinseca, subdist. in denominando ab æterno pro tota æternitate, neg. in denominando pro tempore, pro quo alicui confert dominium, conc. maj. & omitto min. de dominio humano concretè, & denominativè sumpto, neg. conseq. Ratio est, quia lex Divina æterna non vult ab æterno dare Petro jus, quòd ab æterno habeat, sed ab æterno vult dare illi jus hoc tempore, & non antea, quod non est speciale in lege Divina conferente jus, sed est commune omnibus Divinis legibus, quibus homines obligantur. Siquidem non obligamur ab æterno, sed obligamur per legem Divinam ab æterno existentem, ut agamus in tempore. Quapropter illud tempus est purus terminus, quam lex Divina sibi præfigit, sive reponatur in actu Divinæ voluntatis, sive Divini intellectûs, ut diximus num. superiori; est enim lex, qua confert Deus mihi jus in hoc instantti, & non antea, quia ex suo modo tendendi mihi dat eam legitimam potestatem in tali re nunc, & non antea. Unde quamvis ab æterno existat, non dat jus ab æterno, sed in tempore.

226. Objicies 2. Jus, sive dominium inter homines oritur ex contractu, alióve simili titulo, quo dicitur acquiri dominium: atqui lex non oritur ex contractu, alióve simili titulo: ergo jus, sive dominium nequit consistere in prædicta lege. Resp. neg. maj. quia jus oritur à lege, sive quasi lege non quidem physicè, sed moraliter, quantumvis sæpè non ordinatur ab illa, nisi quando ponitur contractus, eò quòd illa lex conferens jus, velit conferre jus, quando fit contractus, & non aliter: sic ut suprà diximus, quando Dominus præcipit servo, ut conferat eleëmosinam, cùm insonuerit horologium; præceptum Domini, à quo servus movetur, & à quo provenit obligatio ejus, non stat in pulsu horologii, sed in voluntate Domini, quæ se ipsa voluit obligare servum non quidem pro omni tempore, sed pro tempore, quo insonuerit horologium, ideóque pulsus horologii non est causa moralis obligans servum, sive inducens, & pariens ejus obligationem; sed est purus terminus, quem voluntas Domini sibi præfixit ad inducendam obligationem in servo. Pariter cùm plures leges constituant, ut isti, & non alii sint legitimi contractus, quibus positis jus unius transferatur ad alterum ex vi legis, leges illæ respiciunt contractus, ut puros terminos, simúlque ex tendentia sua conferunt jus contrahentibus; quod exinde patet, quòd si aliquæ leges irritarent contractus, illósque redderent nullos, consequenter non conferretur jus, quamvis illi tales contractus ponerentur, & opus esset, ut poneretur legitimus contractus, ut eo posito jus lex conferret, quamobrem tota vis translati juris stat in lege, ut transferatur jus modo, quo lex decernit, aut perficit, & non aliter; unde lex se ipsa tanquam forma denominans constituit jus.

227. Objicies 3. instandò simul solutionem: sæpe contingit, quòd non cogitet de lege, qui vult transferre jus, & reverâ transfert; ergo jus non constituitur tanquam à forma denominante per legem. Resp. dist. ant. quòd non cogitet de lege considerata sub conceptu potestatis ad transferendum jus, neg. considerata sub alio conceptu, conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia eo ipso, quòd cogitet de transferendo jure suo, cogitat, quòd ille habeat jus suum in quocunque consistat jus illud tanquam in forma, ac proinde cogitat de illo, per quod jus suum constituitur, in quocunque ea ratio constitutiva consistat, quod Adversarii, quibus cum agimus, velint nolint, fateri tenentur; nam ille, qui vult transferre jus suum in alterum eo modo, quo non cogitat de lege, neque cogitat de ente rationis, aut entitate media, aut de carentia, aliisque similibus titulis, quibus apud Adversarios jus constituitur; cæterùm eo ipso, quòd cogitat de jure suo, cogitat de illis formis, ut Adversarii fatentur, quatenus constituunt jus, licèt de illis non cogitet sub aliis formalibus expressionibus. Quapropter idem in casu nostro dicere debent; unde eo ipso, quòd jus, ut intendimus, tanquam ex forma constituatur, ex ipsa lege, nemo poterit de jure suo cogitare, quin cogitet de lege considerata sub ratione constitutiva juris.

228. Objicies 4. Lex, quam nos assignamus, habet pro objecto jus, sive dominium: ergo supponit, & non constituit tale jus. Probat. ant. illa lex vult, ut homo e. g. capiens, vel emens feram habeat jus in illa: ergo habet pro objecto jus. Resp. dist. ant. habet pro objecto adæquato jus, sive dominium, neg. pro objecto inadæquato, conc. ant. & neg. consequentiam. Ad probat. conc. ant. & neg. consequentiam. Ratio est, quia, ut sæpe diximus, præsertim à num. 160. de gratia sanctificante, omnis lex habet se ipsum pro objecto inadæquato; unde lex, quæ vult concedere, & concedit jus Petro, habet se ipsam pro objecto inadæquato; vult enim Petrum Dominum, seu Petrum cum jure, ideóque Petrus est etiam objectum inadæquatum. Quòd autem actus voluntatis, vel intellectûs habeant se ipsos pro objecto inadæquato, nulla est penitus implicantia, quin potiùs non aliter potest aliquis actus esse lex, nisi se ipsum respiciendò ut objectum inadæquatum, cùm non aliter sit lex, nisi quomodo actus vult se ipso obligare. Quapropter si Princeps hodie diceret, volo crastina die concedere legem, qua obligem subditos ad hunc effectum, iste actus hodiernus non esset lex, eo præcisè, quòd non velit per se ipsum subditos obligare; unde, ut aliqua sit lex, opus est, ut se ipsa velit obligare; cùm autem actus, qui se ipso vult alterum obligare, respiciat se ipsum, & alterum, exinde habet se ipsum ut objectum inadæquatum, quod quidem commune est non solùm legi conferenti

ferenti jus, ſed omnibus legibus, omnibusque extrinſecis conditionibus, cùm ſint actus ſe ipſis volentes aut obligationem ponere, aut remittere debitum per ſe ipſos; unde id ipſum commune eſt etiam omnibus votis; ſiquidem ille, qui vovet, vult obligare ſe ipſum per votum; vide ab eo num. 160. de grat. ſanctific.

229. Quin potiùs iſte arguendi modus omnino quidem eſt futilis in actibus virtutis, in quibus ſæpe ſæpiùs diſtingui debet id, quod formaliter faciunt, & id, quod formaliter volunt; ſunt enim multi effectus formales, quos præſtant actus intentionales ex modo ſuo volendi, aut nolendi objectum, qui tamen effectus non ſunt termini objectivi talium actuum; ſic actus contritionis perfectæ amans Deum, & deteſtans peccatum, facit formaliter hominem ultimò diſpoſitum ad juſtificationem, quin tamen eam habeat pro objecto. Cognitio affirmans Petrum juſtum, reddit me formaliter judicantem, quin tamen habeat hoc pro objecto; unde aliud eſt, quod actus iſti vitales faciunt, & aliud eſt id, quod pro objecto habent. Quare ſi nihil aliud obſtaret, poſſet etiam lex illa, ſeu voluntas Dei ex modo illo tendendi in ſuum objectū, ſcilicet in uſus rerum, velle illos poſitò certò titulò tanquam purò terminò, videlicet captionis, vel venditionis, aut alio ſimili facere, ut uſus illi liceant, vel non liceant aliis, atque ita faciant hominem iſtum habentem jus contra alios, quin ex parte rerum habeat pro objecto ipſum jus formale. Dico *ex parte rerum*; nam ex parte formæ non poteſt lex non recipere ſe ipſam ob rationem aſſignatam num. ſuperiori. Adverſarii autem juxta ipſorum doctrinam non aliud intendere videntur in præſenti, niſi quòd lex ſupponat ex parte rerum id, quod conſtituit, quod falſum eſſe conſtat ex doctrina à nobis tradita.

230. Objicies 5. Ex noſtris principiis fieret, conſtitui formaliter jus per dictamen rationis, prout intendebat quarta ſententia num. 207. ſed per illud dictamen rationis non conſtituitur: ergo neque conſtituitur per legem, quam nos aſſignamus. Reſp. neg. maj. ſi ea ſententia perſiſtat in doctrina, quam tradit, & relinquendò ipſius principia non tranſeat ad noſtra; nam ſi juxta doctrinam, quam tradit ea ſententia, ſermo ſit de dictamine rationis Divinæ comparato ad legem Divinam poſitivam, ratio diſcriminis inter doctrinam illam, & noſtram eſt clara; tum quia in Deo cognitiones contingentes ſupponunt exercitium liberum Divinæ voluntatis; priùs enim eſt, Deum velle producere mundum, quàm ſcire, eum eſſe producendum, aut productum; & ſimiliter priùs eſt, Deum lege ſuæ voluntatis ſtatuere certos rerum uſus licere tanquam ſuos proprios uni homini præ aliis, quàm judicare uſus illos eſſe illi præ alteris licitos.

231. Jus enim, ſive dominium ſatis intelligitur conſtitutum per illam voluntatem, quæ prior eſt, ac proinde antecedenter ad dictamen iſtud rationis jam eſt jus conſtitutum contra id, quod intendebat quarta illa ſententia; tum quia honeſtas moralis potiùs ſpectat ad lineam voluntatis, quàm intellectûs; cùm autem poteſtas conſtitutiva juris ſit poteſtas moralis, hoc eſt licitè, & honeſtè utendi rebus, ſi à lege non prohibeantur, & reddendò pro libito injuſtos aliorum uſus circa eas res, congruentius videtur, ſi fieri poſſit, eam reducere ad legem voluntatis, quàm ad dictamen rationis; ſi verò dictamen ſumatur pro lege ſibi præfigente aliquos terminos, ſub quibus conferat alicui jus, jam hæc ſententia ex hac parte tranſiret ad noſtram. Cæterùm Authores illius nullam penitus de puris terminis doctrinam afferunt, nec verbum quidem, ideóque juxta eorum ſenſum adhuc ex hac parte impugnabimus, ut prænotavi eo numero 207.

Objicies 6. inſtandò ſimul ſolutionem: ea 232.
lex attribuens poſitis aliquibus titulis poteſtatem diſponendi de rebus, aliquando eſt lex naturalis; nam jure naturæ homo titulò phyſicæ conjunctionis habet aliquod jus in ſua membra; ſed quidquid ſit de legibus poſitivis, ſaltem lex naturalis nihil eſt aliud, quàm dictamen rectæ rationis, ut ex communi ſententia videri poteſt Apud Arriagam diſp. 1. & Amicum diſp. 4. de legib. ergo aliquod ſaltem jus creaturæ conſiſtit formaliter in dictamine rationis. Reſp. neg. ant. quoad primam partem, quia homo titulò coniunctionis cum ſuis membris non habet ius proprietatis in illis; imò neque in eorundem poteſtate, niſi dependenter à libera conceſſione Dei, quæ eſt beneficium diſtinctum à beneficio creationis, ut conſtat à n. 199. & 212. Unde non poteſt dici abſolutè ius naturale proprietatis, ſed duntaxat ius naturale ſecundùm quid ex dictis n. 120. quod non impedit, ne ad acquirendum verum ius proprietatis requiratur ſaltem lex libera Dei; nec refert, quòd poſita iam ea lege Divina nobis ſufficienter intimata ipſum naturæ lumen oſtendat nobis obligationem, quia hoc eſt commune omnibus Divinis præceptis; ſiquidem naturæ lumen oſtendit, teneri nos obedire omnibus præceptis Dei poſitivis nobis ſufficienter intimatis, quin exinde inferri poſſit, præcepta poſitiva non eſſe poſitiva, vel potiùs eſſe de iure naturæ, ſed ſolùm infertur, eſſe poſitiva, & prævia ad dictamen rationis, quo intimatur nobis obligatio parendi illis. Cætera, quæ hìc adduci poſſent, faciliùs tradentur diſp. ſequenti. Ex dictis

Fit 1. Quomodo intelligenda ſit generalis 233.
diviſio iuris proprietatis in paternum, coniugale, & herile, ſive, quod idem eſt, ius inter Patrem, & filium, maritum, & uxorem, Dominum, & ſervum; non enim intelligi poteſt ea diviſio aliter, niſi attendendò ad legem, vel quaſi legem, qua conferrur, vel negatur uni ius adverſus alterum, & ratione unius conſiderantur vel tanquam duo, vel tanquam unum, ſicut membrum cum phyſico ſuo ſuo ſuppoſito. Ratio eſt, quia cum ius naturæ conveniens non habea-

habeatur, nisi à lege, ut constat à num. 209. solùm potest admitti ea divisio juris juxta legũ institutiones; leges autem aliquando dant jus proprietatis filio adversus Patrem, præsertim circa bona castrensia à filio acquisita; eò quòd in ordine ad ea bona considerentur à legibus Pater & filius tanquam duo physica, & civilia suppositа, & non respiciatur filius cum eo solo jure, quod habet suppositum physicum ad suum membrum; aliquando negant jus ad aliqua bona, præsertim ad bona profectitia, & in ordine ad ea consideratur filius cum eo solo jure, quod habet membrum ad suum physicum suppositũ. Pariter uxori concedunt leges administrationẽ aliquorum bonorum, qualia sunt, quæ paraferna vocantur; unde maritus injuriam faceret ea bona subripiendò, sicut etiam faceret injuriam uxorem injustè inhonorandò, aut infamandò, cùm retineat etiam jus ad suam famam, & honorem, circa alia ferè omnia bona temporalia constituitur maritus administrator; tum etiam servus habet ex lege jus ad suam famam, & honorem, imò etiam ad aliqua bona temporalia, ut suò locò dicemus. Quare ea auferendò posset Dominus inferre injuriam servo; cùm enim homo ille, qui est Dominus, non sit essentialiter, sed accidentaliter Dominus, potest cedere jure dominii in ordine ad hæc, & in ordine ad alia bona; quo in casu in ordine ad ea bona servus non considerabitur ut servus, sed ut Dominus, atque ex eadem ratione in ordine ad ea, circa quæ filius habet jus adversus Patrem, & uxor adversus maritum, non considerantur à legibus ut unus, sed ut duo homines, & ut habentes capacitatem acquirendi jus proprietatis adversus alterum.

234. Fit 2. contra aliquos Recentiores, hanc esse non modò plurium nostrorum, sed etiam Divi Thomæ doctrinam: ratio est, quia illam tradit eisdem quasi verbis, ut apparet 2. 2. quæst. 57. art. 4. ubi ait: ad secundum dicendum, *quòd filius, in quantum est filius, est aliquid Patris, & similiter servus, in quantum est servus, est aliquid Domini, uterque tamen, prout consideratur quidam homo, est aliquid secundùm se subsistens, ab aliis distinctum, & ideo in quantum uterque est homo, aliquomodo ad eos est justitia; & propter hoc etiam aliquæ leges dantur de his, quæ sunt Patris ad filium, & Domini ad servum; sed in quantum uterque est aliquid alterius, secundùm hoc deficit ibi perfecta ratio justitiæ, vel juris;* ubi manifestè insinuatur, jus inter Patrem, & filium, & Dominum locum habere, eò quòd possint considerari ut duo homines subsistentes, & ab aliis distincti; nempe ita, ut neque unus per essentiam suam pendeat ab altero, neque sit servus alterius, nec à legibus considerentur tanquam si essent unum suppositum physicum; & secundùm hunc respectum capaces esse, ut à lege accipiat unus jus proprietatis adversus alterum; ad eum modum, quo in Republica particularis accipit jus adversus communitatem, ut habet statim ad tertium, licèt in particulari sit magis ampla ea juris collatio, eò quòd inter illum, & Rempublicam non intercedat vinculum filiationis, aut servitutis in ordine ad illa, quæ ex lege considerantur ad imitationem membri cum suo physico compositi.

Verùm de his infrà agendum est ex professo, cùm de subjecto dominii.

DISPUTATIO V.
DE DOMINIO PROPRIETATIS.

235. AD præsentem disputationem attinent ea omnia, quæ doctrinam præcedentis disputationis stabiliunt, illamque clariorem reddunt, ut præmonui num. 232. In quem finem tria maximè notanda sunt. Primum quidem est, quòd sicut hominem esse moraliter impotentem provenit à lege, seu quasi lege se ipsa prohibente, & reddente hominem impotentem, ita hominem esse moraliter potentem provenit à lege, seu quasi lege se ipsa illum reddente moraliter potentem, & conferentem jus proprietatis; ideóque ea lex dicitur forma juris constitutiva, ut patet à num. 209. Difficultas autem apud Theologos nulla est, si lex illa sit conditionata; nam tunc non redditur absoluta, nisi adimpleta conditione, per quam in ratione legis absolutè constituitur, ut dixi à num. 208. de Sacramentis; unde licèt tituli, quos lex conditionata respicit, sint etiam virtus collativa dominii, & juris, non id habent, nisi quatenus sunt de legis constitutivo, ac proinde jus, & dominium, quod tunc confertur, non nisi à lege confertur, ut ex terminis patet. Quare tota difficultas stat in lege, quæ supponatur esse absoluta, & quæ nolit conferre jus, nisi quando apponuntur aliqui tituli; tunc enim videtur non posse jus à lege sola provenire; at hæc difficultas satis resoluta est in nostris principiis; nam illi tituli in eo casu sunt puri termini, & puri termini jus non conferunt, ut in præcedenti disputatione satis ostendimus. Secundum est jus proprietatis ligatum à lege, ne Dominus possit validè cedere juri suo, reverâ lædi, licèt Dominus læsioni consentiat; cùm consensus ille in eo casu non sufficiat ad licentiam, neque quoad licitum, neque quoad validum. Tale est dominium pupilli in sua bona, & dominium conjugati in suam consortem, ut dicemus dicentes de subjecto dominii; licèt ad intelligentiam illius doctrinæ tradenda sint in præsenti à nobis generalia principia; unde axioma illud, *scienti, & volenti non fit injuria*, intelligendum est, quando quis potest, & cedit juri suo. Tertium est, jus proprietatis latiùs patere, quàm domini-

dominium; etenim sicut homo, & animal se habent, ut species, & genus, atque adeò non potest esse homo, quin sit animal. At potest esse animal, quin sit homo; ita & dominium proprietatis, & jus se habent tanquam species, & genus, proindéque non potest inveniri illud dominium sine jure, potest tamen reperiri jus sine eo dominio; ille siquidem, qui jus duntaxat habet ad rem, & non in re, licèt reverâ jus habeat, non est Dominus rei; quare jus solùm ad rem non sufficit ad dominium; quin potiùs, ut plures alii contendunt, datur etiam jus in re, sine dominio; cæterùm hujus sententiæ fundamentum nullius esse roboris, constabit à num. 259. Quare meliùs alii cum Corrado lib. de contract. Tract. 1. quæst. 1. censent, neminem posse habere jus in re, nisi circa rem suam; at cùm ista suitas aliquando sit satis ad dominium plenum, aliquando sufficiat duntaxat ad non plenum, quærimus, quid sit dominium plenũ, quid non plenum, & licèt controversia præcipuè sit de dominio creato, ex illius tamen resolutione facilè deducemus, quid sit dicendum de dominio Divino.

SECTIO I.

De prærequisitis ad Controversiam.

236. SUppono 1. dominium proprietatis creaturæ conveniens aliud esse plenum, perfectũ, sive insolidum, aliud verò non plenum, non perfectum, neque insolidum. Primum est illud, quod in ratione ad dominium pertinente nullum defectum includit neque ex parte subjecti, neque ex parte objecti. Secundum est illud, cui vel ex parte subjecti, vel ex parte objecti deficit aliqua ratio ad dominium pertinens, sive, quod idem est, deficit aliqua particula spectans ad dominium creatum proprietatis; subjectum dominii dicitur ea persona, seu natura rationalis, cui dominium inest. Objectum dicitur ea res, cui dominatur.

237. Quare ex parte subjecti tunc erit dominium non plenum, quando licèt aliquis totam rem possideat, non illam possidet solus dominiô suô, sed etiam alii dominiô ipsorum eandem rem quoque possident, ut contingit, cùm Petrus, & Paulus utriusque pecuniâ emunt pro individuo, & accipiunt rem aliquam inter ipsos dividendâ; tunc enim antequam fiat divisio, unusquisque possidet rem totam totalitate rei, non totalitate dominii; ad eum modum, quo quando duæ causæ partiales concurrunt ad producendum eundem effectum, unaquæque producit totaliter totalitate effectûs, non verò totalitate causæ, eò quòd vires, quas exerit una causa, non essent sufficientes ad producendum illum effectum, nisi conjungerentur cum viribus, quas exerit altera causa; quod etiam contingit, quando aliqui adeunt (id est juridicè acceptant) hæreditatem nondum divisam, quæ dividenda est inter ipsos.

238. Tum etiam ex parte objecti erit dominium non plenum, quando ita duo rem aliquam possident, ut neuter habeat totum integrum jus, sed unus unam, & alter alteram partem integri juris, ut quando ad unum pertinet proprietas domûs, & ad alterum habitatio, seu ususfructus; hinc est, quòd plures Jurisconsulti, quos Theologi sequuntur, explicandô Bartholi verba, quæ habentur suprà L. *si quis vi*, §. *differentia*, ff. *de acquirend. vel amitt. possess.* dominium dividunt in directum, nudum, utile nudum, & directum simul, & utile. Dominium directum nudum est jus in propriam rem reservata interim alteri utilitate per jus illi concessa. Tale dominium habet, qui retinet proprietatem agri, sed jure fructuum caret. Dominium utile nudum est jus percipiendi omnem, vel saltem aliquam utilitatem ex re aliena; tale dominium habet merus usufructuarius, emphiteuta, & feudatarius. Dominium directum, & utile simul dici solet jus perfectè disponendi de re absque eo, quòd utilitas alteri sit reservata. Unde dominium utile subdividitur in usumfructum, usum nudum, habitationem, aliasque hujus generis species, quas num. 215. dedi.

239. Quamobrem dominium directum nudum, licèt maneat sine jure ad percipiendas utilitates, quæ manibus, vel quasi manibus contrectari possunt, at non destitutum omni prorsus utilitate. Manet quippe cum aliquo jure proprietatis in re, quod nempe in humanis semper est utile habenti, & capax pariendi utilitatem; unde si in humanis nulla omnino maneret utilitas Domino, nullum manere posset jus, & dominium creatum. Nec dubium esse potest, quòd sit utile Domino proprietatis, ut jus usufructuarii possit variis modis extingui, & quòd ex illo redeat ad proprietarium iterum reuniendum cum dominio proprietatis, ut statuitur L. *omnium prædiorum*, §. *constituitur*, ff. *de usufructu*, his verbis: *Ne tamen in universum inutiles essent proprietates semper abscedente usufructu, placuit certis modis extingui usumfructum, & ad proprietatem reverti.*

240. Quod etiam habetur §. *ususfructus* Instit. eodem Tit. ubi adducuntur modi, quibus extinguitur usufructus per hæc verba: *Finitur autem ususfructus morte usufructuarii, & duabus capitis diminutionibus, maxima, & media, & non utendô per modum, & tempus, quæ omnia nostra statuit constitutio. Item finitur ususfructus, si Domino proprietatis ab usufructu cedatur; nam cedendô extraneo nihil agitur, vel ex contrario, si usufructuarius proprietatem rei acquisierit, quæ res consolidatio dicitur; eo amplius constat, si ædes incendiô consumptæ fuerint, vel etiam terræ motu, vel vitiô suô corruerint, extingui usum fructum necesse est, & nec aream quidem usumfructum deberi; cùm autem finitus totus fuerit ususfructus, revertitur scilicet ad proprietatem, & ex eo tempore nudæ proprietatis Dominus incipit plenam in re habere potestatem;* ex quibus patet, dominium plenum, perfectum

ctum, & insolidum debere esse tale, ut neque ex parte objecti deficiat illi ratio aliqua ad dominium creatum spectans, alioquin ex illo defectu jam non diceretur plenum, & perfectum, cùm perfectum esse non possit, nisi sit ex integra causa.

241. Suppono 2. cum Molina Tract. 2. disp. 3. dominium non plenum proprietatis aliud dici dominium simpliciter propriè, & aliud secundùm quid. Illud est simpliciter propriè, quod prævalet alteri circa eandem rem, ut constat ex dictis num. 31. de actibus humanis. Illud est dominium secundùm quid, quod circa eandem rem est valde inferius. Sic Æthiops, quia est albus tantùm secundùm dentes, & niger secundùm reliquas corporis partes, habet nigredinẽ prævalentem albedini, ideóque dicitur simpliciter niger, & secundùm quid albus. Pariter si Petrus habeat circa domum dominium proprietatis, & Paulus duntaxat dominium ususfructûs, Petrus habebit dominium circa essentiam, & substantiam rei, quæ simpliciter est sua; Paulus verò, cùm utatur re aliena simpliciter salvâ ejus substantiâ, habet dominium circa rem secundùm quid, sive quoad effectum, vel accidentia rei, cùm autem dominium circa essentiam, & substantiam rei prævaleat dominio circa ejusdem rei effectum, & accidentia, exinde Petrus dicetur simpliciter propriè Dominus, & Paulus dicetur Dominus tantùm secundùm quid; ex quo conciliantur leges, quæ dicunt, usufructuarium esse Dominum, qualis est L. *usus-fructus*, ff. de *usufructu*, ubi dicitur: *usus fructus in multis casibus pars dominii est*, cum legibus, quæ id negant, qualis est L. *agri civitatum* ff. *si ager vectigalis*, ubi de usufructuariis dicitur, *quamvis non efficiantur Domini*; nam leges affirmantes loquuntur de dominio simpliciter, & non de dominio secundùm quid; leges verò negantes non negant de dominio secundùm quid, sed de dominio simpliciter.

242. Suppono 3. Dominium proprietatis distingui à dominio jurisdictionis ad eum modum, quo jura ipsa inter se distinguuntur, ut diximus num. 8. 54. & 193. Unde controversia præsens non instituitur de jure jurisdictionis, sive hoc sit emphiteuticum, & per se ordinatum ad spirituale bonum subditorum, ex quo Prælati potiùs, quàm Domini vocantur Patres Lucæ 22. vers. 25. & 2. Corinth. 1. vers. 24. & 1. Petri 5. vers. 3. sive dominium illud sit politicum, & per se directè ordinatum ad temporalem felicitatem, publicámque utilitatem, quod subdividi solet in Democratiam, quando communitas ipsa populi imperat; in Holicratiam, quando penes paucos residet imperium; Aristocratiam, quando penes Optimates; & Monarchiam, quando penes unum tantùm. Nihilominus (quod valde notandum est) dominium jurisdictionis, & proprietatis in eo conveniunt, quòd possint impediri, quin tollantur; quamquàm enim lex aliquando tollat totum jus, & dominium, qualis juxta plurium sententiam est illa, quæ propter commissam hæresim, aut alia delicta à die commissi delicti addicit statim fisco omnia bona extrinseca delinquentis, jura, & dominium proprietatis; aliquando tamen non tollit, sed ligat jus vel prohibendô usum licitum, vel etiam validum, ut diximus à num. 18. sic lege positiva Dominus impeditur, ne possit licitè expendere pecuniam ad emendos libros sibi prohibitos, at emptio est valida.

Tum etiam pupillus lege impeditur, ne possit non modò licitè, verùm neque validè emere, donare, vel alienare sine authoritate Tutoris, & tamen habet perfectum dominium, ut suprà diximus, & constat ex Paulo ad Galatas 4o. Est autem hoc magnum discrimen inter jus ablatum, vel purè ligatum, & impeditum, quòd nempe jus ligatum ablata lege ligante exercere se potest in suis actibus: at jus ablatum per legem, cùm jam non maneat, licèt postea auferatur lex, jam non potest se exercere in suis actibus, ad eum modum, quo ille, qui habet potentiam ambulativam ligatam, ablatis vinculis potest ambulare: ille verò, cui per vincula ablata fuisset potentia ambulativa frangendô v. g. pedes &, crura, licèt postea auferantur vincula, non exinde recuperat pedes, & potentiam ambulandi; sic etiam, qui habet jus ligatũ ablatis vinculis potest exercere actus juris; at ille, qui per legem privatus est jure, ablata postea lege, non exinde retinet jus, neque potest exercere actus juris. His positis 243.

Bartholus in L. *si quis §. differentia* num. 4. ff. de *acquirenda possess.* & cum eo communiter Jurisconsulti dominium creatum plenum ita definiunt, jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur. Per illas particulas *jus disponendi de re corporali* intelligitur jus in re, cùm jus solùm ad rem satis non sit, ut homo de re ipsa disponat, ut constat à num. 1. ideóque istud est genus conveniens dominio pleno, & non pleno. Per *ly perfectè* differt dominium plenum à non pleno; per *ly nisi lege prohibeatur*, id est aut lege formali, aut æquivalenti. Traditur differentia dominii creati à dominio; nam dominium Divinum, cùm suprà se non habeat superiorem, non est subjectũ legi, aut quasi legi, à qua jus Dei possit ligari, & impediri; solùm enim est impedibile per voluntatem ipsius Domini; at dominium creatum, cùm superiorem respiciat, saltem Deum, potest à lege formali, vel æquivalenti per superiorem lata ligari, & impediri. Dicitur *de re corporali*, quia ut constat à num. 222. incorporea non dicuntur à Juristis possideri, sed quasi possideri, ideóque agunt de dominio earum rerum, quas manibus contrectamus, quæ proinde corporalia sunt. Cæterùm quia Theologicè loquendô possidemus etiam res incorporales, ut sunt jura eligendi, præsentandi, percipiendi fructus, & succedendi in hæreditatem, exinde Theologi eximunt ab ista definitione pleni dominii illam particulam *corporale*; nihilominus quia aliqui Recentiores censent, amputandas 244.

etiam

etiam esse illas ultimas particulas, *nisi lege prohibeatur*, opus est inquirere, an illæ particulæ utiles sint, vel inutiles ad explicandum plenum creaturæ dominium proprietatis, pro quo sit

SECTIO II.

Exponitur creatum dominium proprietatis.

245. Assero 1. cum omnibus ferè Theologis ex doctrina Bartholi, & Jurisconsultorum tradita num. superiori, dominium creatum proprietatis plenum, sive insolidum rectè quidè exponitur per ea verba, *jus perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur*. Probatur 1. & explicatur simul conclusio: illa est vera, & recta expositio creati dominii proprietatis pleni, quæ per proximum genus, & differentiam tradit adæquatam essentiam talis dominii: atqui sic se habet expositio à nobis assignata: ergo &c. Probatur min. Per illa priora verba *jus perfectè disponendi de re*, habetur genus proximum; siquidem conveniunt tantùm dominio pleno Dei, & creaturæ, secus dominio non pleno; ille namque, qui dominium plenum non habet, non potest perfectè de re disponere. Præterea per illa posteriora verba, *nisi lege prohibeatur*, formali nempe, aut æquivalente, habetur proxima, & adæquata differentia; siquidem differentiâ proximâ, & adæquatâ dominii creati pleni à Divino nulla aptior excogitari potest, quàm quæ immediatè convenit dominio creato, & non Divino: creato autem dominio quà tali immediatè, & essentialiter convenit manere sub Deo, tanquam sub superiore, à cujus lege & ligari posset, & impediri, quod dominio Dei non convenit, cùm Deus superiorem habere non possit, ac proinde neque legem, qua ejus dominium ligari possit, & impediri. Tandem nullum est excogitabile essentiale prædicatum talis dominii creati, quod in hac definitione non comprehendatur, ut expendenti constabit: sed in eo stat, quòd ista definitio tradat per proximum genus, & differentiam adæquatam essentiam talis dominii: ergo &c.

246. Probatur 2. Ad hoc, ut Dominus possit perfectè de re disponere, opus est, ut nulla particula pertinens ad dominium desit illi, neque ex parte objecti, neque ex parte subjecti; si enim aliqua dominii particula deficeret, eo ipso quoad eam partem deficeret jus disponendi de re, ut ex terminis patet; unde non posset perfectè de re disponere: atqui dominium illud, cui neque ex parte subjecti, neque ex parte objecti deficit illa particula pertinens ad dominium, est dominium plenum, & insolidum, quod proinde ab omnibus dicitur perfectum, ut constat à num. 236. ergo dominium plenum, & jus solidum optimè definitur jus perfectè disponendi de re, ac proinde dominium creatum propter subjectionem sibi essentialem ad legem saltem Dei per congruentem differentiam discernitur à dominio Dei superaddendò particulas illas, *nisi lege prohibeatur*, Confirmatur. Dominium plenum præscindens à creato, & increato est jus perfectè disponendi de re; differentia autem dominii creati à Divino nulla est magis peculiaris, quàm subjectio ad legem, qua ligari possit, & impediri, ne perfectè de re disponat: nam si dicamus, esse à Deo participatum, erit assignare potiùs differentiam transcendentalem omni enti creato, quàm peculiarem dominio creaturæ: ergo ut definiamus rectè plenum dominium creatum, oportet apponere differentiam illam, *nisi lege prohibeatur*.

Respondebis eas particulas, *nisi lege prohibeatur*, non rectè adjungi pro differentia dominii pleni creati à Divino, cùm non pertineant ad perfectionem dominii; siquidem dominium perfectius esset, si neque à lege, neque à præcepto Superioris, quod ad istud munus, ut diximus num. 244. est æquivalenter lex, posset ligari, vel impediri. Contrà tamen 1. Dominium, quod à lege Superioris vel formali, vel æquivalente ligari non posset, neque impediri, eo ipso non esset dominium creatum, ac proinde non posset habere plenitudinem dominii in sua linea: ergo ut explicetur dominium creatum, & plenitudo dominii in linea creati dominii, opus est addere illas particulas. Contrà 2. & explicatur eadem ratio: apud omnes Philosophos, & Theologos, atque apud ipsos Adversarios prædicatum discursûs est essentialis differentia hominis, per quam homo rectè definitur, & contradistinguitur ab omni non ipso, ac proinde à Deo, licèt intellectus evidenter res cognoscens, quin possit discurrere, sit perfectior, ut patet in Deo, neque alia est assignabilis ratio, nisi quia virtus discursiva est perfectio in linea sua, nempe in linea intellectûs creati, non verò in linea non sua, nempe intellectûs Divini: ergo idem dicendum est de dominii pleni capacitate intrinseca, ut lege prohibeatur, nempe quòd sit essentialis differentia, ac proinde perfectio pertinens ad lineam dominii pleni creati, non verò ad lineam dominii Divini. 247.

Contrà 3. Ad dominium creatum quà tale nulla pertinere potest perfectio depurata ab omni imperfectione; perfectio enim depurata ab omni imperfectione nulli creaturæ convenire potest, sed soli Deo: atqui negari non potest, esse perfectionem mixtam imperfectione, quòd jus perfectè disponendi de re non destruatur per quamcunque legem prohibentem, sed quòd in sensu compositio talis legis maneat adhuc quantumvis ligatum, & impeditum: ergo ea intrinseca capacitas, ut lege prohibeatur, est non minus, quàm virtus discurrendi perfectio mixta imperfectione, ac proinde est capax, ut evadat essentialis differentia in linea dominii creati. Quapropter dominium creatum non plenum valde congruenter exponi potest dicendò, esse jus disponendi de re tantùm imperfectè, nisi lege prohibeatur. Omitto ulteriorem explicationem, quia ex hucusque dictis facilè colligitur. 248.

249. Assero 2. Licèt creatum dominium proprietatis regulariter non acquiratur absque traditione, seu possessione, nihilominus in aliquibus casibus à jure expressis, acquiritur per solum titulum ante traditionem, vel possessionem. Conclusio illa legitimè infertur ex his, quæ diximus num. 215. & probatur facilè: ad acquirendum tale dominium, ut infertur ex L. *traditionibus* C. *de pactis nempe traditionibus, & usucapionibus* dominia rerum non nudis pactis transferuntur, adjuncta altera L. *nunquam*, ff. *de acquirendo rerum domin.* ubi dicitur: *nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita, si venditio, aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur*; duo certè requiruntur ex generali regula juris, nempe titulus, & traditio; at hæc generalis regula aliquas exceptiones patitur tum in eodem jure civili, tum in Canonico; sed exinde apparet, dominium, quamvis regulariter ex ea lege generali non acquiratur absque traditione, seu possessione, nihilominus in aliquibus casibus à jure expressis acquiri per solum titulum ante traditionem, vel possessionem: ergo &c. Consequentia tenet, maj. autem est ipsa generalis regula juris, propter quam censet Molina, quando ex dispositione speciali juris non constat ante traditionem acquiri jus in re, dicendum esse, quòd posito titulo ante traditionem acquiritur solùm jus ad rem, non autem jus in re, ac proinde neque dominium. Minor prob. adducendò aliquas juris exceptiones.

250. Primus igitur casus in jure expressus habetur L. *ut interdum*, C. *de SS. Ecclesiis*, ubi statuitur, quòd quando Ecclesiis, Monasteriis, hospitalibus, & quibusdam aliis locis piis, civitatibus, vel in redemptionem captivorum hæreditas aliqua, vel legatum, aut fidei commissum est relictum, vel titulò donationis aliquid eis datum, aut est venditum, statim ante traditionem transeat ad ea dominium, adeóque si ante traditionem vendantur, aut tradantur alteri emptori, invalida est talis venditio. Similia habentur quoad Ecclesiastica beneficia in Jure Canonico, Cap. *si tibi absenti de præbend.* in 6. ubi statuitur, quòd ad efficiendum suum beneficium Ecclesiasticum non est necessaria traditio, sed sufficit, ut præcedat collatio, & sequatur acceptatio, & ut collatio rata habeatur. Pariter fiscus à die commissi delicti ante omnem traditionem acquirit jus in re circa bona hæretici, vel cujuslibet alterius, cujus bona pro crimine aliquo sunt ipso jure proscripta, vel fisco addicta, ideóque à die commissi delicti ad quemcunque transeant, transeunt cum onere, quò sunt fisco alligata.

251. Secundus casus est, quando sive ex testamento, sive ab intestato hæres succedit in bonis defuncti, statim ac hæreditatem adit, hoc est, ut habetur Instit. *de hæredum qualitate, & differentia, §. item extraneus*, statim ac illam acceptat, & profitetur, se velle esse hæredem, ante traditionem, ante actum possessivum acquirit dominium bonorum defuncti; ita statuitur L. *cùm hæredes* ff. *de acquir. vel amitt. poss.* per hæc verba: *cùm hæredes instituti sumus, adita hæreditate omnia quidem jura ad nos transeunt, possessio autem, nisi naturaliter comprehensa sit, ad nos non pertinet.* Possessio enim alia dicitur *facti* duntaxat, nullo scilicet juris adminiculo fulta, ideóque dici potest extra juridica, quamvis corpore, & animo habeatur, & in eo sensu dicatur *naturalis*. Hæc possessio *facti* stat in eo, quòd res de facto possideatur animo simul, & corpore, quæ exinde appellari etiam solet possessio *naturalis*. Sic qui iniquè invadit possessionem agri, legitimè possessi à suo Domino, dicitur habere possessionem *facti*, seu merè *naturalem*. Possessio juris definitur à Covarruvia *ad regulam possessor* sic: apprehensio rei corporalis vera, vel ficta corpore, & animô, jurisque adminiculô. Hæc juridica possessio triplex est, ut bene expendit P. Petrus Deonate Tom. 2. Tract. 20. de hypothecis disp. 58. à num. 31. altera nempe est possessio *realis*, quæ etiam vocatur *actualis*, & *corporalis*. *Actualis*, quia actu per eam res apprehenditur, & *corporalis*, quia non solùm jus ad eam apprehendendam, sed etiam ipsum corpus ejus per eam tenetur.

Hæc inquam possessio corporalis est nuda, & 252.
mera apprehensio rei sine ulla alia facultate, & jure absoluta præter nudam, & solam facultatē detinendi eam apud se licitè, & sine peccato. Sic pignoratarius possidet licitè pignus absque ullo dominio adhuc partiali, ut dicemus num. 259. neque habet ullum jus proprietatis in re absolutum, sed titulum ad habendum sub conditione jus in re, & dominium; nam si sibi non solvatur, licèt non possit privata authoritate, potest tamen authoritate Judicis plenum dominium pignoris vel in se transferre, vel alienare, & distrahere, ut sibi pretii dominium habeat; illico enim jubebit judex hypothecarium in possessionem mitti, ut constat toto Tit. *de rebus authoritate Judicis possidendis, & de miss. in possess.* & C. *unde vi*, maximè L. 7. *si quis in tantum*; unde hæc possessio dicitur *precaria*, & *conditionalis*, atque habita nomine, & vice veri Domini, qui est debitor. Quare creditor non potest rem pignori datam vendere, nec usumfructum illius, aut usum, aut aliquid aliud jus in illam conferre, nec vendere ante moram, nec commutare, nec locare. Alia dicitur *naturalis*, ut quando quis animo simul, & corpore agrum possidet, quo saltem uti potest, aut etiam frui, videlicet ponendò pedes intra agrum suum, & illum tanquam suum acceptandò ad usum saltem, aut fruitionem simul: possessio equidem, ut docet Paulus Jurisconsultus L. *possessio*, ff. *de acquir. poss.* appellata est à pedibus, quasi pedū positio, quomodo solent res corporeæ immobiles possideri. Alia dicitur *civilis*, quæ in eo consistit, ut animo retineatur res, quæ naturali juris possessione dominio proprietatis primò habita fuit; & per hanc civilem possessionem conservatur ea juris prima naturalis possessio. Hanc

habere

habere non dubitatur, qui plenum rei dominium habet.

253. Tertius casus est, quando alicui legatur aliquid determinatũ in individuo, ut talis fundus, talis servus; tunc enim statim, ac hæres adit hæreditatem, legatarius etiam ignorans acquirit dominium rei legatæ; imò ex juris fictione censetur acquisivisse dominium rei legatæ ab ipsa morte Testatoris. Ita colligitur ex L. *à filio* ff. *de furtis*, ubi dicitur: *ea, quæ legantur, recta via ab eo, qui legavit, ad eum, cui legata sunt, transeunt*; & ex L. *si tibi*, §. *cùm servus*, ff. *de legat.* ubi dicitur: *cùm servus legatur, & ipsius servi status, & omnium, quæ personam ejus attingunt, in suspenso sunt; nam si legatarius repulerit à se legatum, nunquam ejus fuisse videbitur, si non repulerit, ex die aditæ hæreditatis, ejus intelligitur*, atque hoc ipsum docet ibi Glossa, & communis sententia; quando verò alicui legatur aliquid certum in quantitate, & in incertum in individuo, ut tanta pecunia, tantum frumentum, licèt adita hæreditate legatarius non comparet dominium illius, conceditur tamen legatario actio hypothecaria, per quam bona defuncti, ad quemcunque perveniant, manent hypothecata, & obligata pro solutione talis legati, ut habetur L. 1. & 2. *quamvis* Cod. *de legatis*. Eadem actio hypothecaria conceditur legatario, cùm aliquid est legatum in singulari, & in individuo; unde si res legata culpâ hæredis consumpta fuerit, vel delata in regionem longinquam, obligantur bona hæreditaria pro solutione legati. Differt autem hypotheca à pignore, quando pignus non solùm obligatur, sed etiam tradi debet creditori; hypotheca autem obligatur solùm, sed non debet tradi.

254. Quartus casus est, quando quis aliquid donaverit alteri ea lege, ut donatarius alimenta det donatori; si donatarius non det alimenta, statim ante traditionem dominium rei donatæ revertitur ad donatorem. Ita statuitur L. *si doceas*, Cod. *de donationibus, quæ sub modo, vel conditione, vel certo tempore conficiuntur*, per hæc verba: *si doceas*, (*ut affirmas*) *nepti tuæ ea lege esse donatum à te, ut certa tibi alimenta præberet, vendicationem ob casum utilem* (*eò quòd legi illa obtemperare noluerit*) *impetrare potes*, id est actionem, qua dominium pristinum restituatur tibi; nam non solùm condictio quædã hoc casu, id est in personam actio jure procedit, verùm etiam vendicationem quoque Divi Principes in hoc casu dandam esse censerunt.

255. Quintus casus est, quando quis alteri aliquid sub ea conditione donavit, ut finito certo tempore res illa devenerit ad quemdam tertium, transacto tempore statuto dominium rei transit ad illum tertium etiam absentem, & ignorantem. Ita docent Decius, pluresque alii contra Covarruvias 2. *variarum resolutionum* Cap. 4. & videtur inferri L. *quoties*, Cod. *de donationibus, quæ sub modo*, ubi sic statuitur: *quoties donatio ita conficitur, ut post tempus id, quod donatum est aliis, restituatur, veteris juris authoritate rescriptum est; si is, in quem liberalitatis compendium conferebatur, stipulatus non sit, placiti fide non impleta, ei, qui liberalitatis author fuit, vel hæredibus ejus condictitiæ actionis persecutionem competere.*

256. Sextus casus, quem affert Covarruvias lib. 3. *variarum* Cap. 19. est in contractu societatis omnium bonorum per matrimonium. Septimus casus, quem alii assignant, est, quando Princeps donat, aut vendit aliquid, aliúmve contractum celebrat translativum dominii; nam tunc ante traditionem transfert dominium. Ratio est, quia Princeps, cujus est leges condere, potest per suam voluntatem transferre dominium ante traditionem; unde verisimile est, quòd velit, adeóque transferat: jure enim naturæ necessaria non est traditio, sed jure positivo, quamquàm hoc jus positivum sit rationi maximè consentaneum; quia sicut ut possim naturaliter uti re aliqua, requiritur in me vis utendi, & in re conveniens applicatio, ita, ut possim re aliqua uti moraliter tanquam Dominus, requiritur ex parte mea aliquod jus per contractum aliquem, vel similem modum, & ex parte rei debita applicatio, quæ fit per traditionem, vel apprehensionem. Accedit insuper, quòd hac ratione evitetur etiam incertitudo dominiorum, multarum litium seminarium.

257. Quapropter Covarruvias, Molina, & alii, censent, quòd Princeps, nisi aliud expressè testetur, solùm confert dominium ante traditionem, quando donat, aut dat privilegia; quia Princeps tunc præsumitur agere tanquam Princeps non subjectus illi legi positivæ, atque adeò tunc præsumitur habere voluntatem transferendi dominium absque traditione; quando verò facit contractus onerosos, non censetur eo modo agere, proindéque non est præsumendũ, quòd transferat dominium ante traditionem. Præter hos septem casus, ait Lessius lib. 2. Cap. 3. dub. 3. num. 16. vix invenias alios, in quibus ad comparandum dominium sive plenum, sive non plenũ non requiritur traditio in jure communi Cæsareo; nam de juribus propriis variorum Regnorum, vel dominiorum, nobis non est hìc sermo. Possunt quidem esse plures leges sibi peculiares, & municipales, ex quibus transferatur dominium ante traditionem. Sic in Regno Castellæ L. 45. *tauri*, sancitum est, ut mortuo possessore majoratûs possessio tum civilis, tum naturalis bonorum majoratûs transeat ad legitimum successorem, non obstante, quòd alius occupaverit possessionem talium bonorum. Quare si transit possessio ante traditionem, à fortiori transit dominium.

258. Advertendum tamen est, ad jus hypothecæ, vel pignoris talem traditionem, aut apprehensionem non esse necessariam, sed sufficere nudam conventionem, vel legis dispositionem, ut pater L. *conventio*, §. *cùm prævium pignori* ff. *de pignoribus*; & quidem pignoratarius circa pignus nullum habet jus in re, sed statuitur, ut sub tali conditione, E. G. adveniente mora, possit de con-

de consensu debitoris, vel authoritate Judicis acquirere jus in re, & dominium, quod jus in re, aut dominium nondum habet ratione realis, & juridicæ possessionis, pignoris; unde incideret in interdictum, & amitteret jus ad pignus, & ad debitum principale, & tantundem fisco lueret, qui sibi possessionem vel violenter, vel dolosè sine authoritate Judicis, vel consensu debitoris privata authoritate arrogârit, ut habetur L. 7. *si quis in tantam*, Cod. *unde vi.*

SECTIO III.

Utiles doctrinæ nostræ Illationes.

259. Fit 1. ex dictis, creditorem pignoratitium nullum habere circa pignus jus in re, ac proinde neque habere dominium, neque ullam partem dominii, qua constituatur adhuc semiplenè Dominus. Ratio est, quia non habet pignus sibi devinctum ad utendum illo, ut suo, sive authoritate in commodum propriæ libertatis, ut constat num. superiori; quod quidem requirebatur ad jus proprietatis ex dictis n. 214. atque adeò ad hoc munus non potest dici, quòd habeat jus in re ligatum, & impeditum, sed dici debet, non habere hucusque collatum jus in re, sed quòd si adveniat conditio in jure requisita, conferetur illi ex aliena authoritate jus in re. Quapropter licèt creditor habeat possessionem realem pignoris, at Jus Civile totum dominium agnoscit penes debitorem, qui rem pignori dedit. Sic L. *cùm & sortis*, §. *pignus*, ff. *de pignorat. actione* dicitur, pignus manente proprietate debitoris solam possessionem transfert ad creditorem, potest tamen & precario, & pro conducto debitor re sua uti; & L. *debitor*, ff. eodem: debitor à creditore pignus, quod dedit, frustra emit, cùm rei suæ nulla emptio sit; & L. *conventio*, §. *cùm prædium* ff. *de pignoribus*, quæstio pignoris ab intentione dominii separatur, quod in fructibus dissimile est, qui nunquam debitoris fuerunt; & L. *rescriptum*, ff. *de distractione pignorum, vel hypothecarum*, creditorem à debitore pignus emere posse, quia in dominio manet debitoris.

260. Hæc enim est ratio, cur pignoratia actio non non vocetur in jure ea, quæ datur creditori, ut pignus recipiat, retineat, & pretiò non solutò vendat, aut solutò pretiò pignus reddat, & prima quasi facie videtur, sed vocatur ea, quam habet debitor, ut solutò pretiò pignus sibi reddatur, ut constat ex toto Titulo *de pignoratitia actione*, maximè L. *si necessitas*, §. *omnis pecunia*, ubi dicitur: *omnis pecuuia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum esse, ut nascatur pignoratitia actio*: itaque pignoratitia actio est jus, quod habet debitor ad repetendum pignus suum solutò debitò, & vocatur etiam hypothecaria directa L. *solutum*, §. *sed si Procurator* eodem Titulo: *sed si Procurator meus, vel Tutor rem pignori dederit, ipse agere pignoratitia poterit.* Econtra jus, quod habet creditor, ut conventum pignus sibi præstetur, ut suo tempore vendat, aut expensas, & damna more, & interesse recuperet, vocatur contraria pignoratitia, ut expressè habetur L. *si necessitas* eodem Tit. Unde vocatur etiam actio Serviana ea, quam habet creditor adversus debitorem, qui rem alienam in pignus dedit, vel pignori priori annexam, ut habetur L. *si creditor* eod. Tit. Quare ad dominium non sufficit possessio duntaxat realis juridica, sed requiritur naturalis, aut civilis explicata num. 252.

Fit 2. Illum, qui habet dominium plenum, 261.
gaudere facultate percipiendi omne commodũ sibi possibile ex re, cujus est Dominus, si lege non prohibeatur. Ratio est, quia si omne commodum, sibi possibile, & lege non prohibitum non posset ex jure suo percipere, non haberet jus ad perfectè disponendum de re, ac proinde non esset plenè Dominus, ut constat à n. 245. Si autem Dominus ex perfectione sui incapax sit utilitatis intrinsecæ, sive qua meliùs se habeat, poterit quàm optimè de re perfectè disponere, quin ex ea talem utilitatem percipiat, ut patet in Deo; quod idem dicendum est, si aliquis usus rei ex magna mixtura imperfectionis, & magna perfectione ipsius Domini sit impossibilis ipsi Domino; sic Deus est supremus Dominus equi, quin equitare possit, & Angelus retinere potest verum dominium panis, quin pane suo possit vesci; cùm enim tales usus rei ex maxima imperfectionis mixtura repugnent perfectioni Domini, sintque Domino impossibiles, & dominium non tendat ad impossibile, nequaquàm requiruntur ad perfectum dominium talis Domini. Quòd si Dominus ex sui imperfectione capax esset ad recipiendam utilitatem ex tali usu, jam tunc requireretur facultas ad talem usum, ut posset perfectè de re disponere, atque exinde apparet ratio fundamentalis ad resolvendas plures quæstiones in hac materia, de quibus alii fusissimè agunt. Quare

Fit 3. quid dicendum sit ad quæstionem, in 262.
qua quæritur, an ad perfectum dominium requiratur jus reflexum, seu potestas abdicandi dominium? hæc enim controversia ex præactis fundamentis facilè resolvitur dicendò, tale dominium reflexum esse necessarium ad dominium plenum relatè ad Dominum potentem abdicare dominium, & ex eo usu sibi accipere utilitatem convenientem, secus relatè ad Dominum propter infinitam suam perfectionem reddentem impossibilem utilitatem sibi ex tali usu, vel cui ex intrinsecis suis sit impossibilis dominii abdicatio. Quare ad plenum dominium Dei supra creaturas non requiritur jus illud reflexum, seu potestas abdicandi dominium, cùm hic usus relatè ad Deum sit intrinsecè impossibilis non minùs, quàm sit impossibile, quòd Deus non sit Deus, vel quòd possit deponere Deitatem; relatè verò ad nos requiritur tale jus reflexum ad plenum dominium, quia & capaces sumus talis usûs, & per se non repugnat, quòd ex illo percipiamus utilitatem: etenim homini utile est per alienationem rei suæ obligare

gare viros potentes, vel eam rem commutare in rem meliorem, idcirco omnes existimant, eos, qui ita sunt rerum suarum Domini, ut habeant jus eas donandi, vendendi, & alienandi, esse Dominos perfectiores illis, qui non habent hoc jus, quod facilè explicari potest dicendò, dominium Dei utpote ab omni imperfectione depuratum non posse deponi, quia est dominium indigentiæ; idcirco dominium directum separatum ab utili non est plenum, neque fit plenum, nisi quando iterum reunitur cum utili, ut constat ex Jure Civili adducto num. 240. & ex ratione à nobis superiùs adducta.

263. Fit 4. quid etiam dicendum ad alteras quæstiones, in quibus quæritur, utrum Dominus habeat jus disponendi de re sua solùm ad usus licitos, an etiam ad illicitos, & an possit licitè, an saltem validè promittere, aut dare rem suam in pretium operis turpis, & peccaminosi? istæ namque controversiæ facilè eliduntur dicendò, Dominum non habere jus ad componendum actum licitum cum lege prohibente talem usum, neque ad componendum actum validum cum lege prohibente valorem; nam facultas ad faciendum, quòd actus prohibitus in sensu composito prohibitionis non sit prohibitus, & actus invalidatus in sensu composito invalidationis, non sit invalidus, est chymæra; cùm autem Dominus nunquam habeat jus ad chymæras, exinde non habet jus ad tales actus licitè, & validè faciendos in sensu composito legis prohibentis usum licitum, ejusque valorem; quare solùm habet jus ad eos actus eliciendos in sensu diviso ab illis legibus. Sic Petrus, qui habet metaphysicè impeditam, & vinculis constrictam potentiam ambulativam, non habet virtutem ad deambulandum in sensu composito illius impedimenti, sed ad ambulandum in sensu diviso.

264. Quòd si leges prohibeant licitum usum, & non valorem actûs ex præsuppositione talis prohibitionis, atque in sensu composito illius tenetur homo jure naturæ abstinere à tali actu dominii; siquidem ipsum lumen naturæ dictat, teneri hominem ad non peccandum; unde contractus inducentes ad peccatum, quatenus ad peccatum inducunt, debent rescindi, ideóque pactio, promissio, & datio pretii pro re turpi perpetranda, antequam res turpis perpetretur, nullam aliam inducit obligationem absolutam, quàm recedendi à tali pacto, & promissione, licèt contineat obligationem aliquam conditionatam, si non rescindatur, quæ non fiet absoluta, nisi adimpleta conditione. Quare in eo, qui promisit pecuniam Sicario, nulla alia resultat obligatio absoluta, quàm revocandi promissionem, & rescindendi contractum; & in Sicario, qui promisit homicidium, nulla alia resultat obligatio absoluta, quàm reddendi pecuniam, & revocandi promissionem homicidii: ita communiter D. D. quos scitat, & sequitur Molina disp. 94. num. 8. Lessius lib. 2. cap. 18. dubitat. 3. & Cardinalis de Lugo disp. 18. sect. 3. Ratio est, quia, ut contractus ille, quatenus inducit ad peccatum (idem suò modò de aliis) generaret de præsenti obligationem absolutam, & non tantùm conditionatam, requireretur, quòd, qui dat, aut promittit pecuniam Sicario, acquireret jus ad homicidium perpetrandum, quòd Sicarius contraheret obligationem faciendi homicidium; sed talis obligatio, utpote obligatio ad peccandum jure naturæ repugnat: ergo &c. Quamobrem doctrina hujus nostræ illationis decisa jam est in Jure Canonico caus. 2. 2. q. 4. per multa capita, & præsertim cap. *in malis*, ubi dicitur: *in malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè vovisti, ne facias; impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.*

Nihilominus qui habet jus non quidem impeditum quoad validum, sed tantùm quoad usum licitum, validè donat, licèt ex pravo fine alliciendi ad peccatum donet, ut certum est apud Theologos ex dictis à num. 57. & notat etiam Cardinalis de Lugo disp. 18. sect. 3. num. 45. Quare præsens difficultas solùm de pactis, & promissionibus propter peccatum, an scilicet obligent ex justitia pacta, seu promissiones illæ non quidem quatenus inducunt ad peccatũ, sed quatenus subsequuntur jam effectum, & respiciunt peccatum ut terminum præsuppositũ, habentque annexum materiale pretiò æstimabile parere obligationem justitiæ, attento solo jure naturæ, ac proinde esse validas perpetratò jam peccatò, si antea solùm quoad usum licitum prohibitæ fuerint, communis est Theologorum sententia, ut videri potest apud laudatum Eminentissimum; unde qui promisit, aut dedit Sicario pretium proportionatum pro homicidio faciendo, & promissionem non retractavit post perpetratum homicidium standò præcisè in jure naturæ absolutè obligatur ex justitia ad solvendum pretium, & Sicarius potest validè, & licitè retinere pretium. 265.

Ratio est, quia perpetratò jam peccatò, & præsuppositò ut purò terminò adimpletio pacti nullo modo est peccaminosa, sicut neque est peccaminosa actio justitiæ vindicativæ præsuppositò delictò; idem est de pœna præsuppositò jam peccatò; non enim est injusta, sed potiùs justa, & laudabilis: ergo ea pacta post perpetratum peccatum, & attento solo jure naturæ obligant ex justitia; & certè si res hæc attentè expendatur, videtur omnium consensu firmata, & lumine naturæ nota; sic docent omnes, atque ipsum lumen naturæ dictat, illum, qui promissò conjugiò defloravit virginem, teneri postea ex justitia servare promissum; quamquam non aliter promissum fuerit, nisi in pretium turpidudinis præteritæ, quæ aliquid habebat pretiò æstimabili; neque id tunc fit in approbationem, aut complacentiam peccati commissi, sed quia promittenti placet fidelitas in promissis, vultque implere obligationem inde ortam, & promissario placet lucrũ illud, ad quod jam accipiendum nullum requiritur peccatum. 266.

267. Veruntamen hæc satis non sunt ad præsentem difficultatem penitus dissovendam, nam quamquàm attento solo jure naturæ ea pacta post perpetratum jam peccatum obligent ex justitia, manet adhuc difficultas, an obligent ex justitia attento jure positivo, quod perinde est, ac quærere, an ea pacta adhuc post perpetratum peccatum, licèt non sint invalida ex jure naturæ, sint tamen invalida ex jure positivo, ac proinde nullam pariant obligationem ex justitia? inter quatuor classes invenio Authores divisos in rem præsentem. Prima classis docet, pro nullo opere, quod per se turpe, seu peccaminosum sit, ut fornicatio, adulterium, homicidium posse aliquid accipi, & si quid sit acceptum, esse necessariò restituendum. Ita Joannes Medina Cod. de restitut. quæst. 20. & 28. & alii, quos refert Covarruvias in regulam *peccatum* part. 2. §. 2. num. 1. tum etiam alii, quos affert Diana part. 2. Tract. 2. Miscellaneo resolut. 40. dicentes, usum turpem corporis non esse vendibilem, nec pro eo deberi pretium, cùm sit aliquid intrinsecè malum. Secunda sententia defendit, pretium acceptum pro re turpi, quòd non sit contra justitiam, non esse restituendum, secus verò si sit contra justitiam. Ita Sotus lib. 4. quæst. 7. art. 1. ad 2.

268. Tertia Doctorum classis censet, acceptum pro omni opere pravo, quod legibus punitur, esse restituendum, secus verò id, quod acceptũ est pro opere pravo, quod leges non puniunt. Unde quia fornicatio cum meretricibus non punitur jure positivo, justè retinent meretrices pretium ex pacto inito, præsertim si non sit aliquid prodigè promissum, nam si prodigè promissum sit, ut si quis meretrici 100. aureos promiserit, censent communiter D. D. non teneri postea, nisi ad illam summam, quæ ejusmodi meretricibus dari consuevit à viris ejus conditionis; licèt aliqui cum Molina, & Emientissimo de Lugo censeant, ad totum teneri. Econtra verò, quia homicidium legibus punitur, censet ista sententia, pactum dandi Sicario v. g. centum, ut faciat homicidium, adhuc perpetratò homicidiò non afferre obligationem ex justitia; ideóque non posse Sicarium justè retinere, sed debere restituere, si quid ex pacto recepit. Ita plures Jurisconsulti, aliique Theologi, quos citant Molina, Lessius, & Eminentissimus de Lugo.

269. Quarta Doctorum classis propugnat, illa pacta post perpetratum peccatum obligare ex justitia, proindéque justè retineri pretium acceptum, neque esse obligationem restituendi ante Judicis sententiam, nisi sint talia delicta, circa quæ leges expressè irritant pacta, redduntque hominem incapacem accipiendi pretium, & retinendi. Quales sunt leges contra Simoniacos in materia beneficiorum, ingressu religionis, & ordine, de quo Thomas Sanchez lib. 2. Consiliorum cap. 3. dub. 111. & 113. aliæque similes, ut est illa, quæ continetur in Extravag. Gregorii XII. Anno 1574. contra dantes, & accipientes aliquid pro justitia, vel pro gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda. Unde quando leges pacta expressè non irritant post perpetratum peccatum, obligant ex justitia, sive peccatum sit ex illis, quæ legibus puniuntur, sive ex illis, quæ à legibus non puniuntur. Ita Molina, Lessius, & communiter Theologi, quos citat, & sequitur Cardinalis de Lugo disp. 18. sect. 3. num. 37. Hæc quarta sententia consentanea est principiis nostris, & omnino tenenda.

270. Ratio ex hucusque dictis est, quia illa pacta non sunt jure naturæ irrita, ut constat n. 266. imò præsuppositò jam peccatò, sive conditione, sub qua promissio obligat ad dandum pretium, pariunt obligationem ex justitia: ergo ejusmodi pacta, dummodo lege positiva expressè non irritentur, manent cum sua vi, proindéque perpetratò peccatò pariunt obligationem ex justitia. Et quidem ni fallor, magnam æquivocationem patiuntur Adversarii, dum ejusmodi pacta considerant; nam ut optimè notavit Vasquez cap. 3. de restit. dub. 11. per ea pacta non dicitur, si facias hoc, peccabo, quod per se invalidum est, cùm nemo sub illa conditione possit validè se obligare ad peccandum, neque dare alteri jus, quòd ex justitia possit sub illa conditione obligare aliquem ad peccandum, sed dicunt, si committas hoc peccatum, quod mihi affert aliquid pretiò æstimabile, dabo tibi 100. quando actio illa jam non erit peccatum, quæ nempe tendentia toto cælo est diversa ab altera, cùm tendat ad dandum aliquid, quod non est peccatum, & quod præsuppositò peccato licitè dari potest; unde si lex positiva non irritet valorem eorum contractuum, retinebunt vim suam, & præsuppositò peccato parient obligationem ex justitia.

271. Quamobrem grande discrimen adest inter hæc pacta, de quibus agimus, quæ solùm obligant ad faciendam rem licitam, & altera, quæ obligarent ad faciendam rem illicitam; siquidẽ obligatio ad faciendam rem illicitam est nulla, & purè chymærica; at obligatio ad faciendam rem licitam, sive quæ hìc, & nunc per se licitè fieri potest, non est chymærica, sed potiùs capax, ut ejusmodi obligatione homines verè, & realiter constringantur. Unde leges generaliter annullantes, & irritantes omnia pacta de re turpi, consentaneæ sunt legi naturæ, per quam ejusmodi pacta sunt irrita, & nulla; ideóque tales leges positivæ sunt quasi declarationes legis naturæ, & novus titulus ad irritandum, quæ lege naturæ jam censentur irritata. Quo in sensu intelligitur L. *generaliter*, ff. *de verb. obligat.* ubi dicitur: *generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti*; & L. *pacta*, Cod. *de pactis*: *pacta, quæ contra leges, constitutionésque, vel contra bonos mores fiunt, nullam habere vim, indubitati juris est. Indubitati quidem juris, nempe juris naturæ est.* Et L. *plagii* ff. *de verb. obligat. si plagii faciendi, vel facti causa conceptum fuit, stipulatio ab initio non valet*; id est

id est, ut exponit Molina disp. 49. num. 11. ab initio non valet ut ordinata ad rem pravam faciendam, vel ad jam factam approbandam, cùm non valeat dari obligatio ad malum; at stipulatio illa ab initio non est irrita, prout respicit obligationem dandi præsuppositio jam peccato pretium pro labore, & periculis promissũ; siquidem in solutione talis pretii nullum tunc intervenit peccatum.

272. Idcirco istæ, & aliæ ejusmodi leges in hoc sensu explicatæ, nihil aliud prohibent, nisi quod lumine naturæ jam est prohibitum, proindéque ex illis extracta esse videtur regula 149. Juris Civilis juxta regulas, quæ habentur in Pandectis Florentinis, & apponuntur post regulas juris in sexto in Editione Romana cum privilegio Gregorii XIII. Anno 1582. ubi ea regula ita habet: *quærerum naturâ prohibentur, nulla lege confirmata sunt*; cùm autem aliqua solutio pretii post aliquod crimen patratum à Jure Civili approbetur, & confirmetur, exinde apparet, non censeri vel ab ipso Jure Civili invalidum jure naturæ pactum de dando pretio justo post perpetratum peccatum, quod clarè constat ex L. *idem etsi* ff. *de condictione ob turpem causam* §. *sed quod meretrici*, ubi dicitur, *sed quod meretrici datur, repeti non potest*, ut Labeus, & Marcellus scribunt, sed nova ratione non ea, qua utriusque turpidudo versatur, sed solius dantis: illa enim turpiter facere, quòd sit meretrix, sed non turpiter accipere, cùm sit meretrix, quæ lex, ut justa sit, non aliter exponi potest, nisi dicendo, non posse justè accipere pretium, ut sit meretrix, & ut peccet, cùm hoc turpe sit, posse tamen post perpetratum peccatum retinere justè pretium, cùm hoc turpe non sit.

273. Cæterùm si velimus leges istas civiles exponere non modò prout confirmant jus naturæ, sed etiam prout includunt effectum aliquem proprium Juris Civilis, adhuc possunt juxta doctrinam nostram valde congruenter exponi. Duplex namque sensus excogitari potest in illis legibus. Primus est, ut leges illæ habeant sensum irritativum, & annullativum pacti de dando pretio post factum etiam peccatum; ita ut pactum illud non quidem prout respicit obligationem peccandi, sed prout respicit obligationem dandi pretium etiam post perpetratum peccatum sit ab initio irritum, & nullum. Secundus sensus est, ut leges illæ nequaquam irritent, & annullent illud pactum pro foro interno ante latam in foro externo sententiam, sed solùm decernunt invaliditatem in foro externo, ut eis concedatur actio ad exigendum, imò teneantur, qui pactum illud inserunt, stare sententiæ, quæ contra ipsos feratur in foro exteriori; licèt per talem sententiam in pœnam delicti commissi pretium illud applicetur fisco, pauperibus, aut aliis; quare cùm fornicatio cum meretricibus non puniatur in Jure Civili, non tollitur, sed potiùs conceditur actio ad exigendum pretium propter illam promissum.

Quòd autem leges illæ adhuc ex suppositione, quòd inducant effectum aliquem peculiarem Juris Civilis supra obligationem, quæ jure naturæ inducitur, debeant intelligi non quidem in primo, sed in secundo sensu explicato, proindéque quòd pacta illa non sint in foro interno ab initio invalida, licèt in exteriori foro invalidanda sint, & punienda, vel saltem punibilia, suadetur duplici ratione. Prima est, quia ut bene notat Lessius lib. 2. cap. 14. de restit. n. 57. leges positivæ ita sunt interpretandæ, si fieri possit, ut dispositioni juris naturalis consonent: atqui, ut ex dictis constat, capaces sunt, ut exponantur in hoc secundo sensu juri naturæ consentaneo, qui non rescindit obligationem naturalem, quæ ex talibus pactis opere completo nascitur: ergo debemus illas in hoc secundo sensu exponere. Secunda ratio est, quia illa est vera legum expositio, quæ consona est communi hominum sensui: sed talis est ista expositio à nobis adducta, aliter miles deberet restituere stipendium acceptum in bello injusto, & faber pretium instrumenti fabricati ad furta, & homicidia, & armorum ad bella iniqua, quæ omnia sunt contra communem hominum sensum, ut bene notat Lessius loco suprà citato, & Covarruvias ad regulam *peccatum* parte 2. §. 2. Accedit, quòd iste est sensus communis Theologorum, ut testatur Eminentissimus de Lugo citatus num. 269. atqui vera intelligentia legũ pro foro interno optimè infertur ex communi sensu Theologorum: ergo ea pacta ad solvendum pretium post delictum jam perpetratum habenda sunt in foro interno, non solùm jure naturali, sed etiam jure positivo valida. Exinde

274.

Fit 5. Ea pacta solùm obligare post perpetratum peccatum ad actionem, quæ sine peccato fieri potest; unde si aliqua pacta respicerent actionem, quæ non posset sine novo peccato exerceri, nequaquàm possent ad illũ obligare. Quare si opus, vel omissio ex justitia sint debita proximo, non potest pro illis quidquam exigi, & quod acceptum fuerit, est restituendum. Ratio est, quia talis acceptio est peccaminosa; unde non potest circa illam versari obligatio ex justitia: manifestè quippe violatur æquitas, si pro eo, quod jam est debitum ex justitia, aliquid amplius exigatur, vel accepiatur; id enim, quod datur pro justitia obtinenda, vel injustitia vitanda, non censetur dari sponte, sed coactè, & ex injustitiæ metu proveniente ab eo, cui datur, ideóque judex tenetur restituere, quod accepit, ut justam sententiam ferret, si illud datum est timore injuriæ aliàs non dandum; sic etiam meretrix, quæ se virginem finxit ad extorquendum ex pacto majus pretium, debet restituere excessum, solúmque retinere poterit æquale pretio, quod communiter accipit ab aliis ejusdem conditionis. Verùm de hujusmodi obligationibus fusè infrà agendum est, cùm de restitutione.

275.

SECTIO IV.

Solvuntur Oppositа.

276. OBjicies 1. contra primam assertionem: dominium non est formaliter jus, sed quid prius jure: ergo non bene definitur per jus. Probatur ant. Ideo Petrus habet jus in re aliqua ad omnem usum, & dispositionem, quia est ejus Dominus, & non econtra: ergo &c. Resp. 1. neg. ant. ad probationem dist. ant. quoad primam partem, ideo causaliter, nego, ideo formaliter, conc. primam, & distincta eodem modo secunda parte antecedentis, nego conseq. Ratio est, quia ly *ideo* ex communi hominum acceptione potest dupliciter sumi. Primò causaliter, sic dicimus, ideo existit Petrus, quia Deus illum produxit, cúmque causa, & effectus sint duo realiter distincta, exinde quando in hac acceptione dicimus: ideo datur unum, quia datur aliud, significamus duo essentialiter distincta. Secundò sumi solet formaliter, quando nempe ex ratione formali constitutiva affirmamus constitutum, vel econtra; cúmque ratio formalis constitutiva, & constitutum non sint realiter duo, sed unum, quando ly *ideo* in hac acceptione sumitur, non significamus duo realiter distincta, sed unum, & idem. Sic dicimus, ideo est homo, quia est animal rationale, ideo est animal rationale, quia est homo; ideo Petrus potest intelligere, quia habet intellectum, ideo habet intellectum, quia est potens intelligere. In hoc ergo sensu dicimus, ideo Petrus est Dominus, quia habet jus perfectè disponendi de re, & econtra, ideo habet intellectus jus, quia est Dominus; unde non significamus distinctionem realem, sed identitatem inter utrumque.

277. Objicies 2. Ille, qui est usufructuarius alicujus rei, habet jus perfectè disponendi de illa re, sive utendi illa ad omnes usus, nisi lege prohibeatur: atqui usufructuarius non habet dominium plenum circa rem; etgo dominium plenum non bene definitur dicendò, quòd sit jus perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur. Confirmatur. Quilibet homo habet jus disponendi de omnibus rebus mundi perfectè, sive ad omnes usus, nisi lege prohibeatur: & eatenus non potest disponere ex jure suo, quia lege prohibetur: atqui non habet dominium plenum circa res omnes mundi: ergo &c. Resp. neg. maj. quia usufructuarius non habet jus disponendi perfectè de re, sed disponendi tantùm imperfectè, ideóque non habet facultatem ad omnes rei usus ex jure suo, sed tantùm ad aliquos; ut enim haberet jus perfectè disponendi de re, nisi lege probibeatur, opus erat, quòd adveniente lege prohibente, retineret jus quâvis ligatum, & impeditum; cúmque usufructuarius non retineat jus adhuc ligatum, & impeditum ad perfectè utendum re illa, exinde non habet jus perfectè disponendi de illa re, nisi lege prohibeatur; sunt enim duo valde distincta, & diversissimæ sunt istæ duæ leges, altera, qua alicui prohibetur usus rei, quia non habet jus circa illam, & altera, qua alicui prohibetur usus juris, quod habet, ut statim dicemus.

278. Ad confirmationem neg. maj. quoad utramque partem; ratio est, quia dupliciter potest lex prohibere alicui usum rei. Primò quidem prohibendò usum rei, ad quam jus non habet. Sic prohibentur homines uti re non sua; secundò prohibendò usum rei, ad quam jus habet; sic prohibetur pupillus uti re sua. Prima lex non ligat jus, sed ligat hominem, quia jure caret, & hæc non supponit in homine dominiũ circa rem, ac proinde neque supponit jus perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur. Secunda lex non ex eo titulo ligat hominem, sed quia ligat jus hominis in re; & hæc supponit in homine dominium circa rem, quod si sit plenum, eo ipso per legem supponitur ligatum jus perfectè disponendi de re; idcirco sæpe contingit, quòd personæ tollatur impedimentum, ut possit re licitè uti, qua uti non poterat, quia lege prohibente ligata erat, quin tollatur impedimentum juris, quod quia nunquam existit, nunquam fuit lege ligatum. Sic ille, cui conceditur simplex usus facti omnino, & semper revocabilis, manet expeditus ad usum rei, & liber à legis vinculo, quo ligabatur, quin concedatur illi jus ullum ad rem, vel in re, ut dicemus infrà, tum etiam pauperi in extrema necessitate constituto tollitur ligamen, quo non poterat uti re aliqua, quia non erat sua, nec habebat licentiam utendi, quin illi conferatur jus, ut constat ex dictis à num. 29. & 5. Unde clarè apparet, quàm malè deducatur, esse ligatum jus ex eo, quòd sit ligata persona, vel quòd quilibet homo habeat jus disponendi perfectè, sive ad omnes usus de omnibus rebus mundi, nisi lege prohibeatur.

279. Objicies 3. Dominium directum nudum, seu separatum ab utili, est dominium plenum: sed non est jus perfectè disponendi de re: ergo non bene definitur dominium plenum dicendò, quòd sit jus perfectè disponendi de re. Probatur maj. qui habet dominium directum nudũ lege ligatum, non minùs habet suum jus ligatum, quàm pupillus, sed dominium pupilli est dominium plenum: ergo dominium directum nudum est etiam dominium plenum. Confirmatur 1. Ad dominium plenum satis est jus disponendi de re, præsertim in propriam utilitatem: sed tale est dominium directum nudum: ergo &c. Confirmatur 2. Qui possident majoratum, quem alienare non possunt, sive fidei commissum, non habent jus perfectè disponendi de re: atqui habent dominium plenum; aliter nullus esset plenè Dominus illorum bonorum: ergo ad dominium plenum non requiritur jus perfectè disponendi de re.

280. Resp. neg. maj. ad prob. dist. maj. non minùs habet ligatũ jus suum adæquatũ, N. inadæquatum, C.M. & conc. min. neg. conseq. quia cùm lex nullam partem juris afferat, neque ablatam suppo-

ſupponat in pupillo, ligat in illo adæquatum jus circa rem; at cùm in Domino purè directo non ſupponatur adæquatum, ſed inadæquatum jus, exinde lex in illo non ligat adæquatum, ſed inadæquatum jus; ut enim ex ipſis terminis conſtat, quantum juris accipit uſufructuarius, tantum amittit Dominus purè directus; cùm autem uſufructuarius accipiat jus utendi, & fruendi, ut conſtat à num 217. conſequens eſt, ut Dominus purè directus jus illud amittat, proindéque non retinet adæquatum jus circa rem, ſive ad diſponendum perfectè de re. Ad primam confirmationem diſt. maj. jus diſponendi de re perfectè, conc. imperfectè tantùm, neg. maj. & diſtincta min. neg. conſeq. nam licèt Dominus directus habeat jus vendendi, & alienandi rem in propriam utilitatem, poſſitque alias utilitates percipere, de quibus diximus num. 239. at cùm eſt Dominus purè directus, non poteſt vendere, niſi cum gravamine, quod habet relinquendô uſufructuario jus ſuum utendi, & fruendi. Ad ſecundam confirmationem diſt. maj. quem alienare non poſſunt, ſi impotentia ad alienandum proveniat ex defectu juris ad alienationem, neg. maj. ſi proveniat ex lege irritante alienationē, & ligante jus ad illam, conc. maj. & diſtincta pariter min. nego conſeq.

281. Duplex itaque eſt ſententia apud Authores circa majoratum, fidei commiſſum, & alia bona vinculata, quæ alienari non poſſunt. Prima, quam cum pluribus Jurisconſultis tenet Eminentiſſimus de Lugo diſp. 2. ſect. 1. num. 6. docet, illis, quibus majoratus confertur, non conferri jus ad alienationem; unde non habent jus perfectè diſponendi de re, ideóque non habent perfectum dominium; nec eſt ulla perſona realis, ſed perſona ficta à jure, nempe tota integra familia, penes quam dominium plenum eorum bonorum vinculatorum reſideat; ſi enim ille, qui poſſidet majoratum, alienet bona vinculata, tenetur ad reſtitutionem; ex quo apparet, non eſſe illi collatum jus ad alienationem, neque eſſe plenè Dominum, juxta L. *ſi duobus*, §. *ſed quia*, Cod. *communia de legatis*, ubi hæres habens aliqua bona, quæ poſt aliquod tempus juſſus eſt alicui reſtituere, non dicitur interim habere dominium plenum illorum bonorum.

282. Secunda ſententia, quam cum pluribns aliis Jurisconſultis defendit Molina Tract. 2. diſp. 3. cenſet, illum, qui poſſidet majoratum, habere jus ad alienationem, & ad omnes rei uſus, impeditum tamen, & ligatum, L. *irritativa alienationis*, ac proinde eſſe plenè Dominum. Nec refert, quòd ſi alienet in ſenſu compoſito illius legis ligantis jus, & irritantis alienationem, teneatur reſtituere: quia ea lex ideo ligat jus poſſidentis, ne validè alienet, ut poſt mortem ipſius totum illud jus transferatur ad ſucceſſorem, cúmque transferri non poſſet, ſi poſſeſſor caſu, quo alienaret, non teneretur reſtituere, exinde patet, obligationem reſtituendi ortam ex ſuperaddito titulo legis volentis transferre totum illud jus in ſucceſſorē non pugnare cum pleno jure ligato, quod ineſt poſſeſſori. Accedit, quòd ſi poſſeſſor alienandô aliqua ex illis bonis, dat illa Petro, à quo recipit pretiū, cùm recipiat pretium propter rem, quam vendere non poteſt, tenetur reſtituere pretium Petro, contra quem commiſit injuſtitiam, vel tenetur pretium illud applicare majoratui, vel fidei commiſſo, ut maneat, quale debet transferri in ſucceſſorem; per hoc autem minimè infertur, quòd non habeat plenum jus, quamquàm ligatum in ordine ad effectum alienandi; lex verò illa *ſi duobus* non favet Adverſariis, quia talis hæres in ea lege neque affirmatur, neque negatur, quòd ſit plenè Dominus; unde non ex iſta, ſed ex aliis inferendum eſt, an ſit, vel non ſit plenè Dominus.

Fateor equidem, neque deſumi poſſe argu- 283.
mentum ad probandum dominium plenū poſſidentis majoratum ex eo, quòd leges poſſent dare illi adæquatum jus, licèt impeditum quoad effectum alienandi, ſicut neque deſumi poteſt argumentum ad probandum, quòd non ſit plenè Dominus, ex eo, quòd leges poſſent conferre illi jus inadæquatum tollendô jus illud ad alienandum; ſiquidem ex potentia ad actum conſequentia eſt nulla; at pro ſolutione noſtra ſatis eſt, quòd leges & unum, & alterum poſſint decernere; dicimus enim, quòd ſi conferatur adæquatum jus, quamvis ligatum ad alienandum, eo ipſo confertur dominium plenum, ſi verò non conferatur jus adæquatum, dicimus, quòd eo ipſo non confertur dominium plenum; hoc enim ſatis eſt ad aſſertionem noſtram ſuſtinendam, neque hoc ullo modo impugnatur ab Adverſariis; quin potiùs cenſeo, doctrinam hanc certam eſſe, atque ex principiis hucusque jactis legitimè deduci; nihilominus, ne rem iſtam indeciſam relinquamus,

Cenſeo inſuper cum Molina ſuprà cit. non 284.
ſolùm potuiſſe, ſed etiam defacto leges dediſſe adæquatum jus illi, qui poſſidet majoratum, & fidei commiſſum, licèt ligatnm quoad effectū alienandi. Ratio eſt, quia ita videtur expreſsè decerni in L. *generaliter*, §. *ſub conditione*, ff. *qui, & à quibus*, ubi dicitur: *ſub conditione ſervus legatus, pendente conditione pleno jure hæredis eſt: ſed nullam libertatem ab eo conſequi poteſt, ne legatario injuria fieret, ſi ſcilicet impleretur conditio, ad eúmque eo ipſo pertineret*; unde quando aliquis ea de culpa alienare non poſſit rem aliquam, quia adveniente morte poſſeſſoris, aut impleta aliqua conditione res illa tranſitura ſit in dominium alterius, non tollet, quo minùs ante mortem, aut ante impletam conditionem, ſit juxta conſtitutionem legum, perfectus, & plenus Dominus is, qui illam poſſidet. Idem probant alia jura, ut L. *non ideo*, ff. *de rei vindicat.* L. Titia *jus teſtamento*, ff. *de legat.* L. *ſepties* ff. *de auro, & argento legato*, L. finalis, ff. *de uſufructu earum rerum*, & L. *de legatis.*

Id ipſum ſuadet ratio: nam Princeps potens 285.
in lege diſpenſare, cùm aliquando concedit poſ-

sessori facultatem alienandi res aliquas vinculatas, nullum concedit jus, aut dominium, neque possessor eam facultatem postulans, petit, quòd Princeps concedat illi ullum jus, aut dominium, sed quòd tollat legis vinculum circa ea bona, quæ proinde dicuntur vinculata, quo vinculo ablato ex jure, & dominio suo alienare possit, atque ista in casu simili videtur esse omnium persuasio; ex quo deducitur, possessorem vinculi majoratûs, aut fidei commissi in omniû existimatione retinere plenum jus circa illa bona, licèt ligatum, & impeditum à lege irritante alienationem ex fine, ut ea bona transeant cum eo vinculo ad hæredem. Quare ad inveniendum plenum Dominum, non est necesse recurrere ad personam fictam: cùm juxta leges, omniumque existimationem, ex quibus optima habetur legum interpretatio, & expositio, designari possit persona realis, quæ eo pleno dominio gaudeat. Hæc autem ratio non militat pro uxore respectu rerum dotalium, cùm maritus ex lege retineat earum usumfructû, qui pars juris est, ut constat à n. 217. Vide ad n. 289. 266.

286. Objicies 4. contra secundam assertionem. Si ad acquirendum dominium requirerentur regulariter titulus, & possessio, dominium haberetur tanquam ex forma, ex titulo, & possessione, proindeque dominium, quod in casibus à jure exceptis acquireretur sine possessione, distingueretur specie à dominio, quod sine possessione non acquiritur: sed hoc absque ullo fundamento diceretur: ergo vel ad acquirendum dominium non requiritur regulariter possessio, vel in nullo casu acquiri potest sine possessione. Confirmatur. Possessio juridica nunquam amittitur manente titulo, alioquin neganda esset L. *si pignus*, ff. *de pignoratitia actione*, ubi dicitur: *Si pignus mihi traditum per locâssem Domino, per locationem retineo possessionem, quia antequam conduceret debitor, non fuerit ejus possessio: cùm & animus mihi retinendi sit, & conducenti non sit animus possessionem adipiscendi*: ergo sufficit regulariter titulus ad acquirendum dominium.

287. Resp. ex dictis num. 235. dist. maj. si lex sit conditionata, fiatque essentialiter per eos titulos absoluta, conc. si lex sit absoluta, recipiatque eos titulos, ut puros terminos, neg. maj. & distincta pariter min. nego consequentiam. Ratio est, quia si illi tituli constituant legem absolutam, non aliter ab illis proveniet dominium, nisi quatenus provenit à lege absoluta subjiciente rem alicui in bonum suæ libertatis, ut constat à num. 209. quo in sensu una lex non distinguitur specie ab altera, licèt aliunde materialiter distinguatur, ac proinde ex eo capite non potest unum dominium formaliter specie ab altero distingui; si autem titulus, & possessio considerentur ut puri termini, quos sibi præfixit lex absoluta collativa juris, & dominii, illud jus, & dominium non possunt constitui ex titulo, & possessione, sed ex sola lege, tanquâ ex forma, ut constat ex dictis à num. 223. Quomodo cognoscatur lex conditionata, & absoluta, aut votum conditionatum, & absolutum, dixi num. 98. de Sacramentis.

Ad confirmat. neg. ant. quia sicut potest dari 288.
titulus sine possessione, ut constat in illo, qui est institutus hæres ex testamento, qui antequam adeat hæreditatem, habet titulum sine possessione; ita potest amitti possessio, quin amittatur titulus, neque lex illa, quæ allegatur, docet oppositum, quia ea locatio pignoris, de qua agit textus, est, quando conductor non acquirit illam sibi, sed vice venditoris, proindéque ea possessio corporalis censetur manere in creditore, in quo nullum manet jus in pignore, ut constat à num. 295. ex quo roboratur ulteriùs nostra doctrina. Videatur Hognate cit. Tractatu 2. de hypothecis disp. 38. sect. 6. n. 36.

Objicies 5. præsertim contra conclusionem. 289.
Quotiescunque lex prohibet aliquem usum dominii, eo ipso tollit particulam aliquam juris, & dominii: ergo sive dentur, sive non dentur titulus simul, & possessio, nunquam potest ligari à lege plenum rei dominium. Probatur ant. Eo ipso, quòd lex prohibeat aliquem usum dominii, manet peccaminosus, & turpis talis usus, sed exinde tollitur jus ad contrahendum, sive ad dandum aliquid pro eo usu, ad quem antea dabatur jus, & dominium: ergo eo ipso tollitur aliqua particula juris, & dominii. Confirmatur. Si aliquis ita contraheret, dabo tibi centû, ut Petrum interficias, ille contractus non solùm esset illicitus, sed etiam invalidus; atqui in intelligibile est, quomodo ex lege præcisè, quà prohibente reddatur contractus invalidus, nisi quia ex præcisa lege prohibente tollitur aliqua particula juris, & dominii: ergo &c.

Resp. neg. ant. ad probat. conc. maj. & neg. 290.
min. quia Dominus nunquam habuit jus, quo altererum obligare posset ad usum quà prohibitum, sive in sensu composito prohibitionis, sed ad usum quà non prohibitum, sive in sensu diviso à prohibitione; unde cùm retineat jus ad illum usum pro casu, quo auferatur prohibitio, exinde nullam amittit particulam juris sui, sed potiùs retinet totum suum jus, quamvis ligatû, & impeditum. Ad confirmationem dist. maj. sed etiam invalidus relatè ad obligandum alterû ad peccandum, C. relatè ad obligandû se ipsum ad dandum aliquid alteri casu, quo præsupponatur jam perpetratum peccatum, quod secum aliquid affert pretiô æstimabile, neg. maj. & sub eadem distinctione neg. min. & consequentiam. Ratio est, quia in eo contractu non intenditur dari aliquid pro peccato, sive pro malitia, quæ cùm digna pretiô non sit, exinde pretium non tendit ad compensandam malitiam.

Quare in opere peccaminoso perpetrato, 291.
quod veniebat ut conditio in eo pacto, non solùm est considerandа malitia, sed etiam labor, periculum, detrimentum fortunarum, & similia, quæ executor suâ causâ subiit. Item fidelitas, quam tibi præstitit, & voluptas, aut utilitas, quæ tibi inde provenit; siquidem hæc apud homines digna prætiô æstimantur; nec refert, quòd

quòd malitia perpetrata sit illis annexa, nam hæc omnia possunt seorsim à malitia operis considerari, attendendò quanto pretio digna essent, si absque peccato haberentur, quod certè in bonis etiam operibus sæpe contingit, in quibus labor, periculum, damnum, & id genus alia possent considerari per se, & præcisa ab operis sanctitate, ita ut non committatur simonia, possitque pretium retineri; quia in ea materia, utpote non pertinenti ad materiam beneficiorum, ingressu religionis, aut ordinem, non datur lex invalidans illum contractum, ut docent plures cum Thoma Sanchez lib. 2. consil. cap. 3. dub. 111. & 113. Unde Lessius lib. 2. de justitia, & jure cap. 18. dubitat. 3. ait: quòd si quis paciscatur dare Sacerdoti centum aureos, ut in loco, ubi est periculum capitis, semel faciat Sacrum, periculum reverâ abstrahitur ab operis sanctitate, & pretiò æstimatur absque culpa simoniæ; quare in malis, de quibus agimus, poterunt periculum, labor, & id genus alia pretiò æstimari abstractim à malitia.

292. Objicies 6. instandò simul solutionem. Eo ipso, quòd ex vi legis prohibentis non possit Dominus dare centum, ut fiat peccatum, neque poterit obligari ad dandum centum post perpetratum peccatum propter id, quod annexum fuit pretio æstimabili: ergo ex vi legis prohibentis amittit aliquam particulam juris, & dominii. Probatur ant. Eo ipso, quòd non possit Dominus dare centum, ut fiat peccatum, contractus ille dandi centum, ut fiat peccatum, ante peccati perfectionem est re ipsa nullus, neque aliam parit obligationem, nisi recedendi à contractu, ut constat ex Jure Canonico, & rationibus adductis à num. 264. sed ex eo, quòd contractus fuerit ab initio nullus, nequit fieri postea validus adhuc superveniente, & præsuppositò peccatò, ut planum fit ex regulis Juris tum Canonicis, tum Civilibus; etenim regula 18. juris in 6. ita habet: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*; tum etiam regula 30. Juris Civilis: *Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere*, idemque ferè habent regulæ 149. & 210. tum etiam leges adductæ à num. 271. ergo &c.

293. Propter hoc argumentum aliqui Theologi, & alii etiam Jurisconsulti, quos citat Covarruvias ad regulam *peccatum* p. 2. §. 2. censent, eum, qui aliquid promisit pro opere malo, quod legibus punitur, ut pro homicidio, adulterio, furto, & similibus, non teneri ad adimplendum promissum eo etiam secuto; quare si aliquid acceptum fuerit pro aliquo simili criminum perpetrato, & non censeatur donatum, docet hæc sententia, id esse restituendum, vel ipsi, qui dedit, juxta Sotum, & Covarruviam, vel pauperibus, ut plures alii contendunt, quos citat Lessius cap. 14. dubitat. 8. num. 61. Cæterùm, ni fallor, hoc argumentum non minùs probat, obligationem restituendi, quando intercedit peccatum, quod à legibus non punitur, quàm probet, quando intercedit peccatũ, quod à legibus punitur: nam si pactum esset ab initio nullum, eò quòd respiciat aliquid turpe, vel contra bonos mores, quod faciendum est, antequam pactum vim obtineat. Argumentum eodem modo militat in utroque casu, imò probaret, quòd pactum illud esset jure naturæ ab initio nullum, quæ duo Adversarii negant, unde tenentur argumento respondere. Pro illis ergo, & pro nobis

Resp. neg. ant. ad probat. dist. maj. est re ipsa nullum relatè ad obligandum alterum, ut faciat peccatum, conc. relatè ad obligandum alterum, ut det rem promissam, si peccatum factum fuerit, quod secum afferat aliquid pretiò æstimabile, neg. maj. & distincta pariter min. neg. consequentiam. Ratio est, quia illud pactum dupliciter considerari potest; primò quidem in ordine ad obligandum alterum ad peccandum, & juxta istam considerationem contractus esset ab initio nullus, semperque esset nullus, cùm nunquam possit alterum obligare ad peccandum. Secundò considerari potest in ordine ad dandum pro aliquo pretio æstimabili pretium promissum, quando jam præsupponatur peccatum, & pretium dari possit sine peccato, & in hoc sensu contractus non fuit ab initio nullus, sed obtinebit vim ad obligandum sub ea hypothesi, ut ex Jure Canonico, Civili, & naturali ratione patet in eo, qui sub conditione defloratione promisit fœminæ matrimonium. 294.

Illud enim pactum, licèt non possit ab initio, nec unquam habere vim ad obligandum alterum ad peccandum, habet tamen ab initio vim ad obligandum ad matrimonium, si præcedat defloratio; unde contractus iste, quantum ad istum effectum non fuit ab initio nullus, quamvis debuisset statim annullari rescindendò contractum, & non peccandò; hæc enim duo, contractus nullus, & contractus annullandus, sunt toto cælo diversa, nam contractus nullus nullam continet vim; contractus verò annullandus vim continet, eámque retinet non annullatus. Quare ille Textus Juris Cap. 18. non dicit, quòd contractus ejusmodi sint nulli, sed quòd debeant annullari, & rescindi; *in malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum.* Per quod innuitur, impleri conditionem, sub qua obligat, quando præsupponitur peccatum; unde addit: *impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur*, unde magis roboratur nostra doctrina, & legum expositio, quam dedimus num. 264. primam illam regulam 18. Juris in 6. Nota, *quod à principio nullum est, jure ipso tractu temporis non convalescere*; secus autem, si non esset nullum, sed annullandum. 295.

Objicies 5. instandò iterum solutionem. Pactum dandi aliquid pro opere turpi, quantumcunque afferat aliquid pretiò æstimabile, adhuc post perpetratum peccatum est jure naturæ invalidum, saltem si illud opus turpe fuit circa justitiam: ergo non potest justè retineri, sed potiùs debet restitui, quod ex tali pacto acceptum fuit. Probatur maj. ex August. Epist. 45. ad 296.

Mace-

Macedonium, ubi ait: *Verumtamen si justitia sincerius consulatur, justius dicitur Advocato, redde, quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, Judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti,* & postquam exposuit obligationem Advocati, subjungit, *quis tamen Advocatus, aut ex Advocato ita vir optimus facilè reperitur, qui susceptoſuo dicat, recipe, quod mihi, cùm tibi malè adessem, dedisti, & redde Adversario tuo, quod me agente iniquè abstulisti, & tamen quem prioris non rectæ vitæ rectissimè pœnitet, & hoc facere debet, ut si ille, qui iniquè ligavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem ejus, tamen iniquitatis nolit ipse habere mercedem*; sed hæc vera non essent, nisi pactum illud adhuc ad inducendam obligationem post perpetratum peccatum esset jure naturæ ab initio nullum: ergo &c.

297. Testimonium istud Augustini difficillimum esse fatentur ingenuè Valquez lib. 6. de restit. dub. 4. num. 28. & Cardinalis de Lugo disp. 18. sect. 3. num. 56. at valde diversus est Augustini sensus in eo testimonio, & potiùs confirmat, quæ suprà diximus. Etenim in eo testimonio non loquitur de justitia, attento duntaxat jure naturali, sed attento jure positivo sui temporis, illiúsque Regionis, in qua degebat, atque ex illis obligat Advocatum ad restituendum, quæ acceperat, ut contra jus alterius procederet. In Regno Castellæ, ut ait Vasquez cap. 6. sunt leges taxantes Advocato stipendia. Idem dicendum de legibus, quæ vigebant tempore Augustini in Regione sua. Ex his autem legibus facilè intelligitur, adesse pactum implicitum, vel explicitum cum Republica, ne Advocatus possit validè accipere ex contractu quidquam aliud ultra stipendium assignatum, proinde si recipiat non solùm pro justitia, sed etiá pro injustitia, tenebitur ad restitutionẽ. Nos autem non loquimur de jure municipali, sed de jure naturæ, & Imperiali, & Civili.

298. Resp. neg. ant. ad probat. conc. & neg. min. Ratio est, quia Augustinus in eo Textu non loquitur de jure naturæ, aut Imperiali, sed de jure municipali, seu Regionis, ut constat ex textu, qui ita prosequitur, *nisi fortè restituendum est alienum, quod in ipso foro, ubi peccata puniuntur decepto Judice, & circumventis legibus obtinetur.* Quòd autem loquatur de illis legibus particularibus positivis, & non de jure naturæ, constat ex eodem textu, in quo invehitur contra eas leges, quia permittebant usuras, & sic non erat tribunal, in quo Judex cogeret usurarium ad restituendum usuras; ad has enim restituendas certè cogit jus naturæ, cùm prohibet, ut aliquis lucrum habeat ex re non sua; ex quo apparet, quòd ibi Augustinus non loquitur de jure naturali, sed de illis legibus positivis. En ejus verba: *Quid dicam de usuris, quas & leges, & Judices reddi jubent, an crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit Diviti, quàm qui trucidat pauperem fœnore? hæc atque similia malè utique possidentur, & vellem, ut restituerentur, sed non est, quo Judice repetantur.* Ex quo etiam apparet, non posse aliquem justè accipere, etiá quando leges civiles invalidant contractum, bene verò, si contractum illum nullæ leges invalident, cúmque non invalident contractum, de quo agimus, exinde ex Augustino potest validè accipi id, ad quod obligat talis contractus.

Objicies 8. Quando accipitur aliquid post peccatum contra justitiam, injustè accipitur: ergo debet restitui. Confirmatur 1. Qui post peccatum dat, vel accipit aliquid propter delectabilem voluptatem, non ut aliquid aliud approbat denuò tale peccatum, ac proinde peccat; atqui nemo potest obligari ad peccandum: ergo &c. Confirmatur 2. ex L. *si ancillam* C. *de donationibus inter virum, & uxorem*, ubi jubetur restitui ancilla militi, quam ipse dederat concubinario. En verba legis. *Si ancillam nummis tuis comparatam esse Præsidi Provinciæ probaveris, donationisq; causa Vocario tuo nomine instrumentum emptionis esse conscriptum, eam tibi restitui jubebit:* ergo pactum dandi aliquid post perpetratum peccatum ab initio nullũ est, ac proinde ad nihil obligat. Confirmatur 3. Quod simoniacè accipitur, debet statim restitui: ergo datio ob turpem causam perpetratam invalida quoque erit. 299.

Resp. neg. ant. quia ille, qui accipit promissum pretium, eò quòd interfecerit Petrum, licèt commiserit peccatum contra justitiam, teneatúrque restituere damnum reparabile uxori, filiis &c. non peccavit contra justitiam relatè ad illum, qui pretium promisit, neque peccat contra justitiam exigendô ab illo, & accipiendô tale pretium; unde ille, qui promisit, nihil tenetur restituere. Ad primam confirmationem neg. maj. ille enim, qui post perpetratum peccatum dat, & accipit pretium promissum, nequaquam approbat peccatum ex vi talis actionis dandi, vel recipiendi, cùm possit in sensu compositio illius dationis, vel acceptionis detestari peccatum commissum, atque dolere de illo, simúlque velle observare, quod promisit dandô pretium, vel accipiendô, non quia placet peccatum, sed quia placet fidelitas in promissis, vel lucrum, ad quod accipiendum nullum reperitur peccatum. 300.

Ad secundam confirmationem conc. ant. nego consequentiam; quia in ea lege tantùm conceditur militibus jus repetendi in judicio, quod meretricibus donárunt, ut docet Lugo, & Lessius cap. 14. num. 58. Ex quo minimè sequitur, quòd ante sententiam Judicis debeat restitui, & quòd non possit licitè retineri. Sic enim prosequitur ista lex: *nam licèt cessante jure matrimonii donatio perfici potuerit, milites tamen meos à focariis hac ratione, fictisque adulationibus spoliari nolo;* ubi Glossa, si aliàs dominiũ transiret, sed hic propter militiam, secus. Imò ut probat Covarruvias, alii in foro externo coguntur solvere pretium meretrici. Denique in 301.

aliis

aliis delictis non conceditur adhuc in foro externo repetitio pretii ſui illi, qui dedit. Sic L. 3 ſi. *de conditione ob turpem cauſam*, dicitur: *ubi autem & dantis, & accipientis turpitudo verſatur, non poſſe repeti dicimus, veluti ſi pecunia detur, ut male judicetur*; & L. *ſi ob turpem cauſam, porro autem, & ſi dantis, & accipientis turpis cauſa ſit poſſeſſorem potiorem eſſe, & ideo repetitionem ceſſare, tametſi ex ſtipulatione ſolutum ſit*. Ex quibus, aliisque ſimilibus legibus ait Leſſius eodem. n. 58. ſatis probabile concluditur, poſſe ita retineri in conſcientia, niſi per legitimam Judicis ſententiam in pœnam delicti privetur poſſeſſor eo jure acquiſito.

301. Ad tertiam confirmationem de pretio ſimoniacè accepto in materia beneficiorum, conc. ant. & nego conſequentiam, quia de tali pretio ſimoniacè accepto extant leges Eccleſiaſticæ obligantes ad reſtitutionem, quæ non eſt danda danti, ſed Eccleſiæ, cùm Eccleſia, & dantem, & accipientem punire intendat; at pro reſtitutione pretii ex aliis delictis non extant ſimiles leges; unde Cardinalis de Lugo diſp. 18. ſect. 3. num. 69. neque etiam pretium ſimoniacè acceptum debet reſtitui in omnibus materiis, ſed ſolùm in materia beneficiorum, ingreſſu religionis, & Ordinum, & cum aliis docet Sanchez lib. 2. conſil. cap. 3. rationem hujus tradit Molina diſp. 49. quia nempe res ſpiritualis, pro qua in ſimonia pretium accipitur, non eſt venalibilis, ſed quemadmodum data gratis, ita juſſa eſt à Chriſto gratis dari, quod non evenit in aliis.

303. Objicies 9. præſertim contra quintam concluſionem, miles tenetur ex juſtitia militare, & tamen poteſt exigere ſtipendium: ergo pro opere debito ex juſtitia poteſt pretium exigi, proindeque exactio illa non debet cenſeri peccaminoſa. Confirmatur 1. Licèt alter debeat rem facere, vel omittere, non tenetur facere, vel omittere in tui gratiam: ergo ratione hujus obſequii poterit aliquid ſine peccato exigere, & accipere. Confirm. 2. Malum eſt, ut Sicarius committendò homicidium acquirat jus ad pecuniam promiſſam; ſed hoc non obſtante acquirit jus: ergo licèt ſit malum, quòd aliquis acquirat male pretium propter ea, quæ tenetur aliunde facere, vel omittere, nihilominus pretiũ validè acquirit; ergo ſi Petrus ex pacto conferat 50. Paulo, ut litteras deferat Neapolim, poteſt inſuper novum pretium accipere à Franciſco, ut ejus quoque litteras deferat: ergo pro re, quã tenetur quis aliunde facere, poteſt pretium juſtè exigere.

304. Reſp. diſt. ant. tenetur ex juſtitia militare, ſi non ſit illi conſtitutum ſtipendium, neg. ſi ſit, conc. ant. & neg. conſequentiam; quia miles in eo caſu præter hoc ſtipendium non poteſt amplius exigere. Quare idem dicendum de Judice, aliisque officiis, quæ non ſunt debita ex juſtitia, niſi poſt contractum, quo illis ſtipendiũ juſtum eſt promiſſum; ut dixi à num. 297. Ad primam confirmationem conc. ant. & neg. conſeq. quia quando operatio, vel omiſſio ſecundùm ſe eſt invendibilis, eo ipſo manet invendibile obſequium, quo vel opus fiat, vel omiſſio fiat in tui gratiam, tunc enim tale obſequiũ non cenſetur dignum pretiò apud homines, eò quòd hominum commercium, regulamque recti, & boni perturbaret, viamque aperiret ad exigendum pretium pro mutuo ad cohoneſtandas uſuras, aliósque contractus naturæ ut rationali difformes; poſſet enim uſuratius aliquid exigere, quia in tui gratiam dat mutuum alteri, & collator beneficii, quia in tui gratiam confert beneficium iſti, & non alteri, & Judex, quia in tui obſequium juſtam ſententiam profert. Hæc enim, & id genus alia ideo ſunt naturæ ut rationali difformia, quia vendibile faciunt obſequiũ operis, vel omiſſionis, quæ aliunde ex juſtitia debetur.

Ad ſecundam confirmationem neg. maj. quia 305.
licèt ſit malum, & deteſtabile, quòd quis hominem occidat, cùm facere hoc non poſſit, niſi peccandò; at non eſt malum, neque deteſtabile, quòd præſuppoſitò jam peccatò obliget pactum initum ad actionem, quæ ſine ullo peccato exerceri poteſt. Sic fornicatio ſimplex ſub onere contrahendi poſtea matrimoniũ mala eſt, & deteſtabilis: at præſuppoſito eo peccato, non eſt malum, & deteſtabile, quòd promiſſio illa obliget ad contrahendum matrimoniũ. Ad tertiam confirmationem conc. ant. & neg. conſeq. quia obligatio ferendi litteras Petri, non eſt obligatio ferendi litteras Franciſci, neque cum ea incompatibilis; unde poſtquam ratione pretii contraxit unam obligationem cum Petro, poteſt ratione pretii contrahere aliam obligationem cum Franciſco. Petrus enim non emit curſum, ſed hanc obligationem ad curſum, ideóque vi illius pacti non habet jus proprietatis in curſum, neque impedire poteſt Paulum aliunde volentẽ ire Neapolim, quin imò, ſi reſcinderetur obligatio, & pactum illud cum Petro initum, non exinde reſcinderetur altera obligatio, & pactum initum cum Franciſco, cúmque iſtæ obligationes ſint inter ſe, & quoad earum ſubſtantiam diſtinctæ, & apud homines pretiò æſtimabiles, exinde ſunt capaces pretii diſtincti. Verùm de hoc iterum infrà.

DISPUTATIO VI.

DE DIVISIONE RERUM INVARIA DOMINIA, ET DE OBJECTO DOMINII.

306. CErtum est, de facto non esse omnia communia, sed multa esse distributa non solùm licitè, sed etiam validè, convenienter, & moraliter necessariò ad vitam politicam, & humanam agendam, non tamen proinde tollitur, quo minùs in aliqua perfectorum congregatione multa sint communia, idque initiò nascentis Ecclesiæ Fideles Hierosolymis observabant, sed quoniam ea perfectio inter plures moraliter retineri non potuit, crescente Fidelium multitudine oportuit, Fideles dominia etiam privata, eorumque usus admittere. Similiter postea in statu Clericorum evenit, quippe cùm initiò bona haberent communia, ut dicam disp. 9. n. 11. crescente numero oportuit, ut separata haberent, & vita illa communis ad paucos etiam Religiosos redacta est. Quærimus modò, quomodo facta, & introducta fuit prima rerum divisio. Pro quo sit

SECTIO I.

Quomodo facta fuerit prima rerum Divisio?

307. SUppono 1. ex Aristotele 1. polit. quantum ad præsens attinet institutum, duplicem esse potestatem, à qua potuit provenire prima rerum divisio in mundi primordiis, nempe ab Adamo usque ad universale diluvium, & à Noe post diluvium. Prima potestas dicitur ortum habere ex jure secundùm quid naturali: talis est potestas Patris in filios, & alios descendentes quoad designationem bonorum. Secunda habetur ex hominum voluntate se alicui obligare volentium, quæ proinde vocatur potestas civilis, à qua originem habent potestates Imperiales, Regiæ, & aliæ ejusmodi; quamobrem & Adam ante diluvium, & Noe post diluvium, dum essent parentes omnium, qui in terra tunc erant, potuerunt divisionem instituere vel potestate secundùm quid naturali, vel civili, vel utraque simul; cæterùm quia ad evitandas lites non videtur expediens, ut fieret, & transiret ad posteros, nisi consentiente prole propter gravissimas causas ad divisionem impellentes, & toti ferè humano generi communes, præsertim quando hominum multitudo magis crescere, cúmque ille consensus prolis in illis circumstantiis contineret jus gentium, ut à num. 124. exinde hæc divisio dicitur ab Auctoribus facta jure gentium, sive facta sit occupatione, sive sorte, aut quovis alio modo in ea conveniente implicitè, vel explicitè incluso.

308. Suppono 2. alicui hominum congregationi, & post naturam lapsam expeditiorem esse rerum possessionem in comuni. Ratio est, quia motiva impellentia ad appropriationem bonorum faciendam singulis considerata tota hominum multitudine, nequaquàm militant in congregatione aliqua particulari, ut pater in congregationibus Religiosorum ad perfectionem aspirantium, ac proinde non minùs pacificè pro bono communi laborantium, quàm alii laborent pro bono particulari; quare per illam divisionem nequaquam fuit prohibita potestas ad hanc vitam communem, utpote magis laudabilem; idcirco Christus eam prætulit Lucæ 14. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes.*

309. Eam, & saltem quoad communem rerum usum observârunt Christiani in primitiva Ecclesia, ut constat ex Actibus Apostolorum, usque dum crescente plurimùm hominum multitudine, & primævo fervore decrescente ad stabiliendam tranquilitatem retinuerunt sibi fideles bona, eorumque usum, quin potiùs bona intrinseca, & alia, quorum mensura est intra ipsum hominem, nunquam fuerunt communia, sed jure naturæ secundùm quid sunt, & fuerunt uniuscujusque propria; nam de jure naturæ secundùm quid habet unusquisque suum corpus, suamque animam, ut illis utatur, suam probitatem, famam, honorem, & alia hujusmodi, nec bona extrinseca sunt ita appropriata, ut in extrema necessitate non possit quisquam accipere alterius bona, quæ sunt medium necessarium ad vitam conservandam, tunc enim quisque potest eis bonis uti, ea vendere, & illorum dominium proprietatis transferre, ut diximus à num. 29. & de hac facultate ad aliena bona intelliguntur plures Sanctorum Patrum locutiones, præsertim Ambros. cap. 15. Luc. Gregor. Hom. 10. in Epist. ad Corinth. & Orat. in S. Filonium, dum ajunt: *Neminem, ne faveat aliis in extrema necessitate constitutis, excusari deberi, dicendô, hoc est meum, hoc est proprium, eò quòd omnia sint communia quoad usum licitum.* His positis

310. Assero 1. Prima rerum divisio non fuit facta jure Divino, nec jure naturæ simpliciter sumpto, non tamen fuit illicita. Probatur. Nam Deus neque fecit illam divisionem, neque præcepit illam fieri, imò nec revelavit in Scripturis fuisse dandam. Quòd si dedit Israëlitis spolia Ægyptiorum, & Regna Chanaeitarum, factum est præter usitatum morem, quod satis ostendit, eam primam rerum divisionem factam non esse jure Divino. Rursus facta non fuit jure naturæ simpliciter sumpto; jus quippe naturæ omnia reliquit communia, nec natura per se inclinat ad eam divisionem tanquam per se essentialiter

aliter requisitam, quamvis suppositis incommodis ex hominum pravitate provenientibus facta fuerit ea divisio valde necessaria, & conformiter ad rationem naturalem exercita, non tamen pertinebant jure naturæ ea bona ad istos præ aliis, nec isti præ aliis erant Domini illorum bonorum ante legitimam gentium distributionem, & appropriationem; quin potiùs, ut suprà diximus, non solùm datur jus naturæ præcipiens, aut prohibens, sed etiam permittens; ut patet in eo, qui jure naturæ est potens contrahere, vel non contrahere matrimonium; unde licet unus contrahat, & alter non contrahat, nemo ex illis facit contra jus naturæ; atqui, ut ea divisio facta fuisset jure naturæ simpliciter sumpto, requirebatur, quòd ante legitimam gentium conventionem ex præscripto juris naturæ hæc bona pertinerent ad istos præ aliis: ergo neque facta fuit Jure Divino, neque jure naturæ simpliciter sumpto; tandem non fuit illicita, quandoquidem fuerunt plures justi tituli ad illam divisionem, ut dicemus num. sequenti; quare valde diversum est jus naturæ in illis circumstantiis impellere ad constituendam illam divisionem, & aliud est, quòd ea constitutio sit facta jure ipso naturæ.

311. Affero 2. Rerum extrinsecarum divisio facta fuit ex jure gentium. Probatur. Id factum est jure gentium, quod hominum consensu, aut conventione factum est propter motiva ad id impellentia, quæ apud omnes, vel ferè omnes gentes, quæ ad perfectionem obligari volunt, essentialiter inclinant; sed talis fuit prima rerum externarum divisio: ergo &c. Probatur min. Secluſa ea rerum divisione timeri prudenter poterat, ne esset, qui agros exponeret, fructus conservaret, & alia pro commoditate hominum procuraret; quandoquidem labor esset specialis, usus, & fructus communis, ex quo alter alteri curam derelinqueret, cùm commodum haberet, sine onere sciens, quòd non sibi araret alter, & occaret potiùs, quàm alteri, neque sibi suum otium potiùs nociturum, quàm alteri. Præterea quotidianæ essent lites, & rixæ implacabiles, cùm omnes, præcipuè potentiores bono jure usurparent per vim ad usum suum, quæcunque invenirent.

312. Idcirco necessarium fuit, ut gentes formarent judicium de eo, quòd expediret rerum divisio, qua bona communia reducerentur ad jus proprietatis hominum, ex qua designatione talis rerum divisio, & appropriatio ortum haberent, ita ut ante eam liberam designationem harum non possent dici hæc bona propria hujus præ aliis, sicuti ante liberam designationem dicuntur propria uniusque ea, quæ ipsius sunt jure naturæ secundùm quid, ut dicitur proprium Petri quoad usum suum corpus, sua anima, & sic de aliis bonis intrinsecis jure naturæ secuudùm quid ad ipsum pertinentibus; atqui designatio ex his motivis facta liberè ab hominibus, sive à Superiori omnium consensu, ex dictis n. 307. ad stabiliendam pacem facta fuerit, sive ab Adamo ante diluvium, sive à Noe post diluvium sive ex omnium simul conventione processerit, aut ex pluribus communitatibus facta quidem est ob motiva ad id impellentia, quæ apud omnes, vel ferè omnes gentes, quæ volunt ad perfectionem obligari, æquè militant, ut ex ipsis terminis apparet notum: ergo &c. Ex quo constat, quàm malè Pelagius apud Augustinum Epist. 106. & alii Hæretici, qui vocati sunt Athei, ut refert Augustinus hæresi 40. & Epiphanius hæresi 61. oppositum docuerint, qui asserebant, hominem non posse salvari, nisi viveret, instar Apostolorum, nudus ab omni divitiarum proprietate.

Quapropter valde credibile est, quòd suppo- 313.
sita conventione hominum de expeditione in rerum divisione, & appropriatae facienda, facta fuerit prima rerum, & dominiorum divisio partim occupatione, partim sortione, ut notavit Lessius cap. 5. de just. & jur. dubit. 2. ita ut posteris adsit, quidquid prior aliquis occupâsset, vel si ad occupationem multi aspirabant, credibile est, quòd ad lites evitandas sorte res deciderentur; similiter post diluvium filii Noe alii aliam terræ partem maximè post linguarum confusionem censendi sunt occupâsse, vel sorte divisisse; & videtur id expresè tradi Genes. 10. & 11. vers. 25. natique sunt Heber filii duo nomẽ uni Phalec, eò quòd in diebus ejus divisa sit terra, deinde crescente genere humano illæ partes rursus multipliciter divisæ, & distinctæ sunt. Quæ omnia intelligenda sunt de divisione rerũ, quæ dicuntur bona purè extrinseca, ut sunt agri, domus, cibi, vestes, pecunia &c. Etenim divisio bonorum intrinsecorum, & aliorum, quorum mensura est intra ipsum hominem, ut infrà dicemus, & insinuavimus jam à num. 208. est de jure naturæ secundùm quid. Nam de jure naturæ habet unusquisque suum corpus, & suam animam, ut illis utatur, habet & suam probitatem, suam famam, honorem, & alia hujusmodi, quæ omnia infrà latiùs explicabimus; nunc autem solvenda sunt argumenta aliqua, quæ fieri solent contra istas assertiones.

Objicitur 1. contra primam assertionem: ju- 314.
re naturæ omnia bona externa sunt communia: ergo rerum divisio est contra jus naturæ, ac proinde illicita, & iniqua, unde dixit Clemens I. Cap. *dilectis* 12. q. 1. *Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo omnibus hominibus esse debuit, sed per iniquitatem alius dixit, hoc esse suum, alius istud, & sic inter mortales facta est divisio.* Respondent aliqui cum Soto concedendô antec. pro statu innocentiæ; post peccatum verò dicunt, illud jus fuisse revocatum, & ideo potuisse fieri divisionem. Dupliciter hoc impugnat Lessius lib. 2. cap. 5. Primò quidem, quia jus naturæ est immutabile, & perpetuum: ergo non rectè dicitur abrogari, aut revocari; sed dicendum erat, quòd advenientibus novis circumstantiis non manebat jam materia juris naturæ, quamvis sublatis illis circumstan-

ſtantiis eſſet vera materia juris naturæ. Secundò quia quamvis communitas rerum valde fuerit conſona ſtatui innocentiæ, nullo tamen præcepto Divino, aut naturali prohibita erat, diviſio rerum, & dominiorum; ſiquidem Deus res illas hominum diſpoſitioni ſubjecit, ut poſſit diviſio fieri absque incommodo, relinquendò cuilibet omnia neceſſaria, vel in extrema neceſſitate uſum licitum. Quare

315. Reſp. diſt. ant. jure naturæ omnia bona extrinſeca ſunt communia pro caſu, in quo deficiat legitima eorum bonorum diviſio, & appropriatio, omitto, pro circumſtantiis, in quibus datur legitima appropriatio, & diviſio, nego ant. & conſequentiam. Ratio eſt, quia ea bona ſolùm dicuntur jure naturæ communia in illis circumſtantiis, in quibus ipſum naturæ dictamen præſcribit licere unicuique non minùs, quàm alteri ea accipere; cùm autem dictamen naturæ non id præſcribat in circumſtantiis, in quibus facta jam eſt legitima rerum diviſio, & appropriatio, ſed ad ſummum pro circumſtantiis, in quibus facta non eſt: exinde ea bona externa non ſunt communia pro circumſtantiis, in quibus facta non eſt. Unde ea mutatio non arguit, quòd jus naturæ muterur; ſemper enim manet idem, etiam pro circumſtantiis, pro quibus ſemper aliquid præſcribit. Tantùm ergo poteſt mutari materia, quatenus aliquid ſub his circumſtantiis eſt materia juris naturæ, & non ſub aliis. Sic Judex prohibetur jure naturæ interficere innocentem, qui nullum delictum habet nec reale, nec juridicum; at pro circumſtantiis, pro quibus delictum commiſerit, & juridicè conſtet, nequaquàm prohibetur, ſed potiùs tenetur juſtò ſupplicio Reum punire.

316. Quare jus naturæ non præcipit, ne fiat rerum diviſio, ſed dat facultatem, ut antequam jam fiat, poſſit quisque rebus uti, & dominium capere, niſi alter ſimili poteſtate ea bona præoccuparet, ſibique appropriaret, proindéque eſt jus naturale permiſſum, quale expoſuimus n. 310. Ad hunc modum dicuntur bona communia hominibus alicujus Civitatis ligna, vel arbores certi montis, ita ut antequam cædantur, ſint omnium, poſtea verò appropriantur cædenti; unde ſicut ea rectè appropriari poſſunt ſingulis per legitimam diviſionem, ita etiam in primordiis mundi legitimè fuerunt diviſa, & appropriata bona, quæ ante diviſionem erant communia, nec nobis Adverſatur Clemens Papa, non enim vult, quod diviſio ſit iniqua, ſed quòd fuerit occaſione iniquitatis, vel peccati tum originalis, quòd ſi non præceſſiſſet, non fuiſſet neceſſaria diviſio, ſinguli quippe haberent ſine labore neceſſaria, tum etiã occaſione peccatorũ actualium, quæ timebantur, ſi diviſio non fieret in tanta hominũ multitudine, & natura corrupta. Vide Molin. Tract. 2. diſp. 20. num. 7. Dixi in diſtinctione omitto ant. quia rigoroſè loquendò creatura in ea bona non habebat jus proprietatis ſimpliciter, ſed ad ſummum ſecundùm quid, ac proinde abdicabile, ut conſtat à num. 121. & 199.

317. Objicies 2. Quæ de jure habent aliquem communem Dominum, non poſſunt eo Domino manente dividi inter plures, quin fiat contra tale jus Domini, ſed omnia creata habent unum communem Dominum, nempe Deum jure naturæ: ergo eſt contra jus naturæ, quòd, quæ pertinent ad omnes, dividantur inter homines. Confirmatur. Deus præfecit hominem rebus omnibus inferioribus, quæ ad hominum utilitatem factæ ſunt, juxta Pſalm. *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, & 1. Corinth. 3. *omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti*, & Geneſis 1. *faciamus hominem &c. & præſit piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & beſtiis, univerſæq; terræ*: ergo eſt contra Jus Divinum, ac proinde illicita rerum diviſio inter particulares homines adverſus alios, unde non eſt facta conſentiente Deo.

318. Reſp. diſt. maj. reſiſtente eo Domino, conc. non reſiſtente, ſed potiùs derelinquente totam rerum utilitatem Dominis ſibi ſubjectis, neg. maj. & diſtincta pariter min. nego conſequentiam. Ratio eſt, quia Deus, qui eſt Supremus Dominus, non reſtitit illi diviſioni, ſed potius ob juſtiſſimos titulos ſuperiùs allatos eam permiſit Dominis creatis ſibi ſubjectis, ut haberent in ea bona dominium, quale competit creaturæ rationali, quod exinde patet, quia Deus ipſe prohibuit furtum, quod committi non poteſt, ac proinde nec poteſt eſſe prohibitum, ſi bona, quæ auferrentur, verè non eſſent ſub alterius proprietate; conſtat etiam ex Concilio Conſtantienſi damnante plures propoſitiones contra Joannem Wicleffum, præſertim decimam, decimamſextam, trigeſimamſextam; unde ſolùm fit, illud jus creaturarum non fuiſſe jus naturale ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid. Ad confirmationem conc. ant. & neg. conſequentiam, quia illa teſtimonia intelliguntur de ſubjectione rerum reſpectu totius collectionis hominum cum diſtributione tantùm, ſeu appropriatione accomoda reſpectu ſingulorum, ſaltem poſtquam eorum numerus valde excrevit, & rerum diviſio à legitima poteſtate, aut conventione facta fuerit.

319. Objicies 3. contra ſecundam aſſertionem: illud eſt juris naturæ, quod ratio naturalis dictat neceſſarium ad pacem generis humani, ſed diviſio rerum eſt hujusmodi: ergo non eſt facta jure gentium, ſed jure naturæ. Confirmat 1. Nam ut dicitur Inſtit. *de rerum diviſione §. ferè* quod enim antè nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur: ergo diviſio rerum fuit juris naturæ. Confirmatur 2. Furtum eſt contra jus naturæ: ergo dominium rei competit Domino jure naturæ. Reſp. diſt. maj. quod ratio naturalis dictat eſſe neceſſarium ad pacem generis humani, ſi per illud ſolum dictamen, & independenter ab omni hominum conventione, & libera deſignatione maneat ſtabilitum id, quod neceſſarium eſt ad pacem generis humani, conc. ſi non maneat ſtabilitum, ſed exigatur dunta-

duntaxat, ut ſtabiliatur, neg. maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Ratio eſt, quia, ut bene notavit Molina Tractatu 2. de juſt. & jure diſp. 20. num. 7. aliud eſt, quod in aliquibus circumſtantiis oriri poſſit ex jure naturæ obligatio ad faciendam diviſionem liberam propter rationes urgentes apud omnes gentes, proindéque pertinentem ad jus gentium, & aliud eſt, quòd ea diviſio non eſſet de jure gentium, ſed de jure naturæ; ſic ſuppoſita inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ neceſſarii ad ſalutem peccatorum, ex jure naturæ oritur obligatio utendi tali mediò, at illud medium non eſt de jure naturæ, ſed de jure poſitivo Chriſti Domini, ut fides docet. Exinde

320. Ad primam confirmationem conc. ant. & nego conſequentiam; quia licèt ex eo teſtimonio inferatur, eſſe de jure naturæ in illis circumſtantiis, ut gentes facerent eam diviſionem, nequaquàm infertur, quòd ea diviſio ſit facta jure naturæ, ſed potiùs jure gentium, atque ad eam impuliſſe jus naturæ. Ad ſecundam confirmationem conc. ant. & nego conſequentiam; nam quocunque jure alicui res competat, dictat jus naturale non eſſe ab illo auferendum Domino rationabiliter invito, ſicut quamvis poteſtas de jure tantùm poſitivo competat Superiori, jus tamen naturale dictat illi in poteſtate conſtituto obediendum eſſe; unde ſicut non eſt de jure naturæ, quòd ſit Superior, eſt de jure naturæ illi obedire, ita non eſt de jure naturæ, quòd aliquid ſit proprium Petri, & tamen eſt de jure naturæ, quòd ex ſuppoſitione, quòd aliquid ſit proprium illius, nemo illi furetur.

321. Objicies 4. Auguſtinus Tract. 6. in Joannem ait: *tolle jus Imperatorum, & quis audet dicere, mea eſt illa villa, aut meus eſt ille ſervus; aut domus hæc eſt mea*: ergo rerum diviſio non fuit facta jure gentium. Reſp. conc. ant. & nego conſequentiam; quia Auguſtinus ibi loquitur non quidem de univerſali rerum diviſione, ſed de particulari hujus, vel alterius poſſeſſoris, quæ his, & non aliis conceſſa fuit ab Imperatoribus; unde perperam exinde infertur, quòd jure gentium non fuerit facta generalis rerum diviſio. Quare potiùs Auguſtinus in eo Textu ſub jure Imperatoris comprehendit jus gentium; ſiquidem de illo loquitur ut oppoſito Juri Divino, & prout ſignificat jus humanum; ſic habet: *quo jure defendis villam? Divino, an humano? reſpondebant, Divinum Jus in Scripturis habemus, humanum jus in legibus Regum, unde quisque poſſidet, quod poſſidet, nonne jure humano? nam Jure Divino, Domini eſt terra, & plenitudo ejus, jure tamen humano dicit, hæc villa noſtra eſt, ſive domus mea, hic ſervus meus eſt: jure ergo humano Imperatorum.* Ex quo apparet, ſumere jus Imperatorum pro jure humano, ut oppoſito Juri Divino, ac proinde comprehendit jus gentium.

322. Ex his cenſet Cardinalis de Lugo diſp. 4. n. 5. generalem rerum diviſionem factam quidem eſſe jure naturæ non ſtricto, ſed ſumpto pro lege quadam id dictante independenter à præcepto poſitivo ſuperaddito; hoc enim appellat ibi jus gentium non ſtrictum, ſed latum, in quo diſſentit à Molina, qui Tractatu 2. diſp. 20. judicat, lumen naturæ dictare quidem potuiſſe poſt lapſum neceſſariam eſſe obligationem ad illam diviſionem faciendam, eam tamen non potuiſſe fieri ab ipſa natura ſine interventu conſenſûs communitatis, vel Principis, in quo ſtat, quòd generalis rerum diviſio facta fuerit jure gentium. Video hanc controverſiam plurimùm habere de voce. Cæterùm multò magis placet Molina, utpote ſtrictè diſtinguens jus gentium à jure naturæ, ut conſtat ex dictis; monet tamen, & quidem bene Eſparza quæſt. 34. jus naturæ præſcribere multas conditiones, quas ibi recenſet obſervandas in ea generali rerum diviſione caſu, quo ex jure gentium fieret.

SECTIO II.

De objecto Dominii.

ILlud dicitur objectum dominii, circa quod dominium verſatur tanquam ſuam materiam, idcirco perinde eſt, quærere objectum dominii, ac quærere, quarum rerum detur dominium: cæterùm, quia plures ſunt ſpecies dominii, & plures etiam ſpecies bonorum, quæ cadere poſſunt ſub dominium, idcirco de his omnibus agendum eſt; etenim aliqua bona pertinent ad dominium plenum, vel perfectum, alia verò ad dominium etiam imperfectum, ut conſtat à num. 236. Objectum dominii dicuntur ea, quæ ſub dominio cadunt; ſubjectum dominii dicuntur perſonæ, quæ dominium habent. Acquiſitio dominii eſt lex, quæ ſub aliquibus titulis dominium confert, & ex parte noſtra ſunt tituli, quibus poſitis dominium acquiritur. Ut hæc omnia clariùs explicemus, exponenda ſunt genera bonorum, quæ cadere poſſunt ſub dominium. Triplex igitur eſt genus bonorum, quorum homines capaces ſunt. Primo loco ſunt bona intrinſeca, quibus homo conſtituitur, ſeu perficitur, ut anima, corpus, probitas, ſanitas, & pulchrisudo. Secundo loco ſunt bona externa quidem, habentia tamen intra ipſum hominem menſuram, talia ſunt honor, fama, laus, &c. Tertio loco ſunt bona purè externa, quæ dicuntur bona fortunæ, & nec intra hominem ſunt, nec intra hominem habent determinatam menſuram, quapropter indifferenter plura, & pauciora eſſe ſolent homine intrinſecè immutato, ut ſunt agri, domus, cibi, veſtes, ſervi, armenta, pecuniæ &c. 323.

Aſſero 1. quoad bona intrinſeca, ſive ad primum genus bonorum. Quamvis homo habeat dominium aliquorum bonorum intrinſecorum ipſum perficientium, ut ſunt multi actus vitales, quos pro libito poteſt ponere, vel deſtruere abſque injuria alterius, & in quibus poteſt injuriam pati ab alio impediente, non tamen habet dominium plenum in bona intrinſeca, 324.

quibus constituitur, ut sunt vita, anima, & membra. Probatur facilè, nam hæc sunt fundamentum omnis dominii, cùm sint ipsum esse; solus ergo Deus est Dominus plenus vitæ, juxta illud Sapientiæ 16. *tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem*, & Deuteronom. 32. *videte, quòd ego sim solus, ego occidam, & ego vivere faciam*: homo igitur non est Dominus, sed usuarius suæ vitæ. Ad qualem vitæ custodiam, & conservationem teneatur, tractat Cardinalis de Lugo disp. 10. num. 29. nec obest, quòd homo se possit vendere, & contrahere licitè de se, vel de suo corpore, quando init matrimonium, quæ videntur actiones pleni dominii in se ipsum; hoc enim non obstat, quia id intelligitur de se quoad aliquas actiones, & usus sui corporis, vel etiam animæ; ex quo nondum arguitur dominium plenum, nec directum circa se ipsum, sed aliquod jus quasi usufructuarii, & usuarii, quod sit dominium indirectum, & hoc est jus, quod læditur, quando homo injustè occiditur, non verò directum dominium, quod propriè habeat in suam vitam, vel membra; nam hoc ad solum Deum pertinet, unde cùm dicitur, homo tradere dominium sui ipsius, vel sui corporis, locutio est lata, & impropria, sed tantùm debet intelligi de dominio indirecto usufructuatii.

325. Ex hoc, quòd homo, licèt non habeat dominium perfectum, habeat tamen imperfectum, & quasi usuarii, & usufructuarii respectu sui corporis, & membrorum nascitur illicitum homini esse suicidium, suique mutilationem, de quo Cardinalis de Lugo disp. 10. adversus Ethnicos, & Hæreticos, quos eruditè exagitat Raynaudus lib. 3. de virtut. sect. 3. cap. 1. à num. 115. Ratio est, quia, ut constat à num. 217. usufructuarius tenetur ex justitia servare salvam substantiam rei, ac proinde etiam homo substantiam suæ vitæ, quod & Christus Dominus docuit, ut constabit num. 342. ergo homo non est suæ vitæ Dominus directus, ac proinde nunquam potest licitè se interficere. Quæri tamen potest, contra quam virtutem sit suicidium. Aliqui dicunt contra fortitudinem, alii contra charitatem, sive amorem sui, alii contra justitiam, qua debetur Reipublicæ conservatio sui membri. Cæterùm rigorosè loquendò est etiam specialis injustitiæ peccatum contra Deum, eò quòd homo à Deo non constitutus Dominus directus suæ vitæ, & membrorm occidens se usurpat adversus Deum actionem propriissimam dominii pleni, quæ est rei destructio; unde non solùm esset injuria contra Rempublicam propter illud aliquale jus, quod habet, sed etiam contra Deum, qui est Dominus plenus proprietatis.

326. Circa bona honoris, quæ sunt secundum bonorum genus, supponendum est, quòd sit honor, & fama. Fama est existimatio, quæ habetur de vita, moribus, & dotibus alicujus. Honor est testificatio excellentiæ alterius; fama læditur per detractionem, quæ fit, cùm in absentia alterius imponitur ei falsum aliquod malum, vel revelatur occultum; honor lædicur per contumeliam, convitium, vel similes actiones, quæ fieri solent verbis, signis, aut factis; quæritur in præsenti, an homo sit Dominus suæ famæ, & honoris, negat Cajetanus, dicens, dominium famæ, & honoris non esse penes personas privatas, sed penes Rempublicam; affirmat verò communis Theologorum sententia cum Divo Thoma apud Lessium cap. 4. dub. 11. unde Respublica non aliter habet jus in famam subditi, quàm in reliqua bona externa; habet enim jus altum, quo uti potest urgente necessitate boni communis.

Assero 2. cum secunda sententia. Homo verè est Dominus suæ famæ, & honoris. Prob. 1. quia homo famam, & honorem post vitam à Deo acceptam sibi acquirit, & auget, sicut res cæteras; unde ait Div. Thomas quæst. 73. art. 4. ad 1. *in cujusque arbitrio est, pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum*, hanc exceptionem posuit S. Thomas propter Augustinum lib. de bono viduitatis cap. 22. ubi ait: *conscientiam nostram esse necessariam nobis, famam proximo, ac proinde crudelem esse, qui famam negligit*. Exinde tamen fit, hominem non esse Dominum suæ famæ, sed quòd aliquando se infamans peccet contra charitatem, eò quòd sic fiat ineptus ad multa officia, quibus prodesse posset proximo, aliquando contra justitiam aliorum, ut quando ex jure tenetur ad præstanda aliis ea officia, ad quæ redditur incapax se se infamans, E. G. Parochus, vel Episcopus. Aliquando reductivè, & per translationem contra se ipsum, si habeat ligatum suum jus non solùm quoad usum licitum, sed etiam quoad validum ex dictis num. 24. & num. 237. 327.

Id quoque contingit, quando infamia nostra est infamia aliorum, eò quòd infamatio Monachi est infamatio Monasterii; ex his inquam accidentibus potest fieri alicui illicita, imò etiam injusta propria infamatio, non verò per se loquendò. Huc facit illud Ecclesiastici cap. 41. *curam habe de bono nomine*; non enim prohibet utcunque famæ injuriam, quasi injustam, sed admonet, ne eam sine causa negligamus, ex quo non sequitur, me non esse illius Dominum; sicut ex eo, quòd debeat quis non irrationabiliter prodigere pecuniam, non sit non esse earum Dominum; sufficit enim ad verum dominium, ut possit in favorem pro suo libito uti re, nisi lege prohibeatur, modò, quo suprà diximus à num. 245. sed ita se habet homo respectu suæ famæ, & honoris: ergo est verè Dominus earum rerum. 328.

Probatur 2. Quia in multis casibus potest quis se infamare, V. G. ad petendum consilium, ad humiliationem, & ad evitandam fortunam atrocissimam, imò aliquando tenetur, u quando injustè aliquem infamâsti, & potest ei restitui fama absque tua infamia; hæc autem non licerent, sicut non licet homini se occidere, aut mutila- 329.

mutilare, aut vulnerare ob prædictos fines, nisi homo esset Dominus suæ famæ: ergo &c. Confirmatur 1. Homo sæpe condonat famæ suæ restitutionem; sed id non posset, nisi esset Dominus suæ famæ: ergo &c. Confirmatur 2. Licèt homo sæpe condonet satisfactionem, quæ debebatur pro injuria illata in mutilatione, & restitutione pecuniarum pro damno secuto, nunquam tamen condonat mutilationem, ut exinde patet, quòd si posset membrum ipsum restitui, sicut fama, non posset homo cedere; atqui condonat famam læsam, & honorem: ergo est Dominus suæ famæ, & honoris.

330. Circa bona fortunæ, quæ sunt tertium bonorum genus, certum est, bona plura extrinseca homine inferiora, hominis usibus subjecta, ut sunt agri, montes, flumina, plantæ, bestiæ, &c. cadere sub dominium proprietatis hominis relatè ad alios, quorum libertatem moraliter circa ea bona restringere potest juxta dicta num. 179. & 215. & constat ex dictis de prima rerum divisione à num. 310. & quamvis post captum feræ non subjiciantur sponte hominibus, non proinde tollitur ferarum dominium, ut capi, & occidi ab homine possint. Quærunt tamen aliqui in præsenti, an hoc hominum dominium transcendat ultra sublunaria ad ipsos orbes cælestes. Negant Tannerus disput. 32. dub. 1. & Palaus disp. unica punct. 4. quia homo nequit pro arbitrio suo Cœlos aut destruere, aut de illis disponere. Affirmat verò Sotus lib. 4. quæst. 2. art. 1. & Molina disp. 18. quia etiam Cœlos fecit Deus in hominum utilitatem, ut habetur Deuteronom. 4.

331. Nec requiritur, inquiunt ad dominium potestas destruendi, siquidem Noe in Arca Dominus quidem erat bestiarum, quas tamen non potuit licitè destruere, ideóque ad dominium sufficit, quòd possit homo disponere de re quoad usus possibiles, & licitos illius. At Cardinalis de Lugo disp. 4. num. 8. docet, de re omnes fateri debere, hominem non posse acquirere, seu destruere Cœlum, Solem, Lunam, & Astra, posse tamen eis uti magis, vel minùs pro libito participando de Cœlorum influentiis, ita scilicet, ut injuria fieret homini, eum per vim privando isto usu. An autem hoc sufficiat ad perfectũ dominium, censent reduci posse ad quæstionem de nomine, quamvis strictè loquendò magis appareat non esse perfectum Dominum in Cœlum, Solem, Lunam, &c. Quare

332. Assero 3. Facultas hominis in Cœlum, Solem, & Lunam, & Astra non affert illis dominium perfectum in ea corpora cœlestia. Probatur facilè ex dictis: minus potestatis habet homo in Cœlos, quàm in sua membra; atqui non habet perfectum dominiũ in sua membra, ut constat à num. 324. ergo neque habet absolutum dominium Cœli, Solis, Lunæ, & Astrorum. Quamobrem dicendus est homo Dominus secundùm quid, & quasi indirectè, seu habens jus quoddam utendi, quando constituitur quasi usuarius Cœlorum, quod quidem jus est ita nobis congenitum, ut quamvis possit quis illud quodammodo renuntiare, non tamen intelligatur renuntiatum sub renuntiatione generali bonorum temporalium, quæ fit à Religioso, ac proinde ratione voti paupertatis videtur non indigere licentiâ Prælati ad utendum his bonis. Vide Lug. à num. 9. Ex dictis

333. Fit 1. contra Cajetanum, quòd quamvis ex accidentibus positis num. 327. reddi potest alicui illicita, imò & injusta sui ipsius infamatio, tamen per se loquendò non est peccatum grave considerata sine illis accidentibus, sicut neque prodigalitas suarum pecuniarum; erit tamen facilè veniale, sicut prodigalitas, quamvis non contra justitiam, si absque ulla causa fiat. Ex quo, sicut non infertur, hominem non esse Dominum divitiarum, quas prodigit, ita neque infertur, non esse Dominum famæ suæ. Fit 2. Quòd ex causa justa poterit quis licitè se infamare de veris suis criminibus, nempe ad pretendum consilium, ad heroicam humiliationem, & proximorum utilitatem, ut multi Sancti fecerunt; sic S. Augustinus in suis Confessionibus, sic S. Pater Ignatius, quando obstinatum conversurus suæ vitæ peccata cum lachrymis revelavit. Fit 3. Quòd ad vitandam atrocem fortunam poteris te infamare de vero crimine occultissimo, licèt propterea esses morte puniendus, quia ex una parte non teneris tanto cum onere tueri tuam vitam; ex altera verò parte es verè Dominus tuæ famæ, peccares tamen saltem leviter, & fortè graviter, si id faceres propter levem fortunam fugiendam, licèt Tamburinus in Decalog. cap. 3. §. 6. posse à levi quoque hominem tunc excusari contendat.

334. Fit 4. Non licere adhuc sub defensionis colore, & prætextu falsum crimen alteri imponere, illumque infamare. Ratio est, quia non solùm esset contra virtutem veracitatis, quæ mendacium prohibet, & quidem graviter in re gravi, sed etiam esset contra justitiam; siquidem alter retinet jus ad suam famam, & honorem, cùmque non solùm retineat illud jus, quando causa agitur in judicio, sed etiam quando agitur extrajudicialiter; exinde ea criminis impositio est planè peccaminosa, tum quando fit intra, tum quando fit extra judiciũ. Quare Innocent. XI. inter 65. propositiones jure merito damnavit 43. quæ sic habebat: *quid ni, nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.* Et 44. *probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.* Ista quippe damnatio, ut bene notat Cardenas dissertat. 26. cap. 1. num. 8. extenditur ad testimonium falsum, quod imponitur non solùm in judicio testi iniquo, sed & ad testimonium falsum, quod extra judicium imponitur detrahenti graviter, quandoquidem propositiones damnatæ id non limitant ad testem, neque ad judicium: loquuntur enim universaliter de falso crimine dicendò

contra

contra quemlibet infamantem; unde non potest ejusmodi testimonium excusari à peccato.

335. Ratio est ex dictis, quia falsitatem asserere in nullo casu licet, adeóque semper est peccatum dicere falsum; unde si est in materia gravi, est peccatum grave, sive id intra, sive extra judicium fiat. Constat hoc ipsum perspicuè ex Divo Thoma 2.2. quæst. 69. art. 2. ubi quærens, utrum accusatori liceat calumniosè se defendere: inter alia respondet, falsitatem tamen proponere in nullo casu licet: quare tale falsum testimoniũ excusari non potest à peccato lethali, quod ex damnatione facta ab Innocentio XI. jam certò constat. An autem sit peccatum lethale solùm contra veracitatem, vel etiam contra justitiam, non conveniunt Doctores, Cardinalis de Lugo, cum pluribus aliis, quos citat, & sequitur Tom. 2. de just. disp. 4. sect. 2. ait, illud quidem esse peccatum grave, non tamen esse contra justitiam commutativam: at plures alii, quos sequitur Cardenas suprà citatus, censent, esse etiam lethale contra justitiam commutativam, quia cùm testis ille retineat jus proprietatis ad suam famam, & Reus per impositionem falsi criminis graviter lædat famam testificantis, graviter etiam peccat contra justitiam commutativam; si autem accusator verum crimen haberet, aliter discurrendum foret, quantumvis crimen illud esset occultum. Cæterùm, ne oriatur æquivocatio, opus est distinguere inter crimen occultum, & crimen secretum. Pro quo

336. Fit 5. Quòd licèt non possit Reus sine injustitia occultum testis crimen manifestare, quando ea manifestatio est inutilis ad sui defensionẽ, vel quia crimen manifestandum non est ex illis, quæ testem reddunt inhabilem ad testificandum, vel quia illud crimen probari non potest, vel quia est alia via saltem æquè commoda, ut Reus se defendat sine manifestatione talis delicti, aut ex alio simili titulo; at si talis manifestatio delicti occulti necessaria sit ad Rei defensionem, licitum erit Reo tale delictum accusatoris, aut manifestantis accusare, ut docet Thomas Sanchez Tomo 2. Consil. lib. 6. cap. 5. dubio 32. Lugo, & Cardenas supracitatus. Ratio est, quia ista esset justa defensio; nam ille, qui in judicio pugnat contra Reum, cedit juri suo, quantum necesse est, ut Reus se defendat. Quare Sotus, Malderus, Bagnez, & Cardinalis de Lugo probabile censent, quòd in ea hypothesi Reus posset manifestare delictum occultum testis, non solùm, quando testis dicit falsum, sed etiam quando testatur verum, si delictum illud reddat testem inhabilem ad testificandum, nec jus Rei alio titulo ligetur, Nam Reus habet jus excludendi à causa sua testes inhabiles, nec jus Rei quoad manifestationem criminis occulti censetur ligari præscindendò à quacunque alia lege, & præcepto, nisi in casu, quo parvum damnum ipsi immineat, testi autem immineat maximum.

337. Fit 6 Diversimodè discurrendum esse de manifestatione secreti criminis, quod scilicet commissum est Reo ex fide secreti cum pacto de celando, nec vertit in grave damnum Reipublicæ, aut alterius tertii, nam si in damnum grave Reipublicæ, aut tertii vergat, tunc pactum non obligat, etiamsi juramentò firmetur, quia juramentum non est vinculum iniquitatis; si autem pactum sit tale, quod licitè possit servare, illud obligat jure saltem secundùm quid naturali, ideóque Reus non potest se defendere manifestandò tale crimen secretum testis, sive quod idem est, crimen occultum, quod ex pacto tenetur celare; quòd si concurrant circumstantiæ, quæ pactum reddant irritum, jam non est crimen, de quo loquimur cum obligatione celandi, neque ex pacto irrito manet ligatum, sed potiùs expeditum jus Rei ad manifestationem, & per illam ad justam sui defensionem. Quando verò pactum illud ratum manet, eo ipso Reus non potest illud violare, neque ex prætextu se defendendi potest manifestare illud secretum crimen accusatoris; idcirco maximè attendendum est ad naturam pacti; nam aliqua pacta sunt strictioris obligationis, quàm alia, ideóque difficilius possunt irritari.

338. Quamobrem, si testis causa petendi consilii delictum suum Reo manifestaverit, strictius obligatur Reus ad celandum non modò ex pacto tacito, quod intervenit in petitione consilii, sed quia ipsa necessitas petendi consilium facit pactum esse strictioris obligationis. Hæc enim obligatio, utpote ad directionem ordinata adeò stricta est, ut etiam in religione, in qua Religiosi cedunt juri suo, ut manifestentur Superiori eorum defectus ab eo, qui extra confessionem eos noverit. Exim. Doct. Tom. 4. de Relig. Tract. 10. lib. cap. 7. num. 23. dixerit, hoc statutum non extendi ad illa, quæ Religiosus alteri communicavit gratiâ consilii, & directionis, cujus rationem reddit per hæc verba: *averterentur siquidem homines à quærendo animæ remedio, si talis usus concederetur*; idcirco in tali hypothesi Reus non habet jus manifestandi delictum testis, atque adeò peccabit contra justitiam, si illud manifestet. Quod etiam dicendum est casu, quo Reus ejusmodi delictum noverit per injuriam contra testificantem, E. G. si contra jus illius aperuit litteras ab illo datas, vel ad illum missas, & per illas tale dellictum agnoverit; tunc enim ut cum pluribus Auctoribus monet optimè Cardenas dissert. 36. cap. 5. illa manifestatio non esset justa defensio, sed lethalis detractio.

339. Idcirco ad cognoscendum, an peccatum mendacii in re gravi sit peccatum lethale non solùm contra virtutem veracitatis, quæ mendacium prohibet, sed etiam contra justitiam, non satis est attendere ad jus proprietatis alterius circa bona externa, & corporalia, sed etiam circa famam, honorem, & alia bona interna, & incorpotalia, de quibus bonis suprà diximus. Quare licèt sit peccatum contra veracitatem, & non contra justitiam, quando quis mendaciter recu-

recuperat rem ſuam ab injuſto poſſeſſore, quin mendacia illa ſint contra aliquod jus proprietatis injuſti poſſeſſoris juxta Divi Thomæ doctrinam traditam num. 17. at ſi eſſet contra illius famam, aut honorem, aut aliud jus proprietatis, tunc peccatum illud eſſet etiam contra juſtitiam. Quod etiam dicendum eſt, ſi aliquis dolò, & mendaciis deciperet injuſtum invaſorem vitæ ſuæ, ut caderet in fontem, vel in fluvium, ut hac ratione ab illo ſe liberaret; nam licèt invaſor amitteret tunc jus ad vitam urgente jure alterius ad defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, at non proinde amiſit jus ad famam. Quare licèt Petrus non peccet contra juſtitiam auferendò victum, aut lædendò ſegeres illius, qui Petrum injuſtè lædit, quando illud eſt mendacium neceſſarium, ut alterum faciat abſtinere ab ea læſione, proindéque fit cum moderamine inculpatæ tutelæ; at eſſet peccatum contra juſtitiam, ſi fieret contra jus, quod alter tunc retineret ad ſuam famam, & honorem. Tandem cùm diverſa debeatur reſtitutio pro homicidio, quàm pro injuſta læſione famæ, & honoris, hæc omnia valde attendenda ſunt ad inferendam reſtitutionis obligationem.

SECTIO III.

Solvuntur Oppoſita.

340. OBjicies 1. contra primam aſſertionem: neque ex Dei præcepto, & facultate poſſet homo, qui non eſt Dominus vitæ, ſe occidere; illa etenim actio eſſet Domini in non Dominũ, ac proinde intrinſecè mala: ergo ex eo, quòd homo ex Dei præcepto poſſit licitè ſe occidere, infertur, hominem habere jus proprietatis in ſuam vitam. Reſp. neg. ant. quia tunc non ſe occideret homo propria auctoritate, ſed auctoritate, & nomine veri Domini, ſicut qui libros Petri combureret jubente Petro. Hæc enim non eſt actio dominii, cùm poſſit fieri abſque licentia Prælati à Religioſo incapace dominii.

341. Objicies 2. inſtandò ſimul ſolutionem. Si homo, quamvis non ſit Dominus ſuæ vitæ, poſſet ſe liberè occidere ex præcepto Dei habentis dominium, poſſet ſimiliter homo damnatus ad mortem ſe ipſum occidere auctoritate, & nomine Judicis id jubentis, aut ſe ipſum vulnerandò, aut ſumendò venenum, aut ſe injiciendò in ignem, aut aperiendò venam, vel alio ſimili modo; ſed hoc dici nequit: ergo &c. Confirmatur. Si homo non poſſet ex præcepto Judicis ſe ipſum occidere, neque carnifex poſſet alios occidere jubente Judice, occiſióque illa eſſet intrinſecè mala; ſed hoc abſurdum eſſet concedere: ergo &c. Reſp. neg. ant. quia Judex non eſt Dominus vitæ, ac proinde ille homo ſe occidens id faceret abſque facultate Domini, quod eſt intrinſecè malum; non autem ita fieret ex præcepto Dei, qui eſt plenè Dominus vitæ, & mortis, ejuſque dominium à nullo alio ligati poteſt; ſic enim docet cum Lugo Caramuel videndus lib. 2. Theolog. fundament. à num. 1628. ubi cum Maldero ait, Reum illum ſolùm poſſe tunc aperire os infundenti venenum; unde omnino diſplicent Tambur. & alii ſupponentes potiùs, quàm probantes, poſſe Judices legitimè jubere Reo, ut ſe occidat; diſplicent etiam Aragon. & Corduba, qui id concedunt, quantùm ad ſumptionem veneni.

Ad confirmationem conc. ant. rationem aſſignat Lugo, quia carnifex occidit titulò juſtæ punitionis, quo in caſu, ſicut neque in caſu juſtæ defenſionis non eſt mala occiſio; in homine autem reſpectu ſui ipſius non habet locum titulus juſtæ defenſionis, ut per ſe patet, neque juſtæ punitionis, cùm juſta punitio debeat eſſe ad alterum, atque adeò ex nullo titulo poteſt fieri licitum. Non acquieſco ſolutioni, nam ad exercitiũ juſtitiæ ſufficit alteritas in jure, quamvis non detur alteritas in re, Reus autem ſe occidens in dicto caſu, quamvis in re unus, eſſet jure alter, & alter ſe non ut privatam perſonam occideret, non quidem ſuo jure, ſed jure, & nomine Reipublicæ, ac modo, quo occidit carnifex, unde ob defectũ alteritatis non deficeret in homine titulus juſtæ punitionis ad ſe occidendum; quare ratio diſcriminis petenda eſt cum Leſſio ex ſpeciali hominis cum ſe ipſo conjunctione, ratione cujus ſpecialiſſimè dedecet ſe occidere, titulò etiã juſtæ punitionis ſufficiente ſæpe ad cohoneſtandam occiſionem alterius; Deus autem ad occidendum cum tali conjunctione non dedit poteſtatem, ut ex Chriſti doctrina videbimus, nec mirum hoc debet videri, cùm neque in Patrem quis poſſit eſſe executor juſtæ mortis ob reverentiam Patri debitã, quantò ergo minùs in ſe ipſum, cùm majorem habeat conjunctionem. Doctrinam hanc eſſe Chriſti Domini habetur ex Auguſtino Tract. 26. in Joannem, ubi poſt multa in rem noſtram ita habet: *Petro autem dixit ſignificans, qua morte clarificaturꝰ erat Deum, cùm eſſes junior, cingebas te, & ambulabas, quo volebas, cùm autem ſenueris, alter te cinget, & feret, quo tu non vis*; ubi ſatis expreſſit, non à ſe ipſo, ſed ab alio deberi occidi, qui veſtigia ſequitur Chriſti. 342.

Objicies 3. inſtandò ſolutionem. Plures ad tuendam pudicitiam ſe laudabiliter occiderunt, de quibus illud Hieronymi relatum in Cap. *non eſt noſtrum* 23. quæſt. 5. *non licet propria perire manu, abſque eo, ubi caſtitas periclitatur*, ſic Samſon ſe & hoſtes interemit ſubvertens ædificium; & Eleazarus 1. Mach. qui, ut elephantem, quo hoſtes ferebantur, occideret, ſe primò illi occidendum ſuppoſuit, & Razias 2. Machabæorum 14. qui ſe interemit, ne in hoſtium manus veniret: ergo conjunctio hominis cum ſe ipſo non facit, quòd homo non poſſit ſe occidere. Conf. Pluribus caſibꝰ licèt homini ſe occidendũ ſe exponere, ſic miles poteſt, imò tenetur nõ deſerere ſtationem in periculo cõmuni, etſi ſciat ſe certò occidendum. Secundò Reus puniendus poteſt non fugere ex carcere, imò etiam malefactor poteſt zelò motus ſe juſtitiæ offerre, licèt 343.

sciat se certò puniendum. Tertiò damnatus ad pereundum fame potest abstinere à cibo sibi clàm apposito, & abstinere à carnibus hominis, quas tunc posset edere secundùm Toletanum, Cajetanum, Tamburinum contra alios.

344. Quartò si è duobus habentibus panem indivisibilem alter perire deberet fame, potest alter alteri concedere panem, & sinere se mori; idem est de habentibus unicam tabulam in naufragio. Quintò potest quis ad servandum Principem, imò etiam amicum telo se objicere certò periturus. Sextò potest quis certò moriturus servire peste infectis. Septimò potest miles incendere pulverem tormentarium ad evertendã turrem hostilem certò obruturam ipsum, & hostes; quo spectare videtur illud de Samsone, & Eleazaro; & sic etiam excusantur pugnantes cum Hæreticis, qui navim propriam communi consensu incendunt, & se in mare committunt, videntes ipsam certò capiendam, ipsosque ab hostibus occidendos. Imò juxta Facundum libro 5. cap. 11. & Tamburinum §. 2. etiamsi ipsi non essent occidendi ab obversante incendio, si non sit alia via evadendi mortem adeò horrendam, potest quis cum certo vitæ periculo se è sublimi per fenestram demittere; atqui hæc, & similia, quæ singillatim expendit Cardinalis de Lugo, minimè licerent, si omninò esset illicitum suicidium: ergo &c.

345. Resp. dist. ant. se laudabiliter occiderunt, si id fecerunt ex speciali instinctu Spiritûs Sancti, conc. si id purè fecerunt ex præcepto humano, neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia Sancta Appollonia, aliique se se occidentes id laudabiliter egerunt ex speciali instinctu Spiritûs sancti, qui cùm sit Dominus vitæ, & mortis, dedit illis facultatem ad talem interfectionem, unde quotquot ita se gesserunt, laudabiliter fecerunt, ex quo malè infertur, id posse fieri ex præcepto purè humano, cùm homines non sint Domini vitæ, & mortis, quamvis aliquos fortè excusaverit bona fides, qua invincibiliter existimabant, se præstare obsequium Deo se ipsos occidendô, ut multi dicunt de Razia, quem tamen non omnes excusant; alius modus excusandi Samsonem, & Eleazarum constabit infrà.

346. Ad illud Hieronymi aliqui cum Bannez apud Salonem art. 5. concedunt, reverâ contrarium dicendum cum multis Philosophis antiquioribus; alii dicunt, S. Hieronymum voluisse damnare illos, qui modô prædictô se occiderunt, quia censebat id factum esse ex speciali instinctu Spiritûs Sancti, pro quo casu excipit occisionem sui, non verò aliter. Sed melius ad mentem Sancti Doctoris alii cum Glos. super Cap. illud *non est nostrum* dicunt, quòd illa dictio *absque* non sumitur ibi ab Hieronymo exclusivè, sed inclusivè, quasi dicat, neque in istis, in quibus magis videtur, licet alicui se occidere; cùm ea dictio *absque*, licèt aliquando habeat sensum exclusivum, etiam habeat aliquando sensum inclusivum; tum in S. Scriptura Cantic. 4. *sicut fragmen mali punici, ita tiam gena tua absque eo, quod intrinsecum latet*; tum in jure Canonico cap. 3. quæst. 2. Cap. *Hebron*, ubi dictio *præter*, quæ synonima videtur, sumitur etiam inclusivè, atque in eodem sensu sumitur in Jure Civili l. *pignus* ff. *de pignorat. action.* exinde sine ulla violentia rectè sumitur, sumique debet in præsenti pro sensu inclusivo.

Notandum insuper est diligenter ex Cardinali de Lugo num. 28. & 36. multùm interesse discriminis inter non eripere sibi positivè, & directè vitam, quod est præceptum negativum obligans pro semper, & interconservare, seu tueri vitam, quod est præceptum affirmativum obligans in certis temporibus, & circumstantiis; exinde namque venit, quòd quamvis nemini liceat se unquam occidere directè, aut intendere suicidium, bene verò aliquando justis de causis aliquid facere, vel omittere, unde scitur mors eventura, quia ad illud faciendum, vel omittendum non tenemur in his circumstantiis ex lege conservandi vitam, atque hinc admissis casibus objectionum, quamvis non omnes apud omnes admittantur, ut videre est apud de Lugo. 347.

Ad confirmationem omitto maj. & nego minorem: ratio est, quia in prædictis casibus non datur directa sui occisio positiva, nec intentio vitam quasi sibi exosam eripiendi, aut exponendi talibus periculis absque causa justissima, sed tantùm datur omissio illam conservandi per certa media, ad quæ ponenda non obligamur in illis circumstantiis, quamvis inde non sequatur mors præter intentionem; utendô enim illis mediis, quæ habes in illis circumstantiis, ut supponimus, non est causa per se mortis, nec physica, nec moralis, de quo latè diximus à n. 262. de actibus humanis, ac proinde non peccat; qui autem se occidit, non est causa per accidens, sed per se, proindéque peccat. 348.

Atque exinde venit, licitam esse non ex intentione mortis, sed ex intentione, & desiderio perfectionis, carnis macerationem per jejunia, flagellationem, vigilias, etiamsi sequatur exinde indirectè abbreviatio vitæ per aliquos annos: quare licet Carthusiano abstinere à carnibus, quarum usu certò viveret; secus dicerem contra Joannem Sanchez in casu, quo nullus alius cibus superesset. Exinde licet tibi Religionem ingredi, quamvis scias non ita firmam habiturum valetudinem, & brevi tempore moriturum. Hinc secundùm Fagundez non obligaris uti vinô, vel carnibus, etsi Medicus dicat, te decem victurum annos ampliùs, quàm si utaris aquâ, & piscibus, nec teneris in magna siti abstinere à potu aliquantulùm nocituro juxta Sanchez, Dicastillio lib. 2. Tract. 1. disp. 12. Nec obligaris juxta Tambur. ut valetudinem recuperes mutare locum habitationis, aut uti extraordinariis cibis, aut medicinis; ratio est, quia non tenemur cum tanto rigore vitam conservare. 349.

Objicies 4. Potest quis in aliquibus casibus 350.

ſibi deſiderare mortem: ergo & ſe ipſum occidere. Probatur antec. 1. in Martyribus deſiderantibus mori pro Chriſto, tum in aliis, qui ad evitandas ærumnas mortis acerbiſſimæ poſſunt ſibi optare mortem, ut contra Navarrum docet Tamburinus, Joannes Sanchez, Sotus cum Granado apud Dianam part. 5. Tract. 14. reſolut. 92. tum in Reo, qui ſe præſentat Judici quærenti ipſum ad pœnam capitalem, hortans ut eam exequatur propter ſua delicta; quod licere docet Lugo &c. Reſp. omitto ant. & nego conſequentiam. Ratio eſt, quia multa ſunt, quæ nobis, aliisque optare poſſumus, ut inculpatè modò eveniant, quæ tamen per nos inferre non poſſumus ſine culpa; ſic poſſumus malefactori optare commeritum ſupplicium à Judice competente, non tamen per nos illud inferre, cùm ab hoc prohibeamur præceptò: ſic Martyres poſſunt deſiderare occidi pro Chriſto à Tyrannis, quin poſſint ſe ipſos pro Chriſto occidere; circa modum, quo poſſunt Martyres ſibi optare, & petere à Deo occaſionem, & palmam Martyrii, imò & procurare Tyrannum absque peccato ſuſcidii, vide Lugum num. 45. & 46.

351. Cæterùm, quia homo, quamvis non ſit Dominus, eſt tamen adminiſtrator vitæ, & membrorum, ideo ſi ſecare membra opus ſit ad conſervationem vitæ, potes id pati, imò etiam debes, niſi tantus eſſet dolor, ut prudenter excuſaret à conſervatione vitæ, quam homo ſervare non tenetur medio adeò acerbò, ut docent multi apud Dianam Tract. 3. reſolut. 138. Sic non tenetur virgo pudica admittere aliquod genus curationis minus decens, excipe perſonas bono publico valdè neceſſarias, quas acerbitas doloris ſæpè non excuſaret. Excipiunt alii Religioſum, cui Prælatus præciperet talem abſciſſionem causâ vitæ. Sotus verò, & Leſſius apud Lugum, & Diana cum multis Tract. 40. reſolut. 32. negant in eo teneri Religioſum obedire. Imò Caramuel num. 1613. damnat de mortali curſores, qui velocitatis cauſa quædam oſſa ſibi extrahunt, & ſponſum, qui in ſignum amoris erga ſponſam ſibi digitum amputavit.

352. Inſuper Molina, Leſſius, Toletus, & Card. de Lugo addunt, committere peccatum mortale illum, qui patitur caſtrationem cauſa vocis, caſtitatis, aut lucri; ut latè etiam Tannerus apud Dianam p. 6. Tract. 8. reſolut. 36. & Caramuel num 1603. contra Baſqualinum, Tamburinum, & alios arbitrantes, id licere. Ex quibus omnibus apparet neque Rempublicam, neque Principem habere dominium membrorũ & vitæ ſubditorum, ſed tantùm politicam gubernationem; unde non poſſunt pro libito occidere, aut mutilare. Ratio eſt, quia relatè ad hanc poteſtatem ſubditi ad Rempublicam ſe habent ut membra, & partes componentes unum corpus, unde non eſt concedendum plus dominii Reipublicæ ſuorum membrorum, quàm cuilibet reſpectu ſuorum.

353. Objicies 5. inſtandò ſimul ſolutionem: Princeps, & Respublica, ut contra Hæreticos U-

baldenſes defendit Lugo diſp. 10. ſect. 2. licitè occidit malefactores, & exponit ſubditorum vitam in bello: ergo habet dominium vitæ. Reſp. conc. ant. & neg. conſequentiam. Ratio eſt, quia id non faciunt pro libito, ut illorum Domini, ſed juſtiſſimis de cauſis, ut gubernatores, & cuſtodes tranquillitatis, & boni publici; ſicut homo, ut cuſtos vitæ ſuæ reſecare ſibi poteſt membrum putridum, & exponere partem pro ſalute totius. Quapropter neque Domini creati habent plenum dominium in ſervos ſuos: jus enim ſervitutis non concedit majorem poteſtatem in alium hominem, quàm ipſe homo habet in ſe ipſum; cùm autem homo, ut conſtat ex dictis, non habeat in ſe ipſum dominium proprium, & directum, ſed tantùm indirectum ad inſtar uſufructuarii, quatenus ſcilicet uſus & actiones corporis, & animæ, facit ſuas, exindè jus ſervitutis hoc tantùm tribuere poteſt alteri homini, quem in hoc ſenſu appellamus Dominum, non verò Dominum directum in vitam, & membra hominis ſervi; ad hunc ferè modum diſcurrere licet de Patre reſpectu filiorum non emancipatorũ; quamobrè minùs bene Amicus d. 25. defendit, Patrè habere univerſale dominiũ proprietatis in filios; ſolus ergo Deus eſt plenè Dominus vitæ, & mortis, qui Exodi 21. dixit, *qui percuſſerit virga ſervum, vel ancillam, & in manibus ejus mortui fuerint, criminis reus erit.*

354. Objicies 6. contra ſecundam aſſertionem. Quantumvis homò licitè condonare poſſit membrorum mutilationem, & uti membris ſuis, non habet verum dominium in membra ſua: ergo licèt poſſit condonare infamiã, & inhonorationem, atque uti ſuâ famâ, & honore, non habet verum dominium in ſuam famam, & honorem. Reſp. nego ſubſumptum antecedentis; nam ut diximus num. ſuperiori, & num. 329. homo neque condonat, neque condonare poteſt ſui mutilationem, ſicut condonare poteſt, & condonat inhonorationem. Ratio eſt, quia ſi membrum reſciſſum poſſet ipſi reſtitui, ſicut fama, & honor, non poſſet cedere juri ad reſtitutionem propter novam conjunctionem, quam habet cum membris ſuis, ut conſtat ex num. 342. Ad eum modum, quo maritus non poteſt cedere juri, quod habet in uxorem. Solùm ergo cedit homo ſatisfactioni debitæ pro injuria illata, & reſtitutioni pecuniariæ debitæ pro mutilatione. Cùm enim habeat jus quaſi uſufructuarii reſpectu ſuorum membrorum; & per mutilationem privatus ſit ea facultate ad uſum, debetur illi ſatisfactio, & poteſt juri illi cedere; at reſpectu famæ, & honoris aliter ſe habet; nam fama, & honor reſtitui poſſunt, & tamen homo poteſt cedere tali juri ad reſtitutionem.

355. Objicies 7. contra tertiam aſſertionem; qui violenter impediret hominem, nè frueretur influxu Solis, Lunæ, & Aſtrorum, inferret illi injuriam: ergo homo habet perfectum dominium proprietatis in Cœlum, Lunam, & Aſtra. Reſp. diſt. ant. inferret injuriam, quatenus pri-

vat dominiò directò Cœli, Solis, & Astrorum, nego, quatenus privat usu illorum, conc. ant. & nego consequentiam. Quia, ut suprà diximus, homo est à Deo constitutus, quasi usuarius, aut usufructuarius Cœlorum, non verò obtinuit perfectum jus proprietatis in Cœlum &c. cùm non possit pro libitu dare, alienare, distrahere, neque exercere alias actiones proprias dominii perfecti. Quare ex injuria, quæ fieret homini, si privaretur usu Astrorum, malè infertur, ipsum habere perfectum dominium in Astra; aliter cogeretur concedere Adversarius, omnes usuarios, & usufructuarios habere dominium perfectum rei, qua utuntur, & fruuntur.

DISPUTATIO VII.

DE USU DISTINCTO A DOMINIO, EJUSQUE PRAXI.

356. VIx in toto isto Tractatu reperietur altera controversia hinc indè ardentiùs discussa; quæstio enim ista, de qua agimus, non solùm inter minores Theologos, verùm etiam inter ipsos Summos Pontifices fuit olim valdè agitata occasione paupertatis, quam Fratres Minores, seu Franciscani sanctè profitentur; dicunt enim, quòd nec singuli Religiosi, nec etiam tota Religio in communi habeat dominium illarum rerum, quibus utitur, sed merum usum; dominium verò manere vel penes ipsos dantes, vel penes Summum Pontificem, ex cujus licentia ipsi postea utuntur rebus illis, quæcunque sint; quare hæc paupertas convenit cum paupertate aliarum Religionum in eo, quòd neque in Religione Fratrum Minorum, neque in aliis Religionibus haberi omninò possit in particulari ab ullo Religioso professo, neque dominium, neque juris usus independens; differt tamen ab altera paupertate, quia Religio Fratrum Minorum neque in communi habere potest dominium rerum, quibus utitur; at reliquæ Religiones habent in communi dominium suarum rerum, quod vel penes totam Religionem, vel penes quodlibet monasterium residet; licèt rerum dispensatio sit penes solum Superiorem, à quo subditi in earum usu revocabili dependent. Sic enim definit Tridentinum sess. 25. cap. 3. concedit Sacra Synodus omnibus monasteriis, & domibus tam virorum, quàm mulierum mendicantium, exceptis domibus Fratrum Sancti Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat; unde apparet ex hujus quæstionis decisione colligi plura posse, & quidem valdè utilia ad quæstiones morales, præsertim pro Religiosis professis omnium aliarum Religionum, utpote habentibus in particulari rerū usum sine dominio.

SECTIO I.

Exponitur status præsentis Controversiæ.

357. SUppono 1. ex num. 218. alterum esse usum juris, & alterum usum facti. Usus juris inseparabilis est à dominio saltem non pleno, cùm afferat legitimam potestatem ex jure proprietatis ad utendum re simpliciter aliena; ille enim, qui gaudet usu juris, talem retinet ex jure suo legitimam potestatem ad utendum re, ut Dominus directus non possit ex mero libito suo eam revocare, aut irritare; unde ut bene notârunt Exim. Doctor Tom. 2. in 3. part. disp. 18. sect. 2. Lessius cap. 3. dubitat. 8. Lugus disp. 2. sect. 3. & communiter Theologi, si quis haberet usum facti irrevocabilem, eo ipso censeretur habere usum juris, & dominium; idcirco in præsenti non agimus de usu facti irrevocabili, sed revocabili, & dependente à voluntate concedentis; ita, ut quovis momento possit revocari sine ulla injuria usuarii; talis autem est usus, quem habet Religio Minorum, & omnes alii Religiosi professi circa vestes, libros, & similia, quæ illis à Superioribus conceduntur; non enim conceditur illis jus utendi, nisi prout ad nutum Superioris revocari possit.

Suppono 2. esse in duplici differentia res, quibus uti possumus; aliæ quidem tales sunt, ut unico usu non consumantur, ut domus, vestis, & id genus alia, de quibus non procedit controversia, cùm facilè in eis concipiatur usus distinctus à dominio; aliæ verò tales sunt, ut unico usu consumantur, ut vinum bibendò, panis manducandò, & sic de aliis; ad quod etiam genus pertinet usus primarius pecuniæ, quæ unico etiam usu consumuntur, illam nempe expendendò, sive commutandò pro aliis rebus; ad hunc quippe primarium usum instituta est juxta Aristotelem 1. Politicorum cap. 7. & 4. Ethicor. cap. 1. eo enim usu primario suo consumitur nō in sua entitate, sed in dominio. Circa ejusmodi res procedit præsens controversia, in qua quærimus, an in iis rebus, quæ unico usu consumuntur, ita distingui possit dominium, & usus, ut in uno subjecto sit dominium, & in alio sit usus. 358.

Prima sententia docet, non posse in illis rebus distingui usum à dominio, ita Antoninus, Sylvester, Turrecramata, & alii, quos refert Thomas Sanchez lib. 7. in Decalogum cap. 18. num. 4. Eandem sententiam novissimè tenet Achatius de Velasco Tom. 1. resolut. 262. eámque probabilem vocat Basseus in Floribus pag. 256. Eandem latè promovet, & defendit 359.

Joannes

Joannes XXII. in Extravagante *ad conditorem Canonum*, Tit. 14. *de verb. ſignificat.* in 6. & altera, *quia quorundam* eodem Tit. Ibi enim latè probare conatur, Religioſos Minoritas, cùm habeant uſum multarum rerum, quæ unico uſu conſumuntur, habere circa illas verum jus abſolutum, & dominiuм proprietatis, ubi addit, ſe abdicare omnino earum rerum dominium, ſi aliquod fuerat, quod ad Sedem Apoſtolicam pertineret; quandoquidem non niſi fictum, & chymæricum eſt dominium rei, quam alius poteſt licitè, & legitimè unico actu conſumere.

360. Quare cùm Pontifex in hoc puncto de uſu illo indiſtincto à dominio, non voluerit procedere definiendò, ſed probandò rationibus, exinde non declaravit ex Cathedrâ, ſed ut privatus Doctor eam ſententiam ſuſtinuit, quod ſatis explicat in ultima ſua citata Extravagante *quia quorumdam*, ubi poſt medium ait, adhuc dicimus, quod eſt cum hoc impoſſibile, ſcilicet uſum facti ſimplicem abſque jure aliquo; quod nihil aliud, quàm ipſum (uti propriè poteſt dici) poſſe in re aliqua etiam uſu non conſumptibili ab aliquo obtineri, prout in Decretali *ad conditorem Canonum* eſt probatum; non enim dixit, *eſt definitum*, ſed, *eſt probatum*, ut ſignificaret, ſe in hoc puncto fuiſſe locutum non quidem ex Cathedra, ſed ut privatum Doctorem.

361. Secunda ſententia defendit, poſſe uſum ſeparari à dominio adhuc in his rebus, quæ unico actu conſumuntur. Ante Joannem XXII. docuit hanc ſententiam Nicolaus III. Cap. *exiit*, *qui ſeminat*, §. *nec quidquam*, verſic. *profecto de verb. ſignificat.* in 6. eámque poſtea admiſit, & promovit Clemens V. lib. 5. *Clementinarum* Clement. 1. *exivi de Paradyſo* §. *proinde cùm vir Sanctus* eod. Tit. Eandem etiam partem ante ipſum tenuerunt Innocentius IV. Alexander IV. & Gregorius IX. quos Nicolaus pro ſe citat, quin potiùs poſt Joannem XXII. ut teſtatur Boylinus 3. part. Theologiæ quadripartitæ Scoti cap. 4. de juſt. Eandem partem ſuſtinet confirmandò declarationes Nicolai III. & Clementis V. Paulus IV. in Conſtitutione ex Clementina *ſedis* derogandò Extravaganti *ad conditorem*, aliisque materiam prædictæ Extravagantis continentibus; & reponendò iterum apud Sedem Apoſtolicam earum rerum dominium, quod rejecerat Joannes XXII. addit hic Author, eundem Paulum IV. die prima Julii Anno 1555. teſtatum eſſe eiſdem Extravagantibus derogatum fuiſſe per Martinum V. Eugenium IV. Nicolaum V. & Sixtum IV. idemque præſtitiſſe Gregorium XIII.

362. Rurſus ex Wadingo ad Annum 1333. num. 14. notat ibidè ipſe Boylinus Joannem XXII. ante mortem ſuam revocâſſe tum, quod dixerat de Animabus ſeparatis, quas exiſtimaverat privari viſione beatifica usque ad diem Judicii, tum quod dixerat non rectè de aliis, ſubjungens, prædicta omnia, & alia quæcunque dicta prædicata, & ſcripta per nos de quacunque materia &c. ſubmittimus determinationi Eccleſiæ, & Succeſſorum noſtrorum. Pro majori autem claritate notandum eſt, tria præſertim puncta tractari à Nicolao, & Joanne. Primum eſt, an Chriſtus verbò, & exemplò docuerit eam paupertatem, quæ adhuc in rebus unico uſu conſumptibilibus ſeparatum habeant uſum à dominio. Secundum, an in rebus unico uſu conſumptibilibus ſeparari poſſit uſus à dominio. Tertium, an paupertas, quæ omne dominium à ſe removet, ſolo uſu facti contenta, ſit ſancta, & meritoria. Circa primum punctum definivit Joannes, quòd Chriſtus aliquando habuit uſum, & dominium, ſaltem in communi. Circa ſecundum, & tertium nihil definivit, ſed ut privatus Doctor profeſſus eſt ſuam ſententiam probationibus, & rationibus ſuadendò; dixit enim ad ſecundum, quòd in ejusmodi rebus non poterat uſus ſeparari à dominio; & circa tertium, quòd ea paupertas non eſſet ſancta, & meritoria, ſed injuſta, quam refert Boylinus.

Nec omittendâ puto ea, quæ refert Emmanuel Rodriquez Tom. 3. Q. Q. Regularium, & & Canonicarum quæſt. 3. art. 1. ubi hæc habet: *Alexander VI. approbavit, & perpetuæ firmitatis robur obtinere voluit litteras Martini IV. & Martini V. Eugenii IV. Caliſti III. & Sixti IV. nec non Pauli Secundi Romanorum Pontificum*; per quas litteras hujusmodi Pontifices Profeſſoribus Ordinum Minorum conceſſerunt, quòd uſum bonorum eis, & dicto Ordini relictorum (proprietate, ſeu dominio eorum bonorum apud Romanam Eccleſiam remanente) cum puritate ſuæ regulæ percipere, & habere poſſint; ita habetur in ſupplemento folio 75. quæ approbatio confert ad revalidationem Decretalis Nicolai III. & ad derogationem Extravagantium Joannis XXII. & ſic in Capitulo generali Michenenſi (forte dicere voluit Mechinienſi) declaratum eſt, quod Papa Joannes XXII. revocavit ante mortem ſuam, quidquid dixerat, vel fecerat contrarium Eccleſiæ determinationi, & Romonorum Pontificum circa hoc. Quare Conſtitutiones, quas fecerat contra declarationes Nicolai III. & Clementis V. nullius ſunt roboris, ut in Monumentis Ordinum refertur. Quot autem diſſidia nata ſint in Eccleſia in hac Pontificum pugna, eò quòd plures, & præſertim illi, qui vulgò appellebantur Fraticelli, vel non ſciverint, vel noluerint diſtinguere inter ea, quæ Pontifex ut privatus Doctor aſſerit, & ea, quæ ex Cathedra definit, facilè apparebit, ſi attentè legatur Gloſſa ad ſupra citatam Clementinam *exivi de Paradyſo*. 363.

Itaque Joannes Andreas Bononienſis in Gloſſa ad §. *proinde cùm vir Sanctus* ſic ait: *ſciendum, quod hæc quæſtio ſcrupuloſa eſt, & peperit in Eccleſia Dei perniciosos effectus, præcipuè tempore Joannis Papæ XXII.* quia nonnulli Magiſtri Sacræ paginæ verbis, & ſcriptis niſi ſunt oſtendere, quòd Fratres prædicti etiam in rebus uſu conſumptibilibus habent tantùm ſimplicem uſum facti, & quòd hæc eſt altiſſima paupertas, 364.

in qua sunt fundati, & quòd hæc etiam fuit vita Christi, & Apostolorum, dicentes, quòd perfectioni Vitæ Christi, & aliorum Perfectorum non est consonum aliquid habere proprium, sed solùm facti usum, & inter istos fuit Marsilius de Menandrino Paduanus. Ipse autem Joannes XXII. in Extravaganti *cùm inter nonnullos* declaravit, quod asserere pertinaciter, quòd Redemptor noster, & ejus Apostoli non habuerint jus utendi iis, quæ Sacra Scriptura eos habuisse commemorat, & illa vendendi, seu donandi, aut ex ipsis alia acquirendi, est hæreticum; quare ex hac defensione constat, esse hæreticum, asserere, Christum nihil unquam in terris habuisse proprii nec in speciali, nec in communi: atque istud est primum punctum ex tribus assignatis num. 362. in quo juxta pravam Adversariorum intelligentiam Joannes XXII. definivit oppositum, quod definierat Nicolaus III. quando in Cap. *exiit* dixit, quod Christus aliquando habuit perfectissimam illam paupertatem sine ulla proprietate, neque in communi, neque in particulari, quam verbô, & exemplô docuit.

365. Cæterùm hæc duo nullam in se oppositionem habere evidens est: nam Nicolaus asseruit, Christum aliquando eam perfectissimam paupertatem verbo, & exemplo docuisse: aliquando autem paupertatem minùs rigidam exemplo demonstrâsse tanquam communem omnium Patrem, & Doctorem; Nicolaus enim, postquam dixerat, quòd Christus aliquando eam rigidam paupertatem verbo docuit, & exemplo firmavit, statim subjungit: nec his quisquam putet obsistere, quòd interdum dicitur, Christum loculos habuisse; nam sic JESUS Christus, cujus perfecta sunt opera in suis actibus, viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret, quibus verbis utens Joannes XXII. in Extravagante *quia quorundam* ad exponendam Nicolai mentem subjungit, impertinens de loculis fuisset objectio, nisi intellexisset, Christum etiam quoad proprietatem loculos habuisse; præterea, si diceretur, Christum in loculis habuisse tantummodo simplicem usum facti, frustra diceretur, quòd in persona infirmorum ipsos Christus habuit loculos, cùm secundùm eum perfectis etiam conveniat habere simplicem usum facti; ex quibus manifestum est, Nicolaum non dixisse, quòd Christus nunquam habuerit aliquid proprium, sed quòd aliquando non habuit; constat etiam, Joannem XXII. non definivisse, quòd Christus semper habuerit adhuc in communi aliquid proprium, sed quòd aliquando habuerit, cùm autem in eo, quòd aliquando habuerit; & aliquando non habuerit, nulla sit contradictio, ut vel ipsi cœci videre possunt, exinde nulla prorsus fuit contradictio quantum ad dissensionem inter Joannem, & Nicolaum.

Quin potiùs hæc duo; quæ ab his Pontificibus tradita sunt, satis indicata conspiciuntur in Sacra Scriptura; quòd enim Christus paupertatem omnimodam verbo docuerit, patet ex Matth. 10. ubi dixit: *Nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam in Zonis vestris, non peram, nec duas tunicas neque calceamenta, neque virgam*; neque refert, an hæc verba sonent consilium, an præceptum, & an etiam possint alium sensum habere; nam satis est, quòd etiam habeant hunc verum sensum, de quo loquimur, in quo illa accepit S. Franciscus, cujus eximii Viri instituta & DEUS plurimis miraculis, & Ecclesia universa communi consensu approbavit; imo ut benè notat Eximius Doctor To. 2. in 3. Part. Disp. 28. Sect. 2. satis est etiam, quòd Christus, licèt habuerit dominium suarum vestium, voluerit aliquando carere tum in comuni, tum in particulari omnium aliarum rerum dominiô, & retinere purum facti usum, ut Nicolaus verè dicere potuisset, Christum in ijs dedisse nobis perfectissimæ Paupertatis exemplum tum in comuni, tum in particulari, quod ad minimum infertur ex Matth. 8. ubi Christus ait: *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet*, & Lucæ 8. *Mulieres eum sequebantur ministrantus ei ex facultatibus suis.* 366.

Quòd autem aliquando habuerit proprium, saltem in communi, & sic dederit exemplum paupertati aliorum, satis colligitur ex Joannis 12. ubi dicitur de Juda, qui Procuratorem Collegii Apostolici agebat, *loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat*, quorum scilicet dominium erat penes Collegium Apostolicum; unde de Juda, quia aliqua sibi assumeret, dicitur in eodem textu, *fur erat*, nec dubitare licet, quòd habuerit dominium saltem in communi earum rerum, quandoquidem ex eis absque aliorum necessaria ulla facultate eleëmosynas facere consueverat; idcirco quando Joannis 13. Christus dixit Judæ: *Quòd facis, fac citiùs*, cùm alij discipuli ea verba non intellexissent de proditione, addit textus, *hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei, quidam enim putabant, quia loculos habebat.* quòd dixisset ei Jesus, eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis, ut aliquid daret; hanc vitam imitati sunt postea fideles, qui erant Hierosolymis, ut patet Actorum 4. & ferè omnes Ordines Religiosi, nam exceptis Franciscanis omnes habent saltem in comuni dominium rerum mobilium, & ex his plenè patet concordia quantum ad primum punctum. 367.

Circa secundum punctum assignatum num. 362. censuit Joannes, non posse separari usum à dominio in iis rebus, quæ unico usu consumuntur, at Nicolaus oppositum censuit; verùm in hoc nullus in materia Fidei est error, siquidem neque Joannes, neque Nicolaus definiêrunt quæstionem, sed solùm facere voluerunt 368.

runt declarationes regulæ S. Franciſci, prout unusquiſque ipſorum judicabat, & obligare ad eas obſervandas, quousque à ſe, vel ſucceſſore, qui non minorem habet authoritatem, aliter conſtitueretur, quod expreſsè habet ipſe Joannes in Extravagante *quia quorundam*, ubi ſic habet: *Si igitur poſt interdictum generalis Concilii licuit Summis Pontificibus non confirmatos Ordines confirmare, & eorum Succeſſoribus ſic confirmatos in totum diſſolvere, non eſt mirum, ſi, quod declarat circa Regulas Ordinum ſolus Summus Pontifex, vel ordinat, liceat ejus ſucceſſoribus declarare, ſeu aliàs immutare.*

369. Ex quo apparet ſine ullo errore in materia Fidei, aut morum potuiſſe Joannem obligare ad ſervandas iſtas obligationes, quamvis Anteceſſor obligaverit ad ſervandas oppoſitas, ſicut ipſa Apoſtolica Sedes de facto obligat Religionem Minorum ad non admittendam proprietatem, alias verò Religiones obligat ad non amittendum voluntariè proprietates ſuas, cùm enim in domo Dei manſiones multæ ſint; & utraque ex his duabus viis ducat ad perfectionem, poſſet Pontifex ex jure ſuo confirmare conſtitutiones cum his declarationibus, & non cum aliis, aliúsque Pontifex poſſet eas confirmare cum aliis, & non cum iſtis; unde ex his inferri non poſſet, quòd alterutra prædictæ quæſtionis pars ſit de Fide. Imò adhuc ſunt de hac re variæ Doctorum ſententiæ, ut vidimus à num. 359. Quare ex hac diverſitate nihil omninò detrahitur infallibilitati S. Sedis, ſed potiùs ſtabilitur, & roboratur ejusdem authoritas.

370. Circa tertium punctum explicatum num. 362. cenſet Nicolaus, paupertatem illam eſſe ſanctam, & meritoriam, Joannes verò negat, & quamquàm meliùs ſentit Nicolaus, ut conſtabit Sect. ſequenti; attamen nec Nicolaus hoc definivit tanquam articulum Fidei, nec Joannes oppoſitum, ſed ſolùm contendebat rationibus oppoſitum probare, ut conſtat ex ejus verbis num. 360. quin potiùs principale Joannis intentum in ea Extravagante *ad Conditorem Canonum* ſolùm erat, renuntiare dominio earum rerum, quæ donantur Franciſcanis, quod dominium ſibi, & ſucceſſoribus ſuis admiſerat Nicolaus; at Joannes quàm optimè potuit ejusmodi juri renuntiare; ipſe namque non habebat minorem poteſtatem ad renuntiandum, quàm habuit Nicolaus ad admittendum, proindéque potuit definitivâ ſententiâ declarare, tale dominium fuiſſe pro tunc à S. Sede abdicatum non minùs, quàm Nicolaus, quando dominium illud admiſerat, declaravit, quod ad ſe, & ſucceſſores ejus pertinebat; quo in ſenſu loquitur Joannes in fine Extravagantis *quia quorundam*, cùm ait, quòd conſtitutionem noſtram *ad Conditorem Canonum* ſupradictâ inſano auſu impugnare niſi ſunt (ſicut fertur) diſtrictiùs de eorum Fratrum Conſilio inhibemus, nequisquam contra definita, ordinata, ſeu facta per ipſam verbo, vel ſcripto ſcienter approbet, vel defendat.

En quàm facili negotio componantur ea, in quibus Nicolai, & Joannis conſtitutiones diſcordabant, quin ulla exinde umbra contradictionis appareat in infallibili doctrina fidei, & morum; etenim rationes ſive Pontificis, ſive generalis Concilii, quæ aſſumuntur ad definiendam aliquam veritatem, poſſunt eſſe falſæ ſine ullo præjudicio in doctrina fidei, & morum; eò quòd definitio non tendat ad rationes illas, ſed ad rem definitam, quæ infallibilis eſt, nulliqúe falſitati obnoxia, ut patet in actione 5. ſecundæ Synodi Nicenæ, ubi afferuntur rationes ad probandum, Angelos eſſe corporeos, & definitur, eos pingi poſſe; definitio enim, quòd ſcilicet pingi poſſint, veriſſima eſt, licèt ratio adducta, & non definita, ſit falſa; imò potiùs poſtea reprobata à Conc. Lateranenſi maximo ſub Innocent. III. Cap. primo de Fide Catholica, ubi dicitur, Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, corporalem, & ſpiritualem (Angelicam videlicet, & mundanam) deinde humanam quaſi comunem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam; ſi enim ex his nihil omnino detrahitur infallibili doctrinæ Fidei, & morum, eò quòd nihil detrahatur infallibilitati definitionum; certè nec poterit aliquid detrahi ex quæſtionibus illis inter Nicolaum, & Joannem, cùm ſolùm diſcordent penes ea, quæ rationibus probare conantur, & conveniant omnino in iis, quæ definita ſunt. 371.

Atque ex his perſpicuè apparet, quàm inſanè ſe geſſerint illi, qui ob ſupradictam diſcordiam inter Joannem, & Nicolaum nullũ jam deinceps verum Romanum Pontificem agnoſcebant; ejusmodi quidem hominum multitudo non pauca durabat adhuc tempore ſupradicti Joannis Andreæ, qui in Gloſſa ad Clementinam citat. *exivi de Paradyſo* hæc addit, unde ſecutum eſt, quòd adhuc hodie eſt magna multitudo, quæ dicitur Fraticellorum, qui ex hoc errore lapſi ſunt in alios, dicentes; quòd à tempore illius Joannis XXII. quem damnant propter prædictas Extravagantes tanquam hæreticum, non fuit alius verus Pontifex, & alia plura nefaria dogmatizant, & in his, ſi comprehenduntur per Epiſcopos, perſiſtunt, etiam permittentes ſe comburi, ut vidi Florentiæ. Cæterùm error iſte ſuo jam pondere corruit, & evanuit; nec eſt homo mediocriter doctus, qui rem hanc attentè conſideret, & non videat, quanta cœcitate, & inſania illi homines ducti fuerint ad amplectendum, & perſiſtendum in errore adeò palpabili. 372.

Quapropter Theologi jam ferè omnes defendunt ſecundam ſententiam, docentes, poſſe in ejusmodi rebus unico uſu conſumptibilibus uſum ſimplicem facti ſeparari à dominio; ſic docuerunt Nicolaus III, aliíque Pontifices 373.

tifices citati à num. 361. Eandem tenet Illustrissima Franciscanorum Religio, Eximius Doctor Tomo 3. de Religione lib. 8. cap. 8. Sanchez lib. 7. in Decalogum cap. 18. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 14. Azor, Molina, Valentia, Lessius, Rebellus, Dominicus Soto, Navarrus, pluresque alij, quos citat, & sequitur Cardinalis de Lugo Disp. 2. Sect. 3. num. 45. quibus accedunt Amicus Tom. 5. Disp. 13. Palaus Disp. 1. puncto 5. Raynaudus de virtutibus lib. 3. sect. 3. cap. 2. num. 141. Tamburinus lib. 8. in Decalogum Tract. 1. cap. 1. Esparza quæst. 50. Cardinalis Pallavicinus lib. 4. cap. 14. & Maurus quæst. 170.

SECTIO II.

Eligitur secunda Sententia, & Praxis exponitur.

374. Assero I. cùm Doctoribus secundæ Sententiæ citatæ numero superiori. Simplex usus facti separabilis est à dominio in rebus, quæ unico usu consumuntur. Probatur I. Potest Dominus concedere licentiam Petrò ad utendum re aliqua unico usu consumptibili, quæ licentia nullo alio modo concedatur, nec acceptetur, nisi ut revocabilis, & dependens semper à voluntate ejusdem Domini: atqui Petrus, qui talem licentiam haberet, non posset dici Dominus illius rei. neque licentia illa daret Petro, jus ullum proprietatis in re, sed simplicem usum licitum facti: ergo Petrus tunc haberet simplicem usum licitum facti absque ullo dominio, aut jure Proprietatis in re, proindeque in ejusmodi rebus simplex usus facti separabilis est à dominio. Conseq. tenet, & major patet: quia nulla excogitari potest repugnantia in eo, quòd Dominus eo modo licentiam concedat Petro, nec in eo, quòd Petrus illam accepret. Minor verò prob. Ea licentia satis non est, ut Petrus habeat legitimam potestatem directè, & principaliter in bonum propriæ libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem alterius, quod quidem necessarium erat ad jus proprietatis, ut constat à num. 179. Cùm enim ea licentia esset semper revocabilis, & dependens à voluntate Domini, quòd Petrus destruat, & dissipet rem illam, aut quòd dominium in alium transferat, non potest facere ex facultate, qua dicat: sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas, sicuti dicere potest ille, qui habet eam moralem facultatem constitutivam juris proprietatis, ut diximus suprà; non enim potest Petrus ea munia tunc exercere, nisi quatenus Dominus vult illa exerceri, vel quatenus non est rationabiliter invitus ad illa exercenda mediante Petro, tanquam instrumento: sed in eo stat, quòd Petrus, qui talem licentiam haberet, non posset dici Dominus illius rei, & quòd licentia illa nullum conferat Petro jus proprietatis in re, sed simplicem usum facti: ergo &c.

Probatur 2. & explicatur ulteriùs eadem ratio: ille, qui renuntiat omni juri proprietatis circa bona purè externa, eò ipso renunciat omni dominio circa illa, ut ex terminis patet: atqui talis renuntiatio componibilis est cum licito, & simplici usu facti: ergo talis usus facti separabilis est à dominio. Prob. minor: licitus usus facti dupliciter haberi potest. Primò quidem ab illo, qui re utitur ut Dominus rei. Secundò, ab illo, qui licèt re non utatur ut Dominus, at illa utitur non invitò rationabiliter Dominò, ut sæpè diximus de paupere in extrema necessitate constituto, & docet Nicolaus III. num. sequenti afferendus: hoc autem discriminis est inter utrumque; nam Dominus utitur re sua, ac proinde non exercet simplicem usum facti, sed exercet usum juris: ille verò, qui non est Dominus, non utitur re sua, sed re solius Dñi, sub illis tamen circumstantiis, sub quibus Dominus non est rationabiliter invitus, ac proinde non exercet usum juris, sed simplicem, & licitum usum facti: Modò sic, quando illi, qui renuntiat omni juri proprietatis circa bona externa, Dominus nihilominus concedit licentiam ad usum facti, quæ revocabilis, & semper dependens est à voluntate Domini, ex vi talis licentiæ non vult Dominus abdicare à se particulam aliquam dominii, sed solùm intendit, quòd si alter re illa utatur, non faciat contra voluntatem Domini, ac proinde non exerceat usum facti illicitum, sed licitum: atqui exinde manifestè apparet, quòd renuntiatio, & abdicatio juris proprietatis circa bona externa est componibilis cum licito, & simplici usu facti circa ipsa: ergo &c. 375.

Conf. ex Nicolao III. Cap. *Exiit de verborum significatione* in sexto; ubi comparat usum facti Minoritarum cum usu facti pauperis in extrema necessitate constituti his verbis: *sicut nec cæteris, sic nec ipsis Fratribus jure poli in extremæ necessitatis articulo ad providendum sustentationi necessariæ via omnibus extrema necessitate detentis concessa præcluditur, cùm ab omni lege extrema necessitas sit exempta; nec talis abdicatio Proprietatis omnimodæ renuntiationem usus rei cuiquam videatur inducere: nam cùm in rebus temporalibus sit considerare præcipuum proprietatem, possessionem, usumfructum, jus utendi, & simplicem facti usum, & ultimo tanquam necessario egeat, licèt primis carere possit vita mortalium; nulla prorsus potest esse Professio, quæ à se usum necessariæ sustentationis excludat; verùm condecens fuit ei Professioni, quæ sponte devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam. Nec per hoc, quod proprietatem usus, & rei* 376.

& rei cujusquam dominium à se abdicâsse videtur, simplici usui omnis rei renunciâsse convincitur, qui, inquam, usus non juris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est, tantum in utendo præbet utentibus, nihil juris. Quibus verbis non solùm conclusio, verùm etiam ratio à nobis adducta manifestè stabilitur, & roboratur.

375. Probatur 3. Qui non potest pro sua voluntate circa rem aliquam restringere moraliter libertatem alterius, non habet jus proprietatis, seu dominium circa rem illam, ut constat nu. 179. sed ille, qui circa rem aliquam habet licentiam ad simplicem usum facti, non potest pro sua voluntate restringere moraliter libertatem alterius: ergo circa rem illam habet tantùm licentiam ad simplicem usum facti absque ullo jure proprietatis, seu dominio. Prob. minor: solùm potest aliquis pro sua voluntate restringere moraliter libertatem alterius circa rem aliquam, dum res illa existit, & perseverat. Etenim re non perseverante, sed jam destructa, neque licitè, neque illicitè potest aliquis uti: atqui dum res illa perseverat, potest semper Dominus revocare licentiam, quam dederat ad simplicem usum facti, cùm hoc sit de metaphysica ratione licentiæ concessæ ad simplicem usum facti, ut constat ex sæpè dictis; ergo &c.

376. Confirm. 1. Ideo Religiosi Professi cujuscunque ordinis, licèt habeant usum ciborum, aliarúmque rerum, quibus ex licentia Superiorum utuntur, nullum tamen habent dominium, quia licentia illa semper est revocabilis, & dependens à voluntate Superioris, ideóque conviva non est Dominus ciborum, quæ ipsi apponuntur, licèt habeant licentiam ad usum, quia ea licentia est revocabilis, semperque dependens à voluntate Domini, eadémque de causâ servus habet usum cibi absque dominio: ergo simplex usus facti adhuc in his rebus, quæ unico usu consumuntur, est separabilis à dominio. Confirmatur 2. Potestas moralis constitutiva Juris Proprietatis in creatura, cùm accidentalis sit, præsupponit physicam potentiam ad utendum re aliqua in commodum propriæ libertatis, additque super istam physicam potentiam facultatem legitimam se habentem ex parte potentiæ, ut pro libito Domini exerceri possit in commodum propriæ libertatis; unde contradistinguitur ab usu, ut constat à num. 374. atqui ea legitima facultas non reperitur in eo, qui tantùm habet simplicem usum facti, quandoquidem ille non ita habet eam rem sibi devinctam in commodum propriæ libertatis, cùm res maneat plenè devincta in commodum libertatis Domini, qui circa illam simplicem usum facti tantùm concessit; ergo &c.

377. Assero 2. Non solùm de possibili, verùm etiam de facto Fratres Minores in rebus unico usu consumptibilibus habent simplicem usum facti absque dominio adhuc in communi.

Probatur 1. Constitutio Nicolai III. quæ habetur Cap. *Exiit de verborum significatione in 6.* quantumvis in aliquibus reformata fuerit à Joanne XXII. at post ipsum redacta est ab aliis Pontificibus in pristinum vigorem, ut latè constat à num. 361. atqui in ea constitutione declaratur, Fratres Minores circa externa bona nec in speciali, nec in communi habere quicquam proprium, ut ibi fusè traditur. §. *Porro cùm ipsa Regula*, simulque exponitur, eos tantummodò habere simplicem usum facti, ut constat ex verbis citatis num. 376. ergo dicendum est, quòd Fratres Minores de facto nullum omnino in ejusmodi bonis aut dominium, aut jus proprietatis habent, sed simplicem usum facti: quapropter ne alicui appareat eam extremam paupertatem commentitiam esse, nulliusque proinde meriti erga DEUM, in eodem citato §. *Porro* addit Pontifex: quam sic arctam abdicationem venenosis obtrectationibus aliquorum insensata damnaverit astutia, ne Fratrum eorundem perfectionis claritas in talium imperitis sermonibus lacerétur, dicimus, quòd abdicatio proprietatis ejusmodi omnium rerum non tam in speciali, quàm etiam in communi propter DEUM meritoria est, & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbò docuit, & exemplò firmavit.

Probatur 2. Conc. Trid. citatum num. 380. 356. excipiendo Fratres Minores, quando aliis Religionibus concedit dominium in communi, satis indicare videtur, approbare in hoc puncto regulas, & privilegia Minoritarum, quæ ipsi habent verbo *Paupertas*, ubi statuitur ex pluribus Pontificibus, quòd circa ejusmodi bona nihil proprium habeant neque in particulari, neque in communi: ergo juxta mentem Concilii dicendum est, quòd circa ejusmodi bona habeant defacto simplicem facti usum à dominio distinctum. Confirmatur. Dominium, dum lex aliter non disponit, nequaquam acquiritur sine acceptatione, ut constat à num. 269. atqui Fratres Minores nolunt acceptare dominium neque in particulari, neque in communi, sed solùm acceptant simplicem usum facti, neque est ulla lex, quæ illis sine acceptione dominium conferat, quin potiùs oppositum statuunt Pontifices cit. à num. 361: atque id etiam, ut modò diximus, apertè videtur supponere ipsum Trid. ergo Fratres Minores in ejusmodi rebus nullum prorsus habent dominium, sed duntaxat simplicem usum facti.

Probatur 3. ratione fundamentali Doctoris Seraphici, quam sic efformo: in eo differt ille, qui re aliqua utitur ut Dominus ab eo, qui ea re non utitur ut Dominus, sed ex pura licentia Domini exercet simplicem usum facti, quòd nempe ille, qui utitur ut Dominus, agit authoritativè, sive ex propria Authoritate, cùm dicere possit, sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas; at ille, qui non uti-

tur ut Dominus, sed ex pura licentia Domini, exercet simplicem usum facti, non agit authoritativè, sive ex propria authoritate, sed ex authoritate aliena; ad eum modum, quo utuntur servi cibô Domini: atqui Frarres Minores non agunt ex propria authoritate, sed ex authoritate aliena circa res, quæ ipsis ad usum conceduntur; ergo circa ejusmodi res nullum prorsus habent dominium, sed simplicem duntaxat usum facti: Conseq. tenet, & major patet ex dictis numero 179. Minor verò probat. ex Doctore Seraphico, qui in expositione Regulæ S. Francisci in Cap. 6. ait, quòd duplex sit usus rerum, cùm utantur quidam rebus authoritate propria ut Domini, quidam authoritate aliena ut servi; quia ergo Fratres Minores pro Christo serviles effecti sunt, utuntur rebus, quas usu consumunt, nec tamen eis dominantur, & in hoc ipso imitantur Dominum, qui cibô vescebatur alienô in alienis domibus continuè hospitando: ergo &c. Confirm. ex eodem Seraphico Doctore fusius tradente istam doctrinam in determinationibus Quæstionum circa Regulam quæst. 24.

382. Aflero 3. contra aliquos Doctores, quos sequuntur Lessius, & Maurus: pura licentia ad simplicem usum facti non concedit Fratribus Minoribus ullum jus proprietatis circa res, quibus utuntur. Probatur 1. Pura licentia ad simplicem usum facti non est facultas moralis, cur Minores Fratres rebus illis authoritativè utantur, sed duntaxat ut illis utantur authoritate Domini, ut constat num. superiori; unde non est facultas in bonum propriæ libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem liberatatem aliorum, sed præcisè, ut non agant illicitè ampliandô suam, agendo nomine, & authoritate Domini; atqui ut ea licentia sit collativa juris proprietatis, satis non est, quòd aliquis possit authoritate Domini re aliqua licitè uti, nisi concedatur simul facultas ad agendum authoritativè, sive ad restringendum etiam moraliter per suam voluntatem libertatem aliorum, ut constat à num. 179. ergo pura licentia ad simplicem usum facti non concedit Fratribus Minoribus jus ullum circa res, quibus utuntur.

383. Probatur 2. & explicatur simul eadem ratio: Hæc duo sunt toto cœlo diversa, nimirum tollere ligamen, & impedimentum Personæ, ut licitè utatur re aliqua, vel tollere impedimentum, & ligamen juris, ut diximus num. 278. ergo etiam hæc duo sunt toto cœlo diversa, nimirum tollere impedimentum Personæ, ut hac re licitè utatur, vel conferre personæ jus proprietatis in tali re. Patet conseq. quia sicut extrema necessitas reddit potentiam physicam pauperis expeditam, ut licitè utatur re alterius necessaria ad propriam pauperis sustentationem, quin jus in re concedat pauperi, eò quòd extrema necessitas satis non est, ut res alterius maneat ordinata pauperi primario, & directè in bonum suæ libertatis, ut per suam voluntatem possit moraliter restringere libertatem aliorum; sed præcisè, ut utatur ea tanquam medio ad sustentandam vitam, quam sustentare tenetur; nec aliter potest, nisi utendo re alterius, in quo stat licentia Domini saltem implicita, cùm in eo casu Dominus dici non possit rationabiliter invitus: ita quando Dominus dat licentiâ alicui ad simplicem usum facti, solùm tollit impedimentum, quo persona erat ligata, ut absque eo ligamine potentia ejus physica possit ea re licitè uti; at cùm non conferatur facultas ad utendum authoritativè, sed tantùm ut instrumentum Domini, ea licentia non dat tali personæ legitimam facultatem in bonum suæ libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem aliorum, ac proinde nullum confert jus proprietatis in re: modò sic; atqui licentia, quam Fratres Minores habent ad simplicem usum facti, non confert illis facultatem, ut agant authoritativè, sed duntaxat ut instrumentum Domini, ut constat ex num. 381. ergo per talem licentiam nullum jus proprietatis in re illis confertur. Confirmatur ex Nicolao III. citato num. 376. qui Fratres Minores ibi comparat cum paupere in extrema necessitate constituto: docetque, eos tantùm habere simplicem usum facti; ergo &c.

Resp. ex Lessio Cardin. Pallavicino, & Mauro, eam licentiam concedi non posse, quin simul concedatur legitima facultas, quæ jus aliquod proprietatis afferat; nam eo ipso, quòd habeat à Domino licentiam comedendi panem Domini, habet potestatem moralem comedendi, ac restringendi libertatem Domini, ne postquam comederit, postulet solvi sibi pretium panis, vel aliud æquivalens, qua potestate caret, qui licentiam non habet, similiter qui eam licentiam obtinet, eo ipso habet potestatem moralem obligandi alios, ne ipsum impediant ab usu talis licentiæ, & sic restringendi libertatem aliorum; cùm autem talis potestas moralis sufficiens sit ad constituendum aliquod jus proprietatis, exinde nequit concedi alicui licentia ad simplicem usum facti, quin eo ipso conferatur illi aliquod jus proprietatis, quare Fratres Minores utpote ejusmodi licentiam habentes, habent etiam in rebus, quibus utuntur, aliquod jus proprietatis; nec exinde inferre licet, quòd habeant dominium, quia jus illud est revocabile, & jus revocabile non sufficit ad dominium. 384.

Contrà 1. Ea licentia non sufficit, ut Fratres Minores habeant legitimam potestatem ordinatam in bonum suæ libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem aliorum; atqui ut ipsi Adversarii fatentur, hoc requiritur ad constituendum jus proprietatis, de quo agimus; ergo ea licentia nequaquam sufficitad conferendum illis ullum jus proprietatis. Prob. major: Ea licen- 385.

tia

tia, utpote purus actus secundus juris proprietatis Domini, relinquit in Domino totum jus, licèt partim exercitum per licentiam, quam concedit, ut non possit non solùm licitè, verùm neque validè exigere pretium, seu compensationem pro usu, dum Dominus revocando licentiam retineat illud jus sine eo exercitio, quo licentiam ad usum rei suæ concessit, vel saltem licèt alicui juri cedat, quousque nolit illud iterum reassumere, in nullum alium transfert ejusdem jus, sicut DEUS condonando peccatum cedit juri ad indignationem contra peccatorem propter peccatum, quin jus illud in alium transferat; atqui licentia, quæ relinquit in Domino totum jus, ac proinde integram facultatem in bonum propriæ libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem aliorum, vel saltem non transfert jus in alterum, non est sufficiens, ut per illam transferatur in Fratres Minores ea legitima potestas constitutiva juris proprietatis: aliter Dominus posset per suam voluntatem facere, ut idem numerò jus, vel saltem eadem numerò pars juris poneretur simul in duobus subjectis realiter distinctis, quod omnino repugnare ipsi Adversarii fatentur, vel saltem facere, ut aliqui jus Domini acquirant, quin jus ullum in illis transferatur, quod non minùs repugnat; ergo &c.

386. Contrà 2. Ea licentia non sufficit, ut Fratres Minores in bonum suæ libertatis possint per suam voluntatem restringere libertatem Domini, neque libertatem aliorum: ergo non sufficit ad conferendum illis ullum jus proprietatis. Prob. antec. licentia illa non sufficit, ut Fratres Minores agant authoritativè, sed tantùm ut instrumentum Domini, qui vult rata habere, quod per illius instrumentum fit, ut constat num. 381. sed ex eo, quòd non agant authoritativè, sed tantùm ut instrumentum Domini, non ipsi, sed Dominus suammet, aliorumque voluntatem restringit, aut jus suum exercendo, aut si mavis, partim cedendo ad tempus, quin pro tunc velit in ullum alium jus illud transferre, imò si quandoque transferatur, ut quando unico usu res aliquæ non consumuntur, venduntur, aut commutantur, nunquam vult Dominus, quod jus illud in Fratres Minores transferatur; neque ipsi volunt jus illud acceptare, ut satis constat ex dictis, neque sunt capaces talis acceptationis, ut ex suis ipsis regulis, declarationibus, & privilegiis constat: ergo &c.

387. Assero 4. Simplex usus facti earum rerum, quæ unico usu consumuntur, non potest vendi retinendo earumdem rerum dominium. Prob. 1. Nulla res est vendibilis, nisi ut affecta jure proprietatis, quo tanquam sua propria transfertur in alium propter pretium justum: atqui simplex usus facti earum rerum, quæ unico usu consumuntur, non transfert ad alterum jus ullum proprietatis circa tales res, quo dici possint propriæ suæ utentis, ac proinde non transfert eas res ad illum, ut sibi affectas jure proprietatis; cùm is, qui ad talem simplicem usum facti licentiam concedit, sibi plenum dominium retineat; ergo &c. Conseq. tenet, & min. constat à num. 382. maj. verò patet, quia venditio est contractus, quo emptor transfert in venditorem jus proprietatis in prerio, & venditor transfert in emptorem jus proprietatis in re empta, proindeque venditio fieri nequaquam potest neque validè, neque licitè, nisi ad emptorem transeat ex contractu res, ut sibi affecta jure proprietatis, & ad venditorem ex eodem contractu transeat pretium, ut sibi etiam affectum jure proprietatis; ergo nulla est res vendibilis, nisi ut affecta jure proprietatis, quo tanquam sua propria transfertur in alterum propter pretium justum.

388. Probatur 2. Eo ipso, quòd aliquis rem solutò pretiò validè emat, eámque ex vero contractu venditionis recipiat, manet Dominus talis rei, neque à tali emptore potest alter rem illam subripere, quin furtum committat, proindeq; lædat justitiam commutativam, & jus proprietatis residens penes emptorem ex dictis num. 19. sed quando Dominus retinendo sibi dominium concedit alteri simplicem usum facti earum rerum, quæ unico usu consumuntur, non facit alterum Dominum illius rei, neque furtum committet, quotiescunque voluerit illam rem sibi reassumere, ut ex terminis patet; ergo &c. Confirm. Ut res sit vendibilis, non sufficit, quòd sit digna actione gratiarum, proindeque fundet titulum gratitudinis, sed requiritur, quòd ex vi contractus venditionis sit digna pretio pertinente ad justitiam commutativam, proindeque pariat in emptore obligationem transferendi pretium in emptorem; unde si quis sine ulla prævia promissione, & obligatione poneret in me visionem beatificam, nihil posset illi debere ex justitia, & tantùm illi deberem maximam gratitudinem; atqui licentia ad simplicem usum facti remanente pleno dominio penes Dominum, licèt sit digna gratiarum actione, non potest fundare obligationem dandi pretium ex justitia commutativa, cùm ea obligatio tantùm possit oriri ex jure proprietatis, quod per illam licentiam non transfertur: ergo &c.

389. Probatur 3. Si simplex usus facti earum rerum, quæ unico usu consumuntur, posset vendi retinendo earumdem rerum dominium, eo ipso usura fieret licita: atqui usura jure naturæ est prohibita, & illicita, & damnatur tum in veteri, tum in novo Testamento, tum etiam in generalibus Conciliis; dicitur enim Psalmo 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo*, & inter alia respondet Propheta, *qui pecuniam non dedit ad usuram*, & Psalmo 54. usura numeratur inter vitia: *Non defecit de plateis ejus usura, & dolus*

Et Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Unde in Concilio Viennensi, ut refertur Clementina Unica *de usuris §. ult.* & in Concilio Nicæno, ut habetur Cap. *Quoniam* 14. quæst. 4. definitur, usuram esse illicitam, quin potiùs jure etiam naturæ est prohibita; si quidem contra jus naturæ est obligare alium ad plus tibi reddendum, quàm illi dederis, quod pertinet ad usuram; nam si obligatio imponatur ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, jam non oritur ex mutuo, sed ex novo contractu, ut suò locò dicemus. Quare licèt veteres Jurisconsulti Romani usuras permiserint, & actionem pro eis concesserint, leges illæ non sunt receptæ à Christianis Principibus, & correctæ sunt à Jure Canonico: ergo &c. Sillogysmus est legitimus, in quo, ut ex dictis patet, sola maj. probanda superest.

390. Probatur igitur maj. ideo usura est illicita, quia transferendò vi mutui jus rei mutuatæ in alterum, obligat alterum ad plus tibi dandum, quàm illi dederis: atqui si simplex usus facti, de quo agimus, posset vendi retinendò dominium, posses etiam obligare alium ad plus tibi reddendum, quàm illi dederis: ergo &c. Probatur min. si tantùm habeas centum aureos, non habes ratione tui juris, nisi valorem centum aureorum, proindeque retinendò dominium retines valorem centum aureorum: atqui si retinendò dominium posses accipere aliquid pro usu centum aureorum, eodem modo posses transferendo dominium in alterum accipere 100. aureos, ac proinde accipiendo ex contractu aliquid ab eo, cui das usum & accipiendo 100. aureos ab eo, cui das dominium, obligas alios ad reddendum tibi plus, quàm ipsis dederis; ergo &c. Confirmatur. Qui mutuat 100. aureos, non potest excusari ab usura, si ex vi mutui exigat plus, quàm 100. aureos, quamvis dicat se exigere 100. pro dominio, & aliquid aliud pro usu: unde si liceret id facere, eo ipso usura esset licita: atqui liceret id facere, si posset vendi simplex usus facti retinendo totum dominium, ut ex dictis constat, ergo &c.

391. Assero 5. Simplex usus facti ordinatus in Religiosi utilitatem est materia paupertatis Religiosæ, proindeque si absque ulla Superioris facultate Religiosus authoritativè circa illud se gerat in re gravi, committet peccatum lethale contra votum Religiosæ paupertatis, nec eam rem sibi retinendo à proprietatis vitio erit immunis; ita ferè cum omnibus Theologis Eximius Doctor Tom. 3. de Religione lib. 8. de paupertate Cap. 11. & 15. contra unum, vel alterum, quem sequitur Caramuel in Theologia fundamentali Romanæ editionis à num. 1424. Probatur 1. Per votum Religiosæ paupertatis duo promittimus, primũ quidem est, exuere nos omni jure dominii directi, vel utilis, & reddere nos incapaces talium jurium. Secundum est, non uti rebus temporalibus ad commoditatem nostram, nisi instar pauperum, & ex licentia Superioris; ex quo fit, ut etiam usus facti superfluus, & exorbitans sit contra votum, etiamsi fiat ex licentia Superioris, ut benè monet Cardinalis de Lugo Disp. 2. sect. 3. nu. 52. quia est contra statum pauperum, quem profitemur; unde vi talis voti manet graviter prohibita Religioso ex fine paupertatis actio sua propria, qua ex sua authoritate, sive absque Superioris facultate sibi assumat in propriam utilitatem usum talium rerum; atqui eo ipso, quòd vi voti maneat Religioso prohibita illa actio sua propria ex fine paupertatis, continet malitiam gravem, & vitium proprietatis contra paupertatem; siquidem causa per accidens physica fit per se moralis ratione prohibitionis, continetque totam malitiam causæ per se, ut constat à numero 161. & 166. de actibus humanis; ergo &c.

Confirmatur & explicatur hæc ratio: licèt 391.
actioni physicè, qua utor re in meam utilitatem, per accidens adveniat, ut fiat sine licentia Superioris, & contra jus proprietatis alterius, vel potiùs sit ex Superioris, & Domini licentia, proindeque purè physicè considerata sit in hoc sensu causa per accidens violativa juris proprietatis: at si considereretur affecta voto, quo ex fine paupertatis, & ne sim proprietarius, obligor non solùm ad non utendum re contra jus alterius, verùm etiam ad non utendum illa absque facultate Superioris: actio illa ut affecta eo voto, licèt fiat ex voluntate Domini, & non sit contra justitiam, si tantùm fiat sine licentia Superioris, continet in linea morali totam malitiam actionis proprietatis per se violativæ talis voti, proindeque est causa per se moralis talis transgressionis; licèt enim actio physica non possit per votum sibi extrinsecum physicè immutari, neque fieri causa per se physica, at potest moraliter immutari; & fieri causa per se moralis: sic comestio purè physicè considerata non est per se contra Religionem, at ut ex fine Religionis prohibita ante sumptionem Evchariſtiæ, fit causa per se moralis contra Religionem, & qui sciens, & volens accederet sanus ad Evchariſtiam non jejunus, committeret peccatum irreligionis, sive sacrilegii, quia ex fine Religionis est illi prohibita ante sumptionem Evchariſtiæ talis comestio: unde quia præceptum illud non extenditur ad moribundum, moribundus licèt communicet non jejunus, non committit peccatum sacrilegii; ergo eo ipso, quòd ex fine, ne sit proprietarius, & ne violet votum paupertatis, sit Religioso prohibitus simplex usus facti in suam utilitatem authoritativè assumptus, sive absque ulla licentia Superioris, si illum sibi assumat absque ulla licentia Superioris, erit proprietarius, & violabit votum paupertatis, quò respexisse videtur Clemens V. in Clementina citata: *exivi de Paradyso*, multò post medium,

dium, ubi sic habet: *dicere autem, sicut aliqui asserere perhibentur, quòd hæreticum sit, tenere usum pauperem includi, vel non includi sub voto Evangelicæ paupertatis, præsumptuosum, & temerarium judicamus.*

393. Probatur 2. ratione fundamentali Eximii Doctoris: regula generalis, quæ ex Jure Canonico, & SS. Patribus infertur ad cognoscendum, quando acceptio alicujus rei sit in Religioso actus proprietatis, & violatio sui voti, hæc est, videlicet, quando Religiosus privatus ad sui utilitatem accipit aliquid sine licentia sui Prælati, & ideo censetur tunc peccatum mortale ex genere suo, nisi ex levitate materiæ fiat veniale: atqui talis acceptio sine licentia non solùm contingere potest circa jus proprietatis alterius, sed etiam circa simplicem usum facti; ut ex terminis patet: ergo si circa simplicem usum facti fiat, satis est ad actum proprietatis, & ad violationem voti paupertatis. Probatur maj. ex Cap. *Cùm ad Monasterium de statu Monachorum*, ubi postquam prohibetur Monachus habere aliquid proprium, subjungit textus: unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur; quod perinde est, ac dicere, esse actum proprietatis aliquid ad propriam utilitatem accipere absque licentia Superioris.

394. Quare omnes antiqui Patres Monachorum Basilius, Benedictus, Augustinus, Bernardus, & alii, cùm ajunt, proprietatem non esse licitam Monacho, statim declarant, non licere illis aliquid accipere sine licentia Superioris, ut patet in Cap. *Non dicatis* 12. quæst. 1. & in Cap. *Joannis Frater de Regularibus*, & habetur satis expresse in Trident. Sess. 21. Cap. 2. ubi Religiosi prohibentur habere aliquid tanquam proprium, solúmque ipsis permittitur usus bonorum mobilium ex facultate Superioris, statimque subjungitur, quòd si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa, & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suæ Regulæ ordinationes puniatur; quod intelligi debet, ait Eximius Doctor. C. 11. numero 2. illum puniendum esse tanquam proprietarium; unde quæcunque talis acceptio, & usus rei absque licentia Prælati satis est ad peccatum proprietatis, & voti paupertatis violationem.

395. Confirmatur & explicatur eadem ratio ex doctrina Cardinalis de Lugo: satis est ad vitium proprietatis contra paupertatis votum, quòd Religiosus, qui ligatam habet suam naturalem potestatem eam extendat ad id, quod sibi prohibitum est ex fine paupertatis: atqui naturalis potestas Religiosi, ne se extendat ad ejusmodi rem sibi utilem, est sibi eo modo ligata non solùm à jure proprietatis, quòd alter habet in ea re, sed etiam à voluntate Prælati nolentis concedere usum talis rei: ergo ut non peccet actione proprietatis contra votum, satis non est, quòd Dominus proprietatis ex parte sua ligamen tollat concedendo licentiam, sed etiam requiritur, quòd ipse Superior tollat ex parte sua ligamen concedendo licentiam: ad eum modum, quo, qui tenetur audire sacrum die festo, & ratione præcepti, & ratione voti, non satis est, quòd relaxetur votum, nec omittat peccatum mortale non audiendò sacrum, quia licèt sit solutus à voto, manet adhuc ligatus præcepto: ergo si ea re uratur absque ulla licentia Superioris, committet peccatum proprietatis contra votum. Addit etiam Exim. Doctor num. 42. quod hoc ipsum confirmat etiam usus, & communis sensus Religiosorum, qui hoc modo, & intentione intelligunt emitti votum paupertatis; ideoque num. 43. subjungit, parum refert distinguere usum à dominio, quod ad præsens attinet, quod satis probatum est rationibus à nobis supra adductis.

396. Fit 1. Religiosum non peccare contra paupertatis votum in usu rerum circa quem vel physicè, vel in æstimatione morali se habet merè passivè, vel ut purum instrumentum, nihil ad suam utilitatem ordinando; ratio est, quia ut peccet contra paupertatis votum in usu rerum, requiritur, quòd extendat suam physicam facultatem ad id, ad quod eam habet ligatam vel vinculo proprietatis alterius, vel voluntate Superioris, cui in rerum usu submittitur, ut ex dictis constat: atqui non habet eo modo ligatam suam physicam potestatem circa usum earum rerum, in quo vel physicè, vel in æstimatione morali se habet merè passivè, vel in quo se habet ut purum instrumentum, nihil ad suam utilitatem ordinando; ergo &c. Probatur mi. nullus Theologus damnat Religiosum tanquam reum voti paupertatis, licèt possit accipere aliqua commoda ex aliorum libertate circa ea, quæ vel physicè, vel in æstimatione morali contingunt, & se habet merè passivè, E. G. si sæcularis accendat ignem ad calefaciendum Religiosum, si comburat aliquid odoriferum pretiosum ad ejus olfactum recreandum, si ostendat illi aliquid spectaculum, cujus visio esset alioquin pretiò digna, si eum inviter ad equitandum secum, vel eundum simul in curru, quod etiam est pretio æstimabile, eò quòd quantum ad actionem expendendi rem pretio æstimabilem, Religiosus se habeat physicè merè passivè.

397. Idem prorsus dicendum esset, si Dominus per manus Religiosi projiceret gemmam in mare, vel aromata in ignem, quorum suffitu ambo fruerentur; nam quamvis Religiosus tunc non se haberet merè passivè in consideratione physica, at in æstimatione morali merè passivè se haberet, cùm ea actio apud prudentes eo modo se habeat, ac si à Domino ipso fieret, & Dominus ipse gemmam in mare,

vel in ignem projiceret. Idem etiam dicendum est, quando Religiosus aliquam pecuniam acciperet à Domino, ut eam redderet tertiæ personæ, quin in ipsum ulla utilitas redundaret, vel quando illam acciperet ad elargiendam pauperibus nomine Domini, nulla prorsus utilitate Religioso adveniente; nam in his Religiosus apud omnes prudentes censetur instrumentū purum: ergo quando Religios⁹ se habet vel physicè, vel in æstimatione morali merè passivè, vel ut purum physicum instrumentum Domini, non habet ligatam potestatem suam physicam, neque à jure proprietatis Domini, neque à voluntate Superioris, ac proinde tunc per talem actionem nequaquàm violat votum paupertatis.

398. Fit 2. esse contra paupertatis votum illas, similésque actiones exercere, quando Religiosus non se habet aut physicè, aut in æstimatione morali merè passivè, neque ut purum physicum instrumentum, sed illas in commodum, aut utilitatem suam vertit per actionem, qua in æstimatione morali activè se habet: ratio est, quia, ut bene notavit Exim. Doctor loco citato num. 395. usus vel communis consensus Religiosorum votum paupertatis elicientium planè demonstrat intentionem ita voventium esse, reddere se incapaces ad ejusmodi actiones non solùm sine facultate Domini proprietatis, sed etiam sine facultate Superioris; unde ex fine paupertatis sunt ejusmodi actiones Religioso prohibitæ. Quare licèt Dominus mitteret cibos Religioso retinendo sibi dominium & usum juris, & solùm volendo, quòd Religiosus illos consumat nomine mittentis, non posset Religiosus illis cibis uti sine licentia Superioris absque violatione voti paupertatis; etenim, ut benè notavit Card. de Lugo Disp. 2. sect. 3. num. 51. hæc maximè pendent ex morali æstimatione, & intentione voventium, quæ ex ipsa praxi, & communi omnium existimatione colligitur, ex qua quidem praxi, & existimatione Religiosus ita se gerens censeretur violare paupertatem, eò quòd tunc non se haberet neque physicè, neque in æstimatione morali merè passivè, aut tanquam purum instrumentum, & quidem sicut Religiosus non potest bibere nomine alterius, ita neque manducare, aut eas actiones nomine alterius exercere.

399. Quapropter approbare non possum, quod docet ipse Cardin. de Lugo, nempe Religiosum invitatum posse præsente Domino quæcunque etiam pretiosa comedere absque licentia Prælati, quin offendat votum paupertatis. Ratio ejus est, quia ipse non utitur activè cibis, sed solùm passivè, & Dominus est, qui illis utitur consumendo cibos per os Religiosi; sicut si per manus Religiosi projiceret gemmam in mare, vel aromata in ignem, quorum suffitu fruerentur. Hæc inquam, falsa omnino censeo, nec approbare possum; quandoquidem Religiosus in æstimatione morali tunc censeri non potest merè passivè se habere; sicut enim non potest in æstimatione morali Dominus ali, quamvis alatur Religiosus; neque potest dici, quòd manducet Dominus in eo casu per os Religiosi; neque invenio in his connexionē doctrinæ: nam ipse Eminentissimus eodem loco docet, & quidem benè, quòd Religiosus non potest, quin offendat votum paupertatis, retinere cibos apud se, quamvis Dominus protestetur retinere apud se dominium ipsum; ita ut in cella sua Religiosus illis utatur nomine Domini. Discrimen autem assignatum à Lugo inter utrumque casum, nimirum quòd in primo casu manducatio fit præsente Domino, non in secundo, futilis omnino apparet; nam si ex præsentia Domini potest reddi licita absque facultate Superioris ea comestio, posset Religiosus retinens cibos illos in cella sua exspectare, ut Dominus illum invisere, & tunc manducare illos præsente Domino sine licentia Superioris absque violatione paupertatis, quod nec Eminentissimus ipse concederet, nec concedi potest; ergo in eo casu Religiosus in æstimatione morali reverâ censendus est activè se gerere, ac proinde violare votum paupertatis.

400. Fit 3. facilè concordari posse duas sententias quoad speciem oppositas circa casum frequentem in hac materia. Quæritur enim, an peccet Religiosus contra paupertatem accipiendō pecunias à Domino, ut eas distribuat nomine Domini inter pauperes, quando Dominus pecuniæ non determinat pauperes, sed relinquit Religioso eorum designationem; aliqui enim, quos citat Diana Parte 1. Tract. de paupertate Religiosa Resolutione 29. censent, esse contra paupertatem, si Religiosus nomine alterius liberè disponat dando eleemosynam. Citat pro hac sententia Diana Turrianum, Rodriquez, Vasquez, Layman, & alios; alii verò negant, quos inter Sanchez Libro 7. de Regularibus Cap. 30. Faustus in thesauro Religiosorum Libro 8. quæst. 109. art. 1. Cæterùm duplex ista sententia facilè potest ad concordiam adduci; nam si Religiosus eo animo acciperet pecunias, ut sibi honorem conciliaret, & aliquos sibi adstringeret, hos aliis præferendo, proindeque illud in utilitatem, & commodum Religiosi redundaret, sicut ex eo titulo redundare solet in Domini proprietarii utilitatem, & commodum, censeo, quòd tunc acceptio, & distributio pecuniarum esset contra paupertatem; at si hoc fieret non propter suum commodum, sed tantùm ad eas pecunias ut fidele instrumentum dispensendas, ita ut Religiosus purè instrumentaliter se haberet, censeo, quòd tunc non offenderet votum paupertatis juxta doctrinam, quam affert Eximius Doctor Lib. 8. de paupertate Cap. 15. num. 15. & Card. de Lugo citata sect. 3. numero 54. Reliqua, quæ hìc addi possent, constabunt clarius ex solutione Objectionum.

SE-

SECTIO III.

Solvuntur Oppoſita.

401. OBjicies 1. contra 1. Aſſertionem: uſus diſtinctus à dominio, ut ſupra diximus, & habetur inſtitutis *de uſu, & habitatione*, definitur jus utendi re aliena ſalvâ ejus ſubſtantiâ: ſed qui habet uſum, ſeu poteſtatem utendi reſpectu panis, vini, pecuniæ, & aliorum, quæ unico uſu conſumuntur, vel alienantur, habet jus utendi ipſis non quidem ſalvâ, ſed deſtructâ eorum ſubſtantiâ, ac dominiô; ergo non habet uſum diſtinctum, ſed potiùs indiſtinctum à dominio. Reſp. diſting. maj. uſus juris eſt diſtinctus à dominio directo proprietatis, conc. uſus ſimplex facti, & diſtinctus à quocunque dominio etiam utili, neg. maj. & diſtincta min. neg. conſeq. Ratio eſt, quia qui habet uſum juris in eo citato teſtimonio definitum, habet jus ad utendum, cùm uſus ille non ſit revocabilis ad placitum Domini proprietarii, ſeu directi, proindeq; non ſolùm tollit impedimentum utendi, ſed confertur ratione illius jus ad utendum, ut latè ſupra diximus; at, qui habet ſimplicem uſum facti, quantumvis habeat ligatum impedimentum, quo ligabatur, ne poſſet uti, cùm illa licentia ſolùm ſe extendat ad uſum ſingulis inſtantibus pro Domini voluntate revocabilem, nullum proinde confert jus ad utendum, ac proinde nullum ſecum affert dominium proprietatis, ut patet à numero 374.

402. Objicies 2. contra 2. aſſertionem: qui habet uſum rerum non ſolùm ad conſumendum, ſed etiam ad donandum, & vendendum transferendo earum rerum dominium in donatarios, aut emptores, non ſolùm habet uſum, ſed etiam dominium, ſiquidem nudus uſus non includit poteſtatem vendendi, & alienandi; atqui Fratres Minores ita habent uſum rerum, quibus utuntur, ut non ſolùm poſſint illas conſumere, ſed etiam donare, commutare, vendere, & alienare; ergo non ſolùm habent uſum, ſed etiam dominium. Confirm. Nemo poteſt plùs juris transferre in alium, quàm ipſe habeat, ut dicitur regula 79. juris in 6. nemo poteſt plùs juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur; ergo cùm Fratres Minores per donationem, & commutationem poſſint in alios transferre dominium panis, vini, & olei, quibus utuntur, habent eorum dominium. Reſp. diſt. majorem, qui habent uſum rerum irrevocabilem, conc. revocabilem ſemper ad placitum Domini, neg. maj. & diſt. min. nego conſeq. ratio eſt, quia Fratres Minores talem uſum habent, ut maneat ſingulis inſtantibus revocabilis pro voluntate Domini; unde nullum poteſt illis afferre jus proprietatis. Ad Confirmationem diſting. quam ipſe habeat, aut ſibi competere dignoſcatur, vel ex jure ſuo formali, vel eminentiali, concedo, ex jure ſuo tantùm formali, nego ant. & conſeq. Ratio eſt, quia ad transferendum jus formale in alium, non requiritur jus formale in transferente, ſed ſatis eſt vel formale, vel eminentiale, ut de paupere in extrema neceſſitate conſtituto dixi numero 55. Unde ſimili modo à nobis explicato exponit ibi gloſſa hanc regulam juris in 6. docens ad effectum formalem aliquem efficiendum ſufficere in cauſa continentiam eminentialem; ſic Deus producit prædicata formalia creaturæ; quin ea in ſe contineat formaliter, ſed tantùm eminentialiter; ad hoc autem jus eminentiale ſatis eſt licentia à Domino conceſſa, per quod agens agat non invitô rationaliter Dominô; cùm autem Fratres Minores ita ſe gerant, exinde qnin habeant dominium formale proprietatis, reverâ transferunt in alteros dominium formale.

Objicies 3. L. *ſibi vidi ff. de uſu fructu* 403.
earum rerum, quæ uſu conſumuntur, dicitur, ſi tibi vini, frumenti, olei uſusfructus legatus erit, proprietas ad legatarium dicenda transferri; ergo qui accipit uſum rerum, quæ unico uſu conſumuntur, accipit etiam earum proprietatem, ſeu dominium. Confirm. ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 78. art. 1. in corpore, ubi de rebus unico uſu conſumpribilibus ait; in talibus non debet ſeorſim reputari uſus rei â ſe ipſa, ſed cuicunque conceditur uſus, ex hoc ipſo conceditur res, ea propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium; ergo Fratres Minores habentes talem uſum habent quoque dominium. Reſp. conc. ant. & nego conſeq. ratio eſt, quia illa lex loquitur de uſu juris irrevocabiliter, & independente à voluntate hæredis; cùm enim legatur uſus frumenti, vini, olei, & aliarum rerum, quæ unico uſu conſumuntur; ita ut facultas talibus rebus utendi ſit independens à voluntate alterius, proindeque non ſit alteri pro libito ſemper revocabilis, legatur non ſolùm uſus utcúmque, ſed uſus juris, proindeque & dominium; at ſi facultas utendi eſſet dependens ſemper à voluntate hæredis, & pro libito ſuo ſemper revocabilis, non legaretur uſus juris, ſeu dominium: neque lex illa loquitur de hoc caſu; cùm autem Fratres Minores habeant facultatem utendi pro libito Domini ſemper revocabilem, nullum acquirunt dominium, & uſum juris, ſed ſimplicem duntaxat uſum facti. Ad Confirm. conc. ant. & nego conſ. quia D. Thom. in eo textu loquitur de uſu revocabili, ſeu de mutuo, non verò de uſu pro voluntate Domini ſemper revocabili, de quo nunc agimus.

Objicies quartò. Lege *omnium prædiorum* 404.
citata numero 329. ſtatuitur, ut uſus fructus non ſint perpetui, ne dominia ſint inutilia; at qui Fratres Minores habent uſum, ut uſum fructum perpetuum rerum, quibus utuntur; ergo ſi ipſi non ſint Domini talium rerum, dominium illarum rerum erit inutile. Confir-

matur

matur. Si Fratres Minores non habeant dominium earum rerum, non poterit assignari, apud quem maneat dominium; non enim potest assignari Sedes Apostolica, cùm Joann. XXII. in Extravaganti ad *Conditorem Canonum* abdicaverit à Sede Apostolica dominium illarum rerum; neque possunt assignari fideles, qui eleemosynas elargiuntur, siquidem illi non habent intentionem eam donandi Papæ, & Sedi Apostolicæ; ergo nullus potest assignari Dominus præter ipsos Fratres Minores. Resp. disting. majorem, ususfructus irrevocabiles pro voluntate Domini, conc. revocabiles semper pro voluntate Domini, nego maj. & distincta pariter min. neg. conseq. Ad Confirmationem nego ant. quia dominium earum rerum residet apud Sedem Apostolicam, ut constat latè ex dictis à num. 361. illud enim dominium ante Joannem XXII. penes Sedem Apostolicam erat, & post ipsum Pontificem illud realiter sit iterum Apostolica Sedes, ut ibi dixi; tempore autem Joannis XXII. qui renuntiavit dominio earum rerum, dominium illud, vel rem ansit apud ipsos Religiosos, ut aliqui censent, vel ut alii censent, remansit apud dantes, qui pro libito suo poterant Fratribus semper earum rerum dominium revocare; nam ipsi Fratres Minores nunquam voluerunt dominium illarum rerum acceptare, nisi simplicem usum facti; cùm autem fideles darent Fratribus Minoribus eleemosynas, ut illas acciperent, quo modo ipsi determinabant eas acceptare, exinde censent plures, tunc dominium earum rerum extitisse penes dantes. Quomodo ea contentio inter Joannem XXII. aliosque Pontifices nihil detrahat Sedi Apostolicæ quoad infallibilitatem Fidei, & morum, satis superque constat ex dictis à n. 364.

405. Objicies 5. contra 3. Assertionem; quando aliquis invitat alterum ad vescendum pane suo, concedendo illi simplicem usum facti, vel talis invitatus habet usum juris, vel non? Si non habet; ergo injustè utitur, si habet; ergo non potest illi concedi aliquis usus facti, quin eo ipso concedatur aliquis usus juris, sive aliquod jus; proindeque usus facti semper secum affert aliquod jus. Confirmatur: Ille, qui invitatur ad prandium, verè habet aliquod jus circa cibos sibi appositos; ergo non potest concedi simplex usus facti, quin eo ipso concedatur aliquod jus: Probatur ant. licèt invitatus non possit cibos aliis vendere, vel donare: attamen pateretur injuriam, si sibi ab aliquo alio præter invitantem auferrentur, sed est imperceptibile, quòd ex eo pateretur injuriam, nisi per simplicem usum facti acquireret usum juris, & jus aliquod proprietatis; ergo &c. Resp. talem invitatum non habere usum juris, sed tantùm facti immediatè circa cibos, quod satis est, quòd ipsius potestas physica non sit moraliter ligata, vel impedita, neque à lege, neque à voto, ut supponimus, neque à jure proprietatis Domini; in eo autem casu, quamvis Dominus nolit concedere invitato jus in cibis, at tollit impedimentum juris, ne invitatus illis injustè utatur, ablato siquidem illo impedimento potestas physica invitati justè se extendit ad cibos, cùm nullius jus lædat, ut supponimus.

Ad Confirm. nego ant. ad probat. disting. major. pateretur injuriam contra jus immediatum circa cibos, nego, contra jus potestatis suæ ad utendum nunc cibis sine injuria alterius, conc. majorem, & distincta pariter minori neg. conseq. Explico distinctionem: quando aliquis sine læsione juris alterius cibo utitur, duplex distinguenda est potestas, & jus; altera quidem est potestas moralis ad restringendum pro libito suo in commodum propriæ libertatis voluntatem alterius, quæ est constitutiva juris proprietatis circa cibos; hanc enim invitatus non habet, cùm tantùm habeat concessum usum semper revocabilem pro libito Domini invitantis, ac proinde nunquam habet jus proprietatis immediatè circa cibos; altera est potestas physica immediatè expedita, & non ligata, ut utatur nunc cibis sine læsione juris alterius, ad usum talis potestatis habet invitatus jus proprietatis, & contra istud jus proprietatis ageretur tunc, si ab alio præter Dominum invitantem subriperentur cibi. Hoc jus communiter vocatur à Theologis jus naturale secundùm quid, & contra hoc jus ageret, quicunque injustè alterum impediret, ne acciperet gratiam, quam alius vult illi conferre, quæ est ratio, propter quam communiter docent Theologi, illum, qui injustè impedit alterum volentem dare eleemosynam pauperi, teneri restituere pauperi æquale, ac impeditum est, cùm læsum fuerit hoc jus naturale proprietatis per injustam illam impeditionem. 406.

Pariter dicendum est in casu nostro: nam qui illos cibos subriperet, præter Dominum invitantem injustè impediret invitatum, ne acquireret gratiam Domini, ac proinde ageret contra jus proprietatis, quod invitatus tunc haberet ad usum suorum membrorum, sive in sua physica potestate: proindeque ita subripiens teneretur ad resarciendum damnum, quod propter illam injustitiam passus est invitatus; ad eum modum, quo de paupere dixi numero superiori. Si tamen invitatus juri ad restitutionem non cessisset, sicut cedit, qui omni juri proprietatis cedit, uti sanctè cedunt Minoritæ; ideoque si ab alio injustè impediente consumpta sit res, tunc restitutio facienda est Domino; at hæc injuria non fuisset contra jus immediatum invitati circa cibos, quod exinde patet: nam si ille, qui invitavit, apponat alterum cibum loco illius, nullum jus habet invitatus contra furem, eò quòd nullum detrimentum passus fuerit, totumque jus contra furem remanebit penes Dominum invitantem; ex quo manifestè apparet discrimen inter jus proprietatis circa usum membro- 407.

brorum, qui per licentiam expeditus manet circa cibos & inter jus proprietatis circa ipſos cibos; ſic etiam Religio habet jus contra eum, qui per vim, vel fraudem aliquem impedit ab ingreſſu Religionis, licèt nullum habeat jus circa eum, qui volebat ingredi. Religio enim habet jus naturale non minus, quàm alii, ne alter injuſtè impediat gratiam, vel bonum, quod poteſt ipſi ſupervenire, & ad quod poteſt extendi ejus phyſica poteſtas ſine læſione juris alterius; quamobrem ſi aliquis juſtè impedit, cùm non lædat jus illud naturale proprietatis, neque tenebitur quidquam reſtituere aut pauperi, aut Religioni, aut invitato; bene verò caſu, quo injuſtè impedit; cæterùm cùm ea facultas ad utendum poteſtate phyſica per uſum à voluntate Domini ſemper revocabilem non concedat jus proprietatis immediatum circa rem, ſed ſolùm expediat phyſicam potentiam, ut exercere poſſit ſuum jus naturale; exinde clarè apparet, quomodo facultas ad ſimplicem uſum facti nullum jus conferat, ſed ſolùm expediat jus naturale.

408. Objicies 6. contra 4. aſſertionem; uſus rerum, quæ unico uſu conſumuntur, poteſt gratis dari retentô earum rerum dominiô; ergo poteſt etiam pretiô vendi retentô earundem rerum dominiô. Confirmatur. Uſus domûs, veſtis, aliarúmque rerum ſimilium, eò præcisè, quòd diſtinguantur à dominio, poteſt ad annum, vel menſem vendi, non vendendô, ſed retinendô earundem rerum dominium; ergo, quia uſus pecuniæ diſtinguitur à dominio, poteſt ad añum, vel menſe vendi uſus pecuniæ retentô dominiô, proindéq; poſt annû poteſt repeti tota pecunia, & exigi aliquid plus pro uſu pecuniæ, adeóque erit licita uſura, quæ in hoc conſiſtit, ut pro uſu pecuniæ recipiatur pretium ultra ipſam pecuniam. Reſpond. conced. ant. & nego conſequentiam; quia licèt uſus, ſeu facultas utendi, ſi ſit revocabilis, diſtinguatur à dominio, tamen non eſt vendibilis, nec pretiô æſtimabilis, niſi ut affecta jure utendi; ut conſtat à num. 387. Unde quamvis ſit ſufficiens ad gratitudinem, poſſitque gratis dari, non eſt ſufficiens ad exigendum pretium pro illo uſu. Ad Confirmationem nego cauſalem antecedentis; uſus enim domûs, aut veſtis noneximde præcisè poteſt vendi retentô dominiô, quia eſt ſeparabilis à dominio; ſed quia iſta diſtinguitur à dominio, ut ipſe primarius rei uſus non conſiſtat in ipſa rei deſtructione, & quando venditur, conferatur uſus ille affectus aliquo jure irrevocabili; at uſus primarius actualis pecuniæ, frumenti, vini &c. exiſtit in ipſa deſtructione dominij, ideóque non poteſt vendi retentô dominiô, nec vendi poteſt pretiô diſtinctô à pretio dominii.

Objicies 7. contra quintam aſſertionem; Religioſus non peccat contra votum paupertatis, quando aliquid expendit ſine læſione juris proprietatis alterius, nec ſibi arrogat jus proprietatis, cujus eſt incapax; atqui ſi accipiat pecuniam à Domino, ita ut Dominus ſibi retineat dominium, & Religioſus tantùm habeat ſimplicem uſum facti circa pecuniam, expendendô pecuniam non lædet jus proprietatis alterius, nec ſibi arrogat jus ullum proprietatis, cujus eſt incapax; ergo in eo caſu non agit contra votum paupertatis. Reſpondeo diſt. maj. quando non ſibi arrogat jus proprietatis utcunque, nego; quando ſibi non arrogat nec jus, nec facultatem ad ſe expediendum circa pecuniæ uſum ſine facultate Superioris, conc. maj. & diſtincta pariter minori, nego conſequentiam; ratio eſt, quia, ut conſtat à num. 391. dupliciter eſt Religioſus impeditus quoad uſum pecuniæ, aliarumque ſimilium rerum ex voto ſuo, & ſine paupertatis, nimirum quatenus eſt impeditus à jure proprietatis alterius, & quatenus eſt impeditus à jure Superioris, cùm per votum paupertatis Religioſus promittat nihil ejusmodi expendere ſine Superioris facultate: unde ad peccandum contra votum paupertatis ſatis eſt, ſi poteſtatem ſuam extendat ad expendendum, quando eſt ligata aliquo ex his duobus vinculis; cùm ergo caſu, quo Dominus conferat facultatem ad uſum retentô ſibi dominiô, poteſtas phyſica Religioſi licèt maneat ſoluta à vinculo juris proprietatis alterius; non exinde maneat ſoluta à vinculo juris voluntatis Superioris, ſive à vinculo, quo ſubordinatur in uſu rerum ex fine paupertatis voluntati Superioris: exinde tunc expendendô transgrederetur votum paupertatis, quod emiſit; ex qua ſola ratione facilè diſſolves omnia, quæ congerit Caramuel contra doctrinam noſtram à num. 1424. Theologiæ fundamentalis Romanæ Editionis. 409.

DISPUTATIO VIII.

DE SUBJECTO DOMINIJ PROUT RESPICIT BENEFICIARIOS.

410. PLura volumina impleverunt Theologi ad decidendas quæſtiones ad uſum dominii pertinentes, ea omnia brevitate, qua poteſt ad tres tantùm diſputationes reducemus. In hac agemus de Beneficiariis, in ſequenti de Religioſis, Dominis, Servis, Filiis, & uxoribus; & in altera de creatura relatè ad DEUM: atque inprimis certum eſt, Chriſtum Dominum habuiſſe in terris dominium proprietatis, ſaltem in communi circa res aliquas, ut conſtat ex definitione Joannis XXII. adducta num. 314. quæ habetur in Extravaganti *cùm inter non nullos*

nullos de verborum significatione in 6. certum etiam est, Angelos esse veros Dominos multarum rerum spectantium ad ipsos, ut honoris, famæ, & multarum functionum spiritualium, quibus, si per vim alterius Angeli privarentur, paterentur injuriam; at non censentur Domini Orbis, & rerum harum corporearum ad usum, & utilitatem hominum creatorum; eos enim Deus non quidem Angelis. sed hominibus subjecit, ut constat ex Scripturis, non tamen ita rigorosè excludendi sunt Angeli ab usu earum rerum, ut contra justitiam facerent, si consumerent aliquam rem corpoream, ex his præsertim communibus, quibus homines non egerent, quia vel ad hoc censentur à DEO habere potestatem, vel quia id non facerent invitô rationabiliter Dominô, de quo agit Lugo disput. 3. sect. 1. Rursus certum etiam est, homines, etiam peccatores, & infideles habere verum dominium multarum rerum, ut contra Wicleffum, & Joannem Huss definivit Concilium Constantiense, de quo agit latè Molina Tract. 20. disp. 19. Extenditur id etiam ad parvulos, & amentes, ut supra dixi, ad non natos, nec conceptos, ut conferatur eis dominium tempore suo, ut quando quis instituit hæredem infantem, qui post tres, vel quatuor annos nascetur; interim enì Respublica constituit personam fictam, quæ appellatur hæreditas vacans, & fingitur recuperare locô Testaroris res illas, ne fiant primi occupantis, quasi nullius in bonis sint: hanc autem fictionem leges non constituunt, nisi institutio hæredis sit prudens; aliter enim à Republica emendaretur, ut si quis relinqueret hæreditatem, ut ad alterũ veniret post mille annos; id enim esset contra finem principalem, quo Deus res omnes ad hominum utilitatem creavit; agimus ergo de dominio proprietatis creato, quod rationabiliter tribui potest creaturis.

SECTIO I.

De Beneficiariis.

411. UT Quæstio ista, quæ magni quidem momenti est, clarè decidatur, priùs oportet certa ab incertis discernere: quare suppono 1. aliqua bona pertinere ad Beneficiarios, quæ sunt patrimonialia; alia quasi patrimonialia, & alia Ecclesiastica, ut bene tradit Navarrus Tract. de redditibus Ecclesiesticis quæst. 1. monito 19. Bona patrimonialia dicuntur ea, quæ ex hæreditate, arte, aut donatione proveniunt Beneficiario, de quibus non est dubium, liberè posse expendere, ut Dominum in quoscunque usus pios, & profanos; bona quasi patrimonialia dicuntur ea, quæ Beneficiariis dantur à fidelibus tanquam vitæ stipendium, seu in aliorum gratiã occupatis; quæ quidem bona, non quidem Ecclesiæ, sed ipsis Ministris conferuntur ob Missas quotidianas, distributiones, funeralia, Sacramentorum administrationes, Conciones, & alia hujusmodi; hæc enim bona patrimonialibus æquiparantur, ut tradit Covarruvias in C. *cùm in officiis* num 14. de Testament. Bona Ecclesiastica ea dicuntur, quæ Fideles DEO immediatè offerunt, non ipsis Beneficiariis ut habetur C. *qui Christi* 12. quæst. 2. ubi dicitur, *qui Christi pecunias, & Ecclesiæ aufert, fraudat, & rapit, ut homicida in conspectu Judicis deputabitur*; id etiam habetur in C. *cum ex eo* de elect. in 6. ubi, *quæ Christi Fideles offerunt, DEO offerri dicuntur, & locô Dei Clerici sunt procuratores, & administratores*; per quod etiam bona Ecclesiastica, quæ conferuntur Beneficiariis, discriminantur ab illis, quæ ad religiosas domus pervenire solent, ut dicemus â num. 486.

Suppon. 2. Hæc bona Ecclesiastica ab initio & ex sua originaria institutione Deo immediatè oblata fuisse, & extitisse bona comunia pro indigentibus, ut habetur, C. *quoniam quidquid* 16. quæst. 1. quamvis postea decursu temporis ob alicujus spiritualis officii stipendium peculiariter ipsis ministris deputata sint; quomodo autem hujusmodi bona oblata fuerint à fidelibus, & acceptatæ fuerint ab Ecclesia constat ex Bibliotheca SS. Patrum, tom. 5. fol. 236. ubi legitur, quod Deus in lege veteri Levitas, & Sacerdotes intra certum habendi limitem coarctaverit; unde multò magis Clerici novi Testamenti, qui perfectiores sunt debent paupertati studere, quibus Christus per Matth. C. 10. ait, *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, non duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Laico qui dedit*, dixisse legimus, *si vis esse perfectus vende, quæ habes, & da pauperibus*, videte quanta sit utriusque Dei sermonis differentia, Laicis dixit, si vis, vende, quæ habes, ministro autem, nolo possideas. 412.

Hanc vivendi rationem introduxerunt Apostoli degentes Hierosolymis initiò nascentis Ecclesiæ, ideóque non recipiebant prædia, neque segetes à Fidelibus, neque bona alia stabilia, quibus perpetuò ipsis providerentur, sed Fideles ipsi prædia sua vendentes eorum pretia ipsis Apostolis offerebant, seu potiùs immediatè Christo per manus Apostolorum, ideóque designabantur Diaconi, qui ea singulis destribuerent, prout unicuique opus erat, & superfluum dabatur pauperibus, ut constat ex C. 4. & 5. Actorum Apostolorum; hæc autem bona aliqui Fideles libenter dabant, alij ex voto ad danda ea se obligabant, ut constat ex facto Ananiæ, & Saphiræ, de quibus dixit Chrysostomus homilia in acta: *Oportebat initio habere, sive retinere, & non promittere: nunc autem postquam consecrâsti, magis sacrilegium commisisti, tibi licebat tua retinere; ergo sacra fecisti, & postea recepisti.* Similia habet S. Hieronymus Epist. 8. ad Demetriadem, S. Augustinus homi- 413.

homil. 27. de verbis Apostoli, Baronius tom. 1. anno Christi 34. num. 269. & anno 57. num. 72. & 82. Bellarminus lib. 1. de Clericis c. 26. & lib. 2. de Monachis cap. 20. unde Christiani tunc non obligabantur, nisi vellent se ipsos ex voto obligare.

414. Postea verò crescente multitudine ministrorum Ecclesiæ, & Fidelium, visum est expedire, ut ipsamet prædia, seu bona immobilia ipsi Fideles darent immediatè Christo, & Ecclesiæ, ex quibus perpetuo Ecclesiis providerentur, ut in veteri lege, in qua Sacerdotes non solùm fructus, sed etiam prædia in singulis tribubus ex Dei mandato possederunt, ut constat ex Cap. 34. Numerorum, & ex Epist Pii I. cum annotationibus Severeni Binnii. Quòd autem Apostoli nunquam bona immobilia, seu prædia recepissent in Judæa, ideo est, ut inquit Melchiades Papa in Cap. *futuram*, 12. q. 1. quia tunc ideo prædia non recipiebant; nam videbant, quòd Ecclesia ad gentes erat transitura, ut dicemus numero 422. ideoque recusârunt prædia in Judæa accipere, & tantummodò recipiebant pretia ad sublevandas singulorum necessitates. Postea verò Principes Romanorum facti sunt Christiani, & licentiam dederunt, ut qui per universum Orbem de suo essent Imperio, non solùm possent liberè fieri Christiani, sed etiam posse fabricare Ecclesias, & prædia eis tribuere; atque ipse Constantinus, postquam Religionem Catholicam amplexus est, donaria plurima contulit, & templa ædificavit. Unde Urbanus Papa Epist. unica, ut habetur cap. *videntes*. 12. quæst. 1. ait: *Videntes autem summi Sacerdotes, & alii, atque Levitæ, & reliqui Fideles, plus utilitatis posse conferre, si hæreditates & agros, quos vendebant Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eo quòd ex sumptib⁹ eorum, tam præsentib⁹ quàm futuris temporib⁹ plura, & elegantiora ministrare possent Fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex pretio ipsorum; cæperunt prædia, & agros, quos vendere solebant, Matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum vivere.*

415. Ex quo clarè liquet, Clericos ex prædictis bonis nihil proprium tunc possedisse; alebantur enim in communi ex communibus Ecclesiarum reditibus; unde Canonici Regulares dicebantur, quia in communi viventes ad certam regulam adscripti erant, habebantque ædes sacras, sive Collegia ædificata sub aliquo titulo, videlicet S. Crucis, S. Stephani, S. Sepulchri, ut constat ex Epistola 5. Pij I. nec ullus in Clericorum numerum ac ordinem admittebatur, nisi sub titulo alicujus sacræ domus sustentationem haberet, ut constat ex c. *Sanctorum* 30. distinctione, & adhuc hodie in aliquibus Ecclesiis conservatur laudabilis ille in communi vivendi modus, quamquam aliquibus in locis etiam olim permissum fuerit Clericis extra communitatem vivere, & patrimonialia bona possidere, ut constat ex c. *cer-*

tè de communi Clericorum vita, 12. q. 1. Decursu verò temporis cessavit communis cohabitatio Clericorum, & bona Ecclesiæ cœperunt dividi in quatuor Partes 1. pro sustentatione Episcopi. 2. pro Ecclesiæ Fabrica; 3. pro eleëmosynis in pauperes & peregrinos, aut pro causis piis. 4. pro mensa Capitulari, ut ea inter Clericos, sive Canonicos pro singulorum dignitatibus dispensarentur, cujus divisionis mentio fit in Concilio Romano 2. sub Sylvestro I. Canone 4. & Epist. 3. Simplicijs Papæ c. *de reditibus* 12. quæst. 2. & Epist. Gelasii, quæ refertur in cap. 40. eadem causa quæst. 1. & apud Baronium anno 444. numero 34. nunc verò relicta sua portione Episcopo & Fabricæ Ecclesiæ, reliqua conferuntur Beneficiariis; unde oritur controversia; an scilicet ista bona habeant adjunctum onus dandi superflua pauperibus ex obligatione justitiæ, post prædictam divisionem præbendarum: ut hæc omnia clariùs intelligantur per singulas assertiones explicanda sunt.

Assero 1. Clerici non Religiosi habent verum 416.
dominium bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium, & de illis ut Laici possunt disponere. Ita communiter Doctores, quos citat, & sequitur Lessius, cap. 4. dub. 6. Probatur 1. illi Clerici per Clericatum, vel ordinem non fiunt incapaces dominij, neque à se abdicant dominium; neque se obligant ad patrimonialia, vel quasi patrimonialia in pias causas expendenda; ergo circa hæc bona acquirunt dominium, non minùs quàm Laici, circa ea, quæ ex jure possident. Confirmatur. Bona patrimonialia nullo titulo pertinent ad Ecclesiam, sed ad personam, præscindendo ab aliquo jure, quod aliunde habeat Ecclesia; tum enim bona quasi patrimonialia dantur illis, ut quoddam stipendium sustentationis, & veluti merces ratione operis præstiti, ut de iis disponant pro arbitrio; sed exinde colligi non potest, quòd jus proprietatis in illis bonis ad alios pertineat nisi ad ipsos; ergo &c.

Probatur 2. Bona patrimonialia non sunt 417.
relicta illis Clericis, nisi modo, quo relinquuntur alia non Clericis; bona autem quasi patrimonialia ita offerentur à Fidelibus, ut non intendant ullum onus imponere Clericis, sed ea permittunt liberrimè eorum dispositioni, sicut permittunt operarii arbitrio usum mercedis, quam eis persolvunt; ergo tales Clerici retinent jus in illis bonis. Confirmat. Licèt ea stipendia interdum longè excedant operam, excessus tamen censetur liberè donat⁹ à Fidelib⁹, ideoq; si alicui pro uno sacro dentur 100. aurei, non minùs fiet illius pecuniæ absolutus Dominus, quàm is, cui datur unus duntaxat Julius; si enim pauper fit absolutè Dominus eleëmosynæ, quæ ei datur sine onere, quamvis ea magna sit; cur Clericus non fiat Dominus stipendij, quod ei liberaliter pro aliquo opere donatur; ergo censendi sunt ejusmodi Clerici verè Domini talium bonorum. Videâ-

tur Navarrus quæst. 1. de reditibus, monito 19. & 39. ubi docet contra Innocentium hæc bona quasi patrimonialia æquiparari patrimonialibus; ac proinde Clericos non Religiosos disponere non solùm de patrimonialibus, sed etiam de bonis quasi patrimonialibus.

418. Idcirco Lessius ex Navarro censet, quòd si ejusmodi Clerici de istis bonis vivant, vel expendant in pias causas, possunt tantundem accipere de reditibus beneficiis, & de eo tanquam de patrimonialibus disponere. Ratio est, quia cùm habeant jus accipiendi totam sustentationem ex beneficio, non tenentur vivere ex aliis suis bonis; unde si ex aliis vivant, possunt uti compensatione, accipiendò tantundem ex beneficio. Quare cùm alia bona non teneantur absolutè expendere in opera pia, si sic expenderunt, poterunt uti compensatione ex bonis beneficii, quæ alioquin in talia opera conferre debuissent, nisi fortasse intenderint non uti compensatione, quod non est facilè præsumendū, nisi id expresè intenderint, & voluerint sibi libertatē illā disponendi adimere; nemo enim se privat jure suo, nisi volens, quod intelligendum est, nisi postea superveniat novum onus â gratiâ priori distinctum; de quo num. 426. quin potiùs, cùm Beneficiarius ex lege, vel præcepto teneatur eam quantitatem dare pauperibus, si eam jam dedit, non pendet ab ipsius voluntate, quòd præcepto non satisfecerit, ut dixi à nu. 167. Unde licèt noluerit manere liber, manet jam reverâ liber ab ea obligatione, ut benè arguit Lugo disp. 4. sect. 3. à num. 45.

419. Assero 2. Episcopi, Canonici, & alii Beneficiarii, quod ad eam partem fructuū attinet, quæ congruæ eorum sustentationi est necessaria, ita fiunt *Domini*, ut non magis teneantur ex eis erogare ad opera pietatis, quàm ex bonis patrimonii. Ita communis Theologorum assertio contrà aliquos Canonistas. Probatur 1. Hæc pars est justa merces eorum, qui Ecclesiæ serviunt, qui enim Ecclesiæ servit, jure potest ex Ecclesiæ bonis vivere; ut enim dicitur Lucæ 10 *dignus est Operarius mercede sua*; & 1. ad Corinthios 9. *quis militat suis stipendiis unquam &c. nescitis, quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt, & qui Altari deserviunt, cum Altari participant*, ita & Dominus ordinavit his, *qui Evangeliū annuntiant, de Evangelio & vivere*; ergo id, quod pro labore proprio datur Beneficiario tanquam vitæ stipendium, illi ex justitia debetur. Confirmatur ex C. *cùm sit Romana* de simon. ubi hæc omnia stabiliuntur.

420. Probatur 2. Ea pars fructuum, quæ respondet congruæ sustentationi, datur Beneficiario pro ipso, jutxaid quod Ecclesia censuit designandum congruæ ipsius sustentationi, non minùs, quàm detur operario merces, quæ censetur correspondere labori; atqui operarius fit Dominus illius mercedis, & non tenetur eā expendere in opera pia magis, quàm teneatur expendere bona patrimonialia; ergo idem dicendum est de Beneficiariis; ac proinde de Episcopis, & Canonicis quoad eam partem fructuum, quæ respondet congruæ eorum sustentationi; unde sequitur, si quid velint ex hac parte sibi detrahere, posse de eo disponere, sicut de bonis sæcularibus, quæ nullam habent obligationem particularem; ideóque nulla est ratio, cur hæc potiùs, quàm sæcularia bona sua in pauperes, vel pias causas teneantur impendere; si enim liberè poterant hæc in suos usus convertere, cur si se ipsos fraudare, & parciùs vivere velint, vel reservatis fructibus beneficii uti patrimonialibus ad sustentationē, non possint ex illis fructibus, quod respondet congruæ sustentationi cuivis alteri donare.

Idem sentit Covarruvias de his reditibus, 421.
quos dignissima mercede justitiæ, & laboris impensi in labore Ecclesiæ recipit is, qui Ecclesiæ curam gessit, ut Episcopus, Lector Capituli, Scholasticus, Decanus Christianitatis, & similes, cùm bona exinde provenientia sint justa laborum merces, justúmque stipendium, notat tamen oportunè Navarrus monit. 45. quòd sicut rerum pretium non est indivisibile, sed habet latitudinem, datur enim infimum, medium, & summum, ita etiam congrua sustentatio suos gradus habet; quare sicut quivis justè potest vendere rem suam pretiō summō, ita potest id sumere, quod ad summum convenientis sustentationis est necessarium, ac proinde, si quid velit huic congruè detrahere, poterit de eo disponere; v. g. infimum congruæ sustentationis sint 500. scuta, mediū 600. summum 700. si velit uti infimo, & expendere solùm 500. in se, suamque familiam alendam, poterit 200. retinere, & liberè de illis disponere; quomodo autem computanda sit congrua uniuscujusque sustentatio, attentis circumstantiis judiciò Prudentum metiendum est, de quo latè Cardinalis de Lugo, videndus tota disput. 4. sect. 4.

Objicies 1. contra primam assertionem: Apostoli cœperunt in Judæa docere Ecclesiam juxta doctrinam, quam acceperant à Christo; atqui in Judæa non admiserunt ad utilitatem Ecclesiæ bona immobilia; ergo Ecclesia defacto, ac proinde & Clerici quicunque Beneficiarii non possunt habere bona immobilia. Resp. conc. maj. & distinguo min. non admiserunt, quia non licebat, nego; quia tunc non expediebat, conc. minorem: & nego consequentiam: ratio est, quia quando Apostoli in Judæa cœperunt docere Ecclesiam, simul prævidebant, & persecutiones magnas, quas Ecclesia in Judæa passura erat, & quòd Judææ Principes non permissi fuerant Ecclesiæ possessionē eorum bonorum, & quòd Ecclesia Christi transitura erat ad gentes, ideóque judicârunt, quòd tunc non expediebat admittere bona immobilia; at progressu temporis, quando jam Ecclesia ad Gentes transierat, quando sæva illa persecutio superata erat, & Principes sæculares liberam profitendi fidem concesserant facultatem, atque ipsi radiante veritate ad fidem conversi sunt, bona-

bonaque immobilia obtnlerunt Ecclesiæ, jam ceſsârunt illa incovenientia; quate non ſolùm juſtum, ſed expediens etiam fuit ab eo tempore, quòd Eccleſia retineret ad ſui ſtabilitatem bona immobilia; ſic Melchiades Papa C. *futuram* 12. quæſt. 1. ab illo enim tempore, & deinceps Viri Religioſiſſimi non ſolùm poſſeſſiones, & prædia, quæ poſſederant; ſed etiam ſemetipſos Domino conſecrârunt: quapropter in Concilio Conſtantienſi inter alias propoſitiones Joannis Wicleffi damnatæ fuerunt 32. quæ ſic habebat: *ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti*, 23. *Sylveſter Papa, & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam dotando*, & 36. *Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, eò quòd poſſeſſionem habeant.* Videatur Concilium Tridentinum ſeſs. 22. c. 11. ſeſs. 24. c. 12. & c. 13. & ſeſſ. 25. c. 1. de Reformat.

421. 423. Objicies 2. contra ſecundam aſſertionem ex Adriano, & aliis, licèt ea pars fructuum, quæ reſpondet congruæ ſuſtentationi, fiat tam propria Epiſcopi, Canonici, & Beneficiarii, quàm ſint propria bona alicujus patrimonialia, aut quaſi patrimonialia, hoc ſolùm eſt verum, quando iſti non habent aliunde bona patrimonialia, aut quaſi patrimonialia, ex quibus vivant; ſi enim ea bona habent, jam eo ipſo non poſſunt facere ſibi proprios eos fructus, qui aliunde reſponderent congruæ ipſorum ſuſtentationi; ergo ſaltem in hoc caſu ea pars fructuum, ſeu redituum, non erit propria Beneficiarii, neque de illa poterit, ut de bonis patrimonalibus diſponere. Probatur ant. ex Hieronym. in Epiſtola ad Damaſum, ut habetur in C. *quoniam quidquid* 16. quæſt. 1. ubi dicitur, *Clericos autem illis convenit Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum, & propinquorum nulla ſuffragantur; qui autem bonis parentum, & opibus ſuſtentari poſſunt, ſi, quod pauperum eſt, accipiant, Sacrilegium profectò committunt, & per abuſionem talium judicium ſibi manducant, & bibunt;* ergo &c.

422. 424. Reſpond. neg. ant. ad probationem, concedo ant. & nego conſeq. ratio eſt, quia textus ex Hieronym. adductus non loquitur de Beneficiariis, ſed de aliquibus Clericis, qui eo antiquo tempore nullum præſtabant Eccleſiæ officium, neque ſervitium, ſed vivebant extra communitatem Clericorum in domibus privatis, & nihilominus accipiebant victum pro ſingulis diebus ex communi menſa Eccleſiæ; ideóque portionem illam tollebant pauperibus, quod impugnat Hieron. quando illi Clerici aliunde habebant, unde viverent, quare gloſſa ibi hæc habet, videtur loqui de illis Clericis, qui Eccleſiæ non ſerviunt ſupra 10. quæſt. 3. cavetur ſupra 12. quæſt. 1. illi autem, infra 31. quæſt. 1. quomodo: & ſanè cùm ad pauperes non pertineant, quæ ratione officii, juſtæque mercedis dantur Beneficiariis ad congruam ſuſtentationem, cùm dicatur in textu, quòd ea, ſi darentur illis Clericis, auferrentur pauperibus, exinde apparet, textũ non loqui de Clericis, qui officium aliquod, aut ſervitium præſtant Eccleſiæ. Accedit inſuper, quòd Clerici eo tempore non recitabant privatim officium Divinum; nunc autem poſt Leonem Decimum hoc onere omnes adſtricti ſunt, ut decernitur in Concilio Lateranenſi ſeſſ. 6. §. *ſtatuimus*, & Pius V. declaravit per Extravag. quæ incipit *ex proximo*: quare ſi ille textus intelligeretur de Beneficiariis; jam modò locum non haberet; ſiquidem poſtquam in Concilio Lateranenſi ſtatutum fuit, ut Clerici officium recitarent pro ſtipendio, faciunt ſuum illud ſtipendium, ut conſtat ex Trid. ſeſſ. 24. c. 12. & ex Bulla Pij V.

425. Idcirco ad hæc omnia pleniùs intelligenda opus eſt præ oculis habere Bullam Pij V. & aliquas propoſitiones, quas ſummi Pontifices poſtea damnârunt contra laxitatem in hac materia; Bulla equidem Pij V. ita habet: *Pius Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.* Ex proximo Lateranenſi Concilio, *pia & ſalubris ſanctio emanavit, ut quicunque habens beneficium Eccleſiaſticum cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quàm illud obtinuerit, divinum officium legitimo ceſſante impedimento non dixerit, beneficiorum ſuorum fructus pro rata ommiſſionis officii, & temporis ſuos non faciat, ſed eos tanquam injuſtè perceptas in fabricas ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas errogare teneatur: verumtamen multorum animi ſuſpenſione tenentur, cujusmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda, nos huic rei evidentiùs atque expreſſiùs providere volentes ſtatuimus, ut qui horas omnes Canonicas, uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficii, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur; qui verò matutinum tantùm dimidiam, qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum ſingulas, ſextam partem fructum ejusdem diei amittat tametſi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis cum aliis præſens adſit, fructúsque, & diſtributiones fortè aliter aſſignatas ſola præſentia juxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat, is etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem; item ille, qui primis ſex menſibus officium non dixerit niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit, grave peccatum intelligat admiſiſſe, declarantes præſtimonia præſtimoniales portiones, & quæ liacunque alia beneficia etiam nullum omininò ſervitium habentia, obtinentes cum prædictis pariter contineri; at quicunque penſionem fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum fructuum, rerumq; ipſarum amiſſioni obnoxium; nulli ergo omino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti declarationis, & decreti infringere, vel ei auſu*

temerario contraire ; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1571. 12. Kalendas Octobris, Pontificatûs nostri anno 6.

426. Post Pium V. damnârunt quoque alii Pontifices plures propositiones circa laxitates stipendii Ecclesiasticorum, has præcipuas subjungo. Alexander VII. inter 45. propositiones damnavit octavam, quæ sic habebat. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem : idque post Decretum Urbani VIII. 9. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta. Decimam ; non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre ; neque est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata dandi stipendiũ, quod pro nullo alio offeram ; Vigesimam, restitutio à Pio V. impositą Beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna. Vigesimamprimã, habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfaciet suæ obligationi, si officium per alium reciter. Vigesimamsecund. non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens ea beneficia Ecclesiastica pecunia intercedente non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. Trigesimamtert. restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque eleëmosynas, quas antea Beneficiarius de fructib⁹ sui beneficii fecerit. Trigesimamquartam, in die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto. Trigesimamquint. unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino : quibus accedit propositio 54. inter 65. damnatas ab Innocentio XI. videlicet, qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur ; quia major pars trahit ad se minorem. Quare hæc omnia debent impleri, ut aliquis suam faciat eam partem fructuum congruæ suæ ipsius sustentationi respondentẽ, quam quidem suam facere posse, satis, superque constat ex dictis.

427. Quamobrem tota hujus controversiæ difficultas est de ea parte fructuum, quæ non est ulli gradui convenientis sustentationis necessaria, sed superflua, ut si percipis 1000. scuta ex tuo Canonicatu, ex quibus 500. sint supremus gradus tuæ convenientis sustentationis ; quæritur, utrum efficiaris Dominus aliorum 500. ita, ut non tenearis ex justitia ea expendere in opera pia. Prima sententia, quam tenent plures, quos sequuntur Lessius, & Lugo, docet, post erecta beneficia, certosque proventus singulis titulis assignatos, Clericos Beneficiarios esse absolutè Dominos omnium proventuum, quos ex beneficiis percipiunt etiam partis illius redundantis, ita ut quamvis partem superfluam profanè expenderint, tamen ad restitutionem pauperibus, vel aliis piis causis non teneantur ; peccare tamen mortiferè, & contra charitatem, aut aliam virtutem, si hanc partem in opera pia non expenderint. Secunda sententia docet, Clericos non esse Dominos illius portionis redundantis, nisi cum onere justitiæ dandi superflua pauperibus, vel piis causis ; ita, ut si secus fecerint, obligentur ad restitutionem ; ita Alexander Alensis, Richardus, Henricus Major, qui in quart. distinct. 24. quæst. 6. ait, nullum Doctorem ante ipsius ætatem contrarium tenuisse, quamvis in hoc fallatur Gabriel Palludanus, Waldensis, Petrus Soto, Navarrus, Turrianus, pluresque alii. Pro resolutione sit

SECTIO II.

Quomodo teneantur Beneficiati expendere partem fructuum excedentem congruam sustentationem?

428. SUppono 1. Pertinere specialiter ad jus proprietatis Dei ea bona, quæ fideles Ecclesiæ relinquunt ; ratio est, quia quamvis Deus habeat jus essentiale proprietatis in omnia bona creata, ut sæpè dixi, & traditur Psal. 44. *Meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus* : at fideles tradendo ea bona Ecclesiæ cedunt juri proprietatis, quod in illis habebant, illúdque offerunt immediatè DEO, & DEUS jus illud acceptat, ac proinde ea bona DEO consecrata cadunt sub speciali jure proprietatis Dei : Quare ab initio nascentis Ecclesiæ vocantur bona Dei, sic Canone 39. *ex Apostolicis*, ut habetur in summa Conciliorum apud Garanzam : omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, & ea velut Deo contemplante dispenset ; nec ei liceat ex eis aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis ea, quæ Dei sunt condonare ; quòd si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministrent, ne eorum occasione Ecclesiæ negotia deprædentur.

429. Sic etiam Tridentina Synodus sess. 25. c. 1. de Reformatione Episcopis ait ; omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis, ut pauperibus distribuant ; eas autem nec distrahant, nec dissipent illorum causa ; immò quam maximè potest, eos S. Synodus monet, ut omnem humanum runc erga fratres, nepotes, propinquos-

quósque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia Seminarium extat, penitùs deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscunque beneficia Ecclesiastica tam sæcularia, quàm regularia obtinentibus pro gradûs sui conditione observari, sed ad S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit, quorũ Consilio apud S. Rom. Pontif. cùm universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest non iis etiam virtutum insignibus, ac vivendi disciplina eos fulgere, quæ meritò in se oculos omnium covertat.

430. Quapropter Ecclesiæ ministri ea bona expendentes appellantur in Jure Canonico quandoque procuratores, ut in cap. *Si privatum*, 11. quæst. 1. *Si privatum possideamus, quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non propietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus*; quandóque appellantur administratores, ut in Canone Apostolico citato n. 428. quandoque defensores, & aliquando PP. unde glossa supracitato cap. *Si privatum ita habet*; ergo Prælati dicuntur Procuratores rerum Ecclesiasticarum, ut ex Cap. 14. q. 1. §. 1. quandóque Domini dicuntur, ut 16. q. 1. quandoque Patres, ut 68. dist. cap. Quorum vices, non tantùm habent liberam, & generalem administrationem, sicut Procurator Cæsaris, ut ff. *de officio Procuratoris Cæsaris*, L. 1. modicum tamen donare possunt Exvaganti *de Donationibus*. Cæterum tamen loco Domini habentur, cùm benè administrant, locò prædonis, cùm male, ut L. *qui fundum*, §. *si tutor*. ff. *pro emptore*. hucusque glossa.

428.

431. Suppono 2. ex dictis à num. 237. non sufficere ad dominium plenum adæquationem ex parte objecti, quando res indivisa alicui subjicitur, quæ postea cum altero est dividenda; ratio est, quia plenitudo dominii aliquando deficit, eò quòd deficiat aliqua particula juris ex parte subjecti, ut quando quis jus habet ad usum fructum, & non ad proprietatem, aliquando ex parte objecti, ut quando quis habet jus ad totum, non totalitate juris, ex eo, quòd debeat ex eo toto aliquid extrahere, & dare aliis ex justitia, ut autem aliquis acquirat jus non totalitate quidẽ juris, sed totalitate objecti, satis est, ut bona, quæ extrahenda sunt alteri mixta, sint suis, ita ut discerni non possint, ut expresè habetur L. *si alienis nũmis*, ff. *de solutionibus, & liberationibus*, ubi dicitur, *si alieni nummi inscio, vel invito Domino soluti sunt, manent ejus, cujus fuerunt, sed si mixti sint aliis, ita ut discerni non possint, ejus fieri, qui accepit*: idcirco cùm illa portio, quæ danda est pauperibus, & causis piis mixta, modò sint cum bonis propriis Beneficiarii, Beneficiarius habet jus in omnia ea bona, & dicitur *Dominus* omnium, Dominus quidem totalitate objecti, non totalitate juris, eò quòd ex illis bonis teneatur extrahere partem pertinentem ad pauperes, vel causas pias; unde tunc quærimus, an illi fructus, qui Beneficiario conferuntur, cedant cum onere faciendi divisionem, & dandi pauperibus partem excedentem commodam sustentationem; jam supponimus Beneficiarios esse Dominos adæquatione objecti, & tantùm quærimus, an sint *Domini* adæquationis.

429.

Suppono 3. cum Cardinali de Lugo disput. 3. quæst. 4. num. 37. nomine pauperum intelligi in præsenti non solùm eos, qui non habent necessaria ad naturam, sed eos etiam, qui carent necessariis ad sustentandum statum juxta suam conditionem; hoc primum dixerunt Navarrus, Bartolus, Cajetanus, & Sanchez; unde Marchio, vel *Dux* potest aliquando capax esse, cui ex redditibus Ecclesiasticis superfluis subveniat Clericus amicus, vel consanguineus. Addit etiam Lugo, intelligi omnes, qui capaces sunt misericordiæ corporalis, vel spiritualis; ideóque expendi posse in usum Religiosorum in Capellanias, Missas, & suffragia pro *De*functis, cultum Ecclesiarum, Hospitalia, & alia opera pia, & in universum, in ea omnia, quæ vel ad cultum divinum, vel ad misericordiam corporalem, vel spiritualem ordinantur. 432.

Cur autem nomine pauperum in præsenti veniant ea omnia, circa quæ exercentur opera pia, quæ cùm ad *DEI* cultum ordinentur, misericordiam sive corporalem, sive spiritualem concernere dicuntur, & non solùm veniant illi, qui corporali egestate laborant, ideo est, quia ita ab initio intellexit Ecclesia Catholica fidelis eorũ bonorũ administra, quæ quoad præsens synonima censuit opera pia, & opera misericordiæ, ut habetur plurib⁹ Canonibus, præsertim *C. quia tua fraternitas* 12. quæst. 1. ubi Gregorius Pontifex Augustino Anglorum Episcopo ait, *omne, quod supereſt in causis piis, ac religiosis, erogandum esse Domino, ac Magistro dicente, quod supereſt, date eleemosynam, & ecce omnia mutanda sunt vobis*. Videatur Navarrus de redditibus Ecclesiasticis num. 28. 433.

Cæterùm quia indigentia ad alendam viram maximè retardare solet profectum in spiritualibus, & occasio esse solet magnæ ruinæ, ut experientia demonstrat, maxima cura de hujusmodi pauperibus habenda est; atque in illis oportet, ut ordo charitatis servetur, ideóque cæteris paribus major ratio habenda est de pauperibus loci, ubi fundatum est beneficium, & de peregrinis, qui ibi fuerint, quàm de aliis, qui alibi commorantur, idcirco illi, qui curam animarum habent, strictiùs obligantur; siquidem ordo charitatis cæteris paribus incipit ab his, qui sunt nobis conjunctiores, illi autem, qui regunt oves majori obligatione, & amore erga eos adstricti sunt, priúsque has, quàm alias debent regere, & sublevare; illi autem, qui pastorale officium non habent, etiam tenentur ordinem charitatis servare, ut ait Apostolus 1. ad Timotheum *si quis suorum maximè domesti-* 434.

corum

eorum curam non habet, fidem negavit. Et Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana *C.* 28. *Cùm omnibus prodesse non possis, illis potiùs consulendum est, qui pro locorum, ac temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus strictiùs tibi, quasi quadam sorte junguntur his:* positis.

435. Assero 1. Ea pars fructuum, quæ supereſt beneficio, ultra commodam sustentationem expendenda est in pauperes, vel usus pios sub gravi obligatione, ita ferè omnes Theologi cum Divo Thoma, quos citat, & sequitur Cardin. de Lugo Disp. 4. sect. 2. num. 9. Probat. 1. ex Trident. cit. num. 429. Ubi interdicit, ne dentur ea bona consanguineis, nisi pauperes sint, quo satis innuit præceptum ea non esse expendenda nisi in pauperes, vel pios usus; cùm autem res ista gravis in se sit, tale præceptum sub gravi reverâ obligat; ergo. Conf. Ideo Trid. agnoscit eam obligationem, eamque deducit. ex Can. Apost. citat. num. 428. quia ea bona sunt bona Dei, quasi dicat ea de causa solùm posse impendi in his, quæ pium usum, vel misericordiam temporalem, aut spiritualem præseferunt; ergo.

436. Probatur 2. Ecclesiastici circa illam partem bonorum, quæ excedunt commodam sustentationem, sunt Administratores, quatenus tenentur illam dividere, & expendere, ut à SS. Canonibus institutum est, ut constat tum ex Canonibus Apostolicis, tum ex aliis, & gloss. superiùs adductis; atqui administrator, qui ex obligatione tenetur rem alteri dare, si alterum ea parte defraudet, peccat, & si sit res gravis, qualis est ista, de qua agimus, graviter peccat; ergo Ecclesiastici tenentur sub gravi eam partem distribuere, & impendere in res à Sacris Canonibus destinatas: modò sic, atqui à sacris Canonibus ista pars destinata est pauperibus, vel piis usibus, ut ex testimoniis adductis satis constat, & clariùs constabit ex dicendis; ergo &c. Confirm. 2. Hæc obligatio de re gravi saltem pertinet ad Religionem, cùm sit sacrilegium illam defraudare effectu, ad quem est destinata, & facere contra jus Dei in re debita Deo ad cultum suum; unde cap. *Quoniam quidquid*, q. 1. dicitur: *si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt*; ergo &c.

437. Assero 2. cum Alexandro Antonin. Richardo, pluribusque antiquis, quos affert Cardin. de Lugo Disp. 4. sect. 1. num. 1. Beneficiarii tenentur ex justitia in pauperes, vel pios usus expendere partem, quæ excedit commodam sustentationem. Probatur 1. Beneficiarii non habent jus proprietatis adæquatione juris circa illa bona; ergo tenentur ex justitia illa dare, quibus collatum est jus, atqui ab Ecclesia collatum est jus istud pauperibus, & piis usibus, ut ex Can. Apost. & Trident. citato constat; ergo &c. Confirm. Fructus illi ab initio Ecclesiæ divisi sunt in quatuor partes, ut diximus num. 415. Ex his autem illa, quæ pertinebat ad pauperes, modò mixta est bonis illis, quæ dantur Beneficiariis, quin origo hujus mixtionis nobis constet, vel ullus Canon reperiatur, in quo jus priùs acquisitum tollatur pauperibus, vel piis usibus, imò potiùs omnia jura clamant pro ipsis; ergo ex justitia tenentur illa in pauperes, vel pios usus expendere; ergo &c.

Respondebis cum pluribus Theologis, quos sequitur Lugo, Canones loqui de ea portione ad pauperes pertinente, quando Clerici in Ecclesia Dei agebant vitam communem, non autem de illis post factam divisionem, & erecta beneficia; contra tamen, quia Ecclesia post erecta beneficia obligat ad restitutionem; ergo Canones illi debent intelligi non solùm, quando bona erant communia, sed etiam post divisionem, & erecta beneficia. Probat. ant. ex Simplicio Papa, qui Gaudentium Episcopum obligavit ad hujusmodi restitutionem post beneficia erecta, ut habetur cap. *de redditibus Ecclesiæ*, 17. q. 2. De redditibus Ecclesiæ, vel oblatione Fidelium, quid deceat nescienti, nihil licere permittat, sed sola Episcopo ex his una portio remittatur, duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi peregrinorum, & pauperum profuturæ à Bonagro Presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur; ultima inter se Clericis pro singulorum meritis dividatur, cui (id est Gaudentio) hoc specialiter præcipimus, ut tres illas portiones, quas triennio dicitur sibi tantummodo vendicâsse, restituat; en quomodo post divisionem beneficiorum Episcopus, qui sibi usurpaverat tres illas portiones, scilicet fabricæ, pauperum, & Beneficiarorum, obligetur ad restituendum non solùm unam, vel alteram, sed tres integras, ac proinde & illam, quæ ad pauperes, vel pios usus spectat; ergo etiam post erectionem beneficiorum servatum est pauperibus jus circa illa bona. 438.

Confirmatur 2. ex Gregor. ad Maximianum Episcopum Syracusanum l. 3. epist. 11. ut habetur cap. *Cognovimus* 12. q. 2. qui sic ait: *cognovimus de reditibus Ecclesiæ noviter acquisitis Canonicam dispositionem quartarum minimè provenire, sed Episcopos locorum distribuere tantùm quartam antiquorum redituum, nunc verò quæsita suis usibus retinere, quam rem pravam, subintroductámq; consuetudinem fraternitas tua vivaciter emendare sustinet.* In hoc namque textu clarè est sermo de fructibus post erecta beneficia; ergo adhuc post erecta beneficia manet idem jus penes pauperes. Confirm. 3. ex Conc. Tiburiens. habito post divisionem præbendarum c. 13. ubi ait; si ergo quærat aliquis, cur decimæ dentur, sciat, quòd ideo dandæ sunt, ut Deus placetur, & ut Ecclesiæ Ministri liberiores fiant ad spiritualis servitii expletionem, & ut munus populi Domino immoletur, nec non secundùm statuta Canonum in sustentationem pauperum, & restaurationem Ecclesiarum; quæ-

tuor

tuor enim fieri partes juxta Canones judicamus de decimis, & oblationibus Fidelium, & una ut Episcopi, altera Clericorum, tertia restaurationi Ecclesiarum servetur, quarta pauperum; sicut in Epistolis Gelasij Papæ c. 27. legitur, & in c. 12. q. 2. ergo &c.

440. Contra quartò. Licèt bona Ecclesiæ divisa sint in præbendas, non tamen per hoc desinit Ecclesia illa bona possidere, ut in c. *relatum* 1. de testamentis; unde præbenda non datur Canonico, ut sit sua propria, sed ut inde vivat, & quod supersit, convertat in pios usus, ut expressè asserit textus in c. *finali* 12. q. 2. Nec credendum est, Ecclesiam Catholicam tantam committere negligentiam, ut illius antiquæ charitatis, & curæ paternæ, quam habuit ante erectionem beneficiorum, oblita sit post erecta beneficia; & certè si in lege antiqua præcipiebat Deus, ut decimæ anno tertio pro pauperibus separentur, ut habetur Deut. 14. *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur eo tempore, & reponens intra januam tuam, venietq; Levites, qui aliam non habet partem, neque possessionem tecum, & peregrinus, & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur.* Quomodo credendum est, quòd pia Mater Ecclesia destituat eo juvamine pauperes, quos sæpe Filios vocat, & quæ in justitia abundat plus, quàm antiqua Ecclesia, quin potiùs illis decimis, quæ in Ecclesia antiqua offerrebantur pro pauperibus, fideles in nova lege absoluti sunt, quia pars pro pauperibus in decimis hodiernis continetur, & in aliis reditibus Ecclesiasticis, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 87. art. 1. ad 4. ergo etiam post erecta beneficia spectat pars ista ad pauperes.

441. Probatur 2. Illa obligatio censenda est imposita Beneficiario quoad partem fructuum, quæ excedit congruam sustentationem, quæ obligatio ab omnibus SS. PP. tanquam certa supponitur, & asseritur; atqui obligatio ex justitia expendendi in pauperes, & pios usus partem fructuum excedentem, supponitur, & asseritur ab omnibus SS. P.P. ergo. Conseq. tener, & maj. est certa, siquidem ex communicantur omnes, qui sensum generalem SS. PP. non in omnibus venerabiliter receperint, & usque ad unum jota disputaverint; similia habentur Concilio Calcedon. cap. 1. relato in cap. ad SS. PP. 25. q. 1. & in forma, quam debent jurare omnes Academiarum Professores ex Trident. Unde in syllogismo sola minor probanda est.

442. Probatur igitur mi. nam Augustinus ad Bonifac. Comitem epist. 58. sic habet: *Si privatum possidemus, quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus*, & Serm. 37. in Jerem. *Pauperum vitam Sacerdos gerere debet, quod superest præter victum, & vestitum pauperibus dare non differat, quia omnia, quæ habet, pauperum sunt.* Pariter Hieron. epist. ad Damas. Papam, uti habetur in cap. *quoniam quidquid* 16. q. 1. *Quoniam quidquid habent Clerici, pauperum est: & domus illorum debent esse communes susceptioni Peregrinorum, & hospitum invigilare debent, maximè curandum est illis, ut de decimis, & oblationibus, Canobijs, & Xenodichiis, qualem voluerint, & potuerint, sustentationem impendant.* Quapropter si aliquando fuerint ab his malè detenta, quæ Divini juris esse noscuntur, & in usum transierint Monachorum, & Servorum Dei, Episcopo tamen loci illius præbente consensum constabunt eis omnia perpetua firmitate, & stabilitate subnixa, si quid pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusum talium judicium sibi manducant, & bibunt; & epist. 21. ad Nepotianum cap. 1. *Ignominia Sacerdotis est, propriis studere divitiis, natus in pauperi domo, & in Tugurio rusticano, qui vix milio, & cibario pane rugientem saturare ventrem poteram, nunc similam, & mella fastidio.* Hæc aliáque plura habentur cap. *Gloria Episcopi* 12. q. 2.

443. Rursus Ambros. c. 2. de officiis c. 28. *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus: Nonne dicturus est Dominus, cur passus es tot inopes fame emori, & certè habebas aurum, ut ministrares alimoniam. Cur tot captivi deducti in commercium, sunt non redempti? Cur tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat, ut vasa viventium servares, quàm metallorum, his non posses responsum referre: quid enim diceres?* Et Cap. 1. c. 30. *Neque enim propterea te Domino dicâsti, ut tuos divites facias, sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretiò miserationis peccata redimas tua. Putant se parum poscere, pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt, & accusant, quòd eum divitem non feceris, cùm te ille velit æternæ vitæ fraudare mercede:* Videantur alia in C. *alium aurum*, 12. quæst. 2.

444. Rursus S. Bernard. epist. 2. ad Canonicum Lugdunensem. *Quidquid præter necessarium victum, & vestitum de altari, retines tuum non est, quia aliis debitum; rapina est, sacrilegium est.* idem super Cantic. Serm. 23. post medium. *Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant minimè contenti, superflua, quibus egeni sustendandi forent, impiè, sacrilégque sibi retineant, & in usus suæ superbiæ, atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur, duplici profectò iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis turpitudinibus abutuntur.* Et in declamationibus super illud: *Dixit Simon Petrus ad Jesum; Ecce nos reliquimus omnia ante medium. Tertium ei hoc periculum est. De altari inquit vivat, non superbiat, non luxurietur; denique*

non dicetur, nec contra sancti cujusdam planè dignam omni acceptatione sententiam ex Clericatu ditior fiat, non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut superfluitate dispendat. Non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut nepotes (ne dicam filias) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegij crimen esse dignoscitur, sanè patrimonia pauperum facultates sunt Ecclesiarum, & sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi Ministri, & dispensatores non utique Domini, vel possessores ultra victum accipiunt, & vestitum, nec enim ordinavit Deus hos, qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere delicias, vel ornatum, sed vivere (ait Paulus) *ex eo, ut videlicet sint contenti, alimenta corporis, non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis, ex quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere.*

445. Videatur fusiùs idem S. Bernard. in Sermone ad Pastores in Synodo congregatos, & in Sermone ad Clerum, in Concil. Rhemensi congregatum, idem ad Henricium Genuensem, ait: *Nudi clamant, famelici conqueruntur, & dicunt, nobis fame, & frigore laborantibus, quid conferunt tot mutatoria servata in domibus vestris, nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis, nostris necessitatib⁹ decedit, quidquid accedit vanitatibus vestris; duo quippe mala de una procedunt cupiditatis radice, dum vos vanitandò peritis, & nos spoliandò perimitis. Hæc omnia non negotiationis studiò, neque proprio manuum exercitio elaboratis, neque jure hæreditario possidetis.*

446. Similia habet S. Bonavent. l. 1. cap. 23. ubi ait: *Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegij crimini esse dignoscitur, sanè patrimonia pauperum facultates sunt Ecclesiarum, & sacrilega cupiditate surripitur, quidquid sibi Ministri dispensatores non utique Domini, vel possessores ultra victum accipiunt & vestitum,* & ibi affert multos SS. PP. pro hac sententia S. Gregor. S. Chrysostom. Isidor. & alios, accedit S. Thomas de Villa Nova dicens: *Cùm audio aliquem Clericum Beneficiarium in morte apud se habuisse nummos, sic dolore afficior, ac si mihi diceretur, illum mortuum fuisse juxta Concubinam, quia pari modo damnatum puto Clericum, qui de bonis Ecclesiæ thesaurizat, quàm si vivat in concubinatu.*

447. Tandem S. Laurent. Justin. de Institutione, & regimine Prælatorum c. 16. *Nil enim numerositas Servorum, vulgaris pompa, numerosa familia, vestimentorum cultus, vasa argentea, & deaurata suppellex in Ecclesiasticis conducit ad cultum Dei, aut Ecclesiæ, ergo qui ad vanam pompam, numerosam familiam, vestimentorum cultum privat Ecclesiam ministris sibi debitis, altaria ornamentis, imò quod magis est, ea quibus abundant equi, & venatici canes in domo illorum, æquè desunt Deo, altari, & ministris Dei continuè Ecclesiæ inservientibus.* Ex quibus omnibus satis apparet certa minor, quam num. 442. probandam suscepimus.

Respondebis cum Vasquez, Lugo, & aliis, 448. plura istorum SS. Patrum testimonia dicta esse per exaggerationem, unde non intelligenda sunt rigorosè, ut sonant, proindéque ex illis non probatur assumptum, quod prætendimus ex generali S. S. PP. sensu firmare. Contrà 1. quia incredibile est, ferè omnes S. S. P. P. in hac una materia per exaggerationem locutos esse, & quæro præscindendò à quæstione, de qua agimus, quando inveniuntur Patres concordantes in aliqua doctrina, an tum per exaggarationem loquuntur, vel prout in re censent, & judicant? si primum; ergo nunquam desumi potest argumentum ex generali P. P sensu, ac proinde frustra fit professio fidei præscripta in Bulla Pñ IV. ab omnibus publicis Theologiæ Professoribus, aliisque emittenda, ubi de S. Scriptura dicitur, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum PP. accipiam, & interpretabor; si secundum, non est major ratio, cur circa alia non loquantur per exaggarationem, & tantummodo circa istam materiam, quin potiùs non videtur consuli reverentiæ S. S. P. P. ita eos exponendo, præsertim si testentur se credere, quod dicunt, ut in re nostra S. Thomas de Villa Nova expresè testatur; ergo ista responsio nó subsistit.

Contrà 2. Non potest dici, quòd S. S. P. P. 449. loquantur per exaggerationem circa aliquam doctrinam, quam plurium Conciliorum decreta tradunt, aliter ipsa decreta Conciliorum dicenda essent exaggerationibus plena, quod nullus Catholicus audebit dicere; atqui eandem doctrinam, quam generaliter tradunt S. S. P. P. plurium Conciliorum decreta docent; ergo &c Prob. min. Concilium Carthaginense sess. 3. cap. 49. sic habet, C. *placuit* 12. q. 3. ita habetur: *placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatûs, vel Clericatûs sui agros, vel quæcunque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admonti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint;* En, quòd appareat, eos non esse Dominos bonorum Ecclesiæ. Item Concilium Agathense C. 6. *Pontifices, quibus in Summo Sacerdotio constitutis ab extraneis aliquid, aut cum Ecclesia, aut sequestratim, aut dimittitur, aut donatur, quia hoc ille, qui donat, pro redemptione animæ suæ donat, non pro commodo temporali Sacerdotis offerre probatur, non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ inter facultates Ecclesiæ computabunt.*

Præterea Concilium Rhemense, ut habetur 450. in C. *inquirendum* de testamentis, *Clericus nihil habet proprium, omnia, quæ habet, sunt Ecclesiæ, præter id, quod ad congruam sustentationem deducit, & si defraudaverit Ecclesiæ convertendò in profanos usus, erit peccatum sacrilegij*

legium par crimini illi° furis, qui sacras oblationes asportabat, & furabatur; sic in Concilio Antiochenli c. 25. ut habetur C. *Episcopus* 12. q. 2. vocat Ecclesiasticos non Dominos, sed Administratores, ait enim: *Episcopus Ecclesiasticarum rerum habet potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent cum summa reverentia, & timore Dei*; demum Tridentinum sess. 25. C. 1. de reformat. declarat, non posse Beneficiatios redditibus Ecclesiæ augere consanguineos, aut familiares, ut glossa à num. 429. Ex quo apparet, Concilia id ipsum docuisse in re nostra, quod generalis Patrum sententia docet.

451. Contrà 3. Non possunt intelligi S. S. P. P. per exaggerationem locuti, quando ipsorum sententia Pontificiis decretis fulcita est, & roborata; sed sic se habet in casu nostro; ergo &c. Probatur min. Urbanus Papa Epist. unic. c. 2. ut habetur C. *res Ecclesiæ* 12. q. 1. sic ait: *res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut generales, & Domino oblatæ cum summo timore, non in alios, quam in præfatos usus expendendæ.* Pariter Stephanus Papa C. *qui Christi* q. 2. fures appellat eos, qui Christi pecunias in usus profanos convertunt; qui Christi pecunias, & Ecclesiæ aufert, fraudat, & rapit, ut homicida in conspectu Judicis reputabitur, & habetur C. *indignè* 12. q. 2. *valde iniquum ergo, & ingens sacrilegium est, ut quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel salute, vel requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab iis, quib° hæc maximè servari convenit, id est Christianis, & Deum timentibus hominibus, & super omnia à primis Regionum in alium transferri, vel converti permittatur.* Pariter Gregorius X. ut habetur C. *ratio nulla* de præbend. ratio nulla permittit, ut, quod pro generali utilitate datum propriis cujusdam usibus applicetur. Hæc enim decreta Pontificum hoc ipsum tradunt, quod generalis P. P. sententia in re nostra tradiderat; atqui dici impunè non potest, quòd Pontifices hæc decreta per exaggerationem condiderint, & quòd eorum sensus per exaggerationem sit accipiendus; ergo hoc neque dici potest de doctrina S. S. P. P.

452. Probatur 3. Beneficiarii nec ante, nec post divisionem præbendarum possunt esse Domini bonorum superfluorum; ergo tenentur illa expendere secundùm naturam bonorum, quatenus bona Dei sunt, quod perinde est, ac expendere in usus pios pertinentes ad cultum D E I. Probatur ant. vel essent Domini bonorum illorum jure hæreditario, vel ex donatione; non primum, quia ea bona non habent Beneficiarii ex hæreditate; non secundum, quia ea bona superflua Ecclesia donare non potest, tenetur enim illa expendere ut bona Dei, quorum Ecclesia administrationem gerit, ut ex testimoniis suprà allatis abundè patet, & habetur C. *non liceat* 12. q. 2. *Non liceat Papæ prædium Ecclesiæ alienare*, id est non potest Ecclesiarum bona expendere, quia bona DEI sunt, nisi in usus pios, & intercedente justa causa.

453. Eo enim ipso, quòd Ministri Ecclesiæ sint Procuratores, & Administratores constituti à Christo ad ea bona administranda, non possunt ea alienare, nisi secundùm mentem, & intentionem ipsius Christi, quando enim justa causa intercedit, ideo alienare possunt, quia ipse Christus consentire censetur, & res agi juxta mentem ejusdem, sicut & procurator Cæsaris sine ipsius consensu, & mente res ejus alienare non potest, L. 1. ff. *de offic. Procuratorum Cæsar.* & cùm justa causa id faciendi contingat, videtur Cæsar id velle, ut infertur ex citata L. & L. *Julianus*, §. *constat* ff. *de legibus primò*; atqui ea bona, quæ DEI sunt, sive DEO sacrata, non possunt censeri rectè expendi ex intentione Christi, nisi in usus pios, & sacros expendantur; ergo &c.

454. Confirm. ex D. Thoma 2. 2. q. 43. art. 8. ubi clarè supponit, Ecclesiam tantùm habere quoad illa bona administrationem, sic habet. Respondeo dicendum, quòd circa temporalia bona distinguendum est, aut enim sunt nostra, aut nobis ad conservandum pro aliis commissa, sicut bona Ecclesiæ committuntur Prælatis. Ubi Cajet. unde ita tenentur ad restituendum, qui à Papa bona Ecclesiæ pro libito Papæ habuerunt, ut ditentur, exaltentur, & magnificentur, sicut qui ab aliis Prælatis similia Ecclesiæ bona acceperunt; omnis namq; donatio Ecclesiasticæ rei pietate, vel necessitate vacua non distributio, sed dissipatio est à dispensatore usurpata, quod fusiùs tradit D. Thomas eadem 2. 2. quæst. 185. artic. 7. ubi de Episcopis ait: Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores, si ergo distincta sunt bona, quæ debent in usum Episcopis cedere ab his, quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda, & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel in usum Ministrorum, aut in cultum Dei exponenda, non est dubium, quòd contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur; si verò non sunt prædicta bona distincta, eorum distributio fideì ejus committitur; ergo circa ista bona ministri Ecclesiæ, nec jure hæreditario, neque donatione habent dominium, ac proinde tenentur ex justitia ea expendere in usus pios ab Ecclesia destinatos.

455. Respondebis cum aliquibus Canonistis, administrationem sine dominio rerum Ecclesiasticarum intelligi quoad bona illa Deo sacrata speciali benedictione, non verò quoad illa, quæ non sunt consacrata ita Deo, qualia sunt ista, de quibus agimus, ac proinde Ministros Ecclesiæ quoad ista bona habere dominium, nec obligari ad restitutionem, licèt illos in profanos usus expendant. Contra primò, quadruplex est genus bonorum, quæ sacrata dicantur, ut patet ex cap. *Præ-*

dia, & ex cap. *quia stulti aliique plurimi* 12. quæst. 2. Ut enim habet D. Thomas 2. 2. quæst. 99. art. 1. quatuor sunt eorum bonorum genera. Primum genus, & inter res sacras primum locum obtinent ipsa Sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum primum est Evchariſtiæ Sacramentum, quod continet ipsum Christum, & ideo sacrilegium, quod contra hoc Sacramentum committitur, gravissimum est inter ea; secundum genus, & quæ post Sacramenta secundum locum obtinent, sunt vasa consecrata ad eorum susceptionem, & ipsæ imagines sacræ, & reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo Personæ sanctorum honorantur, vel dehonorantur.

456. Tertium genus, & locum obtinent ea, quæ ad ornamenta Ecclesiæ pertinent; quartum denique ea, quæ sunt deputata ad sustentationem Ministrorum seu sint mobilia, sive immobilia, & ita concludit; quicunque autem contra quodcunque prædictorum peccat, crimen sacrilegii incurrit; ex quibus verbis colligitur esse quatuor species rerum Ecclesiasticarum, & sacrarum; prima Sacramentorum, secunda vasorum ad susceptionem eorum Sacramentorum, & reliquiarum, tertia ornamenta Ecclesiæ, & Ministrorum, quarta bona ad sustentanda prædicta deputatora; unde quamvis sit majus sacrilegij peccatum contra res sacratiores, non tollitur, quin sit peccatum sacrilegii, quamvis minoris, quæ fiunt contra quartum genus rei minùs sacræ. Ex quo infertur, quòd sicut bona Ecclesiæ sunt duplicis generis altioris enim generis sunt stabilia, seu immobilia, de quorum numero sunt etiam jura percipiendi annuos redditus; Clement. *Exivi §. cum annui reditus* de Verb. significatione, & alia pretiosa mobilia, alterius generis sunt fructus, seu reditus, quæ ex illis annuatim redeunt.

457. Unde sicut illa, quæ sunt 1. generis, sunt sacratiora, quàm quæ sunt secundi generis; ita facultas concessa Ministris à Christo omnium sacrorum Domino utendi eis strictior est, quàm facultas concessa ab eodem utendi bonis secundi generis, ideóq; ad distrahenda prima requiritur multò urgentior causa, quàm ad distrahenda 2da; ita tamen, ut si in usus pios non expendantur, sacrilegium vel majus, vel minus juxta bonorum qualitatem committatur; atqui Canones supra à nobis citati præscribentes usus pios, in quos debent expendi ea bona, nullum ex sacris generibus excipiunt, sed manifestè potiùs includunt, cùm de reditibus Ecclesiasticis expressè agant, & præscribant obligationem expendendi in pauperes, vel pios usus, ergo sine fundamento coarctaretur hæc doctrina ad bona primi, vel alterius solius generis.

458. Contrà secundò. Reditus Ecclesiastici pertinent ad bona quarti generis, & nihilominus vocantur specialiter ab Apostolis, Trid. aliis Canonibus bona Dei, quæ exinde non possunt in profanos usus expendi, neque ad ditandos consanguineos, quod etiam habetur cap. *Quisquis Episcopus*, 12. q. 2. Ubi Episcopo dicitur; *Non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare, quæ Dei sunt, quòd si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur, sed non sub horum occasione, quæ sunt Ecclesiæ, defraudentur.* Ex quibus manifestè colligitur, ea bona esse sacrata, & data Ministris in administrationem ad usus pios, proindeque non habent plenum dominium illorum; ergo si in profanos usus expenderint, sacrilegè agent, & tenebuntur ad restitutionem.

458. Respondetur secundò ex Vasquez, quem sequuntur Lugo, aliique moderni, eam fructuum portionem, quæ olim assignata erat pauperibus, cùm modò non appareat, licèt appareant tres aliæ partes, pro Episcopo, fabricis, & Beneficiario; probabiliter consumptam esse in erigendis aliis beneficiis, hospitalibus, & locis piis, vel ex ipsa consuetudine fuisse abrogatam legem illam, quæ pauperibus eam partem destinabat, ac proinde cessisse in partem Episcoporum, vel Clericorum; nam ea pars solùm lege humana debebatur pauperibus ex justitia, quæ consuetudine potuit abrogari; & similiter potuerunt Pontificis authoritate beneficia ex ea parte construi de novo, ut forsan de facto ex parte pauperum constructa sunt multa beneficia. Contra primò, quia id potiùs est divinare, cùm nullum sit solidum fundamentum ad id asserendum; ergo ea responsio non potest liberare Beneficiarios ab onere justitiæ; quo olim tenebantur.

460. Contra secundò; quia illa bona ex ipsa Fidelium oblatione, & Dei acceptatione sunt specialiter bona Dei, ac proinde dominium est penes Deum, & administratio penes Ecclesiam. Vocantur enim bona Dei non solùm in jure antiquo, sed etiam in ipso Tridentino, & infertur clarè ex donatione Fidelium, ac Dei acceptatione. Bona autem, quæ specialiter sunt Deo consecrata, non possunt expendi ab administratore, nisi in eos usus, circa quos prudenter colligitur voluntas Dei, ut Domini, ut de Procuratoribus Cæsaris diximus numero 453. atqui nullum est fundamentum, ut colligamus prudenter, quòd Deus velit ea bona in usus profanos expendi; ergo beneficiarii non habent jus expendendi ea in usus profanos, & si expenderint, tenentur ad restitutionem, non minùs quàm tenebitur Procurator Cæsaris, si contra voluntatem Cæsaris bona expendat. Contra tertiò, licèt Ecclesia habeat authoritatem ad erigenda plura beneficia, hospitalia, & pia loca, non habet authoritatem ad expendenda bona DEO sacrata in usus profanos; atqui si bona, quæ superfunt congruæ sustentationi, possent à beneficiariis expendi in usus profanos, Ecclesia talium bonorum administratrix tale dominium

um illis dediſſet ; quòd dare non poteſt ; ergo &c.

461. Quapropter Eccleſia ea bona adminiſtrando dupliciter ſe gerere debet, primò tradendo illa alteri ut uſum pium exerceat, ſecundò exercendo uſum pium per ipſam traditionem. Inter utrumque iſtum uſum eſt valde magnum diſcrimen, quòd nempe, quando ea bona alteri tradit, ut uſum pium exerceat, cùm nondum illa bona expenſa ſint, ut bona Dei manent cum onere, ut in pios uſus expendantur, ut bona Deo ſacrata, qua talia exigunt. Quando verò per ipſam collationem Eccleſia jam pium uſum exercuit, ille, qui bona accipit, poteſt jam bona illa expendere in quoscunque uſus profanos, cùm per illum pium uſum jam exercitum cenſeatur ipſe Deus dominium per ſuam adminiſtrationem in alium tranſtuliſſe ; ſic quia uſus pius exercitus cenſetur, quod Beneficiario datur, quòd neceſſarium eſt ad congruam ejus ſuſtentationem, ideò cenſetur Dominus illorum bonorum, ita ut ſi parcè vivendo aliquid ex eis ſuperſit, poſſit de eis diſponere, ut ſuprà diximus ; ſic etiam dandò Cantoribus, aliisque Eccleſiæ Officialibus ea, quæ labori, & conventioni Eccleſiæ correſpondent, per ipſam collationem exercet Eccleſia pium uſum, ideóque Cantores, aliique Officiales acquirunt dominium, & poſſunt eas res in uſus profanos expendere. At circa ea, quæ tradit Beneficiariis, & congruam ipſorum ſuſtentationem excedunt, nequaquàm cenſeri prudenter poteſt, quòd Eccleſia pium uſum jam exercuerit, aliter poſſent ex illis bonis ditare nepotes, & Conſanguineos contra doctrinam omnium Canonum, & Trident. ſuprà cit. de quo ad partem excedentem ſunt mediatè Adminiſtratores, & tenentur ex juſtitia illam in pios uſus expendere.

462. Probatur 4. teſtimonio mortuorum. Primum, teſtimonium ſumitur ex hiſtoria, quam referunt Gonzaga in hiſtoria Seraphic. part. 3. tit. Provinciæ S. Michaelis, Daſa in quarta parte chronic. lib. 1. c. 12. Rudolphus in Chronic. Ordinis lib. 2. fol. 283. Guilielmus Loerberg in ſpeculo Vitæ S. Franciſci fol. 180. eamque his omnibus authoritatibus citatis refert Marcus Antonius Bravo fol. 496. lib. de opinione excitatorio 8. Editionis Romanæ 1672. & ita habet : Petrus Diaz Epiſcopus Civitatenſis ſuſcitatus fuit à mortuis ab obitu tertio die per interceſſionem S. Franciſci, cui devotiſſimus erat, qui cùm eſſet in feretro, in medio Eccleſiæ Dominica die, dum recitabatur officium Defunctorum pro eo toto populo aſtante, caput ſublevans, dixit, verè mortuus fui, nunc vivus, quia cùm in horrendum DEI tribunal præſentatus eſſem ob flagitioſa opera mea æternis cruciatibus in Inferos damnandus eram, niſi per interceſſionem Beati Franciſci DEUS dignaretur mihi, quinque alios dies vitæ concedere, ut redeam in mundum, & bona Eccleſiæ, quæ conſanguineis meis injuſtè erogavi ex ſuperflui mei victûs reditibus ipſos ſpoliando pauperibus reſtituantur, & termino quinque dierum bona data conſanguineis recuperavit, & in pauperes diſtribuit, & elapſo tempore feria ſexta ad veſperum ab hac vita in Cælum migravit, cujus corpus ſepultum in Sacello Majoris Eccleſiæ à Cornu Epiſtolæ hoc Epitaphio : *Hic jacet Petrus Diaz, quem à mortuis S. Franciſcus ſuſcitavit.*

463. Secundum refertur ex eodem Bravo cit. excitatorio 12. his verbis : ſciendum eſt, Dyoniſium Richelmum Monachum Carthuſianum librum ediſſe, ubi art. 7. refert Anno 1270. Epiſcopum quemdam Dominicanum commoratum fuiſſe, ubi tunc Guilielmus Epiſcopus Pariſienſis in Cœnobio familiæ conventum multorum Theologorum, & Jurisperitorum habuit, quorum omnium una fuit ſententia, duo beneficia, quamvis ſimplicia ſimul haberi non poſſe ; quando unum eorum ſufficit ad congruam ſuſtentationem. Contrarius erat Philippus Cancellarius Pariſienſis, & Arnoldus Epiſcopus Ambianenſis, ex quibus prior ille, cùm multa beneficia haberet, & morti vicinus à Guilielmo moneretur, ut uno detento cætera deponeret, reſpondit ſe experiri velle, an lethale peccatum committeretur in multis beneficiis habendis, & ita exceſſit è vivis ; tertio ab obitu die ab eodem Guilielmo viſus eſt, cui dixit ſe apud Inferos æternis ſuppliciis torqueri ob tria crimina ; primò, quòd ſenſerit pluralitatem beneficiorum, quando unum ſufficit ad congruam ſuſtentationem ; ſecundò, quia eorum fructus in vanos, & malos uſus expendedit ; tertiò, quòd libidinis, & luxuriæ peccatis conſcientiam maculaverit. Ex quibus manifeſtè infertur, Eccleſiaſticos non habere dominium, ut in uſus profanos ſuperfluam partem fructuum impendant.

464. Confirmatur ex Jure Civili, & ex textu in authent. *ut determinatus ſit numerus Clericorum §.* ult. ubi Juſtinianus, poſtquam prædictam diviſionem recitaverat, ſtatim ſubdit hæc verba : *Præter neceſſaria reliqua pars redituum detur pauperibus, & circa pios erogetur actus, & Deo placentes, & illis hæc miniſtrentur, ſciant autem Deo amabiles Oeconomi, & qui nunc & poſt tempora futuri ſunt, quòd ſi præter hæc fecerint, divinis ſupplicis ſubjacebunt (ecce peccatum) & ex ſua parte indemnitatem Sanctiſſimæ Eccleſiæ procurabunt*, eccè obligationem reſtitutionis, quæ licèt Cæſarea ſit, cenſenda eſt in foro conſcientiæ obligare, quia non eſt à Jure Canonico correcta, nec eſt peccati nutritiva, ut enim ait Abbas cap. 1. de conſtitut. Canones admittunt leges civiles quoad vim directivam, quando leges illæ juſtæ ſunt ; tunc enim ſunt juxta authoritatem DEI editæ, ut infertur ex C. *ex quo* 7. diſtinct. dicitur enim Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt* ; quod etiam habet Innocentius in C. *quia plerique* in fine de immu. Eccl. ergo ſatis oſteditur à jure hæc obligatio juſtitiæ,

SECTIO III.

Solvuntur Oppositа.

465. OBjicies contra primam assertionem : Beneficiarius est Dominus fructuum Beneficii; atqui non peccat, nec tenetur ad restitutionem, qui rem suam distrahit; ergo licèt Beneficiarius expendat in usus profanos fructus Beneficii superfluos, non obligatur eos ex justitia expendere in usus pios. Respondetur dist. maj. est Dominus totalitate juris, neg. particularitate juris, conc. maj. & distincta pariter min. nego conseq. Ratio est, quia si cum fructibus ad sustentationem necessariis dentur indivisim Beneficiario alij fructus superflui, licèt ratione indivisionis obtineat jus in toto, non accipit jus totale totalitate juris, ac proinde tenetur ex justitia divisionem facere, & partem illam superfluam expendere in usus, circa quos prudenter præsumitur Dñi voluntas, cùm autem à voluntate Dei prudenter præsumi non possit, ut fructus illos in profanos usus expendantur, manet obligario ex justitia, eos in pios usus expendendi.

466. Quod quidem in ipsa materia, de qua agimus pluribus firmari potest exemplis; quamvis enim Beneficiarius totalitate objecti accipiat jus in fructus indivisos, non exinde liberatur ab obligatione justitiæ quoad onera, quæ bona indivisa afferunt; sic cùm illi fructus conferantur cum onere dicendi tot Missas, omnes fatentur teneri ex justitia eas Missas celebrarè, vel saltem curare, ut celebrentur. Pariter si dentur cùm onere solvendi pensionem, tenetur ex justitia pensionem illam solvere; sic ille, qui dat centum aureos alteri ad peregrinationem cum eo onere, ut si aliquid ultra necessarium supersit, det pauperibus, iste accipit dominium totalitate objecti, gravatum tamen, ideóque tenetur ex justitia facere eleëmosynas ex superfluis, aliter obligatur ad restitutionem, quatenus id datum fuerit ob causam, qua non secuta, non sequitur effectus; sic ille, qui accipit bona fide rem alienam usu consumabilem, suisque permiscet, ita ut discerni non possit, omnis ille cumulus est suus totalitate objecti, non totalitate juris, ideóque re cognita juxta omnes tenetur obligatione personali ad solvendum id, quo ex alieno factus est ditior. Hæc autem obligatio personalis in mortis articulo transit in realem, quia ampliùs non potest cogi persona, unde tunc rescinduntur omnes donationes in præjudicium illorum factæ, quibus persona obligatas erat, ideóque Beneficiarius non potest testari, nec donare causa mortis in præjudicium Pensonarii, aut Ecclesiæ, ut ex gloss. ex cap. *Episcopis* 12. q. 1. & Concilio Martini Papæ cap. 1. L. 15. aliisque Canonibus.

467. Objicies 2. contra secundam assertionem ex Lugo. Si Beneficiarius tenetur ex justitia expendere in pauperes, vel pios usus eam partem superfluam, cogeretur ab Ecclesia ad restitutionem, si partem illam non expenderet in illos usus; atqui non cogitur ab Ecclesia, quæ non obligat ad restitutionem consanguineos, qui à Beneficiario bona acceperunt; ergo non tenetur ex justitia, sed vel ex Religione, vel ex natura illorum bonorum ad illos usus pios. Conf. Respublica, aut Ecclesia non obligat ad restitutionem Beneficij illum, cui collatum est Beneficium relicto digniore; ergo neque ex justitia obligat, ut restituant illi, qui acceperunt partem superfluam à Beneficiario relictis usibus piis. Respondeo dist. maj. cogeretur, si id Ecclesiæ constaret, conc. si non constaret, nego & dist. pariter minor. neg. conseq. Ratio est, quia quando Ecclesiæ constat reverâ, ad restitutionem obligat; sic Simplicius Papa obligavit Gaudentium ad restitutionem, ut diximus num. 438. & Episcopus Petrus Diaz à mortuis suscitatus, fassus est istam obligationem sibi in tribunali Christi intimatam, eamque reverâ implevit.

Cæterùm quia nullus præsumendus est malus, nisi probetur, non censendus est Beneficiarius dedisse consanguineis ea, quæ dat, nisi vel ex bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus, vel ex rebus ipsi donatis, aut ex illis, quæ inter bona ad congruam sustentationem inclusa sibi reservârat non expendendo ea omnia, quæ potuisset expendere ad congruam sustentationem; unde ex eo, quòd Ecclesia eo modo se gerat, malè infertur quòd si Beneficiarius non expendisset in usus pios partem superfluam, maneret absque onere restituendi, vel quòd eum Ecclesia à tali onere liberaret. Ad Confir. dist. ant. si non intercessit error in substantia dando beneficium alteri, & relinquendo digniorem, conc. si intercessit error in substantia, nego ant. & conseq. quia in nostro casu intercederet error in substantia, quandoquidem solùm potest Ecclesia ea bona distribuere in usus pios, & magnus in substantia error intercedit, si id in profanos commutatur, ut ex terminis patet. 468.

Objicies 3. Decimæ dantur Clericis de jure Divino, ac naturali; ergo ex fructibus Ecclesiasticis non tenentur ex justitia expendere in usus pios; Probatur ant. de jure Divino decimas deberi Clericis patet ex Exod. 22. & Levit. 27. *Omnes decimæ terræ, sive in frugibus, sive de pomis arborum Domini sunt. Omnium decimarum bovis, & ovis, & capræ, quæ sub Pastoris virga transeunt quidquid decimum venerit sanctificabitur Domino.* Debitas autem ex jure naturæ patet ex Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua;* unde Num. 18. dicitur, *filijs Lævi dedi omnes decimas Israel in possessionem pro Ministerio, qui serviunt mihi in tabernaculo fœderis,* & infra. *Pretium est pro Ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonij,* & Malach. 3. *Inferte omnem* 469.

deci-

decimarum in horreum meum, ut ſit cibus in domo mea; ergo &c. Confirm. Sacerdotes in lege nova utpote perfectiores, perfectioriſque fungentes Miniſterio ſunt magis Domini decimarum, quàm in antiqua lege fuerint Levitæ; ergo faciunt ſibi ſuos eos fructus abſque onere dandi aliquid ex juſtitia aliis.

470. Reſp. diſt. antec. debentur indeterminatè, conc. determinatè acceptæ, neg. ant. & conſ. ad probat. diſt. eodem modo antec. & nego conſeq. Ratio eſt, quia de Jure Divino, & naturali ſolùm debetur Miniſtris Eccleſiæ congrua ipſorum ſuſtentatio, ex illo Luc. 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua*, ſive ut habetur Matth. 10. *Dignus enim eſt operarius cibo ſuo*; quòd autem ad hanc congruam ſuſtentationem determinentur in lege nova potiùs partes decimæ, quàm quintæ, ſextæ, vel undecimæ, non eſt ex præcepto Divino, ſed Eccleſiaſtico, quamquàm in lege veteri fuerint à Deo determinatæ, ut docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. quæſt. 87. artic. 1. ubi ait: Determinatio decimæ partis ſolvendæ eſt authoritate Eccleſiaſtica tempore novæ legis inſtituta. Ex hac autem inſtitutione manent obligati Fideles ad danda ea bona Deo & Eccleſiæ ad ea diſpenſanda, ut bona Dei, ut docent SS. Canones, & Trident. citato num. 468. 429. Quare congruæ ſuſtentationi ſuperflua tranſeunt ad Beneficiarium cum onere juſtitiæ in pios uſus expendendi, ut conſtat ex tota ſectione præcedenti.

471. Ad Confirm. neg. ant. quia ex eo, quòd Sacerdotes legis novæ perfectiores, ut revera ſunt Levitis veteris legis, & perfectiori fungantur Miniſterio, perperam infertur hæc conſeq. ergo debent eſſe ditiores, & locupletiores Levitis veteris legis; perfectio enim non deſumitur ex divitiis, & ſumptibus ſuperfluis, ſed ſolùm infertur, quòd ratione ſui ſtatûs ad vitam perfectiorem teneantur, atque exinde infertur, quòd inutile ſit argumentum à Levitis deſumptum, nam Levitæ ex Exod. 34. ita erant coarctati, ut qui in una civitate accipiebant decimas, non poterant eas capere in alia civitate; at in lege nova quot ſunt, & quanti, qui non ſolùm in una, ſed in pluribus Eccleſiis, & civitatibus fructus percipiunt. Rurſus Levitæ veteris legis pluribus aliis ſumptibus indigebant ad uxores, & liberos alendos, & nihilominus ſolis decimis contenti erant, juxta illud num 18. Levitæ decimarum oblatione contenti erunt, quas in uſus eorum, & neceſſaria ſeparavi; cur ergo in lege nova contenti non ſunt Beneficiarii fructibus requiſitis ad uſus & neceſſaria eorum, quæ ſub ipſorum congrua ſuſtentatione comprehenduntur, maximè cùm id ex doctrina Eccleſiæ perſpicuè oſtenſum eſt. 469.

472. Objic. 4. Diſtributiones quotidianæ, quæ Beneficiariis dari ſolent, & Canonicis, quæ appellari ſolent inter præſentes, tranſeunt ad ipſos abſque ullo onere juſtitiæ expendendi in pios uſus; ergo idem dicendum de omnibus fructibus beneficiorum. Confirmatur 1. Capellani non tenentur ex juſtitia expendere in uſus pios bona ſuperflua capellaniæ; ergo nec Beneficiarii. Confirmatur 2. Penſionarii non tenentur ex juſtitia expendere in uſus pios bona ſuperflua, quæ ex bonis Eccleſiaſticis aſſignata ſunt illis in penſionem: ergo neque tenentur Beneficiarii ex bonis beneficii. Confirmatur 3. Non minus facit Beneficiarius fructus ſuos, quàm ille, cui beneficium datum eſt in Commendam, vel cui proveniunt fructus ex caſtris, oppidis, aut Civitate, quæ ſunt applicata Beneficio, ſicut Epiſcopatui, vel Archi-Epiſcopatui, cui annexum dominium temporale Caſtelli, Oppidi, vel Civitatis; atqui iſti non tenentur ex juſtitia expendere ſuperflua in uſus pios, ergo nec Beneficiarius.

Reſpond. diſt. ant. tranſeunt ad ipſos abſque onere juſtitiæ, ſi tranſeant ad ipſos tanquam adminiſtratores, neg. ſi tranſeant ad ipſos collatione, quæ in actu exercito ſit uſus pius à Chriſto intentus ad diſtractionem eorum bonorum, con. ant. & neg. conſeq. Explico diſtinctionem. Bona Eccleſiæ, quorum Chriſtus eſt ſpecialis Dominus, & Summus Pontifex immediatus Adminiſtrator, poſſunt tranſire ad alterum tanquam adminiſtratorem mediatum, & tunc tranſeunt cum ſuo onere, ut ex juſtitia in uſus pios expendantur, vel poſſunt tranſire per tranſitum, qui ſe ipſo ſit pia eorum bonorum expenſio à Chriſto intenta, & tunc per talem piam expenſionem manent ſub dominio alterius, nec retinent ampliùs obligationem expendendi in uſus pios; ſic quando ea bona conferuntur pauperi, ipſa collatio eſt in actu exercito uſus pius, & pia expenſio à Chriſto intenta. Unde ea bona ſic poſita ſub dominio pauperis non retinent ampliùs obligationem, ut pauper expendat in pios uſus, ſed ut plenus Dominus poterit jam validè ea expendere, utcunque voluerit; ſic ea portio, quæ ex aliqua præbenda extrahitur, ut ſit merces Cantoris, vel Magiſtri Grammaticæ, habet in actu exercito piam expenſionem, unde ea bona tranſeunt ad Cantorem vel Magiſtrum abſque onere iterum utendi in pios uſus. 473.

Atque exinde oritur diſſidium inter Authores inter quotidianas diſtributiones, de quibus agimus; nam aliqui cum Navarro, Sanchez, & aliis cenſent, eas tranſire ad Beneficiarios tanquem adminiſtratores, proindéque retinere onus juſtitiæ, ut expendantur in pios uſus; alii verò cum Covarruv. Gonzalez, Bonacina, Filiutio, Cardinali de Lugo, & communi Theologorum docent, circa eas diſtributiones habere jam in actu exercito piam expenſionem à Chriſto intentam, quia dantur, ut ſtipendium illius laboris, & ad hunc finem expenduntur ab Eccleſia, quæ piè ea expendit in præmium, & ſtipendium laboris, & aſſiſtentiæ Clericorum, quod multùm refert ita procurare, & allicere ad tale obſequium Eccleſiæ exhibendum, ideóque, 474.

qui

qui habet dignitatem, & Canonicatum, vel duos Canonicatus in eadem Ecclesia, licèt percipiat duplices fructus, non tamen habet duplices distributiones, quamvis Canonicis majores dentur distributiones, quàm Beneficiatis, eò quòd obsequium illorum præter majorem personæ dignitatem sit majus.

475. Unde Azorius tom. 2. lib. 7. c. 9. q. 17. cum pluribus docet, pensionem Beneficio impositam non censeri imponi super distributionibus, sed super fructibus, nisi aliud exprimatur, ut decrevit Rota Romana; licèt enim distributiones illæ, sine quibus non haberet Beneficiarius congruam sustentationem, afferant sufficientiam illi ad congruam sustentationem, & obligent ad recitandum Officium, non exinde arguitur, quòd habeat beneficium, unde possit vivere; obligatio autem expendendi in usus pios non sequitur, nisi ad illos reditus, qui non dantur in stipendium laboris personalis, sed sunt meri fructus Beneficii; sic idem Beneficiarius non constituitur Administrator propter distributiones quotidianas, sed propter Beneficium; quare hæc sententia, cùm valde probabilis sit, diversimodè decernit de his distributionibus, quàm de Beneficio, ejusque reditibus.

476. Ad primam Confirmationem dist. antec. si bona annua Capellaniæ ab Institutore applicata sint pro stipendio laboris pii, & Ecclesiastici Capellani, conc. si non ita sint applicata, neg. ant. & consequentiam; quia si non sint ita applicata illa bona, manent DEO consecrata, ut Capellanus tanquam Administrator superfluum expendat in usus pios, quod intelligendum est de Capellaniis collativis, & inamovibilibus; nam non collativæ, & amovibiles, cùm conferantur per canonicam collationem, ideo sunt fructus laboris Beneficij; quòd autem, si aliud in Institutione non exprimatur, idem dicendum sit de Capellaniis collativis, probabiliter infertur ex eo, quòd ab initio omnes Capellaniæ fuerint amovibiles, & postea decursu temporis inceperunt institui inamovibiles, ut Beneficiarii essent melioris conditionis, ex quo probabiliter infertur, quòd, ut fructus laboris intentus fuerit ab Institutoribus, proventus illarum, ut docet Lugo disp. 4. sect. 3. à n. 28. Unde ex illis fieri nullo modo potest paritas ad Beneficiarios.

477. Ad secundam Confirmationem dist. ant. si applicatio pensionis sit in actu exercito usus pius à Christo intentus, conc. si solùm sit translatio ad Pensionarium tanquam Administratorem illorum bonorum, neg. antec. & consequentiam; quia si collatio pensionis, ut cum pluribus docet Lugo sect. 1. cit. sit jam pia expensio bonorum Ecclesiæ à Christo intenta, manent illi fructus absque onere iterum expendendi in pios usus, ut diximus, quòd autem sit pia expensio, inde deducitur à pluribus D. D. cum Lugo, quia eo ipso, quòd pensio imponitur alicui Beneficiario, jam Pontifex extraxit partem illam Beneficii, & eam expendit, & applicat ob justam causam ad aliquem usum pium, scilicet ad sublevamen, vel sustentationem Clerici, ad remuneranda alicujus merita erga Ecclesiam, vel propter obsequia, quæ Ecclesia ab eo sperat. Cæterùm hæc intelligenda sunt, quando pensiones non essent inordinatæ, ac proinde essent capaces, ut earum expensio esset pia, & à Christo intenta.

Ad tertiam Confirmationem conc. maj. neg. min. quia ille, cui datur Beneficium in Commendam, debet, quod suæ sustentationi superest, dare in usus pios; nam sicut succedit, & substituitur Beneficiario in ejus munere, ita & in ejus oneribus, nec æquum esset, ut Beneficiarius haberetur tantùm quoad commoda; idem dicendum de illis, qui Beneficii fructus percipiunt ex Oppidis, & Civitatibus, nam illi reditus verè sunt fructus Ecclesiastici Beneficii, ex quibus, ut docet Trident. cit. num. 429. non licèt ditare nepotes, & consanguineos; unde ex illis poterit Beneficiarius consanguineis conferre, sicut pauperibus ea, quibus ad statum istorum indigent; ideóque si ipsorum status ex consanguinitate elevatus sit, conferre poterit, quæ ad illum statum sustendandum necessaria sunt. 478.

Objicies 5. Tridentinum sess. 24. cap. 2. de Reformat. statuit, ne faciat fructus suos Canonicus, vel Beneficiarius, cùm Animarum curam, vel dignitatem habens non fidei professionem intra duos menses à die adeptæ possessionis emittat; item ibidem statuitur, ut qui dignitatem vel Canonicatum habet, si abfuerit ultra tres menses in anno, prima vice privetur dimidia parte fructuum, quos fecit suos; secunda vice privetur omnibus fructibus, quos illo anno lucratus fuit, ubi pro eodem sumitur lucrari fructus, & facere suos, & Pius Quintus in Bulla, quæ incipit, *ex primo*, declarat, non recitantem Officium non facere fructus suos, & idem habetur in C. *Commissa* de elect. in 6. quòd recipiens Parochiam sine animo accipiendi Sacerdotium infra annum non faciat fructus suos; ergò supponitur, quòd alii omnes faciant fructus suos, & habeant eorum dominium. Confirmatur ex Gelasio Papa in C. *quatuor* art. 12. q. 2. ubi illas quartas partes post divisionem dicit, expressè fieri ipsorum his verbis: *quatuor autem tam de redditione, quàm de oblatione Fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, convenit fieri portiones, quorum sit una Pontificis, altera Clericorum &c.* ubi de tota quarta parte, non de sola commoda sustentatione sermo habetur, ut patet; ergo Beneficiarii manent Domini fructuum beneficiorum absque onere justitiæ expendendi in usus pios partem superfluam. Confirmatur 2. Nec ex jure naturæ, nec positivo constat, dari Beneficiariis solam administrationem fructuum, & non dominium &c. 479.

Resp. conc. ant. dist. conseq. faciunt fructus suos, & habent eorum dominium adæquatione juris, neg. inadæquatione juris, conc. Ad secun- 480.

ſecundam Confirmationem conc. ant. neg. conſeq. quia ut non manerent cum onere juſtitiæ, requirebatur, ut eſſent Domini omnium fructuum totalitate juris, cùm autem ſolùm ſint Domini inadæquatione juris, ut ex dictis conſtat; exinde manent gravati onere juſtitiæ ad expendendam in pios uſus partem ſuperfluam. Ad tertiam Confirmationem neg. ant. quia
478. quamvis ſint Domini omnium fructunm inadæquatione juris, quoad partem tamen ſuperfluam manent puri Adminiſtratores, & cum onere juſtitiæ ad expendendam illam in uſus pios, ut ſatis conſtat ex Jure Canonico, & teſtimoniis PP. à nobis adductis; & quidem miror, quòd Adverſarii ita argumententur, nam ſi argumentum eorum vim haberet, eo ipſo Beneficiarii haberent dominium, & jus adæquatum in illis bonis, ac proinde, ut plenè Domini poſſent de fructibus illis diſponere, ut vellent, quod & ipſi negant, & certum eſt ex Tridentino cit. non poſſe Beneficiarios expendere eos fructus ſuperfluos in uſus profanos; quomodo ergo ſic ſuadere poſſunt Adverſarii, neque ex jure naturæ, neque ex poſitivo conſtare, quod nos docemus.

479. 481. Objic. 6. inſtandò contra ſolutionem; ſi teſtimonia ſuperiùs adducta loquerentur ſolùm de dominio inadæquatione juris, ſequeretur, quòd non privarentur non recitantes, vel non reſidentes, vel alii omnes ibi enumerati fructibus quoad ſuperfluum, ſed ſolùm quoad commodam ſuſtentationem, atque adeò reliquæ partis haberent adminiſtrationem; ſicut hi, qui reſident, vel recitant; atqui hoc eſt apertè falſum, & eſt contra praxin, & mentem Summorum Pontificum, qui in univerſum voluerunt eos privare omnibus fructibus; ergo non ſolùm habent dominium inadæquatione juris, ſed adæquatione juris. Reſp. neg. maj. quia eo ipſo, quòd illis, qui reſident, & recitant, detur jus circa fructus indiviſum, eò quòd tollatur non recitantibus &c. collatio rei indiviſæ, tollitur etiam jus, & dominium, quod antea conferebatur, quin potiùs in pœnam delicti valde congruum eſt, ut ab Eccleſia puniantur tollendò illis non ſolùm jus inadæquatum, quod aliunde conferretur, ſed etiam adminiſtrationem circa bona ſuperflua, & ſi pro ipſis procurare non poſſint, quomodo erunt boni procuratores, & adminiſtratores pro alienis; & quidem hoc valde eſt conforme doctrinæ Pauli ad Timotheum 3. *Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit.*

Ex dictis inferri poterat utilis doctrina pro 482.
Regularibus, qui in Epiſcopos, vel Cardinales aſſumuntur; quæri enim ſolet, an acquirant dominium circa fructus ſuorum Beneficiorum, ſicut acquirunt alii Beneficiarii non Regulares. Vaſquez cum Soto, Medina, & aliis, annuentibus Villalobos, & Diana p. 3. tract. 2. reſolut. 61. docet, hujusmodi Regulares eximi, & abſolvi à voto paupertatis, fierique verè Dominos redituum eodem modo, ac alii Epiſcopi non Regulares, ac proinde loquendum eſſe de illis, ac de aliis non Regularibus quoad bona Eccleſiaſtica; at verò Exim. Doct. tom. 4. de Relig. lib. 3. c. 17. cum Sanchez, & Barboſa docet, nullatenus fieri Dominos redituum Eccleſiaſticorum, ſed manere ligatos votò ſolenni paupertatis, ac proinde non eſſe de illis loquendum, ut de aliis Eccleſiaſticis acquirentibus dominium, ſed ſicuti de Regularibus Beneficiariis dicemus diſputatione ſequenti. Hæc ſecunda ſententia videtur mihi vera, & expreſſa à Divo Thoma 2. 2. q. 185. a. 8.

Ratio Divi Thomæ eſt, quia ſtatus Re- 483.
ligionis ad perfectionem pertinet quaſi quædam via in perfectionem tendendi, ſtatus autem Epiſcopalis ad perfectionē pertinet tanquā quoddā perfectius Magiſteriū, & diſpoſitio ad perfectionē; diſpoſitio autē non tollitur perfectione adveniente, niſi fortè quantū ad id imperfectioni repugnat; quantùm autem ad id, quod perfectioni congruit, magis confirmatur; ſicut diſcipulo, cum ad Magiſterium pervenerit, non congruit, quòd ſit auditor; congruit autem ſibi, quòd legat, & meditetur, etiam magis, quam ante; ſic ergo dicendum, quòd ſi quæ ſunt in Regularibus obſervantiis, quæ non impediant Pontificale officium, ſed magis valeant ad perfectionis cuſtodiam, ſicut eſt continentia, paupertas, & alia hujusmodi, ad hæc manet Religioſus etiam factus Epiſcopus obligatus, & per congruens ad portandum habitum ſuæ Religionis, quæ eſt obligationis ſignum; ſi quæ verò in obſervantiis Regularib⁹ ſunt, quæ officio Pontificali repugnant, ſicut eſt ſolitudo, ſilentium, & aliquæ abſtinentiæ, vel vigiliæ graves, & quibus impotens corpore redderetur ad exequendum Ponti ficale officium, ad hujusmodi obſervanda non tenetur; in aliis poteſt diſpenſatione uti, ſecundùm quod requirit neceſſitas perſonæ, vel officii, vel conditio hominum, cum quibus vivit per modum, quod etiam Prælati Religionum in talibus diſpenſant, hucuſq; S. Thomas,

DISPUTATIO IX.

DE OBJECTO DOMINII UT RESPICIT RELIGIOSOS, SERVOS, FILIOS, ET UXORES.

480. 484. SUpereſt, ut agamus in hac diſputatione de Religioſis, filiis, uxoribus, & ſervis. Incipiamus à Religioſis, & ſervis, quibus dixit Innoc. IV. cap. *cùm olim* 2. Servum, & Monachum in eo eſſe pares, quòd neuter alicujus rei dominium habeat, quod intellige de

antiquo rigore legum pro servis; nam illæ leges, ut infra dicemus, de facto sunt mitigatæ, ideóque conceditur modò servis ratio dominii circa aliqua, circa quæ dominium Monachis denegatur; nec propterea Monachi sunt servi Prælatorum, nam ut diximus, illa substitutio fit ad bonum spirituale ipsorum, non verò in bonum libertatis Prælati, quod requirebatur ad servitutem, & dominium proprietatis circa alterum; loqui autem possumus, vel de Religioso particulari, vel de communitatibus Religiosis.

SECTIO I.

Quale dominium habeant Religiosi, & Servi?

485. Asfero primò, Religiones, quibus licet habere bona in generali, gaudent dominio suorum bonorum quamvis ligato, & impedito ad plures effectus, ita Exim. D. tom. 3. de Relig. l. 8. c. 8. Sanchez lib. 7. in Decalog. & communiter Theologi contra Navarr. & Majorem, qui existimârunt, communitates Religiosorum, quæ possunt habere reditus, & bona immobilia, non habere proprium dominium illorum, sed solam administrationem, dominium autem spectare ad solum Christum. Probatur tamen facilè nostra Conclusio ex dictis. Religiosa communitas non minùs habet jus circa fructus bonorum suorum immobilium, quàm Beneficiarii non Regulares habeant jus circa fructus suorum beneficorum; sed illi Beneficiarii habent jus circa fructus, correspondentes congruæ sustentationi; ergo etiam generalitas Religiosa. Probatur maj. non minùs habet Religiosa communitas usum irrevocabilem eorum bonorum, quàm Beneficiarii circa fructus respondentes congruæ sustentationi, ideóque Trident. citat. num. 359. concedit, ut deinceps bona immobilia possidere liceat Religiosæ communitati; unde non minùs læderet jus proprietatis pertinens ad Religiosam communitatem, qui ea bona furaretur, quàm læderet jus proprietatis Beneficiarii, qui ea bona à Beneficiario furaretur; ergo &c.

486. Probatur 2. specialiter de bonis immobilibus, quæ Ecclesiastica beneficia non sunt; nam licèt Religiosi circa ea bona immobilia habeant jus ligatum ad eum modum, quo diximus à num. 284. de his, qui possident majoratum, ideóque non possunt ea bona alienare, nisi cum facultate legitimi Superioris V. G. Pontificis, nec aliter nisi in Religionis commodum; at posita ea facultate validè alienant ex jure suo, quin illis jus ullum de novo conferatur; ergo Religiosæ communitates habent dominium etiam circa ea bona immobilia. Confirm. & explicatur hæc ratio: bona, quæ à fidelibus Christo Domino Religiosè donantur, dupliciter donari possunt; primò quidem Christo Domino in se considerato, & sic manent sub patrimonio Christi modo, quo manent bona Ecclesiastica juxta doctrinam Ecclesiæ, SS. P.P. Fideliumque intentionem, ut diximus num. 428. atque circa hujusmodi bona habet speciale dominium Christus Dominus; Ecclesia autem retinet administrationem; secundò Christo Domino non quidem in se ipso, sed in speciali sui imagine considerato juxta illud, Matth. 25. *Amen dico vobis, quidquid fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*; quo in casu ex ipsa intentione donantium fiunt illa bona propria eorum, quibus conferuntur, si ipsi acceprent, aut dominium penes alium non transferant; sic ea, quæ fideles dant pauperibus, manent sub dominio, & patrimonio pauperum; atqui bona sive mobilia, sive immobilia, quæ Fideles conferunt Religiosæ communitati hoc modo donantur, ut ex intentione Fidelium, & generali Ecclesiæ praxi constat; ergo &c.

Probatur 3. Religiones, quibus licet habere bona in generali juxta doctrinam Apostolicæ Sedis, retinent plenum dominium eorum bonorum; ergo &c. Probat. ant. ex Nicol. III. ubi docet, plenum dominium rerum, quibus Franciscani utuntur, ad Papam pertinere, non autem ad eorum Congregationem, ait enim, proprietatem, & dominium ad nos, & Romanam Ecclesiam plenè, & liberè pertinere hac præsenti constitutione in perpetuum valitura Sancimus, quodque valde notandum est, Pontifex ibi acceptat dominium sibi eorum bonorum modo, quo aliæ Religiones habent omnium suarum rerum dominium in generali; præmiserat enim immediatè Pontifex, cùm Patri Filius suo modo, servus Domino, & Monachus Monasterio, res sibi oblatas concessas, vel donatas acquirant. Quam doctrinam tradit etiam Clemens V. in Clement. *Exivi de Paradyso*, aliique Pontifices cit. num. 361. qui post Joann. XXII. prædictas constitutiones in suo robore permanere voluerunt; sed ex his clarè apparet, alias Religiones, quibus licet habere bona in generali juxta doctrinam Sedis Apostolicæ, retinere plenum dominium eorum bonorum, ac proinde non esse ex primo, sed ex secundo bonorum genere, ut diximus numero superiori; ergo &c. Confirm. 1. Apostolica Sedes nunquam docet, habere Pontificem plenum, & liberum dominium bonorum Ecclesiæ, sicut docet de dominio bonorum, quæ Franciscanis conferuntur; ergo agnoscit plenum dominium, circa bona Religionis, quod non agnoscit circa bona Ecclesiæ. Confirm. 2. Trident. num. citat. 356. dum air, licere deinceps prædictis Religionibus bona immobilia in generali possidere, intelligendum est de possessione, quæ eis competere agnoscit

Sedes

Sedes Apostolica; hæc ex dictis est pleni dominii possessio, ergo &c.

488. Probatur 3. Si communitas Religiosa, cui ex doctrina Trident. bona mobilia, & immobilia possidere licet, non haberet directum, & plenum dominium eorum bonorum, vel id proveniret ab Ecclesiæ ordinatione, vel ex paupertatem voventium intentione; nullus enim est assignabilis alius titulus, ex quo defectu deveniat; atqui ex nullo horum provenit; ergo &c. Probatur min. Nam in primis non est ulla Ecclesiæ ordinatio, quæ communitatem faciat incapacem dominii, immò Ecclesiæ ordinationes oppositum suadent, ut constat ex numero superiori. Rursus intentio voventium, non est, ut per votum paupertatis, aut professionem excludant dominium à communitate, sed tantùm à singulis in particulari, ita ut quidquid deinceps acquirant, non sibi, sed Monasterio acquirant, ut tradit Innocent. cap. *Cùm olim* 2. de Privil. Quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit, & docet etiam Nicol. III. citato numero superiori. Tandem intentio Fidelium hæc bona donantium non est, ut transferatur dominium illorum in quempiam alium, quàm in ipsam communitatem; sicut qui dat pauperi eleëmosynam, non intendit transferre dominium in alium, quàm in pauperem; ergo &c. Confirm. Licèt Pontifici, utpote supremo omnium Religionum capiti competat jus administrationis circa bona omnium Religionũ, non tamen competit ei jus proprietatis, cùm non possit unius Monasterii bona sine justa causa dare alteri Monasterio, vel Ecclesiæ absque peccato injustitiæ, licèt sine peccato injustitiæ possit dare bona minorum; ergo Monasteria retinent jus proprietatis circa ea bona.

489. Resp. tale dominium esse contra naturam eorum bonorum; aliter Religiosi haberent majorem libertatem circa sua bona, quàm Beneficiarij circa sua Beneficia, quod ex ipsis terminis apparet incredibile. Contrà 1. Licèt communitas Religiosa habeat majus dominium circa bona sua, quàm Beneficiarii circa suum Beneficium, perperàm infertur, quòd Religiosi in particulari habeant circa ea bona majorem libertatem, & dominium; siquidem Beneficiarius potest sibi acquirere omnes proventus quasi patrimoniales, & quæ superant congruam sustentationem à gradu infimo usque ad supremum; at Religiosi in particulari nihil sibi acquirere possunt, ut suprà diximus, & statim dicemus; rursus Beneficiarii circa prædicta bona non habent simplicem duntaxat usum facti, sicut particulares Religiosi; ergo ex Doctrina nostra non infertur, quòd Religiosi in particulari habeant majus jus circa sua bona, quàm Beneficiarii. Contrà 2. Quòd pauperes habeant majus circa ea bona jus, quæ accipiunt in eleëmosynam, quàm Beneficiarij circa Beneficium, nullum est inconveniens, solúmque exinde arguitur juxta Ecclesiæ doctrinam, Fideles dando bona sua Ecclesiæ illa imediatè constituere sub proprietate Christi Dñi, licèt dando illa pauperibus constituant ea sub dominio proprietatis pauperum; atqui ad eum modum, quo dant pauperibus, se gerunt Fideles dando communitati Religiosæ, licèt jus illud ligatum transferant, ut statim dicemus; ergo &c.

490. Contrà 3. Quòd Religiosa communitas habeat dominium suorum bonorum, si ligatum sit, quantum expedit ad honestum usum, nullum est inconveniens, sed ita ligatum est; ergo &c. Probatur min. dominium istud ligatum est ab ipsa donantium voluntate, ut non possit neque licitè, neque validè alienari, saltem quoad bona immobilia, & mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, nisi ex speciali facultate Pontificis, & ita ligatum est dominium illud Religiosæ communitatis; quare & summus Pontifex, & Fideles ea bona donantes volunt, ut transmittantur ad posteros, & ita Religio conservetur; unde dominium istud hac in re est simile majoratibus, qui etsi alienari non possunt, tamen plenò dominiò possidentur, ut constat à numero 384. Idcirco summus Pontifex Generalis est omnium Generalium, ideóque Religiosi ei inobedientes non solùm peccant, sicut ceteri Fideles, sed etiam specialiter contra votum Obedientiæ, eò quòd Pontifex sit omnium Generalium generalis, & speciale omnium Religionum caput habeat supremam authoritatem, & possit ob legitimam causam huic Religioni bona adimere, & aliò transferre, relictis tamen ad vitam necessariis, ut patet tum ex praxi quotidiana, tum quia hac mente à Fidelibus censentur donata Monasteriis, ut si cultus divinus, in ipsis deficiat, possint per summum Pontificem melioribus usibus applicari; sed exinde patet dominium illud Religiosæ communitatis esse strictè ligatum; ergo &c.

491. Assero 2. Religiosi particulares ideo per votũ solemne paupertatis incapaces fiunt domini rerum temporalium, quia ex jure positivo Ecclesiastico inhabilitantur ad dominium solemniter voventes paupertatem. Conclusio unum supponit, & alterum asserit; supponit enim votum paupertatis solemne reddere Religiosum particularem incapacem dominij rerum temporalium, ita enim definitum est in Trident. sess. 25. cap. 2. de Religiosis, ubi ait: *Nomini igitur Regularium, tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuiq; incorporentur.* Jura enim omnia supponunt, Monachum, quidquid acquirit, Monasterio acquirere, nihil habere proprij adhuc per modum ususfructus, possessionis, vel similis

milis juris rerum temporalium, nec Prælati Regulares habent dominium, sed administrationem rerum immobilium, ut supra diximus, & bene expendit Lugo disp. 3. a. n. 183.

492. Dixi *rerum temporalium*, nam Jurium, seu bonorum spiritualium possunt habere dominium, vel quasi dominium, vel possessione, ut est in Beneficiariis Regularibus ad Beneficia, ad quorum possessionem obtinendam, retinendam, & recuperandam possunt agere nomine proprio; & similiter simplex Religiosus circa jus eligendi, alendi se, & manendi in tali Monasterio sibi competens, ut bene notat Lessius c. 4. num. 26. quia, ut ait S. Thomas, per votum paupertatis non renunciant bonis spiritualibus, nec juribus prædictis, sed tantùm temporalibus. Cæterùm circa fructus temporales ex prædictis Beneficiis, seu dignitatibus provenientes non habent hujusmodi Regulares dominium, sed jus administrandi ad suam sustentationem congruam, seu ad alias pias causas, juxta præscriptum Canonum, & Religionis, aut intentionem Fidelium, qui ea Religioni, vel Ecclesiæ reliquerunt, de quibus latè Lessius c. 41. dist. 11. His positis:

493. Probatur conclusio supra explicata. Ea incapacitas ex voto solenni non provenit Religioso ex præcisa natura voti paupertatis, siquidem hoc stare posset per abdicationem usûs rerum retentô dominiô; ad eum modum, quo stare potest votum castitatis in conjugibus impediens usum conjugii retentô mutuô dominiô in corpora. Neque id provenit ex natura voti paupertatis constituentis cum aliis votis verè Religiosum; nam constat ex Bullis Gregorii XIII. dari veros Religiosos retinentes dominium, absque usu tamen libero rerum suarum. Rursus nec præcisè, & convertibiliter convenit ex ratione voti solennis, tum, quia ut constat ex iisdem Bullis apud Lugum, num. 76. dantur aliqui Religiosi absque votis solemnibus incapaces dominii, tum quia, ut bene idem Lugo num. 75. & latè Amicus disp. 14. à numero 21. ex nullo prædicato solemnitatis id infertur, nam solennitas satis intelligitur, stare in perpetuitate vororum reciproca, hoc est tam ex parte voventis, quàm ex parte Religionis approbatæ acceptantis, qui quidem conceptus esse potest absque incapacitate dominii, quamvis de facto illam importet.

494. Unde solùm superest, ut dicamus, eam incapacitatem provenire ex jure positivo Ecclesiæ legitimè inhabilitante ad tale dominium solenniter voventes paupertatem, cùm & de facto reddat jus positivum Ecclesiasticum aliquos non solemniter voventes incapaces dominij, ut bene Lugo, Palao, Sanchez, & Amicus omnino videndus, bene defendens, quòd sicut ea incapacitas advenit de jure Ecclesiastico solemnitati vororum, ita etiam voti solemnitas, quæ, ut dixit Bonifac. VIII. ex sola institutione Ecclesiastica est inventa; atqui exinde constat, posse Pontificem dispensare in votis solemnibus, quamvis oppositum docuerit D. Thomas quæst. 88. art. 11. quem immodestè conatur defendere Conradus, gravem propterea incurrens increpationem Caterini; ergo &c.

Ex quo clarè constat, dari Religiosos retinentes in particulari dominium absque usu in- 495.
dependente à licentia Prælati, ut in votis simplicibus Societatis constat; circa quod duo legi cum admiratione, primum, quod dixit Teneda apud Lugum num. 78. esse sententiam Patris Suarez, hujusmodi Religiosos non peccare contra votum paupertatis, si de bonis, quorum retinent dominium, dent pauperibus absque licentia Prælati, cùm tamen Exim. D. objicens sibi hanc doctrinam dixerit, esse falsissimam. Error fuit Tenedæ, objectionem accipiens pro assertione: secundum est, quòd P. Amicus num. 52. appellet impossibilem, & destitutam authoritate sententiam dicentê, hujusmodi Religiosos donantes de prædictis bonis, aut aliter utentes absque licentia Prælati, validè quidem donare, & alienare, quamvis illicitè, & contra paupertatem; cùm tamen hæc sententia sit Exim. D. Sanchez & Azor, quos citant, & sequuntur Lugo, Palaus, & Diana p. 9. tom. 5. Resol. 160. licèt Molina, Lessius, Valentia, oppositum censeant.

Assero 3. Servitus jure gentium introducta 496.
non est illicita. Prob. quia, quamvis jure naturæ nemo sit servus alterius hominis, jure tamen gentium, & civili ideo introducta est ea servitus, ut per illam bono ipsorum servorum consuletur; illi enim, qui capiebantur in prælio, licitè poterant à victore interfici, at, ut eis Victores vitam donarent, instituerunt leges, ut mors in servitutem mutaretur, quod non est illicitum, sed potiùs favens captis; idemque apparet in aliis tribus modis apponendi servitutem, scilicet venditione, naturalitate, & justa commendatione, de quibus latè Molina, & Lugo; ergo hujusmodi servitus nequaquam censeri potest illicita; quare hæc servitus, quæ legalis vocatur, valde diversa est ab altera duplici servitute, quoniam prima dicitur naturalis, quatenus indoct[a], imbecillior, & ignobilior subjicitur Doctori, robustiori, & nobiliori; secunda dicitur condititia, qua unus alteri ex certo contractu, condicit suas operas, nullum tamen jus in personam; tertia, de qua agimus, dicitur legalis, seu civilis, qua personæ Dominis in eorum commodum subjiciuntur pro viribus obsecuturæ; sola hæc dicitur strictè servitus, utpote sola dans jus in personam, & de hac loquimur, cùm absolutè loquimur de servitute; unde hæc dicitur à servando, eò quòd victores in bello justo servent aliquando vitam eorum, quos possunt occidere, & sibi servos efficiunt acquirentes dominium proprietatis in opera, & actiones ipsorum; ideo servi

etiam

etiam vocantur mancipia, quaſi à manu captione.

497. Hic autem ſervitutis rigor conventione antiquiſſima ſublatus jam eſt inter Principes Chriſtianos, ita nempe, ut præcisè jure belli (quidquid ſit de aliis cauſis, de quibus Lugo diſp. 6. ſect. 2.) nequeant captos redigere in ſervitutem; de aliis modis comparandi dominium in ſervos dicemus infra; nunc verò agimus de dominio, quod ipſis ſervis competere poteſt; certum quidem eſt, eos retinere jus ſuum in vitam, & membra, ita nempe, ut ſi in his lædantur à Dominis, fiat contra juſtitiam, quidquid de Jure Civili veteri ſit, quòd ſervi ſubjiciebant ſe Dominis quoad vitam, & necem; hinc eſt, non poſſe Dominum abuti absque injuſtitia corpore ſervi, ſeu ancillæ invitæ, neque illam conſtituere, neque ſervum, aut ancillam prohibere, ne matrimonium ineant, ut latè docet Sanchez l. 7. de matrimon. diſp. 21. & notat Lugo diſp. 3. ſect. 2. quòd poſſit aliquis ſe venundans in ſervum obligare ſe ſpecialiter Domino ad non contrahendum matrimonium, & tunc illicitè contrahit, quamvis validè.

498. Certum etiam eſt, hujusmodi ſervos retinere jus in honorem, & famam, unde nec Dominus poteſt remittere aliis infamationem ſervi ſui, neque absque injuria ſervum infamare, quòd ſi infamet, tenetur reſtituere; idem eſt à fortiori de bonis ſpiritualibus; in his enim ſervus non ſubjicitur Domino; atque adeò pâtietur injuriam ab illo ſi per vim, aut fraudem inducatur ad peccandum, vel lædatur in aliis animæ bonis. Nec obſtat, quòd absque licentia Domini ſervus nequeat fieri Religioſus, id enim non ex eo, quòd directè Dominus id impediat, ſed quia Eccleſia noluit acceptare profeſſionem Religioſam, ſicut neque promotionem ad Ordines ſacros ſervi cum præjudicio Domini absque illius licentia, eò quòd ſic notabiliter imminueret ipſius jus in obſequia, quæ ſervus in Religione exiſtens exibere non poſſet. Tota ergo difficultas reducitur ad bona fortunæ, circa quæ duæ ſunt ſententiæ oppoſitæ, prima aſſerit, omnino eſſe incapaces dominii, ita Leſſius, cui valde adhæret Lugo; ſecunda ait, quod licèt de antiquo rigore legum eſſent incapaces dominii, at de facto rigorem illum mitigatum jam eſſe, ac proinde poſſe aliquale dominium obtinere, ita Molina Tom. 2. diſp. 38. Sanchez, & alii.

499. Aſſero 4. quamvis attento antiquo rigore legum ſervi omnino eſſent incapaces dominii, at legibus ſervitutis aliquantulum mitigatis per legitimam conſuetudinem poſſint ſervi in aliquibus caſibus dominium obtinere. Probatur: ſervitus iſta introducta eſt jure poſitivo, ac proinde eſt abdicabilis, vel in toto, vel in parte pro libito Domini; atqui ex mitigatione legum habita per legitimam conſuetudinem ſervitus partim ablata, & abdicata eſt; ergo quoad illam non manent ſervi, ac proinde poſſunt acquirere jus proprietatis; Proba tur mi. quia per legitimam conſuetudinem acquirunt primò ſervi peculium conſentiente Domino; ſecundò, ſi ex hoc peculio aliquid lucrentur, tertiò, ſi quid acquirant laborando ultra id, quod Dominus præſcripſit, quartò, ſi quid ſibi ſubtrahant ex his, quæ ſine Domini incommodo poſſunt conſumere, quinto, ſi quid ſervo donetur, aut legetur ſub conditione, quod ad Dominum non veniat; ſextò, ut ſi quid ſervo detur, ut ſe redimat; ſeptimò, ſi quid acquirunt pro illatione injuriæ ſibi in membris, honore, & fama illatæ, quod genus bonorum non cadit ſub dominio Domini; & idem videtur dicendum ex eadem ratione de lucro ancillæ ex turpi uſu ſui corporis. Confirm. Aliquæ leges præſcribunt modum, quo ſervus poteſt redimi à Domino, ſic *l. vix ff. de Judic.* datur ſervis actio contra Dominum his verbis; ſi dicant ſe ſuis nummis redemptos, & non manumiſſos contra placiti fidem; ergo ſupponunt, quòd de facto poſſint habere jus proprietatis circa aliqua, quibus poſſint ſe redimere; cæterum hæc meliùs intelliguntur ex ſolutione objectionum.

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

OBjicies primò. Bona Religionis, ſive Religiolæ communitatis ſpecialiter Chriſto conferuntur; ergo Religioſa communitas nullum habet circa illa dominium, ſed tantùm adminiſtrationem. Confirmatur. Si Religioſa communitas haberet dominium, vel eſſet plenum circa mobilia, & immobilia, vel eſſet ſemiplenum circa fructus congruos ad ſuſtentationem, ſed neutro modo habet dominium, ſed tantùm adminiſtrationem; ergo &c. Probatur min. ſi haberet dominium circa fructus neceſſarios ad congruam ſuſtentationem, caſu, quo Religio conſumeret ea, quæ ſufficiunt ad congruam ſuſtentationem infimam, vel mediam, & non ſummam, exceſſus ille uſque ad ſummam fieret communitatis proprius, poſſetque communitas de illo diſponere tanquam de proprio, dando exceſſum illum cuicunque voluerit; ſicut id facere poſſunt Beneficiarii; atqui Religio adhuc in comuni hoc facere non poteſt; ergo &c. 500.

Reſp. diſt. ant. ſunt ſpecialiter Chriſti Domini tanquam ipſi immediatè donata, nego tanquam donata ipſius ſpeciali imagini, conc. ant. & neg. conſeq. Ratio eſt, quia ut conſtat bona, quæ Religioſis conferuntur juxta intentionem Fidelium ſecundùm Eccleſiæ doctrinã, ſe habent ad inſtar illorum, quæ conferuntur pauperibus, cumque illa, quæ pauperibus donantur, non apponantur immediatè ſub ſpeciali Chriſti Domini dominio, ita etiam ea, 501.

quæ Religiosis conferuntur; unde sicut pauper manet cum dominio proprietatis eorum bonorum; ita etiam Religio manet cum dominio proprietatis bonorum, quæ ipsi conferuntur, cum hoc tamen discrimine, quòd pauper non habet ligatum illud jus, neque ex institutione Ecclesiæ, neque ex institutione donantium; at Religio habet utroque modo ligatum jus suum, ut diximus. Exinde ad Confirm. conc. maj. neg. min. ad prob. dist. maj. posset communitas de illo tanquam de proprio disponere, si à legitima potestate solvatur vinculum, quo jus suum ligatum est, conc. si non tollatur, nego maj. & distincta pariter min. neg. conseq. ergo cùm jus illud sit ligatum, ne Religio ea bona expendat, nisi juxta facultatem, quam habet expeditam, & respicientem bonum communitatis, non verò per contractus ratione illius vinculi initos, exinde non potest communitas pro libito suo ea bona expendere nisi casu, quo vinculum illud legitimè auferetur, ut de majoratibus diximus num. 284.

502. Objicies contra 2. assertionem: solemnitas voti Religiosi paupertatis est ab Ecclesia indispensabilis, & annexa essentialiter statui Religioso; ergo non provenit ab instituto Ecclesiæ, sed ab ipsa natura voti solemnis ea incapacitas dominii proprietatis. Probatur ant. ex D. Thoma 2. 2. q. 18. art. 2. ubi ait: Est autem debitum statui Religionis essentiale continentiæ; & ideo in voto solemnificato per professionem Religionis non potest per Ecclesiam dispensari; ergo idem dicendum quoad dominium proprietatis. Confirm. 1. ex 2. Extra. de statu Monachorum in fine. *Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis adeò annexa est Religioni Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit indulgere*; ergo &c. Confirm. 2. non potest Pontifex facere, ut id, quod semel consecratum est, non sit consecratum &c. quòd calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer, vel quòd ille, qui est Sacerdos, non sit Sacerdos; atqui Religiosus per votum solemne paupertatis consecravit Domino facultatem suam ad habendum jus circa temporalia; ergo non potest in hoc dispensare summus Pontifex, ac proinde ea incapacitas non provenit ab institutione Ecclesiæ, sed ab essentia voti paupertatis.

503. Resp. neg. ant. ad probat. conc. ant. neg. consequentiam; quia Ecclesia aliquando in voto solenni dispensavit; dispensavit enim olim Romanus Pontifex cum Rege Arragonũ, ut habet Petrus de Palude dist. 38. & cum Constantia Filia Regesij uxore Henrici VI. quæ erat Sanctimonialis Panormi, & jam tunc quinquagenaria, ut historiæ tradunt, quæ dispensata est à Cælestino 3. & ex eo conjugio genuit Fridericum II. nec præsumendum est, eos Pontifices feciſſe, quod non poterant; unde dispensare quoque possent circa ejusmodi dominium proprietatis. Ad primam Confirmatinem conc. antec. neg. consequent. quia per ly *non possit* intelligendum est, regulariter non congruit, sic habet quædam glossa ad istam Decretalem his verbis; alii dicunt, quòd potest dispensare propter plenitudinem potestatis, quòd Monachus habeat proprium, quoniam potest auferre substantiam rei, arg. C. de rei uxor. act. l. 1. in princ. & de nihilo potest aliquid facere. Quare si non est contra authoritatem decretalis, ut *ly non possit* exponatur per ly *non congruit*, nec censendum est contra authoritatem D. Thomæ illum eodem modo explicare.

Ad 2. Confirmationem dist. maj. si consecratum sit aliqua specie consecrationis non subjectæ quoad perseverantiam statuto Ecclesiastico, conc. subjectæ statuto Ecclesiastico quoad perseverantiam, nego maj. & dist. similiter min. nego conseq. Ratio est, quia Deo consecratæ sunt in quadruplici differentia, ut constat ex dictis, ita ut aliquæ ex illis non maneant quoad perseverantiam subjectæ statuto Ecclesiastico, & hujusmodi generis sunt vasa sacra, dum integra perseverant, & multò magis Sacerdos utpote consecratus per characterem indelebilem in anima Christiana, non verò alia. 504

Objicies 3. contra 3. assertionem: servitus, qua unus homo constituitur sub dominio proprietatis alterius, est contra jus naturæ; ergo est illicita. Probatur ant. unusquisque hominum jure naturæ est liber, & non servus; ergo &c. Resp. neg. ant. ad prob. dist. antec. est liber absolutè, & non servus absolutè, nego, est liber, & non servus, si non adveniat justus titulus ad servitutem, conc. ant. & nego conseq. ratio est, quia libertas, quæ congruit homini jure naturæ, non congruit illi jure naturæ simpliciter sumpto, & indispensabili, sed jure naturæ secundùm quid, ac proinde dispensabili, & mutabili pro circumstantiis, in quibus aliter decernat legitimus Superior, cui jus illud secundum quid subjectum est, vel cui facultas ad cessionem concessa est; cùm autem in circumstantiis, in quibus mors in servitutem commutatur, jure gentium reverâ sit subjectum illud jus secundùm quid tali juri gentium, non fit tunc contra jus naturæ, sed licitè statuitur ea servitus, & quidem si homo ipse potest se ipsum vendere, quomodo non poterit id fieri in circumstantiis assignatis ex jure gentium. 505 507 508

Objicies 4. contra 4. assertionem: servitus talis est, qualis introducta est per veras leges; atqui leges, per quas introducta est, præscribunt, quòd servi nullo rerum dominio gaudeant, & quidquid acquirunt, Domino acquirunt, ut habetur expresè instit. *Per quas personas nobis acquiritur §. item vobis.* ubi 506

dici-

dicitur: *ipse enim servus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest; unde dicitur, quod Dominus auferens servo res, quas ipse concesserit, quamvis inhumaniter, & infideliter id faciat, sine justa causa, non tamen facit contra justitiam;* quia jura, quæ servum subjiciunt Domino, multò magis subjiciunt Domino quascunque res servus habet; ergo nullius dominii proprietatis circa bona temporalia servus est capax. Resp. dist. maj. per veras leges modo, quo de facto sunt in viridi observantia ex legitima consuetudine, conc. modo, quo jam non sunt in viridi observantia ex legitima consuetudine, neg. maj. & dist. sic minori nego conseq. Ratio est, quia cum illæ leges utpote jure humano institutæ potuissent legitima consuetudine moderari, & de facto mitigatæ sunt, non aliter de facto ex illis inferenda est ratio servitutis, & incapacitatis servi ad acquirendum dominium proprietatis, nisi juxta præsentem mitigationem ipsarum, cum autem juxta præsentem mitigationem in pluribus casibus supra allegatis servus possit dominium proprietatis acquirere, non potest dici omnino incapax dominij proprietatis, unde ea jura intelligenda sunt de antiquo rigore, ad cujus mitigationem viam aperuit *l. vix ff. de Judic. supra cit.* cùm det servis actionem contra Dominos, ut se redimant suis nummis. Quare posset servus uti occulta compensatione, dum alia via ad restitutionem non adesset, si Dominus res suas auferret.

SECTIO III.

De Filiis, & Uxoribus.

507. SUppono 1. non posse Filios de re aliqua valide disponere absque Patris consensu, si propria filii non sint; unde cùm quadruplex sit peculii genus, quod filiifamilias habere possunt, opus est ea in præsenti declarare, ut resolvamus, quod peculii genus pertineat, quod non pertineat ad filiosfamil. 1. peculii genus dicitur castrense, quod scilicet in militia, vel occasione militiæ partum est, ut stipendia militum, aliorumque, qui castra sequuntur; prædæ ex hostibus donativæ Ducum, & Commilitonum vestimenta, & legata occasione militiæ mobilia à parentibus, vel ab aliis data eunti ad militiam. Denique omnia lucra, quæ mediante aliquo contractu ex talibus bonis proveniunt.

508. Peculium quasi castrense dicitur omne id, quod ex Beneficio Ecclesiastico acquiritur, imò quicquid acquiritur post Clericatum, nisi aliàs esset adventitium, ut expressè habetur auth. *Presbyteros C. de Episcopis, vel Clericis*; Item quidquid acquiritur officio non mechanico, ut Judicis, Tabellionis, vel professione alicujus artis liberalis, & quod datur intuitu talis functionis, ut libri, qui dantur à Parente, vel alio ei, qui profitetur artem liberalem, & quod datur liberalitate Principis; denique quod ab aliquo datur filiofamilias, & fit tanquam castrense. Hæc autem bona ideo vocantur quasi castrensia, quia habent privilegia Castrensium, etsi talia verè non sint, quod privilegium extenditur ad Clericos in auth. cit. quia sunt milites spirituales.

Peculium adventitium dicitur illud, quod non provenit à Parente, respectu cujus dicitur adventitium, neque ejus causa, vel intuitu principaliter datur, sed successione, vel donatione alio intuitu facta, vel industria, vel fortuitò, ita ut non sit castrense, vel quasi, ut si inveniat thesaurum, si lucretur negotiando ex pecunia furtiva, aut mutuo accepta; hoc enim lucrum est peculium adventitium; pariter si in domo paterna aliquid extra ordinem lucretur præstitis ordinariis operibus, ad quæ tenetur, si plus lucretur, quàm consumit, & insinuet se cupere lucrum; nam si non insinuet, censetur id concedere amori Parenti. Mortua matre ante Patrem bona materna sunt adventitia filio respectu Patris. Si Pater præmoritur, bona paterna sunt adventitia filio respectu matris. 509.

Peculium profectitium est, quod provenit à Parente, vel quod maximè ejus causa datur, nec est castrense, aut quasi, ut sunt ea, quæ conceduntur Filiis, ut administrent, & quæ dantur filio ab aliis ob amicitiam, vel obsequium Parentum, secus si ob amicitiam, vel obsequii filij, nam tunc si non sunt castrensia, vel quasi, erunt adventitia. Circa ea autem bona non quærimus, an possit habere dominium, & jus proprietatis filius jam emancipatus; certum est enim, filios emancipatos non minùs esse capaces dominij, quàm Parentes, sed quæstio procedit de filiisfamil. adhuc sub patria potestate existentibus. 510.

Suppono secundò, patriam potestatem esse jus quoddam, quod in filios, & eorum bona competit Patri, ut tali, ex l. *quidem Romanorum* potiùs, quàm naturali, aut divina, ac proinde abrogabili per consuetudinem, vel leges municipales; competit autem patria potestas non matri, sed patri, vel ascendentibus in linea paterna; unde Avus habet illam in suos filios, quòd si Avus sit sub potestate Proavi, neminè habet sub patria potestate, sed omnes sunt sub Proavo, aut sub alio ascendenti anteriori superstite; nunc autè in plerisq; regnis literatus filius eximitur à patria potestate, per matrimonium cum benedictione nuptiali, item apud omnes per vota religiosa filii, vel patris, item per assumptionem filii ad Episcopatum; aliqui censent, quòd etiam per assumptionem ad Sacerdotium, quamvis alii negent; Item per alias dignitates à jure assignatas, de quibus videri potest Lugo disp. 5. sect. 1. & latè Molina Tom. 1. disp. 227. & Sanchez lib. 1. cons. 1. à dub. 11. item per emancipationem, 511.

qua

qua coram Judice sit filius familias sui juris comparentibus, & convenientibus Patre, & filio, videriq́ue possunt apud Authores plura jura circa hoc, pluresq́ue causæ, ob quas cogitur Pater etiam invitus emancipare filium: his positis:

512. Assero 1. Peculii castrensis, & quasi habet filiusfamilias plenum dominium, usumfructum, & administrationem. Probat. facilè, quia sunt plura jura, quæ circa hæc bona conferunt filio jus proprietatis, plenum dominium, & administrationem, quæ videri possunt ff. & Cap. *de castr. pec.* ergo &c. Confirmat. Filius de suis bonis castrensibus, & quasi potest disponere, ac si esset Pater familias per donationes, & contractus, imò etiam per testamenta, & ultimas voluntates, si tamen sit pubes, hoc est expleverit 14. annos; nam ante hoc tempus prohibetur à Jure testari, L. *quâ ætate*, ff. de testament. Unde pater ex his bonis non potest sibi quidquam usurpare, nisi quod necessarium est ad alimenta filii, cùm illum ex suis alit, alioquin teneretur ad restitutionem, si filius velit; quòd si filius non speret restitutionem à patre, nec aliam viam habeat, potest uti occulta compensatione, vel mortuo patre petere à cohæredibus &c. Sed hæc omnia probant tale jus, & plenum dominium circa ea bona; ergo &c.

513. Assero 2. Peculii adventitii habet filius non emancipatus dominium directum, pater verò usumfructum, & administrationem, exceptis aliquibus casibus. Primus est, si pater filio condonet usumfructum, hoc enim non est donare de suis, quod facere non potest, sed non usurpare de bonis filii. Unde filius non tenetur hoc conferre in suam legitimam, quando cum fratribus dividit hæreditatem paternam. Secundus est, si aliquid donetur filio ea lege, ut pater usumfructum non habeat. Tertius, si aliquid ei donetur patre contradicente; non enim est æquum, ut pater ex eo commodum reportet. Quartus, si ususfructus alicujus rei filio relictus sit; tunc enim pater nihil habebit, nam super usumfructum non potest statui alius ususfructuarius, cùm sit ipsa utilitas rei, ideóque docent Jurisperiti C. 2. §. fin. de hæred. in 6. Quòd si pater fiat hæreticus, filius defacto manet sui juris, ac proinde redit ad eum ususfructus, quem pater habebat in bonis adventitiis filii. Ultra prædictos casus de bonis adventiis filius sub patria potestate constitutus non potest disponere, quia administratio, & utilitas est penes patrem, potest tamen de his donare causa mortis, patre consentiente, ut habetur L. *tam is*, ff. *de mortis causa*; non tamen de his testari, nisi pater consentiat, nisi ad pias causas, ut patet ex C. *licèt pater*, de sepulturis in 6. potest tamen de castrensibus, & quasi testari, ut ibidem dicitur. His præmissis

Probatur facilè nostra Conclusio: filius non emancipatus utpote manens sub patria potestate, & sic ex L. *Romanorum* privatus jure, & dominio proprietatis, non potest ab hac lege universali excipi, nisi assignetur aliqua lex particularis exceptionem importans; atqui præter casus prædictos nulla reperitur lex, quæ circa ista bona adventitia conferat filio dominium directum, aut administrationem; ergo totum dominium directum, & adminstratio manet penes patrem. Quapropter si in aliqua regione ex Lege municipali sint aliæ justæ exceptiones, filius gaudebit. 514.

Assero 3. Peculii profectitii nullum dominium habet filiusfamilias; imò neque jus administrandi, nisi ex commissione, & in utilitatem Parentum. Probatur facilè; nam circa bona profectitia dominium directum, & utile est penes patrem; ergo non potest pertinere ad filium directum dominium, & administratio illorum bonorum; quare non potest filius ea bona in suam utilitatem convertere absque consensu parentis, respectu cujus illa profectitia dicuntur, alioquin furtum committeret; unde fit, ut ob crimen filij hæc bona non possint Fisco addici. 515.

Assero 4. Uxores circa plura bona sunt capaces dominii. Probatur facilè, nam habent plenum dominium, primò in bona paraphernalia; talia vocantur, quæ præter dotem affert uxor; secundò in bona, quæ ipsis donantur, vel legantur; tertiò in ea, quæ sibi reservant parcè, & modestè vivendo ex illis, quæ maritus ipsis donat ad sumptus sibi congruos in vestitutu, & aliis, hæc dicuntur quasi Paraphernalia, seu juxta dotalia; quartò spectato jure generali in ea, quæ sibi comparant propria industria, & labore post exhibitas domi debitas operas, ut docet S. Thom. Sylvester, & Angelus. Dixi *spectato jure communi*; nam in aliquibus Regnis, ut in Castellæ Regno, & Lusitaniæ aliter statuitur per leges speciales, de quibus vide Molin. disp. 274. ubi latè tractat de modo, quo bona in matrimonio acquisita fiant utriusq; conjugis, sive ex contractu medietatis bonorum, sive ex alia quacunque ratione. Hic aliqui agunt de bonis, quæ acquirit adultera ex turpi usu corporis, aliqui cum Bannez, Molina, & Reginaldo dicunt ea bona non fieri uxoris, sed mariti, qui est Dominus corporis uxoris. Diana verò p. 2. Tract. 17. Resolut. 7. cum Bonnacina, & aliis, quos sequitur Tambur. *l. 7. in Decalog. c. 5. §. 3. num. 22.* censent fieri uxoris, ac proinde esse quoad hoc quasi bona paraphernalia; quia Maritus non est plenè Dominus corporis uxoris, sed ita, ut illo uti queat in debito conjugali; unde videtur, quòd hoc non tollat uxori facultatem acquirendi, quamvis cum peccato ex turpi sui corpois concessione; tandem circa dotem nota, quòd uxor habeat in illam 516.

illam dominium directum, maritus verò usumfructum, & administrationem ; unde injustè uxor vivente marito usurparet sibi aliquid de dote sua, aut fructibus illius. Mortuo autem marito ad ipsam redit plenum dominium, vel ad ipsius hæredes.

DISPUTATIO X.

DE OBJECTO DOMINII RELATE AD CREATURAM ERGA DEUM.

517. DEUM esse omnium creatarum rerum Dominatorem,& Dominum, & Fides docet, & ratio naturalis evincit, ut enim dixi cum reliquis Theologis agentes de DEO, ratio naturalis ostendit Dei existentiam, supremamque Dominationem. Verùm enim verò cùm Sacræ Scripturæ non utcunque deprædicent Deum Dominum, sed simul dicant esse Dominum solum, ut habetur Danielis tertio: *Tu es Dominus Deus solus*, & Isaiæ 37. *Tu es Dominus solus*: taliterque de Christo Domino, utpote vero Deo in Epist. Canonica Judæ versu 4. legimus, *& solum Dominatorem, & Dominum nostrum JESUM Christum* : exinde ad intelligendam veritatem istam, qua de Deo dicitur : Solus Dominus, quærimus, an Deus ita sit Dominus, ut creatura nullum penitùs habeat, neque habere possit jus proprietatis contra Deum ; decisio quippe hujus controversiæ necessaria omnino est ad dissolvenda plura, quæ per totam Theologiam frequenter circumferuntur ; sæpè namque dicimus, pœnitentiam virtutem esse indistinctam à justitia illa, quæ inter Deum, & creaturam intercedit ; creaturam solvere Deo ex justitia ; Christum etiam ex justitia satisfeciisse pro totius mundi peccatis, quæ de rigorosa justitia commutativa minimè possunt intelligi, nisi creatura quandoque possit jus proprietatis acquirere contra Deum ; si enim tale acquirere nequeat, planum exinde fiet, eas locutiones tantùm intelligi posse de justitia lata aliqualem cum justitia commutativa similitudinem præferente ; ne ergo deinceps assignando aliquem justitiæ actum creaturæ circa Deum, opus sit præscindere, an actus ille pertineat ad strictam justitiam commutativam, an potiùs ad latam ? Sit

SECTIO I.

An creatura habere possit jus proprietatis contra Deum ?

518. SUppono 1. valdè diversam esse obligationem à fidelitate, vel alia simili virtute subortam ab illa, quæ oritur ex justitia ; nam obligatio orta ex fidelitate, non fundatur in aliqua læsione, aut omissione juris, vel diminutione dominii in eo, qui obligatur, sed in mera ipsius voluntate, & ratione illi proponente infidelitatis indecentiam ; obligatio verò ex rigorosa justitia commutativa non solùm oritur à virtute, quæ sit in obligato, sed à jure, quod habet ille, à quo obligatur, ratione cujus, & jus, & dominium habet ad illud, ad quod alterum obligat ; ita ut si obligatus non conferret obliganti id, ad quod obligatur, non solùm faceret contra virtutem in ipso obligato residentem, sed etiam contra jus proprietatis alterius, quod læderet.

Explicatur exemplò ; si Petrus, qui est absolutus Dominus equi, dicat Paulo, nolo tibi conferre jus ullum circa equum, scito tamen, me fidelem esse, & manè daturum tibi equum, nullam faceret injuriam Paulo ; nec læderet ullum jus, quod Paulus acquisiverit circa equum, cùm sibi Petrus reservâsset omne jus, & dominium equi ; unde faceret contra fidelitatem non donando equum Paulo, & non contra justitiam : si verò Petrus non esset plenè Dominus equi, sed iste donatus fuisset Petro, & Paulo, ut Petrus haberet dominium equi per duos menses, quibus elapsis maneret Paulus plenè Dominus, si tunc Petrus acciperet equum ad duos menses, & daret fidem Paulo de reddendo equo post elapsos duos menses, casu, quo post eos elapsos Petrus nollet equum reddere, tunc non solùm faceret contra fidelitatem, sed etiam contra justitiam violando jus Pauli ; unde obligatio ex fidelitate non oritur ex dominio, sed ex mera gratia, & virtute obligati ; obligatio verò ex justitia oritur ex jure, aut dominio obligantis ; idcirco transgressio contra fidelitatem, est contra virtutem residentem in obligato. Transgressio contra justitiam commutativam est contra jus proprietatis residens in obligante. 519.

Suppono 2. Novem conditiones communiter assignari ad rigorosam justitiam. Prima est, quòd solutio debita ex justitia fit ad alterum, id est inter personas distinctas, in natura, vel munere V. G. si eadem persona sit Tutor, & debitor pupilli ; Secunda, quòd sit ad alterum jure, & dominio, hoc est, quòd jus, & dominium solventis ex justitia sit ita moraliter distinctum, & independens à jure, & dominio illius, cui solutio fit, ut ratione independentiæ moraliter reputetur jus solventis non esse jus creditoris, neque acquiri ei, cui datur solutio. Tertia, quòd solutio fiat ex rebus non gratis acceptis à creditore, vel si fiat ex gratis acceptis, ita sit, ut priùs venerint in dominium debitoris, qui solvit. Quarta quòd solutio non fiat ex rebus tunc existen- 520.

tibus sub dominio creditoris; nam si jam sint sub illius dominio, nihil de novo accipit creditor; quo ipsi fiat compensatio; hoc enim ad summum posset esse restitutio ablati à debitore debente æqualem quantitatem.

521. Quinta conditio est, ut fiat ex rebus non debitis alio titulo importante distinctum debitum; si enim Petro debeas centum aureos, quos tibi sub onere restitutionis reliquit, & postea fureris alios centum, non solves adæquatè ex justitia, si centum illi tantùm restituas. Sexta, quòd solutio talis sit, quæ non possit à creditore non acceptari ad extinguendum jus proprietatis contra debitorem. Septima, quòd ratione solutionis aliquid ponatur sub dominio creditoris, quod ipsi aliunde ex justitia non debebatur, atque in comodum illius libertatis redundet. Octava, quòd exhibeatur ab ipsomet offensore, saltem quando offensa fuit causa incurrendi debitum ratione inhonorationis, & contemptus circa bona honoris. Nona, quòd solutio sit debita ex justitia, non solùm ab eo, qui eam offert tanquam procurator, sed etiam ab ipso principali debitore. Hæ sunt conditiones, quæ communiter circumferuntur in scholis pro rigorosa justitia commutativa. Cæterùm, quia plures ex his conditionibus expositione indigent, ut sine illis rigorosa justitia commutativa non possit dari, ut ex hucusque toto tractatu dictis satis constat; ideo præsens controversia resolvenda est ex principiis, quæ ab omnibus admittuntur.

522. Quapropter cùm omnes Doctores ad rigorosam commutativam justitiam requirant, ut debitor aliquid dando in solutionem creditori, extinguat jus, quod contra debitorem creditor habebat, ita ut si actionem illam debitoris admitteret, & non cederet juri contra debitorem, eo ipso esset injustus, & teneretur ad restitutionem, nec solùm peccaret contra fidelitatem, aut aliam virtutem, sed etiam contra commutativam justitiam; ideo quærimus in præsenti, an creatura possit tale jus proprietatis acquirere contra Deum, ad solvendum aliquid Deo debitum; ita ut si Deus illam creaturæ actionem admittens non cederet juri proprietatis contra creaturam, eo ipso peccaret contra justitiam commutativam. *Prima* sententia affirmat; ita plures tum nostri, tum Thomistæ, quos sequuntur Gonet disp. 4. artic. 4. num. 85. & Contenson dissertatione 5. cap. 2. speculatione 3. Secunda sententia omnino negat; ita Vasquez, Lugo, Bernal, Lessius, Esparza, Cardin. Pallavic. c. 3. de Incarnatione num. 43. pluresque alii, quos citat Ripalda de Ente super naturali disp. 83. sect. 1.

523. Assero cum secunda sententia. Impossibile est in creatura jus proprietatis contra Deum. Probatur 1. Ut creatura acquirat jus justitiæ commutativæ contra Deum, opus est, ut ita Deum obliget, ut si debito illi Deus non satisfaceret, ageret contra jus proprietatis creaturæ; sed hoc est omnino implicatorium; ergo &c. Probatur minor: nulla est res creata, quæ non cadat sub dominio proprietatis Dei, & quam Deus ex jure suo sibi assumere non possit absque injuria alterius, ratione juris sui essentialis, & inabdicabilis, ac proinde nulla est creatura, neque actio creata, propter quam creatura possit Deum obligare ad aliquid compensandum; semper enim Deus potens est, quamcunque illam actionem creatam ratione essentialis dominii sui illi debitam sibi assumere; sed ut Deus obligaretur ex justitia ad compensandam actionem creaturæ, ita ut si non satisfaceret illi debito, ageret contra jus proprietatis creaturæ, opus erat, ut actio illa à creatura ablata non esset propria Dei, & sub dominio proprietatis illius; ergo &c. Confirmatur. Postquam Deus promisit dare creaturæ præmium propter aliquam actionem moraliter æqualem ipsi præmio, si Deus per impossibile accipiendo sibi illam actionem, præmium non conferret, licèt peccaret contra fidelitatem, non tamen peccaret contra justitiam commutativam; quia nihil assumeret non suum, aut non subjacens suo dominio proprietatis; sed exinde apparet, creaturam non posse obligare Deum ex rigorosa justitia commutativa; ergo &c.

524. Probatur 2. Non potest creatura acquirere jus proprietatis contra Deum, quin habeat dominium morale alicujus rei distinctum à dominio Dei, ratione cujus illa res maneat subjecta in commodum libertatis Dei, ut ipse pro libito suo possit moraliter restringere libertatem alterius, nemini faciat injuriam, si actionem illam sibi exigat, nec pro illa velit præmium rependere; atqui est chymericum dominium morale creaturæ, ratione cujus res aliqua sit subjecta in commodum libertatis creaturæ, & exempta à subjectione in commodum libertatis Dei; ergo &c. Probat. mi. res creatæ ideo subjiciuntur Deo, quia Deus est, atque eo ipso Dominus est, sed omnino repugnat, quòd possit dari aliqua actio creata, quin Deus sit Deus, ac proinde, quin Dominus proprietatis illius actionis; ergo &c.

525. Confirmatur. Nulla est actio creata, quæ essentialiter non sit ordinata in commodum libertatis Dei ut Deus, vel illam intendat, vel permittat absque injuria alterius; non enim debent res tendere ad omnem utilitatem, nisi conformem perfectioni Domini, cui subjiciuntur; ut diximus à numero 261. atque adeò actiones peccaminosæ, quas Deus per se intendere non potest, manent subjectæ in commodum libertatis Dei ad permissionem; res verò aliæ, quas potest & intendere, & permittere, manent subjectæ in commodum libertatis Dei, tum ad earum intentionem, tum permissionem; ergo nulla excogitari potest res creata, circa quam creatura habeat jus

proprie-

proprietatis, quo rem illam eximat à jure proprietatis Dei.

526. Probatur 3. Tota adæquata creatura, quæ circa rem aliquam dominium habere potest, est Dei, & manet sub dominio proprietatis Dei: sed exinde non potest acquirere jus proprietatis circa rem aliquam, quo illam eximat à jure proprietatis Dei; ergo &c. Prob. mi. eo ipso, quòd servus, ut servus sit totus Domini, & filius nondum emancipatus, qua talis, sit totus sub dominio proprietatis Patris, non potest servus, ut servus acquirere jus proprietatis contra Dominum, neque filius nondum emancipatus, ut talis, potest acquirere jus proprietatis contra patrem, ut diximus à numero 496. & 511. atqui creatura, ut creatura, est essentialiter serva Dei, & filia impotens eximi à servitute, & filiatione, ita ut non maneat essentialiter sub tutela Dei; ergo non potest acquirere strictum jus justitiæ contra Deum. Confirm. Quidquid servus, ut servus acquirit, Domino acquirit, quidquid filius non emancipatus acquirit, patri acquirit; ergo eo ipso, quòd creatura sit essentialiter impotens liberari à servitute, & potestate paterna relatè ad Deum, quidquid acquirit, Deo acquirit; ac proinde est impotens obtinere dominium proprietatis contra Deum.

527. Probatur 4. Licèt Deus sit liber ad producendas, vel non producendas, ad destruendas, vel non destruendas physicè, vel moraliter creaturas, ac proinde ad conservandum dominium illarum actuale actualitate creaturarum; attamen non potest cedere dominio essentiali circa ipsas pro casu, quo existant, vel etiam actuali actualitate ipsarum, casu, quo ipsæ existant. Sic licèt possit hominem destruere physicè, & peccatum moraliter, cedendo juri acquisito contra peccatum propter peccatum, & nolendo hominem ulteriùs conservare: at non potest facere, ut detur res aliqua, ut ipsi offeratur, quæ Dei non sit dominio proprietatis; atqui ut creatura posset jus proprietatis contra Deum acquirere per aliquam actionem, opus erat, ut actio illa exempta fuisset à dominio proprietatis Dei; ergo &c. Confirmatur. Servus, ut servus, quamvis sit liber ad ponenda, vel non ponenda opera, quæ cedant in utilitatem Domini, aut in commodum libertatis; at eo ipso, quòd à libertate servi, ut talis ea ponantur, non acquiruntur servo, ut tali, sed Domino; ergo quamvis creatura sit libera ad ponendum, vel non ponendum obsequium erga Deum; at eo ipso, quod à creatura tale obsequium liberè ponatur, manet sub jure proprietatis Dei. Confirm. 2. Non potest creatura relatè ad Deum habere nisi simplicem usum facti, ut constat à num. 1. & facultatem ex jure Dei singulis instantibus revocabilem, quæ si non revocetur, non habetur ex defectu juris in Deo, sed ex promissione, aut fidelitate divina, aut libera voluntate Dei nolentis revocare talem facultatem; sed exinde creatura relatè ad Deum nequit acquirere ullum jus proprietatis, ut constat ex dictis; ergo &c.

528. Probatur 5. ex D. Thoma 1. p. q. 21. art. 1. ad 3. ubi ait: etiam Deus operatur justitiam, quando dat unicuique, quod ei debetur secundùm rationem suæ naturæ, & conditionis, sed hoc debitum dependet ex primo, quia hoc unicuique debetur, quod est ordinatum ad ipsum secundùm ordinationem divinæ sapientiæ, & licèt Deus hoc modo debitum alicui det, non tamen ipse est debitor; quia ipse ad alia non ordinatur, sed potiùs alia in ipsum, & ideo justitia quandoque datur in Deo condecens suæ bonitati, quandóque verò retributio pro meritis, & utrumque modum tangit Anselmus dicens: cùm punis malos, justum est, quia illorum meritis convenit; cùm verò parcis malis, justum est, quia bonitati tuæ condecens est. Unde D. Thomas non agnoscit inter Deum, & creaturam aliam justitiam, nisi generalem decentiæ. Pariter lib. 5. contra Gentes c. 93. num. 7. ait similiter etiam justitia quantùm ad commutationis actum Deo competere non potest, cùm ipse à nullo aliquid accipiat. Unde ad Romanos 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* & Job 41. *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* per similitudinem tamen aliqua Deo dare dicimur, in quantum Deus nostra data acceptat; non igitur sibi competit justitia commutativa, sed solùm distributiva, in quo Divi Thomæ testimonio apparet expressè, & Angelici Doctoris auctoritas, & ratio à nobis assignata contra Deum; ergo &c.

529. Respondebis, repugnare in creatura jus proprietatis contra Deum, si attendamus ad jus altum, quod in Deo residet, non verò repugnare, si attendamus, quasi bassum, quod habetur ex contractu inter Deum, & creaturam, cùm Deus ratione contractûs se obligat ad dandum creaturæ hoc præmium propter tale meritum. Quando ergo dicitur dari rigorosam justitiam commutativam inter creaturam, & Deum, non intelligendum est de justitia commutativa habita absque contractu, sed de illa, quæ habetur ex contractu. Sic in Respublica revera datur justitia commutativa inter Subditum, & Principem ratione onerosi contractûs, quamvis Princeps ex jure alto posset sibi assumere bona subditorum; ex eo enim, quòd jus illud altum non repugnet, ne Princeps contractus ineat cum subditis, etiam non repugnat jus altum, quin sit justitia commutativa, & jus proprietatis in subdito contra principem. Pariter ergo dicendum est de creatura relatè ad Deum, cùm id satis insinuetur in Scriptura ad Timotheum 4. *& reposita est mihi corona justitiæ.* Ad Hebræos 6. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri,* & ad Romanos 4. *Et autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum; & proinde gloria sæpè appellatur*

tur merces, bravium, depositum, & stipendium. Ex quo negari non potest, quin ratione contractus detur in creatura jus proprietatis contra Deum, ac proinde justitia commutativa.

530. Contrà 1. Ideo inter subditum, & principem, ratione contractûs, potest intercedere justitia commutativa, & subditus potest acquirere strictum jus justitiæ circa principem, quia jus altum principis non est jus proprietatis circa bona subditi, sed jus ad accipienda bona subditi pro casu necessitatis in bonum Reipublicæ, quod non impedit, ne extra casum necessitatis Princeps ageret contra jus proprietatis subditi, si promissum ex contractu non adimpleret, & ne tunc sine jure proprietatis assumeret bona subditi ommittendo remunerationem ex contractu debitam; atqui jus altum Dei non solùm est, ut possit Deus pro casu necessitatis in bonum libertatis Reipublicæ sibi assumere creaturarum bona, sed jus illud divinum, tale est ex essentia sua, ut sibi subjaceant omnium creaturarum bona in commodum libertatis Dei, ut singulis instantibus possit Deus ex jure suo ea bona sibi exigere absque ulla læsione juris creaturæ; ergo licèt possit intercedere in subdito jus contra Principem, nequaquam potest intercedere in creatura jus proprietatis contra Deum.

531. Contrà 2. Non potest intercedere justitia commutativa, & jus proprietatis in creatura contra Deum ratione contractûs reddendi hoc præmium pro hoc opere creaturæ, nisi Deus casu, quo per impossibile assumeret sibi opus illud, & non redderet præmium, possit sibi assumere, quod suum non est jure proprietatis; sicut Princeps contrahens cum subdito ex justitia posset sibi assumere, quod suum non est jure proprietatis; atqui DEUS nunquam potest illud opus creaturæ sibi assumere, quin assumat, quod suum est jure proprietatis, quamquàm id possit Princeps relatè ad subditum; ergo licèt inter Principem, & subditum possit intercedere ex contractu justitia commutativa; atque ita dari in subdito jus proprietatis contra Principem, nequaquam potest hæc justitia commutativa intervenire ex contractu inter creaturam, & DEUM; neque dari potest in creatura jus proprietatis contra Deum.

532. Contrà 3. Sicut Deus non potest à se abdicare essentiam divinam, neque ligare divinam omnipotentiam, ne concurrat ad effectum aliquem, quando concurrit creatura; & sicut non potest ligare sanctitatem suam, ne concurrat rectè, & sanctè; ita non potest ligare dominium suum, ne Deus dominium habeat circa actionem aliquam, quam exercet creatura; sunt enim hæc prædicata essentialia Dei, & perfectiones resplendentes in omnibus operationibus ad extra, ex illo Ecclesiæ, *Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus*, quod desumptum est ex 4. Regum 19. 20. Esdræ 9. Isaiæ 37. Danielis 30. ergo chymericum est jus proprietatis, quod habeat creatura in aliquâ actione, circa quam Deus jus proprietatis non habeat, ac proinde est chymerica actio, per quam creatura possit acquirere jus proprietatis circa Deum; vide numerum 614.

Resp. 2. sufficere ad actum rigorosæ justi- 533.
tiæ commutativæ, quòd alteri solvatur, quod ex jure proprietatis illi debetur, sicut sufficit ad actum rigorosæ injustitiæ, si non solvas, quod ex jure proprietatis debes: cúmque creatura debeat Deo ex jure proprietatis actum, quem elicit, eliciendo illum, solvit ex rigorosa justitia commutativa, sicut peccat contra justitiam commutativam, si nolit eum actum elicere, quando Deus ex jure proprietatis illum exigit, & certè creatura, quæ rectè semper operaretur, persolveret Deo totum, quod potest; ideóque nihil aliud posset ab ea exigere Deus, qui non potest exigere aliquid impossibile; unde potest creatura ex rigore justitiæ commutativæ Deo persolvere. Contrà 1. Ad solutionem ex rigorosa justitia commutativa non sufficit, si apponas, quod hìc, & nunc debes; sed ulteriùs requiritur, quod apponendo rem illam extinguas jus proprietatis Domini, ne ex jure suo eandẽ rem aut physicè aut moraliter sumptam iterum exigere possit; sic enim solvens acquirit jus proprietatis contra 53
creditorem, nempe extinctivum, saltem juris creditoris, ideóque homo, qui debet decem, & solvit unum, extinguit jus creditoris ad unum, & jam creditor non retinet jus ad exigendum decem, sed exigendum novem; atqui creatura reddendo Deo, quod ex suo jure proprietatis exigit, non potest extinguere jus proprietatis Dei, ne eandem rem, aut physicè, aut moraliter sumptam iterum ex jure repetat; jus quippe proprietatis divinum, cùm sit infinitum, inabdicabile, & in extinguibile, se extendit ad omnes creaturæ actiones syncategorematicè infinitas, & ad quamcunque illam physicè, aut moraliter sumptam syncategorematicè infinitum exigendam; ergo creatura solvens Deo, quod 534
suo jure proprietatis ab illa exigit, non potest solvere per actum rigorosæ justitiæ commutativæ.

Contrà 2. Actus justitiæ, & injustitiæ com- 534
mutativæ in eo differunt, quòd injustitia, cum sit malignantis naturæ, se extendat ad quamcunque inadæquationem juris proprietatis, & transcendat quamcunque negationem debiti ex jure proprietatis; atque adeò ad eam sufficit, quòd non apponat, quod ex jure proprietatis alterius apponere debet; at justitia, cùm non sit malignantis, sed perfectæ naturæ, non transcendit quamcunque debiti solutionẽ, sed exigit solutionẽ perfectã, & adæquatã juri proprietatis alterius, atque adeò extinctivã juris creditoris; atqui creatura, licèt possit negare,

gare, quod ex jure proprietatis Dei apponere debet, non tamen potest jus proprietatis Dei adæquare, & extinguere, ut constat ex numero sup. ergo licet possit elicere actum injustitiæ commutativæ contra Deum, non tamen potest elicere actum rigorosæ justitiæ commutativæ contra Deum. Contrà 3. Licèt creatura viribus suis peccare possit, & committere injustitiam contra Deum, at non potest viribus suis adæquare, & extinguere jus Dei; ergo licèt possit injustitiam committere contra Deum, tamen non potest debitū solvere per actum commutativæ justitiæ. Contrà 4. Licèt Deus non possit exigere à creatura, ut agat supra id, quod juxta suas vires potest, non id sumitur ex defectu juris in *Deo*, sed ex defectu potestatis in creatura; ita ut si Deus novam potestatem creaturæ conferret, eo ipso teneretur ad operationes suas, & quidem comprehensas sub jure proprietatis Dei essentiali, ad eum modum, quo si debeam Titio centum nummos, neque tamen illos habeam, certè Titius non potest exigere, non quidem ex defectu meæ potestatis; sed exinde apparet, quòd licèt creatura possit committere injustitiam commutativam contra Deum, non tamen potest adæquare jus proprietatis divinum, sive solvere exercendo actum rigorosæ justitiæ commutativæ circa DEUM; ergo &c.

535. Resp. 3. in Deo non solùm dari jus essentiale, & inabdicabile, sed etiam accidentale & abdicabile, ut patet in jure ad indignationē, & punitionem, quod acquirit Deus contra peccatorē propter peccatū, cui cedere potest, & cedit, quandocunque peccatum remittit: unde circa tale jus potest *Deus* contractum inire cum creatura ex rigore justitiæ commutativæ; ac proinde si Deus promittat, & se obliget ad peccatum destruendum, casu, quo creatura perfectam contritionem, V.G. eliciat, si elicita ea contritione perfecta Deus non cederet juri acquisito contra peccatorem propter peccatum, læderet jus proprietatis creaturæ; ac proinde ex tali contractu potest creatura jus proprietatis contra Deum acquirere.

536. Contrà tamen 1. Jus illud, quod accidentale vocatur, non est accidentale, nisi secundùm accidentale extrinsecum malitiæ absque condonatione divina, sive intrinseca, sive extrinseca; carentia enim talis condonationis, cum jure essentiali Dei vocatur jus accidentale, quod exinde deficiet, si auferatur ea carentia per condonationem peccati; atqui creatura per nullum opus, circa quod ipsa habeat proprietatem, & Deus proprietatem non habeat, potest auferre talem carentiam condonationis; ergo chymericum est dicere, quòd creatura possit acquirere jus proprietatis contra *Deum*, ut cedat tali juri accidentali; probatur min. impossibile est, quòd *Deus* non habeat jus proprietatis circa contritionem creaturæ, aut quodcunque aliud opus à creatura elicibile, ac proinde si illud velit admittere, vel exigere, ut suum, vel non recompensare, nequaquam faciet contra jus creaturæ; ergo &c. Contrà 2. Nullum est prædicatum in creatura potens elicere tale opus, quod non respiciat *Deum*, ut Dominum, ac proinde, quòd sit prædicatum excludens rationes essentialis servitutis ad *Deum*, ad eum modum, quo in humanis servus, ut servus respicit alterum, ut dominum; ergo sicut in humanis actiones elicitæ à servo, ut servo non possunt acquirere jus proprietatis contra dominū; ita actiones elicitæ à quacunque creatura non possunt acquirere jus proprietatis contra *Deum*.

Ratio condonativa peccati in DEO 537.
stat in actu voluntatis divinæ, quo *Deus* vult se gerere imposterum cum creatura in ordine ad inimicabilem indignationem sine jure ad illam, ac si creatura non peccâsset, in quo stat formalis remissio peccati, & cessio juris; sed ad obtinendum hunc actum nequit creatura apponere actionem aliquam, quæ non sit sub dominio proprietatis *Dei*, sive per quam possit acquirere jus proprietatis contra *Deum*, ut constat ex sæpè dictis; ergo &c. Hæc est præcipua ratio, ait Vasquez, propter quam unanimis quasi omnium Sanctorum Patrum sensus negat creaturæ facultatem ad acquirendem jus proptietatis contra *Deum*, ex quo maximè roborantur rationes omnes hucusque à nobis adductæ, & stabilitur sententia nostra; sic Bern. Serm. 1. de Annunciatione: *Neque talia sunt hominum merita, ut propterea æterna debeatur ex jure, aut propterea Deus injuriam aliquam facere, nisi eam donaret.* Quid clariùs? Sic etiam Anselm. in Prosologio c. 10. *Justus es, non quia reddis nobis debita, sed quia facis, quod te decet;* & August. Lib. 1. Confess. Cap. 4. *Reddis debita, nulli debens*; & lib. 2. de libero arbitrio c. 16. *Deus nulli debet aliquid; quid ergo ei erogas, ut tanquam debitum poscas?* sic etiam Angelicus *Doctor*, ut constat ex numero 528. & constabit iterum à num. 552.

Resp. 4. Non esse contra jus divinum ob- 538.
ligationem ex justitia commutativa, quàm *Deus* sibi liberè imponit; sicut non est contra jus *Dei* obligatio ex fidelitate, quam sibi sæpè imponit juxta illud Psal. 131. *Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo, & filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam*; Similia habentur Exodi 20. *Deuter.* 29. & alibi sæpè. Contrà 1. Obligatio ex fidelitate in *Deo* non tollit jus ullum divinum, sed solùm est voluntas, qua *Deus* vult se determinare ad unum ex duobus extremis suæ libertatis, quod quidem libertatis extremum nequaquam lædit divinum jus; at obligatio ex justitia commutativa, qua creatura acquireret jus proprietatis contra *Deum*, non solùm obligaret *Deum* ad unum ex extremis suæ libertatis, sed argueret defectum juris pro-

prietatis in *Deo*, sive defectum supremi dominii; sed hoc æquè repugnat, quòd *Deus* non sit *Deus*; ergo etsi *Deus* posset se obligare ex fidelitate, non potest se obligare ex justitia commutativa.

539. Contrà 2. Licèt *Deus* potens producere Petrum, vel non perducere, possit se obligare ex fidelitate ad producendum Petrum, nequaquam potest se obligare ad non concurrendum ad productionem Petri, eò quòd titulus ad concurrendum sit titulus supremi dominii, quo *Deus* se privare non potest; titulus autem producendi Petrum est titulus concurrendi cum supremo dominio ad unum libertatis extremum, nempe ad productionem Petri, & non ad alterum libertatis extremum, nempe ad ommissionem, sed hoc ipsum contingit in nostro casu; ergo &c. Contrà 3. Ex eo, quòd *Deus* promittat producere Petrum, non exinde excluditur Petrus ab essentiali subjectione ad *Deum*; ex eo autem, quòd Petrus acquireret strictum justitiæ jus contra *Deum*, eo ipso eximeretur à supremo *Dei* dominio; siquidem deficeret *Deo* titulus dominii, ratione cujus haberet jus in actione Petri; ergo licèt se possit obligare ex fidelitate, nequaquam potest se obligare creaturæ ex justitia commutativa. Reliqua, quæ hic adjungi possent, constabunt ex solutione argumentorum.

SECTIO II.

Solvuntur Oppositæ.

540. OBjicies 1. ex Paulo ad Romanos 4. *Ei autem, qui operatur, merces non reputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*, & 2. ad Tim. ultimo; *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*; sed exinde arguitur creaturam præcedente pacto inter ipsam, & *Deum* per merita sua acquirere contra *Deum* jus proprietatis ad præmium; ergo &c. Confirm. Ista testimonia Scripturæ intelligenda sunt, ut sonant, si nullum sit inconveniens in doctrina Fidei, aut morum, juxta Augustini Regulam; sed nullum est inconveniens in casu nostro, quòd in illis Scripturæ testimoniis justitia sumatur rigorosè pro commutativa; ergo &c.

541. Resp. conc. maj. & nego min. quia ex illis testimoniis solùm infertur, *Deum* remunerare ex justitia; nullibi autem dicitur, quod ea justitia sit commutativa, qua nempe creatura acquirat jus proprietatis contra *Deum*; quin potiùs justitia in Sacra Scriptura aliquando sumitur pro justitia universali se extendente ad quamcunque virtutem, ut dixi numero 1. aliquando pro commutativa, aliquando pro distributiva, & legali, seu providentiali: unde ex eo, quòd vocetur justitia, malè infertur, quòd debeat esse rigorosa commutativa, quandoquidem ex genere ad speciem argumentum nullius momenti est; sic argumentum istud est nullum; hoc ens est animal; ergo est homo, quòd sit à genere ad speciem; sic Matthæi 5. dicitur: *Nisi abundaverit justitia vestra, & rursus beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam*; quibus in locis justitia sumitur generaliter pro quacumq; virtute, ut patet ex textu, & docent omnes Expositores: unde sicut ex illis textibus malè infertur, quòd Christus tantùm loquebatur de justitia commutativa; ita etiam ex testimoniis adductis ab Adversariis perperàm infertur, quòd loquatur Scriptura de justitia commutativa, præsertim cùm non possit Scriptura exponi in sensu contradictionem involvente, ut statim dicemus.

Ad Confirmationem conc. majorem, & nego minorem, quia inconveniens est, & quidem maximum, quòd *Deus* non sit *Deus*, nec supremus *Dominus*; si autem creatura acquireret jus proprietatis contra *Deum*, *Deus* non esset *Deus*, nec supremus *Dominus*, ut satis constat ex dictis; unde ea testimonia nequaquam intelligi debent de justitia commutativa; quare intelliguntur de justitia generaliter sumpta, de qua sæpè loquitur Scriptura; & cùm hæc justitia circa remunerationem præmiorum assimuletur secundùm aliquam proportionem inter præmium, & meritum justitiæ commutativæ, dicitur & justitia generalis, & commutativa, non quidem propriè, sed impropriè dicta, ut constat ex *D.* Thom. cit. num. 528. quod etiam habet in 4. dist. 46. q. 1. art. 1. quæstiuncula in corpore, & ad 4. ubi ait; ad quartum dicendum, quòd inter *Dominum*, & servum non potest esse justitia commutativa propriè dicta; non enim potest aliqua æqualitas secundùm quantitatem inter eos constitui, cùm totum, quod est servi, sit *Domini*; servatur tamen aliquis modus justitiæ commutativæ, prout inter eos invenitur æqualitas proportionis; unde etiam Philosophus in lib. Ethic. c. 6. distinguit dominativum jus, à justo politico, quod est propriè dictum, & per hunc etiam modum potest etiam esse justitia *Dei* ad creaturam. 542.

Objicies 2. Creatura habet verum dominium libertatis ad eliciendos, vel non eliciendos suos actus; ergo potest *Deus* inire contractum ex justitia commutativa cum creatura ad dandum illi hoc præmium, si eliciat liberè hunc actum, quem poterat non elicere. Confirmatur. Inter creaturam & *Deum* potest dari rigorosa injustitia commutativa, ut patet, quotiescunque creatura peccat; ergo potest etiam dari rigorosa justitia. Respondeo dist. ant. habet verum dominium libertatis exemptum ab essentiali servitute erga *Deum*, nego, essentialiter subjectum dominio proprietatis *Dei*, concedo ant. & nego conseq. quia ex eo, quòd dominium creatum libertatis sit essentialiter subjectũ dominio proprietatis *Dei*, quidquid creatura per dominium illud acquirit *Domino* acquirit; sicut servus, ut servus, eo 543.

quòd

quòd ſit ſub dominio proprietatis Domini, quidquid per ſuam libertatem acquirit, Domino acquirit. Ad Confirmationem. conc. ant. & nego conſeq. quia ut creatura committat rigoroſam injuſtitiam contra *Deum*, ſatis eſt, quòd non ponat id, ad quod obligatur ex jure proprietatis *Dei*, cùm autem ita faciat, quando peccat, exinde committit rigoroſam injuſtitiam contra Deum; at, ut *Deus* obligetur ex juſtitia commutativa creaturæ, requireretur, quòd maneret ſub *jure* proprietatis circa rem illam, penes quam dominium proprietatis reſideret in creatura, quod omnino repugnat, utpote oppoſitum eſſentiali, & inabdicabili dominio *Dei*, ut conſtat à numero 532.

541. 544. Objicies 3. Ex eo, quòd in creatis Dominus poſſit cedere *juri* acquiſito contra ſervum, poteſt ſervus acquirere ſtrictum *juſtitiæ jus* contra Dominum: ergo ex eo, quòd Deus poſſit cedere *juri* acquiſito propter peccatum contra peccatorem, poterit peccator acquirere ſtrictum *juſtitiæ jus* contra Deum. Reſp. diſt. ant. ex eo, quòd poſſit cedere, utcunque, nego, ex eo, quod poſſit cedere, & ſervus maneat capax ad habendum *jus* proprietatis circa aliqua bona, circa quæ non habeat *jus* proprietatis ille, qui erat Dominus. conc. ant. & nego conſeq. Ratio *hujus*, & quidem à priori eſt, quia in creatis omnia *jura* proprietatis, ut ſæpè dixi, ſunt accidentalia creaturis, ac proinde, qui eſt modo ſervus, poteſt poſtea fieri Dominus, & ille, qui eſt Dominus, poteſt poſtea fieri ſervus; tum etiam ille, qui eſt Dominus *hujus* rei, non exinde eſt Dominus aliarum plurium rerum; unde qui erat ſervus, & modo manet capax dominii, poteſt acquirere jus proprietatis circa illas res, circa quas Dominus non habet jus proprietatis; proindeque circa illas poteſt contrahere ex rigoroſa juſtitia commutativa cum domino, & acquirere ex contractu jus proprietatis contra Dominum; at in Deo jus proprietatis circa omnia creata non eſt actuale, ſed eſſentiale, 543. nec poteſt illud à ſe abdicare; unde quando cedit juri acquiſito contra peccatorem propter peccatum, non abdicat à ſe jus illud eſſentiale, ſed deſtruit per actum ſuæ voluntatis moralem perſeverantiam peccati, cum qua jus illud eſſentiale conſtituebat *jus*, quod vocatur accidentale, ut diximus num. 535.

545. Objicies 4. De potentia abſoluta poſſunt duo Domini habere dominium inſolidum circa eandem rem; ergo etiam poſſunt circa eandem rem habere dominium inſolidum, & Deus, & creatura, ac proinde de potentia abſoluta poteſt Deus contrahere cum creatura, & iſta poterit acquirere ſtrictum *jus* proprietatis contra Deum. Confirmatur 1. Nullum eſt abſurdum in eo, quòd Deus amittat plenum, & abſolutum dominium in creaturas, quando deſtruitur creatura exiſtens; ergo neque erit abſurdum, quòd creatura poſſit acquirere ſtrictum *jus* proprietatis contra Deum. 2. Deus poteſt obligare ſe creaturæ ex fidelitate; ergo etiam ex *juſtitia* commutativa.

Reſp. diſt. ant. circa eandem rem realiter, & virtualiter eandem, nego: circa eandem rem realiter, & duplicem virtualiter ſubdiſtinguo: ſi ſint Domini purè creati, conc. ſi non ſint purè creati, nego ant. & conſeq. Ratio eſt, quia, ſi ſint Domini creati, non requiritur ad plenum illorum dominium, niſi, quòd unusquisque habeat ſubjectam rem illam in comodum ſuæ libertatis ad percipiendum ex illa utilitatem, quam ex natura rei poteſt percipere; cùm ergo caſu, quo illa res divinitùs eſſet bilocata, atque ita proinde virtualiter multiplex, ut unusquiſque percipere poſſet totam eam utilitatem, quàm ex natura rei ex illa perciperet, ſi non eſſet bilocata, nec ſub dominio alterius, ſub alia præſentia loci, exinde non repugnat divinitùs hoc duplex dominium creatum; at dominium non ſolùm ſibi ſubjicit rem ſub una, ſed ſub quacunque præſentia, ita ut res non poſſit divinitùs eximi à ſervitute, & dominio Dei ſub ulla reali excogitabili præſentia; ideoque non manet locus, ut creatura acquirat contra Deum *jus* ullum proprietatis circa rem aliquam ſub quacunque præſentia locata. 546.

Ad Confirmationem nego ſuppoſitum ant. Deus etenim deſtruendo creaturam non amittit *jus* ſuum eſſentiale, ſed potiùs illud exercet; ſiquidem ex *jure* eſſentiali eſt potens creaturam conſervare, & deſtruere, eamque liberè reproducere, vel non reproducere: unde per nullum ex his exercitiis amittitur, ſed potiùs exercetur eſſentiale dominium Dei. Amittitur ergo ſolùm denominatio illa accidentalis, quæ eſt extra eſſentiam dominii eſſentialis, ut ſæpè dixi. Ad 2. Confirmationem conc. ant. & nego conſeq. quia obligatio ex fidelitate eſt tantùm obligatio ad aliquod exercitium dominii Dei; non autem eſt dominii ablatio, vel abdicatio, cùm evidens ſit, quòd dominium non abdicatur, dum exercetur; at verò ad obligationem ex *juſtitia* commutativa requirebatur abdicatio dominii, ut conſtat ex dictis. 547.

Objicies 5. Chriſtus Dominus acquiſivit ſtrictum jus juſtitiæ commutativæ contra Deum; ſatisfecit enim pro peccatis Mundi ex juſtitia rigoroſa commutativa; ergo & creatura poteſt acquirere ſtrictum jus proprietaris contra DEUM. Confirmatur. Licèt non poſſint reperiri in Deo plures perfectiones, ea ratione, qua reperiuntur in creatura, nempe mixtæ imperfectionib⁹: attamen illæ perfectiones depuratæ ab omni imperfectione reverà reperiuntur in DEO, ut diximus à num. 200. de *Deo*, ergo licèt juſtitia commutativa inter creaturam, & *Deum*, non poſſit reperiri cum imperfectionibus, quas juſtitia commutativa habet in creaturis, poterit tamen reperiri in *Deo* depurata ab omni imperfectione, ac proinde 548.

poterit

poterit Deus inire pactum ex stricta justitia commutativa depurata ab omni imperfectione. Resp. neg. ant. de quo latè agemus in Tractatu de Incarnatione. Christus enim non potuit satisfacere DEO, nisi per obsequia meritoria, eliciendo nempe operationes creatas, cúmque illæ operationes creatæ non possint eximi à dominio proprietatis Dei; exinde non potuit Christus Dominus cum illis operationibus satisfacere ex rigore justitiæ commutativæ contra Deum; quare satisfecit ex rigore justiiiæ latæ, sive universalis, & proportione ad commutativam justitiam, quantùm attinet ad æqualitatem inter satisfactionem, & peccatum, imò & superabundanter, cùm multò majus sit pretium satisfactionis Christi Domini, quàm demeritum peccati, ut suò locò dicemus.

549. Ad Confirmationem dist. ant. possunt reperiri in Deo illæ perfectiones, si defæcatæ ab omnibus imperfectionibus retineant naturam perfectionis, quam importat res significata per nomen, conc. si non retineant naturam perfectionis, quam importat res significata per nomen, neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia aliquæ perfectiones sunt, quæ ablatis omnib⁹ imperfectionibus, non possunt conservare naturam perfectionis, quam importat res significata per illud nomen, sive per genus, sub quo perfectiones illæ continentur secundùm substantialem perfectionem suæ lineæ: sic obsequium Deo factum perfectio est in creatura; tale enim est, ut ablatis omnibus imperfectionibus non possit retinere rationem in sua linea requisitam ad rationem generalem obsequii, sive ad naturam perfectionis, quam importat res significata per illud nomen: obsequium enim generaliter sumptum dari non potest, nisi versùs Superiorem, in quo continetur mixtura imperfectionis, ac proinde nullo modo dici potest, quòd perfectio obsequii detur in Deo depurata ab omni imperfectione sufficiens ad constituendum verum obsequium: esset enim perindè, ac dicere, quòd detur res deficiente essentia rei. Aliæ autem sunt virtutes, quæ depuratæ ab omni imperfectione revera conservant rationem requisitam ad subjectum talis virtutis, sive ad naturam perfectionis, quam importat res significata per illud nomen; sic ad substantiam scientiæ satis est cognitio certa, & evidens de objecto, quæ licèt in creatura habeatur per imperfectionem discursûs, transeundo ex notis ad ignota; at in Deo habetur depurata ab omni imperfectione, ideóque dicitur, quòd in Deo detur reverâ scientia. Obligatio autem justitiæ commutativæ non imitatur genus illarum virtutum, quæ depurari possunt, sed aliarum, quandoquidem non potest reperiri obligatio justitiæ commutativæ, nisi in subjecto carente jure proprietatis circa rem, ad quam ex justitia commutativa obligatur; cùm autem carentia juris proprietatis sit imperfectio, exinde ea obligatio non minùs, quàm obsequium est impotens reperiri depurata ab omni imperfectione.

Objicies 6. Servitus essentialis creaturæ ad 550.
Deum non impedit exaltationem creaturæ ad amicitiam, & filiationem Dei; ergo neque impediet contractum ex justitia commutativa inter creaturam, & Deum. Confirmatur 1. de Fide est cum servitute Dei stare meritum, etiam ob opera, quæ Deus à nobis, tanquam Dominus exigit, licèt in creatis non reperiatur tale meritum inter servum, ut talem, & inter Dominum: unde Divus Thomas in 4. dist. 15. art. 1. ad 2. ait; *Non est simile de servo hominis, & Dei, quia totum, quod habet servus hominis, tta est Domini, quod non sit servi. Quod autem habet servus Dei, ita est Domini, quod etiam servi propter arbitrii libertatem sibi datam*; ergo licèt in creatis servus, ut servus non possit acquirere jus proprietatis contra Dominũ, nihilominus creatura poterit acquirere jus proprietatis contra Deum. Confirmatur 2. Ideo servus, ut talis non potest acquirere jus proprietatis in creatis contra Dominum, quia ex reputatione, & dispositione legum censetur pars Domini, & eadem moraliter persona in favorabilib⁹ cum eo; eundem servum Artistoteles vocat *animatum instrumentum*: idemque affirmat de filio respectu Patris; atqui hoc non reperitur in servitute respectu Dei; siquidem ista servitus non fit per reputationem moralem, & fictionem legum, quæ jura servitutis statuit pro libito: quaque una censeamur moraliter persona cum Deo; sed fit hæc servitus per realem dependentiam naturæ nostræ à Deo; ergo hæc servitus non impedit, ne creatura acquirat jus proprietatis contra Deum.

Resp. conc. ant. & nego conseq. Ratio est, 551.
quia servitus essentialis creaturæ ad Deum non est depressio creaturæ ad inferiorẽ statum infra illum, quem naturaliter habere poterat: neque est exaltatio Dei ad altiorem statum supra illum, quem natura divina essentialiter exigit: hæc enim depressio & exaltatio ad alterum statum est propria accidentalis servitutis, & dominii creati supervenientis creaturæ ad illam perficiendam, & extollendam, vel ad illam humiliandam, & deprimendam. Unde servitus unius creaturæ ad alteram præfert eam depressionem respectu servi, quam leges de servitute totali accidentali depressione præscribunt: ideoque deficiente ea legitima depressione, deficit etiam illa servitus, cùm autem leges de servitute, ut habetur §. ultimo institutis *de adoptionibus*, decernant eam depressionem tolli per filiationem adoptivam, qua ille, qui erat servus, adoptatur in filium à Domino; exinde servitus unius creaturæ ad alteram stare non potest defacto cum illa filiatione adoptiva, & amore paterno: at servitus creaturæ relatè ad Deum, cùm non sit accidentalis, sed essentialis, non impedit ne

ne Deus, ut ſupremus Dominus exaltet, ſi velit illam creaturam, quantùm exaltabilis eſt, conſervando prædicata creata, ac proinde eſſentialem ſervitutem, ac retinendo prædicata divina, ac proinde eſſentiale dominium; cùm autem creatura, ut docet ipſa Fides, ex qua agnovimus hanc adoptivam filiationem, non amittat rationem creaturæ, ex eo, quòd adoptetur à Deo in filiam, & admittatur ad amicitiam; exinde ea amicitia & adoptio non repugnat eſſentiali creaturæ ſervituti, & eſſentiali dominio Dei.

550. Ex quo etiam ulteriùs roboratur doctrina noſtra; nam cùm Deus amitteret rationem dominii, ſi amitteret jus proprietatis circa ipſam creaturam, & circa rem ullam creatam, vel ſi creatura acquireret jus proprietatis contra Deum; exinde, licèt non repugnet ſervituti creaturæ, quòd elevetur ad amicitiam, & filiationem adoptivam Dei, repugnat tamen, quod elevetur ad acquirendum jus proprietatis contra Deum. Quòd autem urgere etiam poſſumus contra Adverſarios de ſumpto fundamento à legibus humanis præſcribentibus ſervitutem: etenim juxta leges ſervitutis partus ſequitur ventrem, ac proinde & depreſſionem requiſitam ad ſervitutem; unde filiatio naturalis, quæ ex præſcripto legis non impedit iſtam depreſſionem, ſtat etiam defacto cum hac ſervitute: quare ipſi filii naturales ex propria ſerva, ſive ancilla ſuſcepti, non ſiunt jure ipſi liberi, ſed poſſunt manere, & defacto manent ſervi, niſi Pater eis expreſsè, aut tacitè libertatem donaverit; ſic Humanitas Chriſti eſt ſerva Dei, licèt hypoſtaticè unita cum Deo, eo quòd ea unio hypoſtatica non tollat, quòd humanitas ſit creatura, ac proinde, quod maneat ſub dominio proprietatis Dei; exinde

551. Ad 1. Confirmationem diſtinguo antec. in creatis non reperitur tale meritum cum eodem reſpectu, quo reperitur erga Deum, concedo, cum diverſo reſpectu, nego antec. & conſeq. Ratio eſt, quia licèt ſervus, ut ſervus non poſſit mereri ex rigore juſtitiæ commutativæ, neque contra Deum, neque contra Dominum creatum; at poteſt mereri erga Deum ex fidelitate ratione pacti, quo Deus promittit dare præmium æquale operibus, ratione cujus æqualitatis inter datum, & acceptum datur illa obligatio imitatrix juſtitiæ commutativæ, ſive juſtitia lata, & univerſalis, ut diximus num. 547. At hoc modo etiam poteſt mereri ſervus relatè ad Dominum creatum, ſi Dominus faciat pactum dandi præmium æquale operibus ſervi; nihilominus eſt hoc grande diſcrimen, quòd Deus nempe nullam poteſt acquirere ſibi utilitatem ſaltem intrinſecam ex operibus noſtris, ideoque non contemplatur noſtram libertatem in utilitatem ſuam, ſed in utilitatem noſtram; at Dominus creatus acquirit ſibi intrinſecam utilitatem, qua melius ſe habeat ex operibus ſervi in utilitatem ſui, ſive in utilitatem Domini. Atque hoc unum eſt, quod docet *D.* Thomas loco adducto ab Adverſariis, nullibi autè dicit, quòd & creatura erga Deum, vel ſervus, ut talis erga Dominum creatum mereatur ex rigoroſa juſtitia commutativa; oppoſitum quidem docet expreſsè loco citato num. 582. & 541. tum etiam 2. 2. q. 57. art. 4. ad 1. ſi quis enim ſibi det, quod ſibi debetur, non propriè vocatur hoc juſtum, & quia, quod eſt Filii, eſt Patris; & quod eſt ſervi, eſt Domini; ideo non eſt propriè juſtitia Patris ad filium, vel Domini ad ſervum. Quod etiam repetit q. 78. a. 7. ad 3. & 3. p. q. 85. art. 3. ad 2.

Ad 2. Confirmationem diſt. maj. quia ex 554.
diſpoſitione legum cenſetur pars Domini, & & dominium illud eſt accidentale habitum ex ea legum diſpoſitione, concedo, & dominium non eſt accidentale, nego major. & conceſſa min. nego conſeq. Quia cùm creatura relatè ad Deum non habeat ſervitutem ex illa accidentali legum diſpoſitione, ſed ex ipſa eſſentia ſua, multò minùs acquirere poteſt jus proprietatis contra Deum, quàm ſervus contra Dominum creatum; unde ſi ea accidentalis legum diſpoſitio, quæ impedit, quòd ſervus extinguat jus proprietatis Domini, reddit impotentem ſervum, ut talem, ad acquirendum jus proprietatis contra Dominũ creatum; eſſentialis ſervitus creaturæ reſpectu Dei, quæ metaphyſicè impedit, ne creatura extinguat jus proprietatis Dei, reddet illam multò magis impotentem acquirere jus proprietatis contra Deum: unde jure merito Divus Bernardus citatus num. 536. dixit, neque talia ſunt hominum merita, ut propterea vita æterna debebatur ex jure, aut propterea Deum injuriam aliquam facere, niſi eam donârit, quamvis enim merita ſupernaturalia intrinſecam habeant conducentiam ad vitam æternam, non minùs quàm opera naturalia ſervi, & utilia Domino habeant intrinſecam conducentiam ad præmium naturale; at hæc conducentia non eſt, ut præmium detur ex rigoroſa juſtitia commutativa, ſed ex fidelitate, & juſtitia lata, ut ſatis conſtat ex dictis.

Objic. 7. Deus non poteſt exigere pœnam, 555.
niſi præſuppoſito peccato: neque ad ſatisfactionem ex rigoroſa juſtitia commutativa poteſt à creatura exigere, ut agat ſupra id, quod poteſt; cùm non poſſit Deus exigere impoſſibilia; ergo creatura faciendo, quod poteſt, ſasisfacit pro peccato ex rigoroſa juſtitia commutativa. Confirmatur 1. Jus Dei contra peccatorem eſt abdicabile; ergo ſaltem pro hoc jure poterit creatura ſatisfacere ex rigoroſa juſtitia. Confirmatur 2. Non repugnat, quod Deus habeat ligatum jus ſuum proprietatis circa aliquas operationes creaturæ; ergo creatura eliciendo illas operationes poterit acquirere jus proprietatis conrra Deum; ac proinde ſolvere Deo per actum rigoroſæ juſtitiæ commutativæ. Reſp. conceſſo antec. neg.

conseq. quia ex eo, quòd Deus non possit exigere impossibilia, necessariò sequitur, non posse exigere pœnam, nisi præsuppositio peccato, siquidem peccato non præsuppositio est impossibilis pœna, cùm sit satisfactio, aut dolor de peccato commisso, ut ait Trid. sess. 14. c. 4. & omnino repugnat dolor de peccato commisso ex suppositione, quod commissum non sit. Eadem ratione implicat, ut Deus exigat à creatura, ut agat supra id, quod potest; siquidem impossibile est, quòd creatura unquam agat supra id, quod potest; ex quo consequitur Deum non posse exigere à creatura satisfactionem pro peccato ex rigorosa justitia commutativa; unde creatura impotens satisfactionem reddere, licèt non teneretur ampliùs agere, teneretur ampliùs pati, & quidem per totam æternitatem; quandoquidem per totam æternitatem non posset lethalem offensam adæquatè compensare.

556. Ex hoc autem debito creaturæ ad patiendum, legitimè infertur, non provenire ex defectu juris in Deo, quòd non possit exigere à creatura, ut amplius agat, sed ex defectu potentiæ in creatura ad ampliùs agendum; ad eum modum, quo si debeam Petro centum Julios, & ego post omnem curam, & diligentiam mihi possibilem eos habere non possim: idque Petro certò constet, non poterit Petrus à me exigere, ut illos ei conferam, non quidem ex defectu juris sui, sed ex defectu meæ potestatis. Pariter si intulissem injuriam Petro, nec possem illi satisfacere agendo, posset à legitimo judice obtinere, ut deinceps procederem patiendo; ex quo apparet, non esse satis à me adæquatum jus Petri agendo quantùm possum; si ergo jus Petri, quod dimidium est, semper maneret à me incompensatum, licèt agerem, quantùm possem, quantò magis manebit à me incompensatum jus Dei, quod infinitum est, & se extendens ad omnes omnino operationes creaturæ syncategorematicè in infinitum, ita ut Deus jure suo proprietatis possit quamcunque creaturæ operationem exigere, nec illam admittere titulo compensationis, sed jure proprietatis.

557. Ad 1. Confirmationem dist. ant. est abdicabile ex misericordia, fidelitate, aliáve simili virtute, concedo, ex rigore justitiæ commutativæ, nego ant. & conseq. quia, ut sit abdicabile ex misericordia, fidelitate, aliáve simili virtute, satis est, quòd Deus velit cedere acquisito juri supremi dominii, aut ex pura misericordia, aut ex fidelitate, qua promisit cedere posita satisfactione entitativè æquali, qualis est satisfactio Christi Domini, aut posita satisfactione entitativè inæquali, qualis esset creaturæ; at ut cederet ex rigore justitiæ commutativæ, opus erat, ut actio satisfactoria, quæ essentialiter est creata, posset extinguere jus proprietatis superni dominii, atque adeò acquirere jus proprietatis contra supremum Dominum; cùm autem hoc sit prorsus impossibile, ut Deus illi juri cedat ex rigore justitiæ commutativæ ad eum modum, quo in creatis, si Dominus ut Dominus, servo, ut tali dicat, nolo tibi conferre jus ullum proprietatis circa me, sed volo omnes tuas liberas actiones ex meo jure proprietatis; at si ponas opus, & obsequium entitativè æquale æstimationi quatuor Juliorum, dabo tibi duos Julios, ut eos conferas, cui volueris; quo in casu, si servus illud opus, & obsequium apponat, tenebitur Dominus non quidem ex rigore justitiæ commutativæ, sed ex fidelitate recipiente opus, & obsequium servi entitativè superabundans relatè ad duos Julios, conferre illi duos Julios promissos.

558. Hunc planè modum imitatur Christi Domini satisfactio, ut dicemus agentes de Incarnatione; licèt enim Christus secundùm divinitatem æqualis sit Patri, at secundùm humanitatem est inferior, & servus; quo in sensu intelligunt SS. PP. illud Isaiæ 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea*: atque de Christo id intelligi certissimum est, ut habetur Matth. 12. ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Propheram dicentem; *Ecce puer meus, quem elegit dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ*; unde in Symbolo Athanasii de Christo dicitur: *Æqualis Patri secundùm divinitatem; minor Patre secundùm humanitatem*; idcirco operationes humanitatis, quibus Christus Patri pro nobis satisfecit, operationes servi erant; ideóque manebant sub dominio proprietatis Dei, & quidem inabdicabili; unde non poterat ex illis actionibus offerri satisfactio Deo ex rigore justitiæ commutativæ. Cæterùm, quia illæ operationes à divinitate Verbi condignificatæ constituebant obsequium majus in ratione obsequii, quàm sit mala offensa in ratione offensæ: exinde Christi obsequium relatè ad offensam, & malitiam peccati fuit satisfactio entitativè superabundans: quare cùm Deus promiserit peccatum remittere, si offerretur illi ea satisfactio, licèt non potuerit obligari ex rigore justitiæ commutativæ, mansit tamen obligatus ex fidelitate, & quidem non purè gratiosa objectivè, sed respiciente satisfactionè entitativè superabundantem. Verùm de his fusiùs, quando agemus de divini Verbi Incarnatione.

559. Ad 2. Confirmationem dist. ant. non repugnat, quòd Deus habeat ligatum jus suum proprietatis relatè ad usum validum, vel ad tertium terminum exigentiæ suæ essentialis; nego; relatè ad usum extrinsecè illicitum alicujus accidentalis modi dominandi, concedo antec. & nego conseq. Ratio est, quia dominium plenum proprietatis à Superiore tantùm agente, vel consentiente ligari potest quoad usum validum, ut in pupillo, omnibúsque aliis perspicuum est, & patet in voti relaxatione; cùmque Deus Superiorem sibi non habeat,

habeat, exinde dominium divinum ligari nequit quoad uſum validum. Rurſum neque ligari poteſt relatè ad terminum exigentiæ ſuæ eſſentialis; terminus enim eſſentialis exigentiæ, cùm ſit methaphyſicè connexus cum ea exigentia, nequit admittere vinculum, quo eſſentialis illa exigentia maneat, & terminus deficiat; ſic unio, quia exigit eſſentialiter unire extrema, ligari nequaquàm poteſt, ut exiſtat, & extrema non uniat; quare dum jus divinum proprietatis pro caſu, pro quo creaturæ exiſtant, eſſentialiter exigat iis dominari quandoquidem hæc exigentia, ut ſæpè dixi, ſtat in ipſa eſſentia divina, juxta illud 4. Regum 19. *Tu es Dominus Deus ſolus*, & Iſaiæ 37. *Tu es Dominus ſolus*; exinde jus 558. illud divinum ligari non poteſt, ut creaturæ exiſtant, & Deus illis non dominetur; ſicut enim repugnat, quòd creatura exiſtat, & non ſit eſſentialiter ſerva; ita repugnat, quòd exiſtat, & DEUS illi eſſentialiter non dominetur.

560. Hoc enim munus, cùm ſit de eſſentiali exigentia ſupremi juris divini, pro caſu, pro quo creatura, quæ jus exigit, eſt penitùs in auferibile, & inabdicabile, ac proinde methaphyſicè repugnat, ut creatura exiſtat, & ligetur jus Dei, ut Deus illi non dominetur. Sic eò quòd Deus pro caſu, quo creatura producenda ſit, eſſentialiter exigat eam producere; nequaquàm poteſt ligari omnipotentia; ut creatura quandóque producatur, & non producatur à Deo; ſic eò quòd Deus caſu, quo aliquid promittat, eſſentialiter exigat ſe fidelem gerere in promiſſis, nequaquàm ligari poteſt divina fidelitas, ut Deus promittens non ſit fidelis, ſed infidelis; ſic eò quòd Deus, caſu, quo creatura rationalis producatur, & rationabiliter agat, eſſentialiter exigat habere jurisdictionem ſuper illam, nequaquàm ligari poteſt divinum dominium jurisdictionis, ne Deus poſſit circa illam creaturam jurisdictionem exercere: neque poteſt Deus jurisdictionem ſibi ſuam ligare, & creaturæ conferre jurisdictionem contra Deum, qua ex eo titulo jurisdictionis poſſit creatura Deum obligare, ut obediat, idcirco illud Joſue 10. *Obediente DEO*, voci hominis omnes P.P. & Theologi unanimi conſenſu explicant de ſenſu Methaphorico.

561. At circa illa, quæ non quidem eſſentialem exigentiam, ſed uſum duntaxat accidentalem reſpiciunt, quàm optimè poteſt Deus ex promiſſione ſua ſe obligare ad unum uſum accidentalem apponendum, & non ad excludendum alium; quo in caſu redderetur conſequenter, & extrinſicè illicitus ille uſus, qui ex promiſſione divina excludendus foret, & in hoc ſenſu ligaret Deus jus ſuum relatè ad uſum extrinſecè illicitum alicujus accidentalis modi dominandi; atque exinde, niſi ego maximè fallor, ortum habet grandis æquivocatio, confundentium utique uſum accidentalem cum exigentia eſſentiali; quamquàm enim Deus promittens non poſſit eſſe infidelis, ſed eſſentialiter ſit fidelis, at cùm ſit liber ad promittendum Petro 100. & ad negandum ea Paulo, vel ad promittendum ea Petro, & neganda Paulo, poteſt pro ſuo libito ea promittere Petro, & negare Paulo, quo in caſu ex titulo fidelitatis dabit ea Petro, & non Paulo. Pariter licèt Deus non poſſit non eſſe Dominus jurisdictionis reſpectu creaturæ rationaliter agentis; at cùm poſſit liberè jurisdictionem exercere præcipiendo V. G. Petro deambulationem, aut eam prohibendo, poteſt obligare ex ſua libertate ad eam præcipiendam, & non prohibendam, vel è contra; ſic etiam quamvis ſit omnipotens, quia tamen eſt liber ad conſervandum Petrum, vel deſtruendum, poteſt ſe obligare ad conſervationem, vel deſtructionem utcunque voluerit; ita tamen, ut nunquam ſibi liget eſſentialem exigentiam fidelitatis jurisdictionis, aut Omnipotentiæ, ſed tantùm velit iſtum harum perfectionum liberum uſum, & non oppoſitum; pariter poteſt Deus ex titulo eſſentiali ſupremi dominii ſuper omnia creata dare ea dona Petro, & non Paulo quoad ſimplicem uſum facti eorum bonorum relatè ad Deum, & quoad dominium creatum relatè ad creaturas, atque ita promittere Petro, quo in caſu ligabit ſibi Deus facultatem ſuam quoad uſum accidentalem dominii extrinſicè illicitum, non autem ligabit, nec ligare poterit quantùm ad eſſentialem exigentiam dominii, & actualis dominationis ſuper omnia creata.

562. Quamobrem ſi per impoſſibile conciperemus Deum non dare Petro ea bona, quæ promiſit, conciperemus Deum infidelem; quoad infidelitatem enim ſatis eſt, non apponere accidentalem uſum promiſſum; at non exinde conciperemus Deum absque legitimo dominio eorum bonorum, vel transgredientem jura commutativæ juſtitiæ; quia ad injuſtitiam commutativam non ſufficit, negare bona promiſſa, ſed opus eſt, ut neget illa formaliter, ampliet terminos propriæ libertatis, & reſtingat alienos, ut de vovente eleëmoſynam dare pauperi dixi à numero 28. & 284. Cùm autem Deus tunc non ampliaret terminos propriæ libertatis, nec alienos reſtringeret, exinde non transgrederetur jura commutativæ juſtitiæ; ipſa namque eſſentia divina, cùm ſit eſſentiale jus proprietatis ad omnia, & ſingula creata ſe extendens, & jus eſſentiale *Dei* nec ampliari poſſit, nec reſtringi, ea de cauſa ex formali negatione uſus accidentalis dominandi non ampliaret *Deus* terminos propriæ libertatis, nec alienos reſtringeret.

563. Pariter ſi *Deus* promittat Petro deſtruere Paulum, & *Deus* per impoſſibile conciperetur non deſtruens Paulum, ſed illum liberè conſervans, eo ipſo conciperetur infidelis; ſed non exinde conciperetur formaliter non omnipotens; quia omnipotentia ſtat in eſſentiali vir-

virtute divina potente se exercere, non solùm destruendo, sed etiam conservando Paulum. Quare licèt ex infidelitate inferetur arguitivè in DEO defectus dominii, sicut & defectus Deitatis, siquidem infertur, quòd non est Deus ille, qui est infidelis in promissis, & quòd non retineret virtutem essentialem fidelitatis, qui infidelitatis actum eliceret, ac proinde argueretur, quòd non esset omnipotens, nec supremus *D*ominus; at non inferetur formaliter, quòd non esset supremus *D*ominus, cùm id non argueretur ex eo, quòd ampliaret terminos propriæ libertatis, aut alienos restringeret.

564. Atque exinde planè deducitur, non posse Deũ concedere creaturæ jus proprietatis contra se ipsum, sed simplicem usumfacti; inde si Deus creaturæ promitteret non revocare licentiam semel concessam, solùm se obligaret ad id ex fidelitate, non verò ex justitia commutativa; ad eum modum, quo *D*ominus, ut *D*ominus potest servo, ut tali, ex fidelitate promittere non exigere ampliùs ab ipso aliquod opus, quod quidem, ut *D*ominus non potest promittere ex justitia; sic etiam Pontifex volens efficaciter retinere plena proprietatis jura circa bona Minorum, potest se obligare, ex fidelitate ad non revocandam licentiam illis concessam ad simplicem usum facti; at non potest in ea hypothesi se obligare ex justitia, ut latè patet ex dictis.

* * *

DISPUTATIO XI.

DE DOMINIO CREATO PLENO SIMUL PENES DUOS.

565. NOn procedit quæstio de dominio creato penes duos in eadem re ex potentia Dei absoluta, sed tantùm ex natura rei; ratio est, quia, cùm in nostris principiis *D*eus, quàm optimè possit eandem rem bilocare, & decernere, ut nunquam sit absque bilocatione; illa res perinde se haberet quoad dominium creatum, ac si essent duæ res realiter distinctæ; posset enim illa res sub una locatione per legitimam legem subjici potestati Petri directè, & primariò in bonum suæ libertatis, ut pro libito suo posset restringere moraliter libertatem alterius; posset autem sub altera locatione eodem modo subjici potestati Pauli; quo in casu potest etiam *D*eus decernere, ut non minùs duret ea res cum illa bilocatione, ac si cum una sola locatione existeret sub unius tantùm dominio, & quòd non minùs rem conservet sub uno, ac conservaret, si non esset sub altero; in hac enim hypothesi, quæ nullam contradictionem in principiis nostris includit, nulla assignari potest repugnantia, quòd idem ager, eadem domus, idem equus cum tali bilocatione, & talibus circumstantiis posset esse sub duorum dominio; ita ut in eam rem duo haberent simul dominium creatum insolidum; cæterum cùm ea hypothesis contingere non possit ex natura rei; quærimus in præsenti, an penes duos dominium creatum insolidum possit simul componi. Controversia hæc procedit quidem de dominio creato; nam si dominium unum sit divinum, & alterum creatum, nulla est implicantia, cùm dominium creatum ex se non excludat; imò essentialiter supponat dominium Dei circa omnia creata, nec aliter sit dominium, nisi, ut subjectum essentiali dominio DEI.

* * *

SECTIO I.

Exponitur, & resolvitur Controversia.

ANte resolutionem suppono, potestatem 566.
physicam expeditam ad acceptandum dominium, & jus proprietatis circa aliquam rem, non esse dominium formale, aut jus proprietatis in re; nam ut ex ipsis terminis paret, facultas expedita ad aliquid habendum, non est idem, ac res ipsa, quæ haberi potest: qua de causa ea facultas in subjecto capaci, & expedito ad jus proprietatis, & dominium vocari solet à pluribus Theologis, non quidem jus, & dominium formale, sed tantùm fundamentale; unde paritate rationis potestas physica ad abdicandum, seu tollendum in instanti A. dominium, non potest dici dominium formale in instanti A. potiùs, quàm in subjecto capaci ad retinendum dicatur dominium fundamentale. Quamobrem Petrus, qui in instanti A. est Dominus equi, cùm in instanti A. possit illum donare, vendere, & in eodem instanti transferre jus equi in Paulum, dum in instanti B. non consideretur cum carentia voluntatis translativæ juris in eo instanti, non potest dici habere in instanti B. dominium formale, sed tantùm fundamentale.

Quod quidem plurimis exemplis facilè ex- 567.
plicari potest, illud enim, quod indifferens est ad hoc, ut conjungatur cum aliquo, vel cum negatione illius, distinguitur realiter ab illo; dominium autem fundamentale supra expositum, hoc est potestas ad acquirendum, vel retinendum dominium formale in instanti B. potest in eo instanti conjungi cum dominio formali, vel ejus negatione; nam si Petrus

Domi-

Dominus libri donet librum Paulo, Paulus in priori signo ante acceptationem habet potestatem expeditam ad acceprandum, & non acquirendũ per acceptationem dominiũ formale libri; hoc autem jus, si Paulus accepter, conjungitur cum dominio formali libri, si non acceptet, conjungitur cum negatione dominii formalis; unde dominium fundamentale potest conjungi cum dominio formali, vel cum ejus negatione; quod etiam patet in eo, qui emittit professionem Religiosam; nam in eo instanti, in quo per Religiosam professionem renunciat dominio bonorum suorum, in signo priori habet potestatem expeditam ad emittendam professionem, & sic non retinendum dominium in eo instanti; unde si professionem non emittat, ea potestas conjungetur in eo instanti cum retentione dominii formalis; si autem emittat professionem, illa potestas conjungetur in eo instanti cum negatione dominii formalis: unde dominium radicale, vel fundamentale, seu potestas expedita ad retinendum dominium distinguitur realiter, & est separabilis à dominio formali.

568. Quod quidem explicatur hoc altero exemplo; nam aliud est habere potestatem expeditam ad acceptandum Pontificatum, & aliud esse formaliter Pontificem; siquidem ille, qui est electus in Pontificem, antequam accepter 567. Pontificatum, habet potestatem expeditam ad Pontificatum, sed non est formaliter, & actu Pontifex. Quare in instanti, in quo Pontificatum liberè acceptat, habet in signo priori potestatem expeditam ad Pontificatum, quæ potestas expedita, sive jus fundamentale, si accedat acceptatio, conjungetur in eo instanti cum Pontificatu exercitè habito; si verò electus nolit acceptare, conjungetur in eo instanti cum negatione Pontificatûs exercitè habiti: proportionaliter in Pontifice; aliud est potestas expedita ad Pontificatum retinendum, & aliud est Pontificatum formaliter retinere; cùm enim, ut statuitur Cap. *Quoniam aliqui de renunciatione in 6.* Pontifex possit per liberam renunciationem Pontificatum relinquere in eo instanti, in quo Pontifex est liberè expeditus ad renuntiandum, vel non renuntiaudum, pro illo signo priori libertatis habet potestatem expeditam ad Pontificatum retinendum, & ad conjungendam illam cum Pontificatu formali, & in eodem signo libertatis habet etiam potestatem expeditam ad renuntiandum; unde si in eo instanti renuntiat, conjungetur ea potestas cum negatione Pontificatûs 567. formalis.

569. Idem apparet in materia prima in actu primo proximo expedita ad conservationem, vel exclusionem formæ; etenim pro illo signo priori non est verum dicere, quòd detur forma, nec ejus expulsio, quamquàm detur potestas expedita, ut conjungatur cum forma, vel cum exclusione formæ; quod etiam uno verbo conspicitur in libertate ad quodcunque suum exercitium liberum; nam signum prius libertatis est indifferentia ad utrumque; ac proinde nec est signum actûs, neque signum omissionis, sed est signum potestatis ad utrumque. His positis prima sententia docet, non repugnare ex natura rei dominium creatum insolidum circa eandé rem penes duos in eodem instanti. Ita Cardinalis de Lugo disp. 3. de Incarnatione sect. 1. & disp. 3. de justitia, & jure sect. 2. Hurtadus Salmanticensis disp. 12. de Incarnatione s. 5. Arriaga tom. 1. in primam partem disp. 3. sect. 5. & alii pauci, quos sequitur Munietta in Opuscul. de justitia Dei sect. 6. Secunda sententia docet, tale dominium repugnare ex natura rei; ita communiter Theologi, quos sequuntur Reinaldus disp. 83. de Ente supernat. à num. 29. Bernal. disp. 9. de Incarnatione sect. 3. à num. 41. Esparza disp. 49. de justitia, & jure, & Maurus quæst. 166. quod etiam docent omnes Jurisconsulti; hanc sententiam veram censeo. Quare

Assero cum secunda; Dominium creatum 570. plenum, & insolidum circa eandem rem repugnat simul in eodem instanti penes duos. Probatur 1. Ad dominium requiritur legitima potestas directè, & primariò in bonum propriæ libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem alterius, ut constat à num. 179. atqui talis potestas nequit dari ex natura rei insolidum penes duos circa eandem rem in eodem instanti; ergo &c. Probatur min. Eo ipso, quòd Petrus habeat eam legitimam potestatem circa librum suum, potest pro suo libito moraliter restringere libertatem aliorum, ne eo libro utantur, & potest librum illum moraliter pro libito suo destruere absque injuria alterius; atqui si alter habeat dominium insolidum circa eundem librum, non potest Petrus librum illum pro suo arbitrio moraliter destruere absque injuria alterius, ut ex terminis patet; ergo &c. Confirmatur. Ut aliquis possit licitè uti libro in hoc instanti ex jure suo destruendo, alienando, auctoritativè agendo utcunque voluerit, requiritur, quòd liber ille non sit alterius; si enim esset alterius, ea libri destructio non esset licita, sed illicita, cùm esset contra jus alterius; ergo ut aliquis habeat dominium creatum plenum, & perfectum circa librum, requiritur, quòd ex natura rei nullus habeat dominium creatum circa eundem; ac proinde dominium illud penes duos in eodem instanti omnino repugnat.

Probatur 2. destruendo Adversariorum fun- 571. damentum, si in aliquo casu posset componi tale dominium insolidum penes duos maximè in instanti donationis, aut acceptationis, nempe quando Petrus donat librum Paulo, & Paulus acceptat; atqui in eo instanti solus Paulus, qui acceptat, habet dominium formale; Petrus autem, qui donat, non habet nisi radicale, & fundamentale; ergo nullus est assignabilis casus, in quo possit dari tale dominium creatum insolidum penes duos. Probatur min. Petrus

donans librum in eo instanti, dicit implicitè, & postea dicit explicitè, ego abjicio dominium libri, nolo ut sit meus, totum meum jus in te transfero, & à me integrum jus abdico; quæ quidem locutiones, cùm sint practicæ, & veræ, hunc effectum inducunt; ergo in eo instanti non manet dominium formale in Petro donatore. Confirmatur. Cessante causa conservante statim perit effectus; atqui dominium formale conservatur in Domino per carentiam voluntatis abdicantis, destruentis, vel transferentis in alterum tale dominium; ergo in eo instanti, in quo excluditur illa carentia ab aliquo subjecto, eo ipso ab illo excluditur dominium formale; atqui in instanti ipso donationis, & translationis dominii cessat illa carentia; ergo in illo instanti non remanet in Petro donatore dominium formale.

572. Probatur 3. Si Deus alligaret dominium libri lapidi, ita nempe, ut qui haberet lapidem, haberet eo ipso dominium libri, & non alter, & daret mihi potestatem transferendi lapidem ad alterum in instanti, in quo transferrem lapidem ad te, esset dominium in te, & non in me, ac proinde bene intelligitur, quomodo ego tunc liberè donarem librum cum potestate non donandi, quia tamen pro eo instanti essem Dominus, eò quòd in eo instanti non possem sine injuria donatarii, qui librum acceptavit, illum destruere, vel retinere, auctoritativè eo uti quomodocunque voluero; ergo ex potestate non donandi, quam habet donator, non bene infertur, quòd remaneat in donatore dominium formale pro instanti physico donationis, sed solùm potest inferri, quòd maneat duntaxat penes donatarium. Confirmatur. Si ea potestas retinendi dominium, quando dono, sufficit, ut sit apud me dominium formale, sequitur, quòd in instanti, quo aliquis donat, & alter non acceptat, potens tamen pro libito acceptare, iste alter esset Dominus rei; siquidem quamvis non acceptet rem, ut suam, habet tamen facultatem acceptandi rem, ejusque dominium; atqui is, qui non acceptat, non habet in eo instanti dominium formale, quamvis habeat potestatem illam proximam acceptandi, sive dominium fundamentale, & radicale; ergo eodem modo ille, qui donat, non habet in eodem instanti dominium formale, quamvis habeat illam potestatem ad non donandum, sive dominium fundamentale.

573. Probatur 4. Quamdiu res est sub dominio alicujus, est illi obstricta in commodum suæ libertatis vi legis conferentis dominium; ita ut debeat sequi res illa Dominum, & possideri ab illo, cui ita obstricta est; atqui in instanti donationis liber non est obstrictus donatori, sed donatario, cùm possessio illius debeatur soli donatario; ergo non potest esse dominium insolidum penes duos, sed tantùm penes donatarium. Confirmatur 1. Translatio dominii, utpote destructiva dominii in donatore, non est actus dominii, cùm nullus actus destruat potentiam, cujus est actus; ergo vi donationis non potest manere ex natura rei dominium penes donatorem, ac proinde solùm potest manere penes unum, nempe donatarium. Confirmatur 2. ex absurdis, quæ ex contraria sententia sequuntur: primum est, quòd si rem, quam unus donat alteri, in hoc instanti alius tertius furaretur, teneretur tantundem utrique restituere in solidum; siquidem res est in solidum utriusque. Secundum in instanti, quo Petrus v. g. dat servo libertatem, adhuc esset Dominus, cùm tamen alter jam non sit servus, sed liber; siquidem tunc accipit libertatem; tertium, quòd si aliquis donat pecuniam, adhuc est Dominus pecuniæ, quâ donat in hoc instanti, donatari? aliunde debens donatori tantundem cùm sit etiam Dominus pecuniæ, tunc acceptare posset, & illam solvere ex justitia pro illo alio debito, & tamen solveret ex bonis creditoris, siquidem pecunia adhuc in eo instanti esset donantis, qui est creditor, & cui donatarius debet ex justitia; sed hæc absurda admitti non possunt; ergo &c. 574

Probatur 5. Si posset ex natura rei componi dominium insolidum circa eandem rem penes duos in eodem instanti, posset etiam componi per longum tempus; illa enim, quæ ex natura rei sui simultatem non excludunt, non est, cur non possint esse simul pro sequenti instanti, & sic de aliis; atqui tale dominium penes duos circa eandem rem non potest componi ex natura rei per longum tempus; ergo neque componi potest pro eodem instanti. Probatur minor; quia si per longum tempus componi posset, reverâ daretur bellum ex utraque parte justum, & totus Mundus plenus esset litigiis, nec posset justa sententia ferri; non enim posset eadem res cum dominio insolidum duobus adjudicari, unde uterque litigans censeretur læsus, & occultam compensationem justè quæreret, & unus contra alium justè ageret, quæ certè absurda sunt: ergo &c.

Confirm. 1. ex L. *sicut certo modo*, §. 15. *si duobus*, ff. *commodati*: si duobus vehiculum commodatum sit, vel locatum simul, Celsus Filius scripsit lib. 6. ff. *quæri posse, utrum unusquisque eorum insolidum, an pro parte teneatur*, & ait, duorum quidem insolidum dominium, vel possessionem esse non posse, ex quo modo statuendi colligitur, non negari dominium insolidum, eò quòd à lege non conferatur; sed quia conferri non potest; ergo re ipsa repugnat. Confirmatur. 2. Si posset ex natura rei simul dari dominium insolidum circa eandem rem penes duos, posset unus ex illis utpote plenè Dominus rei, illam vendere alteri; sed hoc omnino repugnat; siquidem nemo potest contra utilitatem alterius plenè Domini rem pro libito suo vendere, ut ipsum rationis lumen ostendit; & constat ex L. L. *stellionatu*, damnantibus vendentem uni emptori rem alteri obligatam, ff. *de crimine stellionatus*; insu-

insuper posset unus ex duobus Dominis rem alteri Domino vendere, ac proinde iste posset emere rem suam, quod est contra jus, ut dixi ex Jure Civili num. 459. & etiam statuitur L. *nemo rem suam*, ff. *de verborum significat.* & latè videri potest apud Molinam disp. 329. ergo &c.

576. Probatur 6. Implicat in terminis, quòd existat formalis ratio donandi alteri, quin actualiter donetur res, ad quam actualiter ratio formalis terminatur; sicut in terminis implicat, quòd existat actualiter ratio formalis producendi terminum, & quòd terminus non producatur, vel quòd actualiter existat unio, quin in eodem signo extrema uniantur, eò quòd actio sit ratio formalis producendi, & unio sit ratio formalis uniendi; atqui donatio actualis est ratio formalis donandi actualiter, siquidem inexcogitabilis est alia ratio formalis donandi actualiter, nisi ipsa actualis donatio; sicut inexcogitabilis est alia ratio formalis agendi actualiter, nisi ipsa actualis actio, aut alia ratio formalis uniendi, nisi ipsa actualis unio; ergo in ipso donationis instanti, in quo Petrus plenè donat rem Paulo, res illa est plenè donata Paulo, ac proinde dominium plenum illius rei manet penes Paulum donatarium, & deficit penes Petrum donantem.

577. Confirmatur exemplis apud omnes certissimis; primò quidem ex eo, quòd matrimonii contractus ultrò, citróque obliget ex justitia utrumq; conjugê, repugnat omnino, quòd in eo instanti, in quo perficitur matrimonii contractus, non acquirat uterque conjux in alterius corpore dominium, & verificentur illæ propositiones ab Apostolo traditæ 1. ad Corinthios 7. *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*, & proinde in ipso instanti contracti matrimonii dominium viri est penes uxorem, & dominium uxoris est penes virum, ita ut si alter conjux moreretur in instanti sequenti, esset jam inductum impedimentum dirimens; ne conjux superstes posset inire matrimonium cum consanguineis mortui usque ad quartum gradum; tum etiam, si in instanti validi contractus matrimonii alter conjux desideraret turpiter non conjugem, esset quidem tale desiderium in specie adulterii.

578. Secundò id ipsum patet in pœnitente, qui etiâ in ipso Absolutionis instanti est verè Sacramentaliter absolutus, & gratiam recipit, ita ut si in instanti sequenti moreretur, obtineret salutem æternam. Tertiò id ipsum patet in baptizato, vel Ordinato, siquidem in ipso instanti, in quo datur Baptismus Petro, & Petrus manet baptizatus, & in eo instanti, in quo datur Petro Sacerdotalis Ordo, manet Sacerdos, ita ut si in instanti immediatè sequenti moreretur, esset verum dicere, mortuus est baptizatus, mortuus est Sacerdos; ergo etiam in eo ipso instanti, in quo fit plena donatio, manet res plenè donata, ac proinde nullum dominium formale illius manet in eo instanti apud donatorem, sed totum residet penes donatarium. Hæc omnia clariùs intelligentur expendendô, & rejiciendô responsiones plurimas, quas Adversarii hucusque excogitârunt. Pro quo sit

SECTIO II.

Proponuntur, & rejiciuntur Adversariorum Responsiones.

579. RESpond. 1. in ipso donationis instanti donatarium esse plenè Dominum, sed non solitarium, cùm ipse donans retineat etiam in eo instanti plenum rei dominium; ad eum modum, quo juxta nos in eo instanti componitur simul in donatore, & donatario dominium fundamentale, quatenus donans habet potestatem expeditam ad donandum, & donatarius habet etiam potestatem expeditam ad acquirendum; unde si non repugnat eodem instanti dominium fundamentale circa eandem rem penes duos, non est, cur repugnet ex natura rei dominium plenum formale.

580. Contrà 1. Dominium fundamentale in donatore respicit suum peculiarem terminum, qui plenè manet sub illius potestate, & non sub potestate donatarii, & dominium fundamentale donatarii respicit etiam suum peculiarem terminum, qui plenè manet sub illius potestate, & non sub potestate donantis: etenim dominium fundamentale in donante respicit ablationem dominii, ad quam non donatarius, sed donans ipse est immediatè liber, & dominium fundamentale in donatario respicit acceptationem dominii, ad quam non est immediatè liber donans, sed ipse donatarius; unde unusquisque ex illis potest pro libito suo ex natura rei sine injuria alterius se exercere circa terminum sui dominii fundamentalis, ita ut donans sit plenè potens offerre, & non offerre alteri dominium, & oblatô dominiô donatarius sit plenè potens ex natura rei acceptare, vel non acceptare; loquitur enim, quando in donatario requiritur acceptatio ad acquirendum formale dominium, quia totum Adversariorum fundamentum hanc unam hypothesin respicit; nam si acceptatio non requiratur, nulla manet difficultas, cùm donatarius verè passivè se habeat, & tota libertas resideat tunc penes donantem solum, in quo excogitabilis est repugnantia ex natura rei; atqui ex natura rei componi non potest facultas duplicis creati dominii pleni in duobus, quandoquidem terminus formalissimus dominii pleni non esset diversus, sed idem respectu utriusque, & unusquisque pro suo libito plenè possit de eo disponere, ut ex ipsa definitione dominii formalis pleni constat à nu. 345.

ergo

ergo ex dominio fundamentali ad formale nulla est paritatis ratio.

581. Contrà 2. & præoccupatur altera Adversariorum occasio, quam desumunt ex libertate dominii fundamentalis in hypothesi, de qua loquuntur; nam dominium fundamentale, de quo loquimur, in donante est libertas expedita ad donandum, quæ non constituitur per alterius acceptationem, sed præsupponitur ad illam prioritate naturæ; dominium verò fundamentale in donatario ad acceptandum est potestas expedita ad acceptationem, quæ non excludit, neque præscindit ab oblatione, sed constituitur per oblationem dominii, & est naturâ posterior respectu talis oblationis: unde cùm libertas expedita ad oblationem dominii possit ex natura rei conjungi tum cum carentia oblationis, tum cum ipsa oblatione, exinde potest ex natura rei componi tum cum eo, quòd alter habeat libertatem expeditam ad acceptandum, tum cum eo, quòd talè expeditam libertatem non habeat; rursus si præsupponatur oblatio libera dominii, cùm alter jam habeat libertatem expeditam ad acceptandum, vel non acceptandum dominium, potest ex natura rei componi ea libertas tum cum acceptatione, tum cum carentia acceptationis dominii formalis, proindéque ea potestas tum in donante, tum in donatario distinguitur à dominio formali, cùm possit componi in subjecto suo cum carentia dominii formalis, ut constat à num. 365.

582. Tandem ex natura rei nulla est repugnantia, quòd in eodem instanti relatè ad diversos terminos dentur duæ libertates, quarum una sit naturâ posterior alterâ, eò quòd una possit esse sine altera, & non econtrà; sic Petrus est liber ad constituendum se in loco, ubi ego possim illum videre, & in instanti, in quo est ibi constitutus, sum ego liber ad aperiendum, vel non aperiendum oculos, ac proinde ad videndum, vel non videndum Petrum; at inter libertatem Petri ad se ibi constituendum, & libertatem meam ad videndum illum ibi, est hoc grande discrimen, quòd Petrus esset liber ad se constituendum in eo loco, quamvis ego essem certus, & non haberem potestatem expeditam ad eum videndum, ego autem non possum esse liberè expeditus ad eum ibi videndum, vel non videndum, quin Petrus ibi sit: unde licèt libertas Petri ad se ibi videndum sit in eodem instanti, nihilominus in hoc casu ea libertas Petri esset naturâ prior, & libertas mea esset naturâ posterior, quin ex natura rei ulla sit repugnantiæ umbra, eò quòd unaquæque ex illis libertatibus esset plenè libera circa suum terminum absque ulla læsione libertatis alterius; atqui ex natura rei hoc fieri non potest, si duo ex natura rei habeant simul plenum formale dominium, siquidem nullus posset pro mero suo placito plenè de re disponere: quandoquidem alter, quia ipsi placeret, rem sibi posset assumere illo altero renuente, ut constat ex dictis; ergo &c.

583. Respondebis 2. Dominium formale plenum circa eandem rem simul penes duos nequaquàm impedire plenam utriusque libertatem circa eandem rem, ut patet in Deo, & creatura; Petrus enim, qui est plenè Dominus agri, habet plenam libertatem circa agrum, & Deus etiam, qui simul est plenè Dominus illius agri, habet etiam circa agrum plenam libertatem, quin sit in eo ulla repugnantia ex natura rei; unde neque ex natura rei potest esse ulla repugnantia in eo, quòd penes duos homines resideat simul dominium formale plenum, & plena libertas circa eundem agrum. Contrà 1. Ut aliquod dominium creatum sit dominium formale plenum proprietatis, solùm requiritur, quòd habeat omnes particulas dominii creati proprietatis, ut constat à num. 236. non verò requiritur, quòd habeat omnes particulas dominii proprietatis divini, cùm id potiùs, quàm dominium esset chymera; atqui si aliqua creatura haberet aliquas dominii particulas, non posset ex natura rei ista creatura habere istas particulas dominii creati, aliter ex natura rei eædem particulæ dominii possunt esse in duobus locis, & in duobus subjectis posset ista creatura plenè agere, quamvis renueret altera, quæ plenum dominium haberet, quod est contra essentiam pleni dominii creati: ergo licèt ex natura rei possint dari duo plena proprietatis dominia, quorum unum sit dominium divinum, & alterum creatum, non tamen possunt dari duo plena dominia proprietatis, quorum utrumque sit creatum.

584. Contrà 2. & explicatur ulteriùs præcedens ratio: dominium formale divinum, & domium formale creatum proprietatis non sunt ejusdem speciei, sed sunt dominia specie valde diversa; etenim dominium creatum relatè ad Deum, est à DEO semper revocabile, potestque revocari præcisè, quia Deo essentiali proprietatis Domino ita placet, proindeque relatè ad Deum est tantummodo simplex usus facti, ut sæpe diximus; at relatè ad creaturam aliter se habet, cùm fiat injuria non solùm Deo, sed etiam Domino creato, si altera creatura præcisè, quia ipsi placet, jus Domini lædat, vel illi impediat plenam suam facultatem circa rem suam, quam à lege justa, sive divina, sive humana habet sibi substitutam in commodum suæ libertatis, ut dixi à num. 209. proindeque licèt creatura non possit relatè ad Deum auctoritativè se gerere, potest relatè ad alias creaturas se gerere auctoritativè; atqui si altera creatura haberet etiam jus plenum proprietatis circa eandem rem, jam ista creatura non posset ex natura rei relatè ad alteram auctoritativè se gerere, ut ex terminis patet; ergo licèt ex natura rei non repugnet istud simultaneum proprietatis dominium in Deo, & creatura, repugnat tamen in duabus simul creatis.

585. Respondebis 3. Ad plenum dominium creatum

atum proprietatis requiri quidem, quòd habeat omnes particulas pertinentes ad dominium creatum proprietatis, si attendamus ad plenitudinem creati dominii, juxta constitutionem habitam ex præsenti rerum divisione; nam dominium proprietatis plenum in creaturis juxta præsentem rerum divisionem non aliter institutum est, nisi quando penes unum solum resident omnes particulæ spectantes ad dominium creatum proprietatis, ut patet ex legibus, quæ nullum alium dominium plenum proprietatis agnoscunt in creatura, ideóque quando aliqua dominii particula, quæ segregata erat in altero, redit cum reliquis omnibus particulis ad unum, ait lex citata nu. 240. ex eo tempore nudæ proprietatis Dominus incipit plenam in se habere potestatem; at hoc non sequitur ex natura rei, cùm potuissent leges subordinare dominium unius creaturæ dominio alterius, & in utraque agnoscere plenitudinem dominii proprietatis per analogiam quamdá ad simultatem dominii proprietatis Dei, & creaturæ.

586. Contrà 1. quia jam ex hac responsione sequitur, quòd defacto rebus, ut nunc existentibus in ipso donationis instanti non potest manere dominium formale plenum penes donatorem, & donatarium, sed tantùm penes donatarium ex dictis à num. 571. ergo saltem defacto non non potest reperiri tale dominium plenum proprietatis simul penes duos. Contrà 2. quia in eo casu altera ex illis creaturis non haberet dominium proprietatis circa aliam, ut suprà dixi de creatura relatè ad Deum, quamvis permitteremus in una ex illis dominium plenum; ergo non potest componi dominium plenum in unaquaque simul. Contrà 3. licèt pendeat à lege, & à voluntate Legislatoris saltem supremi, quòd iste homo præ altero habeat circa hanc rem plenum dominium creatum; at si non fiat quæstio de nomine, non pendet à voluntate Legislatoris statuere, quid sit dominium creatum plenum, & quid non plenum, sed hoc habetur ex ipsa natura rei; sicut licèt pendeat à voluntate Legislatoris condere, vel non condere leges; at non pendet à voluntate Legislatoris statuere, quid sit lex, sed hoc habetur ex ipsa natura rei; sicut enim lex ex natura sua habet ligare naturam rationalem, ita dominium plenum ex natura sua habet, quòd sit plenum, ac proinde, quòd nulla illi desit particula dominii spectans ad dominium creatum, sive ad legitimam potestatem Domini, ut pro libito suo possit percipere quamcunque utilitatem sibi possibilem ex re sua; aliter tota controversia reduceretur ad quæstionem de nomine, si liceret recurrere ad placitum hominum, & non ad id, quod ex natura rei requiritur ad plenitudinem humani dominii; atqui ex natura rei repugnat, quòd duo homines circa eandem rem habeant tale dominium, ut nulla ex illis deficiat particula dominii spectans ad creatum dominium, ut latè constat à num. 569. ergo si controversia non reducatur ad quæstionem de voce, non solùm juxta leges, per quas facta est præsens rerum divisio, sed etiam juxta quascunque hominum leges repugnat ex natura rei dominium creatum proprietatis plenum, & perfectum circa eandem rem simul penes duos.

Contrà 4. Non potest excogitari, nisi per 587.
intellectûs fictionem creatura aliqua rationalis, quæ habeat essentiale jus proprietatis ad aliqua bona; eo ipso enim, quòd sit creatura, advenit illi accidentaliter tale dominium, ut constat à num. 198. proindéque dominium creatum proprietatis plenum, & perfectum, non potest essentialiter subordinari alteri dominio proprietatis, nisi Deo; ergo solùm per fictionem concipi potest duplex creatura rationalis cum simultaneo, & pleno dominio circa eandem rem, quorum unum sit ex natura rei alteri subordinatum, & quòd potiùs ex natura rei non sit liberum à tali subordinatione, proindéque si accedat talis subordinatio, eo ipso lædetur manifestè plenitudo dominii. Contrà 5tò. quod bene notavit Antonius Perez Tractatu 1mo. de justitia, & jure disp. 1. c. 2. num. 47. quàm optimè dicere possumus de Legislatore, nempe dupliciter posse nos considerare Legislatorem, rem aliquam definire, primò exponendo conceptum, quem ipse Legislaror de re aliqua formali, sive possibili, sive impossibili imponendo significationem arbitrariam alicui nomini expressivo illius conceptus, & tunc non licèt novam definitionem illius nominis afferre, cùm tota significatio illius nominis pendeat ab impositione arbirraria illius Legislatoris, qui voluit eo nomine certum suum proprium conceptum exprimere.

Secundò considerari potest ferendo leges 588.
circa rem aliquam confusè saltem omnibus notam, & per eam cognitionem significatam, & tunc licèt liberum sit Legislatori has leges ferre, vel oppositas, non est illi liberum, quòd res illa significata per confusam cognitionem, quasi omnibus cognitam habeat post legem alteram naturam ab illa, quàm habeat ante legem; sic licèt possit Legislator leges statuere, ut homo in his circumstantiis sit liber, vel servus, non potest ferre leges, quibus homo aliam naturam habeat ab ea, quam omnes per confusam cognitionem cognoscunt, intelligentes, quid sit homo; atqui per confusam cognitionem cognoscunt omnes, quid sit plenitudo dominii creati, cùm absque ullo Magistro agnoscant, neminem posse, nisi solum DEUM in commodum libertatis suæ, & quia ipsi placet uti re alterius, cujus saltem est plenè Dominus, nam vel ipsi pueri, & rustici censentes rem aliquam esse plenè suam, agnoscunt fieri ipsis injuriam, si alter, quia ipsi placet, eam sibi accipiat, proindéque pueri de tali injuria queruntur, & nu-

tibus naturalibus, si deficiant verba, solent justum suum dolorem, & iram significare; ergo non pendet à Legislatore decernere, quid sit natura pleni dominii, sed ea supponitur jam nota, antequam condatur lex; ergo si dum conditæ sunt præsentes leges de rerum divisione, arguitur, quòd dominium creatum plenum non possit circa eandem rem reperiri ex natura rei penes duos homines. Idem dicendum est, quantumvis aliter conditæ fuissent, vel condendæ forent leges de rerum divisione.

589. Respond. 4. nostram doctrinam nullum habere posse locum in re præsenti, quandoquidem ex illa nequaquam decidi potest præsens controversia, prout à Theologis, & Jurisconsultis agitatur, sed nos potiùs recludere aditum controversiæ; nam ad controversiam instituendam nequaquàm supponendum est, quòd plenitudo dominii creati exclusivè se habeat relatè ad alterum, sed debemus illud præcisivè considerare, sicut consideratur à reliquis Theologis; ad eum modum, quo in philosophicis ad nstituendam controversiam, in qua quæritur, an duæ formæ substantiales naturaliter possint reperiri simul in eadem materia, forma substantialis non sumitur, ut exclusivè se habens relatè ad alteram, sed consideratur præcisivè, ut maneat locus controversiæ.

590. Contrà tamen 1. Ad instituendam controversiam non debet supponi explicitè, quòd unum dominium creatum plenum excludat alterum: neque nos id explicitè supponimus; at debet supponi explicitè natura dominii pleni in eo consistens, ut sit jus perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur, ut omnibus notũ esse, constat ex n. 589. ex qua explicita natura dominii debemus inferre, an sequatur, vel non sequatur talis exclusio: atque in eo consistit, ut etiam Adversarii, & nos relinquamus aditum controversiæ. Quare si ex tali natura explicata dominii argui non possit ex natura rei ea exclusio alterius dominii creati pleni, poterunt simul componi; si verò arguatur talis exclusio, non poterunt componi simul, imò potiùs implicitè continebitur ea exclusio in ipsissima explicita natura dominii; atqui ex ea natura explicita dominii creati plenè arguimus talem exclusionem, ut constat à n. 569. unde si Adversarii aliam solutionem non excogitent, hæc certè nullius est momenti ad solvenda nostra argumenta. Contrà 2. ad hominem: ipsi Adversarii negantes, quòd duæ formæ substantiales possint ex natura rei simul componi in eadem materia, non præcludunt aditum controversiæ, eò quòd eam exclusionẽ explicitè non supponant, sed arguendò illam inferant ex notione explicita substantialis formæ, proindéque arguitur contineri implicitè in ipsa exigentia formæ; ergo idem dicendum est in casu nostro.

591. Respondebis 5. Non inferri ex natura explicita dominii talem exclusionem, cùm optimè possint ex natura rei duo semper idem velle, ac proinde unusquisque posse de re disponere; quare natura explicita dominii unius non continet adhuc implicitè exclusionem pleni dominii alterius. Contrà 1. & quæro ab Adversariis, si supponant duo pleni Domini ejusdem panis, & uterque fame laboret, indigeatque integro pane, si unusquisque velit manducare eundem panem, vel vellet idem, quod alter, vel non? si primum, unusquisque posset excludere dominium alterius ex jure suo, ac proinde, quòd idem semper vellet, non impedit, quo minùs excludatur dominium alterius; si secundum; ergo quòd unus velit, quod alter vult, non est idem, quòd duo semper idem velint; ac proinde ex eo, quòd idem semper velit, malè infertur simultanea plenitudo dominii; hæc enim potiùs inferenda esset ex eo, quòd unus non vellet, quod alter vult, sed quòd si alter velit sibi panem, iste non velit illum sibi, sed alteri; at tunc jam non posset in utroque reperiri plenitudo dominii; quare

Contrà 2. Ad hoc, ut alter posset uti plenè 592.
pane, vel erat necesse, quòd ille alius Dominus plenus annueret, vel parum referret, quòd renueret; si primum: ergo indigebat facultate alterius, ne illius jus proprietatis læderetur; ac proinde non poterat concipi plenitudo dominii in eo, qui tali facultate indigebat; si secundum; ergo ille alter non poterat de illo pane plenè disponere, neque haberet omnes particulas ex natura rei spectantes ad creatum dominium proprietatis, ac proinde non posset componi in utroque simultanea plenitudo dominii. Contrà 3. quia eo ipso, quòd essent liberi, possent etiam oppositum velle, & nolle cedere juri suo, quo in casu in actu primo datur jam dominium, & non datur volitio in actu secundo, qua uterque idem velit; ergo ex hac facultate, ut idem uterque velit, malè arguitur plenitudo dominii in utroque; patet consequentia, quia ea facultas libera non est minùs ad idem volendum, quàm ad volendum diversa.

Respondebis 6. ex notione pleni dominii 593.
inferri præcisionem, & non exclusionem à dominio pleno alterius, ut experientiâ ipsâ comprobatur. Exemplum sit, quòd Petrus à Paulo conducitur, & accepto stipendio obligatur adire Neapolim, ut statuto tempore litteras Pauli ferat, & postea Petrus conducitur etiam à Joanne simili pacto, ut Joannis litteras ferat Neapolim; quo in casu Petrus obligatur ex justitia & Paulo, & Joanni divisivè sumptis, ita ut pactum cum utrolibet initum sit adæquatè causa iteneris suscipiendi: unde Paulus est Dominus in solidum illius operæ præstandæ sibi à Paulo, & similiter Joannes habet simul e jusdem operæ dominium insolidum. Etenim si Paulus postea pactum dissolvat, atque à se datum repetat stipendium,

Petrus

Petrus adhuc tenetur ad iter peragendum ex vi contractûs initi cum Joanne, quod idem evenit in pædagogo, aut præceptore meritorio, aliisque similibus, quorum opera impensa pluribus, ita singulis est utilis, ac si solis singulis impenderetur.

594. Contrà 1. quia ille contractus initus non vendit operam, sed obligationem ponendi illam ex hoc pacto, aliter jam non posset postea Petrus contrahere cum Joanne, cùm venderet rem non suam, quod illicitum est; cæterùm quia ex pluribus titulis potest homo ligari ad eandem rem præstandam, exinde postea potest Petrus alteram obligationem, & contractum cum Joanne facere, & propter illam novam obligationem aliud pretium accipere; sic quando incidit in diem Dominicam aliquod festum, tenemur ad audiendam Missam ex duplici obligatione; eodem modo, quando Vigilia incidit in diem Quadragesimæ, tenemur ex duplici obligatione jejunare; tum etiá qui debet Petro centum, & vovet illa restituere, duplici, non quidem ejusdem lineæ, sed diversæ, obligatione tenetur, nimirum ex justitia, & religione; unde in eo casu de obligatione Petri ad ferendas litteras, non est eadem obligatio, quam contrahit cum Paulo, sed diversa omnino ab illa, quam contrahit cum Joanne, ita ut destructa una, non exinde destruetur altera, vel econtra; atqui ex eo, quòd Paulus habeat jus circa unam obligationem, & Joannes circa alteram, nullo modo inferri potest, quòd possint duo dominia plena circa eandem rem simul componi; ergo &c.

595. Contrà 2. Ad plenum dominium creatum circa rem aliquam non sufficit potestas obligandi ad rem faciendam, sed requiritur saltem potestas obligandi, tum ad faciendam, tum ad non faciendam pro libito Domini; unde cùm Paulus ex vi illius contractus possit obligare, & deobligare Petrum relatè ad vinculum, quod habet cum Paulo, habeatque simul facultatem ad conservandum, vel destruendum illud vinculum cedendò juri suo, quia ipsi placet, exinde habet jus in illo vinculo, & obligatione; at cùm non possit impedire, ne Petrus eâ obligetur, & ne maneat obligatus eo altero vinculo, quod contraxit cum Joanne, exinde nequit dici plenè Dominus illius itineris: etenim licèt Paulus cederet juri suo, & deobligaret Petrum ab ea obligatione secum contracta, non exinde maneret Petrus liber ab altera obligatione, quam contraxit cum Joanne, sed maneret moraliter eo vinculo ligatus, ex quo apparet, quàm longè diversum sit jus in obligatione, vel jus in itinere, seu in opera Petri; ergo exemplum petitum ab Adversariis est omnino alienum à re, de qua agimus, neque ex ipso defendi potest plenitudo dominii creati ejusdem rei circa duos, sed potiùs oppositum.

596. Respond. 7. posse circa eandem rem quàm optimè componi dominium duorum, non solùm ad utendum, sed etiam ad non utendum, ac proinde non repugnare ex natura rei dominium insolidum ejusdem rei penes duos: exemplum affert Comptonus Tom. 1. disput. 34. sect. 1. ex aliquibus, quos suppresso nomine citat, & impugnat, qui docebant, posse componi ex natura rei dominium plenum penes duos, quatenus possunt duo ita habere dominium equi, ut alternatim equitare possint, & omnino uti tali equo. Contrà 1. quia ex hoc exemplo potiùs colligitur penes neutrum illorum existere plenum equi dominium: etenim dum utrique tantùm conceditur potestas utendi equo alternis diebus diebus, eo ipso denegatur potestas ad omnem usum, ut ex terminis patet; sed hæc potestas requirebatur ad plenum dominium; ergo &c. Contrà 2. Si alter ex illis equitare vellet contra alterius voluntatem die, qua juxta alternationis ordinem non attinebat ad ipsum equi usus, committeret injustitiam contra alterum ex læsione juris residentis in illo, & ex defectu juris residentis in isto ad utendum equò illa die, quod etiam de altero dicendum est, si die non sua vellet uti equo; sed exinde apparet, neutrum illorum habere dominium plenum equi; ergo &c.

Respondebis 8. duo plena dominia creata nullum penitus afferre inconveniens, quia sunt ut duæ causæ morales adæquatæ, quæ non repugnant ex natura rei circa eundem effectũ; sic duo Sacerdotes possunt eandem Hostiam simul consecrare, & eundemque pœnitentem simul absolvere; sic Petrus, qui ex justitia tenetur visitare ægrotum, potest ad id moveri ex duplici titulo justitiæ & charitatis, ita ut eandẽ visitationẽ faceret, licèt non esset motivũ justitiæ, sed solùm motivum charitatis, ex quo moveretur, vel econverso; sic etiam circa idem jus possunt dari duæ adæquatæ solutiones, vel seorsim, vel saltem simul sumptæ; unde peccata jam semel remissa per Sacramentum Pœnitentiæ possumus utiliter, & validè iterum confiteri, & ab iis iterum absolvi; si ergo duæ adæquatæ ejusdem vinculi & juris solutiones, non solùm successivè, sed etiam simultaneè sumptæ non repugnant, non est, cur censeantur repugnare duo simultanea plena jura creata circa eandem rem. 597.

598. Contrà 1. Licèt duæ causæ totales morales non repugnent ex natura rei circa eundem effectum, quando unaquæque absque læsione alterius finem suum promovere potest; at repugnat ex natura rei, quòd eidem effectui debeantur simul duæ causæ totales: si ennim duæ simul causæ deberent poni, ut ponerentur effectus, nulla se sola sufficeret, sed indigeret consortiò alterius, ac proinde nulla esset totalis, neque posset promovere suum finem, qui est totaliter agere; atqui hoc ipsum contingeret, si simul duo ex natura rei haberent circa eandem rem plenum dominium creatum, quandoquidem non posset unusquisque absque læsione alterius finem juris sui promovere, qui quidem

dem finis est pro libito suo, & jure suo plenè de re disponere; ergo &c. Contrà 2. Ad actum debitum ex justitia requiritur obligatio vel in re, vel saltem prudenter concepta ut orta ex jure alterius, quod debet compensari; atqui nullum est jus, quod per duplicem adæquatam solutionem debeat compensari; aliter qui semel alteri debuit obolum, posset ex jure alterius manere obligatus ad dandum totum aureum mihi, aut simultaneè dando plures solutiones, aut iterum, iterumque solvendo idem debitum, quod ex terminis satis absurdum apparet; ergo tales duæ solutiones non possunt ex justitia deberi; modò sic: non minùs absurdum est, quòd eadem res ex natura rei sit plenè debita duobus, quàm quòd eidem juri sint debitæ duæ adæquatæ solutiones; sed hoc secundum repugnat omnino; ergo etiam primum. Ex dictis

599. Fit 1. circa eandem rem posse dari duas obligationes, ac proinde & duas causas morales, quin possint dari duo plena jura ex natura rei; ratio est, quia cùm obligationes illæ non impediant, quin promoveatur finis virtutis, à qua procedunt non ex natura rei, unde repugnent; at duæ adæquatæ solutiones debitæ eidem juri non possunt promovere finem virtutis; nam jus justitiæ solùm exigit compensationem æqualem, non verò superabundantem; tum etiam plenitudo creati dominii exigit plenam facultatem ad disponendum de re pro libito Domini sine injuria alterius, quandoquidem finis non promovetur, sed potiùs impeditur, si in altero reperiatur jus circa eandem rem contra istum. Hæc autem consequentia omnino cessaret, si res illa divinitùs bilocaretur circumscriptivè, quia cùm tunc esset virtualiter duplex; ita ut non minorem utilitatem afferret Domino, quàm si per libertatem non esset sub alterius potestate: exinde componi potest divinitus ea plenitudo dominii penes duos, non verò ex natura rei.

600. Fit 2. posse componi ex natura rei actum justitiæ debitum effectivè cum actu justitiæ, non quidem effectivè debito, sed effectivè oblato, ut dixi num. 93. Unde si non fiat retractatio juris, quam aliquis jam videt à jure solutus, velit denuò apparere ex retractatione obligatus, non potest percipi, quomodo fiat actus justitiæ effectivè solvens justitiæ vinculum; ratio est, quia dupliciter tantùm excogitari potest vinculum solvi, nimirum vel in re, vel in retractatione juris; ergo si vinculum illud in re non ligat, sed in re solutum jam est, non potest aliter ligare, & fieri capax, ut solvatur, nisi in retractatione juris. Cæterùm hæc non spectant ad præsens nostrum institutum, pertinent enim ad Sacramentum Pœnitentiæ, ubi de his latè dixi à num. 210. quæ hìc dici possent melius percipientur ex solutione argumentorum.

* *
*

SECTIO III.

Solvuntur Opposita.

OBjicies 1. In instanti, in quo Petrus donat librum Paulo, retinet in eodem instanti formale dominium plenum libri & Petrus, & Paulus; ergo dominium formale plenum ejusdem rei in eodem instanti, nequaquàm repugnat ex natura rei penes duos; probatur antec. nam in eodem instanti Petrus est plenè Dominus, cùm enim nullus donare possit id, quod non habet, si Petrus donat Paulo dominium plenum libri, certè Petrus in eo instanti habet dominium formale plenum libri. Pariter Paulus in eo instanti habet id, quod accipit, cúmque accipiat dominium plenum formale libri, habet in eo instanti dominium plenum formale libri; ergo in eo instanti reslidet ex natura rei dominium formale plenum libri tum penes Petrum, tum penes Paulum. Resp. neg. ant. ad probationem neg. ant. quoad primam partem; nam in eo instanti donationis & acceptationis Petrus donans non habet dominium formale libri, sed solùm Paulus donatarius. 601.

Ratio est, quia in eo instanti, in quo Petrus donat librum suum Paulo, abdicat à se ipso plenum dominium; cùm autem abdicatio rei, & res ipsa non possint in eodem subjecto simul componi, V. G. abdicatio vitæ, & vita abdicatio gratiæ, & ipsa gratia; carentia formæ & ipsa forma: exinde in eo instanti non potest remanere in Petro dominium formale plenum libri: quare Petrus non dat in eo instanti librum, quia retinet dominium formale libri, sed quia habet dominium fundamentale ad destruendum, abdicandum, vel transferendum dominium formale in alterum, ad quod dominium fundamentale sufficit potestas ad conferendum alteri dominium formale sine injuria alterius, quæ potestas vocatur dominium fundamentale, & eminentiale; unde licèt nemo possit donare, quod non habet eminentialiter, aut fundamentaliter, potest tamè dare id, quod non habet formaliter. Sic DEUS, qui non habet formaliter prædicata creata, & confert creaturis ex sua potentia eminentiali dominiũ. Potentia autè eminentialis ad conferendũ dominiũ ex plurib⁹ capitib⁹ haberi potest, nempe ex illis omnibus, ex quibus aliquis manet expeditus, ut agendo juxta leges rem potestati alterius subjiciat in omnes usus pro libito suo sine injuria alterius. Hoc autem aliquando provenit ex eo, quòd in eo instanti habuerit dominiũ, & in hoc instanti sequenti, cùm sit liber ad retinendum, vel non retinendum, & nolit illud retinere, sed transferre in alterum; aliquando provenit ex eo, quòd Dominus vel confert alteri facultatem, vel non est rationabiliter invitus, ut alter suum dominium transferat 602.

rerat. Sic pauper in extrema neceſſitate conſtitutus, quin habeat dominium formale rei, transfert illud in alterum, ut dixi à num. 29. & 376. ſic etiam Paulus, cui offertur in inſtanti A. dominium ad conferendum illud, cui voluerit, habet facultatem ad non acceptandum dominium ſibi, ſed ad transferendum illud in alterum, cùm tunc id fieri optimè poſſit absque injuria alterius: unde ex his omnibus capitibus, ex quibus talis facultas advenit ad transferendum dominium in alterum, ex his omnibus advenit dominium adæquatum eminentiale, & fundamentale; quapropter Petrus in inſtanti donationis, quin habeat dominiũ formale, reverâ transferre poteſt, & transfert in Paulum dominium formale libri: cúmque Paulus dominium illud formale libri ſibi acceptet in eo inſtanti, manet in eo inſtanti penes illum totum dominium formale libri, non autem penes Petrum.

601. 602.

603. Objicies 2. inſtando ſimul ſolutionem: Petrus in inſtanti donationis non poteſt habere libertatem ad abdicandum à ſe ipſo dominium formale, quin moraliter in ſe ipſo deſtruat dominium formale; atqui libertas ad deſtruendum in eo inſtanti dominium, vel conſtituitur ex dominio, vel requirit ſaltem, ut conditionem ipſum dominium; ergo in eo inſtanti perſeverat penes Petrum ipſum formale dominium. Probatur min. Libertas ad comburendum pallium, vel conſtituitur ex ipſo pallio, vel ſaltem illud affert ut neceſſariam conditionem; ergo libertas Petri ad deſtruendum in ſe ipſo dominium formale libri, vel conſtituitur ex ipſo dominio formali, vel illud ſaltem affert in Petro ut conditionem neceſſariam.

604. Reſp. conc. maj. & neg. min. ad probationem neg. ant. ſi loquamur de immediata libertate, de qua eſt quæſtio: ratio eſt, quia libertas immediata in hoc inſtanti ad comburendum, & deſtruendum pallium, cùm ſit libertas ad deſtructionem, vel conſervationem pallii in hoc inſtanti, vel cum deſtructione pallii, vel cum ejus conſervatione; cùm autem libertas, quæ in hoc inſtanti componi poteſt cum pallii deſtructione, non poſſit conſtitui ex pallii exiſtentia, neque illa afferat ut neceſſariam conditionem: exinde ea immediata libertas Petri in eo inſtanti ad comburendum, & deſtruendum pallium, non poteſt conſtitui ex pallio, neque illud afferre ut neceſſariam conditionem.

605. Cæterùm, ut maxima æquivocatio, qua Adverſarii in præſenti laborant, penitus detegatur, opus eſt diſtinguere libertatem immediatam à mediata; aliquando enim habemus libertatem ad rem aliquam deſtruendam non quidem immediatè, ſed mediatè, & tunc ea libertas in inſtanti, in quo datur, quàm optimè componitur cum exiſtentia rei poſtea deſtruendæ; E. C. qui habet libertatem ad propinandum venenum, quod non tollit vitam, niſi paulatim agendo per aliquod tempus, habet in hoc inſtanti libertatem ad deſtruendam alterius vitam dando alteri in hoc inſtanti venenum; at hæc libertas non eſt libertas immediata ad mortem, ſed mediata; ac proinde non includit in inſtanti, in quo datur formalis deſtructio rei, ac proinde nihil habet, ratione cujus non poſſit componi cum ipſa re poſtea deſtruenda.

606. Aliquando verò habemus libertatem immediatam ad ipſam deſtructionem: exemplum ſit in ſententia eorum, qui docent, actum perfectæ contritionis eſſe ſanctitatem, & formalem deſtructionem peccati; in ea quidem hypotheſi ille peccator, qui eſt liber in inſtanti A. ad eliciendum, vel non eliciendum perfectam contritionem, eo ipſo eſt liber ad ponendum in eo inſtanti, vel non ponendum peccati deſtructionem: cúmque ea deſtructio ſit eſſentialiter incompoſſibilis cum peccato, habet libertatem ad ponendum in ſe ipſo formam deſtructivam peccati eſſentialiter incompoſſibilem cum peccato: unde cùm ea libertas poſſit componi tum cum deſtructione peccati, ſi ponatur deſtructio, tum cum perſeverantia peccati, ſi contritio omittatur, nequit talis libertas ad deſtruendum peccatum, conſtitui ex peccato: neque illud afferre ut conditionem neceſſariam; quandoquidem in hac hypotheſi evidens eſt, quòd in inſtanti A. detur libertas ad deſtruendum peccatum, quin in eo inſtanti A. detur peccatum.

607. Quamobrem duo hìc diſtinguenda ſunt, nempe actus primus libertatis, & actus ſecundus; actus primus, cùm ſit poteſtas ad utrumque non minùs componibilis cum deſtructione peccati, quàm cum peccato, nequit conſtitui ex peccato, neque illud afferre, ut neceſſariam conditionem, ſed ſatis eſt, quòd habeat virtutem ad ponendum aliquid, quo poſito DEUS cedat juri contra peccatorem in eodem inſtanti; atque exinde in eodem inſtanti reverâ detur deſtructio formalis peccati; qualiter, qui eſt liber ad introducendam in hoc inſtanti formam in ſubjectum, qua poſita DEUS in hoc inſtanti ceſſet à conſervatione contractûs, eo ipſo habet libertatem in hoc inſtanti ad deſtructionem formalem contrariæ formæ, quæ libertas nequit conſtitui ex forma contraria, neque illam afferre ut conditionem neceſſariam.

608. Quod idem dicendum eſt de peccatore potente elicere in hoc inſtanti perfectam contritionem, quamvis non ſit forma ſanctificans, ſed duntaxat ultima diſpoſitio, qua poſita in hoc inſtanti cedat Deus juri ſuo contra peccatorem, ſicque ponetur formalis deſtructio peccati; pariter, qui in hoc inſtanti haberet libertatem ad producendum terminum, quo poſito DEUS in hoc inſtanti ceſſaret à conſervatione pallij, eo ipſo haberet in hoc inſtanti libertatem ad ponendum deſtructionem pallij, vel ſi mavis, combuſtionem, ſi terminus ille libertatis ſit combuſtio, quin ea libertas conſtitueretur

ex pallio, neque afferret illud ut necessariam conditionem in eo instanti, cùm essentialiter repugnet in eo instanti combustio pallii, quæ sit formalis pallii destructio, & ipsum pallium.

609. Ex his facilè apparet tota doctrina nostræ solutionis in ordine ad dominium formale; nam eo ipso, quòd Petrus in hoc instanti sit liber ad ponendam hìc, & nunc abdicationem, & destructionem moralem sui dominii, habet libertatem, quæ hìc, & nunc nequit constitui ex suo dominio, neque potest hìc, & nunc afferre ut conditionem necessariam dominium suum, sed solùm constituitur ea libertas ex facultate ad nolendum abdicare dominium, ac proinde ad conservandum illud in se ipso, & ad volendum abdicare, ac proinde ad volendū destruere in se ipso formale dominiū: etenimlumine naturæ notum est, potentiā ad utrumque non posse constitui ex ipsis extremis libertatis, quandoquidem non potest manere integrum constitutū sine integro constitutivo, & integra libertas ad utrumque reverà datur, quamvis quodlibet ex extremis, aut terminus libertatis deficiat.

610. Unde sicut in actu primo proximo libertatis non datur exclusio hujus, aut alterius extremi, sed datur physica præcisio, quæ nihil est aliud, nisi incompossibilitas cum jure libertatis, tum cū unoextremo excludatur aliud, tū cum altero, ut excludatur istud, sic non datur in actu primo proximo constitutio habita ex extremis, vel afferens illa, ut conditionem necessariam; sed datur constitutio libertatis à quolibet determinato extremo præscindens; idcirco si Petrus in eo instanti potens sibi conservare, & non conservare dominium, se determinet ad destructionem, & abdicationem dominii in eo instanti, eo ipso, quòd in eo instanti ponat in se ipso destructionem dominii formalis, jam in eo instanti non manet in se ipso dominium formale, quod pro ipsius libertate manere potuisset, tum ex eo ipso, quòd Petrus in eo instanti recipiat dominium formale, manet totum dominium formale penes ipsum: unde in instanti donationis dominium formale non reperitur penes donantem, sed tantùm penes donatarium: vide, quæ de his latè dixi n. 459. de actibus humanis.

611. Objicies 2. Dominium perfectum rei, E. G. libri, nihil est aliud, quàm jus perfectè disponendi de libro, sive in omnes usus donando, vendendo, retinendo &c. atqui in eo donationis instanti, in quo Petrus donat librum Paulo, pro signo priori libertatis ante donationem habet Petrus jus perfectè disponendi de libro, cùm habeat plenam potestatem donandi, vel non donandi librum, vendendi, vel non vendendi, eoque utendi in omnes usus; ergo est perfectè Dominus libri. Rursus Paulus etiam per acceptationem fit plenè Dominus libri; ergo uterque est plenè Dominus in eo instanti. Confirmatur. Ipsa potestas donandi est dominium; sed in instanti, in quo quis donat, habet potestatem donandi, alioquin donaret id, quod non posset donare; ergo &c. Respond. conc. maj. & neg. min. quia licèt Petrus in eo instanti habeat jus radicale, & eminentiale suprà explicatum, non tamen habet jus perfectè disponendi de re; sed libertatem, & potestatem, ut jus in se retineat, vel destruat; ut habeat jus in eo instanti, non satis est libertas, ut in eo perseveret legitima facultas constitutiva juris proprietatis; sed ulteriùs requiritur exercitium libertatis, quo velit sibi illam legitimam facultatem retinere.

612. Quòd si non concipiamus Petrum, tunc liberum ad retinendum suum jus, necesse est ad concipiendum in ipso formale jus, ut concipiamus exclusionem abdicationis, & destructionis juris, quod poterat esse in eo instanti; cùm enim potestas ad disponendum de re alia sit eminentialis, & alia formalis, ex actuali nempe subjectione rei per legem habitam in eo instanti, non potest ea formalis potestas in eo instanti concipi, si præscindatur à perseverantia, qua res illa subjecta sit per legem potestati Petri; unde cùm lex ipsa non impediat facultatem ad abdicandam à se talem durationem, & subjectionem, eo ipso relinquit eminentialem suam potestatem, ut in eo instanti abdicet à se dominium, vel retineat. Ad Confirmationem disting. maj. potestas donandi purè eminentialis est dominium solùm eminentiale, conc. est dominium formale, nego majorem, & dist. min. habet potestatem purè eminentialem, conc. formalem, nego min. & conseq. ratio est, quia potestas illa formalis contradistincta ab eminentiali dicit actualem durationem habitam à lege conferente jus proprietatis, qua res illa manet subjecta alicui primariò, & directè in commodum libertatis suæ, ut suprà diximus; hæc autē duratio tantùm se habet in eo signo priori, in quo aliquis est liber ad actualem destructionem talis durationis, vel ad formalem impeditionem illius; quare dominium radicale non est jus in re, sed est jus proprietatis in potestatem ad retinendum, vel acquirendum, aut transferendum dominium, & jus in re, ut statim dicemus.

613. Objicies 4. In eodem instanti, in quo Petrus donat librum Paulo, Paulus potest illum acceptare, & donare Francisco, sed hoc fieri non posset, nisi in eodem instanti donationis dominium esset simul in donante, & donatario; ergo &c. Probatur min. Nemo potest donare, circa quod nunquam habuit dominium; sed si in hoc instanti, in quo Petrus donat librum Paulo, Paulus donatarius non habeat dominium libri, nunquam habuisset libri dominium; quandoquidem neque ante donationem illud habuit; ergo non potest in eo instanti librum alteri donare. Pariter si in eo instanti donator, non haberet dominiū rei donatæ, neque posset illam Paulo donare, cùm non possit donare rem non suam; ergo si in eo instanti non sit dominium penes donantē, & donatarium, neque donans poterit donare, neque

que donatarius recipere. Confirmatur. Si donatarius in ſigno priori ad acceptationem, idem eſto de donatore in ſigno priori ad donationem, non habet dominium formale, & in ſigno poſteriori habuit, verificat, quod in eodem inſtanti habuit dominium, & non habuit, ſed hoc repugnat; ergo &c.

614. Reſp. conc. maj. & neg. min. ad probationem diſt. maj. id, circa quod nunquam habuit dominium aut formale eminentiale, conc. formale duntaxat, nego maj. & diſtincta pariter min. neg. conſequentiam; ad probationem ſubſumpt. diſt. eodem modo ant. & nego conſequentiam: explico diſtinctionem: dominium radicale in donatore, ut diximus nu. 610. & 612. nihil eſt aliud, niſi dominium in poteſtate ad oblationem dominii formalis, & dominium radicale in donatario nihil eſt aliud, niſi dominium in poteſtate ad eliciendum actum acceptationis dominii formalis oblati; cùm autem dominium poteſtatis non ſit terminus illius dominii formalis, ut patet in dominio poteſtatis pauperis circa rem alterius, quam accipit in extrema neceſſitate; exinde dominium radicale non eſt dominium formale, ac proinde neque jus in re, neque potaſtas diſponendi de re, ſed eſt jus in aliquo, per quod poteſt acquiri, quod eſt neceſſarium ad obtinendum dominium formale rei, & jus in re. Quamobrem cùm nullus poſſit donare dominium alicujus rei, quin habeat ſaltem poteſtatem ad ponendum aliquod, quòd poſſit dominium acceptari, vel acquiri, exinde abſque dominio ſaltem radicali nullus poteſt vel dare, vel accipere dominium formale.

615. At poſito eo dominio radicali, cùm eo ipſo habeatur facultas ad id, per quod poteſt acquiri dominium formale, & jus in re, exinde per dominium radicale poteſt conferri dominium formale, & jus in re: ſic peccator, cui DEUS dedit poteſtatem, ut Filius Dei fierer, non habet formam ſanctificantem, qua reddatur Filius DEI, ac proinde nec jus in tali forma, habet tamen jus ſuum in poteſtate ad acquirendam eam formam, cùm habeat eam poteſtatem à DEO ipſi conceſſam ad eliciendum actum contritionis, per quem acquirere poteſt formam ſanctificantem; unde ſicut ea poteſtas non eſt ſufficiens ad reddendum illum ſanctum, & Filium DEI, ſed requiritur indiſpenſabiliter ad hunc effectum, ut eam formam obtineat. Pariter in donatore poteſtas ad retinendum dominium non eſt ſufficiens, ut dicatur formaliter Dominus rei, vel ut dicatur habere jus in re, neque in donatario ea poteſtas ad acceptandum dominium formale eſt ſufficiens, ut dicatur habere dominium formale, & jus in re, ſed opus eſt, ut per eam poteſtatem acquirat tale dominium, & jus in re.

616. Ad Confirmationem diſt. maj. ſi non habuit ſumpta ly *non* excluſivè, conc. ſumpto præciſivè, neg. maj. & diſtincta pariter min. neg. conſequentiam. Ratio eſt, quia poteſtas libera ad utrumque non eſt connexio cum alterutro libertatis extremo, ſed eſt facultas, ut componatur cum uno excluſivo alterius, vel econtra pro jure libertatis; unde actus primus proximus libertatis nec includit, nec excludit alterutrum ex extremis, ſed præſcindit ab incluſione, aut excluſione cujuslibet ex illis, ita ut non habeatur excluſio unius, niſi per actum ſecundum, ad quem determinatur voluntas à qui actus ſecundus excludit oppoſitum; ſi autem in actu primo proximo daretur excluſio alicujus extremi, jam in eo inſtanti componi non poſſet tale extremum; ſiquidem res, & ejus excluſio in eo inſtanti manifeſtè repugnant; at præciſio in ſigno priori non repugnat cum poſitione rei in ſigno poſteriori.

Unde ſicut non repugnat, quòd detur aliquid in ſigno poſteriori, quamvis ejus præciſio intelligatur in ſigno priori; ſic non repugnat, quòd detur in ſigno poſteriori actus liber, quamvis in ſigno priori præſcinderetur ab exiſtentia, vel carentia talis actûs liberi pro ſigno priori; etenim, ut notum eſt apud omnes Philoſophos, ſignum prius nihil eſt aliud, niſi prædicata cauſæ, aut ea, quæ ſe habent ex parte cauſæ; & ſignum poſterius nihil eſt aliud, niſi prædicata effectûs, aut ea, quæ ſe habent ex parte effectûs; cùm autem prædicata cauſæ non ſint prædicata effectûs, ſed potiùs, ſi ſunt libera, ſint prædicata præſcindentia ab effectu, exinde illud ſignum prius reverâ præſcindit à ſigno poſteriori. Præterea cùm cauſa libera in ipſo inſtanti, in quo eſt libera, poſſit abſque ulla contradictione componi cum ſuo effectu, exinde componitur in eodem inſtanti ſignum prius, & ſignum poſterius. Hoc igitur dicimus de dominio formali, quando ab aliquo liberè abjicitur, vel acceptatur; quod cùm ſit effectus potentiæ liberæ in eo inſtanti ſe exercentis, eſt ſignum poſterius, & potentia libera, ſive dominium radicale eſt ſignum prius, quæ abſque ulla contradictione in eodem inſtanti componuntur. 617.

Tota iſta doctrina aliis terminis explicari ſolet à Philoſophis, dicendo, actum liberum, dominium formale, & quodcunque exercitium liberum ſe habens in ſigno poſteriori libertatis eſſe in eodem inſtanti cum ſua cauſa, & non eſſe, & quidem uno modo, nempe cum dependentia à cauſa, & non ex alio modo, nempe ſine dependentia à cauſa, in quo nulla apparet contradictio: quòd enim actus liber ſit in eodem inſtanti, in quo cauſa ſe exercet, ita, ut ſit cum dependentia à ſua cauſa, & non ſine dependentia ab illa, nullam involvit contradictionem, quamvis contradictionem implicet, ſi in eodem inſtanti eſſet cum dependentia à cauſa, & non eſſet cum dependentia à cauſa: ſic in eodem inſtanti, in quo exiſtit ſol, producit lucem, ac proinde & ſol producens, & lux producta exiſtunt in eodem inſtanti, ita tamen, ut lux in eo inſtanti exiſtat cum dependentia à ſole, & non exiſtat abſque dependentia à ſole, in quo nulla eſt contradictio. Pari- 618.

tas

rer, qui à se abdicat in hoc instanti dominium formale, coëxistit cum abdicatione talis dominii, ita ut ea abdicatio existat cum dependentia, & non sine dependentia à tali potestate, quod idem dicimus de illo, qui dominium formale in eo instanti acceptat.

619. Objicies 5. donans in instanti donationis ita dat donatario dominium radicale, ut ipse retineat dominium radicale; ergo ita dat dominium formale, ut in ipso donationis instanti retineat quoque dominium formale. Resp. conc. ant. & nego consequentiam. Ratio est, quia dominium radicale in donatore & donatario respiciunt diversos terminos, ita ut unusquisque circa suum terminum exercere se liberè possit absque læsione libertatis alterius, ut constat à num. 579. Etenim jus radicale in donatore respicit potestatem ad offerendum dominium, sive ad ponendam liberam oblationem dominii, per quam donatarius constituitur potens acceptare, sive elicere liberum actum acceptationis; cùm autem libertas in donatore ad eliciendum actum oblationis dominii nequaquàm lædat libertatem donatarii ad acceptandum, vel non acceptandum, neque libertas donatarii, utpote habita pro signo sequenti, possit lædere libertatem donatarii; exinde ista dominia radicalia ex nullo capite repugnant; at dominia formalia respicerent eandem rem, ideóque si essent plena, daretur in unoquoque ex illis jus perfectè disponendi de re; cùm autem circa eandem rem non possit tale jus perfectè disponendi de re in utroque simul reperiri; deinde ex compossibilitate utriusque juris radicalis nequaquàm inferri potest compossibilitas duplicis illius juris formalis. Reliqua, quæ hìc adjungi possent, præoccupata jam sunt à num. 578.

* * *

DISPUTATIO XII.

DE TITULIS, QUIBUS DOMINIUM ACQUIRITUR.

620. Multi sunt tituli, quibus de facto dominium acquiritur, tum circa alterum hominem, qui servus efficitur, tum circa bona externa, quæ fiunt propria alicujus. Dominium quippe unius hominis in alium, ut servum, acquiritur quadrupliciter, videlicet venditione, jure belli, nativitate, justa condemnatione. Dominium autem circa bona externa acquiri potest effectione, occupatione, seu naturali apprehensione, voluntaria translatione, & non voluntaria, qualis dici solet Judicis sententia; & translatione non voluntaria, qualis dici solet usucapio, & præscriptio. De his omnibus fusissimè agunt tum Theologi, tum Canonistæ, & Jurisconsulti. Nos autem breviter attingemus, quæ ad nostræ doctrinæ roborationem, & claritatem opportuna sunt.

SECTIO I.

De Titulis servitutis, effectionis, & occupationis.

621. Assero 1. Licitum est homini dominium in alium hominem tanquam in verum servum per aliquem ex illis titulis num. superiori assignatis. Probatur facilè ex dictis à n. 353. dominium servitutis non est dominium plenum in servum, cùm non sit dominium circa vitam, seu substantiam rei, sed circa operas, aut similes effectus; atqui ejusmodi dominium per aliquem ex illis titulis legitimè acquiritur; ergo &c. Probatur min. sicut quando bellum esset injustum ex parte Dominorum, non posset contrahi vera, sed tantùm apparens servitus; at quando bellum est justum, potest victor licitè jure belli inimicum interficere; quòd autem servetur, & mors in servitutem commutetur, non est iniquum; unde ex hoc titulo legitimè introducta est servitus jure gentium; quòd autem Christiani contra Christianos pugnantes, licèt capiantur, non maneant servi, ideo est, quia ex antiqua consuetudine vim legis habente antiquus ille rigor temperatus est, & servitus est in puram captivitatem commutata, donec captivus redimatur. Rursus, quod sit jure belli, non minùs fieri potest licitè juxta condemnationé, qua mors in servitutem commutatur, ut constat ex C. *eos, qui* 22. dist. ex C. *cùm multa*, 25. q. 8. ex L. *si manumissus*, God. *de libert. & eorum liberis*, 55. maximè Institutis *de capitis diminutione*, & C. *de raptoribus* 36. q. 1. Præterea cùm homo sit usuarius, & quasi usufructuarius suæ vitæ, & membrorum, ut constat à num. 324. licitè potest justa de causa, ut non sit profusio libertatis suas operas, & obsequia alteri vendere in perpetuum, atque ita fieri servus venditione, quod etiam clarè constat ex S. Scriptura: nam Exodi 21. Levitici 23. & Deuteronomi 150. concedebatur Hæbreo, ut se sponte posset alteri in perpetuum servum tradere.

Demum jure nativitatis non minùs licitè introducitur ea servitus; ex hoc enim titulo juxta regulam juris, partus sequitur ventrem, ideóque quicunque ex matre ancilla nascitur, servus est, si Pater sit liber, & sive copula licita,

licita, sive ex illicita nascatur, L. *partum*, Cod. *de rei vindicatione*, §. penult. Institut. *de jure personarum*, C. unic. *de natis ex libero ventre*; si enim Pater in casu extremæ necessitatis habet facultatem à lege ad vendendum filium, quare lex vel ad conservandam vitam Matris, vel aliis justis de causis non condonet Matri impunitatem sub eo onere, ut ipsa, & fructus sui ventris maneat sub Domini servitute? sicut enim ex parte legis, & Reipublicæ habet sæpè aliquis facultatem ad obligandum se, suosque posteros ad aliquid faciendum, & sicut Cives ipsi alicujus Civitatis non solùm se obligant ad aliquid præstandum, sed etiam obligant omnes posteros Cives ejusdem Civitatis, quia alioquin difficilè inveniret, qui eis in sua necessitate succurrere vellet; ita etiam quia Mater in ea necessitate difficilè inveniret, qui eam emeret, nisi simul fructum sui uteri vendere posset, ea de causa leges justè dederunt Matri eam facultatem, ex qua partus sequatur ventrem; unde non aliter intelligenda est ea servitus, nisi juxta præscriptum justæ legis. Quare ubi Jus Civile Romanorum viget, attendendum est ad statum Matris, ex quo favor maximus advenire potest proli; nam ut habetur §. *sed & si quis* Institut. *de ingenuis*, si Mater fuit libera, aut tempore conceptûs, aut tempore partûs, aut aliquo intermedio, filius manet liber, nec nocebit ei præcedens, vel subsequens Matris servitus, ut libertatem, quam semel habuit, amittat. 613.

Quapropter ad justam servitutem ea servari debent, quæ à legibus justis præscribuntur, si in eis inclusa esse censentur; ea de causa infantes capti in bello justo, licèt justè occidi non possunt, possunt tamen fieri servi. Ratio est, quia licèt propter crimen parentum, aut patriæ non possit filius justè occidi, aut verberari, potest tamen privari quàm plurimis bonis fortunæ, ac proinde libertate, quæ inter ea bona non minimum est. Sic filii Hæreticorum, aut illorum, qui committunt crimen læsæ Majestatis, privantur honore, & jure succedendi in hæreditate propter delictum parentum; sic etiam Victor Rempublicam hostilem ab ipso victam punire potest, reddendo eam servam, privando libertate infantes, qui ad eam pertinent, eosque redigendo in servitutem; ad eum quippe modum, quo ejusmodi infantes, quia sunt partes Reipublicæ hostilis, possunt spoliari omnibus à Victoribus, sic etiam possunt libertate privari; hæc enim privatio moraliter censetur pœna damni; occisio autem, verberatio, & mutilatio est pœna sensûs, & quamvis pœna sensûs non inferatur à legibus humanis contra alios, propter peccata parentum, nisi propter peccata personalia, infertur autem pœna damni. 614.

Cùm igitur ex præscripto justarum legum agendum sit, ubi Jus Cæsareum viget, plures conditiones sunt observandæ; sic, ut Pater possit justè vendere filium, requisitæ sunt plurimæ conditiones ab eodem jure, ut, quòd sit propter nimiam paupertatem, & victûs causa, & quòd id liceat soli Patri, non verò aliis, etiamsi alioquin habeant patriam potestatem. Pariter eodem Civili Jure Romanorum redditur irrita liberi hominis venditio, nisi concurrant sex conditiones. Prima, quòd, qui venditur sit major viginti annis. Secunda, quòd sciat se esse liberum. Tertia, ut ad hoc permittat se ab alio vendi, ut ipsemet de pretio participet. Quarta, ut re ipsa de pretio participet. Quinta, ut is, qui eum vendit, sciat eum esse liberum. Sexta, ut qui eum emit, putet eum esse servum. Quare eodem modo discurrendum est de libertate; nam juxta præscriptum legum, plurimis modis potest servus fieri liber, videlicet si Dominus manumiserit servum, si illum ægrotum dereliquerit, eique alimenta non præbeat, si servum in filium adoptet, hæredem instituat, vel Tutorem filio suo relinquat, aliisque modis se gerat à lege præscriptis, de quibus fusè Lugo disp. 6. sect. 4.

Nota de ea sectione quarta Cardinalis de Lugo extare Bullam Pij V. quæ incipit, *dignum, & rationi congruum est*; & altera Pauli III. quæ à Pio ibi citatur, in quibus conceditur, & renovatur facultas Conservatoribus Urbis Romanæ, ut quoscunque sclavos jam factos ad dictos Conservatores pro libertate confugientes, & libertatem proclamantes liberare possent, eosque sic liberos factos pro liberis hominibus, & Romanis Civibus ubique Terrarum habendos esse decernitur. Addit tamen idem Cardinalis de Lugo, hæc verba suscipienda tantùm, quòd extra territorium, & dominium temporale Pontificis non habeatur defactò rata illa libertas, sed Domini, ubi primum inveniunt servos suos extra illud territorium, eos sibi in pristinam servitutem revocant; ita enim à fide dignis accepi, qui diu in hac Curia versati sunt. Quæ ad servos ordinarios, eorumque manumissionem attinent, sive mancipia propriè dicta sint, sive servi originarii, & adscriptitii, qui nempe Dominis suis non tantùm ratione possessionum, & bonorum suorum, sed etiam personaliter ad culturam agrorum, V. G. & alia obsequia obligati sunt, agitur Lib. 1. Decret. toto Tit. 150. quamquàm enim originarii, seu adscriptitii jam pauci reperiantur, at aliquos adhuc extare in Germania, fatetur Filliutius, & Filincha ad istum 18. Tit. Juris. 615.

Assero 2. Homo liber, jurisque proprietatis capax, si rei natura id patiatur, nullaque lege sit irritum, comparat per effectionem dominium proprietatis in rem effectam. Probatur, & explicatur simul conclusio. De jure naturæ est, quòd causa libera dominetur suo effectui, si legitimè non impediatur; cùm enim causa libera sit domina sui actûs liberi, est etiam domina operis subsecuti; ex eo enim, 616.

quòd effectûs se totum causæ debeat, debet quoque subjacere dispositioni, quam de eo causa faciat; sicut, qui est Dominus arboris, est etiam Dominus fructuum, si natura fructûs id patiatur, nullâque lege irritetur; ergo in eo casu comparatur per effectionem dominium in rem effectam. Confirmatur. Licèt dominium non acquiratur per effectionem, si natura rei id non patiatur, ut patet in Patre, qui quamvis filium causet, non habet dominium proprietatis in filium, qui filius utpote jure naturæ secundùm quid liber non patitur servitutem, ex præcisa ratione effectionis, seu nativitatis, ut olim per errorem existimârunt quidam barbari, de quibus meminit Raynaudus lib. 3. de virtutibus c. 2. num. 106. Cùm enim Pater ratione nativitatis tantùm habeat concessam ab Authore naturæ potestatem gubernativam in filium, proindeque ordinatam in bonum filii, non habet in illum dominium proprietatis, sed jurisdictionis, ut sæpe diximus; tum etiam licèt dominium non acquiratur per effectionem, quando lex actionem irritat, ne per illam dominium obtineri possit, ut de illo, qui mala fide in alieno solo ædificat, expressè decernitur Institut. *de rerum divisione*, §. *ex diverso*, & §. *certè illud constat*, versiculo *nam scienti alienum solum*; at quando natura effectûs titulo effectionis patitur dominium proprietatis, nec actio à lege ulla irritatur, eo ipso dominium proprietatis attinet ad effectorem; siquidem à nullo impeditur, ne tunc debitum suum pariat effectum; ergo &c.

627. Assero 3. Jure gentium res legitimè occupata fit occupantis. Probatur facilè: illæ res legitimè ab aliquo occupantur, quæ juxta præscriptum legum occupantur tanquam propriæ; sed quæ ita occupantur, jure gentium fiunt occupantis; ergo &c. Probatur minor ex §. *singulorum*, Institut. *de rerum divisione*, ubi dicitur, *singulorum autem hominum multis modis res fiunt; quarundam enim rerum dominium nanciscimur jure naturali, quod* (sicut diximus) *appellatur jus gentium; quarundam verò Jure Civili;* & post pauca §. *ferè*, ita subjungitur: *feræ igitur bestiæ, & volucres, & pisces, & omnia alia, quæ in mari, Cœloque, & terra nascuntur, si ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt*: ergo &c. Confirmatur. Ex eo, quòd hæc bona extrinseca infra hominem sint, eique in ipsius utilitatem subjecta, congruum est rerum divisioni, ut quæ sub nullius adhuc dominio sunt, fiant illius, qui eas legitimè primò occupaverit, proinde eo titulo occupationis acquiratur jus in animalia nondum mansuefacta, in lapillos pretiosos, qui in littore maris, fluminibus, & promontoriis reperiuntur, in ligna cæsa sylvæ communis, in mineralia, & alia ejusmodi, quæ in locis communibus reperiuntur; quod introductum esse videtur propter causas urgentes omnibus, vel ferè omnibus gentib⁹, communes; aliter non dicerentur in jure acquiri earũ rerũ dominiũ per occupationẽ jure gentiũ; ergo; &c. Ex dictis

628. Fit 1. non acquiri ex hoc titulo dominium per occupationem non legitimã, ac proinde neque per illam, quæ humano modo non fit: legitima enim occupatio fieri debet corpore, & animo; animo quidem habendi rem illam, ut suam, corpore autem eam physicè apprehendendo: unde non sufficit rem videre, bene verò rem capere, aut per se ipsum, aut per instrumentum suum, v. g. per servum, per laqueum, per canem, & alia hujusmodi. Idcirco non potest titulo occupationis acquiri dominium à dormiente, amente, vel infante, ignorante, vel nolente, cùm ab eis non acquiratur corpore, & animo. Nec obstat quædam lex, feram meo laqueo captam adjudicans alteri eximenti; intelligitur enim, quando adhuc fera potest evadere laqueum, de quo plura Molina disp. 41. & Lugus disp. 6.

629. Fit 2. maximè attendendum esse ad genus animalium, ut dignoscatur, an occupatio eorum sit legitima; ratio est, quia quædam animalia sunt naturali indole mansueta, ut oves, & boves, gallinæ, & id genus alia: unde quamvis longè fugiant, semper sunt Domini, à quo fugerunt, non verò primi capientis. Alia verò sunt fera, sive sylvestria, nunquam mansuefacta, & hæc quidem, quamvis à te sint capta, si evaserint in naturalem libertatem, jam sunt primò occupantis, juxta leges venationis, quæ apud plerasque Regiones vigent; dicuntur autem evasisse in naturalem libertatem, quando ita evaserunt, ut difficulter possint comprehendi. Alia sunt naturali indole fera, usu tamen mansuefacta apud aliquos, ut columbæ, cuniculi, & alia hujusmodi, & hæc sunt primi capientis, aut occupantis, quamvis evadant, nisi jam ita mansuefacta sint, ut habeant consuetudinẽ redeundi ad dominũ. Juxta leges Hispanas licet capere columbas, quæ reperiuntur vagantes extra leucã à suo columbario: idq; ibi licitũ esse in conscientia, docet contra alios Cardinalis de Lugo disp. 6. sect. 5. qui eadem disp. latè differit de venatione, piscatione, & lignatione, quæ de sylvis cæsis fieri solet in sylva communi, de pascuis, aliisque similibus, quæ omnia compendiosè congerit Tamburinus lib. 8. in Decalogum Tractatu 2. c. 9. §. 2. & 3. Cæterùm plena horum decisio maximè pendet à legibus municipalibus cujusque Regionis, quæ omnino attendi debent; idemque dicendum de jure fodiendi metalla, quæ frequenter Principes per legitimas leges sibi reservant.

630. Circa hoc autem præscindendo à contrariis legibus municipalibus, censet Lessius lib. 5. dubit. 13. quòd si quis in loco publico Communitatis, cujus ipse est pars contra justam prohibitionem pascat, vel ligna cædat, solùm venialiter peccet, nec ad restitutionem teneatur, nisi magnũ detrimentum cõmunitati intulerit, qual censetur illatũ, si multas stirpes notabiles incideret, aut grandes arbores ædificiis idoneas, vel si locus ille, alioquin communis, sit justè e-

locatus

locatus alteri; nam tunc peccaret pro ratione rei ablatæ, vel damni illati, quod ſæpe multò pluris eſt, quàm res ſuccisa valeat, & tenebitur ad reſtitutionem. Quamquàm obligatio ad reſtitutionem intelligenda eſt, ſi perſona, vel Reſpublica poſſidens locum, ſolet curare recuperationem talium rerum; alioquin ſi non ſolet curare, ſed ſatis ei ſit, ut comprehenſi mulctam luant, non erit neceſſaria reſtitutio. Ratio eſt, quia ex ea praxi infertur, leges illas pro damno illato non obligare, niſi ad mulctam, ac proinde elocantem, ſi juxta legum conſuetudinem elocaverit, contentum eſſe, ut comprehenſus mulctam luat, quæ major eſſe ſolet, quàm res ablata, vel illatum damnum: quod etiam extendit Leſſius ad Incolas duorum Oppidorum, vel paganorum habentium loca, palcua, vel ſylvas cæduas, ſi alterum in alterorum ſylvis hinc inde lignentur, quia cùm paſſim ſciatur id ab utraque parte fieri, cenſentur communitates viciſſim condonare, quod ereptum fuerit, contentæ mulctâ, ſi qui in furto capiantur.

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

631. OBjicies 1. contra primam aſſertionem: ſi nomo reverâ acquireret jus proprietatis circa ſervum, nunquam poſſet ſervus licitè fugere; ſed poteſt quoque licitè fugere; ergo &c. Reſp. diſt. maj. non poſſet licitè fugere pro caſu, pro quo ſibi facultas à lege ſervitutis collata non ſit, con. pro caſu, pro quo collata ſit, neg. maj. & diſtincta pariter min. nego conſequentiam. Ratio eſt, quia licèt ſervi ex juſta venditione liberè ab ipſis facta non poſſint licitè fugere, ex eo, quòd ex tali lege ſervitutis teneantur ſtare contractui, quod etiam extendit Leſſius ad ſervos ex juſta condemnatione, & ad filios ancillarum, qui ex prædictis duobus titulis ſunt in ſervitute; at ſervi ex jure belli juſti, ut tenent Soto, Sanchez, Lugo, & plures alii contra Navarrum, poſſunt licitè fugere ad ſuos, ex vi legis de tali ſervitute, ad quos ubi pervenerint, fiunt liberi, ut habetur *§. item ea*, Inſtitut. *de rerum diviſione*, ubi expreſsè ſermo eſt de ſervis captis à Romanis in bello juſto: liberi homines capti in bello juſto in ſervitutem noſtram reducantur, qui tamen, ſi evaſerint, ad ſuosque reverſi fuerint, priſtinum ſtatum recipiant.

632. Ex hac nempe lege valde probabiliter arguitur, eos fugiendo non peccâſſe; alioquin daretur eis libertas in præmium iniquitatis, & quidem Legislator tanto propoſito præmio eos ad peccandum alliceret, à quo potiùs ſupplicüs deterrere debuiſſet: unde ſi ex vi hujus legis eam facultatem habeant, ut tot Doctores docent, poterunt licitè fugere, nec furtum committent ſe ita ſubtrahendo à ſervitute. Cæterùm, ſi antequam perveniant ad ſuos, capiantur, manent in ſervitute, nec poſſunt vi reſiſtere Dominis perſequentibus, nec alii poſſunt eis fugam conſulere, quandoquidem lex non extenditur ad iſtos effectus. Dixi *ex jure belli juſti*; nam ſi ſit injuſtum, poſſunt fugere etiam vi reſiſtendo Dominis, ut faciunt Chriſtiani à Turcis capti; imò cum ſpoliis poteſt etiam licitè fugere quilibet ſervus, ſi valde inhumaniter tractatur, aut mulcùm incitetur à Domino ad peccandum, quia in iſto caſu jus naturæ facultatem ad hoc concedit.

Objicies 2. contra ſecundam aſſertionem: 633.
ſi ratione effectionis poſſet quis acquirere dominium rei factæ, ille, qui ex materia aliena efficeret aliquod opus, acquireret dominium in tali opere: ſed hoc repugnat lumini naturæ; ergo titulus effectionis non ſufficit ad dominium. Reſp. diſt. maj. ex re aliena concurrentibus circumſtantiis à lege præſcriptis, conc. deficientibus illis circumſtantiis, neg. maj. & diſtincta pariter min. nego conſequentiam. Ratio eſt, quia licèt nullus poſſit ex re aliena ſibi commodum propria auctoritate accipere, at poteſt commodum conſequi, ſi quandoque opus fiat, modo, quo leges validam facultatem concedunt ad dominium rei effectæ; talis quippe facultas conceditur ſub determinatis circumſtantiis, *§. cùm ex aliena*, Inſtitutis *de rerum diviſione*.

Ibi enim ita præſcribitur: cùm ex aliena 634.
materia ſpecies aliqua facta ſit ab aliquo, quæri ſolet, quis eorum naturali ratione Dominus ſit, utrum is, qui fecerit, an potiùs ille, qui materiæ Dominus fuerit, ut ecce, ſi quis ex alienis uvis, aut olivis, aut ſpicis, vinum, aut oleum, aut frumentum fecerit, aut ex alieno auro, vel argento, vel ære vas aliquod fecerit, vel ex alieno vino, & melle mulſum miſcuerit, vel ex medicamentis alienis emplaſtrum, aut collirium compoſuerit, vel ex aliena lana veſtimentum fecerit, vel ex alienis tabulis navem, vel armarium, vel ſubſellium fabricaverit, & poſt multam Sabinianorum, & Proculianorum ambiguitatem placuit media ſententia exiſtimantium, ſi ea ſpecies ad priorem materiam reduci poſſit, eum videri Dominum eſſe, qui fecerit, ut ecce vas conflatum poteſt ad rudem naturam æris, vel argenti, vel auri reduci; vinum autem, vel oleum, aut frumentum ad uvas, vel olivas, vel ſpicas reverti non poteſt; at nec mulſum quidem ad vinum, vel mel reſolvi poteſt. Ecce circumſtantias à lege præſcriptas circa præſentem caſum. Circa alios ſimiles ſunt aliæ circumſtantiæ ab aliis legibus præſcriptæ toto eo titulo *de rerum diviſione*. Cùm autem dominium, ut ſæpe diximus, à lege collativa juris proprietatis habeatur, ad hos, ſimilesque caſus reſolvendos recurrere debemus

ad legem; & ubi lex justa dominium concesserit, obtinebitur ab illo, cui concessum fuerit, secus si à nulla lege ei concedatur. De onere autem restitutionis ratione rei acceptæ, aut injustæ acceptionis, infrà latè agendum est.

635. Objicies 3. contra tertiam assertionem: si titulus occupationis sufficeret ad dominium, ea, quæ in tempestate projiciuntur levandæ navis causâ, essent primò occupantis, & alia, quæ Dominum habent, si aliter peritura essent; sed hoc dici non potest; ergo &c. Resp. nego maj. quia ut habetur §. ult. Instit. *de rerum divisione*, ea, quæ in tempestate projiciuntur levandæ navis causâ, libentissimè Dominus servaret, si posset, & postquam ejecit, & in portum evasit, summè desiderat ea recuperare; unde iniqua est consuetudo, quæ in quibusdâ locis servatur, vi cujus bona ejusmodi habentur tanquâ derelicta, & quæ possessore careant; nam præterquâ, quod est contra jus naturæ, utpote alieni occupatio, & magna in miseros crudelitas, est etiâ contra jus Cæsareũ, Auth. *navigia*, Cod. *de furtis*, quin potiùs si sint bona Christianorum, occupantes illa incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini.

636. Fit 1. non fieri primò occupantis rem illam, quæ ab occupante invenitur, quantumcunque aliter periclitaretur. Ratio est, quia ut habetur ex L. *Pomponius*, ff. *de acquirendo dominio*, quælibet res nostra, quantumcunque periclitetur, manet nostra, quamdiu non est consumpta, nempe si cupimus eam nostram manere; cùm enim Dominus possit rem suam destruere, potest quoque velle retinere dominium, usque dum destruatur: unde si ovis nostra ex faucibus lupi, aut domus ab incendio eripiatur, manet nostra: quare quod docet Navarrus, nempe posse nos talia retinere, si cum aliquo vitæ periculo ea ex undis eripiemus, non est absolutè verum, nisi quando rationabiliter credi potest, Dominum permittere res hujusmodi, sive ejectas, sive è naufragio periclitantes, ei, qui periculo se voluerit exponere, ut quando res illæ statim essent perituræ, & non sine discrimine possent recuperari, ita ut periculum tanti æstimetur, quanti res ipsa: nam licèt tunc Dominus jus habeat rei vindicandæ, tamen recuperator potest exigere æstimationem sui laboris, & periculi, ideóque si Dominus nihil dicat, poterit retinere tanquam ratione periculi concessum.

637. Fit 2. Ad istum occupationis titulum, ubi jus municipale non repugnat, reduci posse thesaurum inventum, qui, intelligendo nomine pecuniæ alias etiam opes mobiles, definiri solet, vetus depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat. Jure gentiũ dicitur esse primò occupantis; & hoc quidem, ait Lessius, quamvis sciri posset, à quorum majoribus fuerit absconditus. Ratio ejus est, quia quod tanto temporis spatio desijt posse dominio cujusquam. Nihilominus Cardin. de Lugo censet, tunc thesaurum pertinere ad legitimos majorum hæredes, qui non desierunt possidere jura, quæ ex suis majoribus ad ipsos perveniunt, & ea usque ad tempus ignoraverint. Jus autem commune circa thesaurum inventum plura decernit tum L. unic. Cod. *de thesauris*, tum Instit. *de rerum divisione*, §. *thesauros*, ubi dicitur: *thesauros quisquis in loco suo invenerit, Divus Adrianus ad naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui eos invenerit*, idemque statuit, si quis in sacro, aut religioso loco fortuito casu invenerit; at si quis in alieno loco non datâ ad hoc operâ, scilicet fortuitò invenerit, dimidium Domino soli concessit, & dimidium inventori; & convenienter si quis in Cæsaris loco invenerit, dimidium inventoris, & dimidium esse Cæsaris statuit. Cui conveniens est, ut si quis in fiscali loco, vel publico, vel civitatis invenerit, dimidium ipsius esse dicitur, & dimidium vici, vel Civitatis.

Hæc autem lex non est pœnalis, sed definitiva proprietatis rerum, proindéque censent communiter Doctores, esse observandam in foro conscientiæ etiam ante omnem Judicis sententiam. Si verò aliquis in loco alieno thesaurum non quidem fortuitò invenerit, sed de industria quæsiverit non volente Domino, vel ignorante, lex decernit, ut totus reddatur Domino; sic enim habetur L. unic. Cod. *de thesauris*; in alienis verò terrulis nemo audeat invitis, id est, nec volentibus, vel ignorantibus Dominis opes abditas suo nomine perscrutari; quòd si nobis super hoc aliquis crediderit supplicandum, aut præter hujus legis tenorem in alieno loco thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc lucrum Domino reddere compellatur. Videtur lex ista pœnalis. Unde censet Lessius, quòd ante Judicis sententiam non teneatur inventor in conscientia totum thesaurum dare Domino loci, sed posse dare dimidium, & dimidium sibi retinere. 638.

Si autem locus duos habet Dominos, alterum directum, & alterum utilem, inventor fortuitus sibi potest dimidium retinere, alterumque inter duos Dominos dividere. Quòd si quis arte magica thesaurum inveniat, censent communiter Doctores ex L. unic. Cod. *de thesauris*, illum pertinere ad fiscum, quamvis in loco proprio, aut communi inveniatur; nam si reperiatur in loco alieno, ea sola pars dividenda est per sententiam fisco, quæ fuisset inventoris, quia Dominus loci hoc maleficiò alterius non debet suo jure privari. Quin potiùs hæc lex à pluribus censetur pœnalis, ac proinde non obligare in conscientia ad dandam partem fisco ante Judicis sententiam. Hæc autem intelligenda sunt de jure communi; unde si in aliis Regionibus sint diversæ leges municipales, aut purè pœnales, aut etiá obligantes in conscientia ante sententiá Judicis, observandæ sunt. 639.

Scio

640. Scio aliquos Authores circa ejusmodi leges aliter discurrere, ut videri potest apud Tamburinum, qui libro 8. in Decalogum Tractatu 3. cap. 1. §. 3. refert aliquos asserentes, iis legibus non obstantibus, utpote solùm pro foro externo, & post Judicis sententiam obligantibus, ut ipsi ajunt, posse inventorem totum thesaurum sibi retinere in conscientia. Huic resolutioni favent etiam aliqui apud Dicastil. lib. 2. quæst. 19. dubitat. 15. unde resolvit Caramuel lib. 2. Theolog. Moralis num. 28. operarium conductum ad effodiendum puteum in domo Petri, & invenientem thesaurum, posse illum sibi asservare. Displicet tamen hæc resolutio; nam à primordiis mundi ex eo tempore, quo bona externa divisa sunt, non aliter habentur jura proprietatis, nisi à lege, seu quasi lege, ut diximus à num. 209. Unde quando lex non est pœnalis, sed definitiva proprietatis rerum, ut est ipsa, de qua agimus, observanda est in foro conscientiæ, ex dictis num. 638. Quare quòd Tamburinus suprà citatus docet, videlicet tē, qui vidisti Petrum casu abscondentem hac nocte thesaurum, si es certus non præcisè abscondisse in custodiam, sed animo, ut inposterum haberet, posse cras tibi illum occupare, solùm potest habere locum, quando thesaurus ille ex eo Petri animo prudenter censeri possit res à Domino derelicta; nec sint in ea Regione leges præter illas, quæ bona derelicta, qualia sunt, quæ Dominus à se projicit, & alia similia, solis inventoribus adjudicant. 638.

641. Ex eisdem principiis decidendum est, ad quem pertineant res inventæ, V. G. in via, quarum Dominus ignoratur. Vasquez, Aragonus, & alii censent, res illas fieri primò occupantis, si facta sufficienti diligentia Dominum non invenerit. Cæterùm multò meliùs Molina, Cardinalis de Lugo, Dicastillo, & alii docent, res illas sic inventas, quæsito sufficienter, & ignoto Domino, saltem apud fideles, debere restitui pauperibus, vel locis piis. Ratio est, quia ita habet consuetudo apud fideles, quæ vim legis obtinere videtur, & est conformis præsumptæ Domini voluntati: etenim cùm hæc bona habeant actualem Dominum, quamvis ignotum, non sunt censenda bona derelicta, quæ sint primò occupantis, sed applicanda sunt pauperibus, vel piis locis ex præsumpta Domini voluntate; quod cùm ita ex consuetudine fiat, censendum est, fieri ex lege per consuetudinem introducta, aliter, ut benè urget Molina, ille qui injustè retinuit illa bona, nempe ex furto, vel ex culpabili incuria quærendi Dominum, si postea jam Dominus ignoraretur, nec reperiri posset, ea bona justè sibi retineret.

642. Quòd si in eo casu, ut fatentur Adversarii, nō potest præsumi voluntas Domini, tali inventori favens, sed favens potiùs pauperibus, & causis piis, cur etiam in primo casu non debeat censeri potiùs favens pauperibus, & causis piis, quàm inventori. Idem dicendum est de bonis vacantibus, quæ nempe defunctus nullum habens hæredem reliquit ab intestato. Censendum enim est tacitè disponere de illis in opera pia, nisi in aliqua regione aliter per leges provisum fuerit; nam juxta Dicastillum disp. 9. dub. 14. in aliquibus Regnis applicantur pauperibus, sive per leges, sive per consuetudinem, quæ vim legis obtinuit, quod quidem valde conforme est juri circa bona mobilia peregrinorum, qui absque hærede, & intestati decedunt.

SECTIO III.

De Titulis voluntariæ, & involuntariæ Translationis.

PEr voluntariam translationem acquirit quis dominium in res alterius consentientis, ut fit per commutativos contractus, & testamenta, de quorum legitimitate non est nostrum in præsenti disputare, sed decernere jura habita ex eo legitimo contractu, & testamento. Huc autem pertinent semicontractus, qui minùs propriè dicuntur contractus. Explico terminos. Contractus est consensus reciprocus duorum sensibiliter expressus. Differt contractus à pacto; nam pactum est præcisè plurium consensus, in idem placitum: unde pollicitatio, quæ est promissio ex parte unius, antequam ab alio acceptetur, non est contractus, neque pactum. Quidam sunt contractus propriè commutativi, nempe, qui ex utroque simul sunt obligatorii ex justitia: tales sunt emptio, ut quando aliquid do alteri cum onere reddendi pretium in pecunia, permutatio, ut cùm aliquid do cum onere reddendi aliam æqualem, V. G. panem pro oleo, mutuatum, ut cùm aliquid cum onere reddendi eandem rem in specie. Emphiteusis, ut cùm retenta mihi proprietate rei do alteri usum fructum cum onere annuæ pensionis, idemque suo modo de aliis dominiis imperfectis, de quibus dixi à num. 217. Commodatum, ut quando retenta mihi proprietate do gratis alteri usum rei meæ cum onere eandem numero restituendi. Isti, aliique similes nominati, & innominati contractus, qui ad hos reducuntur, sunt proprii contractus commutativi, & solent in jure venire absolutè nomine contractûs, unde si jus prohibeat contractus in die festo, ad hos adstringitur prohibitio. De his agit fusè Amic. disp. 17. & Ognate Tom. 2. à disp. 2. 643.

Alii sunt contractus improprii, vel semicontractus, qui nempe ex una tantùm parte obligant, tales promissiones aliquæ acceptatæ, seu stipulationes sunt, quæ ad sui adimpletionem obligant ex justitia promittentes, seu stipulantes, non verò promissarios. Differunt stipulatio, & promissio in eo, quòd sti- 449.

Pulatio fit inter præsentes per verba utrinque; Promissio verò nec requirit promissarii præsentiam, nec verba ore prolata: unde omnis stipulatio est promissio, non econtra; quare Castropalao disp. 2. cap. 1. promissio, inquit, est datio fidei libera, & spontanea de re licita: donatio est liberalis propriorum bonorum alteri facta concessio, & si realis est, importat traditionem, & sic differt à promissione; si solùm verbalis, & imperfecta, parùm differt à promissione. Stipulatio est promissio sub quadam speciali forma verborum.

645. Alii dicuntur contractus non quidem commutativi, sed ex sola fidelitate, qui nempe ex neutra parte obligant ex justitia, licèt proprietatem retineant in ordine ad fidelitatem; tales sunt multæ simplices promissiones, quæ nempe promittentè non obligant ex justitia, sed tantùm ex fidelitate; unde ex his promissionibus non acquirit promissarius jus proprietatis in re, nec ad rem; ex aliis verò numero superiori propositis non acquirit jus in re ante traditionem rei promissæ, benè verò jus ad rem: quapropter hujusmodi promissarius habet actionem contra promittentem, non verò ad vindicandam sibi rem, si fortè promittens post factam tibi, & acceptatam promissionè tradidit alteri per venditionem, vel donationem: neque iste emptor, seu donatarius tenebitur tibi promissario illam restituere.

646. Quòd autem non tantùm dentur contractus commutativi, sed etiam ex fidelitate, constat ex ipsa experientia, qua videmus, aliquos sæpè promittere nolendo jus ullum proprietatis, sed testimonium solùm suæ fidei dare per suam promissionem promissario præsenti, & acceptanti, & quidem hoc indubitabile jam apparet etiam ab auctoritate post Innocentium XI. damnantem hanc 42. propositionem: *usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum:* ubi cùm Pontifex damnet tanquam usuarium illum, qui exigit aliquid ultra sortem ex contractu statuto ex fidelitate, manifestè agnoscit extare quatruplex genus contractûs, aliter damnaret contractum chymericum, quod dici non potest. Quamobrem Cardenas explicans hanc justam damnationem disp. 25. cap. 6. num. 56. ita discurrit cum Cardinali de Lugo: mutuator, qui obligat mutuatarium, ut ex gratitudine det aliquid supra sortem, licèt non imponat illi obligationem in conscientia (quia gratitudo non obligat ad gratificationem externam sub mortali, & sæpè neque sub veniali) imponit tamen vinculum humanum promissionis, cui homines honesti, & honorati resistere non audent, quod propterea est novum onus, & quidem magnum. His positis

647. Quæstio præsens est, an quæcunque promissio relatè ad rem gravem obliget graviter in conscientia? prima sententia docet, ejusmodi promissiones obligare graviter in conscientia, si fuerint accceptatæ. Ita multi cum Navarro, Lessio, & Sanchez, quos sequitur Amicus disp. 18. sect. 9. quorum aliqui judicant, obligare graviter, quia ex justitia; alii, quamvis solùm ex fidelitate, ut Rebellus, & Sylvester contra Lessium, & Amicum, id extendunt ad nondum acceptatas, spectato solo jure naturæ, quamvis beneficio juris positivi possint istæ revocari tutâ conscientiâ, exceptis aliquibus casibus apud Lugum, & Amicum. Secunda sententia absolutè docet, etiam acceptatas solùm obligare leviter, ex fidelitate, quæ virtus, ut cum plurimis docet contra alios Lessius lib. 2. c. 47. de veritate, & mendacio dubit. 6. num. 40. ex genere suo non graviter obligat, sicut neque veracitas. Ita Rodriquez, Cajetanus, Armilla, & alii apud Sanchez lib. 1. de matrimonio disp. 5. quibus valde favet Meracius disp. 19. de justit. & jure sect. 10. ubi loquitur de acceptatis; nam de non acceptatis dixerat quæst. 5. neque sub veniali obligare, sed posse licitè revocari, quamdiu non acceptantur. Tamburinus lib. 8. Tractatu 3. cap. 6. §. 2. num. 8. latiùs ait, simplicem promissionem gratuitam, & etiam acceptatam, nisi accedat scriptum, stipulatio, vel juramentum, ad nihil obligare. Tertia sententia media, quam ex Molina illustrat Cardinalis de Lugo Tom. 2. disp. 23. docet, promissionem acceptatam obligare juxta animum promittentis, graviter quidem, quia ex justitia, quando promittens id intendit; leviter verò, quia ex sola fidelitate, quando sic promittens solùm vult dare simplicem fidem alteri de re facienda, non verò jus.

Assero v. cum tertia sententia: promissio, 648.
ad quam promittens solùm se vult obligare ex fidelitate, non verò ex justitia, neque intendit se obligare sub gravi, sed tantùm vult dare simplicem fidem de re facienda, non obligat promittentem sub gravi. Probatur facilè: sicuti gratuitò potest donare rem suam, videlicet librum, etiam potest ante traditionem libri dare simplicem fidem alteri de dando libro per gratuitam promissionem, nolendo tamen se obligare, nec dare jus, sed tantùm volendo alteri dare simplicem fidem suam, cui debeatur spes, & fiducia promissarij, sicut affirmanti debetur assensus audientis; unde si sub tali promissione promissum non impleas, obligaris subire notam turpem titulo humano conjunctam, quòd nempe dignus non sis, cujus promissis debeatur fiducia, sicut mentiens subit notam, quòd deinceps nemo assentietur ipsi attestanti: ergo sicut hoc simplex mendacium non continet ex genere suo malitiam gravem contra veracitatem, cujus est conformare dicta cum mente; ita neque illud de simplici infidelitate contra fidelitatem, cujus est confor-

conformare facta cum dictis. Confirmatur 1. Istæ virtutes valde sibi cohærent in modo obligandi; ergo si in primo casu non est obligatio gravis, neque erit in secundo. Confirmatur 2. Quia ita videtur inferri ex ipsa experientia; ille enim, qui ex simplici fidelitate promisit, non censetur obligatus sub gravi, licèt censeatur sub gravi obligatus, si ex justitia commutativa promittat; ergo &c.

648. Ex his inferri potest, quid sit dicendum de ludo, an, & quo pacto per illum à jure acquiratur dominium. Certum est, quòd si lucreris cum fraude, vel ab illo, qui non sua perdit, non acquiras dominium, & tenearis ad restitutionem, de quo breviter multa Tamburinus lib. 8. Tractat. 20. cap. 9. aliter verò acquiris dominium in bona sic lucrata, & acceptata, quamvis si ludus alearum plus habens de fortuna, quàm de industria, atque à legibus potiùs prohibitus; unde juxta Dicastil. lib. 2. Tractatu 18. disp. 3. dubitat. 4. non teneris ad restitutionem ante sententiam Judicis latam beneficiò legum in favorem repetentis, quod ludo amiserat, nec perditor, qui solvit, potest sibi compensare: si verò amisisti credita pecuniæ, non teneris in conscientia solvere post leges de hoc latas (etiamsi ludus aliàs non sit prohibitus) ubi viget lex lata à Carolo V. quam memorat Tamburinus juxta Lessium, Molinam, & alios, quos sequitur Diana p. 7. Tractatu 9. resolut. 21. disp. 23. contra Rebel. & alios existimantes te teneri, quamvis possis postea coram Judice repetere, quod solvisti, de quo videndus est Lugus Tomo 2. disp. 32. & Salas Tractat. de contractibus.

650. Hæc valent etiam, si collusuri cesserint beneficio legis. Nihilominus est non modica difficultas, an scilicet contractus per leges civiles irritus, & nullus, fiat validus, ac proinde translativus juris accedente juramento. Dixi *per leges civiles*; nam si promissio est invalida jure naturæ, vel Canonico prohibente sub peccato, & illicitè juratur, & juramentum non tenet. Sit ergo casus quæstionis: habent duo creditam pecuniam, qui contractus alioquin jure naturæ secundùm quid validus invalidatur, & annullatur à lege civili, & ideo dixi illum, qui perdit, non obligari solvere victori, & si solvat, posse in judicio repetere. Quæritur, an si juret, se soluturum, aut si solverit, juret, se non repetiturum, obligetur ad id ex justitia, an ex sola religione. Similiter alienatio fundi dotalis in muliere, renuntiatio futuræ successionis, contractus minorennis absq; auctoritate Curatoris, & alia hujusmodi, sunt contractus invalidi juxta leges civiles: quæritur, quid si accedat juramentum contrahentium. Difficultas est intricatissima à Jurist is, & Theologis profundè discussa, de qua Amicus disp. 17. quæst. ult. Lugus Tom. 2. disp. 22. s. 8. Castropal. to. 3. disp. 20. punct. 9. & Tambur. lib. 3. cap. 3.

Assero 2. cum Castropalao, & aliis: non sunt obligatoria juramenta, si sint contra justas leges civiles jubentes, ac prohibentes aliquid; benè verò, si solùm obest lex permittens; prob. breviter. Minorennis jurans contractum absque auctoritate prætoris, & tutoris, & ludens ludo civiliter prohibito cum juramento solvendi, aliique hujusmodi iniquè jurant, cùm teneantur stare justis illis legibus prohibitivis, & receptivis; atqui ex juramento iniquo non oritur obligatio implendi; ergo qui ita jurat ex ludo solvere, non tenetur ad solutionem; ac proinde non sunt obligatoria juramenta, si sint contra justas leges civiles jubentes, ac prohibentes aliquid; econtra si lex tantùm sit permittens, qui juramento se adstrinxit ad non utendum permissione legis, tenebitur servare juramentum; sic minorennis, qui juravit non repetere in judicio, quod donavit, & ludens, qui juravit non repetere in judicio, quod jam solvit propter ludum, & alii hujusmodi tenentur stare juramento, & non repetere, quod persolverunt; quandoquidè istæ repetitiones non jubentur fieri, sed permittuntur, & includuntur à lege, ut, qui voluerit repetere per sententiam, rem obtineat; ergo quando juramentum est contra leges civiles justas, & validas prohibentes, & decipientes, non obligat, benè verò, si tantùm sit cessio legis permittentis, nemo enim potest justè transgredi legitimũ præceptum prohibens, at potest legitimè cedere favori legis permittentis; ergo non potest juramento valido se adstringere ad agendum contra illam legem prohibentem, licèt validè possit se adstringere ad cedendum favori legis permittentis. 651.

Quapropter contractus invalidus juxta legẽ civilem præcipientẽ, & prohibentẽ, nequaquam potest fieri validus ex accessione juramenti; unde Castropalaus non solùm probabilem, sed valdè probabilem censet istam sententiam, quam postea limitat excipiens aliquos casus, in quibus juramentum validat contractus, alioquin invalidos propter aliquos textus, quos satis aptè interpretatur Tamburinus, ut generaliter nostram doctrinam tueatur. Cæterùm ad plenam ejus intelligentiã præ oculis habendum, quod sæpè diximus de differentia inter obligationem ortam ex justitia, & ortam ex religione; unde qui juravit se non rescissurum contractum jure humano rescindibilem, aut non repetiturum à Judice pecuniam, quam solverat ex ludo, & ex lege favente repetere poterat, si reperat, postquam juravit se non repetiturum, peccabit quidem contra religionem, non verò contra justitiam, ac proinde non tenebitur ad restitutionem; quare si obtinuit relaxationem juramenti à potente relaxare, manet liber ab obligatione etiam Religionis, & ad nihil tenetur in conscientia. 652.

Titulus translationis involuntariæ talis appellatur, eò quòd sæpè fiat positivè resistente eo, qui privatur dominio transeunte ad alterum videlicet per sententiam Judicis; sententia vel 653.

est

est privativa, ut quando duo contrahunt statuendo sibi pœnam, si deficiant à contractu; tunc enim eo ipso, quòd unus deficiat, alter acquirit jus ad rem illam pœnalem, & sic per sententiam privatam transfertur jus unius, quantumvis resistentis, in alterum, & hoc quidem ante sententiam Judicis, nisi hæc sit exspectanda juxta mentem contrahentium, ut Molina ait, quamquàm alii cum Tamburino, & Sanchez valdè probabile censent, pœnas has non obligare ante sententiâ Judicis, nisi id expressè contineatur in pacto. Cæterùm si sententia sit publica, potest dupliciter considerari; nam altera dicitur de Jure gentium, quàm Princeps supremus fert contra aliam Supremum spoliando illum victum dominio rerum jure belli; alia est, quam Princeps, vel Judex fert in subditos Jurisdictioni suæ; & hæc vocatur sententia forensis: de prima agit Amicus disp. 16. de secunda verò Molina disp. 96.

654. Certum est autem, quòd si lex simpliciter decernit privationem juris in pœnam v.g. alicujus delicti, & non dicat incurrendam esse ipso facto, tunc delinquens non spolietur jure suo, ac proinde istud non acquiratur alteri v. g. fisco ante sententiam Judicis, quamvis fiscus per ipsam delicti patrationem ante Judicis sententiam aliquale ad rem illam jus comparaverit, ratione cujus potest facere aliquam conventionem cum delinquente circa illam pœnam, & aliquid exinde facere suum. Difficultas ergo est, quando lex statuit pœnam solvendi, V. G. 100. scuta, vel pœnam confiscationis bonorum, ut lata est contra incidentes in hæresim, ipso facto, id est, ipsa perpetratione delicti incurrendâ; tunc enim ante sententiâ Judicis delinquentẽ amittere jus, & dominium suorum bonorum, & teneri in conscientia illã tradere aut fisco, aut alteri, cui per ejusmodi legem adjudicatur, docent aliqui, & latè Castropalaus de justa hæreticorum punitione; nihilominus

655. Assero 3. cum Molina, & communi sententia, licèt possit Legislator facere, quòd ante sententiam Judicis teneatur Reus bona sua conferre fisco, nullatenꝰ tamen præsumitur, etsi regulariter in conscientia nõ teneatur solvere ante Judicis sententiam non solùm declaratoriam delicti, sed etiam condemnatoriam, & executivam pœnæ. Probatur: leges, quæ decernunt pœnam ipso facto incurrendam quàm optimè explicantur modò, quo sunt receptæ, & ex ipsa experientia nobis notæ; atqui non aliter sunt receptæ hujusmodi leges, neque per experientiam nobis notæ, nisi ut obligantes in conscientia post latam sententiam Judicis, ita ut non censeatur peccare contra justitiam Reus, si ante sententiam latam non abdicet dominium rerum suarum, easque fisco tradat; ergo &c. Confirmatur. Ad intelligendas leges, quæ præscribunt pœnam ipso facto incurrendam, satis est, quòd habeant aliquem effectum, quem non præstant leges de sententia ferenda, & non latâ; sed iste effectus notus nobis est per experientiam; ergo &c. Probatur min. Lex statuens pœnam ipso facto, facit, quòd sententia executiva, quæ postea fertur, retrahatur ad tempus perpetrati delicti, ita ut fiscus v. g. cui per sententiam adjudicatur illa pœna, possit repetere ea, quæ fuerint Rei, & rescindere contractus à Reo factos à puncto perpetrati delicti cum modo, forma, & limitationibus à lege præscriptis, de quibus latè Molina; sed istum effectum non præstat lex statuens pœnam ferendam; ergo &c.

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

OBjicies 1. contra primam assertionem: promissio acceptata jam est pactum, saltem nudum: sed ex pacto oritur gravis obligatio; lex enim canonica obligat ad illud implendum, & quidem, aliquando sub excommunicatione, præsertim si sit sub forma stipulationis; ergo promissio illa obligat ex justitia. Confirmatur 1. Violare obligationem rei gravis, est mortale; ergo & violare promissionem rei gravis. Confirmatur 2. Quia ad id non obstat, quòd non obligetur quis ex justitia, quandoquidem ea promissio, si esset jurata, obligaret sub mortali, & tamen ratione juramenti, sicut & ratione voti nihil ampliùs haberet de ratione justitiæ; ergo &c. Resp. omit. maj. dist. min. ex pacto nudo pertinente ad justitiam, sive commutativo, de quo tantùm intelligitur illud de lege canonica excommunicante, conc. ex gratuito obligante tantùm ex fidelitate, neg. min. & conseq.. Ad primam Confirmationem dist. antec. si obligatio est gravis, conc. si levis, nego antec. & consequentiam; quia non solùm de re levi, sed etiam de re gravi dantur obligationes leves, ut si aliquis vovens rem gravem vellet se tantùm sub veniali obligare; obligatio autem ex simplici fidelitate, sicut & obligatio ex veritate, ut suprà dixi, ex genere suo est tantùm levis, quamvis sit de re gravi.

Ad secund. Confirmationem dist. antec. non obstat, quòd non obligetur quis ex justitia, si obligatur ex alia virtute graviter, conc. si obligatur solùm leviter, neg. antec. & consequentiam; nam in casu argumenti obligat religio, quam graviter offenderes non adimplens rem juratam: sic quamvis simplex assertio contra mentem sit ex genere suo malum leve; at assertio jurata contra mentem est quid grave ratione religionis graviter violatæ. Aalia argumenta, quæ affert Lugo, eodem modo dissolvit, sicut nos hoc argumentum dissolvimus. Addit ibi etiam idem Lugo à sect. 7. de modis, quibus cessant, & omnino deobligant promissiones etiam acceptatæ, & de modis illas irritandi.

tandi, ſeu annullandi, tam ex jure naturæ, quàm poſitivo. Rurſus num. 93. tradidit regulam generalem ad cognoſcendum, quando cenſeatur gratuitò promittens velle ſe obligare ex juſtitia, quando ex ſimplici fidelitate; docet etiam, plerumque eſſe ex ſimplici fidelitate, niſi promittens expreſsè dicat, ſe velle graviter, aut ex juſtitia obligari, quod rarò contingit inter ordinarias promiſſiones. Addit Molina q. 262. num. 12. ſaltem in foro externo cenſeri intentionem fuiſſe ex juſtitia, quando quis ex chirographo, vel ſcriptura publica voluit ſe obligare, idemque cenſet Meracius deciſione 2. num. 2.

658. Objicies 2. contra ſecundam aſſertionem. Contractus in ſe validi, ſed jure humano reſcindibiles, ideo reſcindi poſſunt, quia lex dat actionem contrahenti ad petendam reſciſſionem; atqui accedente juramento lex non dat talem actionem, imò vult juramentum ſervari; ergo ea pacta jurata reſcindi non poſſunt; proindeque juramentò validantur, ſeu firmantur. Reſp. diſt. maj. quia dat actionem pertinentem ad juſtitiam, conc. ad religionem, nego maj. & diſt. minorem, non dat actionem pertinentem ad juſtitiam, nego, ad religionem, conc. minorem, & nego conſeq. ratio eſt, quia in eo caſu, quamvis contractus non ſint reſcindendi, ne promittens peccet contra religionem, à qua graviter obligatur; at non proinde manet obligatus ex juſtitia: unde firmitas talis contractûs non pertinet ad juſtitiam, ſed ad religionem.

659. Objicies 3. Lex loquens de contractibus metu celebratis, v. g. de promiſſione jurata facta latroni, dicit juramenta debere ſervari, ſaltem per ſolutionem momentaneam (talis vocatur, quia facta ea ſolutione ſtatim poteſt repeti) rurſus loquens de aliis ſpontaneè factis, v. g. de alienatione fundi dotalis, abſolutè dicit, juramenta deberi omnino ſervari; ergo in his ſpontaneis ſupponit lex juramentum accedens conferre validitatem, & fundare jus proprietatis. Reſp. conc. ant. & nego conſequentiam; nam intra limites ſolius obligationis ex religione ſtat rectè diſcrimen illud intentum à lege; quoniam metus ille injuſtè incuſſus dat cauſam, ut ſtatim fiat per momentaneam ſolutionem, & ut facilè poſſit juramentum relaxari à Superiore; quando verò juramentum eſt ſpontaneum, etiamſi ſupperveniat contractui, vel reſcindibili, vel nulli, non adeſt talis cauſa: quare ut relaxetur ea obligatio, alia cauſa juſta quærenda eſt, & dum hæc inventa non fuerit, ne relaxetur juramentum, debet ſervari res promiſſa, ſi ſine peccato fieri poteſt.

660. Objicies 4. contra tertiam aſſertionem: qui delinquit contra legem ſtatuentem pœnam ipſo facto incurrendam, ſpoliatur jam jure, & dominiò rerum à puncto perpetrati delicti, ſiquidem jam fiſcus acquirit aliquod jus, ipſique Reo impediuntur multi uſus rerum ſuarum; non enim poteſt dilapidare illas in foro fiſci, jam exſpectantis ſententiam; ergo ipſo facto manent ſub dominio, & jure proprietatis fiſci. Aliqui concedunt conſequentiam, quam plùs habere de nomine, quàm de re cenſent aliqui cum Raynaldo. Reſp. tamen cum Molina: nego abſolutè conſequentiam; nam quamvis fiſcus vi legis patratò delictò comparet jus in re in delinquentis bonis, & hæc ipſo jure maneant obligata fiſco, quoad aliquos effectus, nimirum, ut alienationes deinceps factæ per delinquentem ſint invalidæ; hoc tamen non procedit abſolutè, ſed conditionatè; ſi nempe poſtea feratur ſententia pro fiſco, quod jus conditionatum fiſci non tollit jus, & dominium à delinquente ante ſententiam Judicis, qua non ſecuta, validæ ſemper manent diſpoſitiones ſuarum rerum, quas fecerat delinquens poſt perpetratum delictum: unde illud jus fiſci non vocatur abſolutè jus in re, ſed ſub conditione, quòd ſententiam obtineat.

661. Plures quæſtiones moveri poſſunt circa ejusmodi leges, ſive circa ejusmodi ſententiam Judicis, quæ dici ſolet lex forenſis adjudicans alicui dominium rei; præcipua tamen controverſia, & frequens in praxi eſt, an, quando ex falſa præſumptione procedit Judex juxta allegata, & probata, revera illud transferat, ita ut quamvis Petrus certò ſciens ſententiam ex falſa præſumptione proceſſiſſe, ſed revera nullum habere titulum præter dictam ſententiam ad poſſidendam rem ſibi adjudicatam, poſſit hanc ſibi retinere tutâ conſcientiâ. Cenſeo cum Cardinali de Lugo diſp. 7. ſect. 1. Petrum non poſſe retinere, imò teneri ad reſtitutionem: ratio eſt, quia hujusmodi ſententiæ non conferunt jus, ſed declarant; unde ſi aliunde jus non habeatur, Petrus id certò ſciens abſque ullo jure retinebit res illas, proindeque injuſtè ex mala fide: ex quo unico principio plures aliæ controverſiæ decidi poſſunt.

SECTIO V.

De Titulo Uſucapionis, vel Præſcriptionis.

662. HÆc duo pro eodem ſolent interdum ſumi, quamvis in rigore præſcriptio dicatur de re immobili, qualis eſt domus, prædium &c. Uſucapio verò de mobili, qualis eſt pecunia, triticum, equus &c. Definiri ſolet ita, acquiſitio dominii rei alienæ per continuatam poſſeſſionem bonæ fidei ſpatiò temporis, à lege definito. Eſt ergo uſucapio, ſeu præſcriptio titulus acquirendi dominii in re alterius; hic autem titulus dicitur translatio non voluntaria, quia fit priore Domino aut non ſciente, aut non ſatis reſiſtente, ac proinde non cum poſitiva voluntarietate. De hoc latè

latè Jurisperiti, & Theologi, quos inter Molina Tractatu 2. disp. 6. Amicus, Dicastillus, & alij.

663. Juxta definitionem ergo propositam quatuor conditiones requiruntur ad legitimam præscriptionem: prima est possessio, non modo naturalis, eo modo, quo possident depositarius, aut conductor, sed etiam civilis, quam explicavimus num. 251. & 272. id est non solùm corpore, sed etiam animo; hanc enim omnino requirunt jura: ideóque nunquam possidere possunt ad præscribendum Religiosus professus, si possideat suo nomine, conductor, depositarius, usufructuarius, Tutor, Curator; quia, ut patet, suo nomine non possident, neque laicus circa spiritualia, videlicet circa jus cognoscendi causas Ecclesiasticas, neque ille, qui habet rem suæ Communitatis, siquidem non suo, sed alieno nomine rem illam possidet. Secunda conditio est titulus probabiliter præsumptus, qui nimirum probabiliter existimetur esse validus, qualis est emptio ab eo, quem nescis esse furem: unde quamvis non requiratur verus titulus in re, at sine probabiliter præsumpto non procedit præscriptio tempore ordinario; nam ad præscribendum longissimo tempore censent aliqui, hunc titulum non requiri, si aliunde adsit bona fides.

664. Quare necesse est, ut præsumptio veri tituli non oriatur ex ignorantia juris indubitati, v. g. si putares esse licitum emere à fure; tunc enim, quamvis ignorantia esset invincibilis, probabilius est, nullam esse præscriptionem, ad quam necesse est, ut si accedat ignorantia, sit ignorantia facti, ut si nescias furem esse illum, qui vendit: unde in eo casu probabile etiam est, posse præscribi fructus; non autem rem ipsam furtò sublatam, eò quòd in primo casu sit ignorantia facti, afferens titulum probabiliter præsumptum; in secundo casu est ignorantia juris impediens illum titulum præsumptum. Scio circa hanc, aliasque conditiones esse plures controversias apud Doctores, quæ ad nos non attinent; sunt enim propriè Juristarum, & Canonistarum; ad nos quidem tantùm spectat quærere, quid operetur præscriptio præsuppositis conditionibus à lege præscriptionis præfixis. Porro ad res Ecclesiasticas non debet allegari titulus, si possessio sit temporis immemorialis, in cæteris necesse est probare titulum, quando possessio est minor triennali, seu triginta annorum.

665. Tertia est bona fides possidentis, id est, ut ille prudenter existimet, rem illam, quam possidet, non esse suam, vel certè illam non esse alterius; mala autem fides, cùm existimas, illam esse alterius, quam tamen tu interim servas, nullam parit præscriptionem, ut fatentur omnes Doctores, & affirmant omnia jura, juxta notissimam illam regulam juris in 6. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*, approbatam ab Alexandro 6. C. *vigilanti*, Tit. *de præscriptionibus*, ubi notant accuratè Doctores, quòd dubitatio, qua judicare prudenter non potest certò, vel probabiliter, quòd res illa sit sua, non potest inchoare præscriptionem, neque illam continuare. Rursus mala fides antecessoris nocet successori immediato universali, hoc est hæredi, ita ut sicut antecessor, sic talis hæres non possit præscribere, licèt habeat bonam fidem, si non habeat alium titulum, quo rem illam posset præscribere, ut si eam emisset, vel redemisset; ratio est, quia talis immediatus hæres universalis ita juxta leges repræsentat eandem personam defuncti, ut succedat in omnes ejus obligationes, & onera, quam quidem repræsentationem ex legibus non habet hæres mediatus; tum etiam conscientia erronea impedit præscriptionem, ut colligitur ex L. *si fur*, ff. *de usucapionibus*. Nec refert, quòd circa istam conditionem sint etiam aliqua dubia inter Doctores circa ea, quæ requiruntur ad hanc prudentem probabilitatem; nam ad securitatem conscientiæ, de qua agimus, necesse est, ut adsint ea, quæ ad bonam fidem possidentis requiruntur.

666. Quarta conditio est continuatio possessionis per certum aliquod tempus non interruptum, & à lege definitum, quod quidem diversum est pro rerum diversitate; si autem interrumpatur tempus, tunc dormire dicitur præscriptio, non cessare: quale autem tempus præscribant leges, ita explicatur communiter à Doctoribus: res mobiles præscribuntur triennio inter præsentes, qui nimirum in eadem Urbe commorantur; quadriennio inter absentes, qui nempe extra civitatem, & territorium degunt: res immobiles decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes. Hæc intellige stantibus titulis, & bona fide; nam si sola stet bona fides absque titulo, ut contingere potest in rebus furtivis, requiruntur triginta anni ad præscribendum, tam mobilia, quàm immobilia ex jure communi. Excipe res immobiles Ecclesiæ Romanæ, quæ si præscribi possunt, requirunt centum annos, res aliarum Ecclesiarum, aut aliorum locorum quadraginta, aliquarum Religionum sexaginta, propter specialia privilegia. Quæ omnia sic universaliter proposita plures habent limitationes; nam circa pupillum v. g. nunquam currit præscriptio; contra minorem non currit, nisi triennalis; circa Principem non currit præscriptio, nisi centenaria circa ea, quæ Coronæ annexa sunt; contra Civitates annis quadraginta præscribitur: si verò vendita res est, donata, vel per ultimam voluntatem relicta, præscribitur tantùm annis centum. Valet hic etiam regula illa celeberrima Cancellariæ de pacifica beneficii possessione per triennium, quòd nimirum, si non sis intrusus, aut simoniacus, & pacificè possederis triennio toto beneficium, quod tamen ad alium pertineat, tunc illud incipiat esse tuum, neque

neque in illo molestari possit, ut docent Sanchez lib. 1. Consilior. cap. 1. dubio 2. & Cardinalis de Lugo disp. 7. quæst. 7.

667. Hæ sunt conditiones, quæ ad legitimam præscriptionem requiruntur, & modi in illis conditionibus servandi, qui quidem plures controversias excitârunt apud Doctores, præsertim Canonistas, & Juristas; Nos autem, ut suprà dixi, ab illis præscindimus, & tantùm quærimus pro foro conscientiæ, an legitimè transacto tempore præscripto per leges ad præscriptionem cum conditionibus præscriptis ab ipsis legibus, verè transferatur jus, & dominium rei alioquin alienæ in præscribentem in foro conscientiæ; ita ut res illæ sic præscriptæ maneant tuæ tutâ conscientiâ, etiamsi postea certè noveris illam esse alienam, & absque vero titulo, & consensu prioris Domini tibi obvenisse. Negant aliqui apud glossam C. *vigilanti* ex regula juris 48. *locupletari non debet quis cum alterius injuria, vel jactura*; & ratio esse potest, quia fundamentum præscriptionis est bona fides: siquidem lex peccato non favet; atqui bona fides cessat, ubi cognoscitur rem esse alienam: ergo quantumcunque præscripseris, non potes tu eam retinere tutâ conscientiâ. Alii verò cum Adriano, & Medina apud Amicum censent, præscriptionem tunc solùm valere in foro conscientiæ, cùm supponit culpabilem negligentiam recuperandi rem suam; quia lex præscriptionum, inquiunt, est lex pœnalis: unde solùm potest spoliare priorem Dominum jure suo in pœnam, quando habuit culpam. Secunda tamen sententia est communis, quam defendunt Cajetanus, Sotus, Molina, Lessius, & Cardinalis de Lugo disputatione 7. q. 7. docet, præscriptionem legitimam pro utroque foro juvare, & liberare ab onere restituendi rem legitimè præscriptam.

668. Assero cum secunda sententia: præscriptio legitima pro utroque foro juvat ad retinendâ bonâ conscientiâ rem legitimè præscriptam. Probatur 1. Possunt leges, quando expedit bono communi transferre dominium ex uno in alterum, etiam sine culpa Dominorum, tum ad vitandas lites, tum ne incerta tamdiu maneant rerum dominia, tum ad placandas conscientias, quod certè negari non potest, si leges illæ approbatæ sint per SS. Canones; sed tales sunt defacto leges de legitima præscriptione; ergo legitima præscriptio pro utroque foro juvat ad retinendam bonâ conscientiâ rem semel præscriptam. Probatur min. Nam leges de præscriptione significant re ipsa acquiri dominiũ per legitimã præscriptionẽ; sic enim ait L. 3. ff. *de usucapionibus*: *usucapio est domini acquisitio per continuationem temporis lege definiti*; & L. 1. eod. tit. *introducta est usucapio, ne diu, & ferè semper incerta essent rerum dominia*. Quòd autem leges istæ approbentur à Jure Canonico, exinde infertur, quòd Jus Canonicum solùm reprobat præscriptionem cum possessione malæ fidei; unde à contrario sensu videtur omnis alia præscriptio legitima approbari. Quin potiùs id clarè videtur colligi ex Lateranensi Magno relato cap. fin. *de præscriptionibus*, ubi ideo reprobatur præscriptio cum mala fide, quia lex illam approbans non posset absque peccato mortali observari: en Concilii verba; *quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quam Civilis, cùm generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum; quæ absque peccato mortali non potest observari; unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam*; quibus verbis reprobatur ea præscriptio, quæ est contra conscientiam possessoris, & approbatur præscriptio, quando bona fides semper duravit; unde supponitur, quòd usus talis rei ex vi præscriptionis non constituat hominem in statu peccati, aliàs observantia illius legis non retineturr; ergo &c.

669. Probatur 2. Si leges de legitima præscriptione tantùm essent pro foro externo, non fuisset per illas benè provisum bono communi; non enim deservirent ad sedandas, sed ad illaqueandas conscientias; si enim, ut volebat Adrianus, requireretur culpa ex parte Domini, maxima exinde orirentur dubia, & angores scrupulorum in possessore ad judicandum, vel investigandum de culpa Domini, ut posset rem legitimè præscriptam licitè retinere; unde sic instauratur argumentum: leges de præscriptione vel ideo tuentur possessorem post illud tempus adversus Dominum, quia in dubio præsumunt Domini culpam, vel non; si non præsumunt Domini culpam, quomodo possunt tueri possessorem allegantem præscriptionem, si præscriptio non det ullum verum jus ad illa bona? certè Reus non potest aliter se justè defendere, nisi opponendo Domino aliquod jus verum ad id, quod petitur. Si verò dicas, leges præsumere aliquam culpam in ambiguo Domino, cur possessor etiam non posset eam in dubio præsumere? Cæterùm talis præsumptio neque à lege, neque à possessore asseri potest cum fundamento, proinde impertinens est ad transferendum dominium; non enim est culpa in Domino non recuperâsse rem suã, cùm ad id nullo præceptò teneatur, & multò minus potest esse culpa mortalis, qualem Adrianus exigit ad valorem præscriptionis; ergo ad transferendũ dominiũ per præscriptionẽ non requiritur culpa in priori Domino. Confirmatur. Lex humana de præscriptione, quæ propter bonum commune potuit sine culpa prioris Domini transferre dominium in illum, quĩ legitimè præscripsit, nullam exigit culpam in priori Domino, sed tantùm innuit, id fieri propter publicum bonum, ne dominia maneant incerta, ut constat ex L. *citata* à num. 668. atqui finis iste non obtineretur, si

desideraretur culpa in priori Domino, quandoquidem tunc magis incerta manerent dominia propter incertitudinem talis conditionis; ergo &c.

SECTIO VI.

Solvuntur Opposita.

670. OBjicies 1. Si translatio dominii per legitimam præscriptionem adeò expediens est ad bonum publicum, ex natura rei, & ante omnem legem positivam, haberet præscriptio hanc vim transferendi dominium; atqui ante legem positivam dominium non transfertur; ergo non transfertur dominium per legem, eò quòd sit expediens ad bonum commune, sed in pœnam prioris Domini, proindéque res legitimè possessa non poterit tutâ conscientiâ retineri, si in priori Domino non præcesserit culpa. Resp. neg. maj. quia aliud est, quòd lumen naturæ dictet, hoc esse valde conveniens, simulque expedire, ut lex positiva statuatur, & aliud est, quòd res aliqua maneat jam ante legem positivam devincta in commodum libertatis alterius, ad eum modum, quo dixi de divisione rerum in Mundi primordiis à num. 310.

671. Hæc autem devinctio non habetur ex ea convenientia, sed ex lege, quamvis ea convenientia aliquatenus inclinet ad eam legē faciendam; cùm autem hæc devinctio requiratur ad jus proprietatis, ut num. 179 exinde non transfertur dominium ex illa convenientia ante legem positivam, quin potiùs hæc convenientia non est ex illis, quæ omnino necessaria sunt ad humanum commercium, licèt alioquin utilis sit; unde lex ista est de jure positivo, & non de jure gentium; quamobrem humana lex plures casus excipit, in quibus præscriptio non habeat talem effectum, quia ab ea convenientia non vult in illis casibus induci ad legem stabiliendam. Aliquos etiam excipit, in quibus, ut suprà dixi, longius tempus requiratur, & aliquando fortasse posset in aliqua Republica magis expedire, quòd præscriptio vel nullam, vel saltem tantam vim non haberet; quare opportuit, ut rei hujus determinatio legi positivæ relinqueretur, à qua omnes circumstantiæ partiales considerari possent.

672. Objicies 2. ex C. *vigilanti de præscriptionibus*, ubi Alexander III. dicit, leges propter vitandam segnitiem introduxisse præscriptionem; ergo supponit esse in pœnam Domini negligentis, ac proinde prærequiri culpam. Resp. dist. ant. propter segnitiem vitandam involventem culpam, neg. antec. involventem aliqualem carentiam diligentiæ saltem, ut in pluribus, omitto antec. & nego consequentiam; quia lex de præscriptione attendere potuit ad excitandam in Dominis diligentiam in servandis rebus suis, quæ certè excitatur, si sciant se res suas amittere per legitimam alterius præscriptionem, quamvis carentia illa diligentiæ nulla esset culpa, voluit tamen lex, ut Domini magis attenderent ad res suas custodiendas, quas plures per segnitiam amittunt dando alteri præscriptionem. Voluit etiam lex, ut magis attenderent Domini ad excolendos agros, ad habendam curam de domibus, & ædificiis, aliisque rebus, ne interim propter eorum incuriam ab aliis occuparentur, & præscriberentur, quin potiùs lex, & Pontifex non unam tantùm, sed duas rationes assignant, unamquamque sufficientem ad legitimam præscriptionem translativam juris, quarum altera est propter vitandam segnitiem, altera propter evitandum longi temporis errorem, & confusionem: unde licèt deficiat segnities Domini, manet sufficiens ad transferendum dominium per legitimam præscriptionem ex intentione evitandi incertitudinem dominii, quæ ex diuturnitate temporis provenit. 67

Objicies 3. Quando Judex per sententiam falsæ præsumptionis innixam adjudicat rem alicui, nō obligat sententia in foro interno, nec potest, qui veritatem scit, rem sibi adjudicatam retinere, ut dixi num. 661. ergo neque prætextu præscriptionis liberatur possessor à restitutione, quando scit rem verè ad alium pertinere ante præscriptionem, illumque sine culpa spoliare. Confirmatur 1. ex regula 48. citata num. 667. & ratione ibi subjuncta, quæ non videntur stare posse, quin jus præscriptionis cesset, ubi advenerit cognitio de dominio prioris Domini; ergo &c. Confirmatur 2. Lex de præscriptione est pœnalis; ergo sine culpa prioris Domini non transfert dominium. R. concedo antecedens, & nego consequentiam, quia, ut dixi eo num. citato, Judex non potest conferre dominium, sed declarare, quis juxta leges sit verus Dominus: at Princeps potest ob bonum publicum applicare præscribenti dominium rei; nec facit id ob culpam Domini, ut dixi, sed propter commune bonum, & Reipublicæ pacem. 67

Ad primam Confirmationem nego secundam partem antecedentis, nimirum præscriptionem stare non posse, nisi ut intendunt Adversarii: dico enim, eam stare juxta præscriptum legum: nam regula illa juris docet, alium locupletari non posse cum alterius jactura, nisi justa de causa ob publicum bonum exigatur lege Principis; sic enim potest quis absque culpa spoliari dominio rei suæ. Rursus quamvis fundamentum præscriptionis sit bona fides durans toto tempore à lege definito, at eo elapso non officit jam notitia, quòd res illa fuerit aliena, tunc enim ea notitia jam non generat malam fidem, cùm in eo casu supponat rem illam titulō præscriptionis factam jam fuisse propriam præscribentis. Ad secundam Confirmationem neg. ant. quia, ut constat à num 668. non requiritur culpa ad transla-

tio-

lationem dominii, neque illa exigitur à lege de præſcriptione, ſed ſatis eſt utilitas boni communis, quam lex illa reſpicit, ut ſuprà vidimus.

675. Objicies 4. Licèt lex Eccleſiaſtica in Concilio Tridentino ſeſs. 25. Decreto de Regularibus cap. 19. ſtatuta ſit, quòd Regularis prætendens ſe invalidè profeſſum propter vim, metum, defectum ætatis, vel quid ſimile, &c. non audiatur elapſo quinquennio à die profeſſionis, adhuc, ſi in rei veritate conſcius ſibi ſit de nullitate profeſſionis, non obligatur in foro conſcientiæ ad perſeverandum elapſo quinquennio, ut cum veriori ſententia probat latè Thomas Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 47. ac proinde tempus quinquennii dati ad præſcribendum contra Religioſum, non procedit, niſi pro foro externo, & non ſe extendit ad internum; ergo idem de aliis præſcriptionibus dicendum erit. Reſp. omitto antec. de quo poſtea, & nego conſequentiam; ratio eſt, quia in eo decreto nullum eſt verbum ſignificans translationem juris, aut præſcriptionem, vel ejus defectus; ſed ſolùm negatur audientia illi in foro externo, quod quidem meritò facit Eccleſia ad vitandas lites, & procurandam quietem in hominibus religioſis.

676. At leges decernentes præſcriptionem, non ſolùm dicunt, Dominum antiquum non audiendum, ſed expreſsè dicunt, poſſeſſorem fieri Dominum, acquirere dominium, & alia hujusmodi; unde non ſolùm deſerviunt pro foro externo, ſed etiam pro interno, quod quidem optimè confirmari poteſt à legibus Eccleſiaſticis, quæ cum iſtis ſimilitudinem habent in decernendo: quales ſunt illæ, quæ dicunt hominem habentem impedimentum tale invalidè profiteri, non recitantem debere reſtituere, & non facere fructus ſuos; ſicut enim leges ſignificantes negationem dominii operantur illam in foro etiam interno, pariter leges ſignificantes acquiſitionem dominii, operantur etiam illam in foro externo.

677. Dixi *omitto antec.* quia licèt lex poſſit rei dominium applicare poſſeſſori hoc bonum commune, non poteſt tamen lex humana facere Religioſum illum, qui verè Religioſus non eſt; dominium enim, & jus proprietatis habetur à lege, ut conſtat à num. 209. at votum non habetur à lege, ſed à propria voluntate voventis, & quamvis Sanchez, ubi ſupra propter rationem argumenti in fine fateatur abſque abſurdo, & improbabilitate, quòd Eccleſia illo Decreto obligetur in foro conſcientiæ ad profeſſionem ratificandam; nihilominus veriùs cenſeo cum Cardinali de Lugo, neminem poſſe à lege humana ad votum obligari, niſi in caſu raro, & maximi momenti. Res enim difficillima eſt, ut aliquis invitus cogatur religioſam vitam amplecti; unde non eſt mirum, quòd Decretum illud procedere dicatur ſolùm pro foro externo, & quòd non habeat vim veræ præſcriptionis, quam habent leges de bonis temporalibus.

678. Fit 1. Præſcriptionem transferre dominium non ſolùm utile, ſed etiam directum, ut cum Leſſio, Molina, & aliis docet Cardinalis de Lugo diſp. 7. ſect. 1. ratio eſt, quia nihil juris proprietatis manet in priori Domino, qui erat Dominus plenus, totumque ipſius jus transfertur in præſcribentem, ut ex dictis conſtat; ergo non ſolùm transfertur per præſcriptionem dominium utile, ſed etiam directum. Fit 2. Non poſſe ratione præſcriptionis transferri aliter jus, niſi juxta modum, & normam à lege præſcriptam: unde cùm leges de præſcriptione aliquas afferant exceptiones, ſtandum eſt illis.

679. Præcipuæ ejusmodi exceptiones ſunt iſtæ, nimirum quòd aliquibus, v. g. minorennibus (hi ſunt, qui nondum attingunt 25. annum) Eccleſiis, & locis piis conceditur à jure auctoritate Judicis contra præſcriptionem remedium quoddam, quod vocatur reſtitutio in integrum, hoc eſt, quamvis contra eos etiam ſcientes, & potentes reſiſtere, completum ſit tempus præſcribendi, poſſint intra triennium, poſtquam ſciverint, completam eſſe contra ſe præſcriptionem, reſtitui per ſententiam Judicis in dominium rerum præſcriptarum, id quod etiam ſimiliter conceditur intra quadrienium majoribus ætate in præſcriptione 10. vel 12. annorum, dummodo probent, contigiſſe cum juſta ſua ignorantia, & abſque negligentia. Ex quo roboratur ulteriùs noſtra ſententia; nam cùm exceptio firmet regulam in contrarium ante ſententiam contrariam Judicis, tenet præſcriptio, & pro aliis caſibus ignorantia, & carentia negligentiæ non prodeſt. Hæc ſunt, quæ attinent ad Theologos pro foro conſcientiæ.

DISPUTATIO XIII.

DE INJURIA, SIVE INJUSTITIA.

680. INjuſtitia multipliciter ſumi poteſt, ad eum modum, quo diximus de juſtitia, ſiquidem contrariorum eadem eſt ratio; at in præſenti, cùm de ea injuſtitia agemus, quæ obligat ad reſtitutionem, exinde erit nobis ſermo de injuſtitia commutativa, quæ definiri poteſt violatio juris alicujus proprietatis. Unde erit formalis injuſtitia, ſi ſit voluntaria, & libera violatio. Si autem fiat per inadvertentiam inculpabilem, dici ſolet injuſtitia tantùm materia-

rerialis. Quomodo autem scienti, & volenti non fiat injuria, constat ex dictis â num. 235. quòd autem ad injuriam non requiratur ablatio juris læsi, constat ex injuriis factis contra DEUM, ut dixi à num. 532. imò potiùs censeo cum Esparza quæst. 16. jus non posse tolli formaliter per injuriam; nam si illud jus formale tolleretur per injuriam, jam injuria non esset injuria, quia non esset contra jus, utpote nunc sublatum. De ratione quidem injuriæ, ut auferat Petro rem, quæ ut sua ei debetur; cùm autem non aliter debeatur, nisi ratione juris, quod habet circa illam rem, quæ sua est, exinde si jus non haberet, non fieret illi injuria: unde potest quidem per injuriam oppositam uni juri formali, quod non auferatur, impediri aliud jus, quod est terminus, objectum, seu materies juris formalis; sic habenti jus ad rem potest impediri actione injuriosa jus in re: quo in casu actio injuriosa lædit jus ad rem, & impedit jus in re, proindeque respicit jus in re ut terminum objectum, seu materiam, & jus ad rem ut formale læsum. Pariter, quando interficitur homo, fit, ut sæpe diximus, injuria DEO, qui est Dominus vitæ, & mortis, non tamen fit injuria homini prout destructo, sed quatenus in instanti antecedenti ad destructionem exigebat carentiam actionis destructivæ, & modò anima, quæ est separata, est præcipuum subjectum creatum injuriæ. Si tamen annihilarentur corpus, anima, omnesque partes hominis, in eo instanti annihilationis nulla planè fieret injuria tali homini, cùm in illo instanti nullum est in homine jus proprietatis, neque subjectum creatum habens jus, quod læderetur, fieret tamen DEO, si annihilatio proveniret à non habente potestatem, quandoquidem DEUS in eo instanti retinet jus proprietatis prohibens illam annihilationem. Verùm hæc parùm conducunt ad praxim.

SECTIO I.

An Injustitia sit peccatum ex genere suo grave?

681. PEccatum ex genere suo grave dicitur à Theologis, quod per se loquendo, nisi ab aliqua circumstantia attenuetur, est mortale. Certum autem est, ex aliquibus circumstantiis posse peccatum injustitiæ fieri leve, & veniale, tum ex defectu plenæ advertentiæ, tum ex parte materiæ, nam ut ait Div. Thomas quæst. 59. art. 4. ad 2. dicendum, *quòd ille, qui in paucis facit injustitiam, deficit tum à perfecta ratione jus, quod est injustum facere, in quantum potest reputari non esse omnino contra voluntatem ejus, qui hoc patitur*; puta, si auferat aliquis alicui unum pomum, vel aliquid tale, de quo probabile est, quòd ille inde non lædatur, nec ei displiceat, saltem ea displicentia est modica, & non per se sufficiens ad tollendam pacem, & benevolentiam aut DEI, aut hominum, alioquin, cùm tot sint, & tam frequentes occasiones injuriarum in humana conversatione, & commercio redderetur ferè impossibilis conservatio pacis, & charitatis hominũ inter se, & cum Deo. His positis

Assero cum communi, & certa scientia ex D. Th. quæst. 59. art. 4. Peccatum injustitiæ est mortale ex genere suo. Probatur 1. Quod opponitur charitati, est mortale ex genere suo; Charitas enim est vita animæ, & quod opponitur vitæ, est inductivum mortis, ideóque mortale, injustitia autem opponitur charitati, siquidem charitas intendit bonum proximi, injustitia verò nocumentum ejusdem, quod consistit in privatione boni; ergo &c. Confirmatur. Ideo virtutes non obligant sub lethali ex genere suo, quia non sunt in nocumentum alterius, licèt importent inordinationem quandam circa passiones humanas, quia sub eo respectu non sunt ex genere suo contra virtutem charitatis; ergo ex eo, quòd injustitia ex genere suo lædat charitatem, est quoque ex genere suo peccatum lethale. Consequentia tenet, & antec. patet ex Div. Thoma art. 4. ad 3. ubi ait, dicendum, *quòd peccata, quæ sunt contra alias virtutes, non semper sunt in nocumentum alterius, sed important inordinationem quandam circa passiones humanas, unde non est similis ratio*; quamobrẽ vitiũ mendacii ut præcisè oppositum veracitati, ut dicit difformitatem cum mente, præscindendo à quocunque nocumento proximi, non est ex se peccatum lethale, ut diximus num. 648. 682.

Probatur 2. ex Divo Thoma art. 4. in Corp. ubi assertionem nostram ita probat: peccatum mortale est, quod contrariatur charitati, per quam est animæ vita: omne autem nocumentum alteri illatum ex se charitati repugnat, quæ movet ad volendum bonum alterius, & ideo, cùm injustitia semper consistat in nocumento alterius, manifestum est, quòd facere injustum ex genere suo est peccatum mortale. Confirmatur. Nulla alia est ratio, cur aliquod peccatum contra justitiam sit veniale, nisi desumatur aut ex parvitate materiæ, aut ex defectu deliberationis, vel ex ignorantia invincibili; sed exinde apparet, esse mortale ex genere suo, id est præscindendo ab aliis circumstantiis, ratione quarum proximi displicentia per se loquendo est parva, & facilè in pacem perfectam, & benevolentiam reditura; ergo &c. 683.

Objicies tamen molestam quandam paritatem: in re venerea non datur parvitas materiæ, nec libido venialis; ergo neque in injustitiis. Prob. conseq. quia neque materia libidinis, neq; injustitiæ est indivisibilis, neq; infinita; ergo æqualiter attingit utraque magnum & parvum, ac proinde, quale videtur in injustitia auferre pomum, tale videtur esse in re venerea tangere extremo digito. Confirmatur. Vi- 684.

tium

tium oppositum justitiæ est majus vitiò oppositò castitati, sicut justitia est virtus nobilior castitate; ergo si nihil, quod contra castitatem est, est leve, à fortiori non erit leve, sed grave, quidquid est contra justitiam: neque apparet disparitas ex eo, quòd si omnia contra justitiam essent gravia, fieret difficillima consecutio vitæ æternæ propter frequentes occasiones faciendi injustitiam in rebus exiguis; idem enim dicendum videtur, imò & à fortiori in materia castitatis, utpote non minùs frequens, & periculosa.

685. Communis responsio est conc. antec. & nego consequentiam, quia periculum rei venereæ ob difficultatem cohibendi consensum in actum luxuriæ consummatum, admisso consensu in actiones illas, quæ alioquin censeri possent leves, & materia parva, reddit illas graves. Posse autem actionem ex se levem in ratione delectationis accidentaliter esse gravem, magnique momenti in ratione occasionis, & periculi, patet exemplò scintillæ immissæ in pulverem tormentarium, quæ quid parvum est in ratione quantitatis igneæ, magnum tamen quoad vim excitandi miserandum incendium: nec obest, quòd in aliquo subjecto minueretur multùm, vel cessaret istud periculum; lex enim ordinata in bonum commune specie, non tendit ad individuum, nec convenienter subjiceretur judicio uniuscujusque proprio in causa adeò periculosa, sed circa omnes versatur, propter id, quod ferè in omnibus evenit; multa vera continet ista responsio, at indiget majori explicatione.

686. Quapropter Esparza aliter discurrit, notans, non omnem delectationem ortam ex tactu, visu, ac auditu mulieris esse veneream, seu quod idem est, libidinosam: nam istæ actiones possunt causare delectationem, & complacentiam vel non malam, vel quamvis malam, non libidinosam; sed eam solùm esse veneream, quæ oritur ex actione consummata luxuriæ, vel ex aliis actionibus exercitis cum imaginatione, & cognitione actionis consummatæ. Itaque tactus E. G. quamvis alioquin in se levis, constituitur in ratione venerei non præcisè ex vi excitandi cognitionem, & consequenter complacentiâ impudicâ ad actum consummatum, sed ex conjunctione cum hac cognitione, & adhæsione voluntatis ad complacentiam inde secutam. Sic videtur significare S. Thomas q. 145. art. 5. in Corp. de tactibus libidinosis, inquiens, *& ideo, cùm oscula, & amplexus fiant propter delectationem hujusmodi* (scilicet propter propriam delectationem actûs consummati, de qua immediatè loquebatur) *consequens est, quod sint peccata mortalia, sic sola dicuntur libidinosa;* unde hujusmodi secundùm quod libidinosa sunt, sunt peccata mortalia. Sic etiam intelligi videtur, quod ex Palao affert Tamburinus lib. 7. cap. 8. num. 8. distinguens inter parvitatem in materia luxuriæ, & parvitatem in re venerea, illamque admittens, & istam negans. Hæc valde conducunt ad fugiendas frequentissimas occasiones. His præmissis

Resp. in forma ad argumentum conc. antec. & neg. consequentiam. Ratio disparitatis est; nam venereitas, ut constat ex num. superiori, propter delectationem propriam cujuscunque actûs venerei, qualis est tactus extremi digiti, quamvis non dicat consensû in actû consummatum, involvit tamen eo ipso consensû in delectationē repræsentatam actûs consummati, qui quidem consensus gravissimum malum est in materia luxuriæ; consensus autem in delectationem propriam actionis lethalis, seorsim etiam à consensu in talem actionem est lethalis, juxta Div. Thomam 1. 2. quæst. 47. art. 4. En quomodo in re venerea non datur levitas ex parvitate materiæ, & tactus extremi digiti fœminæ, quamvis possit esse peccatum leve, imò vel nullum peccatum, attamen eo ipso, quòd venereus, & libidinosus sit, est grave peccatum, quod non contingit in furto pomi, ut per se patet, nisi ex tali furto conjiceretur Dominus in necessitatem extremam, aut quid aliquid grave eveniret; eo ipso enim, quòd furtum ex se leve pertingeret ad hunc gradum adducendi scilicet in necessitatem extremam, jam non esset peccatum leve, sicut dixi de consensu in quamlibet actionem pertingentem in rem veneream, ac libidinosam, ex quo lucem, ac robur accipit nostra explicatio. 687.

Ad Confirmationem permitto suppositū antec. quod falsum est; ut enim supra dixi, castitas est nobilior, quàm justitia: hoc autem permisso neg. conseq. ejusque falsam suppositionem, quia non dicimus, nihil dari leve contra castitatem, sed dicimus, dari nihil leve in materia venerea, & libidinosa, quamvis non negemus, multa dari peccata venialia contra castitatem ex levitate etiam materiæ; negamus autem in illis perveniri ad rem veneream: quòd si perveniatur, non erit veniale. Non proinde nego, dari etiam multa mortalia etiam contra castitatem in tactu, visu, auditu, & quin perveniatur ad gradum venereitatis supra explicatum, vel ex ratione turpitudinis specialis aliquorum tactuum ex se graviter inhonestorum, vel ratione periculi, & occasionis, quam homini illos admittenti afferunt incidendi in ulteriora peccata, & venerea, cujus periculi gravitas pensanda est ex circumstantiis, & in hoc habet locum prima responsio num. 686. data; cùm tamen illud periculum nondum constituat venereitatem, admitti potest in illo gravitas, & levitas. Videantur Esparza quæst. 17. Palao tom. 3. Tract. 16. disputatione 5. punct. 9. Filliucius Tom. 2. Tractat. 30. cap. 9. & Tambur. ubi supra, itemque lib. 1. §. 3. 688.

* * *

S E-

SECTIO II.

Quomodo consideranda sit gravitas materiæ Injustitiæ?

689. QUàm difficilis sit hujus quæstionis resolutio, non aliter potest meliùs explicari, quàm proponendo varietatem sententiarum. Tria, ut suprà diximus, sunt bonorum genera, nempe fortunarum, famæ, & honoris, atque in unoquoque bonornm genere sunt tot quasi sententiæ, quot capita, ut constabit ex sententiis circa bona fortunarum, ad quorum gravem injuriam Navarrus assignat dimidium Julium, Salas 1. Lessius, & Medina 2. Valen. & Rebellus 3. Sanchez, & communior 4. Vega 5. Faustus, & Sayrus 3. respectu divitum, 1. respectu pauperum, 2. respectu mediocrium, Bonacina, Diana, Navarrus, & alii 1. scutum respectu personarum Illustrium, & splendidè familiam sustentantium, 4. Julios respectu divitum: communior 2. respectu operariorum, 1. respectu mendicorum: Tamburinus 1. vel 2. respectu pauperum, 4. vel 5. respectu mediocrium 10. respectu divitum 20. vel ferè 30. respectu ditissimi Principis.

690. Medina assignat mercedem diurnam fossoris respectu non valde divitis, vel relatè ad communes homines. Esparza mercedem correspondentem labori diurno. Corduba valorem unius gallinæ. Lessius cum aliis docet, unum aureum, seu scutum etiam respectu divitum, aut Principum esse materiam gravem: id, quod extendit respectu Principum, & Prælatorum locupletissimorum Fagundez Tom. 2. lib. 7. cap. 1. ad duo, vel tria ducata: Lugus disp. 16. sect. 2. assignat unum aureum respectu Principum, & Magnatum, sex, vel septem Julios respectu divitum, quatuor respectu artificum, & valorem victûs diurni, seu diurnæ mercedis, quæ tempore medio inter æstatem, & hyemem datur fossori, respectu pauperum. Marcantius, Munièssa, & alii assignant unius diei victum personæ, cui furaris, proportionatum. Hæc sunt hominum doctissimorum judicia, quot capita, tot ferè judicia, quæ tamen ad duas classes reduci possunt.

691. Prima classis est eorum, qui pro gravitate assignanda non habent rationem personarum. Sic quinque priores sententiæ, quibus quoad hoc favet Esparza, & augere videtur Vigas apud Dianam quæst. 6. Tract. 6. resolut. 48. asserens notabilem quantitatem in furto requiri, ad minùs unum aureum in Regionibus abundantibus pecuniâ. Sed certè videtur negari non posse aliquam materiam esse gravem respectu unius personæ, quæ non esset gravis respectu alterius; non enim omnibus æquale infertur detrimentum per ejusdem quantitatis oblationem, neque omnes videntur æquè inviti: Respondebis cum Esparza in gravitate pensanda per se non debere attendi ad damnum ab aliis circumstantiis pendens; si enim hoc attendatur, omnes conveniemus esse grave furtum à sartore v. g. furari acum, si ille aliter non possit acquirere victum: sed debere attendi quantitatem certam in se relatè ad jus Domini, quod quidem jus non est pejoris conditionis in divite, quàm in paupere.

Idcirco per eandem quantitatem pariter læditur jus Domini secluso alio damno, & certè si damnum illud gradatim considerandum esset, servata bona proportione, facilè erit cuique deducere, nec mille aureos esse gravem materiam respectu Regis potentissimi. Quòd si valde dives, aut Princeps ratione sui status non est invitus, quod sæpe à generosiori indole proveniet, quàm à majoribus divitiis, sed prudenter existimatur permittere, vel saltem non graviter ferre ea furta, alioquin per se sufficienter gravia, hoc jam non tam pertinebit ad levitatem materiæ, quàm ad voluntatem præsumptam Domini, quo in casu cessat ratio furti; ad hanc autem Dominorum voluntatem prudenter præsumendam, atque adeò ad excusandum proinde multa lethalia in furtis proderit multùm illa personarum diversitas bene considerata, non verò ad pensandam gravitatem materiæ secundùm se, quod in præsenti intendimus. 692.

Assero nihilominus 1. cum reliquis Authoribus supra citatis contra istam sententiam: ad pensandam gravitatem injuriæ in bonis fortunæ attendenda est qualitas personæ. Probatur min. Non datur materia gravis furti, seu læsionis juris alterius propter acceptionem extrinsecorum bonorum, nisi quando ratione quantitatis acceptæ cum læsione talis juris posset Dominus esse graviter, & rationabiliter invitus; sed propter eandem quantitatem ablatam, ratione cujus pauper est graviter, & rationabiliter invitus, non posset valde dives esse graviter, & rationabiliter invitus; ergo ad considerandam gravitatem materiæ furti attendenda est qualitas personæ; non enim potest Dominus esse graviter, & rationabiliter invitus, nisi propter rem, quæ accipitur, patiatur gravem juris sui læsionem: sed ea, quæ est gravis læsio respectu pauperis, non proinde est gravis respectu valde divitis, ut ex terminis patet; ergo &c. 693. 694.

Conf. Juxta communem T. T. sententiâ, & etiam Adversariorum non est grave de aliquo dicere peccatum occultum affine aliis peccatis, de quibus ipse jam est infamatus, v. g. de publica meretrice, quod turpiter collocuta sit adolescentibus, de concubina, quòd miserit epistolam amatoriam, de publico latrone, quòd in sua domo furtum attentaverit, & nihilominus si crimen occultum, quod nunc de illo dicis, est alterius generis, nec connexum ordinariè cum aliis, de quibus ille erat publicè infamatus, graviter detrahis, & lædis jus proximi, vel si id facias respectu alterius, qui infa-

infamatus non est; sed id non aliunde provenit, nisi quia respectu unius est gravis læsio juris ea, quæ gravis non est respectu alterius, vel etiam respectu ejusdem sub diversis circumstantiis; ergo ad læsionem gravem in materia proprietatis, & furti attendenda est qualitas personæ.

695. Probatur 2. Juxta communem Doctorum sententiam grave est, revelare de viro probatæ vitæ, & timorato, fuisse perjurum, aut homicidam, aut furatum esse rem notabilem, vel commisisse aliud lethale peccatum; tum etiam dicere de viro aliquo gravissimo nobilissimæ dignitatis, & authoritatis esse mendacem, quæ quidem non essent mortalia respectu viri improbi, aut alterius, qui de peccatis venialibus nullam curam haberet: at hoc non aliunde desumi potest, nisi quia ejus juris læsio respectu unius censetur, & reverà est gravis, quæ respectu alterius neque censetur, neque est gravis; ergo ad læsionem gravem juris proprietatis maximè attendi debet personæ qualitas. Confirmatur explicando Esparzam æquivocatorem: licèt aliquis minùs dives propter generosiorem indolem non graviter indigneturratione quantitatis ablatæ, ob quam alter magis dives indignatur, non exinde tollitur, quin posset graviter, & rationabiliter indignari, ac proinde attendi debet non quidem ad generosiorem indolem, sed ad eam læsionem, quam propter quantitatem ablatam patitur, & ratione cujus posset graviter, & rationabiliter indignari; atqui ea læsio, ratione cujus pauper potest rationabiliter, & graviter indignari, non est sufficiens, ut valde dives possit graviter, & rationabiliter indignari; ergo ad assignandam gravitatem materiæ in hujusmodi rebus attendenda est quàm maximè gravitas personæ.

696. Secunda classis est eorum, qui proportionem servant pro diversitate personarum. Sed proportio, quam aliqui assignant, videtur aliis valde improportionata propter hanc rationem dubitandi; Rex enim opulentissimus incomparabiliter excedit in divitiis ordinarium divitem, quàm hic artificem, & artifex paupertem; cùm tamen multæ sententiæ suprà memoratæ parem ferè assignent excessum inter materiam gravem respectu Principis, ac divitis ordinarii, ac inter hunc, & artificem, ac pauperem: insuper, si damnum attendas, majus est respectu pauperis in furto mercedis diurnæ, quàm respectu Regis in furto aurei, vel respectu divitis in furto 4. aut 6. Juliorum; ergo si illud prius damnum non excedit quantitatem furti gravis respectu pauperis, istud posterius non poterit esse satis ad materiã gravẽ. Respondent plures cum Card. de Lugo, futurũ satis; quia quamvis semel cõmissum non inferat grave damnũ, inferret tamẽ, si graviter non prohiberetur, eòquòd cõmitteretur sæpiùs: unde etiã valde dives, & Rex potentissim⁹ sentiret gravia damna. Displiceat etiã ista sententia sic explicata; quapropter

Assero 2. Ad materiam gravem in injuriis fortunarum non est considerandaproportio personarum, ex eo titulo, quòd si contra Principes committeretur furtum, nec esset reverâ prohibitum, committeretur sæpiùs, & sentirent gravia damna. Probatur 1. quia exinde fieret contra istos Authores, dimidium aureum esse quoque materiam gravem respectu Regis, quia si sæpe repetatur hoc furtum, erit grave damnum, quin potiùs exinde fieret, solam frequentiam prohibendam esse sub gravi, non verò unum furtum unius aurei; atqui, ut ipsi constanter docent, unum furtum unius aurei satis est ad materiam gravem respectu Principis; ergo materia gravis in ratione furti non pensanda est ex eo titulo, quòd si graviter non esset prohibita, committeretur sæpiùs, & exinde Princeps sentirer grave damnum. 697.

Probatur 2. Aureus sæpe ablatus non est ablatio unius aurei, sed multorum; ergo si grave damnum respectu Regis non est aureus, sed aureus sæpe ablatus, non erit furtum grave ablatio unius aurei, sed multorũ respectu Regis; sed hoc est contra Adversarios, ergo titulus, quem ipsi assignant, nullius est roboris. Conf. 1. Respectu pauperis assignatur per Vos pro materia gravi quantitas, quæ semel ablata est grave damnum; ergo similiter respectu divitum assignari debet quantitas, quæ semel etiam ablata sit ipsi grave damnum, alioquin minùs consuleretur pauperibus, quàm divitibus. Confirmatur 2. Sicut quantitas unius aurei sæpiùs ablata est grave damnum respectu Regis, ita quantitas unius oboli sæpiùs ablata erit grave damnum respectu pauperis; ergo si ob eam rationem unus aureus est grave furtum respectu Regis, etiam unus obolus erit grave furtum respectu pauperis. Vide alias impugnationes apud Esparzam quæst. 28. 698.

Assero 3. Materia gravis in ratione injustitiæ commutativæ ea est, ratione cujus Dominus posset esse graviter, & rationabiliter invitus: proinde si sit persona extranea, in bonis fortunæ, satis est ad materiã gravẽ unius diei victus personæ, cui furaris, proportionatus. Conclusio ista duas continet partes: prima quidem certa est apud omnes; etenim si materia furti talis sit, ut ratione ipsius Dominus manere posset graviter, & rationabiliter invitus, sufficiens quoque est ad lædendam graviter charitatem, & pacem: ut ex terminis patet: atqui materia, quæ ex se sufficiens est ad lædendam graviter charitatẽ, & pacẽ, sufficiens quoque est ad peccatũ grave contra justitiam, ut cum Divo Thoma, & ferè omnibus Doctoribus diximus à num. 683. ergo &c. Confirmatur. Finis justitiæ (cùm hæc sit virtus ad alterum) est pax inter Dominum, & non Dominum, juxta illud Isaiæ 32. *& erit opus justitiæ pax*; ergo ea materia, quæ per se sufficit ad gravem indignationem Domini læsi, sufficit quoque ad grave peccatum in ratione injustitiæ. 699.

700. Probatur jam secunda assertionis pars 1. quia victus unius diei personæ extraneæ, cui furaris, proportionatus, ita est cuique necessarius, & conveniens, ut ejus injusta ablatio censeri non possit insufficiens ex natura rei ad lædendam pacem, & charitatem: & quidem nemo prudens non censebit grave respectu cujuslibet privari necessariis ad victum sibi proportionatum, & cogi integro die tali victu carere; ergo hæc censenda est materia proportionata gravis ad injuriam in bonis fortunarum. Confirmatur. Merces mercenarii censetur necessaria ad proportionatum victum illius; sed hæc censetur materia gravis, ejusque retentio graviter prohibetur Levitici 9. *non morabitur apud te merces mercenarij usque mane*; ergo victus unius diei personæ extraneæ, cui furaris, proportionatus censendus est materia gravis ad injuriam in bonis fortunarum.

701. Probatur 2. In nostra sententia non metimur quantitatem rei ablatæ, intra quam continetur materia gravis, per certam quantitatem monetæ, in quo minùs placent sententiæ suprà rejectæ; cùm enim moneta jam plùs, jam minùs æstimetur juxta ipsius abundantiam, vel penuriam, & juxta abundantiam, & penuriam mercimoniorum, certènon bene determinatur ex certa illius quantitate generalis, & certa regula quantitatis furti, neque damni, ut bene notavit Molina, & cum ipso communiter omnes Theologi, cùm necessaria ad diurnum victum unicuique personæ proportionatum faciliùs designabilia sint, & comperta unicuique, simulque compertum sit, grave esse detrimentum ipsi, si cogatur per integram diem carere victu sibi necessario, & proportionato statui suo, hæc inter omnes censenda est generalis, & certa regula, continens gravitatem furti; ergo &c. Confirmatur. Si unusquisque ad se ipsum reflectat, nemo erit, qui non conquereretur contra alterum, si exprobraretur de eo, quòd esset graviter invitus, eò quòd privatus fuisset integra die victu sibi proportionato; ergo lumine naturæ apparet, illam esse materiam sufficientem ad rationabilem, & gravem indignationem. Quapropter sententia nostra sic explicata videtur non posse ab ullo negari, ut supponit Mald. tract. 4. cap. 1. de restitutione. Ex his apparet equidem moraliter certum esse materiâ gravem, atq; ex se læsivam charitatis, si auferas victum unius diei personæ, cui furaris, proportionatum; at ut bene notat ibidem ipse Malderus, supereſt aliud dubium, nempe, an sicut quantitas, quæ respondebat unius diei victui proportionato, sufficit ad furtum mortale, ita etiam requiratur pariter, ut minor quantitas relata ad quamcunque personam insufficiens sit ad constituendam materiam furti gravis? verùm de hoc agemus à numero 713.

702. Assero 4. Gravitas injuriæ circa famam, & honorem eodem modo metiendaest, nimirum si juxta qualitatem personæ sufficiens illa sit ad rationabilem, & gravem indignationem. Probatur facilè ex dictis; quia si talis non sit, sed sufficiens solùm ad inducendam aliquam displicentiam, & tepiditatem in benevolentia, & pace mutua, à nullo prudente censebitur illa injuria gravis, sed levis, seu venialis ex parte materiæ; econtra si injuria illa ex natura sua sufficiens sit ad rationabilem, & gravem displicentiam, nemo prudens censebit illam materiam levem, sed gravem; ergo ista omnino assignanda est tanquam regula generalis. Confirmatur. Doctores illi, qui censent, non esse grave, sed leve, dicere de aliquo, esse iracundum, vel avarum, vel superbum, vel ignarum, non bene argumentatum esse, esse cœcum; aut dicere de Adolescente nobili, esse prodigum, & alia hujusmodi, exinde hoc inferunt, quia censent, per hæc non tam significari peccata, quàm propensiones naturales per se omnibus notas, ratione quarum non potest alter esse graviter, & rationabiliter invitus, nisi fortè propterea vel esset valde contemnendus ab aliis, vel damnum aliquod notabile passurus esset præter infamiam, quæ in his detractionibus ibi relucet; imò illi ipsi Doctores censent, grave esse propter oppositam rationem aliquos defectus naturales occultos manifestare, ut dicere de aliquo esse illegitimum, spurium, Hebræum, & alia hujusmodi, neque aliam pro utroq; casu rationē assignant, nisi quia de ista læsione potest esse graviter, & rationabiliter invitus, non verò de altera; ergo nulla alia regula certa, & generalis est assignabilis, præter istam. Ex dictis

Fit 1. cum Cardinali de Lugo disp. 8. nu. 21. etiam dari in furto gravi materiam levem ratione temporis, ut si acciperes magnam quantitatem cum animo statim restituendi: ratio est, quia tunc non censeretur Dominus graviter, & rationabiliter invitus. Quapropter magnum est discrimen inter istum casum, & alium, in quo accepisses magnam quantitatem cum animo retinendi, & postea statim dolens restitueris; nam in hoc casu peccâsses graviter: ratio est, quia quamvis mutatô statim animô restituas, illa tamen ablatio, ne jam sit grave nocumentum in illis circumstantiis, non quia præcisè grave esset Domino carere re sua per illud tempus brevissimum, sed quia grave est carere re sua cum tanto periculo eam omnino amittendi, quantùm considerare licet ex animo, quo illam furabaris; unde non solùm esset peccatum internum damnificationis, sed etiam externum furti: siquidem illa ablatio externa effecta eo animo interno satis est, ut Dominus possit esse graviter, & rationabiliter invitus: unde satis est ad materiam gravem furti.

Fit 2. Gravitatem, vel levitatem detractionis non sumi præcisè ex gravitate, vel levitate peccati, quod de aliquo dicis, quamvis aliqui Doctores oppositum doceant, sed debere

bere deſumi ex fundamento præſtito ex natura rei relatè ad talem perſonam ad gravem ipſius, & rationabilem diſplicentiam; ratio eſt, quia dicere peccatum de aliqua perſona jam infamata, quod affine ſit aliis peccatis ipſius perſonæ publicis, non cenſetur fundamentum ad gravem, & rationabilem ipſius diſplicentiam, ut de meretrice publica, & latrone dixi num. 695. alia verò valde leviora, quæ dicere de viro aliquo graviſſimo, notiſſimæque dignitatis, & perfectionis, eo ipſo quòd eſſent materia ad rationabilem, & gravem indignationem, revera cenſerentur, & eſſent gravis materia detractionis, ut ibi diximus; ergo etiam in materia famæ, & honoris non deſumenda eſt gravitas, & levitas detractionis à gravitate, vel levitate peccati, quod de aliquo dixeris, ſed ab ipſa detractione relatè ad perſonam, ratione cujus rationabiliter poteſt graviter diſplicere, vel non diſplicere.

SECTIO III.

Solvuntur Oppoſita.

705. OBjicies 1. contra primam aſſertionem: quòd aliqua læſio juris proprietatis ſit, vel non ſit graviter injurioſa, habetur ex ipſa natura rei, cùm læſio illa ſit fundamentum ad gravem, vel levem diſplicentiam perſonæ offenſæ; ergo regula generalis non conſideranda eſt ex reſpectu ad perſonam læſam. Reſp. diſt. antec. habetur ex natura rei relatè ad omnes omnino perſonas, nego, relatè ad perſonam affectam his, & non aliis circumſtantiis, conc. antec. & nego conſequentiam. Ratio eſt, quia, ut ſuprà diximus, illa actio, quæ reſpectu hujus perſonæ eſſet ſufficiens ad gravem, & rationabilem indignationem, non eſt ſufficiens ad gravem, & rationabilem indignationem relatè ad alteram perſonam affectam diverſis qualitatibus; unde quamvis fundamentũ habeatur ex natura rei, tamen ea natura conſideranda eſt relatè ad perſonam, ut cenſeatur gravis, vel levis: ſic ex natura rei habetur, quòd materia ipſa informetur formâ; at quòd iſta materia prima informetur hac, & non alterâ formâ, ſcilicet ligni, & non ignis, non habetur ex materia prima nudè ſumpta, ſed ex materia, ut effecta his, & non aliis diſpoſitionibus oppoſitis.

706. Objicies 2. contra ſecundam aſſertionem: ille titulus ſufficit ad conſtituendam regulam generalem pro materia gravi injuſtitiæ in furto, qui daret occaſionem ad materiam gravem, ſi non eſſet graviter prohibitus; ergo ex illo ſumenda eſt regula generalis ad aſſignandum materiâ gravemin furto. R. diſt. ant. qui daret occaſionẽ gravẽ omitt. ant. levem, neg. ant. & conſequentiam. Ratio eſt, quia ſi daret occaſionem tantùm levem, non ſufficerer ad rationabilem diſplicentiam gravem ratione rei furtò acceptæ, ac proinde non ſufficeret ad conſtituendum materiam gravem in furto. Quamobrem ſi Adverſarij non agnoſcunt materiam gravem in aliquo titulo, niſi juſta ipſius repetitione, eo ipſo ille titulus ſeorſim ſumptus non ſufficeret ad materiam gravem, quod eſt contra ipſos Adverſarios, ut ſupra vidimus. Dixi *omitto antec.* quia ſi titulus ille ſolùm impelleret, ut poneretur poſitiva prohibitio in aliqua ſpecie virtutis, titulus ille nudè ſumptus non ſufficit ad inducendam malitiam gravem in ea ſpecie virtutis, usque dum fieret contra prohibitionem, de quo ſatis diximus, agentes de prima rerum diviſione.

Objicies 3. contra tertiam aſſertionem. 707.
Quantitas requiſita ad diurnum victum magni Principis non tam excedit quantitatem requiſitam in mediocriter divite, quàm bona ſupremi Principis excedant bona mediocriter divitis; ergo ea regula generalis non ſufficit ad deſtinandam materiam gravem reſpectu uniuscujusque. Confirmatur. Quantitas requiſita ad diurnum victum magni Principis major eſt, quàm ea, quæ communiter aſſignatur ad peccatum injuſtitiæ contra ipſum; ergo ex hoc ſaltem capite rejicienda eſt hæc regula generalis. Reſp. conc. ant. & nego conſeq. quia regula generalis non deſumenda eſt ex proportione bonorum, ſed ex læſione ſufficienti ratione quantitatis acceptæ ad gravem, & rationabilem indignationem Domini læſi; cùm autem læſio ablativa victûs diurni proportionati unicuique ſufficiens ſit ad rationabilem, & gravem diſplicentiam, ſufficit quoque ad materiam gravem in ratione injuſtitiæ: unde proportio illa in bonis unius relatè ad bona alterius merè materialiter ſe habet, nec conſtituit rationem fortem materiæ gravis. Ad Confirmationem neg. antec. quia victus diurnus magni Principis, quantùm ad ipſum attinet, dum ſit tantùm proportionatus, non poteſt excedere eam quantitatem, quam plures aſſignant, cùm plures aſſignent 20. vel fortè 30. Julios reſpectu ditiſſimi Principis; ad valorem autem victûs unius diei, & quidem magno Principi proportionati, ac proinde ad materiam gravem, contra ipſum multò minor quantitas ſufficit, ut conſtabit â n. 716.

Quapropter ſi minus accipiatur ex bonis pro 708.
ipſo magno Principe deſtinatis, non cenſenda eſt materia gravis in ea ratione injuſtitiæ. Dixi *ex bonis pro ipſo deſtinatis*; nam ſi magnus Princeps bona aliqua deſtinata haberet pro pauperibus, ad agnoſcendam materiam gravem in furto illorum bonorum attendendus valor victûs diurni requiſiti, & proportionati tali pauperi; ſiquidem nemo prudens dubitabit, quòd relatè ad illa bona ratione illius quantitatis poterit Principi rationabiliter, & graviter diſplicere: ſic bona Minorum, quorum dominium eſt apud Sedem Apoſtolicam, ex eo, quòd ſint ea bona applicata ipſis à Sede Apoſtolica ad ſimplicem uſum facti, & ad

congruam ipsorum sustentationem, hanc regulam servant; unde si aliquis furaretur quantitatem ab aliquo Religioso ad unius congruam sustentationem requisitam, posset Pontifex rationabiliter, & graviter displicere, ac proinde respectu ipsorum censenda est materia gravis, & quæ ex ea destinatione sufficiat ad gravem injuriam Domini. Ex dictis

709. Fit 1. non sufficere ad furtum præcisam acceptionem bonorum alterius, sed requiri talem, quæ satis sit, ut Dominus sit rationabiliter invitus: unde quando pauper in extrema necessitate constitutus accipit alterius bona sibi necessaria, non committit furtum, siquidem acceptio illa in his circumstantiis satis non est, ut Dominus sit rationabiliter invitus, imò quia talis pauper & re, & spe indigens erat, non tenetur restituere postea sic absumptum; nec reverâ furatur, qui alienum accipit per jocum, vel ob bonum, aut commodum illius, à quo accipit: quare uxor auferens marito vinum, ne inebrietur, vel pecunias, ne ludat, aut commessationibus prodigat, vel librum hæreticum, ne contra animæ salutem legat, non furatur. Idem docent alii de famulis, qui valde indigenti dant eleëmosynam non nimis magnam, licèt ob verecundiam, aut aliam similem causam non audeant petere à Domino licentiam explicitam; hæc enim non videntur juxta prudentum judicium sufficientia, ut Dominus eis alioquin non indigens possit esse rationabiliter invitus: quod à fortiori dicendum est de filiis, ut omnes Doctores docent. Ratio autem omnium est, quia domestici, quales sunt uxor, filii, famuli, censentur moraliter pars aliqua Domini, ut bene notavit Malderus Tract. 4. cap. 1. dub. 3. Unde sicut non potest intelligi, ut accipiatur invitô rationabiliter Dominô, quod accipitur ab ipso Domino, ita quod accipitur ab uxore, filiis, & famulis, prout considerantur pars Domini, non potest intelligi, quòd accipiatur invitô rationabiliter Dominô: unde ad cognoscendam materiam gravem, major quantitas in his requiritur, quæ pensanda est ex judicio prudentum, attendentium ad id, quod non attinet ad accipientem, ut est pars Domini.

710. Fit 2. plus requiri ad notabilem quantitatem in rebus alicujus, quæ ultrò proveniunt, & sunt valde exposita, v. g. fructus ad viam publicam, vel si quis à diversis, vel ab uno interpolatim plura parva accipiat; ratio est, quia in his non censetur Dominus graviter, & rationabiliter invitus ratione ejusdem quantitatis, ratione cujus esset rationabiliter & graviter invitus, si ab uno solo acciperetur. Si autem minuta furta ad eam quantitatem accedant, quæ ex prudentum judicio graviter Dominum læderent, certè esset peccatum grave; vel si aliquis gravem quantitatem colligeret ex minutis furtis à pluribus acceptis; violaret enim jus illorum, & obligationem commutativam ex pacto saltem implicito cum Republica, ratione cujus pacti teneretur ad restitutionem non minùs, quàm iniquus distributor, de quo egimus à num. 36. violaret pactum implicitum cum Republica, maneretque obligatus ad restitutionem. Quare Innocentius XI inter 65. propositiones damnavit 28. hanc, *non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Rursus si plures magnam quantitatem accipiunt à Domino, licèt unusquisque parvam accipiat, si sit causa per se damni illati, tenetur etiam ad restitutionem totius; unde idem Innocentius XI. damnavit hanc 39. propositionem, *qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem ipsius damni illati.*

711. Fit 3. Circa domesticos tria esse certa inter Theologos: primum, omnes hos grave furtum posse committere contra maritum, Patrem, vel Dominum, si rem notabilem furentur, quamquàm, ut dicemus num. 738. aliter loquantur Juristæ. Secundum in his omnibus requiri regulariter majorem quantitatem, quàm in aliis ad furtum grave, propter rationem, quam num. 710 dedimus. Tertium, difficile esse determinare hanc quantitatem; pendet enim à multis circumstantiis non facilè reducibilibus ad unam regulam; & quidè inprimis pendet à qualitate materiæ, si nempe furtum sit in pecuniis, an in comestibilibus; nam in his laxiùs judicari solet: deinde pendet à fine, si nempe accipiatur ad aliquem usum necessarium, honestum, utilem, malum, seu vanum, suum, an externorum. Præterea à qualitate patientis, an nempe sit liberalis, an tenax, dives, an pauper, benè aut malè affectus ad suos. Denique à qualitate furantis, si nempe sit uxor, cui plus licet, eò quòd plus censeatur pars Domini, juxta illud Scripturæ, *erunt duo in carne una*, aut filius, cui licet minus, imò & fortè duplò minus juxta Fagun. aut frater, cui etiam minus, aut famulus, cui multò minus. Ratio omnium est, quia in æstimatione morali multò minùs censetur pars Domini famulus, quàm frater &c. Unde ex his inferre debet pluries Confessarius materiam gravem, vel levem in hoc furto domesticorum.

SECTIO IV.

An detur materia gravis infra victum diei proportionatum?

712. SUppono 1. victum dupliciter sumi apud Authores. Primò ampliativè, prout se extendit non solùm ad necessaria esui, & potui, sed etiam ad cultum corporis, & ad omnia, quæ ad vivendum sunt homini necessaria; quo in sensu sub victûs nomine comprehenditur quoque vestis: sic habetur in L. *verbo victus* ff. *de V. S.* ubi Ulpianus ait, *verbô victûs continentur*,

tur; quæ esui, & potui, cultui quoque corporis, quæq; ad vivendum homini necessaria sunt; vestes quoque victûs habent vicem. Cùm autem certum sit, sufficere ad materiam gravem furti quantitatem minorem illâ, quæ necessaria est homini ad esum, potum, vestem, cultumque corporis, exinde non est controversia præsens apud Theologos de victu hoc sensu accepto, sive ampliativè sumpto.

713. Secundò sumitur victus non quidem ampliativè, sed propriè, prout significat ea, quæ necessaria sunt homini ad esum, & potum, ut alat vitam: unde non se extendit ad delitias, aut delicatos cibos, sed ad parvas alimonias unicuique proportionatas, ut vitam alat. Sic Plautus Act. 3. scen. 1. ait: *post illa cœpit victum vulgo quærere*, ubi Donatus in Commentario sic ait: *& rectè victum, & non cibum protulit; cibus est enim, qui delicatis præbetur, victus in parvis, aridisq; alimoniis est constitutus.* Unde Cicero pro Quintio dixit: *cujus non modo amplissimæ fortunæ, sed etiam victus, vestitúsque necessarius;* & Plinius lib. 6. cap. 46. *senior hic in angustissimo Arcadiæ angulo parvum, sed annuis victibus valde sufficiens prædium colebat.* Quare de victu in hac materia, & significatione accepto procedit præsens controversia.

714. Suppono 2. cum Cardinali de Lugo disp. 16. sect. 2. Doctores ferè omnes, licèt post longam inquisitionem, & magnum studium, circa materiam furti fateri non posse regulam aliquam fixam constitui; sed totum id pendere à judicio morali, ita ut DEUS sciat, quando hìc, & nunc materia sit gravis. Nos autem in dubio debemus abstinere; nam licèt possimus certò determinare materiam aliquam, quæ sit levis, v. g. unicum obolum, vel assem, & alteram, quæ certò sit gravis, v. g. centum aureos: inter illa autem duo extrema non possumus certò definire, quæ sint confinia uniuscujusq; materiæ, ita ut circa talem summam sit levis, & ultra illam sit gravis: quare probabiliter tantùm id asserere possumus ex fundamentis, quæ prudenter sufficiant ad judicandum. His positis

715. Assero 1. Victus unius diei propriè sumptus, & statui personæ, cui furaris, proportionatus si relatè ad pauperes, & mendicos unius Julij valorem non excedat, relatè ad magnos Reges intra valorem unius scuti censendus est contineri. Prob. Victus propriè sumptus, ut constat exn. 741. non comprehendit delicias, aut cibos delicatos, sed parvas, aridasque alimonias ad alendam vitam esui, & potui necessarias; atqui ad hujusmodi victum magnis etiam Regibus proportionatum satis est unius scuti valor, si relatè ad pauperes sufficit unus Julius; ergo &c. Probatur min. Ut victus propriè sumptus censeatur magnis etiam Regibus proportionatus, satis est, ut ea, quæ ad victum propriè sumptum pertinent, largè, & abundanter contineat supra largitatem in proportionato victu requisitam pro aliis statibus intermediis; atqui unius scuti valor sufficiens est ad eam largitatem in rebus ad victum propriè sumptum pertinentibus, si unius Julii valor sufficiat ad victum pro pauperibus, & mendicis; quamquàm enim Rex altiorem occupet statum, non exinde acquirit altiorem naturam humanam, aut specie distinctam à natura pauperum, sed eandem retinet; unde si ad largitatem victûs ipsi proportionati non sufficiat quantitas decies major illâ, quæ pauperibus assignatur? quid sufficiet, aut quomodo prudenter possumus majorem assignare? certè absque fundamento non debemus laxiorem quærere.

Probatur 2. Quantitas victûs propriè sumpti magnis etiam Regibus proportionati non debet excedere quantitatem victûs pauperi, & mendico proportionati ad excessum divitiarum inter utrosque, ut ex terminis patet: aliter non diceretur relatè ad magnum Regem victus improportionatus, licèt Rex in victum impenderet ferè omnia, quæ habet, sicuti nó dicitur improportionatus relatè ad pauperem, licèt in victu sibi proportionato impendat ferè omnia, quæ habet; quæ quidem regula ex ipso naturæ lumine apparet absurda: quamobrem proportio illa relatè ad magnos Reges non debet excedere quantitatem, quæ sufficiens sit, ut verè dici possit largitas, & abundantia in victu; atqui quantitas decies major illâ, quæ assignatur mendico, certè est sufficiens, ut verè dici possit largitas, & abundantia in victu; ergo &c. Confirmatur. Communis hodie sententia, quam tenet Bonacina, Navarrus, Reginaldus, & alii cum Diana Tract. 3. resolut. 57. distinguit quatuor classes; prima, quæ magnos divites, & Reges comprehendit, sive illos omnes, qui secundùm statum suum splendidè alunt familiam, & relatè ad istos scutum censetur materia gravis furti, ut plures illorum tenent, vel ut tenent Molina, & alij, ducatus, qui in Hispania, si argenteus sit, continet undecim Julios; si æreus, vix septem, licèt aliqui assignent unum aureum. Secunda, quæ continet mediocriter divites, & relatè ad istos, quatuor Julii censentur materia gravis. Tertia, quæ comprehendit mechanicos, & relatè ad hos duo Julii ad materiam gravem sufficiunt. Quarta comprehendit pauperes, & relatè ad hos unus Julius est materia gravis; atqui hæc quantitas pro unaquaque classe assignata est, quæ correspondet victui proportionato; ergo &c. 716.

Ne autem aliquam æquivocationem patiatur, quatuor istas classes legendo apud Authores notari oporteat, ad materiam gravem non requiri in unaquaque classe integram quantitatem relatè ad quodcunque individuum sub illa contentum, cùm inter individua cujusque classis aliqua diversitas inveniri possit prudentum judicio metienda solùm; ergo per illam classium distinctionem significatur scutum sufficere ad materiam gravem relatè ad quodcunque individuum in prima classe contentum, & sic de re- 717.

liquis classibus; an verò sufficiat minor quantitas, ita ut propter minorem quantitatem debeat Confessarius Pœnitentem obligare ad restitutionem, relinquendum est prudenti judicio Confessarii circumstantias ex officio perpendentis. Videatur P. Molina, qui de justitia, & jure disp. 6. num. 4. ita habet; quia verò non solùm punctum indivisibile attingi non potest in hac materia, sed neque quidquã omnino certum potest statui, non auderem in praxi Confessionis quemquam absolvere, qui unum ducatum fuisset à Rege furatus, & non haberet verum animum eundem restituendi, imò neque eum, qui dimidium esset ab eo furatus: per quæ verba significat, quid esset sibi certum, quid autem dubium.

718. Assero 2. Victus unius diei propriè sumptus personæ, cui furaris, proportionatus, ita est materia gravis furti, ut alia, quæ minor sit, quàm ista, eo ipso censenda sit materia levis. Probatur 1. Materia gravis furti in bonis fortunæ inferenda est ex primaria horum bonorum destinatione; sicut enim gravitas ex genere suo in transgressione præcepti non furandi infertur à Theologis cum Div. Thoma, ut constat à num. 683. ex eo, quòd sit læsiva charitatis, quæ hujus, & aliorum præceptorum finis est, ut docet Apostolus 1. ad Timoth. 1. finis autem &c. ita materia gravis in his fortunæ bonis ex fine suo primario à destinatione horum inferenda est; atqui ex ista primaria destinatione infertur conclusio nostra; ergo &c. Probatur min. Sicut vita est inter bona fortunæ primum bonum, quo fruitur homo, ita bona fortunæ ex primaria sua destinatione deserviunt ad alendam vitam homini: unde statim ac produxit DEUS primos Parentes, dixit illis Genes. 1. *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram &c.* atqui nullum est grave fundamentum ad asserendum, sufficere ad materiam gravem juxta istam destinationem, quæ ad proportionatum unius diei victum est insufficiens, ut patet expendendo omnes relatas sententias Theologorum, licèt sit gravis ea, quæ sufficit ad proportionatum unius diei victum, ut constat à num. 701. ergo &c.

719. Probatur 2. Ea sola dicenda est materia gravis furti, quæ censeri debet notabilis; atqui illa sola, quæ sufficit ad victum proportionatum, est notabilis: non verò illa, quæ insufficiens est; ergo &c. Probatur. min. Ut referunt Navarrus, Molina, & alii, synodalibus Constitutionibus aliquorum Episcopatuum sancitum est, ut nullus excommunicetur pro minori summa furtò ablata, quàm duorum Juliorum; cùm enim excommunicatio pro furto restituendo ferri non possit, nisi culpa lethalis sit illud abstulisse, & nolle velle illud restituere, nec tales constitutiones fieri soleant, nisi pro casibus, saltem regularibus; exinde, qui eas constitutiones statuerunt, arbitrati sunt minorem summam, quàm illam, non sufficere regulariter in furto, eam verò sufficere, & esse notabilem; regulariter autem, qui tales excommunicationes postulant ab Episcopis, non sunt homines pauperes, & mendici ad quartam classem pertinentes, sed saltem mechanici, pertinentes ad tertiam, explicatam num. 717. ac proinde respectu illorum censetur notabilis sola quantitas duorum Juliorum, quæ respondet victui ipsis proportionato, ut ibi diximus; ergo &c.

Probatur 3. In materia adeò difficili, qualis est ista, de qua agimus, ea sententia intelligenda est, quæ & prudens apparet, & ratione cujus possunt in aliqualem conciliationem adduci sententiæ tam diversæ inter Authores; sed talis est assertio nostra: ergo &c. Probatur min. inprimis, quòd nostra sententia sit prudens, nequit negari, cùm hoc satis probent fundamenta hucusque præjacta, tum etiam plures Authores, qui eam defendunt, & inferunt ex communi sententia. Quòd autem ex nostra sententia possint in aliqualem conciliationem adduci tam diversæ Authorum sententiæ, patet, quia eorum Theologorum diversitas exinde videtur procedere: quia aliqui attendunt ad valorem victûs proportionati uni, & alteri classi supradictæ. Certè Molina, qui disp. 685, pro materia gravi furti contra communes homines facti assignat valorem, qui in unoquoque loco sufficit ad conducendas operas unius diei fossoris terræ, tempore, quo non est magna penuria, neque abundantia eorum, qui se ad id locent, & quod pretium pro qualitate Regionis solet esse moderatum, conclusionem suam ita confirmat: quantitas autem à nobis explicata non levis, sed notabilis censetur, eò quòd sit, quod hominibus communiter sufficit ad sustentationem ad sumptus ordinarios unius diei, nempe in victu sibi proportionato; unde primariò respicit proportionatum victum ad gravitatem materiæ cognoscendam, neque est, cur non possit idem dici ad conciliandos alios valores; ergo &c.

Confirmatur. Authores, qui cum Cardinali de Lugo impugnant istam regulam propositam à Molina, ideo illam impugnant, quia non attendunt ad id, quod Molina initiò disputationis præmiserat, scilicet gravitatem esse diversam pro diversa classe statuum; ergo supponunt valorem correspondentem victui unicuique proportionato esse materiam gravem, non verò illam, quæ valori talis victûs non correspondet. Probatur antec. adducendo ipsa verba, quibus Cardinalis de Lugo impugnat eam regulam traditam à Molina, quæ ita habet: si enim dicas, ideo esse gravem, quia respectu cujuslibet censetur grave illud, quo privatur necessariis ad victum diurnum, contra hoc est, quia jam non sufficeret illa merces, ut furtum esset grave factum alteri artifici v. g. non valde diviti, quia huic ad victum diurnũ non sufficit id, quod sufficit fossori terræ; ermajor quantitas debuisset assignari pro furto facto

cto, quod eſt contra regulam à Molina propoſitam; unde aſcendendo ad divites, & Magnates, multò major quantitas aſſignanda eſſet, quàm unius Ducati; nam aliquibus non ſufficiunt viginti, vel triginta aurei in ſingulos dies.

722. Quòd autem iſta impugnatio nequaquàm tangat, neque in minimo lædat doctrinam Molinæ, patet ex ipſius verbis, quæ antea præmiſerat: ſic eſt autem ſatis rationabilis, ac vera ea ſententia, quæ affirmat, majorem quantitatem requiri ad culpam lethalem in furto facto diviti, quàm facto pauperi: idcirco incipiendo à communibus hominibus, cenſet eam mercedem diurnam foſſoris terræ ſufficere ad materiam gravem in furto contra ipſos commiſſo, ut conſtat ex num. 718. unde tanquam ſibi certum ſupponit, ſufficere undecim adſummum Julios ad victum illis proportionatum; ergo juxta ſententiam Molinæ, velint nolint Adverſarii, & juxta ſententiam probabiliorem gravitas in furto deſumenda eſt ex valore ſufficiente ad victum unius diei perſonæ, cui furaris, proportionatum. Ex dictis

723. Fit 1. Quantitatem minorem non ſufficere ad materiam gravem furti; ratio eſt, quia ut bene expendit Cardenas 2. p. Chriſis Theol. diſp. 27. cap. 3. quantitas materiæ gravis in furto non deſignanda eſt plus, vel minus, ſed omnino determinatè; ſi enim dicas, aſſignandam eſſe plus, minúsve, erunt materia gravis quatuor Julii incompleti, ſed ex quo defectu? an ex defectu oboli, rogo iterum, an quatuor ipſi Julii uno obolo minùs ſint computandi plus, minúsve, an verò determinatè; ſi enim computandi ſint plus, minúsve, erunt materia gravis quatuor Julii duobus tantùm obolis computatis, vel non, & ſic proceditur non in infinitum, ſed usque ad ultimum obolum; unde ſiſtendo in eo ultimo obolo iſta quantitas non quidem computando plus, minúsve, ſed determinatè ſumpta eſt jam materia gravis; inde convincitur, materiam gravem furti deſignandam eſſe omnino determinatè, & non plus, minúsve; idcirco congruum eſt, aſſignare valorem ſufficientem ad victum unius diei proportionatum propter argumenta ſuperiùs adducta.

724. Ratio ulterior eſt, quia expendendo Authorum judicia tum illorum, qui nimis rigidi videntur, tum etiam eorum, qui videntur magis laxi, hæc noſtra ſententia eſt inter utrasque media, magisque ſtabilita rationibus, & authoritatibus ſupra adductis, quàm ſententiæ contrariæ, ut conſtabit ex ſolutione argumentorum; in re autem incerta eligere debemus ſententiam rationibus magis ſtabilitam, & authoritate magis roboratam: tum etiam, quantùm fieri poſſit, in re morali prudentiùs apparet abſtinere ab errore, & laxitate, nec omittere debemus, ſi fieri poſſit, Authores explicare in eo ſenſu, in quo nec rigidi appareant, nec laxi; in medio enim virtus conſiſtit: ſed hæc omnia componuntur in noſtra ſententia, ut ex dictis conſtat; ergo &c. Fit 2. eos Authores ſupra citatos, qui eandem quantitatem gravem cenſent reſpectu Regum, quæ eſt gravis reſpectu pauperum, relinquendos eſſe in hac parte, vel expendendos juxta doctrinam ſuperiùs allatam, neque licet aliquid aſſignare ut neceſſarium ad materiam gravem in furto ſupra id, quod requiritur ad congruum, & proportionatum victum illius, à quo res ablata eſt; ſed ex hac proportione inferenda eſt materia gravis determinatè; cùm hæc bona ex primaria deſtinatione ſua deſerviant ad alendam vitam. Idcirco bona temporalia, quibus ali poteſt vita, dicuntur deſervire immediatè ad primariam eorum deſtinationem: reliqua verò, quibus vendendo, commutando &c. poſſunt acquiri neceſſaria ad vitam, dicuntur deſervire mediatè.

SECTO V.

Solvuntur Oppoſita.

OBjicies 1. ex Cardinali de Lugo: ſi quantitas gravis in furto aſſignanda eſſet ex eo, quòd ſufficiat ad proportionatum victum, illa quantitas, quæ eſſet gravis reſpectu unius artificis, non eſſet gravis reſpectu alterius, quod eſt contra regulam à Molina, & à nobis propoſitam; ergo ex valore ſufficiente ad victum proportionatum non poteſt deſumi materia gravis in furto. Confirmatur. Si ex victu proportionato deſumenda eſſet gravitas materiæ aſcendendo ad divites, & magnates, multò major aſſignanda eſſet, quàm unius ſcuti, vel ducati: ſiquidem aliquibus non ſufficiunt 20. vel 30. aurei in ſingulos dies; ergo &c. Reſp. diſt. antec. non eſſet gravis reſpectu alterius, ſi ſufficeret ad victum ipſi proportionatum, neg. ſi non ſufficeret, conc. antec. & nego conſeq. Ratio eſt, quia ut conſtat ex num. 701. quantitas gravis relatè ad quemcunque ſtatum, licèt communiter loquendo aſſignetur ſumma pro illo ſtatu; at cùm infra illum ſtatum reperiantur aliqui non aſcendentes ad ſummam, exinde relatè ad illos aliquanto minor quantitas erit ipſis ſufficiens, & pro ipſis erit materia determinata gravis. Ad Confirmationem nego antec. quia licèt plures expendant multò magis ſingulis diebus, id quidem non eſt ad victum proportionatum, ſed ad abundantiam, & delicias ſpectat; ſi enim loquamur de victu proportionato, incipiendo à deſignatione communiter facta pro pauperibus, relatè etiam ad magnos Reges ſufficiet ſcutum ad integrum diem, ut conſtat à num. 716. 725.

Objicies 2. Quando quis ſartori furatur acum, & impedit ejus opera, & lucrum, non furatur 726.

furatur propriè, & in rigoroso furto gravi, eò quòd res, quam accipit, non habeat in se valorem notabilem, solúmque ejus carentia affert consequenter grave nocumentum; atqui quando aliquis furatur unum scutum à Principe, illud furtum secundùm se non affert grave nocumentum, sed solùm consequenter; ergo non sufficit istud furtum ad peccatum grave in ratione furti. Resp. conc. maj. & nego min. quia valor acûs, quæ furtò accipitur, non est notabilis, ac proinde neque sufficiens ad materiam gravem furti, licèt consequenter in illis circumstantiis afferat grave nocumentum; quia satis non est ad victum sartori proportionatum: cùm autem scutum satis sit ad victum proportionatum magno Principi, exinde sufficit ad materiam notabilem, ac gravem in furto. Quare furtum illud acûs sartori factum, ut bene notat Molina disp. 685. non est materia gravis relatè ad furtum, nec sufficit ad peccatum lethale in ratione furti, sed in ratione adducendi grave nocumentum, licèt teneatur ad restitutionem non ratione rei acceptæ, sed ratione lucri cessantis, aut damni emergentis.

727. Objicies 3. DEUS videt determinatè, qualis sit quantitas faciens peccatum mortale furti, circa quam omne aliud est furtum leve etiam respectu illius personæ: supponamus ergo, illam quantitatem esse sex Julios respectu divitis; in hoc casu stare non potest ista veritas cum nostra doctrina; ergo &c. Probatur antec. si quantitas uno, vel duobus obolis minor esset, quàm illa, posset jam sine peccato gravi accipi: sed hoc sine fundamento diceretur; ergo &c. Resp. admisso supposito, nego antec. ad probationem neg. min. quia si DEUS videat ad furtum relatè ad talem personam requiri determinatè sex Julios, quidquid sit infra illos, non erit materia gravis. Quare malè dicitur, quòd excluderetur absque fundamento à materia gravi, præsertim cùm in materia gravi ad furtum non possit fieri designatio plus, minúsve, ut ex num. 734.

728. Neque aliter dici posse vel ab Adversariis facilè apparebit, si expendatur ratio à nobis deducta num. 724. ex qua sola agnoscitur satis, quàm leve sit istud Adversariorum fundamentum: quin potiùs levitas ostenditur ex eo, quòd idem argumentum fieri eodem possit modo circa legem humanam, qua Princeps pœnam capitalem statueret furto 200. v. g. aureorum, non verò furtis quantumvis obolô solùm minoribus; si enim furtum paulò minus non puniatur eadem pœnâ, inconvenientia in Republica sequuntur, quæ intendunt Adversarii; at juxta illos illa tamen lex est justa, & prudens esse potest, quia expedit non omnia furta parva punire pœnâ capitali, sed furta graviora; nec potest hoc fieri, nisi aliqua certa quantitas à lege determinetur; nec hæc potest determinari, quin furta paululum minora à pœna illa excusentur. Idem ergo dicimus in casu nostro: unde si in illo casu nullum est inconveniens, neque in casu nostro poterit reperiri ullum inconveniens. 733

Objicies 4. ex §. *gallinarum* Instit. *de rerum divisione*, ubi pro una gallina furtò ablata furti actio conceditur, quæ non conceditur, nisi pro culpa lethali; unde valor unius gallinæ sufficiens est ad materiam gravem furti relatè ad quamcunq; personam; atqui non continet valorem victûs unius diei unicuique personæ proportionati; ergo &c. Resp. neg. maj. quia ut bene notavit Molina, malè colligitur ex eo textu, dari actionem furti pro una sola gallina, quia textus loquitur de gallinis in plurali, tum etiam, quia ibi non asseritur dari actionem furti, sed committi furtum, siquis inveniens gallinas alicujus dispersas, eas accipiat animo sibi retinendi, eò quòd dispersio earum non privat Dominum antiquum dominiô illarum: id quod verissimum est, sed nihil facit ad rem nostram. 734

Quin potiùs, si expendamus id, quod refert Cardinalis de Lugo disp. 16. sect. 2. num. 24. non possumus attendendo ad gallinæ quantitatem inferre pretium, nisi simul attendamus ad alias loci, & temporis circumstantias; unde posset gallinæ valor sufficere in uno loco ad furtum grave propter majus illius pretium, quamvis propter minus in alio loco non sufficeret: en verba Cardinalis de Lugo: ego enim, ait, vidi Matrini pretium commune unius gallinæ octo argenteos esse, cùm tamen Salmaticæ, dum ibi studerem, esset communiter duobus argenteis. Quomodo ergo poterat valor unius gallinæ assignari in universum pro materia gravi furti? Ex dictis 735

Fit 1. ratione furti latronem fieri reum non solùm culpæ, sed etiam pœnæ, quæ justis legibus statuta est; cùm autem pœna alia sit civilis, alia canonica, utrique pœnæ fur subjicietur. Quantùm attinet ad pœnam civilem, videndi sunt Doctores latè de ea differentes; quantùm verò ad pœnam canonicam, differunt Canonistæ suprà lib. 5. Decret. tit. 28. ubi apponuntur pœnæ sacrilegio, quod est furtum rei sacræ, pro plagio, peculatu, abigeatu, incendio, & naufragio. Peculatus est, qui versatur circa res, vel bona publica ad fiscum, vel Principem spectantia, aut ad Ecclesiam. Pœna hujus criminis de Jure Civili est arbitraria usque ad ultimum supplicium; de Jure autem Canonico, si à Clerico committatur, est excommunicatio, aut depositio. 736

Abigeatus est, qui versatur circa jumenta, vel animalia aliena, & dicitur ab abigendo, & qui ita peccant, dicuntur abigei: unde tales sunt, qui pecora ex armentis, pascuis, aut gregibus abducunt. Pœna horum, si frequentiùs delinquant, est gladius, ita tamen, ut nonnunquam in pœnis permutetur pœna, & gravior illa sit, si effractis stabulis pecora sint ablata. Peccata furti commissa in incendio, vel naufragio, quæ inter graviora numerantur, puniuntur pœnâ extraordinariâ pro qualitatibus personarum. 737

Plagi- 738

733. Plagium eſt liberi hominis, qui ſui juris eſt, abductio animò celandi illum, & hic, qui taliter abductum, v. g. tanquam ſervum vendit, Plagiarius dicitur: pœna autem plagii olim de Jure Civili fuit pecuniaria, hodie tamen eſt gravior, licèt pro perſonarum qualitate augeatur, vel minuatur; de Jure tamen Canonico videtur talium pœna excommunicatio, vel alia citra mortem juris pœna. Obſervat tamen Cardinalis de Lugo citatus peculatum, abigeatum, & plagium, quamquàm juridicè diverſa ſint propter diverſas pœnas illis ſtatutas, theologicè tamen eſſe ejusdem ſpeciei infimæ, ſicut etiam furtum manifeſtum, & non manifeſtum, licèt apud Juriſtas multùm differant, apud Theologos tamen ex hoc præcisè capite non invenitur inter illa differentia ſpecifica.

734. Fit 2. rapinam eſſe ſpeciem propriam furti afferentem malitiam ſpecie diſtinctam à ſimplici furto, ut diximus à num. 64. unde non ſolùm juridicè, ſed etiam theologicè pertinent iſta ad diverſas ſpecies. Sic etiam ſacrilegium eſt ſpecies furti declaranda in Confeſſione; eſt enim furtum rei ſacræ, auferendo ſcilicet rem ſacram de loco ſacro, & de loco non ſacro, aut rem ſacram de loco ſacro modò, quo dicemus n. ſequenti. Pœna autem ſacrilegij, præſertim ſi res ſacra auferatur, eſt extraordinaria, & arbitraria, ex Cap. *quisquis* 17. quæſt. 4. perpetuâ infamiâ declarantur, vel in exilium relegantur: niſi citò ſe correxerint, Anathemate feriuntur usque ad congruam ſatisfactionem.

735. Quando autem furtum contrahat malitiam ſacrilegii, exponit latè de Lugo diſ. 26. de Pœn. ſect. 23. ubi defendit, non eſſe ſacrilegum furem, qui crumenam à laico furatur, niſi pecunia illa aliquomodo ad Eccleſiam pertineat, vel ibi ſit causâ cuſtodiæ, depoſiti, commodati, aut ſimilis tituli. Quare tunc furtum habet nomen ſacrilegij, quando aufertur aliquid ſacrum de loco ſacro, vel non ſacrum de ſacro, ut dixit Joannes VIII. Cap. *quisquis invenit*, quæſt. 4. quæ ultima verba ita explicat Lugo, ut per ea ſignificetur, rem non ſacram accipi ſacrilegè, quando non ſolùm in loco ſacro, ſed etiam de loco ſacro aufertur, ad quem nimirum locum res illa aliquo modo pertinebat.

Fit 3. Furtum theologicè acceptum, quod 736.
nempe coram DEO tale eſt, atque à Theologis pro tali habetur, ad plura ſe extendere, quàm furtum juridicum, quod ſcilicet à Juriſtis pro furto habetur, & punitur: nam Juriſtæ docent primò, non dari furtum propriè de re immobili, ſed de re mobili; at Theologi agnoſcunt etiã rei immobilis propriè furtum, & quidem quoad rationem peccati nulla eſt ſpecifica differentia. Docent ſecundò Juriſtæ, non eſſe propriè furtum, ſi quis ex hæreditate, antequam eam adeat hæres, aliquid uſurper, quod proinde vocant crimen expilatæ hæreditatis, ut conſtat ex C. toto Tit. de criminib. expilatæ hæreditat. Tertiò docent, non eſſe propriè furtum, quando conjux ex hæreditate conjugis defuncti aliquid uſurpat, vel ad diviſionem non affert: proinde apud Juriſtas alia mitior actio adverſus talem conjugem convenit propter honorem conjugij, ut conſtat ex L. *adverſus* Cod. *de crimine expilatæ hæreditatis*, & ex L. 8. *uxor eodem Tit.* Quartò id ipſum dicunt, quando conjux ſtante matrimonio aliquid injuſtè uſurpat ab alio conjuge: quo in caſu non datur apud ipſos actio furti, ſed alia mitior, quam vocant rerum amotarum, ut habetur eodem Tit. verſ. *amota.* Quintò idem docent, quando Tutor rem pupilli ſibi uſurpat eo invito, contra quem datur actio non quidem furti, ſed de rationibus diſtrahentibus, ut conſtat ex L. 1. & 2. ff. *de tutelis, & ration. diſtrahen.* Cæterùm hæc omnia in conſideratione Theologica ſunt propriè furta, ac proinde hæc omnia comprehendunt, quando propter furtum fertur excommunicatio aut reſervatio, licèt quoad pœnas civiles aliter ſe habeant.

DISPUTATIO XIV.

DE RESTITUTIONE.

737. COnſtat à num. 18. reſtitutionem eſſe actum juſtitiæ commutativæ, quo jus læſum proprietatis alterius reſarcitur; unde qui contra jus alterius extendit liberam ſuam facultatem, & reſtringit alienam, tenetur reſtituere, ut conſtat ex dictis num. 179. ubi latè diximus, in quo diſtinguatur peccatum contra juſtitiam à peccato contra conſcientiam in violatione alienarum virtutum. Quamobrem, qui retinet alienum, vel damnum infert invito rationabiliter Domino, & graviter, tenetur ad reſtitutionem, ut poſſit conſequi vitam æternam, ut habetur Exodi 22. *ſi læſerit quisquam agrum, vel vineam &c. damni æſtimationem reſtituet*, & Tobiæ 2. *reddite eum* (ſcilicet) *Dominis ſuis, quia non licet nobis edere de furto aliquid.* Ad Romanos 13. *reddite omnibus debitum, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*: & eſt juxta legem naturalem, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, à Chriſto Domino confirmatum Matth. 7. *quodcunque vultis, ut faciant vobis homines, facite illis*: unde eſt axioma relatum ab Auguſtino Epiſt. 54. ad Maced. in cap. *peccatum de regul. juris* in 6. *non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Ex hac autem certa doctrina oriuntur aliquæ difficultates; an nimirum hæc neceſſitas reſtitutionis ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii, vel neceſſitate præcepti, & an præceptum reſtitutionis ſit affirmati-

vum, vel negativum. Pro quorum decisione sit

SECTIO I.

Quomodo Restitutio sit necessaria ad salutem?

738. Dupliciter aliquid potest ex præsuppositione peccati esse necessarium ad salutem, primò necessitate medii, secundò necessitate præcepti. Necessitate medii est necessarium, quod est medium per se institutum ad delendum peccatum præteritum, ideóque quod ita requiritur ad salutē, ut, sive ex culpa, sive inculpabiliter, sive ex ignorantia, aut impotentia omittatur, consecutionem salutis æternæ impediat, eoque omisso quomodocunque, salus æterna non obtineatur. Necessitate præcepti necessarium dicitur, quod per se necessarium est, ut aliquod præceptum observetur, atque adeò, ut non fiat peccatum novum, quod si fiat, impediet salutem; unde si, quod est hoc modo necessarium, impediatur inculpabiliter, vel omittatur, non impedit salutem. His positis Gabriel, & Melcado apud Dicastillum disp. 1. affirmârunt, restitutionem esse necessariam necessitate medii. Communis tamen Doctorum sententia negativa est.

739. Assero 1. cum communi Doctorum sententia: restitutio non est necessaria ad salutem necessitate medii. Probatur 1. Restitutio ex suppositione injustæ læsionis non est necessaria tanquam medium per se delens peccatum, sed solùm, ut non frangatur præceptum restituendi, & evitetur novum peccatum: sed hoc est esse necessarium sola necessitate medii; ergo &c. Consequentia tenet, & major patet; quandoquidem restitutio non est medium per se delens peccatum contractum, nec ad illud delendum instituta est. Minor verò probat. quia si ita non declaretur necessitas medii, & præcepti, utraque confunditur, & nihil erit necessarium necessitate præcepti, quod non sit necessarium necessitate medii, ut patebit, quando dissolvemus Adversariorū argumenta: sed id esset contra mentem omnium Theologorum distinguentium necessitatem medii à necessitate præcepti; ergo &c.

740. Probatur 2. Ideo Baptismus, & Sacramentum Pœnitentiæ sunt apud Theologos necessaria necessitate medii ad salutem peccatoris, quia sunt necessaria ut medium per se delens peccatum; non autem quia necessaria sunt, ut per se novum peccatum evitetur; ergo ex eo, quòd restitutio non sit necessarium medium per se delens peccatum, non est necessaria ad salutem necessitate medii. Probatur antec. quia inprimis Baptismus fluminis, vel sanguinis in re susceptus ita est necessarius parvulis ad salutem, ut si ille in re non recipiatur, quamvis inculpabiliter, sive ex impotentia, sive ex ignorantia, sive ex oblivione contingat, salus æterna non obtineatur à parvulo. Rursus Sacramentum Pœnitentiæ dicitur necessarium necessitate medii respectu adultorum, quia aliquando potest contingere propter illud in re non susceptum etiam inculpabiliter, ut homo non obtineat salutem, quam profectò obtinuisset, si illud in re suscepisset: sic deficit Baptismus, quando adultus non baptizatus Baptismo fluminis instituto à Christo moritur cum sola attritione commissorum lethalium, neque subit Martyrium, ac proinde non suscipit Baptismum sanguinis, neque elicit contritionem perfectam, ac proinde non habet Baptismum sanguinis; sic etiam deficit medium Pœnitentiæ, quando adultus baptizatus, & in lethali existens moritur cum sola attritione, & non recipit Sacramentum Pœnitentiæ, ideóque salutem æternam amittit; atqui Baptismus non esset ita necessarius adultis, neque isti solùm attriti, & imporentes baptizati damnarentur, Baptismo inculpabiliter omisso, si Baptismus non esset medium, vel ultima dispositio delens peccata ante Baptismum commissa: idemque est respectivè de Sacramento Pœnitentiæ; ergo &c.

Assero 2. Restitutio in re non est ita necessaria ad effectivam salutis æternæ consecutionem, ut animæ detineantur in Purgatorio, quoadusque hæres, vel Executor testamenti omnia debita defuncti persolvat. Ita communiter Theologi: unde Dicastil. disp. 1. dub. 4. num. 28. oppositum, quod Author quidam indicaverat, vocat vulgarium hominum errorem. Probatur 1. conclusio: vel defunctus, dum vixit, vel præsertim in mortis articulo culpabiliter omisit restitutionem, aut non fecit, quod potuit, ut debita persolverentur; vel inculpabiliter omisit, & in casu mortis fecit, quantùm potuit, gravando hæredem, & commendando Executoribus fidelibus debitorum suorum solutionem? si primum, mortuus est impœnitens, & in peccato, proindéque non quidem in Purgatorio, sed in Inferno pœnas in æternum luit; si secundum (eum aliunde supponamus in gratia decessisse) ubi satispassus fuerit in Purgatorio pro pœnis temporalibus correspondentibus suis peccatis, æquum non est, ut propter executionem omissam ab hærede, aut Executoribus testamenti, quæ jam à potestate sua non dependet amplius, detineatur in Purgatorio; ergo &c. Confirmatur. Dilatio illa, aut omissio restitutionis, si culpabilis modò sit, non quidem ipsi, sed hæredi, aut Executoribus imputabitur; ergo propter illam dilationem ipse non meretur majorem pœnam, neque detentionem in Purgatorio.

Assero 3. Restitutio necessaria est ad salutem necessitate præcepti tam naturalis, tam positivi, tam in lege nova, quàm in veteri. Probatur facilè. Illud est necessarium necessitate præcepti, quod faciendum præcipitur; atqui,

atqui, quòd fiat restitutio, præcipitur & à lege naturali, & à lege positiva, & in novo, & in veteri testamento; ergo &c. Probatur min. quia lumen naturæ dictat, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; unde sicut non vis tibi quidquam fieri contra tuum jus, aut si quid factum fuerit, vis, quòd jus tuum tibi resarciatur, ita debes facere alteri. Quare hoc onus restitutionis manifestè apparet ex præcepto naturali. Insuper constat id ipsum ex præceptis positivis veteris, & novæ legis relatis num. 739. quod etiam docuit Apostolus 1. ad Corinth. 6. *neque fures Regnum Dei possidebunt.* Accedit authoritas Canonis 14. quæst. 6. cap. ult. *fures de furtis*, ubi ex Concilio Tiburensi statuitur, pro fure in flagranti crimine occiso non esse orandum, quod infertur ex Ecclesiast. 34. Zachariæ 5. & ex verbis Christi Domini Math. 22. *reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

743. Objicies 1. contra primam assertionem: ea, quæ in re, vel voto requiruntur ad salutem, vel ad remissionem peccati, sunt ex præsuppositione peccati necessaria necessitate medii ad salutem; sic Baptismus (idem esto de Sacramento Pœnitentiæ) est necessarius necessitate medii, quia sine illo, vel in re susceptо, si suscipi potest, vel si non potest, sine ejus voto incluso dilectione, vel contritione perfecta, non potest remitti peccatum præcedens, neque obtineri vita æterna; atqui hoc idem requiritur in restitutione, præsuppositо peccato furti, cùm hoc remitti non possit sine restitutione in re, vel in voto; ergo restitutio est necessaria necessitate medii. Probatur min. Peccatum furti commissi, & quæcunque alia, quæ habet fur, non possunt remitti sine restitutione in re, quando ea potest fieri, nisi excusetur fur vel propter absolutâ impotentiam, vel propter defectũ rei, quæ dari potest in restitutione, aut ob inadvertentiâ, vel ignorantiâ non advertat ad obligationem restitutionis, & tum sine restitutionis voto, incluso in contritione, aut dilectione perfecta, non remittuntur ea peccata. Prob. ant. Contritio, & dilectio perfecta Dei est votũ sive formale, sive virtuale, & implicitũ adimplendi omnia præcepta sive naturalia, sive positiva, est enim propositũ non peccandi in posterum, ideóque est propositum accipiendi Baptismum in adulto non baptizato, & in baptizato lapso est votum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ; atqui ob eandem rationem est etiam votum restituendi sive formale, sive virtuale; ergo &c. Hoc argumentum ab omnibus solvendum est; probat enim omnia, quæ necessaria sunt necessitate præcepti, esse etiam necessaria necessitate medii, ut expendenti constabit, adeóque fruſtraneã reddit distinctionem cõmunissimam Theologorum inter necessitatem medii, & necessitatem præcepti.

744. Resp. igitur dist. maj. illa, quæ requiruntur ad salutem vel in re, vel in voto, sunt necessaria necessitate medii, si requirantur tanquam medium ad remittendum peccatum Pœnitentis præteritum, conc. si solùm requirantur, ut evitetur peccatum novum, neg. maj. & dist. min. restitutio vel in re, vel in voto est necessaria ad remissionem peccati furti ex eo, quòd restitutio sit mediũ delens peccatũ prætetum, neg. ex eo, quòd sit necessaria ad evitandũ peccatũ novum, conc. & neg. conseq. Ad probationem dist. antec. quoad primam partem, non potest remitti sine restitutione in re, prout ista remittat peccatum, neg. prout ejus omissio est novum peccatum inducens non remissionem aliorum præteritorum, conc. hanc, & dist. alteram partem antecedentis; peccatum non remittitur sine voto restitutionis desiderante illam ad non peccandum de novo, conc. desiderante illam ut medium deletivum peccati, neg. antec. & consequentiam. Ad prob. dist. eodem modo præmissis, nego conseq.

Ratio est, quia contritio, sive perfecta, sive 745.
imperfecta, sine qua nullum peccatum personale remittitur, eò quòd ista sit dispositio ad remissionem, est verè votum non solùm suscipiendi Baptismum, vel Pœnitentiam, sed etiam restituendi: attamen est diverso modo contritio votum Baptismi, quàm sit votum restitutionis; restitutionem enim solùm vult, & desiderat, ut præceptum restituendi adimpleatur, & ne fiat novum peccatum illud præceptũ transgrediens, vi cujus sive peccatum ante fuerit, sive non, necessaria est restitutio rei alienæ, sive in ejus acceptatione, & retentione peccaveris, sive non peccaveris. Baptismum verò vult, & desiderat non ob hoc præcisè, ut evitetur peccatum futurũ, sed ut medium deletivum peccatorũ præteritorum. Unde ea, quæ necessaria sunt vel in re, ut mediũ delens peccatum, vel in voto desiderante illa, ut ultimâ dispositionẽ, & medium ad delendâ peccata, hæc sunt necessaria necessitate medii ad salutem præsuppositо peccato, non autem causa, quæ solùm sit necessaria vel in re, vel in voto merè desiderante illam ad adimplendum præceptum, vel ad evitandum peccatum novum. Dixi *ad adimplendum præceptum, vel ad evitandum peccatum novum;* quia si omnimode requirantur, ut medium aliquod deleat peccatum commissum, vel ut apponatur requisitum medium ad quemcunque actum bonum, & meritorium, licèt nullum præceptum transgressus fueris, in hoc esset necessarium ex alio capite necessitate medij. Sic fides dicitur necessaria in adultis, cùm sit principium, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere DEO, ut loquitur Tridentinum.

Objicies 2. contra secundam assertionem: 746.
plura adducuntur ab Authoribus piis de Animabus Purgatorii apparentibus, & petentibus restitutionem fieri, quia aliter ex Purgatorio exire non poterant; item extant testimonia S. Birgittæ lib. 6. Revel. idem suadentia; ergo Animæ non possunt exire ex Purgatorio, donec restitutio fiat. Resp. neg. antec. quia præ-

dicta testimonia, & exempla ad summum convincunt, Animas ex Purgatorio celeriùs exire, si restitutio fiat, & diutiùs retineri, si illa differatur, ac propterea si ea non fiat, non posse exire tam citò, quod valde diversum est ab eo, quòd nunquam egrediantur, donec fiat restitutio; quamquàm enim omissio restitutionis non possit per se directè conducere, sed solùm indirectè, & per accidens, ut pœna sit in Purgatorio productior, atque etiam restitutio non possit conducere, nisi per accidens, ut pœna sit brevior, ex eo, quòd Animæ per se, & directè non detineantur in Purgatorio, nisi ad luendas pœnas debitas pro peccatis commissis, per accidens autem, & indirectè detinentur ob dilationem suffragii, quod si fieret, abbreviaretur pœna; unum autem ex suffragiis est restitutio ab hæredibus, aut Executoribus facta.

747. Quamobrem restitutio facta ab hæredibus, quando in re sit post mortem defuncti, licèt non habeat vim satisfaciendi, quatenus provenit à voluntate defuncti, quia quatenus est effectus ejus voluntatis, non habet aliam vim satisfactoriam præter eam, quàm voluntas defuncti habuit ante mortem, neque per illam immediatè fit aliqua pœnæ remissio: etenim executio jam non procedit à voluntate defuncti humano modo; siquidem eo tempore eam jam non potest impedire, ne illa voluntas virtualiter quoad satisfaciendum perseveret, cùm Purgatorium sit terminus viæ impediens satisfactionem non minùs, quàm meritum, solúmque potest deservire ad satispassionem: non enim requiritur plus ad meritum, quàm ad satisfactionem: unde sicut defunctus per executionem restitutionis nil de novo meretur præter illud, quod meruit per voluntatem, quam habuit in vita, ita nihil præterea de novo satisfacit, ac proinde illa restitutio, quando in re fit, non facit immediatè, directè, & per se, quòd pœna sit brevior.

748. Per accidens autem id præstare potest multis modis. Primò, si Executor testamenti restitutionem, quæ est opus bonum, & pium applicare velit defuncto per modum suffragii. Secundò, quia ob illam executionem, qua non solùm, ut à voluntate Executoris, sed etiam à voluntate defuncti procedit, potest moveri DEUS ad excitandos fideles, ut pro defuncto orent, & satisfactionem offerant, tum ad abbreviandum tempus, tum ad leniendâ pœnâ, si hæc sit intensior. Tertiò, quia virtute hujus restitutionis excitantur illi, quib⁹ persolvuntur debita, ut pro defunctis orationes, & satisfactiones applicent. Quartò tandem, quia sæpe pro occulto, & justo judicio DEI, omissio restitutionis, sicut & alii effectus nostrorum peccatorum, maximè si sit occasio novorum peccatorum, aut damnum, & afflictio proximi impedit, ne DEUS moveatur ad acceptandas preces, & orationes, quæ pro defuncto fiunt, quæ si acceptarentur, statim ille à Purgatorio liberaretur; congruum enim est, ut DEUS non moveatur ad minuendas ejus pœnas, dum alii propter eum egestatem patiuntur; ita Cardinalis de Lugo disp. 26. de Pœnitentia s. 3.

Objicies 3. instando simul solutionem: si restitutio in sensu, de quo loquimur, non esset 749.
opus de se satisfactorium, & ut esset satisfactorium, non sufficeret, quòd procederet à voluntate defuncti, non quidem quam habuit post mortem, sed quam habuit in vita, fideles relinquentes legata ad restitutionem, & id genus alia deciperentur, cùm credant, ea legata ad remissionem pœnarum illis profutura, & ex hac intentione ea relinquunt; præterea Executores testamentorum ea omittentes nullam injuriam defunctis irrogarent. Sed hoc falsum est, quandoquidem ea omittentes excommunicatione feriendos decernitur in Cap. *qui oblationes* 13. quæstione 2. ergo dicendum est, executiones legatorum defunctis prodesse, ut citiùs à Purgatorio liberentur, quod fieri non potest, nisi prout procedit à voluntate testatoris satisfactio, qua pœna remittitur. Ita docere videntur S. Thomas in 4. disp. 45. quæst. 2. art. 1. quæst. 3. Paludanus, Navarrus, Bonacina, Soto, & Gabriel apud Castropalaum.

Resp. neg. primam partem majoris; licèt 750.
enim executio legatorum (idem esto de restitutione) quando fit ab hærede, non possit immediatè, & directè prodesse virtute propria ad remissionem pœnæ defuncti in sensu argumenti, non ideo decipiuntur ea relinquentes; quandoquidem ipsa voluntas relinquendi per se prodest, & ipsa executio, licèt indirectè, & per accidens, prodest multis modis, ut diximus n. 751. Ad secundam majoris partem dico, Executores non adimplentes legata, committere injuriam contra defunctos; quia quod illis multis modis prodesse poterat, non exequuntur, cùm tamen ad id ex officio, & munere suo ex justitia obligentur. Deinde etiam committunt injustitiam contra pauperes; quia fraudant eos ope, ad quam testamenta habent jus justitiæ commutativæ: unde meritò in textu allegato, qui Ecclesias fraudat bonis relictis egentium, necatores appellantur. Neque Div. Thomas, aliique Authores nobis contrarii sunt, quippe solùm dicunt, executionem testamenti defunctis prodesse, ut citiùs liberentur, quòd optimè intelligi potest de indirecta, & mediata remissione; non autem de directa, & mediata, quatenus est effect⁹ voluntatis defuncti.

Objicies 4. contra tertiam conclusionem: 751.
licèt obligatio restituendi clarè appareat ex præcepto positivo, non potest intelligi, quomodo proveniat etiam ex præcepto naturali; ergo saltem ex naturali præcepto non provenit. Probatur antec. Jus proprietatis nulli creaturæ est naturale, sed accidentale; ergo onus restituendi non potest provenire ex præcepto naturali.

Resp. neg. antec. ad probationem ejusdem 752.
antec. conc. ant. & neg. consequentiam; quia licèt jus proprietatis sit creaturæ accidentale, ac

at eo in creatura suppositō ipsum rationis dictamen præscribit, non esse à me lædendum, & & si jus illud læserim, esse à me resarciendum; certum namque est, unumquemque sibi hoc ipsum optare; cùm autem, ut supr diximus, hoc sit naturale principium, *quod tibi non vis &c.* & quidem à Christo Domino Matth. 17. confirmatum, id ipsum tenemur velle alii ex ipso naturæ lumine, sive ex præcepto naturali.

SECTIO II.

Utrum præceptum Restitutionis sit negativum, vel positivum?

753. PRima sententia tenet, esse præceptum negativum; ita Medina, Navarrus, Vasquez, pluresque alii. Secunda sententia docet, esse præceptum affirmativum, quia directè præcipit actionem positivam reddendi alteri, quod suum est, aut esse debet ad æquandum jus alterius, licèt ad hunc finem obtinendum sæpe prohibeat indirectè, & ex antecedenti actionem positivam retinendi, quatenus impeditivâ æqualitatis cum jure alterius, ad eum modum, quo præceptum audiendi Sacrum die festo censetur affirmativum, etsi indirectè prohibeat mansionem in agro, vel ludo, qua impediatur auditio Sacri; ita Sotus, Valentia, Lugo, pluresque alii, quos citat, & sequitur Tamburinus lib. 8. in Decalog. Tract. 3. cap. 1. Ad resolutionem notari oportet, præceptum affirmativum dici, quod immediatè, & directè imperat aliquam actionem positivam, & ejus omissionem prohibet, ut diximus de præcepto audiendi Sacrum; præceptum autem negativum est, quod immediatè, & directè negationem, aut omissionem imperat, & actum positivum prohibet, ut præceptum de non occidendo, de non furando &c.

754. Assero cum secunda sententia: præceptum restitutionis est affirmativum. Probatur 1. Præceptum restitutionis non prohibet per se, & directè actionem positivam retinendi alienum, sed solùm directè, & per se præcipit actionem positivam reddendi cuique, quod suum est jure proprietatis, sive ad famā, sive ad honorē spectet, aut bona fortunæ, & omissionem actionis prohibet, ac proinde indirectè prohibet, quod per se impedit actionem reddendi unicuique, quod suum est, inducitque ejus omissionem; ergo est præceptum affirmativum. Probatur antec. Dum famæ restitutio præcipitur, non prohibetur directè, & per se positiva detentio famæ: quomodo enim fama alterius retinebitur ab infamatore, nisi quatenus non restituit, & agit, quod agere tenetur: insuper si læsus recuperet rem suam, deobligatur fur à præcepto restitutionis, præscindendo ab eo, quòd fur miraculosè eandem rem retineret; econtra verò, si fur non retineat rem furtò ablatam, ut quando rem alienam consumpsit, & dissipavit ex eo, quòd Dominus non recuperaverit rem suam, fur non satisfecit præcepto restitutionis; ergo præceptum istud non prohibet per se, & directè positivam retentionem rei alienæ, sed præcipit per se, & directè positivam redditionem.

755. Respondent Adversarii, præceptum restitutionis directè præcipere non retentionem rei alienæ; quærunt enim à Nobis, quando fama restituitur, quomodo in nostra sententia reddatur proximo talis fama; per hoc utique, quòd detrahens calumniam, aut detractionē faciens cesset damnificare proximū. Eodem igitur modo, quo tunc infamato redditur fama, si pariter per infamationem detinebatur. Unde ajunt, non ita generaliter intelligendum esse ly *retinere* in materia restitutionis tam ampla; retinetur enim significatione generali, & juridica, dum res aliena, jus, aut debitum retinetur, dum infamia, aut damnum conservatur, & perseverat: unde altero non recuperante rem suam, etsi eam fur non retineat, retinet tamen jus ad debitum, seu conservat damnum alterius. Unde non alia ratione fieri potest restitutio, nisi facta compensatione, qua fur rem alterius non retineat, ideóque præceptum restitutionis directè præcipit non retentionem rei alienæ, ac proinde est præceptum negativum. Hæc responsio plura vera continet, quæ ad rem non faciunt. Quare

756. Contrà est 1. Ex hac responsione difficultas argumenti non solvitur: onamus enim casum possibilem, quòd DEUS det potestatem furi ad constituendam rem in duplici loco, ita ut non minùs duret sub unaquaque præsentia seorsim sumpta, quàm si unam tantùm præsentiam haberet, juxta dicta num. 565. tunc enim fur, qui aureum nummum v. g. subripuit, si restitueret aureum nummum, jam satisfaceret præcepto restitutionis, quamquàm eundem sub alia præsentia apud se retineret; ergo retentio positiva non prohibetur directè, & per se à præcepto restitutionis, sed solùm indirectè, quatenus scilicet est impeditiva actionis reddentis Domino rem suam.

757. Contrà est 2. & præoccupatur altera Adversariorum responsio. Dicent: in eo casu fur retinendo nummum non detineret damnum, at exinde infertur, retentionem physicam rei alienæ, quæ stat in positivo, non prohiberi per se directè, neque per se, & directè præcipi non retentionē ejusdem rei. Neque rursus Adversarii confugiant ad retentionem prohibitam, non autem ad negationem præceptam; etenim retinere jus, aut damnum, est non æquare jus damnificati, sive illi non reddere, quod jus exigit; ergo quod præcipitur per hoc præceptum, est adæquare jus Domini, sive ei reddere, quod jus exigit; hoc autem æquare, & reddere, quid positivum est, licèt quod prohibetur, sit negativum, cùm indirectè prohibeatur non reddere, quod jus exigit: unde totum hoc fit per præceptum affirmativum, non autem negativum; affirmati-

vum enim præcipit rem positivam, & prohibet ejus negationem.

758. Contrà. 3. sumendo ly *retinere* in tota illa ampla significatione in materia justitiæ commutativæ adhuc clarè patet, præceptum restitutionis esse affirmativum; conservatio enim, & detentio famæ, damni, debiti, aut quomodocunque dicatur, nihil est aliud, quàm omissio actûs, per quos compensantur ea damna; atqui omnes istæ actiones positivæ sunt per se præceptæ, earumque omissiones prohibitæ; ergo &c. Probatur conseq. explicando differentiam inter redditionem rei ablatæ, & retentionem damni, vel famæ; ista enim consistit in negativo, scilicet in omissione, qua jus æquatur, & damnum resarcitur: etenim non detentio stat in hujusmodi actione, neque in alio stare potest, aut concipi; retentio verè physica rei alienæ stat in positivo, & non retentio in negativo, saltem quoad expressum, scilicet quòd fur apud se rem non habeat, neque retentio est non restitutio, neque non retentio stat in restitutione, ut patet in exemplo numero 758. allato. Unde ista retentio physica prohibetur per præceptum restitutionis, quando, & quatenus impedit rei redditionem, & sic solùm prohibetur indirectè; illæ autem retentiones juris, aut damni, ad quas Adversarii faciunt transitum à retentione physica, per se prohibentur per præceptum restitutionis, sive actionis positivæ; oppositæ per se præcipiuntur: atque hoc probat tale præceptum esse affirmativum; siquidem idem est per Adversarios, præcipere rem positivam, ac prohibere ejus omissionem.

759. Respondebis 2. retentionem talem non stare in negativo, sed in ipsa positiva prima læsione, damnificatione, detractione, aut furto moraliter perseverante, & quasi continuante; homo enim, dum retinet, agit saltem moraliter, & interpretativè; nam dum rem ablatam non reddo, perinde est, acsi eam continuò auferrem. Contrà tamen 1. quia aliud est præceptum non furandi, & aliud præceptum restituendi; sicut aliud est furtum, & aliud restitutio: aliter qui non furatur, diceretur restituere, & restitutio non præsupponeret furtum; ergo solùm poterit dici, non restituere esse furtum ut continuatum, & præceptum restituendi prohibere furtum non quidem præcisè secundùm se, sed ut continuatum; atqui continuatio, per quam dicitur furtum continuari, est omissio redditionis ablati; ergo hæc omissio prohibetur, & redditio præcipitur per præceptum restituendi.

760. Contrà 2. Præceptum solvendi debita, licèt reducatur ad septimum præceptum Decalogi, non est negativum, sed positivum; ergo etiam præceptum restituendi. Probatur antec. Quidquid per illud præcipitur, est solutio debiti, quæ certè est actio positiva, quod verò prohibetur, est solutionis omissio, quæ est quid negativum; etenim retinere debitum, nihil est aliud, quàm non solvere; deinde non solvere non potest dici esse continuationem, aut perseverantiam alicujus actionis positivæ damnificativæ; nulla enim hujusmodi actio præcessit ad obligationem solvendi debita; ergo præceptum solvendi debita est affirmativum, & non negativum. Contrà 3. Restitutio, seu non redditio rei ablatæ est quid positivum, & quandoque obligatio restituendi non præsupponit actionem probibitam, & formaliter imputativam per præceptum non furandi, ut quando talis obligatio oritur ex radice rei occupatæ absque ullo pacto; sed in eo casu manifestè apparet, & ex terminis constat, præceptum restituendi esse quid positivum, & non negativum; ergo &c.

Probatur 2. conclusio. Ad aliquid amplius 761.
tenetur fur ex præcepto restitutionis, quàm non fur; hic enim non tenetur restituere: præcepto autem non derinendi rem alienam invitô rationabiliter Dominô uterque tenetur; ergo quod specialiter, directè, & per se intendit istud præceptum, est positio actionis positivæ, ac proinde est præceptum affirmativum. Quapropter minùs bene alij probant, præceptum restituendi esse negativum; quia idem est restituere, ac non furari, quod equidem inintelligibile est, & planè falsum: nam restituere importat aliquam actionem faciendam à restitutore, quæ quidem non importat præcisè non furari; ille enim, qui dormit, non furatur, & tamen non restituit.

Objicies 1. Si equus E. G. quem furatus es, 761.
fugit ad Dominum, jam restituisti, & implevisti præceptum, & tamen nullam actionem fecisti; restituisti equidem eò præcisè, quòd jam non retineas equum, quia jam possidetur à Domino; ergo restituere non importat positionem actionis humanæ restitutivæ, ac proinde non cadit sub præceptum affirmativum. Probatur antec. quia in eo casu ad nihil amplius teneris, nec te jam obligat præceptum; ergo &c. Resp. neg. ant. quòd repentino casu restitueris, aut impleveris præceptum loquendo de actione formali restitutiva, solùm potest concedi in sensu aliquo valde materiali, quatenus materia restitutionis est posita, quamvis non à te, sub possessione tui dominii. Ad 76
Probationem conc. ant. & nego conseq. nam quòd tunc ad nihil tenearis, non est, quia impleveris præceptum, sed quia istud cessat ex defectu materiæ; sicuti si aliquis tibi remitteret restitutionem, jam ad nihil teneris, & tamen non restituisti. Unde *quòd non teneris*, non sumitur ex eo, quòd tunc restitueris; sed quia cessat materia, sub qua cadit præceptum restituendi.

Objicies 2. Præceptum restituendi obligat 763.
semper, & pro semper; atqui obligare semper, & pro semper est proprius modus præcepti negativi; ergo est præceptum negativum. Respondeo omitto majorem, de qua numero 767. & dist. min. iste modus obligandi

gandi est proprius præcepti negativi conveniens omni, & soli, neg. non conveniens omni, & soli, conc. min. & neg. conseq. sicut enim est proprietas hominis, quòd sit bipes, non quidem quarto modo, ut dicunt Dialectici, conveniens omni, & soli; sed in tertio modo conveniens omni, sed non soli; ita obligare semper, & pro semper est proprietas præcepti negativi conveniens omni, sed non soli, cùm conveniat quandoque præcepto affirmativo. Unde non potest exinde peti discrimen præcepti negativi ab affirmativo, sed ex hoc, quòd affirmativum per se, & directè intendat positionem alicujus actionis, quamvis ex eo fine prohibeat indirectè aliam; negativum verò per se directè prohibet positionem alicujus actionis, quamvis ex hoc fine præcipiat indirectè aliam.

764. Explico solutionem: obligor v. g. abducere equum à via, quæ est actio positiva, ne puer occidatur; obligor ad non ludendum in foro, quæ est prohibitio actionis, ut audiam Sacrum: & tamen istud præceptum audiendi Sacrum est affirmativum, & illud præceptum non occidendi puerum est negativum ex fine scilicet per se intento ab his præceptis, qui nempe in isto est auditio Sacri, & in illo non occisio pueri. Sic ergo, & non aliter discurrendum est in præceptis negativis, & affirmativis, qua ratione hucusque extendimus præceptum restituendi esse affirmativum, quamvis indirectè prohibeat retentionem rei alienæ eo modo, quo præceptum audiendi Sacrũ est affirmativum, quamvis indirectè prohibeat ludum in foro. Unde quando dicitur præceptum negativum obligat semper, & pro semper, intelligitur quà negativum, quia scilicet nullum est negativum, quod non obliget semper, & pro semper; quando verò dicitur præceptum affirmativum, non obligat semper, & pro semper, intelligitur quà affirmativum; quia nempe dantur plura præcepta affirmativa, quæ non obligant semper, & pro semper: sic licèt fur teneatur semper restituere, non tenetur semper jejunare, vel audire Sacrum.

Objicies 3. instando simul solutionem: paritas à prohibitione ludi, ut audiamus Sacrum, non est eadem in utroque casu; quandoquidem retentio alieni semper est peccatum, non verò ludus in foro: siquidem talis ludus solùm est peccatũ, quia ponit impedimentũ temporale, quod impedit auditionẽ Sacri; ergo perperàm exinde inferimus, quòd præceptũ restitutionis sit affirmativum, & non negativum. R. dist. antec. non est eadem in utroque casu, prout adjunctum opus est, nego, prout includit alia distincta ab eo, de quo agimus, conc. antec. & nego consequentiam. Nam satis est pro solutione, quòd paritas teneat, quatenus opus est ad intentum, atque in eo consistit, quòd tam retentio à præcepto restitutionis, quàm ludus à præcepto auditionis Sacri indirectè prohibeatur ex eo solùm, quòd impediat restitutionem, & auditionem Sacri, quas per se directè intendunt hæc præcepta, quæ proinde sunt affirmativa. Quòd verò præceptum restitutionis semper prohibeat retentionem, præceptum verò Missæ non semper prohibeat ludum, ex eo est, quòd ludus non semper impedit Missam, sicut retentio restitutionem; non verò ex eo, quòd unum sit præceptum negativum, & aliud affirmativum: quod exinde patet; quia si eo modo, quo diximus num. 36. res aliqua divinitus bilocaretur, posset cum retentione stare simul restitutio, unde præceptum restituendi directè, & per se non prohibet retentionem: qua de causa num. 765. ad secundam objectionem dixi permitto majorem. 765.

* * *

DISPUTATIO XV.

DE RADICIBUS RESTITUTIONIS.

766. CErtum est, obligationem restitutionis oriri à jure læso alterius, & ab illa regula rationis naturalis, quod tibi non vis, alteri ne feceris, simulque à præceptis aliis naturalibus, & positivis restitutionem præcipientibus, tanquam à prima radice generali formali, & quasi activa formaliter obligante ad restitutionem, de qua hucusque egimus per integrum ferè Tractatum; nunc autem quæstio est de alio genere radicis materialis, scilicet subjectivæ, & objectivæ, quæ se habet ex parte materiæ, & objecti, atque occasionem præbet, ut quis constringatur prædictis præceptis restituendi. Plures sunt sententiæ Doctorum assignantium numerum harum radicum, ex quibus oritur obligatio restituendi. Dicastillo enim, Bonac. & alii assignant tres, alii quatuor, alii septem; cæterùm communis sententia, quam ex D. Thom. defendit Esparza cum Lugo disp. 8. s. 2. duas tantùm assignant radices restitutionis strictæ, scilicet ex re accepta, & ex injusta acceptione. Pro resolutione sit

SECTIO I.

Quot sint Restitutionis radices, & quanta obligatio ex re accepta?

767. SUppono 1. duplicem distingui ab Authoribus injustitiam, prout ad præsens attinet institutum relatè ad duplicem culpam. Prima dicitur culpa Theologica; secunda verò civilis

lis, seu juridica. Culpa Theologica idem est, ac peccatum coram DEO, & in conscientia, quod nempe aliud est grave, sive mortale, aliud leve, sive veniale; culpa verò civilis, seu juridica est omissio aliqua diligentiæ, ex qua damnum proximi sequitur, quamque leges considerant, & Judices attendunt ad ferendas suas sententias; quæ tamen omissio diligentiæ apud DEUM, & in conscientia non semper est culpa ob inculpabilem defectum deliberationis, & advertentiæ, ut sæpe contingit. Hæc autem culpa civilis, & juridica juxta varios gradus negligentiæ est quintuplex: alia est latissima, alia latior, alia lata, alia est levis, & alia demum levissima. Horum membrorum explicatio satis aptè traditur à Navar. Salon, Rebello, & aliis, quos sequitur Bonacina disp. 3. de restitutione quæst. 1. punct. 6. Ex quibus

768. Culpa latissima est dolus apertus; latior est dolus non apertus, sed justè præsumptus; lata est omissio diligentiæ, quam homines cujusque conditionis solent adhibere; levis est omissio diligentiæ, quam homines diligentiores adhibent; levissima est omissio diligentiæ, quam adhibent diligentissimi, & prudentissimi. Explicantur hæc omnia exemplô. Culpa lata est, si librum commodatum reliqueris ante fores domûs; tunc enim diceris commisisse culpam latam in custodiendo libro, eò quòd non adhibueris diligentiam, quam solent viri prudentes, etiamsi ibi reliqueris librum ex omnimoda oblivione, ob quam omnino excuseris à culpa Theologica: si autem librum commodatum reliqueris in cubiculo aperto, vel quod facilè posset aperiri, diceris commisisse culpam levem; nam omisisti diligentiam, quam solent diligentiores adhibere; si autem librum clauseris in cubiculo, vel arca, sed non tentâsti manu, an ostium bene sit clausum, diceris commisisse levissimam; quia omisisti diligentiam, quam solent adhibere prudentissimi, & diligentissimi. Exinde inferes facilè explicationem aliorum membrorum attinentium ad culpam civilem, & juridicam.

769. Suppono 2. Radicem ortam ex re occupata esse illam, quæ oritur ex acceptione rei, licèt absque ullo delicto, & culpa sive Theologica, sive juridica; radicem verò ortam ex injusta acceptione esse illam, quæ culpam continet, ac proinde dicitur injusta. Ad hunc autem injustam acceptionem non est necesse, quòd rem aliquam alterius materialiter accipias; sed satis est, si alterius jus violes, & sic dicaris accipere ab altero, quod suum erat, ut contingeret, quando accenderes igne injustè alterius segeres; tunc enim, quamvis apud te ea bona alterius materialiter non retineas, in morali tamen modo loquendi verè judicaris injustè accipere rem alterius, sicut injustè læderes alterius jus circa bona, quæ ab illo aufers: etenim modo, quo diceris injustè auferre bona alterius, diceris quoque injustè accipere bona illius: his positis

Assero 1. cum communi Doctorum sententia: radices objectivæ, ex quibus oritur obligatio restituendi, sunt tantùm duæ, scilicet res occupata, ac injusta acceptio, sive, ut alii ajunt, acceptio rei alienæ materialiter tantùm injusta, & acceptio rei alienæ formaliter injusta. Probatur 1. Radices objectivæ, ex quibus oritur obligatio restituendi, comprehenduntur adæquatè sub hoc duplici membro, nempe sub titulo sine delicto, & sub titulo cum delicto; non enim est excogitabile membrum, quod sub uno ex illis duobus non comprehendatur: atqui titulus sine delicto pertinet ad rem acceptam, & titulus cum delicto pertinet ad injustam acceptionem, ut num. superiori; ergo radices objectivæ, ex quibus oritur obligatio restituendi, comprehenduntur adæquatè sub his duobus assignatis in nostra assertione.

Confirmatur. Ex re accepta, licèt inculpabiliter accepta sit, ut si ob existimationem falsò, & invincibiliter rem esse suam, vel quocunque alio modo ad ipsius potestatem venerit, oritur obligatio restituendi vero Domino, quandocunque innotuerit rem esse ipsius: res enim Domini semper clamat pro Domino, cùm sit devincta in commodum libertatis ipsius, ut num. 179. Ex injusta acceptione manifestè oritur obligatio restituendi, cùm non solùm res clamet pro Domino, sed etiam actio ablativa rei, seu inductiva damni sui contra Dominum: siquidem unusquisque habet circa suam potestatem jus proprietatis, ne ab altero sine justo titulo damnificetur: unde hæ duæ sunt radices objectivæ ad restitutionem obligantes: item quicunque sit titulus objectivus obligans ad restitutionem, reducendus est ad unum ex his duobus, cùm medium non sit inter titulum sine culpa, & titulum cum culpa; ergo &c.

Probatur 2. Omnes radices, quæ ab Authoribus assignantur, comprehenduntur sub his duobus; ergo hæc divisio est adæquata. Probatur antec. Ii, qui septem radices assignant, sic eas dividunt. Prima est ratione injustæ damnificationis. Secunda injusta acceptio. Tertia injusta retentio. Quarta res accepta. Quinta injusta cooperatio. Sexta ex contractu. Septima ex quasi contractu, scilicet ex munere cum officio sumpto, aut acceptato Parochi, Confessarii, Judicis, Advocati, Magistri, Tutoris, Curatoris, Executoris, Medici, Chirurgi &c. quia si dein has operas conducant, vel salarium, aut stipendium accipiant ex absoluto etiam, & perfecto contractu ob obligationem officio annexam, tenebuntur & de damno secuto, & de pretio injustè accepto, si ad eas operationes exequendas jam his sit assignatum: sed hæc omnia reducuntur vel ad rem acceptâ, vel ad justam acceptionem, vel ad titulum sine delicto, ut expendenti constabit; ergo &c.

Assero

773. Assero 2. cum communi Doctorum: si quis aliquam rem bona fide ut suam titulo aliquo acceperit, statim ac certò advertit esse alienam, debet eam, si extat, restituere. Probatur: res, quandocunque accepta, ubicunque sit, sui Domini est, cùm sit ipsi devincta ex ipso jure proprietatis. Nam res Domini clamat pro Domino, ac proinde qui eam habet, nisi statim reddat, incipit esse injustus detentor, & consequenter alteri radici restitutionis subjacet, scilicet injustæ acceptionis; etenim injusta detentio est injusta acceptio rei alienæ; ergo statim ac agnovit rem illam esse alienam, debet ex justitia rem eam; si extat, reddere Domino.

774. Dixi *statim ac certò advertit*: nam si sub dubio, vel sub aliqua tantùm probabilitate advertat, non est obligatus reddere statim, sed potest retinere, dum adhibet diligentiam ad inveniendam veritatem, quantùm potest, qua non inventa, si habeat rationes ad deponendum prudenter dubium de opposito, potest sibi integram retinere; nam possessio bonæ fidei, quam ab initio habuit, ipsi favet, datque illi jus ad retinendum rem illam in casu, nostro deponendo prudenter dubium de opposito: nam in eo casu melior est conditio possidentis; cùm habeat pro se justam præsumptionem in possessione fundatam, quæ dum non vincitur ratione, vel præsumptione fortiori, prævalet in utroque foro, de qua vide Vasquez, Salam, Aragon. Sanchez, Lugonem disput. 17.

775. Dixi etiam *illam eandē rem*: nam non potest unam pro alia, invito creditore, restituere ex L. *manifesti*, Cod. *de solut.* creditor enim non tantùm habet jus justitiæ ad rem, vel ejus valorem, sed determinatè ad hanc rem, ut Vasquez, Vallensis, Molina &c. quos sequitur Dicastillus lib. 2. de justit. Tractat. 2. disp. 2. Huic tamen doctrinæ videtur opponi Valerius in Different. *cujusque fori*, verbo *debitum*, Different. 8. qui ait, prædictam doctrinam esse veram in foro externo; at in foro conscientiæ satisfieri reddendo rei æstimationem, & valorem, vel aliam rem ejusdem bonitatis, & quantitatis; quia sic reparatur damnum secundùm æqualitatem: addit, posse in hoc aliunde intervenire peccatum, non quidem contra justitiam, sed contra charitatem, dando Domino occasionem contristationis, & iræ, si scis id ægrè laturum Dominum, si res ipsa sua sibi non restituatur; aliàs nullum esset præceptum restituendi rem in specie, etiamsi exsteret.

776. Cæterùm Valerij sententia in pluribus displicet. Distinguendum enim: vel res sunt usu consumptibiles, & tunc regulariter certum est, quòd una potest reddi pro alia ejusdem valoris, & bonitatis, ut si pecuniam alienam habeas, & reddas aliam ejusdem valoris, & bonitatis; si triticum alienum habeas, & reddas tot mensuras ejusdem bonitatis, & valoris. Idem est de vino, oleo &c. vel res non sunt usu consumptibiles, & tunc iterū distinguendum: si enim Dominus ad rem suam habeat peculiarem affectum, vel aliàs non sit contentus alia etiam meliore, videtur te non posse pro illa reddere rem aliam, vel etiam pretium; ut cum pluribus aliis Tamburinus lib. 8. Tract. 3. cap. 3. quia Dominus non est adhuc spoliatus dominiò rei suæ, & res pro Domino clamat: tum quia non restituendo eandem rem notabilis injuria infertur Domino suo notabiliter affecto erga illam; res enim aliena non potest invitò rationabiliter Domino retineri etiam solutò pretiò; quia hoc esset Dominum cogere ad vendendum: quod quidem esse peccatum grave contra justitiam, constat ex lib. 3. Reg. cap. 1. ubi nempe priùs Achab ausus est auferre à Nabot, ipso invito, vineam soluto pretio, vel pro alia meliori commutare, eò quòd Nabot habebat ad vineam suam peculiarem affectum, quia erat hæreditas paterna: idemque dicendum est de re aliqua consumptibili, si aliquis specialis titulus staret pro Domino.

777. Assero 3. Si res aliena bona fide accepta, bona fide in totum consumpta sit, vel destructa, nihilque remaneat, in quo factus sit ditior, sive res sit consumptibilis, sive non, ad nihil restituendum teneris, quando postea advertis, te consumpsisse rem alienam. Probatur facilè; quia cùm ex uno capite res nullo modo apud te extat neque in se, neque in æquivalenti, & ex alio capite sine ulla culpa contra justitiam rem destruxeris, non est caput, unde oriatur obligatio restituendi. Dixi *sine culpa contra justitiam*; nam licèt destruxeris lasciviendo, vel alio modo inhonesto, cùm non peccaveris contra justitiam, neque factus sis ditior, neque aliquid rei illius remaneat, nulla oritur obligatio restitutionis.

778. Assero 4. Si res non sit totaliter destructa, sed remaneat saltem in aliquo, quo possessor bonæ fidei factus est locupletior, debet restituere id, quod remanet, vel in quo factus est ditior, ubi primum advertit, id per se provenisse ex re aliena, v. g. cùm quis bona fide rem vendidit, & pretium accepit ab emptore. Probatur facilè; quia pretium, aut id, in quo factus est ditior, succedit locò alienæ; ergo sicut rem alienam, si extaret apud te, deberes restituere, sic etiam hoc, quod remanet: non enim est æquum, ut aliquis ex re aliena factus sit ditior. Dixi *per se provenisse*; nam id solùm succedit locò rei alienæ; non verò id, quod occasione ipsius per accidens acquiris, v. g. si pecuniam alienam, quam bona fide judicas esse tuam, negotiationi subdas, totum lucrum tuum erit, quia est fructus tuæ industriæ, nec per se provenit ab aliena pecunia, quæ de se sterilis est. Ex dictis

779. Fit 1. Tunc dici aliquem factum ditiorem ex re aliena, & teneri restituere in eo, in quo factus est ditior, quando ex consumptione rei alienæ bona fide ipsi provenit per se aliquod emolumentum, vel evitat aliquos sumptus, quos

quos de suo feciſſet, niſi aliena re uſus fuiſſet. Dixi *per ſe provenit*; quia ſi proveniat tantùm occaſionaliter, & per accidnes, non oritur obligatio reſtituendi, ut conſtat ex num. ſuperiori. Quamobrem ſi occaſione, quòd indutus pretioſa veſte aliena invitaris à Principe, qui inter epulas multa tibi donavit, non teneris reſtituere Domino veſtium: è converſo ſi poſſeſſor durante bona fide expendit aliena melioranda, vel conſervanda, poteſt poſtea expenſas ſibi reſervare, quando Domino jam cognito rem reſtituit; quia ea melioramenta non habentur per ſe ab ipſa re, imò tantum de re ipſa cenſetur moraliter periiſſe, quantum poſſeſſor bonæ fidei inſumpſit in ea conſervanda.

780. Fit 2. Quòd ſi quis invitatus ab amico edat bona fide res furtivas, ad nullam reſtitutionem tenetur, ſi ipſe in nullo factus ſit ditior; at ſi inſumpſiſſet aliquid æquale, vel partem tantùm, debet hoc reſtituere, quia in hoc factus eſt ditior; ſi autem res aliena apud bonæ fidei poſſeſſorem miſceatur cum alia re ipſius, ita ut non poſſit diſcerni, aut ſeparari, tunc res illa aliena per ſe loquendo cenſetur moraliter non extare, quaſi fuiſſet conſumpta, juxta legem citatam num. 634. ac proinde non eſt eadem reſtituenda, ſed in æquivalenti penes id, in quo bonæ bonæ fidei poſſeſſor factus eſt ditior. Reliqua, quæ hìc inferri poſſunt, facilè conſtabunt ex ſolutione argumentorum.

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

781. OBjicies 1. contra primam aſſertionem: injuſta acceptio continetur in re accepta tanquam ſpecies in genere; ſiquidem fieri non poteſt, rem eſſe acceptam, quin detur acceptio, cujus una ſpecies eſt, ut ſit juſta; alia, ut ſit injuſta; ergo illa diviſio duplicis radicis eſt vitioſa, & dici debet, omnem obligationem reſtitutionis fundari in occupatione rei alienæ: quandoquidem illa acceptio ſive juſta, ſive injuſta ſit, fundat dictam obligationem, nec aliud eſt, quod eam fundare poſſit. Reſp. diſt. antec. tanquam ſpecies in genere in re accepta præcisè ſumpta, conc. conſiderata ut meré materialiter injuſta, nego antec. & conſequentiam; quia res accepta per acceptionem purè materialiter injuſtam, & res accepta per acceptionem formaliter injuſtam conſtituunt duas ſpecies moraliter diſtinctas, id eſt, unam moraliter imputabilem, & alteram moraliter non imputabilem: atque in hoc ſenſu ſumuntur in præſenti à Theologis res occupata, & injuſta acceptio, ut conſtat ex dictis. Verùm ne de hac voce contendamus, ſi aliquis dicere velit, obligationem reſtituendi adæquatè fundari in acceptione rei alienæ tum formaliter injuſta, tum materialiter tantùm injuſta, facilè conveniemus; cùm ſub diverſis verbis id ipſum ſignificetur, quòd per has duas radices ſignificat communis ſenſus Th. Th. ut ex verbis noſtræ aſſertionis perſpicuè conſtat.

Objicies 2. dantur leges, atque adeò obligatio de reparando damno illato abſque ulla culpa per ſervum, aut animal, aut etiam aliquid inanimatũ alterius, qui obligatus eſt ad reparationem; ſed in hoc eventu nulla eſt acceptio, aut res accepta; ergo datur obligatio reſtituendi, quin oriatur ex re accepta, vel injuſta acceptione. Reſp. conc. maj. & diſt. minorem: nulla eſt acceptio, aut res accepta phyſicè loquendo, conc. moraliter, nego min. & conſequentiam. Ratio eſt, quia licèt illæ leges non obligent ad reſtitutionem, niſi præcedat culpa, ſaltem juridica; neque obligent ante ſententiam Judicis, ut infrà dicemus, ſi nulla ſit culpa Theologica, tamen poſt ſententiam Judicis aliquis ex damno ſui ſervi, aut animalis obligatur ad reſtituendũ, quia cenſetur moraliter abſtuliſſe bona alterius per aliquod inſtrumentum ſuum, ac proinde moraliter reputatur, quaſi bona alterius accepiſſet: unde oritur obligatio ex radice objectiva juridicè injuſtæ acceptionis, ſine qua non adveniret ſententia Judicis obligans ad reſtitutionem. Aliqui in hoc caſu judicant, eam non eſſe propriè reſtitutionem, ſed juſtam condemnationem, ut homines cautiores ſint impoſterum, ne alteri ob res ſuas damnum eveniat. Quidquid tamen de hoc ſit, ſi ea vocanda ſit propriè reſtitutio, vocabitur etiam propriè juris læſi reparatio propter rem injuſtè acceptam; ſi autem dicatur reſtitutio impropriè, dicetur etiam impropriè illa læſio injuſta acceptio. 784.

Objicies 3. contra ſecundam: ſi ex re accepta bona fide oriretur obligatio reſtituendi rem adhuc extantem, non poſſet aſſignari, quis reſtituere teneretur in hoc caſu, quo Antonius equum Regis ab amico donô acceperit, & mox eadem fide vendiderit Franciſco, ſi ejus pretium idem Antonius donô dederit Petro. Ergo ex re bona fide accepta non oritur talis obligatio. Reſp. neg. ant. quia licèt Antonius nihil debeat Regi, quia nec retinet equum, nec in aliquo factus eſt ditior ex equo Regis; & licèt nihil Regi debeat Petrus, quia nunquam habuit equum Regis, & pecuniam, quam accepit, habuit donô ab Antonio pecuniæ Domino, cujus ſcilicet dominium, ut ſupponitur, acquiſivit per admixtionem cum ſua, remanet tamen Franciſcus, qui quidem eſt obligatus reddere equum ſuo Domino, ſcilicet Regi, & ſic jacturam ſuæ pecuniæ infortunio ſuo debet adſcribere, quòd res aliena apud ſe extare inveniatur. 785. 787.

Cæterùm Antonius, licèt nihil Regi debeat, debet tamen reddere totum pretium Franciſco, caſu, quo hic equum reddat Regi, & quidem ex contractu implicito, quo Antonius Franciſco rem vendidit; in hoc enim contractu implicitè includitur, quòd venditor indemnem reddere debeat emptorem quoad rem venditam, 788.

ditam, atque adeò ut hæc ſit vendibilis, & ut ipſe venditor poſſit dominium transferre in emptorem; ſicut ſi vitrum pro gemma vendideris bona fide, certè cognito errore debes reſcindere contractum, & pretium reddere emptori, ut eum ſerves indemnem.

785. Atque hæc ratio militat etiam, ſi Antonius prædictum equum juſto pretio ab aliquo emit, nimirum à Paulo; tunc enim, licèt Antonius propter dictam rationem indemnitatis poſſit exigere à Paulo pretium, ipſe tamen Antonius tenetur ratione venditionis ſuæ reddere Franciſco equum, nec poteſt eum remittere ad Paulum, cum quo Franciſcus nullum habuit contractum. Ita Sotus, Valentia, pluresque alii apud Dicaſtillum contra Navarrum, qui putat, ſatis eſſe, ſi Antonius cedat Franciſco actionem, quam habet contra Paulum; nam obligationi reddendi emptorem indemnem non ſatisfacit Antonius dando Franciſco jus, & actionem, quam habet contra Paulum primum venditorem; hoc enim non eſt indemnem reddere Franciſcum, ſed eum obligare ad litigandum cum aliis, cum quibus nullum habuit negotium, nec iniit contractum.

786. Objicies 4. contra tertiam: ſi ex re bona fide accepta, & conſumpta non teneretur quis ad reſtitutionem, ſi bona fide donarem alteri rem furtivam donatam mihi invincibiliter ignoranti furtum, nihil tenerer reſtituere; ſed hoc eſt contra rectam rationem; ergo &c. Reſp. diſt. maj. nihil tenerer reſtituere, ſi in nullo factus ſum ditior, conc. ſi in aliquo factus ſum ditior, nego maj. & diſtincta pariter min. nego conſequentiam. Ratio eſt, qui ſi in nullo factus ſum ditior, non remanet aliquid, quod pro re ſubſtituatur, ac proinde ex quo teneat reſtituere; aliter enim eſſet, ſi donaturus eſſem amico aliquid æquale, vel minus, cujus locò rem mihi donatam ſubſtitui: nam tunc illud æquale, vel minus reſtituere debeo Domino jam cognito, quia in hoc factus ſum ditior, & ſuccedit locò rei alienæ; ſi autem donaturus eſſem quid majus, & donatarius contentus re illa exceſſum remiſit, non teneor reſtituere exceſſum, quia remiſſio facta, atque adeò reſervatio exceſſûs non oritur per ſe, ſed occaſionaliter, & per accidens ex re aliena, ideóque meus eſt exceſſus, & non Domini illius rei.

787. Objicies 5. contra quartam: id, quod ex ex re aliena manet, poteſt eſſe mixtum jam rebus tuis, ac proinde manet ſub tuo dominio, juxta dicta num. 634. ſed ratione illorum, quæ ſunt ſub dominio tuo, non teneris quidquam reſtituere; ergo ratione illius, quod manet, non teneris quidquam reſtituere. Reſp. diſt. maj. manet ſub tuo dominio adæquatione objecti, conc. adæquatione juris, nego maj. & diſtincta pariter minori, nego conſequentiam; quia res, dum manet in ſe, vel effectu ſuo, clamat pro Domino. Unde ſi ſit indiviſa, & mixta cum aliis bonis poſſidentis, licèt juxta leges maneat ſub ejus dominio adæquato adæquatione juris, ſed ſub dominio gravato ad compenſationem rei alienæ; ex ea namque mixtione ſolùm fit, te non teneri rem eandem reſtituere, ſed in æquivalenti. Nequaquam autem exinde infertur, te deobligatum eſſe à compenſatione juris alterius, quod læſum eſt, usque dum adæquetur re ſua in effectu ſuo perſiſtente. Ex dictis

Fit 1. Si rem furtivam tibi bona fide donatam vendas, debere te reſtituere Domino pretium; quia in hoc factus es ditior, niſi Dominus rem ſuam vendicet ab emptore; tunc enim debes reſtituere emptori pretium, quia teneris eum ſervare indemnem. Si verò rem alienam bona fide à te priùs emptam, poſtea eandem bona fide alteri reddas, non obligaris reddere Domino rei, ut docent plures Theologi apud Dianam Tract. 5. miſcel. reſolut. 31. & 42. & apud Dicaſtillum lib. 2. Tract. 2. diſput. 5. dubitat. 8. Ratio eſt, quia apud te res Domini non extat, nec in aliquo factus es ditior; pretium autem, quod vendendo accepiſti, emendo dediſti. Dixi *Domino rei*: nam emptori debes pretium reddere, cùm ex contractu venditionis debeas eum reddere indemnem, ut ex dictis 768. 788.

Fit 2. non teneri Procuratorem communitatis reſtituere in hoc caſu, qui aliquando contingit: convenerat in mercato cum Domino, qui plures uvarum ſpecies vendebat, aliquas nempe 8. alias 10. Juliis: init contractum emptionis, & venditionis circa illas, quæ 8. Juliis vendebantur, perſolvitque pretium, 8. ſcilicet Julios pro ſingulis caniſtris juxta conventionem factam cum onere, ut venditor eas deferret in domum emptoris: detulit illos venditor, bonaque fide in domo emptoris ſtatim conſumptæ ſunt; poſtea advertens venditor ſe deceptum fuiſſe deferendo illas, quæ 10. Juliis vendebantur, cùm deferre debuiſſet eas, quæ vendebantur 8. Juliis: acceſſit ad Procuratorem, exigendo majus pretium, & Procurator reſtitit, & quæſivit, an teneretur quidquam reſtituere, reſolutio fuit, Procuratorem non teneri ad reſtitutionem; ratio eſt, quia eodem modo inſerviſſet communitati dando illas uvas, quas ipſe emerat, ac ſatisfacit dando, quas alter attulerat: unde has bona fide accepit, & conſumpſit, atque in nihilo factus eſt ditior. Quare cùm uvæ neque in ſe, neque in effectu ſuo remanerent, ex nullo capite tenebatur reſtituere. 789.

SECTIO III.

Quomodo oriatur obligatio reſtituendi ex injuſta acceptione?

SUppono cum communi D. D. regulariter loquendo, neminem teneri ad reſtitutionem damni ſecuti ex ejus omiſſione, vel actione abſque 790.

que omni prorsus illius culpa, præscindendo ab onere rei acceptæ, & ab omni contractu, & loquendo solùm de injusta acceptione; si enim ex pacto, vel omissione aliqua tua damnum alteri sequatur, quod tu, ne eveniret, omnem adhibuisti diligentiam, & curam etiam, quam prudentissimi, & diligentissimi solent, non teneris restituere pro damno alteri illato. Ratio est, quia in hoc casu non teneris restituere ex officio, vel contractu, ut supponimus: deinde neque ex re accepta; supponimus enim, eam non manere apud te, neque commodum aliquod ex damnificatione illa tibi provenisse: unde solùm posset oriri obligatio restituendi in hoc casu ex injusta damnificatione; atqui damnificatio non est injusta, quando nullam omnino culpam in ea commisisti; ergo in eo casu ex nullo capite teneris ad restitutionem. Dixi *regulariter*; quia unus assignatur casus, in quo quis tenetur restituere pro damno alteri illato absque ulla ejus culpa, quando scilicet servus, vel animal alicujus alteri intulit damnum. Verùm de hoc diximus num. 754. & iterum infrà.

791. Quæstio igitur præsens est, qualis culpa requiratur ad obligationem restituendi damnum alteri illatum? Theologicáne? an sufficiat juridica. Prima sententia tenet, obligationem restituendi oriri ex qualibet culpa juridica. Ita Angelus, Adrianus, Panor. & alii, quos refert Molina Tract. 3. disp. 698. Secunda sententia docet, damnum illatum ex culpa lata obligare ad restitutionem in conscientia etiam ante Judicis sententiam; illatum verò ex levi, vel levissima, non nisi post sententiam, & condemnationem Judicis. Ita Innocentius, Sylvester, & alii, quos ibidem refert Molina. Tertia sententia ait, culpam Theologicam requiri, atque adeò quamvis culpa lata juridica regulariter inducat obligationem restituendi, quia regulariter simul est culpa Theologica; si tamen illa sine peccato contingeret, essetque culpa purè juridica, non includeret obligationem restituendi ante Judicis sententiam. Ita Molina, Vasquez, Lessius, & alii, quos sequuntur Cardinalis de Lugo, & Dicastillus lib. 2. Tract. 2. disp. 3.

792. Assero 1. cum tertia sententia: ut damnificatio pariat obligationem restituendi in conscientia ante sententiam Judicis, debet esse Theologicè culpabilis, nec sufficit pura culpa juridica etiam lata, ut ante sententiam Judicis oriatur obligatio restituendi in conscientia. Probatur 1. Tota obligatio restitutionis in hoc casu oritur ex delicto, quod committitur in damnificatione, vel acceptione injusta formaliter; supponimus enim, damnificantem nec retinere rem, nec percepisse ex ea aliquod emolumentum, ideóque non teneri ex radice rei acceptæ, neque deinde ratione contractûs, quem etiam supponimus non intercedere; tunc enim ratione contractûs daretur obligatio, & iste esset injustus detentor rei non suæ, erga quam jus amisit ex contractu; ergo ubi in conscientia, & coram DEO nulla culpa, & nullum delictum committitur, nulla etiam erit in conscientia, & coram DEO obligatio restituendi ante Judicis sententiam.

Probatur 2. ex Molina disp. 797. Leges, 793
quæ præscribunt Judici obligationem ferendi sententiam, & obligandi ad restituendum ex culpa juridica saltem lata, non obligant in conscientia ante sententiam Judicis, licèt post Judicis sententiam in conscientia obligent, eò quòd leges illæ sint justæ, & conditæ ex eo vero zelo reddendi homines cautiores in adhibenda diligentia, cùm sciant eos à Judice obligandos ad restitutionem, si interveniat culpa juridica, saltem lata: ergo ante sententiam Judicis non obligatur quis ad restituendum in conscientia propter damnum alteri illatum absque ulla culpa Theologica. Antec. quoad secundam partem est certum, quoad primâ verò partem probatur; quia Conditores earum legum non voluerunt obligare in conscientia, nisi post sententiam, ut colligitur ex eo, quòd sic, & non aliter receptæ sint illæ leges, ut usus demonstrat, imò ut rectè colligit Molina ex variis textibus, hæc, & non alia fuit mens Conditorum earum legum; ergo ante sententiam Judicis nullum manet onus ad restituendum in conscientia.

Assero 2. In casu culpæ juridicæ etiam la- 794
tæ cum sola veniali Theologica nulla est obligatio gravis restituendi in conscientia ante sententiam Judicis, licèt damnum sit grave. Probatur 1. Actus moralis imperfectus in suo genere, qualis est indeliberata damnificatio in re gravi, non est delictum simpliciter, & perfectè tale: siquidem culpa venialis, ut ait Div. Thomas, licèt opponatur immediatè mediis ducentibus ad DEUM, non opponitur immediatè DEO, cùm sit componibilis cum Dei amicitia; etenim peccatum veniale non destruit gratiam, & amicitiam DEI; ergo non potest esse causa obligationis perfectè talis, qualis est quæcunque obligatio certa, & præcipuè moralis restituendi materiam gravem. Confirmatur. Nulla est proportio inter culpam venialem, & obligationem restituendi sub gravi; quæ enim proportio esset, si per actum factum à semidormiente, cui assimilatur, qui minùs deliberatè agit, obligaretur aliquis ad subeundam pœnam gravem sub onere certo peccati mortalis? ergo cum sola culpa veniali, quamvis intercedat culpa lata juridica, non oritur ante Judicis sententiam obligatio gravis restituendi in conscientia.

Probatur 2. Promissio facta homini in re 795
gravi, votum DEO factum, juramentum, vel præceptum Superioris, si procedant ex imperfecta deliberatione, nullam inducunt obligationem gravem, imò nec levem, ut latè tradunt ex D. D. Suar. Tom. 2. de Relig. lib. 1. de essentia voti cap. 6. & lib. 2. de juram. cap. 7. tum etiam Sanchez lib. in Decal.

tal. cap. 1. num. 18. idemque est de contractu, si consensus non est præstitus cum plena deliberatione; ergo neque injusta acceptio, aut damnificatio in re gravi ex imperfecta deliberatione procedens inducit obligationem restituendi rem gravem. Probatur consequentia: eadem est improportio in culpa veniali ad inducendam obligationem gravem restituendi; & in voto indeliberato ad inducendam gravem obligationem; ergo ex eo, quòd indeliberatio in voto excludat obligationem gravem, etiam illam excludit in onere restituendi.

796. Respondebis 1. ex culpa Theologica veniali quantumvis imperfecta oriri obligationem gravem restituendi totum damnum; quia obligatio ista non oritur ex illa culpa tanquam ex causa, sed tanquam ex occasione, qua posita obligatio restituendi oritur ex virtute justitiæ tanquam ex causa; ex hac enim oriri potest obligatio perfecta, licèt nata occasione imperfecta. Contrà tamen. Virtus justitiæ non obligat ad restituendum damnum illatum, eò præcisè, quòd sit illatum ex quacunque occasione; sed ex eo, quòd sit ex peccato injustitiæ in conscientia; aliter etiamsi nullum esset peccatum, sed solùm poneretur ut occasio culpa juridica saltem lata, obligaret justitia graviter ad solvendum damnum, quòd falsum esse fatentur Adversarii; ergo ubi non est culpa gravis Theologica, non potest oriri in conscientia obligatio saltem gravis restituendi damnum grave, & in proportione culpæ levis ad inducendam culpam gravem.

797. Respondebis 2. saltem obligationem levem restituendi totum damnum grave in casu nostro, non esse negandam, quia fuit culpa levis in conscientia, & proinde pariet in conscientia obligationem restituendi totum illud damnum saltem leve; sicut enim, qui furatur rem parvam, teneretur restituere sub veniali ex culpa leviter injusta, sic qui ex culpa veniali causavit damnum grave, tenebitur sub veniali restituere illud damnum grave; etenim culpa venialis jam habet proportionem ad particularem hanc levem obligationem. Contrà 1. Hæc responsio non est contra nostram assertionem, ut ex terminis patet. Contrà 2. quia licèt responsionis doctrina sit probabilis, adhuc tamen à gravissimis Theologis negatur, eò quòd ablatio rei parvæ fit cum plena advertentia, & est plenè voluntaria in suo genere, scilicet in genere rei parvæ: unde non est mirum, si pariat obligationem in suo genere; at verò in nostro casu non erat advertentia plena ad damnum grave, ideóque injustia in re gravi non fuit plenè voluntaria, ut pariat obligationem in suo genere, sive ad totum illud damnum grave reparandum: sicut etiam, qui vovit rem parvam, tenetur sub veniali adimplere; qui verò vovit rem magnam sine plena advertentia, ad nihil tenetur, cùm idem dicendum sit in nostro casu; ex quo saltem infertur fundamentum Adversariorum non esse sufficiens ad includendam obligationem restituendi rem gravem sub onere culpæ levis. Quidquid sit, an ex aliis rationibus inferatur, à quo modo præscindimus.

Probatur 3. Undecunque proveniat levitas 798.
culpæ Theologicæ in damnificatione proximi in re gravi, non manet apta ad pariendam obligationem gravem ex delicto; siquidem obligatio gravis ad rem gravem nullam habet proportionem cum illo delicto levi; liceat enim obligatio restituendi ex delicto non sit propriè pœna, cùm restitutio non sit ad ad pœnam, sed ad compensandum jus alterius læsum; at aliquo modo imitatur pœnam: unde sicut ex natura rei non est obligatio ad pœnam, ubi non præcessit culpa, ita nec erit obligatio ad pœnam gravem, ubi non præcessit culpa gravis, nec ullus Judex, si de hoc constaret, propter levè culpâ imponere posset pœnam, quam lex imponit delicto gravi; ergo etiam obligatio restituendi ex delicto nulla est ex natura rei, ubi nullum est delictum in conscientia, ac proinde nec obligatio gravis, ubi non est delictum grave.

Probatur 4. Si ex culpa levi oriretur obli- 799.
gatio quantumvis levis restituendi totum damnum grave, hoc perinde esset, ac si diceres, ex delicto levi v. g. ex homicidio ob inadvertentiam inculpabilem commisso oriri obligationem levem ad totam pœnam homicidii gravis, quòd nimis absurdum apparet; nam licèt respectu præmii possit dari meritum condignum, & congruum, respectu tamen pœnæ id dari non potest; siquidem in præmiando non est inconveniens, quòd præmium detur supra condignum, liberalitate præmiantis supplente id, quod deficit condignitatis, & æqualitatis ex parte operis meritorii. Loquendo de meritis verò non potest quis puniri supra condignum, quia excessus supra condignum nasceretur certè non ex liberalitate, aut aliqua alia virtute punientis, sed ex fœvitia: unde si delictum est dignum ex se tota illa pœna gravi, jam oritur ex illo obligatio gravis, non tantùm levis, cùm supponatur condignitas, & æqualitas cum tota illa pœna gravi; si verò delictum ob suam levitatem non est ex se condignum totâ illâ pœnâ, non potest ex illo oriri obligatio levis ad totam illam pœnam, quia esset obligatio ad pœnam supra condignitatem delicti: unde ad summum posset oriri obligatio levis ad aliquam pœnam levem, ut maneat proportio inter culpam, & pœnam; ergo &c.

Quapropter ex peccato veniali non potest 800.
oriri obligatio gravis ex delicto ad restituendam materiam gravem, cùm hoc onus sit quasi pœna, quam sibi imponit, qui voluntariè lædit alienum jus proprietatis; non enim aliter imponit sibi illud onus, nisi quatenus habet proportionem cum suo delicto; onus autem restituendi totum damnum grave, non

est proportionatum peccato levi: unde vel nulla manet obligatio adhuc levis in eo casu, ut plures Doctores censent propter rationes suprà allatas; vel solùm manet obligatio ad pœnam levem, ut alii censent, ex quorum principiis fieri posset, ut peccatum veniale damnificationis esset de se leve, ut vix maneret obligatio restituendi centesimam partem damni, licèt posset quandoque esse adeò magnum intra limites venialis, ut pareret obligationem restituendi dimidiâ partẽ; ajunt enim isti Authores, quòd quando est dubium, an fuerit mortale, vel veniale, oritur obligatio restituendi dimidium. Idcirco quando pars restituenda est gravis, gravitas illa vel se habet purè de materiali, vel est gravis propter dubium de peccato gravi, quod deponi prudenter non potest, & propterea neq; obligatio ex illo orta potest deponi prudenter, nisi adimplendo eam obligationem gravem, quantumvis minorem alterâ, quæ oriretur, si esset peccatum certò grave.

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

801. OBjicies 1. contra primam assertionem: plures sunt leges civiles, quarum aliquæ ex culpa levi, & levissima; aliæ verò ex culpa lata juridica præscribunt faciendam restitutionem, quæ leges, cùm receptæ sint, obligant in conscientia. Resp. 1. dist. antec. obligant in conscientia ante Judicis sententiam, nego, post Judicis sententiam, conc. antec. & nego consequentiam. Ratio est, quia licèt potuissent statui leges, quæ obligâssent in conscientia ante sententiam Judicis, at defacto non ita obligant, quamvis sint de pœna restitutionis ipso facto incurrenda, ut à num. 655. & 705. quod nempe nobis constat ex usu, & hominum acceptatione, ut bene probat Molina Disputatione 697. & constat ex consuetudine, quæ reverà vim legis obtinuit: per quod hujusmodi leges distinguuntur ab illis legibus canonicis, quæ sunt de excommunicatione ipso facto incurrenda, aliisque similibus; nam istæ, ut ex praxi constat, acceptatæ sunt ut obligantes ante Judicis sententiam, & in hoc sensu instituræ, & promulgatæ.

802. Objicies 2. contra secundam ex cap. *si culpa* Tit. 36. *de injuriis*, ubi lib. 5. Decretal. Gregorius IX. ait, *si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem fortè tulisti, aut ex imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo, injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.* Sed per hæc inferri videtur damnum secutum ex quacunque culpa etiam levi, & levissima esse restituendum in conscientia ante sententiam Judicis; lex enim justa, cùm sit Ecclesiastica, & in ea respondeat Gregorius personæ Ecclesiasticæ, quæ intulit damnum, videtur obligare in conscientia ad restitutionem ante Judicis sententiam; ergo &c. Resp. cum Vasquez, Lessio, Turriano, & aliis, neg. min. quia in hoc textu sermo est de culpa lata, & Theologicè graviter culpabili, nempe quando de communiter contingentibus malitiosè omissum est aliquid, quòd homines prudentes, & diligentes solent adhibere; culpa enim lata regulariter affert peccatum grave Theologicum in materia gravi, nisi obstet defectus deliberationis, aut invincibilis ignorantia.

Quòd autem Pontifex loquatur de hac culpa, patet ex illis verbis: *nec ignorantia te excusat, si scire debuisti*: ignarus enim non dicitur jure præsenti debere scire, nisi quia laborat ignorantia vincibili, & culpabili; de invincibili enim, & inculpabili non agit hìc Pontifex, ut patet ex ipso textu, quia ita prosequitur, *quod si animalia tua nocuisse proponas, tamen ad satisfactionem teneris, nisi ea dando damnum passis, velis liberare te ipsum, quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueverunt nocere, fuissent, & quam debueras, non curâsti diligentiam adhibere.* Ex quibus verbis apparet, Pontificem loqui de ignorantia vincibili in eo significata, quòd alter non curaverit adhibere diligentiam, quam debebat ad evitandum damnum ex actione sua secutum.

Objicies 3. ex Cap. *contuliſti* 2. quæst. 4. ubi Stephanus V. sic ait: *monendi sunt, & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet superveniente suffocentur, vel opprimantur, unde isti rei homicidii inveniantur*: ergo qui ex quacunque negligentia est causa mortis alterius, est quoque reus homicidii, & tenetur ad restitutionem pro damno. Resp. conc. antec. & dist. conseq. ex quacunq; negligentia Theologicè inculpabili, neg. Theologicè culpabili, conc. ant. neque alia est doctrina hujus textus; quia in isto textu sermo est de parentibus committentibus peccatum mortale ob negligentiam gravem custodiendi filios, quæ facilè committi potest in re tam periculosa, & in re tam crebra; negligentia enim, quæ in aliis materiis esset fortè levis, & levissima, in hac tanti momenti est gravis, vel quia experti sunt se in somno solere opprimere infantes, & tamen in eodem lecto eos collocant cum eodem periculo; unde protestanter commonentur illi parentes, ne infantes in eodem lecto collocent, ne inveniantur parentes rei homicidii, si filios ex quacunque negligentia opprimant. Nec excusari possunt prætextu ullo inadvertentiæ: nam præceptum non collocandi infantes in eodem lecto ex fine, ne ex quacunque negligentia opprimantur, reddit eorum collocationem in eodem lecto causam per se mo ra le.

lem occiſionis infantis: unde apparet, quàm meritò in pluribus Epiſcopatibus ſit iſte caſus reſervatus.

805. Objicies 4. Quando plures paulatim furantur rem alienam, ut fructus vineæ, ſinguli in modica quantitate, & alii aliorum inſtantiis ſingulorum peccatum ſuit veniale; poſtea verò, ſciant ab omnibus fuiſſe illatum damnum grave, tenetur unusquisq; reſtituere ſub mortali ſuam partem; ergo illatio damni ſine peccato mortali ſufficit ad inducendam obligationem reſtituendi ſub mortali. Reſp. diſt. antec. tenetur unusquisque ſub mortali reſtituere partem ſuam, ſi exemplo ſuo, aut alio modo fuiſſet cauſa detrimenti gravis proximi, conc. ſi nullo modo fuiſſet gravis damni cauſa, neg. antec. & conſeq. Ratio eſt, quia ſi fuit cauſa per ſe gravis damni proximi, actio illa non fuit ſolùm venialiter mala, ſed graviter culpabilis, & obligans ad reſtituendum non ſolùm partem, ſed totum damnum, caſu, quo alii non reſtituerint juxta ordinem, quem infrà exponemus. Quòd autem ex actione graviter culpabili, & damnificativa oriatur obligatio gravis reſtituendi, nulla eſt difficultas; at ſi ille neutiquam fuiſſet cauſa per ſe gravis damni, ſed damni duntaxat levis, non tenetur ſub gravi, ſed ſub levi ad reſarciendum illud damnum leve, ex quo magis roboratur noſtra doctrina.

806. Objicies 5. Si poſt multa furta minuta addatur aliquid, quo pervenitur ad gravem, & notabilem ſummam, oritur obligatio gravis reſtituendi ratione injuſtæ damnificationis, licèt omnia illa furta fuerint peccata venialia; ergo ex culpa veniali poteſt oriri obligatio gravis reſtituendi ex titulo injuſtæ damnificationis. Reſp. neg. antec. quia vel ultimum furtum eſſet peccatum grave, eò quòd cum reliquis præcedentibus moraliter uniatur, ac proinde actio ultima furti reſpicit materiam gravem, unde oriatur obligatio reſtituendi grave damnum ex delicto lethali; vel ſi cum invincibili ignorantia fiat, aut cum ſola culpa veniali, licèt materia accepta ſit in ſe gravis, obligatio tamen reſtituendi in hoc caſu non pendet ex injuſta damnificatione, ſed ratione rei acceptæ, quæ, ut ſupponimus, notabilis eſt, ac proinde ſtatim, ac advertitur, naſcitur obligatio gravis reſtituendi; ſiquidem nullus poteſt juſtè appropriare ſibi ſine peccato lethali rem alienam gravem: unde licèt illa materia reſpectu diverſorum Dominorum in ſingulos diviſa accederet ad unumquemque ſecundùm partem levem, omnes tamen illæ particulæ conjunctæ in unum conſtituunt materiam gravem, atque denominant ſubjectum, quod eas omnes particulas retinet, retinens rem gravem alienam; idcirco ſi quando advertit, nolit reſtituere, incipiet jam eſſe injuſtus acceptor rei alienæ gravis, & tenebitur tunc reſtituere ſub gravi non ſolùm ex titulo rei acceptæ, ſed etiam ex titulo injuſtæ acceptionis.

807. Objicies 6. Qui projicit in mare gemmam alienam valentem mille, putans valere centum, ideóque peccans graviter, tenetur reſtituere mille; ergo qui eandem projiceret, exiſtimans valere duo, ſicque invincibiliter putans eſſe materiam levem, ideóque peccans ſolùm leviter, adhuc tenebitur reſtituere mille, ac proinde ex peccato veniali orietur in illo obligatio gravis reſtituendi. Probatur conſeq. ignorantia valoris ſupra centum non excuſat à reſtitutione totius valoris ſupra centum; ergo nec ignorantia valoris ſupra duo excuſabit à reſtitutione totius valoris ſupra duo. Reſp. conc. ant. & neg. conſequentiam. Ad probationem diſt. antec. ignorantia non excuſat quomodolibet ſumpta, nego; cum injuria gravi in conſcientia, ſicque non excuſante à peccato gravi, conc. ant. & neg. conſequentiam. Ratio eſt, quia ubi datur injuria gravis, eo ipſo conſequitur obligatio reſtituendi totum damnum grave, quod inde ſequitur patienti injuriam, etiamſi ignoſceretur; ſic ei, qui eſt in mora reſtituendi culpabili, imputantur caſus fortuiti, poſtea ſecuti, & non præviſi.

808. Explicatur exemplo: ſi teneris reſtituere librum alienum, & non reſtituis, atque dum es in mora, fuit conſumptus, aut aliter periit, debes totum illius valorem reſtituere; quia injuria gravis affert ſecum onus reddendi incolumem partem læſam, & per conſequens ſatisfaciendi pro damno, quodcunque illud ſit; licèt enim ignoraveris quantitatem illius, eo tamen ipſo, quòd injuriam gravem volueris inferre, te expoſuiſti obligationi ſolvendi totum damnum; ſiquidem injuria gravis te reddit dignum hac quaſi pœna, quæ connaturaliter ſequitur ad id, quod facis, & implicitè acceptâſti obligationem reddendi tantum, quantum res valet, te exponendo cum gravi culpa ad damnificandum. Si verò ſolùm venialiter peccâſſes, non fuiſſes expoſitus obligationi gravi, neque implicitè acceptaviſſes obligationem gravem reſtituendi id, quod ex culpa gravi ſubſequitur, ſed id tantùm, quod conſequitur obligationem levem, quod ſub levi obligatione ſemper manet; unde inter utrumque caſum nulla eſt paritatis ratio.

809. Objicies 7. Magis videtur repugnare obligatio reſtituendi grave damnum, quando nulla præceſſit culpa in damnificatione, quàm quando præceſſit culpa venialis; atqui quando nulla præceſſit culpa etiam venialis, tenetur aliquando damnificator ſub gravi ratione damnificationis reſtituere totum damnum grave; ergo multò magis, cùm præceſſit culpa venialis. Probatur min. Caſu, quo quis aliquando facit opus cum magno periculo præviſo damni gravis proximi, & cum intentione reſtituendi totum damnum, ſi fortè contingat: qua quidem animi præparatione contingit vitari omnem culpam; cùm in eo caſu Domini ratione illius actionis non ſint rationabili-

nabiliter inviti; nihilominus in eo casu operans subsecuto damno gravi, tenetur ad restitutionem illius sub mortali; atqui illa obligatio non oritur ex re accepta: supponimus enim, nullum emolumentum percipi ab illo ex re destructa, neque oritur ex injusta læsione; quia, ut vidimus, nullum est peccatum injustitiæ; ergo &c.

§10. Resp. conc. maj. & nego min. ad probationem dist. maj. tenetur ad restitutionem sub mortali ex contractu, vel quasi contractu interpretativo, conc. independenter ab eo titulo contractûs, neg. maj. & dist. min. non oritur ex re accepta quasi per contractum, neg. alio titulo accepta, conc. min. & nego consequentiam. Ratio est, quia ideo in eo casu non peccâsti, quia Dominus non erat rationabiliter invitus: & ideo non erat rationabiliter invitus, quia illa præparatio animi est contractus, seu quasi contractus implicitus servandi illæsum jus Domini; unde ex eo contractu habebas consensum Domini interpretativum, & licentiam ad sic agendum: eodem autem modo, quo habebas tunc interpretativum consensum, qui te ab injustitia excusavit, habuisti etiam acceptationē Domini interpretativam, qua tuam voluntatem, & obligationem restituendi damnum acceptavit, si fortè sequeretur. Sicut igitur in virtute licentiæ interpretativæ operatus es sine injustitia, ita in virtute acceptationis interpretativæ tuæ voluntatis teneris ad restituendum damnum, & servandum pactum, & ideo in hoc casu obligatio restituendi erit ex contractu, vel quasi contractu pertinente ad rem acceptam cum obligatione servandi illam illæsam Domino; at in eo casu non fuit tale pactum virtuale, sed tota obligatio debet oriri ex delicto, quod, cùm non fuerit, nequit parere obligationem gravem restituendi damnum grave.

§11. Objicies 8. Excommunicatio minor est pœna satis gravis: sed imponitur ad culpam levem; ergo ex culpa levi, & veniali potest quis subjici pœnæ gravi. Confirmatur. Si quis cum ignorantia invincibili Dei furaretur rem gravem, teneretur saltem sub peccato gravi philosophico restituere: sed tunc nulla esset culpa Theologica; ergo. Resp. dist. maj. est semper pœna, neg. est vel pœna, vel medicina, conc. maj. & dist. min. imponitur ob culpam levem ut pœna, nego, ut medicina, conc. min. & nego consequentiam. Ratio est, quia excommunicatio minor capax est, quæ imponatur ut medicina, quam pia Mater Ecclesia congruam judicavit, ut filius lapsus resipiscat, ne ruat in deterius, & hoc modo imponitur, quando tantùm præcessit culpa venialis; at obligatio restituendi non est medicina, sed quasi pœna, si oritur ex delicto, quam sibi imponit, & occupat delinquens, ut constat à num. 800. unde non est paritas inter utrumque casum. Ad Confirmationem nego suppositum maj. quia repugnat creatura capax rationis, & quæ peccare possit, & non habeat cognitionem aliquam de DEO, quæ ad Theologicam culpam satis sit; talis enim cognitio indita est creaturis rationalibus ratione præditis ab Authore naturæ, ut cum S. S. P. P. dixi alibi.

Objicies 9. Pœna Purgatorii ex se est satis §12. gravis, & gravior qualibet pœna hujus vitæ, sed imponitur ob culpam levem; ergo culpæ levi potest correspondere pœna proportionata gravis. Ad hoc argumentum omnes tenentur respondere, cùm omnes fateantur, non posse Judicem humanum decernere tam acerbam pœnam pro uno mendacio levi. Quare fatendum est, alio modo debere Nos metiri gravitatem, & levitatem pœnæ in ordine ad Rempublicam mortalem humanam, ejusque quietem procurandam tam à lege naturali, quàm civili; & altero modo in ordine ad Rempublicam immortalem, & æternam: illa enim pœna, quæ in ordine ad vitam nostram mortalem judicatur gravis, imò & gravissima, in ordine ad Rempublicam æternam judicatur levis; unde pro Adversariis, & pro nobis ad argumentum in forma

Resp. dist. maj. pœna ex se est satis gravis §13. considerata in ordine ad Rempublicam mortalem, conc. ad Rempublicam æternam, nego maj. & dist. pariter min. nego consequentiam. Ratio est, quia attendendo ad pœnas illas fori, nempe Reipublicæ immortalis, & æternæ, peccatum veniale leviter punitur, si puniatur solùm pœna temporali, vel ad tempus in Purgatorio, quandoquidem quodcunque temporale, relatè ad æternum est levissimum, licèt comparatione facta ad pœnas nostri fori sit pœna gravissima. Unde licèt propter culpam levem possit oriri obligatio ad pœnam, quæ relatè ad forum, in quo infertur, sit levis, non potest tamen oriri obligatio illa relatè ad nostrū forum, si in isto sit pœna gravis. Quamobrem relatè ad forum nostrum non potest ex culpa veniali oriri obligatio restituendi sub gravi in casu, de quo agimus.

Objicies 10. Homo potest se voto obligare §14. sub levi ad materiam gravem; Superior quoque potest obligare subditum sub levi in materia gravi, & pariter contrahentes ex contractu; ergo etiam ex delicto levi in conscientia potest oriri obligatio levis ad restituendam rem gravem. Resp. conc. antec. & omitto conseq. hoc enim non est contra nos, qui solùm intendimus ex ea culpa levi non posse oriri obligationem gravem in titulo injustæ damnificationis. Nihilominus plures Theologi negant consequentiam; quia in casibus allatis in argumento obligatio provenit ex positiva libera voluntate, qua quis se, vel alios §17. obligat, positiva autem hujusmodi voluntas tantum obligat, quantum vult obligare, sive materia sit causa majoris obligationis, sive non. Cùm igitur Superior vovens, contrahens &c.

non

non velint se, aut alios obligare, nisi leviter, etiamsi possent velle obligare sub gravi; ideo non obligant, nisi leviter, & obligatio est levis. In casibus verò allatis in argumento obligatio, quæcunque sit, oritur ex ipsa natura rei, & ex lege naturali, quæ non obligat, nisi quatenus, & quantùm materia est capax; unde lex naturalis, si obligat in materia gravi, necessariò obligat graviter, & non potest obligare sub levi. Ex dictis

815. Fit 1. ex actione damnificativa contra justitiam, quæ aliunde physicè considerata posset esse levis, resultare obligationem gravem restituendi, si sit prohibita graviter ex fine, ne sequatur illud damnum. Ratio est, quia in illo casu est causa per se moralis contra justitiam totius damni illati, ut num. 86. unde est sufficiens ad peccatum grave justitiæ. Idem dicendum est cum Soto, Richardo, Cajetano, Vasquez, Molina, & Lugo, si aliquis poneret actionem alioquin levem, vel quæ esset causa physica per accidens damni gravis contra justitiam, si eam poneret ex intentione, & fine, ut sequeretur damnum grave; quia causa per accidens physica quatenus affecta intentione, ut ex illa sequatur effectus, redditur causa per se moralis illius effectus, ut fusè de his diximus alibi. De causa per accidens physica affecta intentione, quæ solùm sit contra charitatem, diximus etiam ibi. Judex enim ex obligatione damnans malefactorem convictum, licèt hoc faciat ex odio, non peccabit contra justitiam, sed contra charitatē.

816. Fit 2. casu, quo pro delicto injustæ damnificationis pridem à te commisso alter, qui reus censeretur, cogeretur ad solvendum damnum, non inde te manere exoneratum à solutione; sed potiùs teneri te ad restitutionem: ratio est, quia tu, qui deliquisti, teneris ad restituendum illi, quidquid ipse coactus est dare parti læsæ in satisfactionem damni à te illati; unde licèt non tenearis dare parti læsæ, cui jam alter satisfecit, teneris tamen dare innocenti, qui tanquam, si esset reus, coactus est parti læsæ solvere, quod tu debebas: an autem tenearis satisfacere illi pro imputatione delicti, quod non ille, sed tu commisisti, nisi alia damna passus sit, qualia sunt incarceratio, mulcta pecuniaria, vel alia similia, invenies apud Lessium lib. 2. cap. 9. dub. 16. Sanch. lib. 1. consil. Vasquez cap. 2. §. 2. d. 4. & de Lugo disp. 8.

SECTIO V.

Quid, & quantum debeat restitui ratione injustæ damnificationis?

817. INjusta damnificatio non solùm respicit valorem rei acceptæ tempore, quo à fure accepta est, vel destructa, sed etiam quantum valitura esset postea tempore, quo ad maturitatem, vel statum perfectum perveniret; v. g. occidisti pullum, equum, qui spectatæ spe futuri eventûs, deductis expensis, laoribus, & æstimatione periculi, valet nunc 10. aureos; si verò permansisset usque ad perfectam ætatem, quia generosæ erat stirpis, valiturus erat 100. aureos. Pari modo seges, quam hoc die mensis Martii v. g. combussisti cum tota spe futuri fructûs, valet præter expensas, & pericula consueta judicio prudentum 10. aureos; at mense Julio collecta valet 100. quæritur ergo nunc, an occisor pulli, equi, vel destructor segetum debeat restituere decem, vel centum aureos.

Assero 1. regula generali: qui per culpam injustitiæ numero superiori explicatam, destruit rem alienam, vel deteriorem reddit, non solùm debet restituere valorem rei, sed omnes ejus fructus, omneque damnum, quod emergit, omneque lucrum, quod cessat Domino ex hujusmodi læsione. Probatur facilè ex hucusque dictis: ratione peccati injustæ damnificationis tenetur homo compensare ad æqualitatē jus læsum Domini; atqui jus læsum Domini ad æqualitatē non compensaret, si hæc omnia non restitueret, siquidem per hanc injustam læsionem circa omnia Dominus est damnificatus; ergo &c. 818. Confirmatur. Inprimis debet restitui valor rei, etiamsi res aliunde esset postea peritura; si tamen tempore damni illati non erat ulla notitia interitûs, vel periculi futuri, vel Dominus juri suo non cessit, neque propter pericula necessaria ad restituendam rem debeant fieri expensæ: in hoc enim casu nostro, cùm periculum illud omnino ignoraretur, quando res illa injustè destructa fuit, tantùm reverà valebat apud homines, ac si postea peritura non esset: unde totus ille valor fuit per injuriam ablatus Domino. Quod idem est de aliis capitibus suprà assignatis; ergo &c.

Respondebis adhuc in casu nostro posse furem excusari ab ista restitutione; si nempe res ab hostibus publicis bello injusto est diripienda, & tu antevertens destruxisti rem. Contrà tamen: quia hostes in bello injusto diripientes etiam injustè agunt, & tenentur restituere, sicut fur privatus; ergo sicut quando rem à fure diripiendam prior destruxisti, procul dubio teneris integrā restituere, sic etiam teneberis restituere integram rem, quæ ab illis hostibus publicis erat diripienda; in hoc enim casu injustè accipis, vel destruis rem Domini; ergo tantum debes restituere, quantum res in eo statu valebat; aliter non compensares ad æqualitatem jus læsum Domini: tu enim in eo casu transfers in te totam obligationem, quam hostes publici in bello injusto in se acceperunt; atqui illi acciperent obligationem compensandi jus læsum Domini; ergo & tu manebis obnoxius obligationi compensandi jus læsum Domini, Videatur Molina Tom. 3. disp. 726. nec fieri potest 819.

recursus ad bellum justum; nam tunc hostes jus habent ad diripiendum, quod tu non habes.

820. Assero 2. cum communi sententia, quam tenent Molina, Cajetanus, & S. Thomas 2. 2. quæst. 26. art. 4. ad primum: fur ratione injustæ acceptionis, & injustæ damnificationis tenetur restituere rem destructam secundùm totum valorem præsentem in eo statu, quo destructa fuit. Probatur. Æqualitas, quâ justitia intendit, ut reddatur tantum, quantũ ablatum est, attendendo ad jus Domini læsum sive ratione rei acceptæ, sive lucri cessantis, sive damni emergentis (quæ omnia comprehenduntur justo valore rei) in eo valore rei, in eo statu consideratæ, quo erat, si pro tunc venderetur; ergo si res illa, casu quo tunc venderetur, solùm valeret decem, fur, qui in illo statu rem destruit, solùm tenebitur restituere decem. Confirmatur. Restituendo decem compensat adæquatè jus læsum Domini; atqui fur satisfacit obligationi justitiæ compensando adæquatè jus læsum Domini. Ex dictis

821. Fit 1. cum Sairo in Clavi Reg. Tract. 4. cap. 2. si incrementum aliquod rei erat in proxima dispositione, ratione cujus magis æstimabatur, quàm res nudè sumpta, totum illum valorem esse restituendum. Si verò ea proxima dispositio, qualiscunque sit, non augeret valorem rei, non oriri ex ea dispositione obligationem ad majorem valorem restituendum. Fit 2. nullam esse obligationem restituendi fructus, quos Dominus percepturus erat tempore sequenti post factam restitutionem valoris rei, si reddito pretio rem æquè fructiferam posset emere; siquidem res nunc ita restituta eodem modo potest fructificare Domino, acsi ablata non fuisset.

822. Quòd si reddito pretio non possit Dominus invenire rem æquè fructiferam, ex qua possit æqualia emolumenta percipere, tunc tenebitur damnificator ad interesse lucri cessantis, quantùm prudentis arbitrio æstimabitur attentis circumstantiis. Unde fructus, quos Dominus esset percepturus ante tempus, quo fieret restitutio valoris rei, & non percipit ob rei destructionem, illi omnes restituendi sunt. Quod idem est de lucro cessante, & damno emergente, ut si combureres segetes, ex hujusmodi combustione introduxisses sterilitatem frumenti, ita ut Dominus coactus fuerit ad emendam cariùs annonam, id totum debet restitui. Ratio horum omnium, & similium est, quia non posset aliter compensari ad æqualitatem jus læsum Domini; atqui fur ratione rei acceptæ, & injustæ damnificationis teneretur adæquatè compensare jus læsum Domini; ergo &c.

823. Assero 3. Si ex culpa lethali Patris, aut Domini filius, famulus, mancipium, aut animal damnum fecerit, aut causaverit proximo, ut si actione, jussione, consilio, hortatu, aut simili causa per se moverunt filium ad damnificandum, vel per gravem negligentiam eum à damno non cohibuerunt, aut non revocaverunt, non solùm peccaverunt mortaliter parentes, aut Domini, sed etiam rei sunt integræ restitutionis. Probatur; quia sunt causa injusta damnificationis non solùm, quando positivè movent, ut consilio, & jussione, sed etiam cùm non impediunt; siquidem non solùm ratione charitatis, sed etiam ratione officii, & muneris Patris, aut Domini tenentur ex justitia impedire, & coërcere eos, ne damna proximis inferant, ut latè tradunt Laymann lib. 3. sect. 5. Tractatu 3. Rodriquez, & Lessius: neque sufficit servum, aut animal noxæ dare, ut constat ex cap. *si culpa* cit. num. 54 &c.

Ex dictis sit 1. quòd si Patre, aut Domino nesciente, nullaque intercedente gravi culpa negligentiæ, filius, vel famulus damnum proximo intulerint, ad nihil postea tenentur Pater, aut Dominus, neque in foro externo, neque in foro interno. Ratio est, quia cùm in eo casu nulla culpa fuerit patris, aut Domini, ad nihil tenetur in foro conscientiæ interno: deinde neque in foro externo; quia leges nunquam præcipiunt, ut filius eximatur à potestate Patris, & tradatur pro tali noxa; id enim inhumanitatem saperet: unde pro eo casu leges disponunt, ut ipse filius, non verò Pater conveniatur in foro externo, in quo non convenitur, nisi persona libera, quæ damnum causavit; cùm autem filius, aut famulus sint personæ liberæ, isti, non Dominus, aut Parens, conveniuntur in foro externo.

Fit 2. quòd si mancipium, aut bestia alicujus etiam sine ulla Domini culpa damnum alteri intulerit, tenetur Dominus juxta leges civiles aut totum damnum resarcire, aut saltem mancipium, & bestiam tradere proximo læso. Ratio est, quia ita decernunt plures leges in Jure Cæsareo, quæ videri possunt apud Molinam Tract. 3. disp. 713. & Lugum disp. 8. sect. 3. quæ quidem leges justæ, & rationabiles sunt; quia licèt ex jure naturæ non imponatur pœna, nisi pro culpa Theologica; ex jure tamen positivo rectè imponitur pro culpa juridica, & quæ etiam in casu nostro prudenter decernitur quasi medicina præservativa pro cavenda culpa futura, & ad vitandas fraudes, in quibus se frequenter excusarent etiam nocentes prætextu innocentiæ, & ad evitanda damna publica, & communia, quorum in hac re est grande periculum; siquidè mancipia, aut bestiæ indomitæ in desertis, & locis remotis frequentiùs invaderent bona aliena, nisi ipsorum Dominos cautiores, & vigilantiores reddat timor hujus pœnæ, vel medicinæ præservativæ. Vide num. 832.

Cæterùm, quia istæ leges observandæ sunt modo, quo vim obtinent obligandi in Republica, quam vim ex consuetudine rectè cognoscimus, exinde Molina, Lugo, Lessius, Navarrus,

varrus, Bannez, & alii communiter censent, vigore prædictarum legum civilium non teneri Dominum in conscientia ante Judicis sententiam tradere servum, aut bestiam, vel aliâ viâ compensare damna ab illis facta sine ulla culpa Theologica ipsius Domini; bene verò post Judicis sententiam, ut constat ex sæpe dictis: unde si damnum illud verè non est illatum à tuo mancipio, vel animali, adhuc post Judicis sententiâ non teneris in conscientia ad compensationem, proindéque si coactus fuisses solvere, & solvisti, si non esset alia via, posses tibi occultè compensare, & qui accepit compensationem à te factam, si ipsi certò constaret de innocentia tua, non posset iste retinere, quod dedisti. Ratio est, quia, ut diximus num. 661. sententia Judicis solùm est declarativa, ac proinde in hoc casu, cùm feratur propter delictum tui servi, vel animalis, quod tibi imputatur, & ab ipsis detrimentum non fuit factum, ac proinde neque rectè potest tibi imputari, non te obligat in conscientia. Quamobrem si ante litis contestationem servus, vel animal fugiat à potestate Domini, vel pereat, ad nihil tenetur Dominus condemnatus, imò nec condemnari potest, ut patet ex ipsis legibus ita expressè disponentibus: nec pars læsa potest ante Judicis sententiam sibi accipere servum alterius, vel bestiam damnificantem, cùm non liceat authoritate privata officium Judicis assumere in causa propria; poterit tamen pars læsa accipere servum, vel brutum in pignus læsionis acceptæ, ubi lex, vel consuetudo permittit, ut postea Judici illud sistat.

826. Objicies 1. contra nostras assertiones: sæpe contingit, quòd lucrum cessans, & damnum emergens nullum revera fuerit, sed tantùm apparens, ut si Dominus haberet aliam pecuniam, quam negotiationi posset exponere, & non exponit, vel saltem decreverat non exponere pretium rei destructæ; ergo in eo casu per injustam acceptionem non tenereris ad compensandum lucrum cessans, & damnum emergens. Respondeo concedo totum, sed quid inde contra Nos? si enim Dominus in eo casu nullum habuit damnum emergens, aut lucrum cessans, jus proprietatis illius non est læsum quoad hanc partem; unde ad compensandum jus Domini in eo casu non teneris ex alio titulo ad restitutionem damni cessantis, aut lucri emergentis, cùm solùm tenearis ad compensandum adæquatè jus Domini læsum. Quare dum jus illud adæquatè compensas, ad nihil aliud teneris; dicimus enim, quòd fur tenebitur ad lucrũ cessans, & damnum emergens, quando revera intercedit, atque ex his titulis læsum est jus Domini, cùm non aliter possit compensari valor rei ablatæ, & injustæ damnificationis secundùm præsentem statum; unde si secundùm præsentem statum nullum sit in his Domini detrimentum, neque erit quantùm ad hanc partem in fure obligatio restituendi, qui proinde satisfaciet restituendo totum id, in quo læsum est jus Domini.

827. Objicies 2. ex Vasquez contra illationes: præsertim postquam introducta est rerum divisio, non est ablatum jus naturale, quod quis habet ad recuperandum damnum sibi illatum, sive à libero, sive à servo: unde si brutum intulit damnum, manet ipsum animal obnoxium restitutioni secundùm totum valorem, quod idem est de servo; ergo Dominus obligatur jure naturæ non quidem ob suam culpam, sed ratione rei possessæ, quæ obligata est, & obnoxia restitutioni propter illud damnum. Respondeo nego secundam partem antecedentis; nam falsum est, quòd quisque habeat jus naturale ad recuperandum sibi damnum à quocunque, & qualitercunque sibi illatum: falsum etiam est, quòd brutum inferens damnum maneat jure naturali obnoxium restitutioni; ratio est, quia si damnum proveniat à re inanimata, ut statua, vel columna cadente, non est obnoxia restitutioni, ac proinde neque fera; nam licèt hæc sensu polleat, at in genere moris non magis imputatur ei damnum, quàm rebus inanimatis; sic etiam furiosus, vel amens, si alteri inferat damnum, non manet jure naturæ obnoxius restitutioni, cur ergo manebit bellua? unde sententia Judicis statuens compensationem pro tali damno ab animalibus illato non respicit jus naturæ, sed finem reddendi Dominos cautiores inposterum.

828. Objicies 3. instando simul solutionem ex cap. ultimo de injuriis citato num. 804. ubi Gregorius IX. ait: *quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfaciendum teneris, nisi ea dando passis damnum velis liberare te ipsum;* sed his verbis apertè insinuat obligationem restituendi damnum, vel tradendi animal illis, qui damnum sunt passi, & quidem ante omnem Judicis sententiam, quamvis absque ulla tua culpa contigerit; ergo &c. Resp. conc. maj. & nego min. quia ibi loquitur Pontifex de damno, quod præcessit ex negligentia culpabili, ut diximus num. 805. unde extendi non debet ad casum nostrum: quin potiùs est etiam probabile, quòd licèt ea verba intelligantur de foro externo, solùm possint deservire ad obligationem post Judicis sententiam, quam in hoc capite fert ipse Pontifex juxta civiles leges judicans, unde obligatio hæc provenit post sententiam Judicis. Quòd autem hoc debeat ita intelligi de foro externo, indicant illa verba, *nisi velis liberare te ipsum*, nempe à potestate Actoris, & à coactione Judicis.

829. Objicies 4. Qui damnum intulit per se ipsum absque ulla culpa etiam juridica, non tenetur in conscientia ad restitutionem etiam post Judicis sententiam; ergo neque tenetur ad restitutionem, quando animal, vel servus intulit damnum absque ulla Domini culpa etiam

tiam juridica. Resp. omitto antec. & nego consequentiam. Ratio est, quia leges imponentes restitutionem damni illati ab animalibus, vel servo non fundantur in præsumpta culpa damni, sed supponendo potiùs Dominum nullam habere culpam, præcipiunt restitutionem, vel compensationem: leges verò imponentes restitutionem damni à te illati per te ipsum sunt reverâ præsumptivæ culpæ, saltem juridicæ; cùm autem præsumptio cesset, quando constat, aliquem intulisse damnum absque ulla culpa sua, etiam juridica, exinde ille juxta eas leges non tenetur ad restitutionem, etiam post Judicis sententiam, cùm hæc directiva sit ex præsumptione culpæ saltem juridicæ, quæ, ut supponimus, nulla est. Videatur Rebellus part. 2. lib. 2. quæst. 10. num. 23.

DISPUTATIO XVI.

DE OBLIGATIONE RESTITUENDI EX CONTRACTU, VEL QUASI CONTRACTU.

826. POst generalia principia, ex quibus oritur obligatio restituendi ratione rei acceptæ, & injustæ acceptionis, quos titulos divisim accepimus, quærimus modò obligationem restituendi ex contractu, vel quasi contractu, eò quòd iste titulus utramque illam radicem restitutionis amplectatur. Duplex obligatio potest oriri ex contractu. Prima quidem immediata, v. g. agendi, solvendi, tradendi id, ad quod te obligâsti ex contractu, ut tradendi librum, quem vendidisti; altera verò est mediata, scilicet mediante aliqua culpa contrahentis, ob quem res aliena patitur. E. G. iniisti contractum depositi, deponendo centum apud Petrum, quos ille, quamvis justè acceptos tenetur tibi suo tempore restituere: hæc enim obligatio immediatè est ex contractu, ut patet; quia Petrus ad id se obligavit. Si verò culpâ Petri pereat depositum, debebit tibi reddere totidem aureos, & damna inde secuta, quæ quidem obligatio immediatè est excussa, sed mediatè, & radicaliter est ex contractu. Talis autem contractus solet esse depositum, mutuum, commodatum, precarium, locatum, pignoratum, qui sunt propriè contractus commutativi. Ejusdem generis sunt ii, qui vocantur quasi contractus, ut officia tutelæ, & Procuratoris, Medici, Advocati, Professoris, Artificis, & his similia, qui videntur tacitè inire pactum cum altero de inculpata administratione officii. De obligatione orta mediatè ex contractu justo agemus postea, modò acturi sumus de obligatione immediatè orta.

SECTIO I.

De Obligatione immediata ex justo Contractu, vel quasi contractu commutativo.

827. ASsero 1. Ille, qui contractum, vel quasi contractum justitiæ cum altero inivit, ea debet restituere, seu agere, aut tradere, ad quæ agenda &c. se obligavit. Probatur 1. Radix hujus obligationis non est alia, nisi pactum, vel consensus, quo quis alteri ex justitia se voluit obligare; atqui ex tali pacto, & consensu voluit se obligare ex justitia ad hanc rem agendam, vel tradendam; ergo vi contractûs, seu quasi contractûs tenetur ex justitia eam rem agere, seu tradere. Confirmatur. Debitor contrahens venditione, emptione, aut alio simili contractuum genere, statim atque advenit terminus in contractu præfixus, nisi adsit legitima aliunde excusatio, de qua infrà, solvere tenetur, quod alteri debet, etiamsi à creditore non moneatur, siquidem dies solutioni præfixus interpellat pro ipso creditore, ex Cap. *fin. de locato, & conducto*; si autem non solvat, tenetur ad totum alterius interesse, nempe ad lucrum cessans, & damnum emergens creditori. Quòd si nullum tempus solutioni præfixum sit, tempus tale erit, cùm creditor petit, qui jus suum non habet ligatum ad petendum, & tu potes licitè reddere; si autem ex aliquo motivo impediente non possit petere, terminus erit ille, qui prudenter judicabitur esse de rationabili intentione creditoris; siquidem hæc omnia inclusa videntur in ipso contractu: quo in casu debitor tenetur ex justitia rem agere, aut tradere, ad quam se obligavit ex contractu, ut patet ex natura hujus obligationis; ergo &c.

Probatur 2. Ex natura hujus obligationis 828. tenetur debitor solvere statim, atque advenit terminus præfixus, & expositus juxta vim, & naturam pacti; atqui pactum, de quo agimus, ex sua natura, & vi obligat ad rem tunc agendam, vel tradendam; ergo &c. Minor & consequentia patent, maj. autem probatur: si debitor adveniente eo termino sit in culpa tradendi, injustè dat causam damni alterius, & jus illius lædit; atqui tunc tenetur solvere, cùm si non solvat, est injustè causa damni alterius, illiusque jus lædit; ergo &c.

Assero 2. Debitor ex contractu justitiæ te- 829.
netur ad resarciendum omnia damna creditoris provenientia ex culpabili mora solvendi, nisi à justa lege aliter sit dispositum. Probatur facilè; quia contrahentes tenentur stare ipsis

pſis legibus circa vim, & naturam contractûs; atqui ſi à juſtis legibus aliter non determinetur, ex vi, & natura contractûs tenetur debitor quoad omnia illæſum ſervare jus creditoris habitum ex juſtitiæ contractu; ergo. Confirmatur, & explicatur ſimul concluſio: quod eſt commune jure naturæ ſecundùm quid omnibus contractibus, juſtas ob cauſas jure poſitivo limitatum eſt, ne ſe extendat ad contractum emptionis, & venditionis, in quo ob ejus maximam frequentiam ad vitandas lites diſpoſitum eſt, ne ementes, aut vendentes pro mora culpabili teneantur ad totum damnum emergens, & lucrum ceſſans, ſed ſolùm ad immediatum, nempe ad fructus, quos emptor fuerat percepturus, & ad intrinſecum intereſſe ipſius mercis, & fructuum.

830. Exempli gratiâ, ſi res empta tempore, quo erat tradenda, vel fructus tempore, quo erant percipiendi, plus valebant, quàm tempore, quo fit traditio, totum illud incrementum debet debitor moroſus reſtituere emptori, non tamen lucrum aliunde ceſſans, aut damnum ex illâ mora emergens. Tum etiam, ſi emptor acceptata merce fuit in mora ſolvendi pretium venditori, debet adhuc illi ſolvere ultra pretium etiam fructus, quos interim ex re accepta percepit, vel percipere potuit, licèt ob negligentiam non perceperit: quòd ſi partem pretii retinuit, partem proportionatam fructuum reſtituere debet; atqui concluſio noſtra hæc omnia comprehendit, ut expendenti conſtabit; ergo &c.

831. Objicies 1. contra primam aſſertionem: ſi debitor tenetur ex contractu hæc omnia reſtituere, aut compenſare creditori, tenetur quoque ad reſtitutionem ante Judicis ſententiam, nulla interveniente culpa Theologica; ſed nullus tenetur ad reſtitutionem ante Judicis ſententiam nulla interveniente culpa Theologica; ergo &c. Reſp. conc. maj. & nego min. Ratio eſt, quia vel in pacto incluſum fuit implicitè, vel explicitè, quod alter tenetur, quamvis nulla præcederet culpa Theologica, vel non fuit incluſum? ſi fuit incluſum, jam tenetur ſub culpa Theologica, quæ certè adhæret, ſi non reſtituat, cùm ratione talis pacti commutativi detur jus ad rem tradendam ſub culpa Theologica, licèt ea culpa non aliunde proveniat, niſi ex ſua voluntate, & pacto. Quare ſi tunc non reſtituat, incipiet eſſe injuſtus detentor; ſi verò in pacto neque implicitè incluſa fuit ea obligatio non tradendi ante Judicis ſententiam pro caſu, quo nulla eſſet culpa Theologica, tunc pactum illum, quantùm ad hoc, non obligaret. Quamobrem, ſi interveniat obligatio reſtituendi in conſcientia ſub culpa Theologica ante Judicis ſententiam, iſta obligatio reducitur ad radicem rei acceptæ, ut ſuprà diximus, & ſi ſit retentio, tunc incipiet radix injuſtæ acceptionis: ad obligationem autem ex re accepta non requiritur, quòd præcedat culpa Theologica, ſed ſatis eſt, quòd comitetur, ſi reſtitutio non fiat modo, quo ſuprà diximus: atque in hoc caſu ita contingeret; propterea eſt clarè falſa major, quam ut certam aſſumebant Adverſarii.

832. Objicies 2. contra ſecundam aſſertionem: leges, quæ propter contractum emptionis, & venditionis decernunt ſolam obligationem ad damnum emergens, & lucrum ceſſans immediatum, non obligant in conſcientia ante ſententiam Judicis, ſed ſolùm dant actionem ad prædicta, negando ad alia; ergo in foro conſcientiæ debitor etiam obligatur ad alia. Reſpondeo omitto antec. de quo poſtea, & nego conſequentiam, quia licèt non obligent in conſcientia; at contractus, ſi aliud expreſsè non habeatur à contrahentibus, non aliter intelliguntur initi, niſi juxta naturam legum dantium vim contrahentibus, cùm autem juxta naturam legum non pariant obligationem ſolvendi aliud in caſu noſtro, hæc ſola obligatio ex illis oritur, niſi aliud expreſsè habeatur in contractu; ita ut contrahentes voluntariè cedant beneficio legum.

833. Objicies 3. Si doctrina noſtra eſſet vera, non eſſent excuſandi plures Nobiles, quando præfixo tempore culpabiliter non ſolvunt merces emptas à mercatoribus, quibus propterea ceſſat lucrum, & damnum emergens: ſed hoc videtur durum, ergo &c. Reſpondeo conc. maj. & nego min. quia ex ſuppoſitione, quòd ſint in culpa non ſolvendo, neceſſariò conſequitur, quòd teneantur ad reſarciendum mercatoribus illud intereſſe, ſiquidem totius illius damni fuerunt cauſa injuſta, niſi fortè excuſentur ex implicito mercatorum conſenſu, vel ex alio titulo, quem plures afferunt cum Lugo diſp. 8. ubi notat, terminum in hujusmodi contrahentibus præfixum non debere ſumi mathematicè, ſed moraliter more communi, & humano: unde plerumque excuſat à reſtituendo intereſſe creditori non ſolùm, quando dilatio ſolutionis non fuit peccatum mortale contra juſtitiam, ſive ob imporentiam, ſive ob inadvertentiam invincibilem, & oblivionem; ſed etiam, quando debitor bona fide putavit, creditorem non eſſe graviter invitum pro modica illa dilatione, cùm in praxi non ſoleant ita urgeri creditores, ut ipſo die præfixo ſolvant, ſed cum aliqua dilatione ex benignitate, quare cùm in ea modica mora poſſint creditores exigere ſolutionem, & non exigunt, cenſentur non velle ſub gravi obligare creditores pro ea exigua mora.

834. Quin potiùs plures cenſent requiri, quòd moneatur debitor de damno emergente extraordinario creditoris, ut teneatur illud ſolvere etiam, quando eſt in mora ſolvendi. E. G. ſi debitor ſit in mora culpabili ſolvendi penſionem, unde creditor cogitur quærere pecuniam, & ſolvere intereſſe, ut teneatur debitor hoc damnum reſarcire, debuit priùs juxta i-

ftos Doctores à creditore præmoneri de illo damno; tunc enim debitor fortaſſe vel ſolviſſet debitum, vel aliâ viâ providiſſet, ne creditor illud damnum ſubiret. Ita Azor Tom. 3. lib. 5. cap. 4. de uſuris quæſt. 3. cum Angelo, & aliis, quod ſatis probabile cenſet Lugo. Cæterùm alii plures negant neceſſariam eſſe præmonitionem, ut obligetur debitor etiam ad intereſſe extraordinarium; quia licèt non præmoneatur, verè fuit cauſa ejus damni, ac proinde injuria ipſa obligat ad totum damnum, quod ex illa ſequitur. Hoc mihi probabilius apparet, licèt oppoſitum ſit etiam probabile.

SECTIO II.

De obligatione orta mediatè ex Contractu, immediatè ex culpa.

835. SUppono 1. tres diſpoſitiones haberi circa hæc in Jure Civili. Prima eſt: quando contractus tantùm eſt in utilitatem accipientis, quale eſt commodatum, obligatur accipiens reſtituere, ex quacunque ſua culpa, ſeu ex lata, ſive levi, ſive leviſſima res accepta pereat; non verò ſi merè fortuitò absque omni prorſus culpa pereat. Patet ex L. *Divus ff. de officio Præſidis*. Excipitur precarium, quod contingit, quando aliquid tibi conceditur ſub onere, ut ad nutum concedentis reſtituatur: ad hoc enim reſtituendum ſolùm obligaris, ſi ex dolo, vel lata culpa tua res pereat; non autem, ſi pereat ex levi, vel leviſſima. Patet ex L. *contractus*, ff. *de regulis juris*, & ex L. *quæſitum*, ff. *de precario*.

836. Secunda diſpoſitio eſt: quando contractus eſt in utilitatem ſolius dantis, recipiens tenetur duntaxat ex dolo, vel lata culpa, ut ſi quis apud te ſuas pecunias, vel ſuum librum ſine tuo commodo deponat; tunc ſi ea pereat absque dolo tuo, vel culpa lata, quamvis interveniat culpa levis, vel leviſſima, non obligaris reſtituere. Patet ex L. *ſi ut certò §. interdum*, ff. *commodatum*. Tertia juris diſpoſitio eſt, quando contractus eſt in utilitate utriusque, dantis ſcilicet, & accipientis, ut quando domus, vel equus locatur tanto pretio: tunc enim recipiens tenetur reſtituere ex dolo, vel lata culpa, atque etiam ex levi; non autem ex leviſſima. Ita expreſsè L. *contractus*, ff. *de regulis juris*.

837. Suppono 2. quæſtionem hìc eſſe, an hujusmodi legum diſpoſitiones obligent, & ſervandæ ſint in conſcientia ante ſententiam Judicis, an verò donec illa accedat, non obligent in foro conſcientiæ ad reſtituendum prædicta, quando verè, & coram Deo non adfuit culpa gravis Theologica? Prima ſententia tenet, tales legum diſpoſitiones ſervandas eſſe in conſcientia ante ſententiam Judicis. Ita Azor, Molina, Navarrus, Leſſius, Bonacina, & alii, quos refert, & ſequitur Fagundez lib. 1. de contractib. cap. 1. Secunda ſententia docet, prædictas legum diſpoſitiones ſolùm procedere in foro externo ad ferendum ſententiam; in interno autem ante ſententiam ſolùm attendendum eſſe peccatum grave ad obligationem reſtituendi rem gravem ſub culpa gravi, & in ſimilibus eventibus culpam levem, vel leviſſimam juridicam, aut nullum eſſe peccatum in conſcientia, aut ſolùm eſſe veniale. Ita Sotus, Salas, Henriq. Ledesma, Sylveſter, Joannes Andreas, Panormitanus, & Cardinalis de Lugo diſp. 8. num. 116. tum etiam Tamburinus lib. 8. Tract. 3. cap. 5.

838. Suppono 3. potuiſſe legis authoritate fieri, ut licèt contractus ex natura ſua hoc onus non afferant, à legibus tamen imponeretur tum propter bonum publicum, & pacem communem, tum ut contrahentes vigilantiores fierent in cuſtodia rerum alienarum, tum ad evitandas fraudes, & delicta; ſicut propter eaſdem rationes ſupra diximus, juſtè leges ſtatuiſſe, ut ſolvantur damna illata à belluis, mancipiis, & domeſticis etiam ſine ulla culpa Domini. Inſuper potuerunt leges in caſu præſenti dupliciter hoc ſtatuere. Primò per modum pœnæ legalis in foro externo, quoties aliqua culpa juridica in contractu intercederet, quæ pœna ante Judicis ſententiam non debetur. Secundò per modum pœnæ conventionalis, quam contrahentes pacto mutuo cenſentur ſibi imponere, & ad eam ſe obligare eo ipſo, quòd talem contractum celebrent, quam etiam pœnam non deberi in foro conſcientiæ ante ſententiam, vel antequam exigatur, docent plures, quos ſequitur Sanchez lib. 1. Tractat. de contract. reſolut. 29. Tandem potuerunt leges hoc diſponere non quidem per modum pœnæ, ſed per modum obligationis immediatæ ad damnum in his caſibus reſarciendum, quaſi per quamdam aſſecurationem, qua commodatarius accipit rem alienam in ſuam fidem, ut ſi non in caſibus fortuitis, ſaltem in his, ubi ex aliqua ſua culpa juridica res pereat, velit Domino ſalvam eſſe, & ſuo ipſius habentis damno perire. His poſitis

839. Aſſero cum ſecunda ſententia. Defacto prædictæ legum diſpoſitiones non obligant ante Judicis ſententiam in foro conſcientiæ, in quo contrahentes non obligantur graviter ad rem gravem, niſi ex culpa gravi Theologica coram DEO. Probatur 1. Prædictæ legum diſpoſitiones non obligant ex vi juris naturalis, & æquitatis ſervandæ in contrahentibus, neque ex peculiari diſpoſitione juris poſitivi, neque ex voluntate, & intentione contrahentium ſe obligantium ad eas ſervandas; ergo ex nullo capite obligant in conſcientia ante ſententiam Judicis. Antecedens continet omnia capita, unde Authores primæ ſententiæ deducunt, eam obligationem in conſcientia, neque videtur aliud caput excogitabile, unde defacto ea obligatio poſſit oriri: idcirco antec. probandum eſt

est per partes. Prob. igitur prima pars: si ille, qui prædictos contractus celebrat in sui solius utilitatem, jure naturali tenetur de culpa levissima; & qui in utilitatem solius dantis, de sola culpa lata; & qui in utilitatem utriusque, de culpa lata, & levi, & non de levissima, ideo esset; quia æquitas naturalis postulat, ut majorem diligentiam ponat in re aliena custodienda, qui in sui solius utilitatem eam accipit, quàm qui accipit in utilitatem utriusque, & majorem in eo, qui accipit in utilitatem utriusque, quàm qui accipit in utilitatem solius dantis, ideóque si hic tenetur ex culpa lata jure naturæ, alter tenetur ex culpa etiam levi, & ille prior etiam ex levissima; sed hoc est falsum, loquendo de culpa levi, & levissima in terminis formalibus: ergo &c. 839.

840. Probatur min. Nemo in contractibus, etiam qui cedunt in utilitatem solius accipientis, existimat se magis obligatum, quàm ad ponendam eam diligentiam in custodienda re aliena, quàm quæ poneretur ab ipso Domino, & quæ generaliter ponitur ab omnibus diligentibus, & prudentibus in similibus contractibus; non autem, quæ à diligentioribus, & diligentissimis: atqui ad ponendam illam diligentiam non est necesse, quòd obligetur ad evitandam culpam levem, & levissimam; ergo. Confirmatur 1. Si jus naturale præcisè consideretur, non est, cur vel depositarius, vel conductor teneatur non solùm ex culpa lata, sed etiam levi, quando in sui utilitatem accipit depositum, v. g. quando stipendium accipit ob servandum depositum, & non teneretur sub levi famulus in rebus sui Domini custodiendis, tum etiam Judex, Medicus, Advocatus &c. quia sicut conductor, & depositarius accipit depositum in gratiam sui, & deponentis; ita famulus, Judex, Medicus, Advocatus locant operam suam in gratiam sui ob stipendium, quod recipit & in gratiam Domini &c. ergo si depositarius tenetur de levi, quando contractus est in gratiam utriusque, etiam famulus teneretur, attento jure naturæ, de levi, utpote contrahentes in gratiam utriusque: quod tamen negant Authores primæ sententiæ; unde solùm supereſt recursus ad jus positivum, quod ita statuit in prædictis contractibus, non verò in aliis ministeriis. 839.

841. Confirmatur 2. Qui precario rem alienam accipit, solùm tenetur de culpa lata, & dolo, non autem de levi, & levissima; ergo neque qui accipit commodatò, tenebitur. Probatur consequentia, quia tam in precario, quàm in commodato accipitur res aliena in utilitatem accipientis; ergo jure naturæ non est necessaria major diligentia in custodienda re in commodato, quàm in precario; sed in precario non exigitur jure naturæ major diligentia, quàm quæ communiter fit à diligentibus, non autem diligentioribus, vel diligentissimis; ergo neque in commodato. Quare si major diligentia requiritur in commodato, quàm in precario, id erit ex vi legis ita disponentis in commodato, non in precario.

Respondebis, esse discrimen, quia in precario potest Dominus repetere, quoties voluerit, non verò in comodato, sed primùm post præfixũ terminum. Contrà. Hæc differentia non facit tantum, ut jure naturæ exigatur in commodato diligentia, quam homines non solùm diligentiores, sed diligentissimi adhibent; in precario verò solùm, quam diligentes; quòd enim Dominus possit pro libitu repetere rem suam, licèt sit utile Domino, non tamen tollit, quòd res data precario sit in utilitatem solius accipientis: deinde quòd possit repetere, licèt sit in utilitatè Domini, hoc solùm posset efficere, quòd precarium habens non teneretur de culpa levissima, & cur non de levi, ut in depositò, cùm sit in utilitatem utriusque? 842.

Probatur 2. eadem prima pars antecedentis: qui rem commodatam habet ad mensem, si elapso mense non reddat illam Domino, quia prudenter judicat, illum non esse invitum, tenetur restituere, si culpa levi res pereat; & tamen potest Dominus eam repetere pro libitu, quia solùm se obligavit ad mensem; ergo quòd Dominus possit rem suam repetere ad libitum, non probat universaliter, ut in precario non statueretur, sed in commodato à legibus ea major diligentia. Unde ex Doctoribus primæ sententiæ fatentur, si standum esset jure merè naturali, neminem teneri de damno dato in re alterius, nisi ad dolum, vel culpam latam. Ita Molina fatetur, & Lessius &c. 843.

Confirmatur. Non est ratio, cur jure naturæ teneatur mandatarius ex culpa levi, & levissima, non verò depositarius; nam sicut depositarius accipit depositum in utilitatem solius deponentis, ita mandatarius accipit mandatum in utilitatem mandantis; ergo jure naturæ ambo tenerentur ex solâ culpa lata, vel si uterque accipit depositum, vel mandatum in sui utilitatem accepto pretio, uterque debet teneri ex solâ culpa levi; & tamen leges civiles volunt mandatarium teneri de culpa levi, & levissima; L. *à Procuratore*, & & L. *in re mandatâ in fin.* Cod. *mandati*, depositum verò ex lata solâ; ergo hæc diversitas à solo jure positivo inducta est propter majorem necessitatem cohibendi mandatarios infideles, quàm depositarios, non autem jure naturali. 844.

Probatur jam secundâ pars primi illius antecedentis num. 846. nempe quòd jure positivo non sit talis obligatio in foro interno ante Judicis sententiam ex solâ culpâ juridica, sive lata, sive levi, sive levissima: nam omnes illæ leges non aliter significant prædictam obligationem, quàm leges aliæ significant obligationem solvendi pro noxa, vel pro damnis à brutis illatis; atqui istæ leges non obligant in conscientia ante sententiam Judicis, ut dixi 845.

suprà; ergo neque illæ. Quare hujusmodi leges sufficientem habent effectum, eò quòd deserviant pro foro externo obligando, ut ipsi Judices juxta illas ferant sententiam, ex qua lata obligentur Rei ad solvendum: quod non solùm videtur in praxi receptum pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo; quia nunquâ petitur restitutio ob culpas leves, & levissimas in foro externo, sed solùm ob culpam latam.

848. Probatur Tertia pars ejusdem antecedentis: talis obligatio non est adstruenda sine fundamento; atqui nullum est: quale enim esset, quando ea obligatio à contrahentibus non exprimitur? cùm enim contractus hi nec jure naturæ, nec positivo eam secum afferant obligationem, non debent contrahentes censeri eam ultrò sibi imponere; nunquam enim quis censendus est se obligare, nisi de se obligandi voluntate constet: in nostro autem casu non est, unde prudenter constet; aliter eodem modo æqualiter constaret in omnibus contractibus, & non solùm in aliquibus sine ea expressione voluntatis: atqui ut Adversarii fatentur, ea obligatio non constat in omnibus; ergo neque in aliquibus.

849. Objicies 1. suppositis legibus à num. 842. homines intelliguntur saltem virtualiter velle celebrare suos contractus juxta eas; ergo ex pacto tacito obligantur juxta illas ad exhibendam exactam, vel exactiorem, vel exactissimam custodiam respectivè ad varios contractus; hæc enim obligatio restitutionis oritur ex contractu, non autem delicto; quia est ex pacto tacito; ergo &c. Resp. neg. antec. quia homines, si aliud non exprimant, solùm se obligant contrahendo ad diligentiam moralem, vel humanam, qualem in rebus suis ponerent; quod est nolle ponere advertenter dolum, aut culpam latam: nemo enim est, qui pignori, vel rei commodatæ, vel conductæ putet majorem ex justitia debere custodiam, quàm Dominus ipse adhibere soler; hoc autem solùm est cum humana, & ordinaria diligentia, non autem exquisita custodire: & licèt vir ingenuus magis custodiat aliena, quàm sua, & restituat, si etiam per levissimam culpam pereat, non id facit ex obligatione, sed ex gratitudine. Dicitur autem hæc radix ex contractu, & non ex delicto; quia non est ex mero delicto, sed mediatè, & radicaliter à contractu descendit.

850. Objicies 2. Æquitas naturalis postulat, ut cùm res aliena traditur tibi in tui solius utilitatem, ut in commodato, te obliges ad majorem custodiam, quàm si eam acciperes in utilitatem dantis, atque adeò, ut quando re commodata frueris, hanc æqualitatem saltem intendas, ut velis subire onus restituendi, quando culpâ tuâ etiam levissimâ res pereat; non enim est æquum, ut velis frui commodato sine hoc onere. Resp. neg. antec. in commodato enim ex usu hominum aliquid gratis datur: commodat enim quis amico rem suam nullo pretio, in gratiam solius amici; aliter non esset contractus commodati, sed venditionis: unde non debet esse tanta æqualitas in comodato, quantam requirit objectio; idcirco si quid est inæqualitatis, à comodante conceditur amico: & hoc fert secum contractus commodati, in quo aliquid utilitatis plus habet accipiens, quàm dans. Ex dictis

851. Fit 1. in commodato, pignore, & reliquis contractibus, qui fiunt in solius accipientis utilitatem, requiri majorem diligentiam ad vitandam culpam latam, quàm in aliis; quia in his communiter homines diligentes majorem diligentiam adhibent, quàm in aliis; atqui si ea diligentia, quam adhibent diligentes, violetur, committitur culpa lata; ergo &c. Quare nostra sententia facilè cum prima conciliaretur, si hæc solùm vellet aliquem in his contractibus teneri de levi, non quæ formaliter levis, sed materialiter, quatenus negligentia, quæ in aliis contrahentibus esset levis, in his esset gravis etiam in conscientia, & ideo poneret onus restituendi. Cæterùm si prima sententia bene expendatur, aliquid plus vult.

852. Fit 2. non sufficere ad vitandam culpam latam, & peccatum mortale in rebus majoris momenti eam diligentiam, quæ sufficeret in minoribus; si autem aliquis in casibus præsentis quæstionis nullam commiserit negligentiam, & Judex ex gravis suæ negligentiæ falsa præsumptione te condemnat, & cogat ad restitutionem, poteris tibi compensare. Idcirco si res commodata, depositа, vel locata &c. fortuitò sine ulla tua culpa pereat, non teneris in conscientia ad restitutionem nec partis, nec totius propter principia hucusque tradita, quidquid dicat Diana part. 2. Tractat. 63. resolut. 10. Excipiuntur tamen tres casus: primò, si pactò te obligâsti ad restitutionem, etiamsi fortuitò pereat, quod pactum licitè potest fieri in gratis commodato &c. non autem quando res locatur justò pretiò; quia tunc hujusmodi onus esset supra pretium justum. Secundò, si sis in mora culpabili restituendi; quia tunc in te incipit titulus injustæ acceptionis. Tertiò, si commodatarius ad alium casum præter voluntatem Domini re acceptа utatur; tunc enim ipse dat causam casui fortuito, ut per se pater.

SECTIO III.

De obligatione restituendi ex quasi Contractu.

853. Diximus de culpa, ob quam est restituendum in contractibus: nunc autem de culpa, ob quam restituendum est in officiis, tutelis, artibus &c. quæ se habent quasi contractus,

tractus, in quibus adest implicitum pactum de bene administrando officio. Quare in conscientia utrobique adest, vel intelligitur non dissimile pactum, sicut diximus de culpa in contractu. Isti autem quasi contractus aliqui sunt tantùm in gratiam aliorum, ut diximus, cui stipendium non datur, alii in gratiam etiam sui, ut si stipendium accipiat.

852. Assero cum Vasquez, Lessio, Lugone &c. nullus obligatur in conscientia ante sententiam Judicis ad restitutionem ob culpam levem, aut levissimam solùm juridicam in quasi contractibus. Probatur. Nunquam homines sivè gratis, sive ex pretio servientes in traditione, vel acceptione munerum censentur per quasi contractum (præscindendo ab aliqua causa nova, & peculiari promissione) se velle aliis obligare ad diligentiam exquisitam, sed solùm ad moralem adhibendam in suo munere, & talè, quâ homines adhibent prudentes in talibus muneribus, & quam ipse adhiberet, si solùm in bonũ suum tota cederet administratio: nam major obligatio nimis esset difficilis; igitur sufficit, si se obligent ad adhibendã diligentiam moralẽ in suo munere: hanc autẽ si advertenter non ponant, obligantur sanè ad restitutionẽ omniũ damnorũ, quæ scilicet sequuntur ex hac omissione graviter culpabili contra justitiã. Unde Doctores communiter docentes, quòd aliquis teneatur ratione officii ex dolo, vel culpa lata, intelligendi sunt de culpa lata, qualis regulariter esse solet, voluntaria scilicet, & deliberata, atque adeò graviter culpabili in conscientia contra justitiam; quòd si à culpa gravi excusentur, non tenentur in conscientia ad restitutionem, ut constat ex dictis. Argumenta contra hanc assertionem soluta sunt in Sectione præcedenti: unde opus non est repetere. Ex dictis

853. Fit 1. nostram assertionem non extendi ad specialem promissionem, quæ ex libera alicujus voluntate potest supervenire contractui; tunc enim hæc potest parere obligationem restitutionis etiam ex culpa levissima: ut si quis officium accipiat cum promissione diligentiæ exquisitissimæ, ex vi sui pacti tunc eam adhibere tenetur, maximè, si propterea accipiat stipendium: vel si aliquis tacitè id ipsum promiserit, ut si quis se jactavit meliorem alio; unde per hoc alios avertit à meliori Medico, Artifice &c. & ad se homines trahit; tunc enim resarcire debet damnum secutum ex omissione exquisitæ diligentiæ, quam ex pacto implicitè promiserat hominibus ad se venientibus. Hæc autem omnia consideranda sunt secundùm Prudentum judicium, ut inferantur, sintne peccata, an non?

Fit 2. Quando nulla fuit culpa in assumptione officii, nec in retentione, nec in executione, nullam esse obligationem restituendi damna postea secuta: quod plures extendunt ad casum, quo accipiendo aliquis, vel retinendo officium peccaverit contra justitiam, si tamen postea suâ diligentiâ assecutus fuerit tantum, quantum opus est sufficientiæ, non teneretur ad restitutionem, si tunc sequitur damnum; quia illud non sequitur formaliter ex impotentia, sed difficultate rei, quam nec aptissimus fortè superâsset. Idẽ à fortiori dicendum, si damnum procedit ex culpa levi, vel levissima in assumptione, vel retentione officii; quia culpa levis, vel levissima nullam ponit in conscientia obligationem restituendi. 854.

Fit 3. Medicum, & quemvis alium bona fide, & inculpata docentem falsum, vel dantem malum consilium, ex quo consulenti, vel aliis damnificat, ubi se adverterit fuisse deceptum, teneri ad restitutionem damni secuti post detectionem erroris, si non procuret vitare, sive cessaverit, sive non ejus officium, quando errorem advertit. Dixi *damni secuti &c.* quia damnum ante detectionem non tenetur restituere; quia hujus in conscientia non fuit causa injusta, sicut esset post detectionem moraliter injusta in mala erroris conservatione, si non revocet consilium. 855.

Scio aliquos, quos sequitur Sanchez lib. 1. consil. cap. 4. dub. 5. num. 1. in hoc casu censere, non teneri ex justitia, sed sola charitate revocare consilium, si dum advertit, officium cessavit: unde inferunt, non esse irregularem, nec excommunicari Medicum, qui Clerico consulit medicinam, quam postquam non est ampliùs infirmi Clerici Medicus, advertit esse mortiferam, licèt postea eum non admoneat. Fundamentum est; quia solùm peccat contra charitatem non admonendo, cùm jam non teneatur admonere ex officio, ideóque nec ex justitia. Oppositum censeo omnino esse verum, quia licèt non teneantur omnes ex officio, & justitia impedire malum alterius; quilibet tamen tenetur ex justitia procurare, ne ex suâ voluntate lædantur positivè jura aliorum, vel ne alii damnum recipiant: atqui si non revoces verbum aut consilium à te incautè datum, vel actionem alioquin materialiter injustam non subtrahas, quando advenit advertentia, ex actione tua læderentur jura positiva aliorum, & qui fueras materialiter injustus, iniicipis esse formaliter; ergo &c. 856.

DISPUTATIO XVII.

DE RELIQUIS AD RESTITUTIONEM SPECTANTIBUS.

857. TRia Nobis explicanda superſunt, ut comprehendamus omnia generalia principia, quæ onus reſtitutionis reſpiciunt. Primum attinet ad cooperantes circa damnum alterius. Secundum ad circumſtantias reſtitutionis. Tertium ad cauſas à reſtitutione excuſantes. Cooperatores illi dicuntur, qui tanquam cauſa per ſe phyſica, vel moraliter concurrunt contra commutativam juſtitiam ad damnum alterius, cùm enim obligatio reſtituendi oriatur ex ſola juſtitia commutativa, neceſſe eſt, ut cooperatores violent eam, atque ex eorum cooperatione oriatur obligatio reſtituendi. Unde ſi ſint cooperatores, ut unusquisque ſit principalis circa totum damnum, unusquisque ſubit onus reſtituendi in integrum, caſu, quo alii nollent reſtituere, qui proinde non manent liberi ab onere juſtitiæ: nam licèt tunc non teneantur ſolvere Domino, cui jam ſatisfactum eſt, tenentur ſatisfacere illi, qui ſolvit, & debent illi compenſare, quantum dedit Domino ſupra id, quod dediſſet, ſi unusquisque reſtituiſſet partem ſuam; quia in ordine ad iſtud onus hic, qui Domino reſtitutionem integram facit, manet creditor contra alios, ac proinde diſcurrendum eſt de aliis relatè ad iſtud, ſicut diſcurrebamus de omnibus relatè ad Dominum. Quid dicendum ſit, quando unus eſt principalis, aliique inſtrumentales tantùm cooperatores, infrà conſtabit. Cæterùm, ut hæc omnia clarè explicemus, ſit.

SECTIO I.

De modis cooperandi per ſe ad alterius damnum contra juſtitiam.

858. ASſero 1. cum omnibus Theologis: non ſolùm datur cauſa per ſe poſitiva, ſed etiam omiſſiva, quæ cooperatur ad alterius damnum contra juſtitiam. Probatur 1. Illa dicitur cauſa per ſe damni alterius contra juſtitiam, quæ ex fine juſtitiæ prohibetur poni, ne ſequatur violatio juris proprietatis alterius, & nihilominus ponitur, inducitque damnum alterius; vel quæ ex fine juſtitiæ, ut ſervetur inviolatũ jus alterius, prohibetur non omitti, & nihilominus omittitur, & ſic damnificat alteri. Non autem loquimur caſu, quo cauſæ fruſtrarentur effectu: nam tunc non daretur violatio juris, neque onus reſtituendi. Atqui cauſæ primi generis ſunt per ſe poſitivæ; ſiquidem contra prohibitionem juſtitiæ poſitivæ ponuntur, & influunt in damnum alterius: cauſæ verò ſecundi generis ſunt omiſſivæ; ſiquidem contra prohibitionem ex juſtitia omittunt, & ratione omiſſionis damnificant alteri &c.

Probatur 2. Genera cooperandi in damnum alterius contra juſtitiam novem ſunt, ſcilicet *juſſio*, *conſilium*, *conſenſus*, *palpo*, *recurſus*, *participans*, *mutus*, *non obſtans*, *non manifeſtans*. Sed primæ ſex ſunt cauſæ per ſe poſitivæ, reliquæ per ſe omiſſivæ; ergo. Probatur min. *Juſſio* eſt mandatum, ut fiat alteri damnum: *conſilium*, quo ſuades, conſulis, exhortaris, dirigis, quomodo damnum eſt faciendum: *conſenſus*, ſeu ſuffragium, quo præſtas authoritatem, ut illud damnum fiat: *palpans*, qui vel laudando iniquum factum, vel exprobrando ignaviam non audentis illud committere incitat aliquem, ut opus exequatur: *recurſus*, prout hìc accipitur, qui quaſi in cuſtodiam recipit rem furtivam, ut furi ſervet, vel receptat ipſum furem, aut damnificatorem quà talem, præbendo ei ſecuritatem, ac patrocinium, & ſic illum monendo, vel ut imposterum inferat damnum, vel ut jam antea illatum nullo modo reſarciat.

Participans dicitur 1. quatenus purè participat aliquid de furto, quin ejus ſit cauſa, aut inducens; qua ratione ſolùm tenetur ad reſtitutionem ejus partis, quæ illi ex furto obveniet. 2. quatenus eſt cauſa totius iniquæ actionis, ut præbendo executori inſtrumentum, vel auxilia ad totum damnum: quo pacto eſt cauſa totius damni, & tenetur ad reſtitutionem. Ex quo apparet, ſex priores modos pertinere ad cauſam per ſe poſitivam. Præterea *mutus* eſt, qui tacet, dum loqui tenetur ex officio, ſive ex juſtitia, ſive ad damnum impediendum, ſive reparandum, quando eſt illatum, ut clamando, præcipiendo, conſulendo: *non obſtans*, qui omittit opem ferre, vel præſtare operam, quam ex officio, vel juſtitia præſtare tenetur, & qua poterat damnum impedire: *non manifeſtans*, qui non manifeſtat furem, aut furtum, quando ad id tenetur ex officio, vel juſtitia, ſive ante opus factum, quando damnum erat impediendum, ſive poſt factum, quando reſarciendum. Ex quo conſtat, hos tres modos pertinere ad cauſam per ſe omiſſivam.

Aſſero 2. Cauſæ per ſe cooperantes non ſemper retinent idem onus, & obligationem reſtituendi: debet enim iſta obligatio inferri ex potentia cauſæ, & influxus, aliisque circumſtantiis. Probatur, & explicatur. Poteſt aliquis ad damnum concurrere, ut ſine illo fieret totum damnum, & ſecundò ita ad damnum poteſt concurrere, ut ſine illo non fieret totum damnum; atqui inter utrumque

que istum modum concurrendi non datur æquale onus, & obligatio restituendi; ergo. Probatur min. Ille, qui primo modo concurreret, non obligatur, nisi partem restituere, mensurandam à Viro prudente, juxta mensuram influxûs præstiti ad damnum, quo influxu non est major obligatio, qui solùm partialiter concurrit partialitate causæ in ordine ad solum partialem effectum. Ille verò, qui secundo modo concurreret, obligaretur ad totum in solidum, ita ut aliis non restituentibus partē suam, teneretur ipse ad totam; siquidem fuit causa per se in ordine ad totum, sine quo damnum illud tale non fieret; ergo &c. Ex dictis

864. Fit 1. dupliciter cooperantes posse esse causas damni. Primò partialitate effectûs, ut quando solùm causant partem damni, in aliam verò partem non influunt; ut cùm quis ingreditur vineam collecturus uvas, dum alii sine ejus consilio, consensu, vel authoritate, aut aliquo alio influxu eandem ingrediuntur, & exspoliant: quo in casu clarum est, eum solùm teneri ad restituendam partem, quam furatur, non verò aliam, in quam non influit. Secundò potest esse causa damni totalitate effectûs, quando scilicet totum damnum causat sua cooperatione, qua cooperatur damno ab aliis facto, quod potest dupliciter contingere. Primò, ut influxus operantis sat esset ad causandum totum damnum, & aliæ causæ non sufficerent ad idem causandum totum, ut si duo vulnerarent lethaliter eundem hominem, singuli vulnus lethale infligentes, vel si duo consulant furtum, ita ut cujusque consilium sufficeret, & in hoc casu certum etiam est ex Dicastillo lib. 2. de restitut. disp. 4. dub. 2. singulos teneri in solidum, ita ut unusquisque totum damnum teneatur restituere, si fortè alter partem restituere nolit, vel non possit.

865. Sed in hoc modo concurrendi forsan dubitaret aliquis, an, quando unus ex sociis restituit, nesciens, quid faciant alii, possit aliquid minuere de restitutione talis damni propter contingentiam, quòd fortè & alii totum restituant, & sic fiat restitutio Domino duplo, vel triplo major: ea enim contingentia aliquo pretio videtur æstimabilis damnificato. Cæterùm cùm hoc sit purè contingens, & damnum certum, non est recedendum à sententia superiori. Secundò potest contingere, ut licèt cooperans in totum damnum concurrat, ipsius influxus non sufficiat solus; & quidem primò, ut sine suo influxu, & cooperatione nec alii possint efficere idem damnum, saltem totum, nec tu sine illis; vel secundò, ut licèt tu non sufficias sine aliis, ipsi tamen sufficiant sine te: unde disputant Authores, an tenearis in solidum restituere, id est, aliis non restituentibus; tu tenearis ad restitutionem?

866. Quod quidem ex regulis in assertione præfixis inferendum est; quamvis enim Paludanus, Sylvester, Navarrus, & alii doceant, ad obligationem restituendi in solidum requiri, quòd cooperans debeat esse causa *sine qua non* acceptionis, seu damnificationis injustæ: at melius Cajetanus, Sotus &c. & apud Azor part. 3. lib. 4. cap. 19. oppositum censent, saltem de executore, sive causa principali, qui licèt non sit causa *sine qua non* occidens, quòd alii etiam occiderent, vel furans, quòd alter furaretur, etiam incurrit onus restituendi; unde hæc obligatio oritur, licèt non sit causa *sine qua non*. Clarum id est in physicis; etenim hic ignis nunc producens, non desinit esse causa caloris, quamvis hoc non producente alius similiter produceret eundem calorem, eò quòd hic modò tanquam causa per se concurrat ad calorem producendum; ergo idem dicendum in casu nostro de executore causa principali damnificante alteri.

867. Fit 2. quoad alios cooperatores, qui non sunt causæ principales, sed secundariæ, neque sunt executrices, distinctione opus esse; vel enim desinunt esse causæ *sine quibus non*, cùm independenter ab eorum consilio erat executor determinatus ad damnum, vel eò quòd, quamvis non supponatur determinatus, tamen si illi deficeret hoc consilium, vel mandatum, aliunde haberet aliud, quo similiter motus idem omnino damnum inferret. Si primum, talis cooperator non teneretur ad restitutionem, cùm ejus influxus nihil præstet. Si secundum, teneretur, quamvis non sit causa *sine qua non*; quia reverà iste est, qui hìc, & nunc movet executorem ad damnum, & re ipsa damnum causat. Unde si multi simul consulentes, & jubentes moveant, & re ipsa damnum fiat, omnes tenentur de damno, cùm non sit major ratio unius, quàm alterius.

868. Ratio ulterior est, quia in hoc casu singulæ causæ partiales æquivalent totalibus; licèt enim unaquæque causa partialis sola non possit ponere totum effectum, poterat tamen unaquæque damnum impedire, si unaquæque concursum subtraxisset: unde hoc non facto, unicuique imputabitur totum damnum, ac si esset causa totalis; nam damnificatus de unaquaque potest conqueri, acsi sola esset causa talis damni, cùm sola potuerit totum damnum impedire: unde in æstimatione humana perinde est in hoc casu causa partialis, ac totalis; quia etiam causa totalis pendet ab aliis prærequisitis, sine quibus non agit, sed illis positis penes ipsam stat, quòd effectus producatur, vel non; ideóque dicitur causa totalis, vel principalis: similiter ergo, concausæ imputari debet totus effectus, quando, licèt egeat concursu aliorum, ipsis tamen positis penes ipsam stat, quòd effectus ponatur, vel non ponatur.

869. Fit 3. Militem gregarium probabiliter non obligari ad restitutionem totius damni, quod fit ab exercitu, & ad quod adjuvit particulariter

riter in bello injusto. Ita Lessius, Molina, Diana, Lugo contra Adrianum, & Layman lib. 3. Tract 2. cap. 6. hoc dato fundamento; quia nec excusari potest, eò quòd ipso non militante alii militarent, & damnum idem facerent, cùm sufficiat ad obligationem restituendi totum damnum, quòd facto concurrat, licèt sine ejus concursu res fieret: at nullum ferè damnum efficit unus miles, ad quod cæteri non concurrerent; quicunque enim miles solus sine aliorum defensione, & comitatu non auderet damnum inferre, ideóque audet, quia videt se tot sociis stipatum. Sed his non obstantibus verior est doctrina nostra; quia quamvis ille miles probabiliter concurrat ad damna aliorum sociorum, sic tamen concurrit, ut sine ipso eadem damna dentur à reliquo exercitu: quamvis enim singuli milites soli damna non darent, sine hoc tamen solo, & eo deficiente darent omnino, nec ita moventur à consortio hujus, ut non moverentur, si ipse deesset; habet enim aliquem influxum partialem in reliqua damna, sed adeò debilem, ut vix, aut parùm censeatur influere: unde ultra damnum à se datum parùm tenetur restituere. Hæc tamen excusatio non valet in Duce, & similibus, qui intentione, & directione causa sunt totius damni, sine quibus damnum non fieret.

870. Fit 4. duos ferentes idem pondus, quod neque ferre, neque subripere posset unus, obligari in solidum ad totum damnum; quia singuli poterant impedire totum damnum. Quare singuli suffragantes, & consultores tunc tenentur ad restitutionem totius damni, quando unum consilium, seu suffragium nihil faceret sine alio. V. G. requirebantur septem suffragia ad decretum de damnificando: quo in casu omnes septem tenentur in solidum; quia quiliber, si se subtraxisset, impediret totum damnum: quòd autem locò ejus alius concurreret, non obstat; quia tunc iste alius, si suffragium priùs dedisset, ipse teneretur in solidum. Eodem modo, si duo fures ingrediuntur domum, ita ut alter sine altero non ingrederetur: item, si duo se animent, sine qua mutua excitatione non sequeretur damnum; quia in his casibus singuli possunt impedire totum damnum.

871. Fit 5. Si plures sint causæ ejusdem rationis, ita ut æquè teneantur restituere, eò quòd æqualem influxum habuerint in totum damnum, eos teneri restituere pro rata, E. G. si sint duo executores, qui intulerunt proximo idem damnum decem aureorum, debet unusquisque restituere æqualem partem. Quòd si unus nolit, vel non possit, succedit alter in obligatione ad totum; quia uterque tenetur in solidum. Secundo tamen solventi totum damnum debet alter restituere suam partem, quam debebat. Si verò non fuerunt omnes causæ ejusdem rationis, quia unus nempe fuit executor, alter jubens, alter participans, tunc maximè distinguendum; nam si actio damnificans fuit lucrativa, & apud aliquem, vel aliquos cooperantes adhuc extat res ablata, vel ejus pretium, vel si jam non extat res, mala fide consumpta fuit ab aliquo, tunc hi tenentur primo loco totum restituere, apud quos res, vel pretium extat, vel à quibus mala fide est consumpta; cæteri verò in eorum defectu. Excipe tamen, nisi de mandato alterius damnum quis fecerit, & in pretium rem alienam acceperit; nam tunc mandans est causa principalis damni; causa autem principalis semper est prior, & primo loco obligatur: restituente autem eo, qui primo loco tenetur, cæteræ concausæ liberæ manent, & restituentibus obligatis posteriori loco debent priores compensare, quia ad ipsos advenit jus Domini.

Quamobrem si actio damnificans non fuit 872
lucrativa, sed destructiva rei alienæ, ut combustio, mutilatio, infamatio: tunc ante alios primus debet restituere, qui est causa principalis, seu agens nomine suo, ut mandans; qui verò sunt causæ instrumentales, agentes scilicet nomine alterius, ut executores, solùm tenentur in defectu mandantis. Unde si isti solvunt, debebit mandans illi resarcire totum. Quod intelligendum, cùm sunt causa pura instrumentalis: non verò, si simul sint principalis causa, ut si executores in damno inferendo moti fuissent à se ipsis, & operati essent nomine suo; quia scilicet agebant negotium suum, aut quocunque alio modo fuerint causa principalis; tunc enim exequentes etiam primo loco tenentur. Si verò nullus fuerit jubens, tunc executor debet priùs, cæteri verò, ut consulens, palpans &c. tenentur solùm in defectu illius, nisi in illis extaret aliquid ex furto: tunc enim, ut dixi, tenentur hi priores restituere. Vide Lugo disp. 19. sect. 4.

Fit 6. si fortè læsus remittat uni ex con- 875
causis, non censetur reliquis remisisse. Quare distinguendum est: si remittit principali causæ, censetur & reliquis posterioribus; nam hæ obligantur solùm in defectu illius: si uni ex pluribus obligatis in eodem gradu, tunc aliæ debent restituere suas partes, demptâ illâ. Ratio est, quia remissio æquivalet solutioni: unde si remittit principali, idem est, ac si solvisset totum; cùm autem ex solutione posterioris obligatæ causæ non deobligetur principalis, nec ex solutione æqualiter obligati, alter obligatus, exinde remissione facta uni manet restitutionis onus principali totum; æquali verò secundariè, ablata parte, quæ ad socium pertinebat.

SECTIO II.

De circumstantiis Restitutionis.

874. CIrcumstantiæ istæ his versiculis comprehenduntur.

Quis, quid restituat, cui, quantum, quomodo, quando.

Quo ordine, quare, loco, quæ causa excuset iniquum.

Quis, idem est, ac quærere, quis debeat restituere, quod ex dictis constat, scilicet qui ex justitia obligatur, ut injustus damnificator, fur, malæ fidei possessor, & retentor, cooperator ad damnum, & qui in contractu commutativo deliquit cum alterius damno. Etiam à Doctoribus obligatur ad restitutionem pauper fictus, qui simulata paupertate accipit eleemosynam, saltem notabilem; quia accipit per fraudem: unde Dominus potest esse rationabiliter invitus, dum rem sine titulo extortam retinet. Vide Castropalaum Tom. 1. Tract. 6. disp. 1. punct. 14. restitutio autem fieri potest Domino juxta Dian. juxta Medin. Navarrum pauperibus; quia hæc est præsumpta voluntas Domini.

875. Circa *quid* constat ex dictis restituendum esse damnum injustè ablatum, vel retentum, vel eo non extante ejus valor, tum fructus, lucrum cessans, damnum emergens &c. De rebus acceptis ob turpem causam, thesauris inventis, constat ex dictis. Circa *cui* attendendus est patiens damnum secundùm naturam justitiæ, rationem, & leges; unde isti restitutio est facienda, cui debet jus proprietatis læsum compensari. Et exinde explicatur altera circumstantia *quantum*, scilicet tantum, quantum requiritur ad compensationem læsi juris alieni, ac proinde, quod acceptum est, & damnum inde secutum per se, tum lucrum cessans &c.

876. Circa *quomodo* generaliter dicendum est, nisi obviandum sit scandalo, satis esse, si restitutio fiat sive occultè, sive publicè, per se, vel per alium. Quare si rem, quam Domino debes ex injusta acceptione, miseris Domino per hominem, quem fidelem credebas, at ipse muneri suo non satisfaciens sibi restituit, & fugit, non liberaris à restitutione; quia nondum compensâsti jus læsum Domini, ut econtra tenendum probat Dicastil. lib. 3. Tractat. 2. dub. 3. Molina, Lessius, Toletus, Lugo &c. Circa *quando* diximus ex titulo rei acceptæ, vel injustæ damnificationis, vel acceptionis teneri te restituere, statim ac commodè potest, nisi creditor sit rationabiliter invitus propter justam suam dilationem, ut docent Theologi cum D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 8. quia jus læsum Domini exigit compensationem, nisi in aliqua circumstantia suspendatur ea obligatio; quia tunc Dominus non potest esse rationabiliter invitus ratione dilationis. Quod idem dicendum, si dilationem obtineas à creditore; quia obtenta ista facultate creditor non potest esse rationabiliter invitus, si solo eo tempore concesso differas solutionem. Circa *quo ordine*, quando debitor omnibus creditoribus solvere potest, non est necesse ullum servare ordinem, tunc enim teneris statim omnibus solvere.

Quando verò non habes, unde omnibus solvas, tunc servandus est ordo, & quidè secundùm communem sententiam, si rem alterius apud te habeas, quocunque ex titulo habeas, sive ex furto, sive ex deposito, debet priùs restitui Domino suo; quia cæteri creditores nullum jus habent in illam, cùm non sit debitoris; unde Domino deficiente debet dari pauperibus. Unde si res empta pretio non soluto adhuc exter, restituenda est creditori, saltem quando fidejussionem, vel pignus non accepit: si verò restitutio facienda sit ex injusta acceptione, priùs solvenda sunt debita certa (quando scilicet Domini cognoscuntur) quàm incerta; quia illa jure naturæ solvi debent Dominis, hæc autem solo jure Ecclesiastico pauperibus; prævalet enim jus naturæ Ecclesiastico: unde etiam debent priùs solvi debita ex titulo oneroso, priusquam ex promissione gratuita alteri destinata; & debita defuncti, priusquàm legata. 877.

In reliquis debitis servandum est vel jus locale, vel eo absente generale, juxta quod priùs solvenda primò, ad quæ bona debitoris expressè sunt obligata. Secundò dos uxoris extrahenda. Tertiò debita, ad quæ bona debitoris tacitè sunt hypothecata. Quartò deposita perdita in potestate debitoris. Quintò debita promulgata. Sextò debita incerta. Septimò debita his, à quibus usuræ sunt acceptæ. Octavò reliqua creditorum debita. Inter multos creditores temporis antiquitas servanda; quia ille est potior jure. Ante hæc omnia autem debitore mortuo solvuntur expensæ pro funere, pro confectione inventarii, apertione testamenti, Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ. 878.

Si autem solveris scienter posteriori, prætermisso, qui habebat hypothecam priorem, vel privilegiatus erat, peccas, & teneris de damno: si autè ex pluribus creditoribus aliquis prior petat, debes ei priùs solvere; quia diligentia eum fecit priorem: debitor autem non potest priùs petenti integrè solvere, aliis omissis, sed debet omnibus pro rata solvere. Hæc est doctrina communis, quamvis circumstantiæ judicium aliquando mutent; unde Authores discutiant. Idcirco ad ultimum judicium ferendum, licèt multùm juvet doctrina generalis, exponendæ etiam sunt casuum circumstantiæ, de quibus Theologi, & Jurisconsulti multa. 879.

De circumstantia *quo loco*, si debitum sit ex debito, restitutio rei facienda est expensis debitoris, & in loco, ubi Dominus illam erat possessurus, si ablata non fuisset; quia ex eo, 880.

quòd rem solùm ablatam Dominus amiserit iniquitate debitoris, non debet ullum damnum sentire, sed sic restitui in pristinum statum, acsi nihil fuisset ablatum: v. g. si furatus es equum Petri Romæ, & transtulisti Neapolim, debes restituere Romæ; si furatus es Romæ pecuniam à Petro, & Petrus est Neapoli, quo cùm pecuniam transtulisset, Neapoli debes restituere; quia creditor debet ad æqualitatem reduci, nec debet amittere libertatem transferendi se ob iniquitatem debitoris, qui sibi imputet expensas in restitutione. Quòd si Dominus sumptus aliquos fecisset in transportatione, ii debent deduci, secus, si nullos facturus erat.

881. Illa autem, quæ debent restitui ex sola ratione rei acceptæ, restituenda sunt in loco, ubi habentur, nec teneris ea mittere Domino expensis tuis, aut expensis Domini, cùm non tenearis Domino restituere damno tuo; siquidem eum non perturbâsti per injuriam: unde solùm teneris ad rei custodiam, monito interim Domino, quomodo velit rem sibi transmitti? Quòd si aliquos sumptus necessarios feceris in re custodienda, aut transmittenda, tenetur ille tibi reddere, quod expendisti in ejus utilitatem: debita autem ex contractu eo loco solvenda sunt, de quo est conventum. Unde secundùm varietatem contractuum varios in locos jam creditoris, jam debitoris expensis restituenda sunt bona. Ita Lessius ex cap. 16. d. 8. Dicastillus lib. 2. Tractat. 2. dub. 11.

SECTIO III.

De causis excusantibus à Restitutione.

882. SErmo est de excusantibus vel in totum, vel in partem, & simul de his, ob quas vel differri, vel omitti potest restitutio. Valentia admittit 15. excusantes, alii plures, de quibus Lugo disp. 21. *Generaliter* ex parte debitoris excusant, quæ faciunt creditorem rationabiliter contentum in dilatione, aut omissione restitutionis, licèt defacto non sit contentus. *Particulariter* verò excusant in conscientia 1. si per opinionem, verè, & practicè probabilem efformes judicium practicum, & ultimum dictamen conscientiæ de licita omissione restitutionis. 2. si fecisti compositionem cum Episcopo, vel Pontifice beneficio Bullæ compositionis, de quo in Bulla *cruciatæ* Authores.

883. Tertiò, si tenebaris rem restituere pauperibus, postea, etsi compareat Dominus, nihil ei teneris; imò etsi eam tibi ipsi revera indigenti applicâsti, licèt postea factus sis ditior, non teneris restituere, juxta plures Authores. 4. si adsit extrema necessitas tua, vel alterius, cui, nisi per rem alienam, non potes subvenire, excusaris à restitutione ea durante, in qua omnia sunt communia; transacta autem necessitate, an tenearis restituere, adverte: si res existit in individuo, certum censeo, te teneri; quia non indiguisti ad tuam necessitatem, cùm adhuc extet: si autem non extet, vel si ad succurrendum tuæ necessitati satis fuerit, aliquam particulam insumere, reliquam teneris restituere, licèt circa hoc non possit esse vera regula, nisi judicium prudentum.

884. Quintò excusat grave damnum in tuis fortunis, si modò restituas; adeóque differre potes: ut si casu quo cogeris nunc ad restituendum vendere debeas mihi rem tuam pretiosâ, adeóq; grave damnũ incurras, licèt non gravè necessitatẽ, quia non ideo decidis à statu, vel cogaris mendicare: quidquid enim sit de foro externo, nimis videtur rigidum obligare te in conscientia cum tuo gravi damno, tunc enim creditor secundùm rectam rationem tenetur consentire in dilationem, aliter contra æquitatem, & charitatem facturus: quod intelligendum est, etiamsi damnum, quod times ex restitutione, esset in eo præcisè, quòd spolies te rebus debitis alicujus. Idem dicendum, si damnum, quod pateris, sit cessatio lucri, quod ex re aliena perciperes.

885. Sextò excusat à restitutione statim facienda magnum periculum in rebus animæ, ut ne ob inopiam uxor, vel filia se prostituant, vel filii latrones fiant, vel ipse debitor desperet: magnæ enim sunt infirmitates animæ, quæ non semper vinci possunt. Ratio est omnium, quia quicunque tenetur priùs saluti suæ animæ, & suorum consulere, quàm debita solvere: debet tamen hoc periculum esse notabile, ut non supperat alia ratio illud evitandi.

886. Septimò excusat periculum infamiæ, si restitueres; quia creditor te furatum cognosceret: sed tunc per Confessarium, vel alium fidelem est facienda restitutio. Monet autem Molina, debitorem debere habere magnam curam, ut solutio veniat ad Dominum, monendo, ut locò sui restituens Confessarius, vel fidelis nuntius chirographum à creditore accipiat, quo testatur, se accepisse debitum, sed non expresso debitoris nomine; hoc enim expedit ad bonum, nomen Confessarii, & fidelis internuntii. Addit Lugo, si dedit debitori chirographum pecuniæ acceptæ ad restituendum, apponat etiam nomen creditoris, alioquin si de acceptione pecuniæ conster, & non de executione, vexari posset Confessarius ab hæredibus debitoris, ut quidam vexatus fuit à Judice, conatus restituere hæredi pecuniam.

887. Quando autem debitor his modis excusatur à restitutione statim facienda, *si obligatio sit ex delicto*, tenetur postea etiam lucrum cessans solvere, etiamsi illud fortuitò eveniat, totumque debet restituere, licèt absque nostra culpa sequatur: si autem sit debitor ex contractu, vel re accepta, & fuerit in mora culpabili solvendi, consensit jam debitor ex deli-

delicto, & tenebitur ad omnia damna. At si non fuerit in mora graviter culpabili, non videtur teneri sub gravi ad restituenda damna interim provenientia, cùm non teneatur ex injusta acceptione, neque ex re accepta, neque ex contractu, neque ad casum fortuitum. Vide Lugo suprà citatum.

888. Si causa differendi solutionem sit necessitas extrinseca, in qua possunt accipi aliena ad illam sublevandam, si ea necessitas sit perpetua, nunquam obligaris solvere: nam si in eo statu potes aliena accipere, cur non etiâ non solvere? Si causa non solvendi sit detrimentum grave incurrendum in bonis Superioris, excusat etiam in perpetuum. Sic adultera excusatur in perpetuum à detegendo cum gravi sua infamia adulterio, ne spurius succedat cum legitimis, licèt non possit unquam alio modo restituere.

889. Octava causa est cessio bonorum, quæ in foro externo excusat à solutione, quatenus juvat, ne debitor possit incarcerari: in foro verò conscientiæ non magis excusat, quàm necessitas sine cessione excusaret; quia in hac cessione tantùm conceduntur alimenta, idque ex quadam misericordia, nec semper, sed solùm, quando casus id videtur exigere. Unde qui hoc modo bonis cessit, si postea ad pinguiorem fortunam pervenerit, tenebitur integrè satisfacere: excusaris autem in foro conscientiæ juxta Sylvest. Lessium cap. 16. &c. si quid alteri debes, & ejus creditori solvas tantundem; quia dum solvo tuo creditori 100. cui tu debebas tantundem, transfero in me jus, quod ille habet contra te exigendi 100. ac proinde tunc fit justa compensatio.

890. Nonò excusaris, si creditor remittat tibi debitum expressè, vel tacitè, V. G. si laceravit tuum chirographum, vel tibi reddidit; quia hæc remissio debitum extinguit. Requiruntur tamen tres conditiones. Primò, quòd remissio sit omnino libera, id est, non extorta metu, mendacio. Secundò, ut creditor possit condonare. Tertiò, ut condonatio non fiat in casibus à jure exceptis, & quibus leges resistant. Apud alios etiam excusaris, si feceris compensationem æquivalentem, scilicet per obsequia, præstita, per procurationem officii non gratis factam, sed cui æquale pretium debebatur, illudq; relinqueris arbitrio solventis. Excusat etiam legitima præscriptio, quæ non solùm juvat pro foro externo, sed etiam interno. Hæc sunt præcipua, quæ excusant à restitutione vel nunquam, vel non statim facienda, in quibus requiritur, ut interveniant justi tituli superiùs positi, nec excusatio sit conficta, & nulla coram DEO.

DISPUTATIO XVIII.

DE JUDICIIS.

891. PLura de judiciis tradunt Theologi cum Div. Thoma 2. 2. quæst. 60. & Canonistæ in 2. & 5. lib. Decret. Plura & Nos sparsimus, per totum Tractatum. Reliqua quæ ad hanc disputationem spectant, de Judice, de Accusatore, & Teste, de Reo, & Advocato agunt. Judicem non posse munera accipere pro sententia ex jure dicendo, neque habere jus ad judicandum contra legem dixi à num. 275. 297. 304. 653. 661. Testem etiam alicui suo juri posse cedere, ut Reus contra ipsum agere possit à num. 336. Quæ autem licita, vel illicita eidem Reo contra testem sint num. 334. Nunc ad principaliora.

SECTIO I.

De Judice.

891. SUppono 1. Judicem hìc sumi pro illo, qui authoritatem habet in judicando, qui enim eâ caret vel in personas judicandas, vel in causam exemptam, injuriam facit partibus, & Judici legitimo, si se ingerat, diciturq; judicium usurpatum, vel præsumptum. Potest autem alter alteri subjici, primò ob potestatem *ordinariam*, ut Fideles Pontifici, vel Episcopis, cives Regi &c. Secundò ob delegatam, ut Fideles ejus Provinciæ Legato Apostolico, cives Pro-Regi &c. Tertiò ex consensu partium, quando Judicem sibi, vel arbitrum determinant. Quartò ratione delicti in alieno loco patrati, vel ratione domicilii, contractûs, vel rei, de qua in possessorem agitur. Quintò ratione injuriæ subdito alterius Principis illatæ: si enim Superior ejus, qui injuriam fecit, interpellatus nolit eam judicare, poterit id facere Princeps injuriam passi. De reliquo, qui judicat sine his titulis, peccat usurpatione judicii.

893. Suppono 2. Judicem non posse justè judicare in concursu duarum opinionum probabilium, nisi secundùm probabiliorem: cùm Innocentius XI. damnaverit secundam hanc: *probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem*; unde multò magis peccaret Judex procedens ex sola suspicione, dubio, aut judicio temerario. Similiter non potest sententiam proferre Judex excommunicatus, aut notorius percussor Clerici. Si autem sit excommunicatus toleratus, & non sit denuntiatus, vel notorius percussor Clerici, post Concilium Constantiense non peccat proferendo sententiâ ex aliorũ petitione, quãquàm ex præcepto Ecclesiastico, quod Concilium antecessit, teneatur non se ingerere, quando delictum committeret, ratione cujus lex statuit,

tuit, ut ipso jure sit privatus titulo. Excipe nisi constet fuisse Legislatoris mentem, ut ante sententiâ Judicis moneatur exauctoratus; tunc enim adhuc poterit judicare, quantumcunq; sententia accedat, ut constat ex dictis num. 665. Vide Lessium cap. 29. dub. 8. His positis

893. Assero 1. Omnes illi peccant usurpatione judicii, qui judicant non absolutè subditum, seu eum, qui non est subditus in his causis, in quibus eum judicant, ac proinde sententia illorum est irrita. Probatur 1. Qui ita judicat, lædit jus Reipublicæ usurpatione judicii; siquidem contra Reipublicæ jus sibi arrogat authoritatem, quam non habet: insuper lædit jus Rei, cùm pronuntiat sententiam in non subditum; sed exinde peccat, & sententia irrita est: ergo &c.

894. Probatur 2. Judex sæcularis graviter peccat, si Ecclesiasticum judicet, Can. *si dilig. de foro compet.* tum etiam Ecclesiasticus peccat, si is sæcularem in causis merè temporalibus judicet, Can. *cum quodam de except. in* 6. Neque potest in hac parte Clericus renuntiare juri suo: quia privilegium illud non est in personæ favorem collatum, sed totius statûs. Unde licèt Clericus possit sibi arbitros constituere, quorû sententiæ parere teneatur, hoc non est sæculari tribunali se sistere. Sic etiam Pilatus peccavit usurpatione judicii in non subditum, quando Christum judicavit; Christus enim etiam ut homo erat exceptus à Pilati foro; sed inde constat, peccare judicantem judicio usurpato, & sententiam esse irritam; ergo &c.

895. Assero 2. contra Sotum: tyrannus, qui usurpatione potestatis jam in pace imperat, Republica ampliùs ei nequaquam resistente ob virium defectum, licèt peccet usurpatione judicii jus dicendo; sententiæ ipsius tamen sunt validæ, & tenentur cives illis obtemperare, donec irritentur. Conclusio unum supponit, alterum asserit: supponit illum tyrannum peccare jus dicendo; quia usurpat potestatem Principis, & gerit se ut verus Princeps, qualis non est, quod peccatum est. Unde licèt non usurpet sibi usum regiminis pertinentem ad eum, qui actu gubernat, & authoritatem exercet; at usurpat sibi potestatem, ad quam attinet gubernare, quod quidem magnum peccatum est. De hujusmodi autem tyranno procedit assertio docens, sententiam esse validam, & obligare, quoad irritetur.

896. Probatur 1. Subditi alicujus Reipublicæ tenentur in civilibus obedire legitimo Principi, ut probat Exim. Doct. & constat ex Concilio Toletano 4. 5. 6. & 10. ex eo vel maximè, quia licèt non sit de jure naturæ habere Regem, at ex suppositione Regis tanquam capitis, jus naturæ requirit obedientiam ipsi præstandam, ne Respublica pereat, & ne sit plena furtis, & homicidiis, perturbatione, aliisque incommodis; atqui eadem inconvenientia essent, si tyranno (qui in pace usurpata potestate imperat Republica ob virium defectum non resistente) cives illius Reipublicæ non tenerentur obedire; ergo &c. Probatur min. Licèt tyrannus non esset Rex de jure, tamen Rex defacto esset, qui solus tunc potest ea inconvenientia jus dicendo reprimere; ergo &c.

Confirmatur. Sententia, edicta, mandata talis Regis tyranni, & imperantis, licèt tyrannus sit non solùm administratione, & gubernatione, sed etiam jure, ac titulo (quia vi, vel iniquo bello regnum occupavit) valida sunt adveniente Reipublicæ consensu expresso, vel tacito, vel consensu legitimi Principis iniquè victi, ut patet; atqui in eo casu, de quo agimus, adest consensus saltem implicitus Reipublicæ, vel Principis legitimi, ut tyrannus, dum non ejicitur, jus dicat ad evitanda Reipublicæ incommoda, cùm hoc expediat ad bonum commune, ad quod Respublica, vel Princeps legitimus tenetur; ergo &c.

Probatur 2. Hæc duo bene componuntur, nimirum quòd Respublica injustè invasa à tyranno velit, quando possit, recuperare jus suum, simulque dum hoc præstare non possit, velit, quòd Respublica tranquillè, & cum pace gubernetur, proindéque quòd Rex jure, & titulo tyrannus interim habeat jus ad gubernationem, ac si esset competens Judex, & legitimus Superior, cúmque hoc requiratur ad bonum commune, censeri debet adesse talis consensus, saltem implicitus; sed exinde talis tyranni sententia valida est, & cives tenentur illi obedire; ergo &c. Confirmatur: ex rationibus adductis valde probabile est, quòd talis tyrannus validè præcipiat jus dicendo, atque exinde est etiam valde probabile, quòd subditi teneantur illi obedire; atqui quando est probabile teneri subditos obedire superiori tyranno, tunc obedire tenentur, ut latè probat Thomas Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 3. num. 29. ergo &c. Videatur Azor part. 2. Institut. moral. lib. 11. cap. 4. & textus cap. *Julianus* 11. quæst. 3.

Assero 3. cum pluribus Doctoribus, quos citant, & sequuntur Adrianus, Navarrus, Hostiensis, Panormitanus, Lugo &c. non potest Judex condemnare Reum, qui per testes legitimè probatus est criminosus, quem tamen ipse Judex scientiâ humanâ noscit innocentem. Dixi *scientiâ humanâ*, ut excipiam casum, de quo num. 911. Probatur 1. Humana auctoritate occidere innocentem directè, & ex proposito est intrinsecè malum, sicut cognoscere non suam; atqui non potes reddere debitum huic mulieri, quam certò nôsti non esse tuam conjugem, licèt millies probetur in judicio, quòd sit tua conjux; ergo non potes ullum morte damnare, quem nôsti esse nocentem; Deus enim, qui vitæ, mortis habet potestatem, præcepit Exodi 23. *insontem, & justum non occides, quia aversor impium*; tum etiam *nec judicio plurimorum*

quiescet sententiæ, ut à vero devies; ergo cognitum innocentem Judex, licèt probatum criminosum, per testes non potest condemnare.

900. Probat. 2. Si Judex certò sciret se non habere authoritatem in Reum, etiamsi multi testarentur, illum habere, & ei mortem minarentur, nisi faceret: pariter si sciret factum non mereri mortè juxta legē, etiamsi alii plures assererent mereri, non posset reum condemnare ad mortē; ergo neque etiā poterit, quando scit certò reū esse penitus innocentem. Prob. cons. quia ad condemnandum aliquem ad mortem non minùs requiritur veritas criminis in Reo, quàm vera potestas in Judice, & vera æquitas in lege, secundùm quam debet judicare; ergo si ex defectu jurisdictionis, & æquitatis cum lege non potest illum condemnare, etiam ex defectu criminis non poterit.

901. Confirmatur 1. Ideo ratio naturalis dictat, debere Judicem sequi notitiam publicam per allegata, & probata acceptam, ne facilè aberret, aut discedat à veritate justitiæ judicando: hæc enim est ratio illius, & obligationis; ergo quando ei est omnino evidens judicium fore injustum, si sequatur allegata, & probata, non potest illa sequi, neque agere contra finem naturalis legis. Confirmatur 2. Lex naturalis, & divina præcipit non occidere directè omnino innocentem: istum autem hìc, & nunc occidere præcipit lex humana, & positiva; atqui in casu legis naturalis, & divinæ concurrentis cum positiva, & humana standum est priori. Sic qui communicare non potest jejunus per integrum annū ex aliqua debilitate, aut accidente, teneretur communicare non jejunus, eò quòd præceptum de communione sit divinum, & præceptum accedendi cum jejunio naturali sit Ecclesiasticum; ergo &c. Sed de his meliùs

902. sectione sequenti. Ex dictis

Fit 1. Judicem teneri judicare juxta leges, quando præscriptæ sunt à jure naturæ; quando verò sunt tantùm ex jure positivo, nec juri naturæ opponuntur, regulariter tenetur judicare juxta legum præscriptum, neque aliter judicare debet, nisi in gravioribus casibus, in quibus non potest suam voluntatem conformare Legislatoris voluntati. Unde si quis secundùm allegata, & probata sit innocens, Judex non potest ex privata sòlùm scientia criminis eum damnare; ut enim ait August. citatus 2. quæst. 1. cap. 1. *Nos in quemquam ferre sententiam non possumus, nisi aut convictum, aut sponte confessum*; cùm leges præscribant Judici legitimam probationem per testes, & juridicam, ut sententiam ferat; imò propter maxima pericula, ut Judex incideret in tyrannidem, sentiunt plures, quòd Respublica non possit uni soli eam facultatem concedere: inde Cajetanus, & Lugo non excusant Principes, qui Reum sibi privatâ scientiâ notum secretò occidi curant, ut ipsius, & posterorum honori consulatur.

Fit 2. Judicem in foro externo ad cognoscenda, & punienda delicta procedere posse per inquisitionem, accusationem, & denuntiationem, Cap. *qualiter, & quando, de accusat.* Inquisitio triplex est; prima generalis, quando solùm in genere inquiritur de delictis, & personis, ut cùm Superior loca sibi subjecta visitat, & inquirit, an statuta serventur. Secunda est specialis, quando nempe quæritur, an talis persona tale delictum patraverit. Tertia mixta, quando de persona in communi quæritur crimen particulare, vel de persona particulari crimen in genere, ut habet Sanchez lib. 3. consil. cap. 3. dub. 16. Ad inquisitiones generales tres regulæ assignari solent. Prima quòd non sit necessaria infamia præcedens, cùm ad hanc certis temporibus Judex teneatur. Secunda circa inquisitionem mixtam, dum crimen patet, auctor latet, Judex in particulari potest inquirere, & examinare testes circa authorem, non tamen circa quemquam in particulari, ubi non habet fundamentum, ut docet Pater Suarez de Relig. Tract. 10. lib. 10. cap. 11. num. 4. Tertia circa inquisitionem particularem: nunquam potest Judex inquirere speciali inquisitione personæ, nisi præcesserit infamia, cap. *inquisitionis, §. 3. de judiciis*, cap. *cùm oportet*, cap. *qualiter, & quando eod. Tit.* Quod intellige, si aliqui ex officio debeant Dominum, auctorē custodire. Sic si Dominus inveniatur occisus, inquirere potest Judex in servos, cùm auctor ignoratur; & ob eandem rationem in nautas submersæ navis, & quoties inquisitio non est injusta ad merè puniendum, sed ad avertendum à Republica malum.

903.

Accusatio, & denuntiatio in eo conveniunt, ut utraque tendat ad bonum commune, quod ex improborum supplicio redundat. Discrimen verò est, quòd denuntians sòlùm defert crimen ad Judicem, ut ipse pro suo debito, & prudentia consulat bono publico; at accusatio trahit secum onus probandi; idcirco tenetur accusator ad accusationis solennitates, nec requiritur ad denuntiationem juridicam, quòd præmittas correctionem fraternam, ut rectè Azor Tom. 3. instit. moral. l. 3. cap. 21. dub. 7. & 9. Regulariter nulla est accusandi obligatio accusatione propriè dicta, cùm suppleri possit finis boni communis juridica denuntiatione; accusandi tamen, vel denuntiandi est obligatio, quando crimen est Reipublicæ perniciosum, & directè oppositum bono communi, & legitimè probari potest, neque aliâ viâ damnum publicum potest impediri. Ex officio tenentur delinquentem certo delicto accusare, ac denuntiare judicialiter Fiscales, Custodes, Vigiles &c. quando aliter impedire non possunt commune damnum, ad quod avertendum sunt constituti.

904.

Fit 3. cum Lirano, Angelo, Panormitano &c. adhuc in causis civilibus, & criminali-

905.

bus, ubi non agitur, nisi de pœna pecuniaria, exilio, vel privatione beneficii, vel officii, non posse Judicem damnare, quem certò scit innocentem, notitiâ nempe, qua uti posset, scilicet notitiâ practicâ; nam si notitiam haberet, qua uti non posset ex præcepto divino, qualis est notitia accepta in Confessione Sacramentali, hæc non habetur ab homine, ut homo est, sed ut subrogatus locò DEI sub onere sigilli. Unde DEUS non vult, quòd ea notitia sit practica, & quòd Judex eâ possit uti ad defendendum Reum in judicio. Loquimur ergo de notitia habita, quà homo est, & qua reverâ uti potest. Ratio illationis est, quia notitia habita ab homine, ut homo est, est notitia, qua potest, & debet uti, ne in judicando erret; atqui si damnaret in causis civilibus, quem certò scit innocentem esse, erraret; ergo &c. Addo, quòd Judex, ut constat num. 898. tenetur judicare juxta sententiam magis probabilem in concursu opinionum probabilium; ergo multò magis uti debet notitiâ certâ, qua uti potest in concursu probationis falsæ.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

906. OBjicies 1. contra primam conclusionem: si peccaret usurpatione judicii, qui judicat sibi non subditum, ejusque sententia esset irrita, nullus hæreticorum subditus teneretur suis Principibus obedire in causis civilibus, neque illorum sententiæ stare; sed hoc omnino est falsum; ergo &c. Probatur min. Aliqui S. S. Patres docent, Hæreticos, & Schismaticos nullam habere potestatem, nec posse solvere, & ligare, quia sunt extra Ecclesiam, & excommunicati. Ita Cyprianus epist. 76. ad Mag. de Novat. Ambrosius lib. 1. de pœnitent. cap. 2. Nicolaus I. &c. qui videri possunt 24. quæst. 1. ergo. Confirmatur. Cives tenentur admittere Judicem excommunicatum, si possent à Principe hæretico judicari; sed potest poni exceptio contra Judicem excommunicatum, ut patet cap. *exceptionē in fin. de except.* ergo. Respondeo nego maj. ad probationem dist. ant. docent ex jure antiquo, conc. ex jure novo, nego. Ratio est, quia ex jure antiquo omnes Hæretici erant excommunicati vitandi, ac proinde non poterat cum illis haberi communio; at ex jure novo post Concilium Constantiense acta excommunicati sunt valida, quamdiu probantur ab Ecclesia, solúmque sunt vitandi illi, qui sunt nominatim denuntiati, vel notorii Clerici percussores. Ad Confirmationem dist. maj. tenerentur, quando ratio postulat, ut ex officio procedat Judex toleratus, concedo, quando id non postulat, nego, & distincta pariter min. neg. conseq. Sic enim infertur ex cit. cap. *de except.* ubi in fine dicitur: *excommunicatus autem publicè, etsi hujusmodi exceptio non apponitur, nihilominus ex officio Judicis repellendus*, ubi nulla fit distinctio inter Judicem sæcularem, & Ecclesiasticum: unde si sit Judex vitandus, uterque comprehenditur. An autem Judex excommunicatus, licèt sit toleratus, si possit se subtrahere à judicio, & non se subtrahat, peccat solùm venialiter, vel mortaliter, eò quòd facultas concessa sit non in commodum ipsius, sed subditorum, non conveniunt Doctores: Cajetanus enim, Ledesma, Henriquez &c. censent, solùm esse peccatum veniale; alii verò, quos sequitur Lessius cap. 29. disp. 7. num. 59. censent esse mortale.

Objicies 2. Si sententia excommunicati tolerati non esset irrita, casu, quo aliquis excommunicatus in ista urbe se conferret ad aliam provinciam, ubi ejus censura sit ignota, fieretque Judex, vel si in loco suæ jurisdictionis pro denuntiato, vel publico Clerici percussore non haberetur, acta ejus ibi non essent irrita; sed hoc absurdum videtur: ergo &c. Confirmatur. Ille Judex reverà esset suspensus; ergo acta essent irrita. Resp. conc. maj. & nego minorem; quia in eo loco verè esset excommunicatus occultè, atque adeò ab Ecclesia censeretur toleratus; nam eadem incommoda sequerentur, si ejus acta essent irrita, quæ orirentur ex actis alterius, qui ubique occultus esset; cùm autem Ecclesia hanc facultatem concedit tolerato, id facit ad evitanda ea incommoda: exinde in ista urbe censendus ritè judicare. Hic autem graviùs peccaret, quàm alter, qui ubique esset toleratus; nam iste, cùm reverà sit suspensus, ex parte sua usurpat sibi potestatem, quam non habet, eamque contulit Ecclesia ex suppositione, quòd talis Judex nolit ab officio desistere, ne suboriantur in Republica inconvenientia, quæ intendit Ecclesia vitare. Ad Confirmationem conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia ob communem utilitatem tacitè saltem suspensionem hanc ad singulos actus ei relaxat Ecclesia, etsi si velit ipsum manere secundùm se suspensum, quod perinde est, ac dicere, quòd Ecclesia novam ei potestatem ad singulos actus extraordinariè tribuit supplendo defectum, qui ex parte ipsius erat, ne cum damno aliorum actus sit irritus.

Objicies 3. contra secundam: tyrannus ille peccavit invadendo principatum, & illam authoritatem sibi usurpando, ac proinde peccat eam potestatem exercendo; sed non possunt non esse irrita acta illius, qui non potest eam aliter facere, nisi peccando; ergo. Resp. conc. maj. & nego min. quia peccatum judicando commissum non est novum, sed est quædam antiqui continuatio; nam per hoc non fit nova injuria, sed continuatur prior. Quamobrem totum ejus peccatum in eo consistit, quòd nolit relinquere Regnum, quod tyrannicè

nicè uſurpat, atque ex ſuppoſitione in nolendo relinquere principatum, non advertit novum peccatum in judicando: imò potiùs peccaret, ſi in hac hypotheſi, quando res poſtulat, jus non diceret, retento principatu; quia magis civibus noceret, & majorem injuriam irrogaret: ad eum modum, quo, qui rem alienam detinet, & eâ utitur, peccat utendo; tamen ſi iſte uſus eſt rei utilis, vel neceſſarius, non addit novam malitiam ſuper rei retentionem, & non utendo magis peccaret. Quare ſubditi non poſſunt ſine peccato ab eo jus petere, ſi ipſe vellet relinquere principatum, & deſiſtere ab injuria, quam Reipublicæ irrogat uſurpatione Principatûs: bene verò pro caſu, pro quo nolit principatum relinquere; quia ex ſuppoſitione talis peccati non poſſunt aliter impediri Reipublicæ incommoda, ut conſtat ex dictis.

909. Objicies 4. Si eſſet valida ſententia tyranni, peccaret peccatô homicidii, ac teneretur ad reſtitutionem, ſi reos ſecundùm ordinem juris interficeret, aut bonis exſpoliaret; atqui ea obligatio ad reſtitutionem clarè denotat acta illius eſſe irrita; ergo. Reſpondeo nego maj. quia Reſpublica tacitò ad hoc tribuit illi authoritatem, dum conſentit, & cupit, ut ita faciat propter utilitatem boni cõmunis: unde ſolùm peccat in eo caſu, quatenus in eo ſe gerit ut Princeps continuans authoritatem ante aſſumptam; tyrannus autem non excludit eam authoritatem, quam Reſpublica ei ad talia acta concedit, ſiquidẽ nihil impedit eum uti omni ſua authoritate, quam habet acceptã à Republica. Igitur cùm ex ea authoritate judicet, revera agit authoritate publica, ac proinde non eſt homicida, nec tenetur ad reſtitutionem.

910. Hæc autem eſt ratio, quare valida ſemper, & rata habita ſint in caſu, de quo agimus, acta Principis intruſi, & legitimum ejicientis, quod nempe in omnibus ferè orbis nationibus quandoque contingit. Sic Scotia Regno ejecit complures ſuos Reges, aliosque loco ipſorum ſubſtituit, quibus poſtea ſubditi, qui re jam facta voluêre obedientiam præſtitêre, ut refert Roſſeus *de rebus, & moribus Scotorum*. Pariter in Hiſpania ejecto Petro, cognomento Crudeli, ſuffectus fuit Henricus, ut habet Mariana lib. 27. cap. 8. *de rebus Hiſpan.*. Sic etiam in Francia Childerico è Regno dejecto Pipinus Rex creatus fuit; tum etiam in Luſitania relegato Rege regnante, & vivente in Gubernatorem Regni ſubſtitutus fuit frater ipſius, qui modò in Luſitania regnat. Subditi autem in his omnibus caſibus ad recipienda acta valida regnantium non curârunt, an juſtè, an injuſtè id factum fuerit, ſed attendendo ad inconvenientia contra bonum commune, ſi jus non diceret ille, qui erat Rex defacto, nec expellebatur à Republica, ipſo naturæ lumine cenſebant licitum eſſe jus petere.

911. Objicies 3. contra tertiam: licitum eſt in- directè occidere innocentem, ut cùm in oppugnatione urbis dirigitur tormentum in locum, ubi multi ſunt innocentes; atqui cùm Judex condemnat illum, quem humanâ ſcientiâ novit innocentem, ſed in judicio reum cognovit ex teſtimoniis, & teſtibus contra illum adductis, occidit tantùm indirectè innocentem, cùm non intendat illum occidere, ſed procurare bonum publicum ſervando legum præſcriptum; ergo. Confirmatur 1. Div. Thomas 2. 2. quæſt. 67. art. 2. expreſsè docet, Judicem in hoc caſu teneri condemnare hominem ex delicto juridico, & cognito per teſtes in judicio adductos, eò quòd non judicet ut perſona privata, ſed publica, proindeque non debet ſequi privatam, ſed publicã ſcientiam; ergo &c. Contrà 2. Judex in hoc caſu intendit ſervare ordinem judiciorum, & bonum publicum, cui per accidens conjuncta eſt occiſio innocentis: ſicut qui causâ defenſionis ſuæ occidit alterum, intendit conſervationem ſui, cui per accidens, & indirectè conjungitur occiſio invaſoris; ergo &c.

Reſpondeo conc. maj. & nego min. Ratio eſt; quia illi, qui urbem oppugnant, jus habent dirigendi tormenta in quamvis partem urbis, quæ eis viſa fuerit, quo jure non poſſunt privari per hoc, quòd aliqui innocentes ibi conſtituantur: unde non directè tendit ad occiſionem innocentis, ſed tantùm indirectè. At, qui condemnat innocentem, non intendit aliquem actum diſtinctum ab occiſione innocentis, cui per accidens ſit conjuncta occiſio; ſed directè intendit ipſammet occiſionem, quæ reverâ mala eſt, cùm innocentis directa occiſio ſit à DEO prohibita Judici. Sic conjunx, qui humanâ ſcientiâ cognoſceret hanc mulierem non eſſe ſuam, non poteſt ſine peccato ad illam accedere, licèt per plures teſtes probaretur in judicio illam eſſe ſuam. 912.

Ad primam Confirmationem nego conſequentiam; quia ex authoritate Div. Thom. licèt probaretur, contrariam ſententiam eſſe probabilem; at ex noſtris argumentis videtur inferri, eſſe noſtrã magis probabilem, & in caſu de Judice non licet minùs probabilem ſequi, ut conſtat ex Innocentio XI. cit. num. 898. Ad ſecundam Confirmationem nego antecedens; quia in caſu noſtro occiſio innocentis non quidem per accidens, ſed per ſe intenditur, cùm intendat occiſionem illius, qui in judicio probatus eſt nocens: & quidem non video, quomodo quis poſſit imaginari Judicem, qui Petrum ad mortem condemnat, & jubet interfici, & non intendat directè, ſed tantùm per accidens Petri occiſionem; non enim refert, quòd invitus, & nolens id faciat; nam omnibus penſatis vult, & facit. Neque exemplum ab Adverſariis adductum venit ad rem: nam qui juſtè ſe ipſum defendit, ſi aliter non poſſit ſe expedire, intendit læſionem alterius gravem tanquam medium neceſſarium ad ſui conſervationem: unde ſi Judex 913.

hoc modo non intendat mortem, & mutilationem innocentis, non est dicendus, eam solùm per accidens, & indirectè intendere.

914. Objicies 6. Si assertio nostra sustineatur, facilè poterunt Judices corrumpi, ut dicant, se certò scire reum esse innocentem; sed hoc cederet ad magnum Reipublicæ detrimentum; ergo ex hoc capite falsa est conclusio. Confirmatur 1. ex Ambrosio vers. 28. in Psalmum 118. ubi ait: *bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit; sed juxta leges pronuntiat suas sententias; statutis juris obtemperat; non indulget propriæ voluntati; nil paratum, & meditatum domo defert; sed sicut audit, ita judicat, & sic ut se habent negotia naturæ, decernit; obsequitur legibus, non adversatur; examinat merita causæ, non mutat;* ergo &c. Confirmatur ex Deuteronom. cap. 17. *in ore duorum, aut trium peribit, qui interficietur.* Item Matth. 18. ergo tenetur Judex judicare juxta testimonium eorum testium. Confirmatur 3. Judex non judicat ut persona privata, sed ut publica; ergo tenetur sequi scientiam publicam, non privatam.

915. Respondeo nego maj. quia rarò, vel nunquam accidet, ut Judices velint subire magnum illud discrimen, cui se exponerent, si liberarent verè criminosum, qui talis probatus est in judicio; non enim possent facilè substruere tam apertum mendacium, quod honorem accusatoris, aut testium tantopere oblineret. Si aliquando autem id contingeret, non esset tanti momenti, ut ad illud vitandum damnandi essent innocentes; multò enim pejus est unum innocentem damnari, quàm plures innocentes absolvi: quin potiùs Judex inferior non potest ex privata scientia absolvere, vel damnare, sed teneretur non damnare. Unde poterit illum detinere in carcere, donec habeat oportunitatem emittendi, vel remittendi ad Superiorem cum testimonio de innocentia ipsius, quo evitentur populi scandala: quin potiùs, si Judex esset supremus, posset jurejurando affirmare Rei innocentiam, quod juramentum populus teneretur approbare, quòd omnino cessarent scandala propter hominis illius libertatem.

916. Ad primam Confirmationem conc. ant. & nego consequentiam; quia illud testimonium eò tendit, ut Judex nihil faciat ex arbitrio suo contra veritatem, sed ad investigandam veritatem teneatur stare præceptis in judicio, quibus profectò stare non tenetur, si ea talia sint, ut certò tendant contra veritatem; quo in casu non faceret ex arbitrio suo, sed ex amore veritatis, ejusque obligatione, à qua ex officio suo non eximitur. Ad secundam Confirmationem nego conseq. quia in illis testimoniis Scripturæ non dicitur, quòd duo, vel tres testes possint falsum testificari; cùm hoc facilè contingere possit; sed significatur, quòd Judex ad judicandum teneatur inquirere veritatem, ad quam, ut licitè judicet, satis ipsi non est unus testis, sed requiruntur duo, vel plures. Ad tertiam Confirmationem distinguo secundam partem antecedentis, sed ut publica cum obligatione agendi secundùm veritatem, conc. contra veritatem, nego ant. & conseq. licèt enim, quando Judex ignorans veritatem eam inquirit per testes, iis adhibitis sententiâ proferat, non ut persona privata, sed publica; sententiâ tamen profert ex animo se conformandi cum veritate, quam quidè conformationè habere non posset, si declararet nocentem, quem certò scit esse innocentem.

Objicies 7. Cap. *pastoralis, §. quia verò de* 917
offic. & potestate Judicis delegat. Innocentius III. ita ait: *attendentes, quòd non cognitio, sed executio tantùm demandatur eidem, respondemus, quòd cùm Ordinarius teneatur objequi delegato, etsi sciat sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur eandem*; ergo &c. Respondeo nego consequentiam; quia Pontifex in eo statu loquitur in casu, quo Executor non sit Judex, & litigator potens cedere jure suo non appellando ad Superiorem, vel non cedere appellando, casu, quo litigator non appellet, censebitur cedere jure suo: quo in casu ille, qui est merè Executor, tenetur exequi hanc sententiam delegati; quia in hoc casu jam non censetur irrita, & nulla. Quòd si Executor certò sciat, sententiam esse nullam, ut si esset lata falsa literarum authoritate, vel per falsa instrumenta, vel per dolum Adversarii, tunc deberet supersedere executioni, ut exponit ibi glossa, quæ expositio favet nostræ sententiæ. Quin potiùs Pontifex ibi non agit de supplicio capitis, vel mutilationis; sed de causis Ecclesiasticis, quæ subsunt Ecclesiasticæ jurisdictioni, ut de privatione beneficii &c. mors autem, & vita innocentis illi non subsunt. Unde est valde dispar ratio.

Objicies 8. præsertim contra illationes: 918
Supremus Princeps potest dispensare in illo jure, quo statuitur, ut ex allegatis, & probatis sententia feratur, cùm non sit naturale; sed positivum: ergo saltem supremus Judex sine testibus poterit condemnare, quem scit esse nocentem. Confirmatur. Non minùs credendum est supremo Principi, quàm duobus, vel tribus testibus; ergo ex scientia privata supremi Principis potest quis legitimè in 92
judicio condemnari. Respondeo dist. antec. potest &c. in aliquo casu rarissimo, pro quo ita prudenter facultas ipsi censetur concessa à Republica, omitto, regulariter loquendo, nego antec. & conseq. Ratio est, quia quòd sententia feratur ex publicis probationibus, non est merè juris positivi, in quo Princeps possit dispensare, sed est juris negativi, quod apud omnes est receptum, & sub cujus onere, & obligatione Respublica censetur suam potestatem in Principem transtulisse ad ea, quæ regulariter contingunt. Unde si Princeps aliter se haberet, eo ipso declinare videretur in

in tyrannidem; unde quod solus Princeps vidit, adhuc censetur occultum in regularibus judiciis humanis, ideóque si Judex de eo crimine rogaretur, nondum tenebitur fateri, ut infrà dicemus. Quare in his casibus regularibus non sufficit sola notitia Principis ad condemnandum Reum. Ad Confirmationem dist. ant. quam duobus, vel tribus testibus, ut vim habeant contra jus gentium neg. ut vim habeant in illis, quæ sunt de jure purè positivo, conc. ant. & nego consequentiam, ut constat ex dictis: etenim de jure gentium est, ut accusato non tollatur justa sui defensio, & quòd possit justè se defendere, quamdiu crimen non est probatum, & maximè si probari non possit modo, quo à jure gentium intenditur: cùm autem ab ipso intendatur probatio, saltem per duos testes, exinde satis non est in casibus regularibus, de quibus agimus, sola notitia privata Principis.

919. Dixi sæpe: *in casibus regularibus*; quia jus illud gentium, quod residet penes Rempublicam, & quod Respublica noluit transferre regulariter in Principem, neque voluit cedere juri suo, Principem constituendo, plures censent voluisse Rempublicam cedere jure illo, illudque transferre in Principem pro aliquo casu extraordinario, & atroci, in quo valde expediat authorem puniri, & tamen non conveniat rem vulgari ob infamiam conjunctam: ut si aliquis vim Reginæ, vel filiæ Regis intulerit; tali enim casu censent plures, Rempublicam consentire, ut notitia privata Principis supremi ad condemnandum reum æquivaleat notitiæ, quæ ex jure gentium habenda esset ex duobus, vel tribus testibus: sic enim in aliquibus Regionibus ita jure suo cesserunt subditi, ut à Superioribus suis puniri possint etiam ex privata scientia, saltem pœnis modicis, cur non idem fieri possit in Republica, & hoc absolutū jus suo Principi concedere etiam in magnis, saltem pro casibus, de quibus agimus.

SECTIO III.

De Accusatore, & Teste.

920. SUppono 1. accusationem ita definiri *alicujus criminis apud Judicem competentem ad vindictam publicam legitimè facta delatio.* Ut autem legitima sit, plures conditiones observandæ sunt, 1. ut fiat libellus scripto, quamvis hodierna consuetudo petat solùm verbalem accusationem coram Notario factam, qui eam in scriptū redigat. 2. ut exprimatur dies, & annus oblati libelli, nomen accusatoris, & accusati, nomen Judicis, species delicti, super quo intentio accusatoris fundatur: locus, & tempus delicti commissi, sive mensis, & annus, ut de competentia Judicis, & accusatoris, aut incertitudine aliqua possit postea fieri exceptio. 3. ut fiat subscriptio accusantis, qua se inscribat ad pœnam talis criminis, sive similem, si non probavit accusationem, & promittat se eam prosecuturum usque ad finem, quamvis hodie in ista conditione aliqua sit mutatio, saltem si procedatur per modum simplicis querelæ: in Jure autem Civili inscriptio accusantis petitur ex L. *libellorum* ff. *de accusationib.* ubi omnes istæ conditiones ponuntur, & deinde adjungitur: *Quòd si libelli inscriptionum legitimè ordinatæ non fuerint, Rei nomen aboletur, & ex integro repetendi reum potestas fiet:* quibus verbis significatur, hæc ita pertinere ad formam accusationis, ut si omissa fuerit, totus processus sit irritus, & accusator damnandus sit in expensas, quamvis rursus jus habeat de novo suam accusationem instituendi. Quamquàm in L. *libellorum* significatur, non teneri accusatorem in libello exprimere diem commissi delicti, sed solum mensem, communis tamen sententia Juristarum docet, quòd si Reus petat exprimi diem, & horam delicti, ut probet se eo die fuisse absentem, cogendum esse accusatorem, ut exprimat. Cæterùm de his vide plura apud Juristas.

Suppono 2. Quandocunque crimen est probabile, in judicio non teneri ex justitia accusatorem præmittere secretam admonitionem, ut reus satisfaciat, vel desistat, sed posse absque injuria legitimam accusationem instituere. Ratio est, quia tunc propter bonum publicum concessa est accusatio, vel denuntiatio, ut in exemplum aliorum crimina puniantur, sicque omnes absterreantur. Unde reus non potest queri de injuria sibi facta, eò quòd antea monitus non fuerat. In hoc enim distinguitur hæc juridica accusatio à denuntiatione Evangelica, quòd ista non instituitur ad punitionem, sive ad exemplum publicum, sed in Rei emendationem. Unde si admonitione privata censetur reus emendandus, non manet jus ad denuntiationem Evangelicam, si alioquin reus jure suo non cesserit. Nihilominus adhuc in accusatione juridica contingere potest, ut aliquis priusquam accuset, vel denuntiet, teneatur lege charitatis proximum monere, ut desistat à crimine, ut si occultum delictum sit, & speretur privatis monitionibus esse emendandus, & ad debitam satisfactionem inducendus, maximè si persona habeatur honesta, vel casu, quo crimen non sit contra bonum publicum; nam in hoc casu charitas saltem ordinariè postularet monitionem secretam. His positis 921.

Assero 1. Non tantùm ad suam tuitionem & injuriam persequendam, sed etiam ad vindictam publicam potest quilibet accusare, nisi specialiter, & expressè inveniatur hoc ipsi in jure prohibitum. Probatur. Licitum est unicuique, si non sit contra ipsum specialis exceptio, aut prohibitio intendere bonum publicum, aut communitatis modo à 922.

justis legibus præscripto, & quia legibus suprà citatis unicuique hoc permissum est cum conditionibus suprà expositis bonũ vel suũ, vel publicum, aut communitatis intendere in judicio, & contra reum agere, illumque accusare, nisi accusandi munus alicui sit specialiter prohibitum; ergo &c. Confirmatur. Non solùm pertinet ad potestatem publicam in judicio procurare vindictam publicam criminis ad pœnam corporalem, vel pecuniariam Fisco publico applicandam; sed etiam spectat privatam injuriam vindicare, & statuere pœnam parti læsæ applicandam; ergo pars læsa, si aliunde ipsi non sit prohibitum, potest juxta leges accusationem instituere, ac proinde quicunque potest agere partes personæ læsæ, & consequenter etiam obire munus accusatoris.

923. Cæterùm cùm plures circa rem præsentem reperiantur expressiones in jure, maximè attendendum est, quid, & quibus prohibitum sit accusare. Atque inprimis Clerici prohibentur criminaliter accusare ad vindictam publicam laicos, non tantùm ob irregularitatis periculum, si accusatus puniatur pœnâ sanguinis; sed etiam quia reverentia statûs exigit, his otiosis litigiis, & minùs laudabilibus accusationibus Clericos se non immiscere; si tamen Clericus accusando suam, suorumque, vel Ecclesiæ injuriam persequatur, nullum periculum subit irregularitatis incurrendæ, etiamsi accusatus pœnâ sanguinis puniatur, modò Clericus accusans protestatus fuerit, quòd hìc, & nunc non velit agere ad vindictam publicam, sed ad suum tantùm, vel suorum, & Ecclesiæ interesse.

924. Secundò prohibentur laici accusare Clericos de crimine ad vindictam publicam, cap. *cùm*, §. 10 *de accusat.* tum propter reverentiam, quam laici Clericis habent, tum quòd sæpiùs præsumi possit, provenire talis accusatio ex odio, quo laici in Clericos feruntur. Tertiò ob defectum ætatis prohibentur pupilli. Quartò ob sexûs verecundiam, & fragilitatem prohibentur fœminæ in Jure Canonico. Quintò in utroque Jure prohibentur infames infamiâ juris; & in Canonico saltem infames infamiâ facti. Sextò repelli quoque potest ab accusando excommunicatus excommunicatione majori. Septimò liberi contra parentes, & liberi contra suos patronos ob reverentiam, quam illis debent. Octavò non admittuntur contra Christianos ad accusandum Pagani, & Gentiles, nec Hæretici contra Catholicos, nec accusati criminaliter ad reaccusandum suum accusatorem pendente accusatione; item inimicitia, quam quis habet cum altero, si gravis est, ab accusando ordinariè repellit non tantùm inimicum, sed etiam ejus familiares, cap. *meminimus* 13. tit. *de accusat.*

925. Assero 2. In causa criminali ante litem inchoatam licitum esse desistere per gratiam, quando non teneris accusare, vel denuntiare; at post litem inchoatam non est licitum sine Judicis auctoritate, neque etiam sine consensu Rei, si fuit subjectus tormentis, vel accusatione infamatus. Probatur. Nam si accusator aliter desistit, incurrit pœnam Sacri Codicis Turpilliani, quo (siquidem erat crimen publicum, quod accusaverat) punitur infamiâ, & quinque libris auri, ut patet L. 1. Cod. *ad S.C. Turpillianum.* Si verò crimen erat privatum, punitur pœnâ extraordinariâ arbitriò Judicis, L. *si quis*, ff. eod. Crimen publicum illud dicitur, cujus accusatio cuilibet concessa est; quia ad publicam utilitatem maximè pertinet illum puniri. Tale est primò omne id, quod directè fit contra DEUM, vel res divinas, ut hæresis, blasphemia, eversio Templorum, & Imaginum; tale namque crimen in omnium injuriam fieri censetur, & colligitur ex L. 4. Cod. *de Hæreticis.* Secundò est publicum, quod fit contra majestatem Principis, vel Reipublicæ, ut omnia crimina læsæ Majestatis. Tertiò est publicum, quodcunque lege statuitur, ut publicum censeatur, ut crimen homicidii, parricidii, adulterii, peculatûs, falsi, vis publicæ, vel privatæ, ambitûs, annonæ, ut habetur L. ff. *de pub. Judic.*

Privatum crimen dicitur illud, cujus accusatio solùm concessa est ei, qui injuriam, vel damnum passus est, ut crimen furti, injuriarum, stellionatûs, ut patet ex L. *si quis* ff. *ad ad S.C. Turpil.* & L. fin. ff. *de priv. judic.* Quòd si accusator deprehenderit se errâsse, cùm putavit, hunc esse authorem criminis, certè desistere tenebitur, sive crimen sit occultum, sive publicum; quia id exigit non solùm charitas, sed etiam justitia. Si autem causa incipit esse dubia, & post diligentem inquisitionem dubium maneat, & videat se probare non posse, tenetur etiam desistere; nam tunc pergere in accusatione esset calumniari. Potest etiam accusator desistere, si Judices nolint admittere accusationem, vel rescindant admissam: hoc autem Judex facere potest primò, si videat libellum habere aliquem defectum substantialem. Secundò, si accusator sit aliqua persona bono publico valde conducibilis, & necessaria, aut quæ non potest sine magna Reipublicæ perturbatione puniri; tunc enim supremus Judex, seu Princeps potest accusationem inchoatam abolere; quia in illis circumstantiis hoc dictat faciendum bonum commune, quod Princeps intendere debet.

Assero 3. Quando per testes veritas inquiritur in causis criminalibus, requiruntur, & sufficiunt duo testes legitimi fide digni, & omni exceptione majores. Probatur facilè, quia ex L. *ubi numerus*, ff. *de testibus*, & c. *licèt universis de testib.* & cap. *de testament.* ita infert communis sensus Theologorum, & Juristarum; in his autem à communi sensu recedere in legum intelligentia non licet; ergo ut duo testes plenè probent, requiritur, primò,

primò, ut deponant jurati; ſic Honorius III. cap. *nuper de teſtibus*, ait: *Nullius teſtimonio, licèt Religioſus exiſtat, niſi juratus depoſuerit, in alterius præjudicium debet credi.* Requiritur ſecundò, ut de eodem facto teſtentur; quia alioquin non erunt conteſtes, ſed teſtes ſingulares, quorum alter alterius dictum non confirmat, ſed uterque ſuum tantùm, & ſic erit tantùm probatio per unum teſtem. Nihilominus plures Juriſtæ, quos ſequitur Gomez cap. 12. cenſent, quòd ſi unus teſtis deponat de una hæreſi, & alius de alia, delictum in genere plenè probetur, eò quòd hæreſis continet multas ſpecies; & proinde ſi unus teſtis deponat de una, alius de alia, probatum erit plenè delictum in genere, quod ex ſpeciebus reſultat. Hoc autem negant plures cum Leſſio cap. 3. dub. 4. quia idem poteſt dici de furtis, aliisque delictis, quæ plenè probata non ſunt per teſtes ſingulares, & non conteſtes ejusdem delicti. Quidquid tamen de hoc ſit, ſaltem in hoc caſu erit plus quàm ſemiplena probatio; nam ad ſemiplenam ſatis eſt unus teſtis: alter verò teſtis, licèt conteſtis non ſit, affert novum indicium, ſeu ſuſpicionem, quod ſufficit ad conſtituendam probationem majorem ſemiplenâ.

928. Teſtes autem minùs idonei vocantur in cauſis criminalibus mulier, minor 20. annis, inimicus accuſati, aſcendentes, & deſcendentes accuſatoris, & collaterales usque ad quartum gradum, domeſtici, infames, ſaltem infamiâ juris, perjurus, qui in aliqua cauſa falſum cum juramento depoſuit; ſocius criminis, & perſona inops, & vilis, de qua ſuſpicio eſt, facilè poſſe pecuniâ corrumpi; ſecus ſi ſit honeſta. Teſtes minùs idonei admitti ſolent tanquam idonei, quando delictum eſt commiſſum eo loco, vel tempore, ubi copia teſtium haberi nequit, ut in campo, ſylva, cubiculo, monte, vel nocturno tempore, ut patet cap. *fin. de teſtib.* Item ſi alter teſtium ſit valde dignus fide, poteſt ſupplere defectum, qui in altero minùs requiritur, ita ut ſimul efficiat plenam probationem, ut docent plures cum Baldo in L. *ſi quis ex argento*, §. 1. ff. *de edendo.*

929. Aſſero 4. Subditus tenetur denuntiare, & teſtari poſito præcepto Superioris, ſi procedatur viâ accuſationis, ut delictum plenè probari poſſit, aut de authore delicti eſt ſemiplenè probatum, imò absque præcepto Superioris tenetur ſaltem ex charitate, ſi grave damnum impediat Reipublicæ, quod aliter vitari non poteſt. Probatur; quia L. *inviti* 8. ff. *de teſtibus* dicitur, quinam non poſſint compelli ad teſtandum inviti; unde à contrario ſenſu intelligitur, cæteros poſſe invitos compelli, inter quos ſunt caſus in aſſertione noſtra aſſignati, quando Superior præcipit, vel quando absque præcepto id exigeret bonum publicum, vel damnum vitandum contra bonum publicum, quod alia ratione fieri non poſſet, niſi per ſententiam Judicis; ergo &c. Quando autem caſus ſunt excepti, vel ex jure poſitivo, vel naturali, teſtari non licet. Quare non teneris, neque potes, ſi crimen nôſti ex Confeſſione Sacramentali, quod plures extendunt cum Cardinali, Navarro, & Leſſio ad crimen, quod tibi ſub ſecreto patefactum eſt conſilii, vel auxilii petendi causâ, ad ſalutem animæ, vel corporis miſeri delinquentis; ut ſi ſis Medicus, Advocatus, obſtetrix. Excipe tamen caſus hæreſis, aliosque ſimiles, in quibus denuntiatio, vel teſtificatio eſt neceſſaria ad damnum aliquod publicum, vel privatum vitandum; tunc enim ſecretum non tenet, & obligaris teſtificari; quando ad id vocaris in judicio competenti. Quòd autem teſtis non teneatur ad reſtitutionem, ſi nolit teſtari, vel ſi veritatem occultet, ſentiunt plures cum Molina diſp. 83. eò quòd nolendo teſtificari non peccaverit contra juſtitiam, ſed contra obedientiam, quæ ad reſtitutionem non obligat. Imò Leſſius cap. 8. num. 60. hoc probabile cenſet, etiamſi quis juraverit, ſe dicturum veritatem; quia licèt tunc occultando veritatem peccet contra religionem, & obedientiam, tamen non peccabit contra juſtitiam.

SECTIO IV.

Solvuntur Oppoſita.

OBjicies 1. contra primam aſſertionem: ſi accuſatio inſtituenda eſſet juxta præſcriptum legum, eo ipſo eſſet nulla, & non poſſet ex illa fieri plena probatio, ſi aliquid deficeret, vel non impleretur ex his, quæ leges præſcribunt, v. g. ſi exigente accuſato non apponeretur in libello dies, & hora commiſſi delicti, vel ſi ſemel apponantur, & non plenè probentur; ſed hoc eſt contra ipſum jus, ut conſtat ex L. *libellus*, ubi dicitur: *Nec diem, nec horam invitus comprehendet.* Id eſt, ſatis eſt, quòd in libello apponatur menſis, nec cogatur accuſator ad apponendam diem, aut horam; ergo &c. 930. Reſpondeo omitto maj. & nego min. quia ex ea lege ſolùm infertur, non eſſe per ſe neceſſarium, ut apponatur dies, & hora, ſicut eſt neceſſarius, ut apponatur menſis: ex ea tamen lege non infertur, id non eſſe neceſſarium, ſi reus velit; nam hoc negare reo petenti, eſſet defenſionem illi intercludere, cùm non aliter probare poſſit, ſe non feciſſe, niſi oſtendendo eo tempore ſe non potuiſſe facere, eò quòd tunc ægrotaret, vel alibi eſſet. Caſu autem, quo appositi fuerint in libello dies, & hora, & non poſſit probare illo tempore eſſe commiſſum delictum, ſed alio, cenſent communiter Doctores, non poſſe ſequi condemnationem; quia non eſt probatum id, quod eſt poſitum in libello.

Cæterùm adhuc in eo caſu cenſent alii, 931. quos ſequitur Leſſius, quòd ſi ſubſtantia delicti reve-

reverâ probata sit per testes omni exceptione majores, videlicet si probatū sit sacrilegium, vel furtū talis rei esse à te verè comissum, sequi posse condemnationem; quia hæc non imponitur propter horam, & diem, sed propter commissum delictum, quod verè probatum est. Quamobrem tunc ob defectum probationis in die, & hora non poterit sequi condemnatio, quando probatio ista requirebatur ad ponendam substantiam delicti, & crimen à te reverâ fuit commissum. Sæpe etiam ratio delicti pendet ex circumstantia loci, vel temporis, ut quando quæritur, an aliquis loco, vel tempore prohibito piscatus, vel venatus fuerit? tunc enim locus, & tempus earenus debent exprimi, & probari in progressu, quatenus ad delicti substantiam opus est; quin impediat defectus probationis circumstantiæ non mutantis probationem quoad substantiam delicti. Accedit quòd in libellis apponi solet clausula, quia accusator testatur, se nolle obligari, nisi ad probandum id, quod est necessarium, & principale.

932. Objicies 2. contra secundam: si non posset absque Judicis authoritate accusator desistere post litis contestationem in criminalibus, neque desistere posset in civilibus; sed hoc fallum est, & contra praxim; ergo &c. Respondeo dist. majorem, non posset in causis civilibus, si actio esset famosa in detrimentum alterius, qualis censetur actio furti, conc. si cessio in nullius cedat detrimentum, nego maj. & dist. pariter min. nego consequentiam. Ratio est, quia in causis civilibus sæpe contingit, ut in desistendo nullum jus communitatis, aut alterius particularis violetur, cùm nullum detrimentum exinde oriatur contra bonum publicum, aut contra bonum privatum, & tunc potest accusator desistere, & transigere; in causis verò criminalibus detrimentum sequeretur, saltem contra Rempublicam, si accusator pro sua privata voluntate desisteret. Unde in his opus est authoritate Judicis ad desistendum non minùs, quàm in actionibus famosis, quæ sæpe interveniunt in causis civilibus. Vide plura circa hujusmodi transactiones, L. *transigere*, Cod. *de transaction.*

933. Objicies 3. contra tertiam: sæpe judicium profertur ex testimonio unius solius, qui simul est testis, & accusator; ergo non requiruntur duo testes. Probatur antec. qui furatur fructus ex hortis, vel ligna è sylvis, puniri solet ex solius custodis testimonio. Resp. dist. ant. si audito testimonio illius reus fatetur delictum, vel consentiat condemnationi, conc. si neget delictum, nego ant. ad probat. dist. eodem modo ant. & nego consequentiam. Ratio est, quia quando ex testimonio custodis aliquis condemnatur, exinde fit, quia non negat delictum, vel quia consentit condemnationi, attendendo ad bonum commune; si tamen negaret, non satis esset custodis testimonium ad condemnationem, quæ esset de re gravi, vel quæ infamiam afferret. Unde hoc testimonium custodis sufficeret ad inquisitionem, & ad quærenda alia indicia. Addunt aliqui, ad levem aliquam castigationem, quæ sit absque infamia, posse interdum sufficere unum testem, qui simul sit accusator, ut solet fieri in Scholis inter Studiosos; ad gravem autem pœnam, cui conjuncta sit infamia, requiruntur duo testes præter id, quod supplet vicem accusatoris.

Objicies 4. contra quartam assertionem: si tenereris justificari ex præcepto Superioris, quando delictum est semiplenè probatum, & procedit viâ accusationis, etiam tenereris, quando proceditur viâ inquisitionis contra illum, qui nec infamiâ laborat, nec ab eo timetur damnum in futurum, & crimem illius occultum est; sed talis obligatio in illis circumstantiis est contra communem Doctorum; ergo &c. Probatur maj. quia in utroque casu æquè constringeris Superioris præcepto; ergo vel in utroque obligaris, vel in neutro. Respondeo nego maj. ad probat. neg. ant. quia in primo casu nostræ assertionis Judex legitimus potest obligare sub culpa, in secundo autem casu non potest obligare sub culpa: unde in foro interno non teneris ad manifestationem delicti, & hoc est, quod docet communis sententia Doctorum, quam magis explicabo sect. sequenti. Nihilominus censent aliqui, hujusmodi accusationem non esse contra justitiam, si denunties, aut testeris, modò crimen non sit adeò occultum, quin aliquo modo probari possit.

Quando verò procederetur viâ accusationis, si testis videt rem probari non posse, eò quòd ipse solus accusator sciat, non tenetur testari, quia accusator non obligatur tunc accusare, nisi fortè id necessarium sit ad malum impediendum. Quod idem dicunt alii, si cognoveris delictum ab his, qui fide non sunt digni; tunc enim testari neque debes, neque potes; nam illa notitia perinde se habet, ac si nescires. Pariter non teneris, si ex denuntiatione, vel testificatione aliquod notabile damnum tibi, vel tuis immineret: neque teneris testificari, quando Judex quærit, quis acceperit, si scias, accepisse aliquem ad justam compensationem, qui aliter non poterat solutionem obtinere; cùm in hoc casu nullum ille delictum commiserit, non est unde tenearis illum accusare, eò præcisè, quòd Judex inquirat.

SECTIO

SECTIO V.

De Reo, & Advocato.

936. SUppono 1. ex dictis num. 336. non posse reum sine injustitia manifestare crimen occultum accusatoris, quando ea manifestatio inutilis foret ad sui defensionem; posse tamen, si utilis esset. Ratio est, quia quisquis potest se ipsum tueri cum justo moderamine eorum armorum genere, quo oppugnatur, nec alter potest justè quæri de injuria, cùm sit invasor, & sponte huic periculo se opponat, hoc ipso, quòd testatur, vel accusat: circa quæ plura diximus ab eo num. citato: à reo exigere solet Judex juramentum de calumnia, quod juxta glos. in cap. 1. *de jurament. calum.* hæc omnia comprehendit. Primò jurare, se bonam causam tueri. Secundò se interrogatum à Judice veritatem non celaturum. Tertiò falsas probationes se scienter non adhibiturum, neque litem fraudulenter prorogaturum. Quartò se nihil promisisse, vel deinceps promissurum alicui causâ litis; nisi quod jura permittunt. Sed non opportet hæc omnia semper jurari, maximè quando exiguntur à reo in criminalibus, propter evidentem occasionem perjurii.

937. Suppono 2. Judicem legitimè interrogare reum, quando interrogat servato ordine juris; quòd si non interroget ordine juris servato, non interrogat juridicè, nec reus tunc tenetur crimè fateri, ut colligitur ex cap. *qualiter, & quando,* & cap. *cùm oportet,* & cap. *inquisitioni, de accus.* estque communis sententia, quam plures extendunt ad casum, in quo reus dubitat, an Judex juridicè interroget? tunc autem non interrogat juridicè, quando de crimine occulto interrogat, de quo non est fama contra reum, neque juridica competentia, neque probatio semiplena; nam quando delictum est ita occultum, vel incertum, ut ipse reus possit se probabiliter tueri, & depellere objecta, esset contra omnem rationem, & contra jus naturæ, ut ei imponeretur obligatio in foro conscientiæ ad illud in suam perniciem pandendum; & certè illud præceptum esset nimis durum, & minùs consentaneum conditioni hominum, cùm vel nemo, vel paucissimi illud essent servaturi. Præterea nemo spoliandus est armis, quibus videtur se, suaque tueri: unde Judex tenetur aperire reo statum causæ, probationes, judicia, & testes, ut videat juridicè contra se procedi, & ut possit exponere, vel excipere, si aliquid contrà habeat. Unde præcipua controversia præsens est, an si Judex juridicè procedat, idque reo satis constet, teneatur reus in foro conscientiæ ad manifestationem sui delicti?

938. Triplex est Doctorum sententia. Prima docet, neque tunc reum teneri suum crimen fateri, si inde pœnâ temporali plectendus foret, secus verò, si pœna spirituali, ut excommunicatione; ita Panormitanus, Sylvest. Angelus &c. Secunda sententia docet, tunc teneri reum veritatem fateri, etiamsi capite plectendus esset. Ita plures Theologi, & Juristæ cum Div. Thoma, quos sequitur Thom. Sanchez lib. 6. consil. cap. 3. dub. 29. Tertia sententia docet, teneri reum, quando non est puniendus pœna capitali, vel triremium, aut alia simili; & non teneri fateri suum delictum, si pœna capitali, vel triremium &c. puniendus foret. Ita plures Theologi, quos citat, & sequitur Lugo Tom. 2. de justit. & & jur. disp. 40. sect. 1.

939. Assero cum tertia: licèt Judex juridicè interroget, si delictum tantùm sit semiplenè probatum, & reus puniendus esset pœna capitali, vel triremium, aut alia simili, non tenetur in conscientia fateri crimen suum. Probatur 1. Leges, & præcepta humana non obligant in hoc casu reum in conscientia ad fatendum suum crimen; ergo non tenetur illud fateri. Probatur ant. Leges, & humana præcepta non obligant cum periculo vitæ, aut alterius damni gravis, ut docet omnis Theologorum sententia in Tract. de leg. Talis namque obligatio ab humana lege positiva dimanans esset potiùs ad ruinam subditorum, quàm ad bonum communitatis; siquidem fragilitas humana non facilè obtemperaret iis legibus, imò rarus esset, qui in his circumstantiis illis obediret; atqui istæ ipsæ sunt circumstantiæ assertionis nostræ; ergo &c.

940. Probatur 2. Ille, qui scit, se moriturum, si die Veneris carnes non edat, non tenetur abstinere à carnibus, & qui scit die Dominica se certò occidendum ab inimico, si exeat domo, & accedat ad Ecclesiam ad audiendum Sacrum, non tenetur ire ad Sacrum audiendum; quod idem est de millenis aliis, in in quibus, ut omnes Theologi fatentur, non obligant præcepta Ecclesiastica. Sed hoc non ex alia ratione provenit, nisi quia leges, & præcepta humana non obligant cum tanto periculo vitæ, aut alterius damni; ergo neque obligatur reus à præcepto Judicis in casu nostræ assertionis ad veritatem dicendam.

941. Probatur 3. Nemo potest cogi ad testificandum contra sanguine junctum, ut patet ex L. 4. ff. *de testib.* atqui nemo est cuiquam magis sanguine junctus, quàm ipse sibi, nec potest esse majus damnum, quàm vitæ, aut alterius æqualis; ergo in casu, quo incurreret hoc damnum, non teneretur contra se fateri. Confirmatur 1. L. *nimis grave,* ff. *de testim.* dicitur, neminem teneri contra se exhibere id, per quod negotium sibi fiat; ergo &c. Confirmatur 2. Nimis durum est, ut reus cogatur Judici subministrare arma, quibus juguletur, cùm aliàs spes sit evasionis; unde licèt eo casu non possit ad Judicem respondere mentiendo, at per amphibologiam licitè potest Judici occultare veritatem, eludendo

dendo interrogationem, ut tradit Cardinalis disp. 19. cap. 7. exponendo 26tam, & 28vam ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. ergo &c.

942. Assero 2. Si sententia re ipsa est iniqua, ut quando innititur falsa præsumptione, aut falsis probationibus, quamvis secundùm ordinem juris sit lata, non obligat in conscientia, nisi id exigeret tunc bonum commune, quod bono privato prævaleat. Prob. 1. Quando sententia est contra istum finem, non obligat, licèt obliget, quando ex illa promoveatur finis justus legis; atqui licèt promoveatur finis justus legis, quando bonum commune prævalet privato, non tamen promovetur finis justus legis, quando sententia est iniqua, ex eo, quòd innitatur falsis præsumptionibus, aut falsis probationibus; ergo &c. Probatur min. Finis sententiæ, & legis est, ut cuique tribuatur, quod suum est, sed non tribuitur ex sententia innixa falsis præsumptionibus, aut falsis probationibus; ergo. Quamobrem ille, qui per talem sententiam privatus esset hæreditate, aut mulctatus pecuniâ, non tenetur in conscientia ad solutionem, nisi non parendo sententiæ majus malum, aut scandalum timeretur.

943. Probatur 2. Licèt ille, cui domus applicata est ex tali iniqua sententia, si sciat sententiam falsò fundamentò niti, non possit eam retinere; quia res illa non est sua, sed alterius. At si res illa pertineret specialiter ad Rempublicam, Principemque supremum, cui reservata esset distributio, vel collatio, tunc ratione boni communis prævalentis posset ille, cui collata fuit, rem illam retinere, nec tunc diceretur retinere rem alterius, E. G. si quis esset privatus officiò, vel beneficiò per sententiam secundùm probata, & allegata latam, & illud sibi à legitimo collatore esset collatum probabile est, te non teneri ad restitutionem, etiamsi scires, sententiam falsis probationibus niti, ut docet Innocentius in cap. *quia plerique de immunit. Ecclesiast.* Panormitanus in cap. 1. *de concess. præbend.* ubi glosa, & communiter Canonistæ, eò quòd Respublica, & Ecclesia eo casu privant reum absolutè beneficio, vel officio, & applicant ei, cui postea confertur; hoc enim facere possunt, cùm ita sint bona communia, in quibus multò majorem habent potestatem, quàm in fortunis privatorum, & alia subest causa justa sic faciendi, ne jurisdictiones sint incertæ, quæ res multò majoris est momenti, quàm ut nemo sine culpa jure suo privetur; tum quia si constiterit de Rei innocentia, facilè poterit ipsi alia ratione consuli, conferendo illi alterum beneficium, vel officium; imò quamdiu non constat, publicè fuisse innocentem, restitutio est impossibilis; nam beneficium non potest restitui, nisi per collatorem: collator autem nollet conferri, nisi illi, qui notus fuit publicè innocens, ad evitanda scandala in Republica, & ne maneat injusta alterius jurisdictio, in quibus bonum commune præponderat privato, quo modo certè non præponderat relatè ad bona fortunæ, unde licet in hoc casu ille, cui confertur beneficium, possit licitè illud, ejusque fructus percipere, non tamen posset, quando ageretur de bonis fortunæ. Sed hæc omnia continet assertio nostra, ut patet, ergo &c.

Assero 3. Reus damnatus ad mortis pœnam non solùm ante, sed etiam post condemnationem potest licitè fugere, etsi opus sit vincula rumpere, & carcerem perfringere. Probatur 1. Non potest reo præcipi cum obligatione in foro conscientiæ, ut cum tanto damno suo maneat in carcere; hoc enim præceptum esset nimis difficile, & superans humanam conditionem, ut constat ex dictis; ergo &c. Confirmatur ex Div. Thoma quæst. 68. art. 4. *Nemo potest condemnari ad aliquod faciendum, unde ei mors sequatur;* atqui si reus in casu, de quo agimus, maneret in carcere, aliquid ageret, unde ei mors sequatur; ergo &c.

Probatur 2. Ille, cui licitus est finis, licita sunt media, quæ jure naturæ non sunt prohibita; ergo cui esset licita fuga, licitum etiam esset ad eam se expeditum reddere, ejusque impedimentum removere, modo non illicito contra jus naturæ; sed non est jure naturæ illicitum vincula rumpere, & carcerem perfringere; ergo hoc non esset vim inferre potestati publicæ, quod esset contra jus naturæ: potestas enim publica non est in vinculis, & lapidibus, sed in Judice, & Ministris, quibus non licet vim inferre, quando condemnatio à Judice fuit lata; sed solùm est exercere vim contra vincula, & muros: sicut si quis objiceretur leoni devorandus, posset se pro viribus contra eum tueri; ergo &c. Confirmatur 2. Reus non tenetur in hoc casu manere in carcere, sed ad Judicem attinet, ut vi majori detineatur; ideo enim constringitur catenis, aliisque instrumentis, alioquin si vinculis stupeis constrictus esset, non posset ea licitè disrumpere; sed hoc dicere in casu nostro esset nimis durum, & incredibile; ergo &c.

Assero 4. Quando ex negligentia, vel imperitia Advocati, cliens causâ excidit, quod inde ipsi obvenit, tum etiam quando tuetur causam, quam advertit esse iniquam, debet restituere omnia damna, quæ parti obveniunt, & etiam quæ obveniunt clienti suo, si eum bona fide procedentem non admonuit de causæ injustitia. Probatur facilè: quando ex negligentia, vel imperitia Advocati cliens justa causa cecidit, lædit jus illius; Advocatus enim ex officio suo, ac proinde ex pacto, vel quasi pacto justitiæ tenetur clienti suo pro conditione causæ diligentiam præstare, ut, si sit difficilis, vel magni momenti, tenetur magis laborare, quàm si sit facilis, vel parvi momen-

momenti. Similiter ex officio tenetur eſſe inſtructus convenienti peritia, cùm ſe gerat pro idoneo Advocato, & prout talis ſtipendia exigat. Unde ſi ex negligentia, vel imperitia ſua cliens juſtâ causâ excidat, reverâ Advocatus eſt cauſa per ſe juris læſi clientis. Pariter quando advertit, cauſam clientis eſſe iniquam, tenetur ex officio ſuo, ac proinde ex pacto, vel quaſi pacto illum admonere, ne in proceſſu litis majora detrimenta patiatur: quod ſi non faciat, manifeſtè lædit jus clientis: & conſequenter in caſu noſtræ aſſertionis manet obnoxius reſtitutioni; ergo &c. Ex dictis

947. Fit 1. Damnatum ad pœnâ carceris temporariâ, non poſſe fugere, ut communis ſententia tenet. Ratio eſt, quia hæc pœna non eſt ita gravis, quin reus, qui ob ſua crimina juſtè ad eam eſt damnatus, debeat eam ſponte ſubire; ſicut ſolvere mulctam pecuniariam, ire in exilium, ſervire ad tempus in hoſpitali, manere ad tempus concluſus intra monaſterium, & ſimilia. Fit 2. cum communi Doctorum: non poſſe nos juvare reum, effringendo exteriùs carceres, rumpendo vincula. Ratio eſt, quia ſolus reus ad id jus habet propter maximum incommodum, quod ſibi imminet; hoc autem incommodum non imminet nobis, alioquin nihil poſſet eſſe Judicibus ſatis firmum, & tutum ad cuſtodiam reorum: quod cederet in maximum Reipublicæ damnum.

948. Fit 3. Si Advocatus ita defendat clientem, cui intentatur actio criminalis, ut accuſator, non potuerit convincere, & ideo damnatus maneat ad pœnam talionis, non teneri Advocatū ad reſtitutionem illius damni, ut bene docent contra Navarrum Covaruv. in L. *ſi furioſus* p. 2. §. num. 5. & Salonis quæſt. 71. art. 3. controvers. 1. Ratio eſt, quia hoc damnum per accidens, & præter ipſius intentionem advenit accuſatori, cujus cauſam Advocatus non tenebatur juvare. Idem dicendum eſt de reo, ex cujus negatione ſequitur accuſatori pœna. Fit 4. Non ita poſſe excuſari Advocatum, ſi defendat cauſam dubiam, aut minùs probabilem, quam ſcit etiam reputari à Judicibus minùs probabilem. Ratio eſt, quia ſi ita ab ipſo reputatur cauſa, quam defendit, cauſam defender manifeſtè injuſtam, cùm Judex teneatur judicare ſecundùm ſententiam magis probabilem, ut conſtat ex Innocentio XI citato num. 898.

949. Aſſero 5. Quando in extrema pauperis neceſſitate nemo alius putatur patrocinium illi præſtaturus, quivis Advocatus tenetur ei ſuccurrere etiam gratis. Ita communiter Doctores cum S. Thoma quæſt. 71. art. 1. Probatur 1. Quisque tenetur extremè indigenti illud impendere, quo ipſe inſtructus eſt, ſi ipſe ſimiliter non eget: ut ſi pauper extremè indigeat cibô, tenetur ſucurrere, qui illum habet; qui autem non habet cibum, ſed pecuniam, non teneretur, niſi in defectum alterius, ut ſi aliter cibus obtineri non poſſit. Pariter ſi eget pecuniâ, tenetur ſuccurrere, qui habet pecuniam; ſi eget operâ Medici, vel Chirurgi, tenetur ille gratis operam ſuam præſtare, neque divites tenentur pro eo ſolvere, niſi fortè nolint ex ſua malitia opitulari; tunc enim pecunia eſſet ei neceſſaria ad vitæ conſervationem: ſed eadem eſt ratio de Advocato, cujus ope pauper extremè indiget; ergo &c.

Probatur 2. In caſu pauperis extremè in- 950.
digentis, charitas ſaltem obligat illum, cui immediatiùs convenit, opem ferre ex his, quæ habet, quibuſque facere poteſt; atqui immediatiùs convenit Advocato opem ferre extremè indigenti; ergo &c. Minor, & conſeq. tenent; maj. verò eſt certa doctrina Patrum, & S. Thom. cum Gregorio Homil. 9. in Evang. ſub finem, ubi ait: *habens intellectum, curet omnino, ne taceat, habens rerum affluentiam, a miſericordia largitate non torpeſcat, habens artem, qua regitur, uſum illius cum proximo partiatur, habens loquendi uſum, apud divitem pro pauperibus intendat talentum; quippe ab unoquoque noſtrûm venturus Judex exiget, quantum dedit.*

SECTIO VI.

Solvuntur Oppoſita.

OBjicies 1. contra primam aſſertionem: 951.
quando Judex juridicè interrogat, reus tenetur declarare veritatem; etenim inter partes poteſtativas juſtitiæ eſt obedientia, qua tenetur quis parere majoribus, dum juſta præcipiunt; atqui quando eſt ſemiplena probatio contra reum, Judex interrogat juridicè, & præcipit, quod juſtum eſt; ergo. Confirmatur 1. Implicat contradictionem, quòd Judex habeat jurisdictionem præcipiendi, & reus non habeat debitum parendi; nam hæc duo ſunt eſſentialiter correlativa; ergo ſi Judex præcipit juſtum, reus tenetur obedire. Confirmatur 2. ratione, quam Gonet magni facit Tom. 3. in diſſertat. de opin. probab. num. 885. his verbis: *ſi vera eſſet Tamburini ſententia, nunquam liceret Judici reos ad confeſſionem criminis capitalis, quamvis ſemiplene probati, torturis adigere, quia iniquum eſt, quemquam ad id cogere, quod præſtare non tenetur*; ergo reus tunc tenetur.

R. diſt. maj. reus tenetur declarare veritatem 952.
modo, quo à præcepto conſtringitur, conc. ſuprà vim præcepti, quo conſtringitur, nego maj. & diſt. min. præcipit, quod juſtum eſt præcepto adſtringente, & obligante ſub culpa, nego, obligante ſub pœna, conc. min. & diſt. conſeq. reus tenetur ſub pœna, conc. ſub culpa, nego conſequentiam. Ratio eſt, quia, ut eſt notiſſimum apud Authores, ſunt plures leges, & præcepta, quæ non obligant ad culpam, ſed ad pœnam, inter quæ nume-

ratur præceptum in casu, de quo agimus, ad eum modum, quo, qui est in periculo vitæ, potest licitè fugere ex carcere, etiamsi leges, & Judex præcipiant, ne fugiant, & fugientem puniant; quia illæ leges obligant sub pœna, si fugiens comprehendatur, non verò sub culpa; & citatus potest non comparere, quamvis Judex jubeat, ut compareat; & servus bellò captus potest licitè fugere, licèt Dominus præceperit, ne fugiat: leges enim, & præcepta humana non obligant hominem in tanto periculo sui sub culpa; sed solùm sub pœna. Et ex hac doctrina optimè intelligitur, quomodo Judex interroget juridicè, & adhuc reus non teneatur sub culpa fateri delictum suum; nam Judex interrogat juridicè obligando duntaxat ad pœnam, & ideo reus non manet obligatus sub culpa.

953. Ad primam Confirmationem dist. ant. implicat contradictionem, quòd Judex habeat jus præcipiendi duntaxat sub pœna, & reus non habeat debitum parendi sub pœna, conc. & non habeat debitum parendi sub culpa, nego ant. & dist. conseq. eodem modo. Ad secundam Confirmationem dist. ant. iniquum est quemquam ad id cogere, quod præstare non tenetur neque sub culpa, neque sub pœna, omitto: solùm sub pœna, neg. ant. & consequentiam. Quando enim leges, & præcepta solùm sunt pœnalia, cùm solùm habeant vim obligandi sub pœna, non manet reus ratione ipsorum obligatus sub culpa. Ex quo facilè apparet, quàm debilis sit ratio, quam tanti faciebat Adversarius.

954. Objicies 2. L. 2. Cod. *de jurejurando propter calumniam*, dicitur: *partes verò jurare de calumnia*; hoc autem juramentum, quatenus attingit reum, duo continet principalia: unum est, quòd putet se bonam habere causam; alterum, quòd non negabit id, quod credit esse verum, seu quòd interrogatus dicet id, quod putat esse verum; ergo saltem ex religione reus in conscientia tenetur fateri veritatem. Resp. nego ant. quia in eo loco per juramentum calumniæ non intelligitur juramentum de dicenda veritate, sed de non agendo calumniosè, seu quòd non committet calumniâ in causa: etenim in nullo §. illius Legis requiritur, ut reus juret, se in omni parte litis veritatem dicturum; sed tantùm, quòd putes se bonâ instantiâ uti ad reluctandum, eò quòd causâ patrocinii Judicibus nihil dederit, vel promiserit: quæ omnia militant pro reo habita semiplena probatione delicti, cùm tunc bene putet, se negando bonâ instantiâ uti, nec obstat L. *Marcellus*, §. 1. ff. *rerum amotarum*, ubi in actione rerum amotarum factò divortiò conjunx, contra quem agitur, cogitur jurare: quia id intelligitur de juramento, quod parti à parte defertur ad litem terminandam, & ad recuperandum suum, vel sibi debitum, quod pars ex justitia debet restituere.

955. Et in hunc modum intelliguntur plures aliæ leges: nos autem in præsenti non agimus de illis, sed de juramento, quod à Judice defertur reo in causa criminali; quod, ut intendimus, nequaquam comprehendit omnes partes litis, ita ut reus se obliget ex religione ad dicendam veritatem in singulis. Quamobrem valde expediret, si Summus Pontifex præciperet, vel Principes Supremi legem conderent, ut Judex in causis pœnæ sanguinis nó posset à reo exigere juramentum de veritate dicenda propter evidentem occasionem perjurii, sicut in c. *alius*, *de cohabitatione Clericorum*, & *mulierũ*, dicitur: *Clericos, qui tenent concubinas, non esse compellendos ad eas abjurandas propter periculum perjurij, sed censuris cogendos*; quis autem non videat majus periculum esse in reis?

Objicies 3. contra secundam: Respublica, & Princeps possunt ex justa causa bona unius particularis transferre in alterum; ergo ita censendum est fieri, quando per sententiam juxta allegata, & probata bona unius transferuntur in alium, licèt sententia illa fallis probationibus innitatur. Confirm. Qui simili sententia privatur beneficiò, censetur reverâ privatus, ita, ut alter, cui postea confertur, non teneatur restituere; ergo idem censendum est fieri per sententiam similem circa quæcunque bona. Resp. concesso ant. nego consequentiam; quia justa causa tunc intercedit, quia bonum publicum prævalet bono privato; at non ita prævalet circa bona fortunæ; non enim est magis expediens bono communi, quòd iste innocens privetur illis bonis, quàm quòd alter illis fruatur; cúmque ita se habeat in casu nostro, non tenetur reus in foro conscientiæ stare sententiæ latæ. Ad Confirmationem conc. ant. & nego consequentiam; quia bonum commune indiget planè jurisdictione certa, & non dubia: qualis esset in eo casu, si beneficium rite non conferatur; unde ex isto casu malè desumitur argumentum ad casum, ut explicavimus num. 948.

Objicies 4. contra tertiam: carceris effractiones gravissimè à legibus puniuntur, nempe pœna capitali, ut ex legibus civilibus probat Covarruv. ergo peccant fugiendò, sive moliendo fugam, ac proinde in eo casu obligantur in foro conscientiæ ad persistendum in carcere. Confirmatur 1. Si licuisset carcerem effringere, non tenerentur de damno inde secuto; atqui tenentur; ergo &c. Confirmatur 2. Effringere carcerem, est vim inferre publicæ potestati; sed hoc est illicitum, & peccaminosum; ergo &c. Resp. concesso antecedenti nego consequentiam; quia ex eo, quòd illæ leges, & præcepta obligent sub culpa, obligent tamen sub pœna illis imposita, si ab ipsis imposita sit pœna capitalis, non est mirum, si obligent sub pœna capitali; at cùm obligatio tantùm sub pœna non se extendat ad culpam ex his legibus, perperam infertur, reverâ teneri sub culpa.

Ad primam Confirmationem dist. maj. non tene-

tenetur de damno illato ratione injuriæ, conc. ratione impliciti contractûs, nego maj. & diſtincta pariter minori, nego conſequentiam. Ratio eſt, quia cùm rei juſtè detineantur, videntur tacitè conſentire in compenſationem damni illati, ſi quod fugiendo inferant directè; non enim par eſt, ut per fugam ſuam damnum Reipublicæ inferant: unde ex pacto implicito tenentur reſarcire damnum illud; niſi fortè Respublica in eo caſu juri ſuo cedat, & contenta ſit pœnâ, ſi reus capiatur. Quòd eſt ſatis probabile, cùm enim ejusmodi reſtitutio vix ſit in uſu, videtur apparere aliquâ probabilitaté pro juris ceſſione in Republica. Ad ſecundâ Confirmationem nego maj. quia hoc non eſt vim inferre publicæ poteſtati; ſed eſt uti mediò ad vitæ conſervationem, quod reo in foro conſcientiæ prohibitum non eſt, ſed tantùm eſt prohibitum ſub pœna.

959. Objicies 5. contra quartam: Advocatus in progreſſu litis, advertens partem ſuam tueri cauſam iniquam, poteſt alteram partem inducere ad compoſitionem, & transactionem; ergo non tenetur reſtituere totum damnum. Reſpondeo nego ant. quia ſolùm in cauſa dubia licet admittere transactionem, ut docent complures cum Div. Thoma quæſt. 7. art. 3. ad ſecund. Transactio autem locum non habet, quando juſtitia eſt clara pro altera parte: unde graviter peccarent Advocati, & Conſiliarii, qui, dum in ſucceſſu litis advertunt, partem alteram tueri cauſam iniquam, inducunt alteram ad compoſitionem. Quamobrem ſi cliens monitus de cauſæ injuſtitia nolit deſiſtere, Advocatus tenetur in conſcientia illum deſerere; non poteſt tamen ſecreta cauſæ alteri prodere, niſi id foret neceſſarium ad grave aliquod damnum proximi impediendum; tunc enim deberet Judici aperire, ut occurrat, ſiquidem jure charitatis quivis tenetur impedire proximi damnum, quantùm ſine ſuo damno poteſt.

960. Objicies 6. Si Advocatus teneretur reſtituere detrimentum parti, quando ſuſtinet cauſam clientis apertè iniquam, etiam Advocatus rei, qui ipſam fraudibus defendit contra Fiſcum, teneretur ad compenſandum emolumentum Fiſco, quod ipſi proveniſſet ex damnatione, ſi reum non defendiſſet; ſed, ut plures Doctores tenent, non obligatur ad hanc compenſationem faciendam Fiſco; ergo &c. Reſpondeo nego maj. quia ſicut in eo caſu non tenetur reus compenſationem facere Fiſco: ita nec Advocatus: & ratio eſt, quia pœna non debetur fiſco, niſi ſecutâ ſententiâ. Unde ſi Advocatus faciat, ne ſequatur ſententia, facit tunc ſine læſione juris Fiſci; quamvis enim fraudibus iſtis faciat injurjam Reipublicæ, quatenus pervertit judicium publicum, hæc tamen injuria, cùm non ſit contra juſtitiam commutativam, ſed legalem, non obligat ad reſtitutionem: quin potiùs adhuc Advocatum ipſius Fiſci excuſant plures à compenſatione, quando ejus cauſam negligenter, aut non fideliter agit, ex eo, quòd Advocati officium non eſt, ut Fiſcus mulctis, & confiſcationibus diteſcat, ſed ut leges ſerventur, & ut legum violatores puniantur, licèt alii majorem obligationem agſcant in Advocato Fiſci, quàm in Advocato rei.

Objicies 7. contra quintam aſſertionem: ſi 961.
Advocatus in caſu aſſertionis teneretur adjuvare pauperem in extrema neceſſitate, etiam teneretur in gravi neceſſitate, ſi reus damnandus ad triremes putaretur, vel ad publicam flagellationem, vel ad durum carcerem, vel amiſſa lite injuſta gravem morbum contracturus eſſet; ſed hoc eſt nimis durum; ergo &c. Reſpondeo conc. maj. & nego min. quia ſi Advocatus aliquo modo ſuperfluum ſuo ſtatui habeat, id eſt, modò præter illam operam, quæ illi neceſſaria eſt ad ſtatum ſuſtenrandum aliquid temporis, vel induſtriæ ei ſuperſit, teneretur patrocinium exhibere pauperi in extrema neceſſitate conſtituto, ut docent plures cum Sylveſtro, verbo *Advocatus*, num. 11. toto lib. 5. quæſt. art. 1. Si enim teneris, quoquo modo ſuperfluum habeas, in gravi neceſſitate proximi ſub peccato mortali ei ſuccurrere, cur durum videri poſſit, ut Advocatus in ſimili cauſa teneatur patrocinium exhibere pauperi: certè conſequentia doctrinæ hoc poſtulat; quamquàm, ut verum fatear, caſus iſte rarus erit reſpectu Advocati in rebus ad bona fortunæ pertinentibus; quia in litibus magni momenti, rarò interveniunt pauperes litigantes.



TRACTATUS
DE
SANCITSSIMO INCARNATIONIS MYSTERIO
In Tertiam Partem à Quæstione I. ad XVI.

1. QUando de Sanctiſsimo Incarnationis Myſterio loquimur, Incarnatio accipitur per ſynecdochen, vi cujus juxta uſitatam Scripturæ phraſin caro ſignificat hominem; ſic in veteri Teſtamento Geneſis 6. *omnis quippe caro corruperat viam ſuam*; & in Teſtamento novo Luc. 3. *videbit omnis caro ſalutare Dei*; ad Romanos 3. *ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo*. Quo in ſenſu locutus eſt Joannes cap. 1. *ET VERBUM CARO FACTUM EST*, id eſt, factum eſt homo, nec deſunt plures congruentiæ, ut aſſumptio naturæ humanæ potiùs à carne, quæ eſt pars ignobilior, dicta ſit incarnatio, quàm ab anima, quæ nobilior pars eſt, dicta ſit animatio. Prima quidem eſt, nam filius DEI per Incarnationem, ut loquitur Apoſtolus ad Philippenſes 2. *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*; hanc autem exinanitatem rectiùs exprimit pars ignobilior, quàm nobilior. Secunda, quia hoc nomen aptius eſt ad ſignificandum, Verbum aſſumpſiſſe infirmitatem noſtræ naturæ, de quibus infrà agemus; quod, cùm difficilius apparet, exprimendum erat. Tertia, quia caro notoriè eſt ſenſibilior, quàm anima, & nomina deſumi ſolent à notioribus, & ſenſibilioribus. Quarta, quia anima propriè dicta non ſignificat informationem, ac proinde ad propriam ejus ſignificationem requirit totum hominem; caro autem propriè dicta ſignificat carnem animatam, ac proinde totum hominem; ſiquidem, ut docet Ariſtoteles lib. 5. de generat. animal. cap. 1. caro mortua, & inanimata æquivocè ſolùm, & impropriè eſt caro, quam quidem rationem indicant Cyrillus, Alexius in Epiſt. ad Neſtorium, quæ habetur initiò Concilii Epheſinenſis, & Tertullianus lib. de Carne Chriſti cap. 6. Prætermitto alia nomina, quibus hoc myſterium exprimi ſolet, quia eorum ſignificatum facilè ex dicendis conſtabit; talia ſunt deſcenſus, adventus, miſſio, & œconomia; unum autem non prætermittam, nempe Jeremiam cap. 31. appellâſſe *novum* per antonomaſiam hoc Myſterium: *creavit Dominus novum ſuper terram, fœmina circumdabit virum*, hoc eſt apud Areopagitam, *geſtabit in utero fœtum*, quod reſpiciens Terotheus apud Areopagitam 2. de Divin. Nominib. appellavit illum *novorum omnium noviſſimum*, & Damaſcenus 3. de fide cap. 1. *Solum ſub Sole novum*, exceptionem videlicet illius regulæ generalis Eccleſiaſtes 1. *nihil ſub Sole novum*: hoc dictum ſit, ut appareat illorum Hæreticorum delirium, iſtam vocem Incarnationem, quæ ab ipſis penè Eccleſiæ primordiis inſtituta eſt, irridentium, quia, ut ajunt nec Ciceroniana eſt, nec ab ullo ex antiquis latinitatis Authoribus uſitata; at ipſe Tullius eorum inſcitiam jam olim oſtendit Academicorum 1. ſub med. ubi dixit, *dabitis profectò, ut in rebus inuſitatis, quod Græci ipſi faciunt, utamur verbis interdum inauditis*; & 1. de natura Deorum ante medium: *ſunt rebus novis nova ponenda nomina*; agemus igitur de hoc Sacratiſſimo Myſterio cum Magiſtro in tert. à diſt. 1. usque ad 23tiam, & cum Div. Thom. 3. part. à quæſt. 1. usque ad 16. ea methodo, quam his verbis præſcripſit Agapitus Papa Epiſt. ad Antimum: *ſolius fidei contemplatione cernendum eſſe, ad quæ provehatur humilitas carnis, ad quæ etiam inclinet altitudo divinitatis, quid ſit, quod caro ſine verbo non agit, & quid, quod Verbum ſine carne non efficit, quomodo Chriſtus ita inter DEUM, & hominem mediator apparuit, ut ſolita ſublimaret inſolitis, & inſolita ſolitis.* Initium ducimus à poſſibilitate, & convenientia myſterii, ut exinde ad exiſtentiam, ejuſque perfectiones, & fructus progrediamur.

):(:)(:(

DISPUTATIO I.

DE POSSIBILITTATE, SIVE COGNOSCIBILITATE INCARNATIONIS.

2. QUoniam Sacratissimum Incarnationis Mysterium super omnia opera Omnipotentiæ Divinæ maximè assurgit, opus est ad illius contemplationem, ut intellectus creatus supra vires quoque sibi inditas elevetur, ibi enim ipsa DEI sapientia, quæ Verbum est Patris, quasi in profundo à mente recessu abscondita est, ut ait Paulus 1. Corinthiorum 2. *loquimur DEI sapientiam in mysterio, quæ abscondita est;* unde Ambrosius in cap. 2. poster. ad Corinthios ita concludit: *abscondita est ergo sapientia Dei, dum non in verbis, sed in virtute est, non humana ratione possibilis;* & Augustinus de isto recondito à sæculis mysterio loquens Epist. 3. ad Volusianum: *fateamur ergo Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse;* quæ verba usurpavit Concilium Toletanum XI. *si ratione colligitur, non erit singulare*, in eo nempe consistit mysterium Incarnationis, quod verbum unitum sit humanitati, non quidem immediatè ratione formali naturæ, quæ est prædicatum absolutum, sed ratione formali filiationis, quæ est prædicatum relativum solius Filii; cúmque ea, quæ conveniunt prædicato relativo peculiari unius personæ, non sint alteri communia, exinde Incarnatio non est toti Trinitati communis, sed specialis solius Filii: in eo quidem distinguitur prædicatum absolutum à relativo in Divinis, quod absolutum reperitur in tribus Personis, secus relativum, quod in una sola Persona reperitur, si excipias spirationem activam, quæ licèt non identificetur cum Spiritu Sancto, at identificata cum Patre, & Filio. Verbum autem Divinum non assumpsit humanitatem ratione formali spirationis activæ, sed ratione formali filiationis, quæ cum solo Filio identificatur, ac proinde solus Filius incarnatus est. Unde Concilium Toletanum XI. explicando hoc Sacratissimum Mysterium ita proloquitur: *de his tribus Personis solam Filii Personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato de Immaculata MARIA Virgine credimus assumpsisse, de qua novo ordine, novaq; nativitate est genitus.*

SECTIO I.

An Incarnatio, antequam fieret, potuerit solis naturæ viribus à Creatura cognosci possibilis?

3. DUo hìc video à gravissimis Authoribus egregiè confundi, nempe rationem Metaphysicam, & genericam cum ratione physica, & individuali Mysterii. Plura sanè convenire possunt constitutivo physico, & individuali suppositi Theandrici, seu DEI virilis, quæ sunt extra constitutivum Mysterii genericè, & metaphysicè sumpti. Sic risibilitas est de essentia physica hominis, non autem de metaphysica, ut Petreitas est de essentia individuali animalis Petri, secus de specifica metaphysica, vel generica; etenim ad constitutivum metaphysicum suppositi Theandrici, seu Dei virilis sat est, concipere DEUM unitum humanitati modò, quo DEUS demonstratur à Theologis, & à Philosophis; per illam Aristotelicam gradationem desumptam, ex creaturis ad creatorem; ab his enim solùm probatur evidenter unitas DEI, non autem Personarum trinitas, quæ naturalem rationem omnino superat.

4. Quamobrem licèt DEUS unus per impossibile esset una duntaxat Persona, si hæc uniretur humanitati, daretur Deus homo, ac proinde Incarnationis Divinæ constitutivum metaphysicum. Cæterùm ad constitutivum physicum, & individuale Incarnationis, ut defacto contingit, non sufficit concipere Deum unitum physicè humanitati, sed ulteriùs requiritur, quòd concipiantur Natura Divina, & Filiatio, seu Personalitas Filii cum reali identitate inter se, & quòd illæsa hac identitate humanitas uniatur hypostaticè cum filiatione immediatè, & formaliter ratione sui uniatur cum Natura Divina. Unde fit, quòd licèt Natura Divina identificetur cum paternitate, & spiratione passiva, maneat nihilominus Natura Divina ratione filiationis unita humanitati, quin maneat unita paternitas, aut spiratio passiva. Quod certè tantam præsefert difficultatem, quantam imbibit ipsum Trinitatis Mysterium.

5. Idcirco dupliciter potest quæstio præsens instituì. Primò quidem de Incarnatione Dei metaphysicè sumpta; secundò autem de Incarnatione individualiter considerata, ut defacto contingit. Quantùm attinet ad evidentiam, triplex distingui solet: moralis scilicet, physica, & metaphysica. Moralis vinci potest physicè, physica vinci potest metaphysicè, metaphysica verò est infallibilis, neque potest ullo modo deficere, ut constat ex Philosophia, & diximus in Tractatu de fide à num. 516. Quando verò agimus de ratione naturali absolutè prolata, nomine rationis naturalis intelligim⁹ lumen naturæ metaphysicè verũ; sienim sit cognitio in re falsa, quamvis appareret moraliter

ter, aut physicè vera, non posset appellari ratio naturalis, sed potiùs deceptio, ut ait Eximius Doctor de Trinitat. cap. 2. num. 18. Quapropter inquisitio Hispana, ut habetur in Indice Librorum prohibitorum Anni 1612 foliô *mihi* 119. in Indice Thomæ Christophori de capite fontium defensionis fidei majorum nostrorum lib. 2. præcepit, ut delerentur hæc verba: *naturalibus rationibus contraria, docet Fides Catholica*; quod etiam satis constat ex Concilio Lateranensi sub Julio II. & Leone X. sess. 8. ubi dicitur: *cúmque verum vero minimè contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus*: his positis

6. Assero 1. cum omnibus ferè Theologis: Mysterium Incarnationis metaphysicè sumptum, absque intellectûs captivitate nequit ab intellectu creato solis viribus naturæ relicto demonstrari possibile positivè, antequam fiat. Probatur 1. Demonstrari positivè possibile Mysterium Incarnationis ab intellectu creato viribus naturæ relicto est, quòd intellectus creatus viribus suis relictus habeat rationes evidentes in natura de tali possibilitate; sed intellectus creatus viribus suis relictus ejusmodi rationes evidentes in natura de tali possibilitate habere non potest; ergo &c. Probatur min. Nullum est medium in natura quoad nos, sive quoad intellectum creatum sibi relictum, quod evidenter inferat Ens infinitum, & simpliciter perfectum possibile absque intrinseca sui mutatione uniri physicè, & intrinsecè Enti finito, & completo in unitate Personæ; sed hoc saltem requiritur ad Mysterium Incarnationis metaphysicè sumptum, ut ex superiùs allata ipsius explicatione constat; ergo &c. Confirmatur. Nullum est medium quoad nos in natura rapiens intellectum ad assensum de possibilitate Incarnationis, ut experientiâ constat: sed medium evidens rapit intellectum ad assensum, nec relinquit locum ad formidinem adhuc imprudentem de opposito, ut diximus in Tractatu de Fide, & patet inductione per omnes, & singulas evidentias; ergo &c.

7. Probatur 2. Nequit DEUS intrinsecè uniri ad constituendum cum illa unum ens per se, quin ad tale munus præstandum habeat proportionem cum humanitate; atqui quoad nos, sive quoad intellectum creatum sibi relictum nullum est medium in natura evidenter probans talem proportionem; ergo &c. Probatur min. Quoad nos, sive quoad intellectum sibi relictum nullum est medium in natura probans evidenter proportionem inter extrema ita distantia, ut simpliciter distare magis non possint; sed sic se habent DEUS, & humanitas; siquidem Deus est Ens simpliciter infinitum: humanitas autem est ens simpliciter finitum, nullaque extrema plus distare possunt simpliciter, quàm ens simpliciter finitum, & Ens simpliciter infinitum; ergo &c.

Confirmatur. Si quoad nos, vel quoad intellectum creatum sibi relictum daretur aliquod medium in natura evidenter ostendens talem proportionem, vel esset purè spirituale ut Angelus, vel purè materiale, ut creatura omnino corporea, vel mixtum ex utroque, ut homo; atqui nullum est medium ex istis; ergo &c. Probatur min. Hæc omnia solùm terminant unionem, dum mutantur, vel perficiuntur ab altero, cui uniuntur; sic Angelus casu, quo juxta plurium sententiam, de qua infra, uniatur suæ subsistentiæ, perficitur ab illa, & unitus suis cognitionibus perficitur ab illis; materia unita formæ perficitur à forma; & è converso forma unita materiæ; tum etiam homo intrinsecè unitus suis accidentibus ab illis accidentaliter perficitur, vel mutatur; atqui DEUS nequit ab humanitate intrinsecè perfici, aut mutari; ergo &c. 8.

Assero 2. cum ferè omnibus nostris, & cum Exim. Doctore disp. 3. sect. 1. & Thomistis, quos sequitur Contenson. disceptat. præamb. speculat. 1. intellectus creatus solis naturæ viribus ductus absque ipsius captivitate non poterit cognoscere probabiliter positivè mysterium Incarnationis, antequam fiat. Probatur facilè ex dictis: nequit intellectus creatus solis naturæ viribus ductus hanc probabilitatem agnoscere, quin habeat rationes graves fundatas in natura talem probabilitatem evincentes. Si enim fundetur in miraculis, aut aliis rebus supernis, jam non ducetur solis viribus naturæ, sed objectiva virtute miraculi, aut supernaturalium rerum naturam excedentium; quod valde notandum est pro his, quæ postea dicemus; sed nullæ sunt ejusmodi rationes in natura, ut ex dictis constat; ergo &c. Confirmatur. Nullum est medium in natura, ex quo probabiliter positivè possit inferri ens omnino completum imperfectibile, & immutabile posse constituere aliquod ens per se cum ente incompleto perfectibili, & mutabili; sed hæc omnia requiruntur ad mysterium Incarnationis metaphysicè sumptum, ut ex superiùs allata explicatione notum est; ergo &c. 9.

Assero 3. cum Cardinali de Lugo disp. 1. sect. 1. num. 8. potuit intellectus creatus solis naturæ viribus ductus habere aliquam suspicionem de metaphysica possibilitate Incarnationis metaphysicè sumptæ, antequam fieret. Probatur 1. Potuit intellectus creatus solis naturæ viribus ductus hæc omnia cognoscere, nempe DEUM esse Ens summè perfectum imperfectibile, & immutabile, pleraque posse supra illa, quæ nos solis naturæ viribus possimus adipisci, ut naturæ lumen ostendit, & ajebat Augustinus num. 2. unde facilè inferret, quòd DEUS neque perficeretur, neque deterioraretur, licèt proponeretur physicè unitus humanitati, illamque substantialiter complens. Quare licèt suspenderet assensum, ut bene monet Lugo, quia ad illum 10.

adhi-

adhibendum nullum apparet medium in natura; nihilominus quàm optimè posset suspicionem aliquam, dubium, seu formidinem retinere; siquidem motiva adducta satis sunt ad suspicionem; ergo &c. Confirmatur. Licèt intellectui creato fortè nunquam venisset in mentem, eas species ex principiis adductis combinari, atqui si caruisset suspicione de hoc Mysterio, absque implicantia ulla potuit naturaliter facere hanc combinationem, sicque generare suspicionem naturalem; sed hoc tantùm docet assertio nostra; ergo &c.

11. Probatur 2. Intellectus humanus, & multò magis Angelicus habet medium in natura ad cognoscendum evidenter, imò & evidenter cognoscit hæc duo extrema, nempe Deum, & humanitatem; cognoscit etiam Angelus humanitatis existentiam, & subsistentiam Divinitatis, proinde si subsistentia creata sit aliquid positivum, cognoscit etiam unionem inter naturam rationalem, & subsistentiam, unde species habet, ut ex illis possit venire in suspicionem Mysterii, dubitans, an subsistentia Divina possit supplere munus subsistentiæ creatæ; ergo licèt intellectus creatus non habeat in natura fundamentum ad assensum hujus Mysterii, habet tamen fundamentum ad suspicionem, ac proinde potuit habere suspicionem de hoc Mysterio, antequam fieret. Quamobrem nulla fieri potest paritas ab aliis rebus, quarum intellectus species non habeat, nec alias, à quibus possit excitari ad res illas cognoscendas; sicut dici solet de rustico, quòd nunquam suspicatus esset, posse navem onustam absque remis, & velis pro arbitrio Nauclerì duci, ex eo, quòd non haberet species ad eam combinationem sufficientes; quamquàm hoc magis supponatur, quàm probetur: fortè enim intellectus creatus species sufficientes habet ad combinandum quodcunque opus possibile distributivè sumptum, contra quod nullum sit principium obruens. Quod noto propter inscrutabile Trinitatis Mysterium, ut dicemus num. 14. quamquàm non possit singula combinare, cùm sint infinita, & infinitum exhauriri non possit, neque simul percipi quoad ultimas differentias à virtute finita, ut diximus in Tractatu de Deo.

12. Assero 4. cum Valen. 3. part. quæst. 1. punct. 2. & reliquis Theologis: potest intellectus creatus solis naturæ viribus demonstrare evidenter negativè possibilitatem Incarnationis metaphysicè sumptæ, antequam fieret. Probatur 1. Demonstrare possibilitatem Incarnationis metaphysicè sumptæ evidenter negativè, nihil est aliud, nisi reddere solutionem argumentis oppositis contra Mysterium Incarnationis, ne pars opposita maneat evidens positivè; atqui intellectus creatus solo naturæ lumine ductus invenire potest ejusmodi solutionem ex principiis indicatis num. 10. ut latiùs constabit, quando respondebimus argumentis oppositis; ergo &c. Confirmatur. Ut pars opposita non maneat evidens positivè, non requiritur, quòd solutiones sint evidentes, neque positivè probabiles, sed sat est, quòd sufficiant ad generandam aliquam suspicionem de opposito; siquidem in conspectu evidentiæ de aliqua veritate stare non potest formido de opposito: evidentia enim intellectum rapit ad assensum, & non relinquit locum formidini, ut certum est apud Philosophos, & diximus in Tractatu de Fide à num. 516. atqui solutiones, quas solo naturæ lumine potest reddere intellectus creatus argumentis oppositis contra Mysterium Incarnationis metaphysicè sumptæ, licèt non sint evidentes, neque positivè probabiles, sufficiunt tamen ad generandam formidinem de opposito, ut constat à num. 10. ergo &c.

13. Probatur 2. Licèt evidentia positiva de existentia alicujus rei metaphysicè repugnet cum simultanea evidentia positiva de carentia existentiæ talis rei, eò quòd illæ evidentiæ essent vera simultanea affirmatio, & negatio ejusdem de eodem, quod contradictionem implicat; at evidentia negativa de existentia rei non pugnat metaphysicè cum simultanea evidentia negativa de carentia existentiæ talis rei, eò quòd evidentia negativa de existentia rei non est vera affirmatio de rei existentia, neque evidentia negativa de carentia existentiæ rei est vera simultanea affirmatio de non existentia rei: evidentia enim negata de existentia rei respicit tantùm rationes opppositas, & adductas pro carentia existentiæ, quatenus non evincunt evidenter carentiam existentiæ, & evidentia negativa de carentia existentiæ respicit tantùm rationes adductas pro rei existentia, quatenus non evincunt evidenter existentiam rei. Unde istæ evidentiæ negativæ tendunt in diversa objecta, quorum nullum est nobis evidens positivè, in quo nulla prorsus est contradictio, ut appareat in omnibus, & singulis sententiis purè probabilibus inter se oppositis, quarum nulla quoad nos est positivè evidens; sed hoc ipsum evenit intellectui creato viribus suis relicto relativè ad Mysterium Incarnationis, quandoquidem rationes adductæ pro impossibilitate, licèt apparerent maximè graves, & rationes adductæ contra impossibilitatem apparerent plenissimè intellectui creato sibi relicto, adhuc essent tales, ut sufficerent ad generandam formidinem, ut constat ex dictis &c. Vide num. 17

14. Assero 5. cum Cardinali de Lugo disp. 1. sect. 1. num. 5. intellectus creatus absque ipsius captivitate, & viribus solius naturæ relictus, necdum demonstrare verum, neque suspicionem habere posset de Mysterio Incarnationis, ut defacto contigit. Probatur 1. Mysterium Incarnationis, ut defacto contigit, præfert quoad nos totam, & integram difficultatem Sacratissimi Mysterii Trinitatis; siquidem in statu, quo Secunda Trinitatis Persona, quæ est

est eadem indivisibilis essentia cum essentia Patris, & Filii, & indivisibiliter identificata realiter cum Filiatione, terminaverit Unionem hypostaticam ratione formali filiationis, quin eam unionem terminaverit Pater, & Filius, qui sunt idem DEUS, habentque secum identificatam totam Divinam essentiam, quæ est tota indivisibilis essentia Filiationis; hanc enim summam DEI magnitudinem intellectus creatus absque captivitate, & viribus solius naturæ relictus, nedum ostendere, aut positivè probare, verùm neque suspicari posset, ut facilè constabit cuique expendenti magnitudinem Sacratissimi Mysterii Trinitatis; ergo &c.

15. Probatur 2. Intellectus creatus consideratus absque ipsius captivitate, & viribus solius naturæ relictus, absque ullo dubio, suspicione, aut formidine de opposito censeret principium istud, *quæ sunt idem cum uno tertio, sunt idem inter se*, reverâ se extendere ad omnia prædicata tum creata, tum Divina; censeret enim fore contradictionem quàm maximam in eo, quòd res aliqua indivisibilis, esset indivisibiliter ista, & non esset, quidquid est ista. Unde sicut dari non possunt prædicata reverâ contradictoria, neque in creatis, neque in Divinis; ita quoque censeret, quòd principium illud non posset non verificari tum in omnibus prædicatis creatis, tum in omnibus prædicatis Divinis; unde licèt id erroneè deduceret; at intellectui creato considerato absq; ipsius captivitate, & solis viribus naturæ relicto hoc evidens appareret, imò quantò magis perspicax est, ut intellectus Angelicus, majorè prorsus inveniret difficultatè considerando, quid sit indivisibilitas; atqui ad suspicionè de Mysterio Incarnationis, ut defacto contingit, opus erat suspicari, non esse idem inter se, quæ sunt idem cum eodem indivisibili tertio &c. Confirmatur. Intellectus creatus vi illius principii non minùs obrueretur ad assentiendum, quàm in aliis rebus obruatur ad assentiendum erroneè ex apparentia evidenti, quamquàm sit ulla apparentia, quæ ducat ad falsitatem; ergo &c. Ex dictis

16. Fit 1. Intellectum creatum solis naturæ viribus ductum absque ipsius captivitate posse attingere per modum fugæ Mysterium Incarnationis, ut defacto contigit, non quidem assentiendo, sed dissentiendo; ad eum modum, quo Hæreticus cognoscit Mysterium Trinitatis, dum illud impugnat. Cæterùm hoc fortasse non est propriè cognoscere Mysterium; quia non est extrema conjungere, sed disjungere; sicut non cognoscimus propriè ens omnino incognoscibile, licèt negando de illo disputemus. Fit 2. posse etiam intellectum creatum assentiri Incarnationis mysterio sive physicè, sive metaphysicè considerato, dummodo quis velit intellectum captivare: qua de causa locutus sum in assertionibus de intellectu absque ipsius captivitate, ut procedit præsens controversia. Ratio est; quia si quis ex motivis re ipsa falsis, & duntaxat veris apparenter, aut quæ cùm non sint superna, existimantur superna, velit captivare intellectum, potest assentiri rebus alioquin incredibilibus; sic rusticus potest per actum naturalem credere Parocho dicenti revelatam esse à DEO quartam personam Trinitatis, vel illius existentiam probatam esse ab homine habente scientiam infusam, quod etiam posset, si erroneè crederet nulla extrema realiter perfici, aut deteriorari per subitantialem unionem in unitatem Personæ; verùm iste non esset assensus Mysterii, de quo agimus, quod valde notandum est ad evitandas æquivocationes, & intelligendam præsentem controversiam, quæ procedit juxta naturæ principia, expensa ab intellectu creato solis viribus suis relicto ad cognoscendum ex illis Mysterium Incarnationis, antequam fiat; de cognoscibilitate enim post Mysterium patratum agemus à num. 36.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

Objicies 1. contra primam assertionem: 17
evidens est, posse DEUM efficere id, in quo non apparet manifesta implicatio; atqui non apparet in Mysterio Incarnationis; ergo evidens est, DEUM posse operari Mysterium Incarnationis. Confirmatur. Divina Omnipotentia cognoscitur naturaliter; ergo ex illa potest intellectus creatus, vel evidenter, vel saltem probabiliter positivè inferre possibilitatem hujus mysterii. Respondeo distinguo maj. in quo non apparet manifesta implicatio evidenter positivè, conc. maj. negativè tantùm, nego, & distincta pariter min. nego consequentiam. Ratio est, quia solis naturæ viribus non potest intellectus creatus ita solvere argumenta opposita contra hoc mysterium, ut convincatur falsum assumere, aut malè inferre; hoc enim deberet fieri per principia contraria, quibus constaret mysterium esse possibile; hæc autem nulla sunt, nedum ad ostendendum evidenter, ea argumenta esse falsa, verùm neque ad id ostendendum probabiliter positivè, ut constat à num. 9. Unde duntaxat solvi possunt negativè negando principia, quæ probari non possunt, quod satis est, ut non concludant, nec sint demonstrationes, ex quo generari potest suspicio tantùm, non verò probabilitas de mysterio, ut diximus à num. 10.

Ad Confirmationem distinguo antec. cog- 18
noscitur naturaliter quoad an est, conc. quoad quomodo est, nego ant. & consequentiam. Unde naturaliter cognoscimus omnipotentiam in ordine ad se, & ad effectus, qui apud nos repugnantiam non includunt, non verò in ordi-

in ordine ad potentiam obedientialem, & effectus ſupernaturales, pro quorum poſſibilitate nullum eſt quoad nos medium in natura; ſic enim evidenter cognoſcimus continuum in ordine ad ſe, ſive quoad an eſt: habemus enim evidentiam, quod continuum exiſtat; non tamen cognoſcimus evidenter quoad quomodo eſt, ut nos habeamus medium quoad nos in natura ad cognoſcendum evidenter, illud conſtare ſolis partibus indiviſibilibus; aut ſolis partibus proportionalibus; aut quovis alio à Philoſophis excogitato conſtitutivo. Quare, cùm nullum ſit medium quoad nos in natura, aut evidenter poſitivè, aut probabiliter evincens omnipotentiam continere virtutem operativam Myſterii Incarnationis ex naturali noſtra cognitione omnipotentiæ, perperàm infertur naturalis cognitio de evidentia, aut poſitiva probabilitate hujus Myſterii. Aliud argumentum, quod hìc fieri potuerat, facilius diſſolvemus num. 50.

19. Objicies 2. contra ſecundam aſſertionem: ſolutionibus argumentorum probatur poſitivè poſſibilitas aliarum rerum: ergo etiam poſſibilitas Myſterii Incarnationis. Reſpondeo diſt. antec. ſolutionibus ſufficientibus ad probandum poſitivè, in argumentis falſum aſſumi, conc. ſufficientibus ad augendam evidentiam de oppoſito, nego ant. & conſequentiam. Ratio eſt, quia ut conſtat ex dictis num. 17. & opportunè notavit Exim. Doctor diſp. 3. ſect. 1. ex hujusmodi argumentorum ſolutione non poteſt infetri, Incarnationem eſſe poſſibilem; ſed ſolùm per id non demonſtrari, vel ſaltem ignorari, quod ſuſpicionem tantùm generare poteſt, ex quo non ſit, re ipſa non repugnare; ſiquidem non quidquid impoſſibile eſt, evidenter eſt impoſſibile.

20. Objicies 3. contra tertiam aſſertionem: Unio hypoſtatica eſt Ens ſupernaturale; atqui Ens ſupernaturale non poteſt à nobis ſolis naturæ viribus cognoſci; ergo Unio hypoſtatica, ac proinde Myſterium Incarnationis non poteſt naturaliter cognoſci, ideóque neque per naturalem ſuſpicionem à nobis cognoſci. Confirmatur 1. Si poſſemus habere naturalem ſuſpicionem de Myſterio Incarnationis, non recèdiceretur: *Adinventio Dei, novum* (per antonomaſiam) *magnúmque Dei conſilium*; ſed ita appellatur in Sacris Litteris: Iſaias 2. *notas facite in populis adinventiones*: Jeremiæ 31. *novum fecit Dominus ſuper terram*: & Iſaias 9. ubi ait illa verba: *vocabitur nomen ejus admirabilis Conſiliarius*. Sed ſeptuaginta Interpretes ita habent, *magni conſilii Angelus*; & quidem per magnum conſilium intelligunt Incarnationem, Tertullianus Tom. de Carne Chriſti, Athanaſius lib. de Beatitudine, Juſtin. Apologia, Hilarius de Trinitate lib. 4. pro quibus videri poſſunt Leo de Caſtro, Gallerius lib. 3. cap. 19. ergo &c. Confirmatur 2. aliqua opera ſunt DEO poſſibilia, quæ venire in ſuſpicionem non poſſunt intellectui creato ſolis viribus ſuis relicto: ſi enim Artifex humanus, qui arte, & ingenio ſatis valeat machinas tanti artificii fabricare, ut nullo modo venire poſſit in ſuſpicionem alicujus ruſtici, & imperiti hominis; quantò minùs venire poterunt in ſuſpicionem intellectûs creati; quæ ſunt nova, & mirabilia inter omnia opera DEI; ſed tale eſt Myſterium Incarnationis, ut ex adductis teſtimoniis conſtat; ergo &c.

Reſpondeo conc. maj. diſt. min. non poteſt ſolis naturæ viribus à nobis cognoſci per cognitionem cum Ente ſupernaturali connexâ, conc. per cognitionem inconnexam, neg. min. & conſequentiam; quia licèt cognitio naturalis connexa cum exiſtentia Entis ſuperni ſit indebita nobis, noſtrásque naturales vires ſuperet, ſicut Ens ſupernum eſt nobis indebitum, ſuperátque noſtras vires; at cognitio naturalis de Ente ſuperno cum illo inconnexa ex nullo capite repugnat: talis autem eſſet ſuſpicio naturalis de Myſterio Incarnationis. Ad primam Confirmationem nego maj. quia cùm naturalis ſuſpicio nullam prorſus habeat connexionem cum Incarnationis Myſterio, nullatenus infert poſitivam illius poſſibilitatem; unde quando ex revelatione, adinventione; & conſilio Dei de illius poſſibilitate certi ſumus, quàm optimè certi ſumus de re quoad nos per antonomaſiam *novæ*, imò de hoc Myſterio; ut defactò contigit, nullam potuerimus habere ſuſpicionem naturalem; ut conſtat à num. 14. exinde in hoc ſenſu; & novum quoad nos, & noviſſimum appellari poteſt. Ad Confirmationem diſt. maj. ſi intellectus creatus non habeat ſpecies ſufficientes ad combinationem, conc. ſi habeat, nego maj. & diſt. min. tale eſt Myſterium Incarnationis individualiter, & ut defactò contigit, conc. metaphyſicè ſumptum, nego min. & conſequentiam; ut conſtat à num. 16. 21.

Objicies 4. contra quartam aſſertionem: ſi humanitas uniretur hypoſtaticè Verbo Divino, eſſet violenta; utpote carens propriâ ſubſiſtentiâ, quam moraliter exigit; atqui metaphyſicè implicat, unita Verbo Divino quòd ratione unionis patiatur violentiam; aliter pateretur violentiam per totam æternitatem, quod abſurdum eſt; ergo repugnat metaphyſicè, quòd humanitas uniatur hypoſtaticè Verbo Divino. Reſpondeo cum Exim. Doctore diſpur. 8. ſect. 3. nego maj. quia humanitas tantùm exigit appetitu innato propriam ſubſiſtentiam, quando non unitur ſubſiſtentiæ nobiliori perficienti humanitatem, non minùs, quàm illam perficeret ſubſiſtentia propria; una de appetitus innatus ad propriam ſubſiſtentiam non eſt pro caſu, pro quo defectus propriæ ſubſiſtentiæ compenſetur humanitati per ſubſiſtentiam nobiliorem continentem virtualiter totam propriæ ſubſiſtentiæ perfectionem, multóque majorem. 22.

Denominatio enim appetitûs innati meta- 23.

physica est, & desumpta ex appetitu elicito rectè instituto, & ordinato; appetitus autem elicitus rectè ordinatus non desiderat perfectionem inferiorem, quando loco illius habet altiorem, & utramque simul habere non potest: cúmque humanitas Christi Domini unita hypostaticè Verbo Divino acquirat altiorem perfectionem, in qua subsistit, & à qua magis perficitur, quàm à propria subsistentia, non exigit pro eo statu propriam ipsius subsistentiam; sic Beati retinent beatitudinem supernaturalem, & non patiuntur violentiam, licèt sint privati naturali beatitudine, ut diximus in Tractatu de Beatitudine à num. 67. Quamobrem, licèt humanitas non exigat vagè, vel indeterminatè subsistentiam propriam, vel subsistentiam Verbi, cùm appetitus vagus solùm tendat ad rem debitam sub his, vel illis circumstantiis, & non ad compensativum supernaturale indebitum; at cum eo supernaturali compensativo natura quieta manet, nec pro eo casu exigit innatè subsistentiam propriam naturalem, quam alioquin appeteret. De reliquis, quæ attinent ad naturam, & subsistentiam, agemus infrà suo loco.

24. Objicies 5. Si DEUS uniretur hypostaticè humanitati, mutaretur; atqui DEUS non potest mutari; ergo neque potest uniri hypostaticè humanitati. P. M. Rem mutari, est habere intrinsecè aliquid, quod antea non habebat; atqui, si Deus uniretur hypostaticè humanitati, haberet intrinsecè unionem, quam antea non habebat; ergo &c. Confirmatur. DEUS esset homo, quod antea non erat; sed esse, quod antea non erat, est mutari; ergo &c. Respondet Gonettus disp. 2. num. 24. Verbum non mutari; quia cùm non uniatur humanitati per unionem distinctam, non est subjectum, sed purus terminus humanitatis. Hæc responsio nititur falsò supposito, scilicet, quòd unio hypostatica non distinguatur realiter à Verbo, & humanitate; est enim modus substantialis distinctus realiter ab extremis, ut infrà constabit. Rursus contrà 1. Si Verbum de novo intelligeret, per intellectionem creatam mutaretur, ut ait Gonettus eadem disp. num. 22. atqui juxta principia Adversarii non uniretur per unionem distinctam: ergo quòd Verbum non uniatur humanitati per unionem distinctam, non sufficit ad impediendam mutationem. Contrà 2. Subsistentia creata, ut fatetur Gonettus disp. 6. num. 45. uniretur naturæ creatæ absque unione distincta; atqui natura creata, ut Adversarius ipse fatetur, si subsistentia adveniret illi de novo, mutaretur: ergo &c.

25. Respondeo cum Eximio Doctore disp. 8. num. 6. Valentia disp. 1. cap. 1. punct. 2. & communi Nostrorum sententia, nego maj. ad probationem dist. maj. est habere intrinsecè aliquid, quod antea non habebat, eo modo, quo nempe melioretur, vel deterioretur, conc. quo nec melioretur, nec deterioretur, nego maj. & distincta pariter min. nego consequentiam. Ad Confirmationem dist. maj. DEUS esset homo per meliorationem, vel per deteriorationem sui, nego, sine melioratione, vel deterioratione sui, conc. maj. & distincta minori, nego consequentiam. Ratio horum est, quia si mutatio confundatur cum motu; est transitus rei à privatione ad formam; cùm autem res illa, vel subjectum per formam deterioretur, vel melioretur, ideo ea omnia, in quibus reperitur, vel reperiri potest mutatio, vel meliorantur, vel deteriorantur per mutationem; sic materia prima melioratur per formam rationalem, & deterioratur per illius amissionem; idem est in pariete respectu albedinis, & in causa respectu suarum proprietatum; atqui sic evidenter apparet, quòd Deus per Incarnationem non mutetur.

Deus enim, ut lumine naturæ constat, non 26.
esset DEUS, si non esset summè perfectus, & haberet quamcunque excogitabilem perfectionem, & excluderet à se omnem imperfectionem; idcirco actus divini liberi, & contingentes, eò quòd si non haberent perfectionem existendi ab æterno, & in æternum, non haberent omnem perfectionem possibilem in sua linea, eo ipso non essent divini, neque possent cum DEO identificari, ut dixi in Tractatu de Deo num. 84. Unde cùm unio hypostatica in Deo inveniat omnem possibilem perfectionem intrinsecam, sine imperfectione, ideóque inveniat repugnantiâ cum omni imperfectione; exinde Verbum Divinum per illam unionem nequit meliorari, aut deteriorari, proindéque mutari non potest.

Quamobrem Unio hypostatica non potest 27.
dici intrinseca Verbo eo modo, quo forma dicitur intrinseca subjecto; quia ut bene notavit Eximius Doctor loco suprà citato, forma est intrinseca intrinseceitate perficiente subjectum, & constituente ejus naturam in ratione naturæ: nec dici potest extrinseca respectu Verbi, quia revera ea denominatio est quædam natura intimè, & substantialiter Verbo conjuncta; ideóque est veluti media inter extrinseceitatem naturæ, & intrinseceitatem formæ: nam quia est à natura realiter distincta, videtur extrinseca; quia verò est à natura intimè conjuncta, videtur intrinseca; & ita potiùs est appellanda, ideóque est intrinseceitas media inter denominationem extrinsecam, & intrinsecam formæ.

Objicies 5. Si Deus uniretur intrinsecè 28.
humanitati modo citato, esset causa materialis Unionis hypostaticæ, causa formalis humanitatis, & pars hujus compositi Christus; sed hoc Deo repugnat: ergo &c. Confirmatur. DEUS infinitè distat ab humanitate; ergo nequit intrinsecè uniri humanitati. Respondeo nego maj. quia Deus non esset causa materialis unionis; siquidem unio educeretur duntaxat dependenter ab humanitate, quæ

quæ perfectibilis eſt; ſubjectum etenim eductionis reverâ eſt perfectibile: DEUS autem perfectibilis non eſt, ut ſuprà diximus; unde nequit eſſe cauſa materialis humanitatis, forma etiam, ſive cauſa formalis ex intrinſecis ſuis eſt imperfecta, & perfectibilis: Verbum autem Divinum non eſſet extremum incompletum, neque capax, ut perficeretur, vel deterioraretur, ideóque neque eſſet cauſa formalis humanitatis, neque pars hujus compoſiti Chriſtus; ſiquidem pars, quatenus pars, eſt eſſentialiter incompleta, poteſt perfici, vel deteriorari.

29. Quin potiùs forma rigoroſè ſumpta, ſi ſubſtantialis ſit, eſt de phyſico conſtitutivo naturæ in ratione naturæ, quam conſtituit cum altera parte, eſtque ſimul principium perfectibile operationum compoſiti; ſicut forma vegetativa eſt principium vegetationis; ſenſitiva ſenſationis, & intellectiva intellectionis; quæ prædicata, cùm non conveniant modis, ſufficiunt, ut diſtinguamus modos à formis. Unde cùm multò magis conveniant Verbo reſpectu humanitatis, multò magis ſufficiunt, ut cognoſcamus, Verbum non eſſe formam humanitatis. Si autem forma ſit accidentalis, naturâ ſuâ ordinatur ad perficiendum aliquod ſubjectum, cum quo poſtulat uniri, ut exiſtat modo ſuæ naturæ accomodato. Verbum autem non exigit uniri humanitati, ut exiſtat modo accomodato ſuæ naturæ divinæ, ideóque neque eſt forma ſubſtantialis, neque accidentalis humanitatis, ſed eſt purus terminus ſibi intrimè aſſumens humanitatem, ſubſtantialiter eam perficiendo, & ſuſtentando.

30. Ad Confirmationem diſt. ant. infinitè diſtat entitativè, conc. unitivè, nego antec. & conſequentiam; nam licèt non ſit inter Verbum, & humanitatem proportio naturalis, eſt tamen proportio obedientialis, ſeu non repugnantia; nam in verbo reperitur ratio ſubſiſtentiæ, & in humanitate capacitas naturæ, ideóque eſt major proportio inter hæc extrema ad componendum unum per ſe, quàm inter ſubſiſtentiam, & qualitatem, quia licèt in perfectione magis diſtent, tamen in ratione ſubſiſtentiæ ex parte humanitatis perfectibilis, & ex parte Verbi potentis perficere majorem habent convenientiam, unde multò magis conveniunt in ordine ad unionem ſubſtantialem.

31. Objicies 7. Ipſamet realis diſtinctio Verbi, & humanitatis videtur repugnare compoſitioni ex natura, & ſubſiſtentia: ergo non poteſt Verbum Divinum uniri hypoſtaticè humanitati. Probatur ant. Compoſitio ex natura, & ſubſiſtentia conſurgit ex re, & modo: atqui Verbum Divinum, cùm modus non ſit humanitatis, ſupplere non poteſt defectum modi, ut inductione conſtat: etenim quia figura eſt modus quantitatis, non poteſt habere, neque figurari quantitas per realitatem diſtinctam, id eſt absque modo; & idem eſt de ſeſſione reſpectu ſedentis, & de ſimilibus: ergo &c. Reſpondeo nego antec. ad probationem diſt. maj. conſurgit ex re, & modo, quando non ſubſiſtit propriè, ſed aliud ſubſiſtit in illa, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Ratio eſt, quia humanitas hypoſtaticè unita Verbo Divino non eſt id, quod propriè ſubſiſtit, cùm non ſiſtat in ſe, ſed in Verbo, ideóque Verbum propriè in illa ſubſiſtit; unde ad ſummum eminenter dicitur humanitas ſubſiſtere in Verbo, quatenus illius ſubſiſtentia terminatur, & quaſi ſuſtentatur, & in hoc ſenſu dicitur communiter à Theologis Verbi ſubſiſtentiam ſuppleviſſe defectum propriæ ſubſiſtentiæ humanitatis. Cæterùm cùm hoc ſupplementum non ſit ad hoc, ut humanitas verè ſubſiſtat, non debet eſſe modus, ad quem attinet facere, ut humanitas in ſe verè, & propriè ſubſiſtat. Verùm de his infrà, cùm de ſubſiſtentia agendum erit.

Objicies 8. Nequit moveri unio de loco ad locum, quin moveantur extrema unionis: ſed quando Unio hypoſtatica moveretur, non poſſet moveri DEUS, utpote immenſus; ergo implicatoria eſt illa unio inter DEUM, & humanitatem. Confirmatur 1. Nequit unio unire unum extremum, & poſtea aliud: ſed virtualitas, qua Deus correſpondet loco A, non eſt virtualitas, qua correſpondet loco B: ergo quando moveretur unio ex loco A ad locum B, moveretur etiam illa virtualitas. Confirmatur 2. Nequit cognitio intuitiva in primo inſtanti repræſentare locationem Dei in loco A ſine locatione Dei in loco B, & in ſecundo inſtanti repræſentare locationem in loco B ſine locatione Dei in loco A: ergo nequit unio nunc unire Deum in loco A, & poſtea unire illum cum humanitate in loco B. Hoc argumentum nullam habet vim, ſi cum pluribus Theologis admittamus uniones diſtinctas ad diverſos motus locales Chriſti Domini. Cæterùm alia eſt facilis ſolutio. Quare 32.

Reſpondeo diſt. maj. ſi extrema non ſint in loco, ad quem ſit motus, conc. ſi ſint, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam; quia cùm DEUS ſit ubique, poteſt ubique uniri, quin ipſe moveatur, quantumvis moveantur unio, & humanitas, quæ ubique non ſunt. Ad primam Confirmationem nego ſuppoſitum min. quia immenſitas DEI eſt indiviſibilis virtualitas, quæ non componitur ex prædicatis virtualiter diſtinctis; aliter enim illæ virtualitates eſſent prædicata Divina, & non eſſent in omni loco, & daretur aliquod prædicatum Divinum, quod non eſſet in omni loco, quod abſurdum eſt. Quin potiùs unio non unitur immediatè alicui excogitatæ virtualitati loci, ſed ſubſiſtentiæ Divinæ, aut prædicato Divino, quæ in omni loco reperiuntur. Ad ſecundam Confirmationem 33.

negò consequentiam; quia illa cognitio intuitiva repræsentat locum A, cúmque locus A non sit locus B, variaret objecta, quod repugnat, cùm cognitio sit essentialiter repræsentatio sui objecti, & non alterius, quod semel non repræsentat; at unio illa non unit locum A, sed Deum duntaxat cum humanitate, quæ cùm idem sint in loco *A*, & in loco B, quin variet extrema, nectet illa eodem modo in loco *A*, & loco B.

34. Objicies 9. contra quintam assertionem: datur medium in natura, ex quo aliquo modo inferri possit, duo identificari cum eodem tertio, quin identificentur inter se: ergo principium illud: *quæ sunt idem cum uno tertio, sunt idem inter se*; non ita rapit intellectum solis naturæ viribus relictum, ut non possit habere aliquam suspicionem de Mysterio Incarnationis individualiter sumpto, ut defactò contigit. Probatur antec. Possunt in natura duo puncta continui uniri physicè, & realiter cum tertio, quin physicè, & realiter uniantur inter se: ergo intellectus creatus solis naturæ viribus relictus poterit exinde inferre, duo identificari cum uno tertio, quin identificentur inter se. Confirmatur. Materia, forma, & unio identificantur realiter cum Petro, sed distinguuntur realiter inter se: ergo intellectus creatus solis naturæ viribus relictus quàm optimè valet inferre, posse duo identificari realiter cum uno tertio, & distingui realiter inter se. Qui sic arguunt, profectò, ni fallor, non satis penetrant rationem identitatis. Quare

35. Respondeo nego antec. ad probationem conc. ant. & nego consequentiam. Disparitas est, quia per unionem totum esse unius non fit totum esse alterius, ut fit per identitatem, ac proinde attento præcisè naturæ lumine inter duo unitas potest convenire uni, quod non convenit alteri; idque naturaliter inferri potest; secus inter duo identificata. *Ad* Confirmationem dist. maj. identificatur quælibet ex his partibus cum Petro adæquatè sumpto, nego, inadæquatè accepto, conc. maj. & concessa min. nego consequentiam; quia materia identificatur solùm cum materia Petri, & non cum forma; forma quoque solùm identificatur cum forma Petri, & non cum materia, ac proinde neque identificatur cum eodem tertio, neque inter se; quod idem patet in natura universali respectu inferiorum ab illis abstracta per modum aggregati præscindentis à differentiis; nam quæ prædicatur, & reverâ identificatur cum Petro, non est illa pars inclusa in universali, quæ reverâ identificatur cum Paulo: hæc enim perfectio identificandi sibi extrema realiter distincta, solùm reperiri potest in DEO ob infinitum pelagus suæ perfectionis, ad quod inscrutabile Mysterium intellectus creatus, sive humanus, sive Angelicus solis naturæ viribus relictus non potest assurgere, licèt id facilè possit credere ex verbo Dei nobis applicato tot signis evidentis credibilitatis nostræ Fidei, de quibus latè in Tractatu de Fide à n. 145. egimus. *Alia* argumenta, quæ hic fieri possent, dissolvemus tota sect. 4. à num. 5.

SECTIO III.

De cognoscibilitate Mysterii jam facti.

MYsterium Incarnationis jam existens dupliciter cognosci potest, nempe vel intuitivè, vel abstractivè. Intuitivè cognoscitur facialiter in se ipso; abstractivè verò cognoscitur inferendo illius existentiam ex cognitione alterius rei connexæ cum existentia Incarnationis: non posse creaturam solo lumine naturæ ductam cognoscere intuitivè Incarnationem, constans est omnium Theologorum sententia, cùm nullum sit medium in natura ad hanc intuitivam cognitionem, ut constat ex dictis, & infertur ex cap. 13. Isaiæ dicentis, *Generationem ejus quis enarrabitur?* quæ verba de temporali etiam generatione intellexit S. Leo Papa Serm. 9. de Nativit. Domini dicens: *In Christo JESU Filio Dei non solùm ad Divinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est per Prophetam: generationem ejus quis enarrabit?* unde præsens controversia duntaxat procedit de cognitione abstractiva. 36

Scotus in 4. distinct. 10. quæst. 8. judicat, Angelum evidentia naturali cognoscere Incarnationem jam factam; quia cognoscit humanitatem Christi carere propriâ subsistentiâ: ergo cognoscit subsistere per subsistentiam alienam, non creatam; quia cùm omnia entia naturalia cognoscat, cognosceret etiam illam creatam subsistentiam Divinam: ergo evidenter deducit, DEUM factum esse hominem, seu incarnatum esse. Medina verò quæst. 2. Prœem. ad 6tum argumentum omnia concedit usque ad ultimam consequentiam, quam negat; quia Anima Christi in triduo mansit hypostaticè unita Verbo, & non erat Deus: ergo evidenter non infertur, DEUM factum esse hominem. Cæterùm reliquis concessis, ubi procedit quæstio, nimirum de constitutione entis per se ex humanitate, & subsistentia Verbi, negari non potest ultima consequentia; quia humanitas est totum adæquatum esse hominis: ergo unita DEO manebit per prædicationem in concreto, sive per communicationem idiomatum (ut ajunt Theologi) *Deus homo*, & *homo Deus*. Nec exemplum Animæ venit ad rem, cùm Anima non sit adæquatum, sed inadæquatum esse hominis. 38 41

Idcirco communis sententia Theologorum docet 1. hominem solo naturæ lumine ductum, nec evidenter, nec probabiliter posse abstractivè cognoscere Incarnationem jam factam, ut defactò contigit; quia nullum agnoscit me-

dium

dium in natura ut connexum cum existentia Incarnationis: docet 2. Angelo deberi cognitionem omnium rerum naturalium secundùm naturalem rerum constitutionem, non verò secundùm potentiam obedientialem; unde licèt naturam creatam comprehendere possit, non tamen omnia, quæ juxta capacitatem obedientialem DEUS potest in tali natura operari, quod tanquam omnino certum supponit Exim. Doct. disp. 22. sect. 1. cúmque Unio hypostatica, & carentia propriæ subsistentiæ sint secundùm potentiam obedientialem humanitatis, non attinent ad naturalem Angeli cognitionem.

39. Huc reducuntur reliquæ Theologorum sententiæ; Molina enim ait, Angelum non cognoscere carentiam propriæ subsistentiæ in humanitate quantumvis naturalem; quia incognoscibilis est absque termino supernaturali Angelo indebito: alii cum Vasquez, Arrubal, & Granado censent, talem carentiam ab Angelo non cognosci, quia inducta est modo intrinsecè supernaturali; alii cum Bernal disput. 1. sect. 4. & §. 4. docent, Angelum non posse naturaliter talem carentiam cognoscere, quia hæc est intrinsecè, & entitativè supernaturalis; ubi plura addunt, quæ approbare non possum, ut suo loco dicemus: conveniunt tamen communiter Doctores, adhuc post operatum Mysterium non posse intellectum creatum absque illius captivitate cognoscere naturaliter Incarnationis Mysterium, ut defactò contigit. Cum quibus

40. Assero 1. Non potest intellectus creatus solis viribus naturæ relictus absque illius captivitate cognoscere Mysterium Incarnationis jam factum. Probatur 1. Si aliquo modo posset cognosci hoc Mysterium, postquam factum est, ab intellectu creato suis viribus recto, maximè ex operibus, & miraculis Christi Domini in se præcisè spectatis, quin opus esset captivare intellectum propter revelationem Divinam revelantem Mysterium, & per illa opera, & miracula nobis applicata. Atqui ex miraculis, & operibus Christi in se duntaxat spectatis, & quatenus sub naturalem cognitionem cadere possunt, non potest evidenter intellectus creatus naturaliter inferre existentiam hujus Mysterii jam facti: ergo &c. Probatur min. Illa opera, & miracula Christi in se præcisè spectata, quatenus sub naturalem cognitionem cadere possunt, non erant evidentia signa Divinitatis unitæ hypostaticè humanitati, si separentur ab illo testimonio, quo ipsemet Christus dicebat, se esse DEUM, sive à revelatione Divina, in cujus confirmationem Christus talia miracula faciebat.

41. Nullum equidem fuit opus, nullum miraculum à Christo factum, quod non potuerit fieri à DEO per creaturam personaliter à se distinctam; unde & ipse Christus Joannis 14. dixit: *Amen dico vobis, qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet;* idcirco ea opera, Christi eatenus conducebant ad nostram cognitionem de Incarnationis Mysterio, quatenus fiebant in confirmationem illius veritatis, qua Christus revelabat, se esse DEUM; sic enim revelatio per illa miracula nobis sufficienter applicabatur ad credendum, & ad captivandum intellectum in obsequium fidei: ergo sine captivitate intellectûs adhuc post Mysterium jam factum non potest ulla creatura solo lumine naturæ ducta cognoscere existentiam Mysterii, ut defactò contigit.

Probatur 2. Licèt intellectus creatus solo 42.
lumine naturæ ductus bene cognoscat, Deum esse supra id, quod nos concipere possumus, cùm sit infinitus, & non limitetur limitatione imperfecti nostri modi cognoscendi, non tamen potest solo lumine naturæ cognoscere, has esse perfectiones illas Divinas, quæ sunt supra id, quod nos cognoscere possumus; aliter eo ipso non essent supra id, quod nos cognoscere possumus; unde ex solo Verbo Dei, sive revelatione JESU Christi innotescere non potest intellectui creato, quænam sint illæ perfectiones: sed una ex his perfectionibus est, quòd secunda Trinitatis Persona humanitatem hypostaticè assumat; ex quo intellectus agnoscet Verbum identificatum cum natura Patris, & Spiritûs Sancti, uniri physicè humanitati, quin physicè uniantur Pater, & Spiritus Sanctus, ac proinde dari in DEO summam illam perfectionem, vi cujus ea prædicata, quæ sunt idem cum uno tertio, non sunt idem inter se, quæ quidem est ex perfectionibus, quæ sunt in Deo supra id, quod nos concipere possumus, ac proinde ad quam pervenire non possumus sine captivitate intellectûs, juxta doctrinam Augustini citati num. 2. ubi de hoc Mysterio dicebat: *fateamur ergo, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.* Sed ex his apertè infertur assertio nostra: ergo &c.

Assero 2. cum Exim. Doctore disp. 3. sect. 43.
2. quamvis carentia propriæ subsistentiæ humanitatis naturaliter cognosceretur ab Angelo, non posset exinde Angelus solo lumine naturæ ductus absque intellectûs captivitate nec evidenter, nec probabiliter positivè inferre existentiam Incarnationis jam factæ, ut defactò contigit. Probatur 1. Quamvis Angelus naturaliter videret humanitatem privatam propriâ subsistentiâ, non tamen posset naturaliter cognoscere, quòd ea humanitas non posset divinitùs subsistere per subsistentiam subsistentiæ supernæ Angelo naturaliter ignotæ, vel per subsistentiam creatam, quam ob occultum finem Deus Angelo revelaverit; neque haberet tantam difficultatem, quantam ad sibi suadendum, posse aliqua identificari cum uno tertio, quin sint idem inter se; etenim ad suspicionem tantæ perfectionis non posset naturaliter accedere; siquidem ista in Deo est una ex illis perfectionibus, quæ sunt

supra

supra id, quod nos concipere possumus; ad probabilitatem autem, vel saltem ad suspicionem de eo, quòd humanitas possit divinitùs carere omni subsistentia, vel subsistere per alienam subsistentiam sibi divinitùs occultatam accedere naturaliter posset: ergo ex cognitione illius carentiæ neutiquam inferret existentiam Mysterii Incarnationis jam facti, ut defacto contigit.

44. Probatur 2. Istud principium: *quæ sunt idem cum uno tertio, sunt idem inter se*, ita obruit vires intellectûs creati, ut independenter à lumine supernaturali sibi suaderet extendi etiam ad omnia prædicata Divina, ut diximus n. 15. Quòd autem humanitas possit esse privata omni penitus subsistentia, vel quòd possit subsistere per subsistentiam supernaturalem creatam, vel quòd non possit, non ita obruit intellectûs vires: ergo Angelus potiùs dubitaret, an humanitas illa esset privata omni penitus subsistentia, vel an subsisteret per supernaturalē subsistentiam sibi occultam, quam sibi suaderet, vel in suspicionē veniret, an subsisteret per subsistentiam Verbi; proindéque solis viribus naturæ ductus neutiquam veniret in cognitionem Mysterii jam facti, ut defacto contigit.

45. Confirmatur ab aliis 1. quia Angelus naturaliter cognoscit accidentia in Eucharistia esse sine subjecto panis, & vini; sed non ideo cognoscit ea accidentia uniri alteri subjecto: ergo licèt naturaliter cognoscat humanitatem Christi spoliatam esse propriâ subsistentiâ, non ideo inferret, unitam esse alteri subsistentiæ, & præsertim Divinæ. Confirmatur 2. Non esset Angelo tam difficile sibi suadere eam Christi humanitatem esse creaturam altioris perfectionis, cujus cognitio ipsi non debebatur, quàm suspicari, quòd esset hypostaticè unita DEO in unitatem Personæ: ergo ex illa carentia non inferret existentiam Mysterii jam facti, ut defacto contigit; ergo &c. Ex dictis

46. Fit 1. Dœmones solis naturæ viribus ductos non cognovisse Mysterium Incarnationis. Ratio est, quia nullum est medium in natura ad id cognoscendum, ut constat ex dictis; unde licèt suspicionem aliquam habuerint, exinde procedebat, quia revelatum jam erat illis Mysterium Incarnationis, cui noluerunt assensum Fidei præbere, & superbiâ ducti noluerunt se submittere homini DEO, propter quod peccatum damnati fuerunt. Quare postea videntes opera Christi, meritò suspicati sunt, an homo ille mirabilis esset DEUS, cui ipsi tenebantur se submittere, quod modò inviti credunt, & ad eum assensum naturalem coguntur, ut communiter docent Theologi, & diximus in Tract. de Fide à num. 563. & num. 992. 733. juxta illud Jacobi 2. *Et Dæmones credunt, & contremiscunt*; non tamen exinde Dœmon certam notitiam de Christo habuit, dum erat Viator, ut communiter docent Sancti Patres. Unum pro cunctis producam Ignatium Epist. 1. quæ est ad Philippenses; ubi circa medium Dœmonem exagitans ait: *ignoras tu, quis sit genitus? qui omnium rerum scientiam tibi vendicas? at multa te latuerunt; MARIÆ virginitas, & admirandus ille partus*; & Epist. 11. quæ est ad Ephesios paulò ante finem: *Principe hujus mundi latuit virginitas, & partus ipsius.* Vide num. 13.

47. Fit 2. Intellectum creatum posse elicere non solùm probabilitatem, sed etiam actum naturalem adhæsivè certum de existentia Mysterii Incarnationis, si sumat pro fundamento medium supernaturale ducens ad talem assensum, ad quem ab ipsa omnipotentia cogatur. Ratio est, quia ita credunt Dœmones, & contremiscunt memores revelationis jam factæ in primo suæ creationis instanti, & memores sententiæ suæ æternæ damnationis, quia huic Mysterio non crediderunt; coguntur enim à Divina omnipotentia juxta communem sententiam Theologorum, ut præbeant assensum naturalem adhæsivè certum illi sententiæ de eorum damnatione; licèt enim actus naturalis non possit habere connexionem cum Ente supremo, potest tamen sine illa connexione esse adhæsivè certus; sic enim plures Hæretici circa suos errores habent actus naturales, per quos ipsis erroribus absque ulla dubitatione adhærent, ideóque illi actus vocantur adhæsivè certi; unde mirum non erit, quòd circa veritatem supernaturalem possint etiam reperiri actus adhæsivè certi, qui nullum dubium relinquunt in oppositum: sed de his à n. 50.

48. Fit 3. objectum materiale hujus Tractatus minùs præcipuum esse quodlibet perfectibile, à Christo adæquatè, vel inadæquatè distinctū, de quo disputationes istæ in conclusionibus enuntiant, cujusmodi est Christi voluntas de qua inferimus inpeccabilitatē, & unio hypostatica, quam inferimus esse intrativè supernam, objectum verò magis præcipuum, & attributionis intrinsecè ex natura hujus partis Theologicè esse Verbū Divinum incarnatū, sive *Deum hominem*; siquidem Tractatus iste ex natura sua omnia refert ad Christum Dominum; unde omnes hujus Tractatus conclusiones objectivè sunt objectum materiale adæquatum & quælibet una, vel plures ipsarum sunt objectum materiale inadæquatum.

49. Objectum formale adæquatum sunt omnia paria præmissarum objectivarum, ex quibus hæc Theologica conclusio infertur, inadæquatum verò quodlibet par vel paria illarum; v. g. in hoc syllogismo: *omnis homo est risibilis: sed Christus est homo*: ergo Christus est risibilis, objectum materiale hujus conclusionis Theologicæ est Christus risibilis, formale verò identitas duorum cum tertio reperta in præmissis, ex qua movetur intellectus ad assensum conclusionis. Quando autem hæc pars Theologiæ si, vel non sit scientia, aut facultas practica, vel spe-

cu-

culativa pendet ex principiis, quæ traduntur in proœmialibus Theologiæ, ubi quæritur, an Theologia ſit practica, an ſpeculativa, & an obſcuritas concluſionis Theologicæ ſit eſſentialis, vel accidentalis huic facultati; ſi enim accidentalis tantùm ſit, poterit eſſe ſubſtantialiter ſcientia, cùm in patria manere poſſit evidentia ſine obſcuritate. Verùm de his ſuo loco.

SECTIO IV.

Solvuntur Oppoſita.

50. OBjicies 1. contra primam aſſertionem: plures Judæi, qui damnati fuêre, eò quòd non crediderint Myſterium Incarnationis, jam factum, cognoſcunt modò in inferno naturaliter ſententiam ſuæ damnationis certiſſimam eſſe juſtiſſimam, & irrevocabilem per totam æternitatem: atqui ex illa naturaliter, & evidenter inferunt exiſtentiam Myſterii Incarnationis, ut defactò contigit; cùm naturaliter, & evidenter cognoſcunt, non poſſe mentiri DEUM, qui ſententiam illam tulit: ergo &c. Reſpond. diſt. maj. cognoſcunt actu adhæſivè certo con. majorem; actu metaphyſicè annexo cum exiſtentia Myſterii ſupernaturalis, nego maj. & diſt. min. naturaliter, & evidenter evidentiâ tantùm adhæſivâ, concedo; evidentia reali metaphyſicè connexa cum exiſtentia Myſterii ſupernaturalis, nego maj. & conſequentiam. Ratio eſt, quia eo ipſo, quòd Myſterium Incarnationis jam factum ſupernaturale ſit, exiſtentia illius eſt indebita cuicumque enti naturali creato, cùm ſit ſuprà naturæ vires; unde actus ille naturalis non poteſt eſſe realis evidentia connexa cum hoc Myſterio ſupernaturali; proindéque ſi actus ille ſit naturalis tantùm, erit adhæſiva certitudo, qua intellectus ſibi firmiſſimè perſuadeat exiſtentiam talis Myſterii: eatenus enim habetur ea cognitio naturalis, quatenus deſervit ad pœnam damnatorũ, quem in finem non minùs conducit ea firmitas naturalis adhæſiva, quàm deſerviret alia quævis cognitio.

51. Conſultò dixi: *ſi actus ille ſit naturalis*: nam licèt non poſſit eſſe ſupernaturalis Theologicè quia ens Theologicè ſupernum ex intrinſecis ſuis conducit ad vitam æternam, ut ex conciliis & Patribus dixi à num. 386. de virtute pœnitentiæ, & actus ille damnatorum non poſſet conducere ad vitam ætrnam, ſed potiùs ad æternam pœnam & damnationem eorũ; at poteſt eſſe ſupernaturalis philoſophicè, ſiquidem Ens ſupernũ philoſophicè, licèt etiam excedat vires naturæ, non tamen habet intrinſecam conducentiã ad vitam æternam, ut patet in qualitate comburente, & torquente animas in inferno, & in aliis, de quibus in eo ipſo Tractatu egi n. 383. 381. & 428. unde quòd tale Ens in damnatis reperiatur, nullum prorſus eſt inconveniens, quin potiùs Ens Theologicè ſupernum, cujus ordinatione ad vitam æternam potuerunt in via uti, & abuſi ſunt damnati, defacto in illis manet, ut patet in Characteribus Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, quos utpote indelebiles retinent ad majorem ipſorum ignominiam, cùm ita conſpiciantur ab altiori ſtatu prolapſi, & propter ſua crimina dejecti in infernum, ut inter infames perpetuò plectantur; imò cùm Ens ſupernum philoſophicè non radicetur in naturæ viribus, ſed in amplitudine potentiæ DEI, nullum prorſus eſt inconveniens, quòd habeat connexionem cum Ente Theologicè ſuperno, unde licèt ad ſolvendũ argumentum ſatis ſit prima reſponſio, quam communiter tradunt Theologi cenſentes illum actum eſſe naturalem, ſicut etiam Fides Dœmonum communiter aſſeritur naturalis, quia opus non eſt recurrere ad ſuprema quando difficultates aptè ſolvuntur ſiſtendo in rebus naturalibus; at hoc non impedit, ne ſolutio iſta efficax etiam ſit, ſi DEUS, ut liberè poteſt, velit hoc fieri per actum philoſophicè ſupernum.

52. Objicies 2. contra ſecundam aſſertionem: Dœmonia ſciebant Chriſtum eſſe Filium DEI, ſive DEUM ſimul & hominem: ſed hanc ſcientiam non habebant per actum ſupernaturalem; ſiquidem in damnatis ex communi Theologorum, ut diximus num. ſuperiori actus ſupernaturalis non reperitur: ergo habebant ſcientiam de Incarnationis Myſterio naturalem, ac proinde poſt exiſtentiam Myſterii poteſt intellectus Angelicus ſolo lumine naturæ ductus invenire medium ſaltem in carentia ſubſiſtentiæ propriæ humanitatis, ex quo ſcientificè inferat exiſtentiam Myſterii, min. & conſequentia tenent. maj. verò patet ex cap. 4. Lucæ, ubi dicitur: *exibant Dœmonia à multis clamantia, & dicentia, quia tu es Chriſtus Filius Dei, & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*: ergo &c. Reſp. neg. maj. ad probationem conc. ant. & neg. conſequentiam; quia illa verba *non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*: nequaquam indicant, quòd Dœmonia ſciverint, ſed quòd ſe ſcire, & evidenter noſſe jactabant. Quare Chriſtus non ſinebat ea mendaciter loqui dicendo, ſe ſcire, ipſum eſſe Chriſtum.

53. Sic cenſent plures noſtri cum Bernal. pluréſq; Thomiſtæ cum Gonnet, intelligendũ eſſe textum illum, præſertim cùm iſti explicationi conſonent potiſſimùm teſtimonia, quæ dedim⁹ n. 46. quibus conſentire videtur Div. Thomas quæſt. 41. art. 11. ad 1. & Opuſc. 60. cap. 1. quia potiùs Dæmones ſuſpicionem illam habebant non quidem deductam ex ſolis naturæ principiis, ſed cùm habuerint in primo ſuæ Creationis inſtanti revelationem de Myſterio Incarnationis ſuo tempore efficiendo, & cùm vitam, opera, & miracula Chriſti maximè admirarentur, facilè ſuſpicari poterant, an hic ille eſſet DEUS & Verbum Incarnatum: hanc autem ſuſpicionem ſatis manifeſtârunt Matth. 4. quan-

4. quando Dœmon tentans Christum dixit: *si Filius DEI es, dic, ut lapides isti panes fiant.* cæterùm cùm hæc ex lumine revelationis, & principiis supernis procederent adjuvantibus ad actum illum eliciendum quantumcunque inconnexum cum illis principiis, ut suprà diximus, neutiquam exinde inferri potest, quòd intellectus creatus solis naturæ viribus ductus absque ipsius captivitate possit habere cognitionem de hoc Mysterio, ut defactò contigit. Quòd si DEUS voluerit illis concedere actum philosophicè supernum, nullum esset inconveniens, ut constat ex num. 51.

54. Objicies 3. Angelus cognoscens naturam animæ separatæ potest naturaliter cognoscere Resurrectionem possibilem: ergo cognoscens humanitatem privatam propriâ subsistentiâ poterit etiam ex hoc medio naturaliter inferre, possibile esse Mysterium Incarnationis. Respondeo dist. ant. si anima separata exigat reunionem reduplicativè, concedo; si specificativè tantùm acceptam, nego antecedens & consequentiâ. Ratio est quia si anima separata exigeret naturaliter reunionem reduplicativè acceptam, jam ex illa inferret Angelus Resurrectionē esse purè naturalem, ac proindè Possibilem: neque in hoc invenire posset tot difficultates, quot in Mysterio Incarnationis, ut ex dictis patet: at humanitas privata propriâ subsistentiâ, exigere non potest unionem hypostaticam, cùm ista sit intrinsecè supernaturalis, imò in ista, ut ex dictis constat, quàm plurimas inveniret Angelus difficultates; unde in ea humanitate non haberet medium sufficiens ad eam unionem inferendam. Dixi: *si anima separata exigat reunionem reduplicativè acceptam;* quia plures censent, animam separatam non appetere naturaliter reunionem, eò quòd in statu separationis nobiliores operationes eliciat, quàm eliciat unita corpori dependenter à phantasmatibus: ex quo communiter docent, defectum unionis satis compensatum esse, ne anima talis sine illa unione remaneat violenta.

55. Alii autem concedentes appetitum naturalem in anima separata ad unionem, quia nobiliores illæ operationes non sunt incompossibiles cum reunione, negant adhuc Resurrectionem naturalem esse possibilem, quia materia, quæ informata erat anima rationali, est informata formâ cadavericâ, aut aliâ formâ distinctâ, ad quam est dispositа, quámque materia sub illis dispositionibus exigit, & non exigit animam rationalem; unde fieret violentia illis dispositionibus, & formæ, quam exigunt, si illæ destruerentur, & anima rationalis introduceretur, nec agens creatum naturaliter potest hoc præstare; unde anima separata non potest sine violentia naturæ iterum uniri; quamobrem non reunietur à DEO, ut Authore naturæ, sed ut agente supremo, contra præviam exigentiam naturæ, & quidem anima rationalis licèt possit naturaliter exigere unionem specificativè sumptam, non tamen reduplicativè, ut jam destructam; cùm ad hoc requirantur vires supra naturam: unde ex naturali animæ exigentia nequit Angelus naturaliter inferre Resurrectionem possibilem; idcirco ad evitandam quæstionem philosophicam, quæ ad nos non attinet, respondi per illam conditionalem.

Objicies 4. Mysterium Incarnationis non excedit vires naturales intellectus humani: ergo multò minùs excedet vires naturales intellectus Angelici. Probatur ant. Si excederet vires naturales intellectus humani, non potuissent plures Gentiles cognoscere, & prædicere hoc Mysterium modo quo fuit factum, ut revera cognoverunt, & prædixerunt, ut constat ex prædictionibus Sybillarum, quas referunt Lactantius lib. 4. divinarum institutionum cap. 15. & 18. Clemens Alexandrinus lib. stromatum, Cyrillus lib. 8. contra Julianum, Augustinus lib. 18. de civit. DEI cap. 23. lib. 13. contra Faustum cap. 15. & Orat. contra Judæos Paganos, & Arrianos cap. 26. illi enim Gentiles fide carebant, & sola ratione naturali ducebantur: ergo &c.

Resp. nego ant. ad probationem nego ant. quia prædictiones illæ Sybillarum, & si quæ fuerunt aliæ similes, non potuerunt ex sola naturali cognitione oriri, quandoquidem non erant de re omnino naturali, sed etiam de re futura ex libera DEI voluntate pendente; unde deducitur, Sybillas aut legisse propheticos libros, eisque fidem aliquam adhibuisse, ut in simili dixit Augustinus lib. 10. de Trinitate cap. 29. de platonicis, qui de Verbi æterni generatione nonnulla in suis scriptis indicârunt, vel quod verisimilius est, fieri potuit, ut gratia prophetiæ his hominibus, vel fœminis fuerit communicata, quod de Sybillis judicat Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum, & apertiùs docuit Angelicus 2. 2. quæst. 2. art. 3. ad 3.

Objicies 1. licèt Angelis in primo creationis instanti facta fuerit hujus Mysterii revelatio, nihilominus postea independenter à Divina revelatione & absque ullo respectu ad illam videntes opera Christi poterant probabiliter inferre existentiam hujus Mysterii. Aliter cùm miracula non habeant majorem vim ex accessu revelationis, non possent inferre existentiam Mysterii ex miraculis adhuc adjuncta revelatione. Confirmatur: post existentiam Mysterii actus Judæi negantis Mysterium Incarnationis est falsus, & naturalis: ergo falsitas illa cognoscitur ab Angelo, ac proinde ex illo actu tamquam ex medio naturali infert naturaliter Angelus Mysterium Incarnationis. Respondeo 1. nego ant. quia licèt miracula non possint provenire, nisi à DEO supra naturam operante: at illa ex se indifferentia sunt, ut DEUS contesterur hanc vel alteram veritatem; quæ indifferentia tollitur ex manifestatione divina, aut divina revelatione, quæ infallibilis est, cùmque Deus mentiri non possit, non potest manifestare, se operari ista miracula, ut cognoscamus

scamus per locutionem suam revelantem existentiam Incarnationis, quin exinde inferatur Incarnationis existentia.

59. Quamquam enim fides solùm assentiatur per simplicem ad hæsionem ad Verbum DEI modo, quo latè diximus in tractatu de fide: at discursus non ita procedit, sed nititur præmissis, ita, ut non possit conclusionem inferre ex una, aut altera solùm præmissa, bene verò ex utraque simul; ad eum igitur modum Angelus naturaliter discurrens, licèt non inferret existentiam Mysterii ex sola revelatione non applicata ipsi, neque ex solis miraculis non applicantibus revelationem, inferret tamen existentiam ex utroque simul. Ad confirmationem dist. ant. est falsa ex respectu ad terminum purè naturalem, nego, ex respectu ad terminum supernaturalem conc. ant. & nego con., quia cùm Angelus non possit naturaliter cognoscere existentiam hujus termini supernaturalis, cognoscere, inquam, per enuntiationem, ut procedit quæstio, exinde nequit naturaliter cognoscere, an propositio negans, vel affirmans talem terminum sit vera vel falsa. Ex dictis

60. Fit. 1. dupliciter accipi posse revelationem in præsenti ad cognoscendam existentiam Mysterii post revelationem jam factam. Primò accipi potest ut medium, sicut præmissa objectiva in hunc modum: Mysterium Incarnationis est à DEO revlatum, ut jam existens: ergo reverà existit. 2. accipi potest, ut occasio, ita ut admoniti per revelationem de Incarnationis existentia excitemur ad inquirendum in ipsam naturam media naturalia, per quæ probemus talis revelationis existentiam, & in eo casu dicitur revelatio removens prohibens: sæpè enim plura, quæ ante oculos habemus, non advertimus, quia cùm de illis non simus admoniti, non applicamus curam nostram ad illa advertenda, quæ tamen jam admoniti advertere, & investigare incipimus: certè cùm in natura non habeamus medium ad inferendam existentiam Mysterii Incarnationis, ut constat ex dictis, non sufficit revelatio, si præcisè sumatur ut occasio ad hoc, ut deveniamus in cognitionem de existentia tanti Mysterii; nihilominus quia dantur aliquæ congruentiæ, præsupposita revelatione possumus illas quærere.

Fit. 2. supposita fide posse naturalem rationem ejusdem fidei lumine adjutam vel fide saltem se habente tamquam occasione, conjecturis, & exemplis uti ad explicandum Incarnationis Mysterium. 61 Hoc præstant SS. Patres primò variis exemplis, ut est illud desumptum ex conjunctione spiritualis animæ cum naturali corpore, & unius arboris alteri insitæ, & similitudine igniti, & candentis ferri. Secundò ex aliis fidei Mysteriis, ut quia una divina natura est in tribus suppositis, potest etiam divina virtute fieri, ut plures naturæ in uno supposito conjungantur. Tertiò quia cum tota humana sapientia pervadere non potuerint hoc Mysterium esse impossibile, credibile sit hoc Mysterium possibile esse. Quartò quia sustentare aliud perfectionis est, si rationem, & imperfectionem potentiæ passivæ removeas: hoc autem fit in hoc Mysterio; sustentat enim Verbum naturam humanam absque imperfectione potentiæ passivæ altiori quodam terminandi modo.

* * *

DISPUTATIO II.

DE CONVENIENTIA MYSTERIJ INCARNATIONIS.

62. NOn est quæstio de convenientia utilitatis, & delectabilitatis DEUM afficientis: nam cum Deus in se, & ex se sit summum bonum & summè felix, nullo extra se indiget, ut comodiùs degat, vel crescat in sua felicitate: nec minùs bonum est in se solus, quàm cum societate creaturarum; unde quando DEUS dicitur in Scriptura delectari de aliquibus rebus creatis, non intelligendum est de delectatione propria afficiente DEUM, sed de purè approbante, & benevolente, & quando dicitur aliquid DEO utile, solùm intelligendum est de utilitate purè extrinseca, sive purè conducente ad consequendos suos fines, quòd perinde est, ac dicere, res creatas esse utiles ad alias creatas consequendas. Nec est quæstio de convenientia extrinsecæ utilitatis, ita ut dedeceret Deum Incarnationis omissio: nam plura ex iis, quæ liberè fiunt, ita decent, ut non deceat eorum omissio: sic decet DEUM creatio mundi, quin dedeceret creationis omissio; solùm ergo est quæstio de convenientia honestatis, quæ dicitur convenientia non purè negativa, sed positiva, ut præcisè sonat esse consentaneam, & conformem naturæ ad manifestandas speciales, & peculiares DEI perfectiones.

SECTIO I.

Quibus fuerit conveniens Incarnationis Mysterium?

63. ASsero 1. Mysterium Incarnationis fuit Deo conveniens ad manifestandas plures peculiares perfectiones divinas. Probatur 1. DEUS est summum bonum: bonum autem est sui communicativum: atqui per Incarnationem DEUS se ad extra maximè communicat: ergo conveniens fuit DEO Incarnationis Mysterium ad hanc sui manifestationem. Hoc est præcipuum divi Thomæ argumentum,

quod desumpsit ex Divo Dionysio. Confirmatur ex ipso Divo Thoma Opusc. 60. quod est de humanitate Christi, ubi ait: *congruebat hoc opus Deo, quem decebat sapientiam suam ostendere, potentiam, & bonitatem, quid autem potentius, quàm conjungere extreme distantia; magna enim potentia fuit in conjunctione disparium elementorum, major in conjunctione illorum ad spiritum creatum, maxima verò in unione ad spiritum increatum? quid verò sapientius, quàm quod ad complementum totius universi fieret conjunctio primi, & ultimi, hoc est Verbi Dei, quod est omnium principium, & humanæ naturæ, quæ in operibus sex dierum fuit ultima omnium creaturarum? quid benignius, & melius, quàm quòd creator rerum communicare se voluit rebus creatis? quæ benignitas magna fuit in conjunctione sui cum omnibus rebus per præsentiam; major, quia communicavit se bonis per gratiam; maxima, quia se communicavit Christo homini, & per consequens generibus singulorum in unione Personæ*; in quo testimonio maximè elucent plures Divinæ peculiares perfectiones per istud Mysterium manifestatæ: ergo &c.

64. Probatur 2. Illud dicitur conveniens Deo in præsenti, quo perfectiones Divinæ manifestantur: sed manifestantur quàm maximè per Incarnationis Mysterium: ergo &c. Probatur min. Mysterium Incarnationis pandit Divinam Sapientiam, quæ tantum opus excogitavit; bonitatem, quæ illud voluit; potentiam, quæ exequi valuit; misericordiam, quæ lapsis ita subvenit; charitatem, quæ Deo condignam satisfactionem exhibuit, & sic de aliis Divinis perfectionibus: ergo &c. Confirmatur ex Apost. 1. ad Timoth. 3. ubi de hoc Sacratissimo Incarnationis Mysterio ait: *magnum esse pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne.* Quò respexit Damascenus lib. 3. Ortodoxæ Fidei cap. 1. dicens: *per Incarnationis Mysterium monstratur simul bonitas, & justitia, & sapientia, & potentia Dei. Bonitas quidem, quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem; justitia verò, quoniam homine victo, non alio, quàm homine fecit vinci Tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem; Sapientiam verò, quoniam invenit difficillimi pretii decentissimam solutionem. Potentia verò infinita, quia nihil est majus, quàm Deum fieri hominem:* ergo &c.

65. Assero 2. Incarnatio Verbi Divini fuit quoque conveniens humanitati assumptæ non solùm convenientiâ honestatis: verùm etiam utilitatis, & delectabilitatis. Probatur facilè ex dictis: per Incarnationem enim elevata est humanitas, ut ait Augustinus ad supremum gradum dignitatis supra omnes creaturas; siquidem ex vi illius unionis verum est, dicere: *Deus est homo, homo est Deus*; tum etiam ratione illius unionis debentur humanitati visio beatifica, gratia substantialis, adoratio Latriæ, & alia quàm plurima dona: sed hoc nequit non esse humanitati honestum, utile, & delectabile: ergo &c. Confirmatur. Licèt Mysterium Incarnationis non fuerit conveniens humanitati convenientiâ connaturalitatis, quia non fuit juxta, sed supra debitum, & jus naturæ; quo in sensu loquitur Div. Thomas 3. part. quæst. 1. art. 1. ad 2. ubi ait, *Ad secundum dicendum, quòd uniri Deo in unitate Personæ non fuit conveniens carni humanæ secundùm conditionem suæ naturæ*: at eo ipso, quòd illa convenientia sit supra debitum naturæ, est multò æstimabilior humanitati; siquidem per illam multò magis Deo approximatur, quàm approximari possit attenta duntaxat exigentia suæ naturæ: unde Augustinus in Manuali cap. 26. *ut familiarius diligeretur ab homine Deus, in similitudine hominis Deus apparuit:* ergo &c.

Assero 3. Incarnatio Divini Verbi fuit conveniens toti generi humano. Probatur. Omnia, & singula dona superna, quæ conferuntur toti generi humano, conferuntur ratione meritorum Christi, qui; ut ait Paulus 1. ad Corinthios 1. *factus est nobis Sapientia, & justitia, & sanctificatio*: sed hoc toti generi humano est maximè conveniens: ergo &c. Confirmatur 1. Maximus honor est humani generis, quòd unus hominum sit caput Angelorum: sed hic honor nobis per Incarnationem advenit, ut constat ex paulo ad Ephesios 1. *JESU dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus*: ergo &c. Hanc rationem suo loco latè promovebimus.

Confirmatur 2. Cognatio humani generis cum DEO est maximum decus humani generis: sed hanc cognationem contraxit per Incarnationem, ut constat ex Div. Bernardo Serm. 3. in Vigilia Nativitat. ubi ita ait: *tres mixturas fecit Omnipotens in assumptione nostræ carnis, tria opera singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia facta sint, neque facienda amplius super terram: conjuncta quippe sunt ad invicem Deus, & homo, Mater, & Virgo, Fides & cor humanum: prima mixtura voluit Deus infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se majestas, ut, quod melius habebat, videlicet se ipsum limo nostro conjungere, ut in persona sua sibi invicem unirentur Deus, & limus, majestas, & infirmitas tanta, utilitas, & sublimitas tanta; nihil enim Deo sublimius, nihil vilius limo, & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantáque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur, quidquid limus pertulit, Deus in eo pertuliſſe dicatur tam ineffabili, quam incomprehensibili Sacramento.* Vide num. sequenti.

Assero 4. Mysterium Incarnationis fuit conveniens toti universo creaturarum. Probatur. Illud Mysterium maximè fuit homini conveniens, ut constat ex dictis: sed exinde resultat convenientia saltem conjunctionis in omnes

nes creaturas univerſi; ergo fuit conveniens toti univerſo creaturarum. Probatur min. Omnes creaturæ ſive materiales, ſive ſpirituales habent quandam cognationem cum homine, utpote conſtituto ex materia, & ſpiritu; quapropter dici ſolet microcoſmus, ſeu mundus parvus; unde Gregorius in Evangelia *omnis creaturæ aliquid habet homo, habet namque commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis*: ergo &c. Confirmatur. Ratione Unionis hypoſtaticæ manet natura humana incorporata DEO, quæ quidem dignitas ratione hominis diffuſa eſt ad alias creaturas; ſic Paulus ad Epheſios 1. *propoſuit in eo in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in Cœlis, & quæ in terra ſunt in ipſo*: hæc enim humana dignitas, quanta fuerit, optimè expendit Auguſtinus Tract. 80. in Joannem, ad illa Chriſti verba: *Ego ſum vitis, vos palmites*, ubi ſic differit: *unius quippe naturæ ſunt vitis, & palmites; cùm ergo eſſet Deus, cujus naturæ non ſumus, factus eſt homo, ut in illo eſſet vitis humana natura, cujus & nos homines palmites eſſe poſſemus*: ergo &c.

69. Aſſero 5. Myſterium Incarnationis fuit conveniens ipſis damnatis, ac proinde & Dæmonibus. Probatur facilè. Damnati in Inferno, ac proinde Dæmones, ut docent Theologi cum Div. Thoma, puniuntur citra condignum, id eſt, minori pœnâ, quàm quæ juxta illorum demerita deberet infligi: ſed hoc habetur ex meritis Chriſti: ergo &c. Confirmatur 1. Damnatorum pœna accidentalis augetur per aliorum conſortium, ut docent Theologi: ſed plures, qui alias damnandi eſſent, modò ſalvantur ex meritis Chriſti: ergo per merita Chriſti minuitur pœna Dæmonum, & hominum damnatorum, quod eſt illis valde conveniens. Confirmatur 2. Ut habetur 1. Joannis 3. *in hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli*: ſed hoc fuit Diabolo conveniens; ſiquidem ſi ejus opera non diſſolverentur plures, qui nunc ſalvantur, damnarentur, & Diabolo accreſceret major pœna accidentalis: ergo &c. Hæc enim clariora ſunt, quàm majori explicatione indigeant.

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

70. OBjicies 1. contra primam aſſertionem: ex Incarnatione Verbi Divini ſequitur, majorem deberi à nobis amorem Verbo, quàm Patri, aut Spiritui Sancto: ſed hoc non eſt Deo conveniens; ergo Incarnatio non fuit Deo conveniens. Probatur maj. Majorem amorem debemus illi, qui plura nobis beneficia fecit: ſed ratione Incarnationis Verbum Divinum plura nobis beneficia fecit; ſiquidem pro nobis factus eſt homo paſſibilis, & mortalis: ergo majorem illi debemus amorem. Pater Granadus Controvers. 1. Tractat. 5. diſput. 4. ſect. 4. vocat hoc argumentum ante ſe à nemine excitatum, atque ex ipſo tangit Godoy diſp. 16. §. 1. At verò, ni fallor, eſt multùm debile. Reſp. igitur nego maj. ad probationem conc. maj. & nego min. Ratio eſt, quia Verbum ſolùm fecit nobis beneficium modo, quo voluit ea nobis conferre; illi enim nihil deberemus, qui nolens nobis benefacere, benefaceret; cùm autem Pater, Filius, & Spiritus Sanctus eodem modo, eadémque volitione velint benefacere nobis, ita ut non ſint tria, ſed unum volens, nec tria, ſed unum faciens, cùm Omnipotentia, & voluntas ſint prædicata abſoluta, quidquid Filio debemus, debemus etiam Patri, & Spiritui Sancto.

Quamobrem licèt ſolum verbum factum ſit 71.
homo paſſibilis, cum tamen non ſit diſtinctum volens à Patre Spiritu Sancto, nec diſtinctum faciens, non debemus illi majorem amorem, quàm Patri, & Spiritui Sancto, ſed debemus æqualem amorem tribus Perſonis propter idem beneficium factum nobis à tribus Perſonis in filio, quod quidem adeò certum eſt, ut ipſo naturæ lumine, vel ipſis Philoſophis ethnicis innotuerit, ſic Seneca lib. 1. de beneficiis, cap. 1. *non poteſt beneficiũ manu tangi, animo cernitur; multum intereſt inter materiam beneficij & beneficium; itaque nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum, quæ à proximis accipiuntur, beneficium eſt, ſed ipſa tribuentis voluntas.* Et cap. 6. itaque *non quid fiat, aut quid detur, refert, ſed qua mente, quia beneficium non in eo, quod ſit, aut datur, conſiſtit, ſed in ipſo dantis, aut facientis animo.*

Objicies 2. Per Incarnationem depreſſit 72.
DEUS ſuam majeſtatem dicente Paulo ad Philippenſes 2. *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo*, & 2. ad Corinthios 1. *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: hoc eſt, fecit, ut appareret ſicut peccator; ergo Incarnatio dedecet DEUM, ac proinde non eſt conveniens DEO. Confirmatur. DEUM dedecet aſſumere naturam infectam, vel inficiendam peccato; ergo & paſſibilem, & morituram, ratione cujus verificetur *DEUM pati*, & *mori*. Reſp. neq. ant. quia DEUS per Incarnationem nullam ſui perfectionem amiſit, unde ſolùm dicitur ſe per illam exinanire, quia ſe communicavit hypoſtaticè humanitati, quæ comparatione DEI eſt quaſi nihil, & quia ſic apparuit, ut homo, & quaſi eſſet peccator, qui innocentiſſimus erat, & verus DEUS.

Hoc autem non fuit deprimere, ſeu amitte- 73.
re perfectionem ſuæ majeſtatis, ſed occultare ad alios ſuos fines oſtendendos, quod ſignificavit Paulus citatus num. 64. dicens *magnum eſſe pietatis Sacramentum*: eſt enim Sacramentum, quia occultum, & eſt occultum ad maximè oſtendendam ſuam pietatem, maximúmque

que amorem, quod significavit Joannes cap. 3. dicens: *sic enim DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eo, non pereat, sed habeat vitam æternam*; & ut ait Apostolus ad Romanos 8. *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit.* In quo maxima DEI dignatio elucet. Ad confirmationem neg. consequentiam, quia peccatum est malum morale, cujus DEUS non est Author; pati verò & mori ratione naturæ assumptæ non est malum morale, sed physicum quod ob varios fines DEUS potest velle, ut patet in pœnis damnatorum, & in animabus purgantibus DEO amicis.

74. Objicies 3. conjunctio eorum, quæ summè distant inter se est summè disconveniens, ut si quis in imagine picta humano capiti cervicem jungat equinam, aut in eodem subjecto summa sanctitas cùm peccato copuletur; atqui DEUS cùm sit simplicissimus, & essentialiter immutabilis summè distat à carne, quæ est maximè composita, & corruptibilis præsertim in homine; ergo &c. Confirmatur: inconveniens est eum, quem mundus capere non potest, & ad quem pertinet cura totius rerum universitatis, qui est DEUS, intra corpusculum vagientis infantiæ latere, atque ad illum totius mundi curam transferre, ut scribit Volusianus ad Augustinum epist. 2. post medium: sed hoc fit per Incarnationem; ergo &c. Respondeo dist. maj. est summè disconveniens si ratione conjunctionis non detur proportio perfectibilis & perfectivi conc. si detur ea proportio nego maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ad confirmationem dist. maj. si ita latendo amittat perfectionem aliquam, vel non possit habere perfectam universi curam conc. si nullam omnino perfectionem amittat, nego maj. & dist. min. neg. consequentiam.

75. Ratio est; quia quo major est distantia inter perfectivum, & perfectibile, eò est major aptitudo, ut unum perficiat, & alterum perficiatur, si nihil aliud obstet: sic forma rationalis, quæ distat à materia magis, quàm forma equina, perficit magis naturam, quàm forma equina: atque eo modo comparantur humanitas potens perfici à verbo, & Verbum potens perficere hominem: unde non est simile de imagine, cujus consonantia non perficitur sed destruitur per magnam distantiam unius partis ab altera, ut si haberet corpus equinum, & caput humanum; neque est paritas inter sanctitatem, & peccatum; cùm non possit peccatum ullo modo perfici à sanctitate; tum etiam Verbum Divinum infantili corpori unitum non exinde dimittit curam Universitatis, sed ubique simul adest, & omnibus providet ad eum modum, quo anima rationalis sic adest toti uni parti corporis, ut simul adsit reliquis partibus, eásque omnes vivificet, & regat: eorum namque solummodo proprium est angustiis loci coarctari quoad entitatem, & operationem, quæ mole, non virtute magna sunt, qualis certè non est DEUS, ut respondet ad eundem Volusianum, & luculenter prosequitur Augustinus epist. 3.

Objicies 4. Humano generi ratione peccati debebatur, ut pœna omnium donorum supernaturalium privatio, ac proinde & privatio Incarnationis, quæ est donum inter reliqua maximè supernaturale: atqui non est conveniens, sed inconveniens, ut peccatori non infligatur debita pœna ergo; Incarnatio non fuit conveniens, sed inconveniens. Confirmatur inconveniens est, id concedi peccatori, quo nihil majus concedi potest innocenti; sic enim tolleretur justæ dilectioni spes, & iniquitati timor; sed nihil majus Incarnatione Verbi Divini concedi potest innocenti; siquidem hoc donum cætera omnia dona in se continet ex illo Pauli ad 2. Rom. 8. *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit:* ergo &c. 76.

Respondeo dist. maj. debebatur pœna, cui Deus propter altissimos fines cedere non posset, nego maj. pœna, cui cedere posset, omitto, & dist. maj. neg. conseq. ratio est, quàm nulli fit injuria, quòd DEUS cedat juri, cui cedere possit; imò cessio illa non abstulit motivum spei, & timoris; nam dona homini collata sunt, ut possit benè operari, & sic obtinere gloriam, vel si eâ gratiâ uti nolit, consequatur pœnam æternam. Dixi *omitto*, quia rigorosè non debebatur homini illa privatio Incarnationis, cùm homo non acquirat jus ad eam privationem, ut dicemus, quando agemus de abundantia satisfactionis Christi. Ad confirmationem dist. maj. inconveniens est, si supremus dominus ob altissimos suos fines non possit habere modum obtinendi condignum meritum, vel condignam satisfactionem, aut nolit specialem gratiam facere peccatori remittendo illius peccatum, aut vires conferendo, quibus possit accedere ad remissionem, concedo, si habeat modum obtinendi, obtineat, & accepter condignam satisfactionem, vel specialem gratiam facere velit, nego maj. & dist. min. neg. consequentiam; quia licèt Deus pro innocentibus & peccatoribus sit Incarnatus, nemini tamen præmium conferet, nisi habita jam condigna Christi satisfactione, & juxta modum, quo quisque adultorum operatus fuerit, rationémque accipiet, de modo, quo in accepto beneficio se gessit, in quo nulla elucet iniquitas, sed maxima Dei misericordia. 77.

Objicies 5. Inconveniens est, infinitam sanctitatem conjungi cum natura per peccatum infecta; juxta illud ad Corinthios 6. *quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate?* atqui tota natura humana erat per peccatum infecta: juxta illud Geneseos 6. *omnis quippe caro corruperat viam suam super terram:* ergo nulla erat caro, quæ non esset positivè indisposita ad congruam dispositionem Verbi Divini proindeque non fuit conveniens, sed maximè inconveniens, Verbum Divinum incarnari. Confirmatur: non est minùs inconvniens, quod Deus 78.

admit-

admittat ad consortium suorum bonorum naturam lapsam, quàm quòd excluderet innocentem; sed non esset conveniens, sed inconveniens, si excluderet innocentem: ergo non est Deo conveniens, sed inconveniens, quòd per Incarnationem admittat ad consortium suorum bonorum naturam lapsam.

79. Respondeo omitto maj. & nego min. quia caro à Christo assumpta nunquam ullo peccato infecta fuit, nec continetur in generalitate testimoniorum de infectione humanæ naturæ, quia non descendit per seminalem propagationem ab Adamo, quin potiùs propositiones universales aliquam exceptionem patiuntur, quam in præsenti etiam agnoscimus in Deipara absque peccato originali concepta; Deipara namque accepit naturam ab Adamo prout in statu innocentiæ considerato, non verò prout culpâ infecto; quo in sensu intelliguntur verba illa Cantic. 7. *quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filiæ Principis*; etenim verba illa *gressus tui in calceamentis* significant ingressum, seu intuitum vitæ, tuncque Deipara dicitur *Filia Principis*, quamquam reliqui puri homines dicantur filii servi; quæ quidem comparatio habetur relatè ad Adamum consideratum in duplici statu, nempe in statu innocentiæ, in quo erat Princeps, & in statu peccati, in quo erat servus. Quamquàm ergo reliqui puri homines descendant ab Adamo ut servo, & peccatore; Deipara verò descendit ab Adamo innocente, & Principe: ex hac ergo Virginis carne purissima carnem assumpsit Verbum. Addo, quòd illud Genesis testimonium solùm loquatur de corruptione hominum ante diluvium propter peccata personalia.

80. Ad Confirmationem nego ant. quia natura innocens per gratiam habet jus ad hæreditatem, quatenus illi affert exigentiam ad gloriam, quæ exigentia dicitur jus latum erga Deum; cedere autem huic juri non attinet ad DEUM, licèt jus illud superet: sed ad naturam innocentem, quæ hoc jure gaudet; at natura lapsa propter peccatum non acquirit jus ad pœnam, sed Deus acquirit illud; cúmque DEUS cedere possit juri à se acquisito, potest sine inconvenienti non punire peccatorem remittendo peccatum, licèt non possit punire justum cedendo illius merito; hoc enim saperet crudelitatem, illud autem misericordiam, quæ nullam indecentiam Deo afferret, sed decentiam potiùs maximam.

81. Objicies 6. Ratione Incarnationis Verbum Divinum est conversum in carnem; sed hoc est inconveniens DEO; ergo &c. Maj. prob. Illa verba Joannis 1. *Verbum Caro factum est*, significant conversionem Verbi in Carnem; sicuti cùm dictum Joannis 2. *aquam vinum factam*, significat, aquam fuisse conversam in vinum: ergo &c. Respondeo nego maj. ad probationem nego ant. quia illa verba *Verbum Caro factum est* solùm significant, quòd Verbum factum sit homo, qui sensus non solùm certus est ex aliis Scripturæ testimoniis, verùm etiam est genuinus sensus verborum; sic enim dicitur homo fieri sanus, non quia in sanitatem convertatur, sed quia sanitatem acquirit; sic Genesis 2. dicitur, *homo factus in animam viventem*, & ad Hebræos 7. dicitur *Christus factus Pontifex*, ad Philippenses 1. *factus homo formam servi accipiens*, unde Gregorius lib. 9. Epist. 61. *Verbum Carnem dicimus factum, non immutando, quod erat, sed suscipiendo, quod non erat*; nostra auxit, sua non minuit, quod maximè Deum decet.

82. In illo autem loco Joannis 2. ex ipsa re, de qua agitur, & ex antecedentibus, & consequentibus colligitur, aquam factam esse vinum per conversionē ex quo non fit, omnem similem locutionem eodem modo explicandam esse, sed debemus attendere ad antecedentia, & consequentia, & ad alia Scripturæ testimonia se adjuvantia, & explicantia; quamvis enim aqua dicatur conversa in vinum, non tamen dici potest; aqua est vinum; sicut in Scriptura sæpe dicimus: Christus est homo; ut habetur ad Romanos 5. Joannis 8. 9. & 10. Matth. 15. & sæpe alibi; si enim hæc non intelligantur juxta hanc regulam generalem, facilè ex argumento probaretur, quod Adversarii non concedent, nempe Verbum conversum esse in peccatum, seu maledictum, quia 2. Corinth. 5. de Christo dicimus, *eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, & ad Galatas 3. *factus pro nobis maledictum*; sicut ergo, inquit Athanasius Epist. ad Epich. *dicitur pro nobis factum esse peccatum, id est, hostia pro peccato, non quia in peccatū conversū sit, sed quia carnem assumpsit, in similitudinē carnis peccati, in qua hostiā offerre posset pro peccato, ita dicitur Verbum Caro factum, non quia in carnem transit, sed quia carnem sibi in unitatem Personæ copulavit.*

83. Juxta hæc obiter explicanda est aliquorum PP. locutio, quæ hìc objici posset, quoniam videntur interdum dicere, ita Verbum esse carnem factum, sicut in Eucharistia panis fit Corpus Christi. Sic Justinus Martyr Apolog. 2. pro Christianis: *quemadmodum per Verbum Dei caro factus JESUS Christus Salvator noster carnem, & sanguinem pro salute nostra, sic etiam per Verbum precationis, & grattarum actionis sacratam ab ipso alimoniam, quæ mutata nutrit nostras carnes, & sanguinem illius incarnati JESU carnem, & sanguinem esse didicimus.* In his quippe, & aliis similibus locutionibus comparatio in hoc solùm posita est, quòd sicut Verbum incarnatum unam carnem, & sanguinem habuit, ita sub speciebus carnis, & vini consecratione est vera caro, & sanguis Christi, ut ipsa Justini verba manifestè declarant; unde similitudo in modo unionis, seu mutationis posita non est.

84. Objicies 7. instando simul solutionem: SS. Patres sæpe comparant hypostaticam unionem cum

cum unione animæ & corporis, ut constat ex Epistola Leonis Papæ ad Julianum, ex Justino Martyre in expositione fidei, Cyrillo Epistola ad Monachos Egypti, Augustino Epistolâ 17. & tract. 47. in Joann. circa finem. Atqui anima & corpus ita conjunguntur, ut ex eis resultet una sola natura, ergo vi Unionis hypostaticæ sola manebit in Christo una natura, ac proinde natura humana convertetur in divinam, vel divina in humanam. Confirmatur ex Cyrillo Epistolâ ad Successum. *Non oportet intelligere duas naturas, sed unam naturam Verbi DEI Incarnatam*; quam locutionem comprobat auctoritate Athanasii; ergo &c.

85. Respondeo ex Damasceno lib. 3. cap. 26. Athanas. Justinian. aliisque SS. Patribus dist. maj. comparant quo ad omnia, nego, quo ad aliqua conc. maj. & dist. min. nego conseq. unde in exemplo adducto in duobus tenet similitudo, quòd sicut corpus & anima, quamvis diversæ naturæ sint, in una Persona conveniunt, ita natura humana & divina, quamvis diversæ sint, in una persona copulantur. Est tamen in hoc discrimen: nam illæ sunt imperfectæ, seu partes essentiales, ideóque non tantùm unam personam, sed etiam unam naturam componunt, at divina & humana sunt integræ & perfectæ in ratione naturæ, quæ possunt ad componendam unam naturam immediatè conjungi inter se. Secundò tenet similitudo in hoc, quòd sicut anima operatur per corpus tanquam per organum sibi substantialiter conjunctum, ita divinitas per humanitatem operatur, tanquam per organum conjunctum sibi substantialiter. Ad confirmationem conc. ant. & nego conseq. quia Cyrillus non negat in Christo duas naturas, sed solùm asserit, unam naturam Verbi Incarnatam esse, sive carnem assumpsisse, quam expositionem in eadem Epistola habet ipse Cyrillus, aliique Patres & Concilia, quæ videri possunt apud Exim. Doct. disp. 7. sect. 2.

86. Objicies 8. contra secundam assertionem: humanitas manet violenta sine subsistentia propria, quam naturaliter exigit; ergo humanitati assumptæ non fuit conveniens Incarnatio. Confirmatur. Licèt defectus materiæ, quam naturaliter exigit anima rationalis, compensetur in statu separationis per nobiliores operationes, quas ibi exercet, manet nihilominus violenta sine materia: ergo licèt humanitati compensetur per subsistentiam nobiliorem defectus propriæ subsistentiæ, quam naturaliter exigit, manebit violenta sine illa.

87. Respondeo ne. ant. quia humanitas solùm exigit subsistentiam, ut eliciat operationes, quæ attribui possunt supposito; operationes autem humanitatis revera attribuuntur supposito divino, in quo humanitas sistit, ac proinde habet supplementum indebitum ad finem, quem exigit, & quidem nobilius, quàm suppositum, quod privata eo supplemento exigit; unde nullam patitur violentiam, ut ex num. 2. patet. ad confirmationem omisso ant. nego conseq., quia anima separata quamvis eliciat operationem in statu separationis, non ideo assequitur finem, suum neque indebitum aliquod talis finis supplementum, siquidem finis exigentiæ suæ est constituere hominem, cui suæ operationes attribuantur; hominem autem nequaquam constituit, dum est separata: neque ille nobiliores operationes sunt perfectiores homine, imò neque illi æquales in perfectione, quin potius perfectiores illæ operationes non sunt incompossibiles cum anima beata, sicut est incompossibilis subsistentia propria simul cum aliena, unde nulla est paritatis ratio.

Objicies 9. contra tertiam assertionem: adventus Christi fuit pluribus occasio ruinæ, & perditionis: ergo non fuit conveniens toti generi humano. Respondeo dist. ant. ex parte sui, nego, ex parte pravitatis & malitiæ ipsorum, con. ant. & nego conseq. quia Incarnatio, quantum est ex se, toti generi humano fuit occasio vitæ, & salutis æternæ, DEUS enim ut ait Paulus 1. ad Thim. 2. *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quòd autem non obstante hoc beneficio plures damnantur, non est in causa Mysterium Incarnationis, sed ipsorum malitia.

Objicies 10. contra quartam: nulla convenientia resultat saxis, aliisque irrationalibus ex Mysterio Incarnationis: ergo non fuit conveniens toti Universitati creaturarum. Respondeo: dist. ant. nulla convenientia intrinseca omitto; fortè enim non tantùm durarent, nisi in gratiam hominis redempti; extrinseca, & peculiaris cognationis, nego ant. & conseq. ratio est, quia cum omnia entia habeant cognationem istam cum homine, materia quidem, & immaterialia ratione materiæ, qua homo constituitur, rationalia verò, & spiritualia ratione formæ, qua homo constat, exinde elevato homine ratione hujus Mysterii, elevatæ quoque censentur hac extrinseca cognatione omnes creaturæ, unde assumendo naturam humanam, reliquas omnes creaturas quodammodo DEUS sibi specialiter copulavit, ut exponit Cajetanus quæst. 1. art. 1. & propterea fortasse ait Exim. Doctor disput. 3. sectione 3. omnes creaturæ invitantur ab Isaia ad hoc Mysterium perficiendum. *Rorate Cæli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Et amori totius mundi idem Mysterium tribuitur; Joan. 3. *sic enim DEUS dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Unde in hoc saltem sensu conveniens fuit Universitati creaturarum.

Objicies 11. contra quintam: Dæmones ardenter desiderant plures homines habere socios in inferno, ut ex prima Petri 5. *Fratres Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret*; ergo Mysterium Incarnationis non fuit conveniens Diabolis, & damnatis. Respondeo dist. ant. ardenter desiderant desiderio

rio rationabili, seu ordinato, nego; improbo, & irrationabili conc. ant. & nego conseq. quia, ut hoc Mysterium sit Diabolo, & damnatis conveniens, satis est, quòd illis afferat id, quod rationabiliter possunt appetere; rationabiliter autem apperi potest diminutio pœnarum, cùmque hæc afferatur illis propter Christum, exinde Mysterium Incarnationis Dœmoni, & damnatis fuit verè conveniens.

DISPUTATIO III.

DE PHYSICA, ET METAPHYSICA NECESSITATE INCARNATIONIS.

91. NEcessitas est duplex, alia subsequens, & libertati consentanea, quæ ab aliqua suppositione agenti libera dependet; sic Deus producens unionem, necessitatur ad extrema, sine quibus nequit esse unio; at productio extremorum est libera DEO, vel in se, vel saltem in libertate productionis unionis; alia dicitur antecedens, & læsiva libertatis, quæ à nullo agentis libero exercitio dependet, ut si DEUS per aliquod prævium necessitaret hominem ad actum; in hac autem disputatione non est quæstio de prima, sed de secunda necessitate, quæ est triplex, scilicet metahpysica, quæ neque de absoluta DEI potentia potest frustrari; physica, quæ nulla vi naturali potest impediri; & moralis, quæ licèt posset impediri physicè, & metaphysicè, attento tamen prudentum judicio fundato in ingenti difficultate, ut oppositum eveniat, dicitur rem ita necessariò evenire; quærimus ergo, an DEUS aliqua ex his tribus necessitatibus adstrictus sit ad Incarnationem: agemus modo de physica, & metaphysica, acturi in sequenti de morali necessitate.

SECTIO I.

An Deus fuerit necessitatus physicè, vel metaphysicè ad Incarnationem.

92. SUppono ut certum, non distingui in DEO necessitatem physicam à metaphysica; ratio est, quia necessitas purè physica est illa, quæ impediri potest ab alio agente superiore; sed nullum est agens superius Deo, quod possit physicam necessitatem Dei impedire; ergo in Deo necessitas physica non est purè physica, sed simul metaphysica. Præterea necessitas physica impedita inducit rigorosam violentiam in agente, cujus conatus impeditur, si à superiori causa non possit habere supplementum; sed nullum est agens potens DEO inferre rigorosam violentiam, neque est causa superior, à qua ipsi veniat supplementum; ergo necessitas DEI physica nullo modo potest impediri, ac proinde in DEO non potest esse necessitas purè physica, sed si hæc sit, erit simul metaphysica: hoc posito.

93. Assero 1. Nec physicè, nec metaphysicè fuit DEUS absolutè, & absque ulla suppositione necessitatus ad Incarnationem. Ita omnes Theologi. Prob. facilè; fide certum est, DEUM liberè operari omnia opera ad extra; atqui Incarnatio est opus ad extra; ergo libera fuit facta à Deo, ac proinde absque necessitate physica, vel metaphysica, illam efficiendi. Confirmatur: Deus ita est agens perfectè liberum, ut perfectiùs esse non possit; atqui non esset tale cum physica, vel metaphysica necessitate ad Incarnationem: ergo &c.

Confirmatur 2. Incarnatio, ut constat ex Joan. 3. & 15. & Paulo ad Romanos 5. & 9. ad Ephesios, 2. & 1. ad Corinth. 11. passimque alibi vocatur in Scriptura, *gratia Dei*, & tribuitur eximiæ ipsius charitati; sed non esset gratia nobis facta, si DEUS absolutè, & absque ulla suppositione, physicè, aut metaphysicè necessitaretur ad Incarnationem apponendam; ergo &c. Confirmatur 3. DEUS nequit necessitari à se ipso, cùm in se habeat tantam felicitatem, quantam habere posset cum consortio omnium creaturarum: deinde nequit necessitari à termino; aliter necessitaretur ad Incarnationem Patris, & Spiritûs Sancti, cùm non sit terminus minùs nobilis, quàm Incarnatio Filii. 94.

Assero 2. cum ferè omnibus Theologis contra Raymundum Lullium, ut ex ipsius discipulis refert Vasquez. Non fuit DEUS physicè necessitatus ad Incarnationem ex præcisa suppositione mundi conditi. Dixi *ex præcisa suppositione &c.* nam si DEUS non solùm vellet mundum condere continentem creaturas rationales, & irrationales, sed etiam continentem suppositum aliqnod potens de condigno satisfacere pro peccatis, si à creaturis committantur, jam tunc ex voluntate Divina esset consequenter necessaria Incarnatio. Unde quæstio solùm procedit de creatione mundi continentis præcisè creaturas rationales, & irrationales. 95.

Probatur jam facilè conclusio: mundus conditus non exigit naturaliter Incarnationem, quæ est supra omnes puras creaturas, sive supra naturam universi, ut præcisè continentis creaturas rationales, & irrationales; ergo ex præcisa suppositione mundi conditi non necessitatur DEUS physicè ad Incarnationem. Confirmatur ab aliis: quamvis mundus conditus exigeret naturaliter Incarnationem, posset DEUS eam non concedere, sicut privat 96.

aliquas formas inhærentiis, quas ex natura sua ponunt, ut patet in Evchariſtia, atque in Empyreo, ubi privat ſubſtantias plurimas motibus; eſt enim Dominus cujuscunque naturalis propenſionis; ergo &c.

97. Aſſero 3. Non fuit DEUS phyſicè neceſſitatus ad Incarnationem ex præciſa ſuppoſitione peccati originalis. Ita communis Theologorum ſententia. Probatur facilè: Scriptura Sacra Divinæ libertati, & gratiæ tribuit, quòd lapſo in peccatum orbi conceſſerit Deus Incarnationem; ſic Joan. 3. *ſic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam;* atqui hoc non fuiſſet factum ex libertate Divina, & gratia liberali, qua reparare voluit genus humanum, ſi DEUS phyſicè neceſſitatus fuiſſet ad hoc præſtandum ex præciſa ſuppoſitione peccati originalis: ergo &c. Confirmatur. Sicut DEUS ſine indecentia permiſit homines, pluresque Angelos peccare, & malos Angelos in peccato perſiſtere, ita poterat omnes peccatores abſque remedio relinquere: rationes enim, quæ ſolent adduci, cur homines, & Angelos redemerit, meræ congruentiæ ſunt: ergo &c.

98. Aſſero 4. Non fuit DEUS phyſicè neceſſitatus ad Incarnationem ex præciſa ſuppoſitione reparandi hominem. Concluſio iſta, ait Exim. Doctor diſp. 4. ſect. 2. eſt communis, & ita certa, ut negari non poſſit ſine temeritate, & fidei incommodo, eſtque Div. Thomæ quæſt. 1. art. 2. Magiſtri in 3. ſentent. diſtinct. 20. uti Bonaventuræ, Scoti, Richardi, Durandi, Paludani, Gabrielis, & aliorum, quos ibi affert Exim. Doctor. Probatur 1. DEUS, ut communis Patrum ſententia tenet, potuit aliter, quàm per Incarnationem reparare genus humanum; atqui in his rebus Theologicis tenemur ſequi communem ſententiam Patrum interpretantium Scripturas, & ex illis eruentium concluſiones Theologicas, ut conſtat ex profeſſione Fidei, quam elicimus ad cathedras ſuſtinendas; ergo &c. Probatur maj. ex Leone Papa Serm. 2. de Nativitat. cap. 3. dicente: *verax miſericordia Dei, cùm ad reparandum genus humanum ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimùm conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus Diaboli non virtute uteretur potentiæ, ſed ratione juſtitiæ, id eſt medio ſufficienti ad condignam ſatisfactionem*; ſic etiam Auguſtinus verbis valde notandis, lib. de agon. Chriſtiano cap. 11. *ſunt autem ſtulti, qui dicunt: non poterat aliter ſapientia Dei homines liberare, niſi ſuſciperet hominem, & naſceretur ex fœmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur, quibus dicimus, poterat omnino; ſed ſi aliter faceret, ſimiliter veſtræ ſtultitiæ diſpliceret*; quid clarius?

99. Confirmatur ex eodem Auguſtino lib. 13. de Trinitat. cap. 10. ubi ait, eos itaque, qui dicunt: *itáne defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miſeria mortalitatis hujus, ut unigenitum Filium, Deum ſibi coæternum hominem fieri vellet induendo humanam naturam, & carnem, mortalémque factum, mortem perpeti; parùm eſt ſic refellere, ut juſtum modum, quo nos per mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum JESUM liberare dignatur, aſſeramus bonum, & divinæ congruum dignitati, verùm etiam, ut oſtendamus, non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cujus poteſtati cuncta æqualiter ſubjacent*; & cap. 18. *poterat enim utique Deus hominem aliunde ſuscipere, in quo eſſet mediator Dei, & hominum, non de genere illius Adam, qui peccato ſuo genus obligavit humanum, ſicut ipſum, quem primùm creavit, non de genere creavit alicujus; poterat ergo ſic, vel alio, quo vellet, modo creare unum alium hominem, de quo vincerétur victor prioris.* Similia habent Gregorius lib. 17. moral. cap. 18. lib. 24. cap. 2. Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacrament. part. 8. cap. 10. Athanaſius Serm. 3. contra Arrianos, Nazianzenus Orat. 2. in Paſcate, S. Thomas, & Bonaventura locis ſuprà citatis, verba Divi Thomæ 3. part. quæſt. 1. art. 2. in Corp. hæc ſunt: *Deum incarnari non fuit neceſſarium ad reparationem humanæ naturæ; Deus enim per ſuam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare*: ergo &c.

Probatur 2. Licèt mors Chriſti Domini conveniens fuerit ad reparandum genus humanum, non tamen dicitur in Sacris Litteris neceſſaria, ſed decens; ſic Paulus ad Hebræos 2. *decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Authorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare*: ergo &c. Confirmatur. Potuit DEUS peccatum remittere vel per extrinſecam condonationem, vel per infuſionem gratiæ, vel exigendo duntaxat ſatisfactionem imperfectam, quam purus homo, vel purus Angelus gratiâ præditus exhibere vellet, ne peccatum maneret omnino impune, & ſic promittere juri ſuo miſericorditer cedere: atqui DEUS, qui abſolutè eſt potens cedere juri acquiſito contra peccatorem propter peccatum, & eſt plenè Dominus ſuorum donorum, ad hæc præſtanda non indigebat Incarnatione Divina: ergo ad reparandum genus humanum non fuit DEUS phyſicè neceſſitatus ad Incarnationem.

Reſpondebis: DEUM non poſſe gratiam conferre creaturis, niſi ex Chriſti meritis; quia ordo gratiæ eſt metaphyſicè connexus cum Chriſto ut capite intrinſeco, & merente, ſive influente in membra hujus corporis dona intrinſeca gratiæ; cùm enim DEUS ſit caput univerſale, non ſufficit, ut detur ordo gratiæ, qui requirit caput particulare, quin potiùs caput univerſale eſt extrinſecum; caput verò particulare eſt intrinſecum. Unde ne ordo

gratiæ

gratiæ esset Acephalus, metaphysicè exigit Christum ut caput, ad eum modum, quo in via Div. Thomæ ordines inferiorum Angelorum metaphysica necessitate exigunt ordines Angelorum superiorum. Multa continet ista responsio, quæ omnino displicent, neque id, quod de doctrina Div. Thomæ additur, verum est; nam licèt hoc congruum judicet Divus Thomas, ut interpretantur ejus expositores, nequaquàm censet necessarium metaphysicè; neque hoc venit ad casum nostrum, cùm expressè asserat Divus Thomas, potuisse Deum aliter, quàm per Incarnationem reparare genus humanum, ut constat ex n. 99. Quare

102. Contrà 1. Ordo gratiæ non est corpus physicum, neque habet caput physicum, sed est ordo moralis, & corpus morale habens caput morale; atqui non exigit metahysicè pro morali capite Christum Dominum: ergo &c. Probatur min. Caput morale est ipse DEUS, utpote supremus Dominus, & Gubernator creaturæ rationalis non solùm in ordine naturæ, sed etiam in ordine gratiæ, qui, si velit, solus sufficiet pro capite ordinis gratiæ; quamquàm, si voluisset liberè, ut voluit, potuisset assignare Christum, ut caput meritorium talis ordinis: sed ex eo, quòd liberè potuisset hoc facere, & liberè fecerit, manifestè infertur, quòd ordo ille non habeat metaphysicam connexionem cum Christo ut capite: ergo &c. Min. & conseq. tenent: maj. autem, quantùm attinet ad illam DEI libertatem, constat ex testimoniis adductis à num. 97. quibus addo Hug. de S. Vict. lib. 1. de Sacrament. part. 8. cap. 10. ubi ita asserit: *veraciter profitemur, quòd redemptionem humani generis alio modo Deus perficere potuisset, si voluisset*; tum etiam Athanasium Serm. 3. contra Arrianos longè ante finem: *poterat sine ullo adventu Christi solummodo loqui Deus, & solvere maledictionem*: ergo &c.

103. Contrà 2. Quòd DEUS sit caput universale, non impedit, quòd sit, si velit, caput particulare, & speciale ordinis gratiæ per specialem providentiam, quam in illo ordine gerat; sic Summus Pontifex est caput universale totius Ecclesiæ, & est speciale caput Diœcesis Romanæ, cui nullum alium Episcopum destinat, sed ipse solus est hujus Diœcesis Episcopus; cùm enim caput morale non se habeat ex exigentia rerum, sed ex voluntate ordinantis, illud est particulare caput in linea morali, quod legitimè destinatur à DEO, qui habet potestatem; unde Apostol. ad Romanos 9. de Divinæ voluntat. ordinat. ait: *voluntati enim ejus, quis resistet*; ubi, ut accuratè notavit Vasquez disp. 1. cap. 3. non dixit *potestati*, sed *voluntati*, eò quòd non opponit potentiæ Divinæ aliam potentiam, sed solùm rationem; quia sola voluntas Divina est regula moralis omnium rerum, nec potest ulla ratione voluntari Divinæ resisti; unde si DEUS nollet ordini gratiæ aliud caput assignare præter se ipsum, nemo ratione posset illi Divinæ voluntati resistere.

Contrà 3. Quòd Christus fuerit caput ordinis separati gratiæ post humanæ naturæ lapsum, fuit pura gratia, & misericordia Dei, sive liberalis donatio, ut constat ex illo Joannis 3. *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret &c.* & ex illo Apostoli ad Titum 3. *qui secundùm misericordiam suam salvos nos fecit*: atqui si ordo gratiæ esset connexus metaphysicè cum Christo ut capite, non fuisset pura gratia & misericordia dare Christum: eò quòd in prima hominis conditione DEUS jam dedisset gratiam metaphysicè cum Christo connexam: ergo &c. Contrà 4. Quantùm ad præsens attinet, non minùs distat ordo naturæ ab ordine gratiæ habitualis, quàm ordo gratiæ habitualis ab ordine hypostatico: atqui ordo naturæ non potest connecti cum ordine gratiæ habitualis: ergo neque ordo gratiæ habitualis cum ordine hypostatico. Ex dictis 104.

Fit 1. Caput morale, & caput physicum habere inter se magnum discrimen. Ratio est, quia caput physicum exigitur à corpore ex natura rei, ita ut unum corpus, si monstrosum non sit, tantùm habeat unum caput: est enim monstrositas in physicis, si daretur unum caput physicum commune omnibus corporibus, & alterum unicuique corpori particulare; at in moralibus non potest esse monstrositas, si ita velit causa universalis omnis moralitatis, quæ est DEUS; nam conformitas corporis cum capite morali non habetur ex natura corporis, sed ex conformitate cum voluntate DEI, quæ est regula omnis moralitatis. Quapropter si DEUS velit esse caput universale omnium rerum tum naturalium, tum supernaturalium, & quòd Christus sit caput particulare meritorium ordinis gratiæ, in executione hujus voluntatis, nulla erit monstrositas, sed potiùs perfectio, cùm in eo stet conformitas cum regula moralitatis. 105.

Fit 2. Quamquàm non fuerit necessarium ex decreto præcisè reparandi genus humanum, quòd Christus esset caput meritorium ordinis gratiæ, & talis reparationis, fuisse tamen convenientissimum. Ratio est, quia hac via habemus caput meritorium, quòd condignè DEO satisfecit pro peccatis humani generis, pro quibus nulla pura creatura de condigno satisfacere poterat, ut infrà suo loco constabit; habemus etiam in isto capite exempla maximæ perfectionis, quæ nobis reliquit, ut ex rota Christi Domini vita constat; unde quando aliqui Patres insinuare videntur, necessariam fuisse Incarnationem ad reparandum genus humanum, intelliguntur de hoc genere reparationis convenientissimæ, & dignissimæ; non verò de alio genere reparationis, quòd potuisset à Deo ordinari, ut eruditè exponunt Eximn. Doct. disp. 4. sect. 2. & Vasquez disp. 1. cap. 4. 106.

SECTIO II.

Solvuntur Oppositа.

107. OBjicies 1. contra primam assertionem: Deus semper ac necessariò operatur in omnibus, quòd convenientissimum est, ut ait Augustinus lib. 3. de libero Arbitrio cap. 5. *quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, hoc scias fecisse Deum tamquam bonorum omnium conditorem*: & libro primo contra Adversarium legis, & Prophetarum cap. 14. ait: *usque adeò despiendum est, ut videat homo melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet, aut putet vidisse, & credat facere noluisse, aut non potuisse*: atqui convenientissimum est, quòd Christus detur in mundo: ergo non potuit DEUS facere, quòd non existeret Christus in mundo. Respondeo 1. dist. maj. quod convenientissimum est, juxta finem à DEO intentum secundùm rationem Divinæ suæ Sapienriæ, & voluntatis, con. quod convenientissimum est, secundùm aliam voluntatem, quam non habuit, sed potuit habere Deus, nego maj. & dist. pariter min. neg. conseq.

108. Ratio est, quia prima regula moralitatis est voluntas, qua Deus aliquid vult, & modo, quo vult, non autem ea, quam potuit habere, & qua potuit aliter velle; unde cùm DEUS semper operetur juxta finem à se intentum secundùm rationem Divinæ suæ Sapientiæ, & voluntatis, semper in hoc sensu operatur, quod convenientissimum est: quamobrem si, ut potuit, liberè voluisset, quòd Christus non existeret, tunc juxta finem à Deo intentum convenientissimum esset, quòd non existeret, idcirco DEUS neque semper, neque necessariò operatur, quidquid rebus creatis convenientius, aut melius esset; aliàs nihil posset facere, quam quod fecisset, quod esset erroneum, ut contra Wicleffum ostendit Valdens. lib. 1. doctrinalis fidei antiquæ cap. 27. ubi multa congerit ex Patribus; atque etiam Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis cap. 11. operatur, ergo Deus omnia convenientissimè, id est juxa præscriptum Sapientiæ, & voluntatis suæ sine ulla inordinatione, vel malitia, vel imprudentia, quòd maximè intendit Augustinus locis suprà citatis; agit enim ibi contra Manichæos, qui Deum quemdam faciebant malorum Authorem; quòd certè non est secundùm sapientiam, & voluntatem DEI, cùm divinæ sanctitati manifestè repugnet.

109. Objicies 2. contra secundam assertionem: ex Lullio: perfectissimus artifex, qualis est DEUS, quodcumque fecerit opus, efficere debet perfectissimum, sed si mundi opus esset sine Incarnatione, non esset perfectissimum: ergo saltem ex suppositione mundi conditi fuit metaphysicè necessaria Incarnatio. Confirmatur: DEUS habet infinitam inclinationem communicandi se mundo per Incarnationem: ergo ex suppositione mundi conditi necessitatur ad Incarnationem.

Respondeo dist. maj. efficere debet perfectissimum juxta idæam summæ perfectionis, quæ est sapientia & voluntas DEI conc. extra hanc idæam summæ perfectionis, nego maj. & dist. min. absque Incarnatione esset imperfectissimum, si semel sit adhibita voluntas DEI de existentia Incarnationis, conc. si nolit DEUS Incarnationem operari, nego min. & conseq. ut constat à n. 108. Ad confirmationem, dist. ant. inclinationem antecedentem, nego consequentem, & liberam procedentem à sua voluntate, con. ant. & nego conseq. DEUS enim ex præcisa productione mundi non tenetur aliter constituere mundum, nisi ut ipse sapienter, & liberè velit: cùmque possit ita sapienter, & liberè velle producere mundum, quin operetur Incarnationem, ut ex dictis constat, exindè ex præcisa suppositione mundi conditi, non potest esse in Deo illa talis inclinatio antecedens ad Incarnationem.

Objicies 3. contra tertiam assertionem Athanasius lib. 1. de Incarnatione circa initium, Cyrillus lib. 2. Thesauri cap. 7. Anselmus lib. 1. *cur Deus homo*, cap. 12. 16. & 17. & lib. 2. cap. 4. Richardus Victorinus cap. 8. aliique docent, non potuisse Deum relinquere hominem sine remedio peccati; atqui ad ejusmodi remedium fuisse necessariam Incarnationem: ergo saltem ex suppositione peccati originalis fuit Deus necessitatus metaphysicè ad Incarnationem. Resp. 1. ex communi Nostrorum cum Exim. Doct. loco suprà citato dist. ant. non potuisse Deum relinquere hominē sine remedio peccati & sine Dei Incarnatione impotentia consequente, supponente divinam liberam ordinationem redimendi hominem per condignam satisfactionem, concedo, impotentia antecedente, nego ant. & conseq. ratio est, quia licèt aliqui horum Patrum aliquantulum duriusculè loquantur, nihil aliud intendunt, nisi convenientiam maximam redundantem hominibus ex Incarnatione, vel subsequentem DEI necessitatem ortam ex sua libera ordinatione.

Quin potiùs Vasquez cap. 4. supra citato etsi concedat, quòd unus Anselmus fuerit in sententia contraria, reliquos omnes Patres clarè exponit pro nostra sententia: tenemur enim sequi communem sententiam Patrum, præsertim cùm hæc sententia satis expresè videatur inferri ex sacra scriptura Sapient. 12. ubi de DEO, dicitur: *quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* redditque rationem his verbis: *non enim est alius DEUS, quam tu* quasi dicat: cùm tu solus sis DEUS, & Dominus omnium, qui liberè de ipsis quidlibet statuere potes, neque aliquem ut Judicem, & superiorem non solùm potentiâ, sed neque ratione agnoscas: quòd si nemo resistere ratione valeat DEO, nihil absurdi, & impossibi-

lis

lis esset, etiamsi hominem lapsum sine remedio relinqueret; siquidem nihil contra rectam rationem faceret, neque teneretur cedere juri acquisito contra peccatorem propter peccatum, quò respexit Paulus, cùm ad Romanos 9. dixerit: *voluntati enim ejus quis resistit?* agebat enim ibi Apostolus de libera DEI voluntate, qua misereretur unius, & alium in duritionē cordis venire peermittit: si ergo permittere vellet omnes Angelos aut homines in duritionem sempiternam cadere, & nunquam restitui, rectè juxta scripturam dicere possemus: *quis tibi imputabit, si perierint Nationes, quas tu fecisti, & voluntati ejus quis resistet?*

113. Objicies 4. ex suppositione peccati non est DEO libera Incarnatio: ergo est necessaria. Probatur ant. si esset libera, videretur DEUS agere contra justitiam exigendo satisfactionem ab innocente, & tradendo illum in mortem propter salutem nocentium: ergo &c. Confirmatur 1. quia saltem videretur inordinatio quædam ordinare infinitum illud bonum vitæ Christi in creationem, & finitum bonum hominum: ergo &c. Confirmatur 2. non potest DEUS liberè relinquere absque ulla punitione omnia hominum delicta; hoc enim indecentissimum esset: ergo ex suppositione peccati non est liber ad non mittendum Christum Redemptorem, & condignum satisfactiorem. Hoc argumentum, si benè expendatur, æquè probat, DEUM non esse necessitatum; siquidem non solùm repugnat Deo operari liberè contra justitiam, sed etiam necessariò, cùm nec liberè, nec necessariò possit malè agere.

114. Respondeo 1. neg. ant. ad probationem neg. ant. quia non fuit injustitiæ, sed summæ misericordiæ opus, quòd DEUS à Christo homine postulaverit, ut hominum causam sumeret, & pro ipsis satisfaceret, & quòd ipse Christus sponte id officii susciperet juxta pactum inter Christum & Patrem initum, de quo diximus in tractatu de gratia à num. 91. & infra suo loco latè demonstrabimus; quod certè significavit David psalmo 93. *Aures autem perfecisti mihi*, quò respiciens Paulus ad Hebræos 10. dixit: *Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi: Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* In qua voluntate sanctificati simul propter oblationem corporis Jesu Christi semel. Postquam verò Christus fidejussor factus est, debuit ex condigno satisfacere; ideóque ad Christum optimè accommodatur, illud Ecclesiastici 39. *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam*: demum quidquid iniquitatis, vel injuriæ fuit in Judæis occidentibus Christum, non fuit ordinatum à DEO, sed permissum; Passio verò ipsa, quæ præsupposita prava Judæorum voluntate fuit bona & sancta, sicut præsuppositio peccato est bona & sancta, pœnitentia justè & sanctè ordinari potuit in nostram redemptionē.

Ad primam confirmationem nego ant. quia hoc negotium non sistit in bono hominum, 115.
sed totum ad DEI gloriam refertur, ad quam ipsa etiam vita, & mors Christi ordinatur, cùm hoc sit primum DEI motivum, juxta illud proverbiorum 16. *universa propter semetipsum operatus est dominus*: tum etiam, quia ordinare id, quod perfectiùs est, ut adjuvet, & perficiat inferiora, non est inordinatum, sed frequentissimùm in DEI ordinatissima providentia, præsertim quia ipsa corporalis vita Christi, licèt propter unionem ad Verbum esset infiniti valoris, tamen statim erat recuperanda, ut hominum esset æterna. Ad secundam confirmationem dist. ant. non posset antecedenter decernendo cedere juri acquisito contra peccatores, nego consequenter ex suppositione, quòd ad non puniendum velit condignam peccatorum satisfactionem conc. ant. & nego consequentiam. Ratio est, quia cùm DEUS sit supremus dominus, & prima moralitatis Regula, potuisset absque ulla inordinatione cedere juri acquisito contra peccatorem, ad cujus terrorem satis esset, quòd DEUS possit liberè non cedere, sed illum punire; unde non tenet paritas ad homines, qui non sunt supremi domini, nec prima moralitatis Regula, sed potiùs debent illi regulæ conformari, ne inordinatè agant, atque adeò, quando à DEO ita præscribitur, debent punire delicta.

Objicies 5. contra quartam assertionem ex 116.
Esparza: Christus Dominus est principium omnium donorum gratiæ nobilissimum simpliciter inter omnia, quæ per DEI potentiam fieri possunt, in quo scilicet inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, ut dicitur 2. ad Colossenses 9. & quem propterea donando omnia nobis donavit DEUS, ut habetur ad Romanos 8. dona etiam, quibus defacto elevantur homines immediatè in finem supernaturalem, tenent primum locum inter omnia dona purè creata absolutè possibilia; eorum quippe finis est visio, & possessio Dei, quo nihil altius puræ creaturæ contingere potest, cùm per nil aliud magis assimilari DEO, & appropinquare possit; media autem summo fini proportionata debent esse connexa cum fine, & summæ perfectionis in genere medii; si enim quid præstantius supereresset, non omnia nobis cum Filio donâsset æternus Pater, quod est contra citatum testimonium Pauli: ergo ex natura rei existentia Christi connectitur cum nostra elevatione, & hæc vicissim cum illa, & utraliber ad alteram naturali necessitate consequitur, cùm altera principium summum infra Deum, altera effectus summos infra hominem Deum in se contineat.

Respondeo conc. ant. & neg. consequen- 117.
tiam, quæ ex antecedenti nullo modo inferri potest. Ratio est, quia licèt Christus sit nobilissimum principium donorum supernatu-

ralium, at non est nobilius, quàm ipse Deus se solo; unde si media ista, quia nobilia sunt, possunt respicere Christum ut caput, ex eadem ratione respicere possunt ut caput Deum solum; quòd autem Christus sit causa meritoria, & DEUS se solo mereri non possit, nihil refert, sed potiùs ostentaret maximam gratiam, & misericordiam DEI, si absque meritis ullis hominum peccata remisisset, ut revera potuit, & suprà diximus; sicut enim absque ullis meritis concessit Christum, qui infinities nobilior est illis meritis gratiæ accidentalis sanctificantis, etiam potuit nullis præexistentibus meritis ex sua misericordia concedere eadem media hominibus; quòd autem DEUS hanc habeat potentiam, satis indicant Scripturæ à nobis adductæ à num. 98. & 112. Unde facilè apparet, perperam inferre Adversarium suam consequentiam ex illo antecedente.

118. Objicies 6. Per habitus virtutum supernaturalium instruitur homo ad mores Divinos, juxta illud Matth. 5. *estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester Cælestis perfectus est*: ergo habitus virtutum supernaturalium ex natura sua connectuntur cum existentia Christi. Confirmatur 1. Ordo gratiæ exigit caput visibile, juxta illud Augustini Serm. de Nativit. Domini sub initium: *homo sequendus non erat, qui videri poterat; Deus sequendus erat, qui videri non poterat; ut ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, DEUS factus est homo*: ergo &c.

119. Confirmatur 2. Per hos supernos habitus reddimur capaces ad agendum cum Christo familiariter cognoscendo gradum dignitatis ipsi convenientis, percipiendo omnia ejus mysteria, & doctrinam, promittendo mutuò, sperando, & exequendo, quæ decent homines admissos in consortium Divinitatis, & quod hæc omnia includit, exhibendo invicem dilectionem verè amicabilem, & fraternam, juxta illud Christi Joannis 15. *jam non vos dicam servos, quia servus nescit, quid facit Dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*; atqui violentum esset habitibus, quibus connaturale est sic agere cum Christo, carere Christo, cùm aliud explere non possit connaturalem earum capacitatem: ergo &c.

120. Respondeo conc. ant. & nego consequentiam; quia DEUS solus non est minùs DEUS, quàm Christus, ac proinde licèt per illos habitus instruatur homo ad mores planè Divinos, satis illis erit DEUS solus, quin indigeant Christo. Ad primam Confirmationem nego antec. quia ordo gratiæ ex natura sua solùm exigit DEUM, quòd autem DEUS dederit caput visibile, ut ait Augustinus, non fuit ex necessitate, sed ex misericordia, & ex intentione obtinendi condignam satisfactionem pro peccatis; si enim DEUS voluisset reparare hominem absque condigna satisfactione, & absque Incarnatione, id facere potuisset absque ulla horum habituum violentia; imò quòd dederit Christum ad reparationem humani generis, fuit maxima DEI gratia, & misericordia, ut constat ex ipso Augustino, Patribus, & Scripturis adductis à num. 98. Ad secundam Confirmationem conc. maj. & nego min. quæ certè confundit omnino capacitatem cum exigentia. Quid enim refert, quòd per hos habitus reddamur capaces adagendum familiariter cum Christo, ut exinde possit inferri eorum exigentia naturalis ad Christum: capax enim est humanitas Petri hypostaticæ Unionis, quin exinde possit inferri exigentia illius ad unionem hypostaticam, quod evidens est in millenis aliis exemplis, & dicemus num. 122. unde licèt isti habitus capacitatem illam habeant, malè infertur exinde eorũ exigentia naturalis ad Christum. Quanta verò æquivocatione laborent Adversarii, quando Christum vocant caput nostrum morale, & intrinsecum, constabit num. 127.

Objicies 7. Gratia habitualis eadem ratione, qua nos facit filios DEI, & hæredes, facit etiam cohæredes Christi, juxta Apostolum ad Romanos 8. *si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autẽ Christi*: ergo habitus gratiæ supernaturalis ex natura sua exigit Christum. Confirmatur 1. Non est supra naturam habitûs fidei, ut credat existentiam Christi, atque ab ipso doceatur fidelis, & speret in ipso Christo; atqui inter potentiam, & habitus, vel inter objecta connaturalia datur mutua connexio naturalis, ut inter visum, & colores, auditum, & sonum, & inter subjecta, quibus hæc naturaliter insunt: ergo etiam datur connexio naturalis inter habitus supernaturales, & Christum. Confirmatur 2. Connaturale fuit Christo, ut faceret opera, quæ testimonia perhiberent de ipso, ut constat ex Joannis 5. *ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me*; atqui nullum perhiberent testimonium, si non existerent homines instructi fide, qua possent eorum significationem percipere: ergo habitus isti exigunt existentiam Christi.

Respondeo dist. ant. facit nos cohæredes in hac providentia, in qua Christus existit hæres, & Filius DEI naturalis per naturam, conc. in alia providentia, in qua DEUS noluisset producere Christum, neg. antec. & consequentiam. Ratio est, quia cùm DEUS sit absolutus, & Supremus Dominus suorum donorum, si in alia providentia voluisset conferre hominibus dona ista supernaturalia, & noluisset producere Unionem hypostaticam, tunc homines absque ulla violentia essent hæredes DEI, & non essent cohæredes Christi. Ad primam Confirmationem dist. antec. ut credat existentiam Christi ex suppositione, quòd Christus existat, quam habitus illi non exigunt, concedo; ex suppositione illa, quam

quam exigunt, nego antec. & conſequentiam; quia licèt habitus ſupernaturales capaciratem habeant, ut credant homines inſtructi illis habitibus, quidquid à DEO reveletur, & tradatur ab ipſo ut neceſſarium ad ſalutem; at non habent naturalem exigentiam, ut DEUS in his hoc potiùs modo, quàm illo ſe gerat, ac proinde ut producat potiùs Unionem hypoſtaticam, quàm non producat; ſic campus Hannibalis capax eſt ad ſuſtinendam altiſſimam turrim, nec ſupra ipſius naturam eſt ſuſtinere, ſi ædificetur: at quis mentis compos exinde inferat, quòd habeat naturalem exigentiam, ut turris ibi ædificetur?

123. Ad ſecundam Confirmationem diſt. maj. quæ teſtimonium perhiberent de ipſo per naturalem connexionem eorum operum cum Chriſto, nego, per exceſſionem eorum operum ſupra naturam, quibus nobis applicabatur revelatio *Divina* de Chriſto, conc. maj. & diſtincta pariter min. nego conſequentiam. Ratio eſt, quia, ut diximus à num. 58. miracula, & opera ſupra naturam ex ſe capacia ſunt ad approximandam nobis revelationem *Divinam*, ſive hæc ſit de exiſtentia, ſive non exiſtentia objecti, ideóque dererminatio non provenit ex miraculis, ſed ex intentione *Divina*, qua miracula fiunt, & ex *Divina* revelatione, qua nobis intentio DEI innoteſcit; quo in ſenſu loquitur Joannes loco ſuprà citato, ſi bene legatur; ſic enim proſequitur: *teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me, & qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.*

124. Nec mihi apparet tutum in fide dicere, opera Chriſti nudè ſumpta habere naturalem connexionem cum Unione hypoſtatica, ſive cum Perſona *Divina* incarnata, à qua procedant; conſtat enim ex num. 41. Chriſtum dixiſſe Apoſtolis, eos operaturos eſſe majora opera, quàm Chriſtus ipſe operabatur, & certè Apoſtoli non erant DEUS homo, quin potiùs argumentum iſtud inordinatiſſimum eſt; quamquàm enim Chriſtus Dominus naturaliter exigeret habitus fidei, & homines, qui crederent in ipſum, quomodo exinde inferri poſſet, quòd ipſi habitus Chriſtum exigant; gratia enim habitualis exigit animam rationalem, ſicut accidens exigit ſuum ſubjectum, quin exinde anima rationalis exigat gratiam; & actus ſupernaturales intellectûs exigunt intellectum, quin intellectus exigat illos actus; ex quo apparet, in quantis deficiat iſtud argumentum.

125. Objicies 8. In Sacris Litteris paſſim comparantur Chriſtus & fideles, ut caput & membra, vitis & palmites, Sol & ſtellæ, lux & radii, fons & rivi; ſed hæc, & ſimilia permulta denotant mutuam intrinſecam habitudinem, & connexionem inter dona ſupernaturalia, & Chriſtum: ergo &c. Confirmatur. Si DEUS produxiſſet ordinem ſupernaturalem ſine Chriſto eſſet corpus Acephalum, utpote carens capite intrinſeco, & meritorio; ſed hoc dedecet ſapientiam DEI; ergo &c. Reſpondeo diſt. maj. comparantur quoad omnia, neg. quoad aliqua, conc. maj. & diſt. min. nego conſequentiam. Ratio eſt, quia in his Scripturæ comparationibus non poteſt haberi ſimilitudo quoad omnia, quod & ipſi Adverſarii (velint, nolint) fateri tenentur, ut patet in ipſa comparatione inter caput, & membra; certum namque eſt ex ipſis Adverſariis, DEUM eſſe caput univerſale totius ordinis gratiæ, & Chriſtum inſuper eſſe caput particulare, quod ſanè in corpore phyſico reſpectu capitis phyſici monſtroſum eſt; non poteſt enim non eſſe monſtroſum, ſi daretur unum caput phyſicum univerſale omnium corporum, & alterum uniuſcujuſque corporis particulare.

Inſuper caput phyſicum non ſolùm confert, 126.
ſed etiam recipit vitalitatem, & ſpiritus à membris, ſine quorum influxu non poſſet ſubſiſtere; at Chriſtus nullam perfectionem, nullúmq; influxũ à ſuis membris recipit. Quare certiſſimum eſt, in his comparationibus non eſſe ſimilitudinẽ quoad omnia: ſtat igitur ſimilitudo in hoc, quòd Chriſtus in hac providentia conſtitutus eſt caput noſtrum meritorium; unde ſicut ex vite derivantur influxus in palmites, & ex Sole derivatur lux in ſtellas, & ex luce in radios, atque ex fonte derivatur aqua in rivos, etiam ex Chriſto derivantur dona in nos: hæc autem dona nullam prorſus habent exigentiam naturalẽ ad Chriſtum, cùm Deus, qui eſt Supremus Dominus eorum donorũ, potuiſſet abſque ulla violentia ea dona nobis conferre, quin conferret Chriſtum, & quin nobis aſſignaret caput ullum condignè meritoriũ. Ad Confirmationem nego maj. quia licèt ille ordo non haberet Chriſtum pro capite, haberet pro capite DEUM, à quo abſque ullis meritis præcedentibus reciperet influxus intrinſecos, & dona intrinſeca, quibus homines poſſent DEUM poſſidere.. Sic Chriſtus abſque ullis præviis meritis ſuſcepit à DEO gratiam, pluraque dona humanitati communicata, unde inferri non poteſt, quòd ordo gratiæ ſine Chriſto eſſet corpus Acephalum, & quòd ex eo titulo exigat ex natura ſua Chriſtum *Dominum*; quomodo Chriſtus ſemel jam exiſtens neque ex juſtitia, neque ex charitate teneatur homines redimere independenter à pacto, & præcepto DEI, dicemus infrà, cùm de ſuperabundanti Chriſti ſatisfactione.

Pro coronide totius diſputationis notandum 127.
eſt maxima Adverſariorum æquivocatio, quando dicunt, Chriſtum *Dominum* eſſe caput noſtrum morale, ſimulque dicunt, eſſe nobis intrinſecum, cùm hæc abſque implicantia in ipſis terminis dici non poſſint; quamquàm enim caput morale ſit intrinſecum concreto, non eſt intrinſecum membris; aliter vel eſſet de intrinſeco membrorum conſtitutivo, vel non ſolùm moraliter, ſed phyſicè penetraretur, & uniretur membris: ſic quando amamus DEUM in iſto concreto morali *Deus amatus*, amor noſter eſt intrinſecus concreto, cùm ſit de

de essentiali illius constitutivo; at non est Deo intrinsecus, sed extrinsecus, quia non unitur DEO physicè, sed tantùm moraliter. Pariter cùm caput morale non sit de intrinseco constitutivo membrorum, neque penetretur cum suis membris, neque uniatur suo corpori physicè, sed tantùm moraliter, licèt sit de intrinseco constitutivo concreti resultantis ex corpore, & capite, non est de intrinseco constitutivo corporis; sed eo ipso, quòd sit caput duntaxat morale, est corpori extrinsecum, nec ad istud munus requiritur, quòd sit pars, sed quòd influat, & communicet corpori dona intrinseca vel ex merito, vel ex potentia sua; ad partem enim opus erat, quòd ab altero extremo posset perfici; sicut caput physicum perficitur à membris per influxus, quos ab illis participat, ideóque est etiam membrum; cùmque neque DEUS, neque Christus à nobis perfici possint, nequeunt esse pars in illo concreto, sed extremum concreti constitutivum: sicut Verbum Divinum non est pars, sed extremum constituens cum humanitate Christum, ut constat à num. 28. Idcirco, cùm non solùm Christus Dominus, sed etiam Deus se solo possit influxus intrinsecos, sive dona intrseca nobis comunicare, nósque ita sapienter gubernare, non solùm Christus, verùm etiam Deus se solo satis est, ut sit caput nostrum morale: unde nullus remanet locus, ut ordo gratiæ habitualis ex intrinsecis suis exigat Christum, ut caput.

***

DISPUTATIO IV.

DE NECESSITATE MORALI.

128. GRanadus tract. 2. de voluntate Dei disp. 3. & Melchior Juster in tractatu etiam de voluntate, fusissimè docent, DEUM necessitatum fuisse moraliter ad Incarnationem, atque in favorem suum adducunt Patrem Ruiz de Montoya; at licèt Montoya aliquid induat, ut infra dicemus, toto cœlo distat à sententia horum Authorum: isti quidem admittunt in Deo necessitatem moralem antecedentem fundatam in ipsa natura divina, vel in amore, quo Deus se necessariò amat, ratione cujus, si Deus non efficeret opus Incarnationis, deficeret ipse Deus; at verò Montoja eatenus solùm admittit hanc necessitatem moralem, quatenus si ista deficerer, non ideò deficeret Deus, sed duntaxat sequeretur, quòd deficeret aliquid, quod erat moraliter impossibile. Hanc secundam necessitatem ut impugnemus, examinandas est priùs moralis necessitas, quam Granadus, & Juster excogitârunt in Deo.

SECTIO I.

Proponitur, & rejicitur moralis necessitas.

129. FUndamentum Granadi, & Juster hoc est: Incarnatio est opus præ aliis melius, & optimum: sed Deus hac stricta necessitate necessitatur ad melius, & optimum: ergo necessitatur ad Incarnationem. Cæterùm ut essentia melioris, & optimi innotescat, notat 1. ex Montoja Juster à num. 226. de voluntate melius, & optimum posse multipliciter summi. Primò est, prout est DEO placentius. Secundò pro meliori affectivè, seu aptiori ad finem. Tertiò pro meliori intrinsecè, & entitativè, ut in eo magis splendeat bonitas, & perfectio DEI, sive sit melius negativè, quatenus non datur aliud melius, sive positivè, quatenus est melius alio imperfectiore, vel prout est melius suâ carentiâ, vel melius altero, sive omni termino positivo; Granadus verò solùm intelligit nomine melioris, & optimi, quòd magis conducit ad DEI gloriam ejusque necessitatem dicit stare inter extrema contradictoria, inter quæ non progreditur in infinitum, modò aliud extremum sit melius, & optimum ad gloriam DEI, ut Incarnatio præ non Incarnatione, & mundus præ non mundo.

Notat 2. Juster, Deum solùm esse necessitatum moraliter in rebus finitis, in quibus datur melius & optimum: nam in iis, in quibus progredimur in infinitum, nec datur melius nec optimum; undè infert melius & optimum non esse quid determinatum; nam determinatum debet esse individuum, & intra eandem speciem dantur infinita individua, quorum nullum est optimum; idem esto de specie: nam intra idem genus sunt infinitæ species, aliæ aliis perfectiores, ac proinde nulla determinatè est quid optimum; cùm autem DEUS duntaxat necessitetur ad optimum, exinde ad nullum individuum, nullámque speciem determinatam erit moraliter necessitatus; idcirco ajunt, solùm esse necessitatum ad aliquid vagè, & indeterminatè, in quo non fiat processus in infinitum, v. g. ad aliquam Incarnationem, ad producendum aliquem mundum, & ad aliquem prædestinandum. Montoya verò, quem plures Recentiores sequuntur, aliâ incedit viâ; non enim admittit necessitatem moralem in Deo, vi cujus DEUS desineret esse DEUS, si optimum non eligeret, sed vi cujus non possit esse prudens dubium de oppositio, cùmque, ut ipse ait, independenter ab omni prævia libera suppositione non potuit esse prudens dubium de eo, quòd DEUS omisisset Incarnationem, exinde infert DEUM necessitatum esse, hac secunda necessitate morali ad Incarnationem. Hæc sunt Authorum fundamenta, quæ, ut seorsim rejiciamus. Asse-

Aſſero 1. Deus non eſt neceſſitatus moraliter ad Incarnationem, ita, ut DEUS non eſſet Deus, ſi Incarnationem non efficeret. Probatur 1. DEUS imprimis non neceſſitatur antecedenter ad optimum, prout eſt DEO placentius; nam quæcunque facit DEUS, placent illi non ſolùm inefficaciter, ſed etiam efficaciter in ordine ad finem à ſua providentia intentum; unde relatè ad hunc finem ſunt DEO placentius: ſed non ita neceſſitatur moraliter ad omnia, quæ præduxit; quis enim dicat, DEUM non fore DEUM, ſi non produxiſſet ſtuppam? deinde non neceſſitatur ad optimum aſſecutivè, quia poterat nihil intendere ad extra, ac proinde nec medium optimum ad aliquem finem ad extra aſſequendum. Præterea neque ad optimum negativè, cùm ad hoc nulla neceſſaria ſit productio; neque ad optimum poſitivè, aliter neceſſitaretur ad plura poſſibilia meliora aliis terminis poſitivis, neque neceſſitatur ad extremum melius entitativè ſumptum; aliter neceſſitaretur ad Incarnationem Patris, & Spiritus Sancti, & ad prædeſtinationem omnium hominum, & Angelorum; neque ad optimum vagè, ſiquidem à parte rei nihil eſt vagum, ſed omnia ſunt determinata; imò & vagè manet etiam progreſſus in infinitum; nam aliquis lapis minùs perfectus eſt, quàm aliquis homo, & ſic in infinitum relatè ad perfectiores creaturas poſſibiles: ergo nullo ex his modis excogitatis ab Adverſariis DEUS eſt neceſſitatus ad optimum, ac proinde neque ad Incarnationem. 131.

Probatur 2. Neceſſitas ita ſtricta, ut ſi DEUS Incarnationem non eligeret, eò ipſò deficeret DEUS, non ſolùm eſt moralis, ſed etiam phyſica & metaphyſica: atqui per vos non datur in DEO neceſſitas phyſica, vel metaphyſica ad Incarnationem: ergo neque iſta moralis neceſſitas. Probatur maj. neceſſitas metaphyſica ad aliquem terminum illa eſt, quæ nec de potentia DEI abſoluta impediri poteſt: ſed talis eſt hæc ſtricta moralis neceſſitas: ergo eſt neceſſitas metaphyſica. Probatur min. nullâ potentiâ DEI abſolutâ fieri poteſt, quòd DEUS non ſit DEUS: atqui ut fatentur Granado & Juſter, ſi DEUS Incarnationem non produceret, non eſſet DEUS: ergo nullâ potentiâ DEI abſolutâ impediri poſſet Incarnatio. 132.

Reſpondebis ex Juſter num. 284. de voluntate, diſtinguendo hanc ultimam min. deſiret DEUS abſolutè, & antecedenter, nego; quia potuit phyſicè non eligere optimum: deficeret ex ſuppoſitione, & conſequenter, concedo: quia cùm DEUS ſit talis naturæ, ut ſemper eligat optimum, ſi optimum non eligeret, deficeret talis natura, ac proinde deficeret DEUS, unde abſolutè, & antecedenter datur in DEO libertas phyſica cum neceſſitate morali, quæ DEO non repugnat. Corroborat ſolutionem ſuam primò in hunc mundum: admiſſis divinis prædefinitionibus actuum liberorum, iſta forma arguendi non concludit, ſi non fieret actus prædefinitus, fruſtraretur prædefinitio: atqui poteſt non fieri: ergo poteſt prædefinitio fruſtrari. Secundò ſi homo per longum tempus vitaret omnia venialia absque ſpeciali gratia, non eſſet homo: ſed habet potentiam antecedentem ad vitandum ſine ſpeciali gratia omnia venialia: ergo habet potentiam antecedentem ad faciendum, quòd non ſit homo. Hæc argumenta, inquit Juſter, non concludunt, ac proinde neque noſtra concludunt ob rationem ſuprà datam. Iſte autem corroborationes, & inſtantiæ Adverſarii eodem morbo, quo ſolutio, laborant, ut conſtabit à num. 137. ideóque nullius momenti ſunt, quapropter. 133.

Contrà 1. in *Deo* non datur potentia phyſica antecedens ad aliquid, quo poſito deficeret conſequenter *Deus*, ex ſuppoſitione, quòd ſit talis naturæ: atqui ut fatetur Adverſarius, ſi *Deus* non produceret Incarnationem, deficeret conſequenter ipſe *Deus* ex ſuppoſitione, quòd ſit talis naturæ: ergo &c. Probatur maj. *Deus* non habet potentiam phyſicam antecedentem ſe conjungendi cum aliquo, quo poſito ſequantur duo contradictoria: atqui ſi in *Deo* daretur potentia phyſica antecedens ad aliquid, quo poſito deficeret conſequenter *Deus* ex ſuppoſitione, quòd ſit talis naturæ, ſequerentur conſequenter duo contradictoria; etenim ex eo defectu ſequeretur, quòd eſſet, & non eſſet Deus; eſſet quidem ut ſupponimus, non eſſet, quia deficeret: ergo &c. 134.

Contrà 2. Deum non poſſe phyſicè, & conſequenter non operari Incarnationem ex ſuppoſitione, quòd ſit talis naturæ, eſt metaphyſica neceſſitas conſequens ad producendam Incarnationem ex ſuppoſitione, quòd ſit talis naturæ, ſed hujusmodi neceſſitas omnino repugnat Deo: ergo &c. Probatur min. Deum ex ſuppoſitione, quòd ſit talis naturæ, eſſe metaphyſicè neceſſitatum ad Incarnationem, perinde eſt, ac dicere, non poſſe omittere Incarnationem ex ſuppoſitione, quòd ſit Deus; Deus enim ut Deus liberrimè operatus eſt Incarnationem, ut Adverſarii fatentur, ac proinde liberè eam produxit ex ſuppoſitione, quòd erat Deus: ergo ex ſuppoſitione, quòd eſſet Deus, poterat ſimul non producere, & omnino impedire Incarnationem. 135.

Contrà 3. metaphyſica neceſſitas antecedens ad Incarnationem, ut fatentur Adverſarii, omnino repugnat Deo: ſed hæc conſequens neceſſitas indiſpenſabiliter arguit metaphyſicam antecedentem neceſſitatem in Deo. ergo &c. Probatur min. neceſſitas conſequens fundata in ſuppoſitione antecedenti metaphyſicè à Deo inevitabili indiſpenſabiliter arguit metaphyſicam neceſſitatem antecedentem; ſic enim Pater æternus eſt metaphyſicè neceſſitatus, & quidem antecedenter ad producendum Filium, quia illa neceſſitas fundatur in ſuppoſitione antecedenti fæcunditatis naturæ &c. à Patre metaphyſicè inevitabili: ſed ſic ſe habet in Deo hujusmodi neceſſitas conſequens non ad producen- 136.

dam Incarnationē siquidem fundatur pro vos in suppositioneq,uòd Deus sit talis naturæ, quòd quidem est metaphysicè à Deo inevitabile, cùm metaphysice repugnet, quòd Deus non sit talis naturæ: quamobrem ea solùm necessitas consequens est consentanea libertati, quæ fundatur in suppositione antecedenti impedibili ab ipsa libertate; aliter non posset subsistere definitio agentis liberè, quod ita constituitur potens ad utrumque, ut pro libitu suo se determinet ad unum præ altero libertatis extremo. Atque exinde apparet, quomodo instantiæ Adversariorum adductæ n. 133. peccant in præmissis.

137. Etenim falsò supponitur in prima instantia, dari prædefinitiones libertati consentaneas independenter à scientia media, seu à voluntate impedibiles: admittimus enim divinas prædefinitiones, sed pendentes à scientia media subsequente consensum liberum conditionatè prævisum, ac proinde impedibiles à voluntate, ita, ut eadem voluntate, qua pono actum, potens non ponere, non impediam prædefinitionem ab eo pendentem potens illam impedire. Quare secunda instantia etiam assumit falsum in majori; nam ex suppositione, quòd homo absque speciali gratia præventus omitteret omnia venialia, non sequeretur, quòd non esset homo, sed quòd physicè deficeret id, quod in aliquibus circumstantiis erat moraliter impossibile, ut deficeret: quòd autem deficiat physicè, quod moraliter deficere nequit, nulla est contradictio; sicuti nulla est contradictio, quòd divinitùs, seu metaphysicè deficiat inhærentia physica accidentium in Eucharistia, quæ nequit deficere physicè, seu naturaliter.

138. Et ratio est, quia impossibilitas antecedens ad evitanda sine speciali gratia per longū tempus omnia venialia non est physica, quia sine physica libertate nequit committi peccatum, nec sufficit libertas in Adamo, ut in capite, ut declaravit Alexander VIII. damnando primā propositionem ex 31. propositionibus, unde solùm est moralis fundata in ipsa natura nostræ voluntatis fragilis, & pronæ ad malum, atque in tentationibus carnis, mundi, & *Dæmonis* vires aliquo modo enervantibus, & in natura specialis gratiæ dantis potentiam robustam ad eos vincendos, ex qua ingenti difficultate formido suboritur hominis, si speciali gratia non præveniatur; quòd si hoc judicium falsificaretur, non sequeretur, homo non quòd esset homo, nec quòd non præcessisset moralis necessitas, sed quòd vincebatur physicè, quod non poterat moraliter vinci; in hac autem providentia datur necessitas metaphysica consequens ad aliquem lapsum venialem hominis per longum tempus, si speciali gratia non præveniatur; quia Deus prævidit per scientiam mediam, unumquemque adultum ex productis, & producendis, quamvis potuisset non labi, lapsurum tamen in aliquod veniale, si speciali gratia non præveniatur; ex quibus facilè dissolventur Adversariorum instantiæ.

Assero 2. *Deus* non est moraliter necessitatus ad Incarnationem, ita, ut nulla præsupposita libera dispositione non possit formari prudens dubium de oppositō. Probatur 1. Nullum efformari potest judicium prudens absque dubio, aut suspicione de oppositō, quando apparet fundamentum grave ad non efformandum tale judicium; sed apparet fundamentum grave ad judicandum, *Deum* non esse moraliter necessitatum ad eligendum optimum: ergo. Probatur min. Incarnatio Patris est optima, utpote melior suâ carentiâ; prædestinatio omnium est optima, utpote conducentior ad majorem *Dei* gloriam extrinsecam accipiendam ab hominibus per totam æternitatem, atque ad ostensionem suæ misericordiæ creaturæ alterius mundi possibilis, & perfectiores ipsis, quæ defacto sunt, reverâ essent optimæ utpote meliores omni termino purè creato: sed per vos ex infinita libertate DEI datur fundamentum grave ad judicandum, *Deum* non habere ad hæc omnia moralem necessitatem; ergo ex eadem libertate *Dei* datur fundamentum grave ad judicandum DEUM non esse moraliter necessitatum ad optimum? ac proinde neque ad Incarnationem.

Confirmatur 1. Negari nequit, dari fundamentum grave ad id, quod ferè omnes *Doctores* unanimiter amplectuntur; atqui præter paucos citatos omnes docent, DEUM non necessitari moraliter ad Incarnationem, ut enim ait Bernal disp. 3. num. 3. præter paucos istos nec ullus quidem moralem istam necessitatem insinuat. Confirmatur. In DEO nulla est necessitas absoluta ex Augustino; sed ubi nulla est necessitas, nec moralis reperiri potest; siquidem necessitas moralis necessitas est, & pertinet ad unum ex triplici genere necessitatis: ergo &c. Probatur maj. ex ipsis Augustini verbis lib. 83. Quæst. quæst. 22. quæ ita habet, *ubi nulla indigentia, nulla necessitas, ubi nullus defectus, nulla indigentia; nullus autem defectus in DEO: ergo nulla necessitas.* Hæc Augustinus, quæ adeò clara sunt, ut ulteriori explicatione non indigeant.

Probatur 2. conclusio: nec perfectio naturæ, & voluntatis DEI, nec perfectio, & natura boni creati potest necessitare DEUM moraliter ad eligendum entitativè optimum: ergo neque ad producendam Incarnationem. Probatur ant. Bonum creatum est limitatum, & simpliciter defectibile: natura divina est illimitata, & simpliciter indefectibilis; atqui res simpliciter indefectibilis comparata cum re simpliciter defectibili neque ratione sui, neque ratione termini potest necessitari moraliter ad terminum: ergo &c. Probatur min. Res simpliciter indefectibilis ita est independens à simpliciter defectibili, ut major independentia excogitari non possit: atqui si vel ratione sui, vel ratione termini necessitaretur, ut conjungeretur cum simpliciter defectibili, non esset ita independens, ut major independentia excogi-

cogitari non possit; quandoquidem esset certa major independentia, si daretur exclusio talis necessitatis: ergo &c.

142. Confirmatur 1. DEUS ita summè perfectus & felix est ratione suæ naturæ, ut quælibet bonitas creata respectu felicitatis DEI ita se habeat, acsi nihil esset: ergo neque ratione sui, neque ratione bonitatis creatæ necessitatur moraliter ad illam. Probatur conseq. ut sit DEUS moraliter necessitatus hac secunda necessitate, requiritur, quòd ita sit determinatus ad bonitatem creatam, ut nequeat prudenter formari dubium, aut suspicio de tali bonitate non producenda à DEO attendendo ad naturam ipsius DEI; atqui ex ipsis terminis manifestè apparet, prudenter dubitari posse attendendo ad naturam ipsius DEI, an DEUS electurus sit, vel non electurus id, quod respectu suæ felicitatis ita se habet, acsi nihil esset: ergo &c. Confirmatur 2. Deus non fuit necessitatus ad tale optimum in tota æternitate à parte ante attendendo ad suam naturam: ergo neque attendendo ad suam naturam erit necessitatus in tota æternitate à parte post. Probatur consequentia; quia Deus non minùs fuit felix ab æterno, quàm erit felix in æternum: ergo &c.

143. Probatur conclusio evertendo præcipuum fundamentum Adversariorum. Si DEUS moraliter necessitaretur ad optimum, maximè, quia summè se amat; atqui de ratione amantis est procurare bona amato, & bona creata, licèt non sint intrinsecè, sunt tamen extrinsecè bona respectu DEI: sed hæc ratio nulla est: ergo &c. Probatur min. De ratione amantis non est, procurare bona amato quæ plus auferrent, quàm afferrent illi felicitatis: sed bona creata cum hac necessitate morali plus auferrent, quàm afferent DEO felicitatis: ergo &c. Probatur min. bona creata, ut ex fide, & pluribus Patrum testimoniis certum est, non sunt bona intrinseca, sed extrinseca respectu Dei: atqui cum hac necessitate auferrent à Deo aliquam perfectionem intrinsecam: ergo plus auferrent, quàm afferrent Deo felicitatis. Probatur min. major est perfectio intrinseca Dei, utpote agentis perfectissimè liberi, omnimoda libertas, quàm libertas diminuta, seu necessitata moraliter: atqui hæc necessitas moralis auferret à Deo hanc omnimodam intrinsecam libertatem: ergo &c.

144. Confirmatur 1. non est de ratione Dei amantis justos procurare illis bona quamquàm intrinseca cum morali necessitate, seu diminutione suæ divinæ libertatis, & perfectionis intrinsecæ: ergo, neque erit de ratione Dei amantis se procurare sibi omnia extrinseca cum morali necessitate, seu diminutione suæ divinæ libertatis & perfectionis intrinsecæ. Confirmatur 2. in animabus purgantibus, quibus DEUS non statim remittit pœnam, quamquàm hoc ipsis melius esset, neque DEUS ullam necessitatem moralem habet, ad illam remittendam, quamquàm illæ animæ sint amicæ Dei: ergo pariter in nostro casu. Confirmatur 3. in Christo Domino, cui in hac vita Deus non procuravit omnia bona temporalia, cum plures illi pœnas infligendas permiserit: ergo &c.

145. Respondebis, hanc necessitatem non esse diminutionem perfectæ libertatis intrinsecæ, sicut nec est diminutio in Deo suæ libertatis intrinsecæ necessitas ad non peccandum. Contrà tamen: peccatum est Deo intrinsecè malum, ita, ut si Deus peccaret, eò ipso non esset Deus: atqui non eligere optimum, non est ita malum Deo, ut si illud non eligeret, non esset Deus, aliter non haberet libertatem ad omittenda omnia ad extra; imò potiùs sicut implicat metaphysicè, quòd aliquando peccet, ita implicaret metaphysicè, quòd aliquando non produceret aliquid ad extra, quod est falsum, & Adversarii quoque fatentur: ergo &c. omitto alterum argumentum, quòd latè prosequitur Cardinalis de Lugo disp. 2. probans, inutiles fore Patrum preces pro obtinenda Incarnatione, si Deus jam esset necessitatus ad illam.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

146. OBjicies 1. contra primam assertionem: hæc est inefficax argumentatio: si non fieret actus prædefinitus, frustraretur prædefinitio, atqui potest non fieri: ergo potest frustrari; sed similis sunt naturæ argumentationes contra Adversarios: ergo sunt inefficaces. Respondeo conc. maj. & nego min. nam Adversarii in suo syllogismo, ut veritatè contineat, debent distinguere majorè sic: frustraretur prædefinitio, si componeretur prædefinitio actûs cum actus carentia, conc. si per liberam omissionem actûs impediretur existentia prædefinitionis, nego maj. & dist. min. potest non fieri eâdem potentiâ, qua potest impediri existentia prædefinitionis, conc. sine potentia impediendi prædefinitionem nego min. & conf. Ratio est, quia, ut docet schola nostra, Deus solùm prædefinit actus, postquam per scientiam mediam, quòd homo se determinaret liberè ad actum in his circumstantiis, ab istis comprincipiis indifferentibus, ita, ut non prædefiniviſſet, si non vidisset hominem liberè se determinaturum, sed potiùs dissensurum; unde casu, quo homo, ut potest, non se determinaret ad actum, Deus nequaquam prædefiniret actum. Quomodo ergo frustraret prædefinitionem actûs per omissionem actûs, si tunc non esset prædefinitio? quamobrem Deus, si nullam habet necessitatem, potest absolutè esse sine illa. At cùm non possit esse sine sua natura, perperam fit, argumentum à prædefinitionibus ad naturam divinam; atque exinde dissolvitur secundum argu-

argumentum Adversariorum, quòd jam subjicio.

147. Objicies 2. si homo per longum tempus vitaret omnia venialia absque speciali gratia, non esset homo: sed haberet potentiam antecedentem sine speciali gratia ad vitanda omnia venialia: ergo haberet potentiam antecedentem ad faciendum, quòd non sit homo: ergo sicut iste syllogismus non concludit, ita probationes nostræ contra Adversarios non concludunt. Respondeo nego maj. ex num. 137. homo enim, ut diximus, est talis naturæ, ut cum potestate physica possit physicè vincere necessitatem moralem peccandi venialiter, licèt non possit moraliter vincere eam necessitatem; etenim victoria physica non tollit necessitatem moralem, sed facit, quòd non sit physicè necessarium, quod solùm est necessarium moraliter; sic licèt DEUS in camino Babiloniæ privaverit ignem calore, non sustulit apud Adversarios necessitatem physicam, sed solùm fecit, quòd manente physica necessitate fundata in natura, & exigentia physica ignis ad calorem de potentia absoluta impediretur calor, & sic non erat metaphysicè necessarium, quod solùm erat necessarium physicè; at quòd DEUS sit talis naturæ, est necessarium metaphysicè; cùmque in hoc fundentur argumentationes nostræ contra Adversarios, non sunt ejus generis, qualis est argumentatio Adversariorum.

148. Objicies 3. quando aliquis efficaciter, aut perfectissimè amat alium propter ejus bonitatem, vult juxta Angelicum 1. contra Gentes, quidquid pertinet ad perfectissimum statum illius: atqui DEUS ex sua perfectione sic se intensè, & efficaciter amat: ergo sibi vult creaturas meliores ad suam gloriam, ac proinde & Incarnationem, ita, ut moraliter non possit illam omittere, min. & consequentia tenent. Major autem constans est, inquit Juster; nam qui alterum perfectè amat, vult illi, quæ bona sunt ipsi; amare enim est, velle bonum alicui; sed ea, quæ cognoscit, pertinere ad ipsius gloriam, sunt bona illi: ergo &c. Neque hoc argumentum, inquit Adversarius, probat physicam necessitatem in DEO: nam DEUS, ut ex fide constat, est physicè liber, & cùm ex hoc argumento probetur in DEO aliqua necessitas ad optimum, probari solùm potest necessitas moralis. Verumtamen falsò supponit Adversarius, probari ex hoc argumento ullam necessitatem in DEO, aut ipsi talem necessitatem moralem esse posibilem. Unde

149. Respondeo 1. permittendo totum primum syllogismum in sensu Adversarii. Ad maj. probationem dist. min. modo, quo cognoscit pertinere ad suâ gloriam conc. modo, quo cognoscit, non pertinere, nego min. & conseq. cùm autem DEUS solùm cognoscat, pertinere ad suam gloriam extrinsecam non tollendo ab illo intrinsecam perfectionem omnimodæ libertatis, nequaquâ poterit ad illa bona extrinseca moraliter necessitari ex dictis à num. 143. cæterùm, si pro perfectissimo statu intelligat Adversarius, quod est melius suâ carentiâ, ex eadem doctrina Resp. 2. facilè dist. maj. primi syllogismi, quando id, quod vult, non plus aufert, quàm affert felicitatis conc. quando plus aufert, nego maj, & dist. min. nego conseq. ex dictis à num. 143. quia bona creata cum necessitate morali plus felicitatis auferrent, quàm afferrent DEO, quandoquidem solùm afferrent felicitatem extrinsecam, & auferrent intrinsecam perfectionem omnimodæ libertatis; unde manere nequit Deus ad suum perfectissimum statum moraliter necessitatus ad illa bona extrinseca.

Objicies 4. instando simul solutionem: melius esset creaturæ ad suam intrinsecam felicitatem habere antecedenter moralem necessitatem ad ea, quæ pertinent ad ipsius gloriam intrinsecam: ergo melius est Deo ad suam extrinsecam felicitatem habere antecedenter moralem necessitatem ad ea, quæ pertinent ad sui gloriam intrinsecam. Respondeo nego suppositum consequentis, scilicet quòd bona creata possint conducere ad majorem Dei gloriam extrinsecam, cum morali necessitate Dei erga illa. Ratio est, quia nequit esse major gloria extrinseca, quæ præterquam, quòd nullam affert intrinsecam felicitatem, tollit intrinsecam perfectionem. Hanc autem tolleret à Deo moralis antecedens necessitas, ut constat à n. 243. paritas enim desumpta ex creatura est omnino debilis, quia illa diminutio omnimodæ libertatis creaturæ tribueret creaturæ intrinsecam perfectionem, & felicitatem æternam, ac proinde melius se haberet cum illa, quam sine illa; hanc autem intrinsecam felicitatem non possunt afferre Deo bona extrinseca; unde nulla est bonitatis ratio; exinde præoccupantur plures instantiæ, quas contra aliorum solutiones opponit Juster. Nec urget necessitas non peccandi; nam hæc est intrinseca perfectio Dei, ad quam amittendam Deus non est liber, sed est impotens metaphysicè peccare; unde cum peccato non æquè benè se haberet, quam sine illo; at cum creaturis non melius se habet, quàm sine illis.

Objicies 5. contra secundam assertionem: Deus semper eligit, & facit optimum, cùm possit non eligere, & non facere: sed hæc est moralis aliqua necessitas antecedens in Deo; ergo &c. Probatur maj. ex Concilio Francofordiensi in Epist. ad Episcopos Hispaniæ dicente: *credamus, Deum omnia velle, quæ meliora sunt, & omnia posse, quæ vult*: ergo &c. Confirmatur ex Augustino lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 16. ubi ait: *benefacere si non posset, nulla esset potentia, si autem posset & non faceret, magna esset invidentia*: & ex Clemente Alexandrino lib. 6. Stromatum post medium. *Cùm Deus sit bonus, si cessaret unquam benefacere, Deus quoque esse cessabit, quod nefas est dicere*: sic etiam Athanasius lib. de Incarnatione Verbi: *Absurdum, indecorumque erat ejus*

ejus operam interire, idá, sub ipsius opificis conspectu. Atque id ipsum docent plures Patres, quos adducit Montoya disp. 9. de voluntate DEI assertione 4. usque ad 17. plurésque Scholastici, quos adducit tota disp. 10. ergo &c.

152. Respondeo dist. maj. facit optimum modo, quo ipsi optimum est, conc. modo, quo non est optimum ipsi nego maj. min. & consequentiam; quia cùm bona extrinseca non sint optima Deo, si afferrent ipsi moralem necessitatem, ut constat à num. 143. exinde nequit illa facere cum morali necessitate. Ad probationem conc. antecedens, & nego consequentiam; quia Conc. Francofordiense non aliter loquitur, quàm eo modo, quem exposuimus; docet enim omnia & singula à DEO liberè & efficaciter volita esse meliora, & optima per conformitatem cum sua libera voluntate, quæ est prima omnium moralitatis regula. Ad confirmationem conc. ant. & neg. conseq. quia illa Patrum testimonia solùm dicunt DEUM semper facere optimum modo, quo illi optimum est: cùm enim ipsi, aliique Patres expressè doceant, Deum potuisse mundum non creare, & suppositа creatione potuisse permittere, ut humanum genus propter peccatum Adami sine remedio periret, ut constat à num. 97. & 172. dum videntur docere oppositum, explicandi sunt ita, ut sibi ipsis non contradicant, nec ulla excogitabilis apparet explicatio, nisi quam dedimus, scilicet quòd in his testimoniis loquantur de optimo eo modo, quo Deo est optimum, cùm autem cum necessitate morali nequeat esse optimum DEO, exinde non possunt Patres exponi de necessitate illa morali Dei ad tale optimum, sed de necessitate libera consequenti, quæ effectum reddit optimum per conformitatem illius cum prima moralitatis regula.

153. Quamobrem optimum relatè ad DEUM non est, quod intrinsecè melius est suâ carentiâ, vel alio termino positivo, sed quod est optimum affectivè ad fines à DEO omnino liberè intentos, & modo, quo vult illos obtinere; cùm autem Deus non sit antecedenter necessitatus moraliter ad talem finem extrinsecũ intendendum, neque erit necessitatus antecedenter ad eligendum tale optimum; cæterùm postquam Deus omnino liberè decrevit efficaciter, vel inefficaciter consequi talem finem, ex vi sui decreti manet necessitatus non solùm moraliter, sed etiam physicè, & metaphysicè ad eligenda media, ad talem finem proportionata; verùmtamen hæc necessitas est purè consequens, cùm dependeat à conditione omnino libera DEO: quòd si testimonia Patrum benè expendantur, revera docent hoc, quod dicimus; etenim, quia infideles, eò quòd illis videbatur indecens, ut DEUS carnem nostram assumeret, & pro nobis moreretur, dicebant hoc revera fuisse indecens. Athanasius verò ad homines, eò quòd non haberet minorem apparentiam indecentiæ, si DEUS permitteret, ut totum genus humanũ sine remedio periret, dicebat in eo sensu, hoc potiùs esse indecens, & absurdum, licèt non fuerit verè indecens, & absurdum, sed solùm secundùm quandam apparentiam: similiter, quia videtur quædam invidentia repugnans summæ bonitati, ut Deus, si potest, non benè faciat, in eo sensu dicit Augustinus fore invidentiam, si Deus non benefaceret, & Clemens Alexandrinus dicit fore contra summam bonitatem, si Deus aliquando in benefaciendo cessaret, licèt hæc revera non sit, nisi tantùm apparens invidentia, de qua tantùm apparenter loquuntur illi Patres, quòd si aliquando loquuntur de necessitate, non loquuntur de alia, nisi consequente fundata in libera Dei voluntate, qua decrevit ita creaturis providere; ita ut non nisi absurdè possit excogitari omissio adimpletionis talis voluntatis efficacis DEI. Et in hoc sensu sæpè loquuntur Augustinus, & Clemens Alexandrinus.

Objicies 6. infinita *Dei* bonitas utpote sui 154.
diffusiva, & communicativa habet infinitam viam, & inclinationem se communicandi: sed Deus ipsius inclinationi nequit resistere: ergo habet necessitatem, se communicandi, non quidem physicam: ergo moralem. Confirmatur 1. ex Dyonisio: *Divinus amor compulit Deum ad agendum*: ergo &c. Confirmatur 2. ex Lucæ 11. ubi Christus ait, *si ergo vos, cum sitis mali, nôstis bona data dare Filijs vestris, quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se*: & ex Isaia, ubi ait Deus; *nunquid potest oblivisci mulier infantem suum? & si illa oblita fuerit, ego tamen non oblivisear tui*; ex quibus deducitur, Deum affectivè inclinari erga homines: ita ut necessitetur ad benefaciendum illis: ergo cùm non necessitetur physicè, necessitatur moraliter. Multipliciter explicant Doctores hanc divinam inclinationem. Alii dicunt esse infinitam, alii finitam, alii nullam esse in Deo: ego autem juxta principia superiùs adducta.

Respondeo 1. facilè dist. maj. modo, quo est 155.
perfectio in Deo se communicare conc. modo quo est imperfectio nego maj. & concessa min. de inclinatione efficaci nego conseq. quia in Deo solùm est perfectio, perfectissima non repugnantia antecedens se communicandi, aut consequens inclinatio ex sua libera voluntate, non autem exigentia, seu moralis antecedens necessitas; nam hæc potiùs officit, quàm proficit perfectioni divinæ ex dictis à num. 14. ad primam confirmationem dist. eodem modo antecedens; Divinus Amor modo, quo est perfectio Dei, seu omnino liber conc. modo, quo non est perfectio, sed moralis, seu antecedens necessitas ad producendũ aliquid extrinsecum, nego antecedens, & conseq. Ad secundam confirmationem conc. ant. & nego conseq. quia ex illis testimoniis solùm infertur, Deum inclinari ad benefaciendum hominibus, non quidẽ antecedenter per amorem Deo moraliter necessitatum, quod esset imperfectio, sed con-

sequenter, & per amorem omnino liberum, quod est magna Dei perfectio. Ex dictis

156. Fit 1. inclinationem Dei ad se communicandum creaturis non esse naturalem, & necessariam per modum appetitûs innati, neque per modum necessarii appetitûs eliciti, quia hæc potiùs esset physica & metaphysica, quàm purè moralis necessitas, ut constat à num. 132. tum quia hæc inclinatio nequit fundari in amore DEI necessario: nam ut constat ex tractatu de DEO à num. 152. nullus est circa bona creata, quæ utpote limitata non habent tantam vim ad attrahendum, quantam voluntas divina, utpote infinita, habet ad se retrahendum ab amore; neque fundari potest in scientia simplicis intelligentiæ: siquidem ista solùm potest allicere DEUM erga bonitatem creatam modo, quo est bonitas respectu DEI, non autem modo, quo non est bonitas; neque fundari potest in complacentia DEI necessaria de possibilibus, quia ut modo diximus, nulla est talis complacentia in DEO circa possibilia; unde cognitiones DEI de bonitate creata inter alia plura in hoc etiam distinguuntur à nostris, quòd nostræ proponunt nobis bonum, cum quo melius nos habemus, quàm sine illo, secus divinæ Deo.

157. Fit 2. DEUM habere inclinationem omnino liberam ad producendas creaturas, iisque benefaciendum, & ad se ad extra communicandum, quæ quidem inclinatio consistit in decretis, & volitionibus liberis, quibus decernit creaturas producere, iisque providere, & benefacere; hæc enim propensio, & inclinatio nullam imperfectionem arguit in DEO, sed summam potiùs perfectionem, & bonitatem; atque per hoc assimilatur amori creaturarum paterno, & materno; non verò quoad omnia: & certè similitudines, ut sæpè dixi[illegible]is, non sunt quoad omnia, aliter non essent similitudines, sed identitates: hæc autem magna est perfectio in DEO; quomodo enim nequit esse perfectio, quòd, cùm DEUS possit omnino liberè nos non producere, nobisque non providere, nec benefacere, liberrimè se determinaverit ad producendum nos, nobisque providendum, & benefaciendum? verùm hæc decreta & volitiones, si inefficaces sint, nullam prorsus afferunt DEO necessitatem moralem; sæpè namque non adimplentur, quæ DEUS inefficaciter vult; vult enim inefficaciter omnium hominum salutem, & quòd nulla detur transgressio mandatorum suorum, & tamen plures damnantur, & præcepta DEI transgrediuntur; si autem decreta DEI sint efficacia, jam sunt necessitas metaphysica consequens in ordine ad suum objectum.

SECTIO III.

An reperiatur in DEO moralis aliqua necessitas ex suppositione.

158. QUæstio est, an ex suppositione, quòd DEUS producat unam rem cum alterius existentia metaphysicè inconnexam, maneat moraliter necessitatus ad alterius rei productionem. Prima sententia affirmat. Ita Ribadeneira disp. 14. de voluntate cap. 5. Aldrete disp. prima sect. 4. & 5. Herrera: quæst. 11. sect. 2. aliique Recentiores, sed non eodem modo ab ipsis defenditur; nam Ribadeneira statuit talem necessitatem moralem in decretis DEI necessariis, quæ moraliter exigunt producere aliqua contingentia ex suppositione, quòd alia contingentia producta sint: Aldrete verò ait, provenire talem necessitatem ex aliqua DEI complacentia omnino libera, qua ita inclinatur ad rei productionem, ut moraliter maneat necessitatus. Secunda sententia docet in DEO quamlibet necessitatem vel metaphysicam esse, vel nullam: unde ex nulla suppositione oriri posse in DEO moralem necessitatem; ita cùm communi sententia Theologorum Borull. disp. 6. de voluntate sect. 6.

159. Ad plenam quæstionis intelligentiam oportet explicare priùs nomen necessitatis moralis; si enim nomen necessitatis moralis absolutè sumatur applicando causæ inclinationem effectui, absque dubio reperietur in DEO ista necessitas, quandoquidem plures effectus Dei exigunt terminos suæ inclinationis, ut ignis calorem, ut aqua frigiditatem: sed hoc non esset assumere propriè necessitatem moralem, si inclinatio termini nullam refunderet difficultatem in causa ad privandum effectum termino suæ exigentiæ, sic quia physica exigentia ignis ad calorem non refundit in Deum physicam exigentiam ad producendum calorem ex suppositione, quòd ignem producat, ita ex suppositione, quòd Deus producat ignem, nulla necessitate morali tenetur ad producendum calorem, ut visum fuit in fornace Babilonica: unde si difficultas, quæ relucet in effectu, ut non possit esse sine termino suæ inclinationis, non refundatur etiam in Deum, ea moralis necessitas, quæ reperitur in effectu, non 160. poterit propriè dici moralis necessitas in Deo.

Rursus cùm omnes res creatæ pendeant à DEI volitione permittente, aut intendente, quotiescunque videmus ad positionem unius effectus, præterquam in aliquo casu extraordinario, poni aliquem terminum, rectè inferimus, DEUM habere liberè decretum conjungendi effectum illum cum termino suæ exigentiæ, præterquam in aliquo casu extraordinario: unde DEUS manet metaphysicè, & consequenter necessitatus ex vi talis decreti ad conjungendum illum effectum cum termino suæ exigentiæ, præterquam in aliquo casu extraordinario: qua de causa, cùm homines prudentes discurramus ex communiter contingentibus, licèt sciamus, quòd aliquando possit poni ignis, quin ponantur calor, & combustio, Deúmque id omnino liberè facere posse; quia tamen scimus, id rarò evenire, & oppositum frequenter contingere, prudenter timemus adhibere manus igni, ne comburamur, licèt contingens

tingens sit, quòd hic & nunc Ignis à DEO privetur calore, & combustione: Ad hunc enim prudentem timorem satis nobis est agnoscere Ignem Inclinare ad combustionem, & quòd solùm rarissimè privatus sit à DEO termino suæ exigentiæ, sive combustione. His positis

Assero cum secunda sententia: si necessitas 161. moralis sumatur propriè & non abusivè, nulla prorsus datur in DEO necessitas moralis adhuc ex suppositione. Probatur primò si necessitas moralis non accipiatur abusivè, sed propriè, tunc causa est moraliter necessitata ad aliquem effectum producendum, quando sine ingenti difficultate nequit effectum illum non producere: sed licèt applicetur Ignis passo dispositio, Deus antecedenter ad suum decretum sine ingenti, & sine ulla difficultate potest absolutè combustionem impedire, consequenter verò ad suum decretum manet metaphysicè necessitatus, præterquam in casibus rarissimis, ad producendam combustionem, ac proinde nunquam manet cum morali necessitate propriè sumpta: ergo si necessitas moralis propriè, & non abusivè accipiatur. DEUS ex suppositione ullius rei contingentis non habet moralem necessitatem. Confirm. 1. Ut Deus in his circumstantiis sit moraliter necessitatus ad combustionem, debet resistere suæ inclinationi, quæ tanta est, ut nemo prudens sperer, Deum illi suæ inclinationi restiturũ, sedhoc est ponere in Deo difficultatem ex ipsis terminis sibi repugnantem, ergo &c. Confirm. 2. ex Augustino cit. n. 1402. Deus nullâ indiget creaturâ: ergo ex suppositione unius inconnexæ metaphysicè cum altera non necessitatur moraliter ad alteram.

Prob. 2. si Deus ex productione aliquarum 162. creaturarum moraliter necessitatur ad aliarum productionem, maximè esset propter connexionem, quam inter se habent hujusmodi creaturæ; sed nulla creaturarum connexio potest in Deo arguere propriam necessitatem moralem: ergo &c. Prob. minor, illa connexio vel esset metaphysica, vel physica solùm, aut moralis? si metaphysica est, jam Deus non quidem moraliter, sed metaphysicè est necessitatus ad aliam ex vi sui liberi decreti; nam volitio producendi unam rem metaphysicè connexam cum altera est volitio producendi alteram; sic Deus volens producere unionem metaphysicè connexam cum extremis vult producere extrema; si autem solùm est physica, vel moralis necessitas, rogo, num ponere talem creaturam moraliter, vel physicè connexam cum altera, quin ponatur alia, arguat indecentiam, vel imperfectionem in Deo, vel non? Si prius: ergo vi sui decreti producendi unam metaphysicè necessitabitur ad alteram; cùm metaphysicè sit inconjungibilis cum sui imperfectione; si secundum: ergo ex productione unius nullo modo necessitatur antecedenter ad alterius productionem. Patet consequentia quia Deus habet dominium supra suas creaturas ita perfectum, ut perfectius cogitari non possit; sed quando non sequitur imperfectio in Deo, perfectius dominium est gaudere omnimoda libertate circa suas creaturas, ergo &c. 163.

Respondebis, Deum producentem ignem non posse non producere calorem, si se gerat, ut Author naturæ ex inclinatione, quam habet, conferendi unicuique naturæ creatæ proprietates, quas naturaliter ea appetit; quòd si ut Author naturæ tali exigentiæ creatæ non satisfaciat, tenetur ad compensationem faciendam, aut ipsi rei, quam privat termino suæ naturalis exigentiæ, aut saltem universo, ex eo, quod bonum commune prævaleat particulari, conferendo illi aliquod æquivalens, sine quo DEUS non potest fungi munere sapientissimi providentis; quo enim titulo posset dici, DEUS sapientissimus providens, si omnia corpora produceret absque capite, aut omnem ignem sine calore, aut cum frigiditate; unde illa inclinatio DEI, ut Auctoris naturæ ad conferendum unicuique rei id, quod naturaliter appetit, vel si id non conferat, ad compensandum per aliquod æquivalens defectum illum tali rei, aut saltem universo, est moraliter Dei necessitas ad terminos exigentiæ rerum ex suppositione, quòd producat eas res metaphysicè inconnexas cum suis extremis.

Contrà 1. dicere, quòd Deus, ut Author 164. naturæ tenetur conferre unicuique rei proprietates, quas naturaliter exigit, solùm est dicere, quòd res creatæ sint talis naturæ, ut exigant eas proprietates, non autem est refundere necessitatem in Deum, aliter non solùm moraliter, sed etiam physicè necessitaretur Deus ad ita operandum, quòd Adversarii negant; unde absolutè DEUS manet liber ad se accommodandum, vel ad se non accommodandum tali rerum exigentiæ, quod idem est de compensativo; si enim Deus vellet omnia difformia producere ad ostendendam exercitè vel sibi soli, vel etiam creaturis suam omnipotentiam, absque dubio id facere posset; sicut in fornace Babilonica ignem privavit calore, & in Eucharistia accidentia inhæsione, ex quo absque ulla contradictione inferre posset violentiam creaturis, ut diximus de actibus humanis; cùm enim motivum DEO necessarium ad operandum sit duntaxat ejus gloria ex illo prov. 162. *universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Nullo modo tenetur ad compensativum, si ad suam gloriam ostendendam exercitè velit rem, aut totum creaturarum universum manere absque compensativo; ergo ex Deo, ut Auctore naturæ perperam in ipso infertur ulla necessitas moralis.

Contrà 2. dato, & non concesso, quod Deus 165. teneatur necessariò conferre unicuique rei proprietates, & perfectiones, quas naturaliter apperit, aut æquale compensativum saltem universo, eò quòd alter non esset sapientissimus providens, sed insipientissimus, ut aiunt Adversarii; exinde nulla potest in DEO inferri moralis necessitas; quòd enim DEUS in suis operi-

operibus non se gerat insipienter, est Deo metaphysicè necessarium ; unde in ea hypothesi ipsa Divina libera volitio efficax producendi res esset quoque volitio efficax conferendi illis proprietates, quas naturaliter appetunt, vel saltem conferendi illis aut universo aliquod æquivalens ; quapropter, sicut Deus ex sua libera volitione determinatur ad producendas res, ita determinaretur ad producendas earum proprietates, vel ad apponendum æquale compensativum, ita ut repugnaret metaphysicè aliter evenire ; sed exinde inferretur in DEO non quidem ulla moralis necessitas antecedens, sed pura necessitas metaphysica consequens, qualis infertur ad ponenda extrema ex eo, quòd velit ponere unionem metaphysicè connexam cum extremis: ergo ex ea hypothesi non infertur in Deo ulla moralis necessitas.

166. Prob. 3. conclusio specialiter contra P. Aldrete ; ideò per se Deus ex productione unius creaturæ non necessitatur moraliter ad aliam, quia creaturæ sunt quasi nihil in conspectu Dei; sed ex hoc etiam arguitur Deum, ex complacentia creaturarum non necessitari moraliter ad alias, ergo &c. Prob. minor, licèt concedamus Adversario, quod falsum est, nempe Deum necessariò complacere in creaturis possibilibus, at nequit ex merito rei complacere in aliqua re magis, quàm res ipsa in se sit bona ; prudens enim complacentia tendit ad objectum juxta mensuram, & dignitatem objecti, sed per se bonitas rei talis est, ac si nihil esset respectu Dei, ergo illius complacentia nequit, ita ligare Deum, ut ipsum ad aliquam creaturam moraliter necessiter.

167. Confirm. 1. Licèt lignum mensuretur regulâ ligneâ, vel aureâ, nequaquam inde crescit meritum ligni, nec physicè aut moraliter refundit aliquam exigentiam in alteram præ altera regula ; ergo sive mensuretur bonitas creata à complacentia creata, quæ finita est, sive à complacentia Divina, quæ ex parte sui infinita est, nullam exinde refundet moralem, aut physicam exigentiam in regulam Divinam præ creata. Confirm. 2. Divina complacentia, & volitio efficax de objecto distinguuntur in eo, quòd complacentia movet duntaxat juxta mensuram talis volitionis, ideóque licèt Deus possit efficaciter æquè velle res in se minùs perfectas, quàm perfectiores, nequit in eis efficaciter complacere; ergo ex Divina complacentia creaturarum, quæ quasi nihil sunt in conspectu Dei, nequit manere Deus moraliter necessitatus circa creaturas.

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

168. Objicies 1. si, quando causa secunda est debitè applicata v. g. cùm ignis est debitè applicatus ad comburendum, non necessitaretur Deus moraliter ad combustionem, nemo posset prudenter sibi suadere potiùs futuram, quàm non futuram combustionem ; sed hoc apertè falsum est, aliter absque prudenti timore combustionis potiùs, quàm non combustionis posset quis extendere manum ad ignem applicatum passo, quod nemo concedet; ergo in eo casu manet Deus moraliter necessitatus ad combustionem. Prob. minor, exigentia ignis non necessitat Deum physicè ad combustionem ; cùm nequeat tollere dominium absolutum, quod habet Deus ad utendum creaturis pro suo libitu, & ad faciendum, quòd ignis applicatus physicè non comburat; quod ita contigisse constat ex Sacra Scriptura in igne fornacis Babiloniæ ; ergo si Deus in eo casu physicè, & metaphysicè liber, non maneret saltem moraliter necessitatus ad combustionem, æquè prudenter possemus sperare non combustionem, quàm timere combustionem. Prob. consequentia : Deus absque metaphysica, physica, & morali necessitate maneret æquè indifferens ad operandam, quàm non operandam combustionem ; sed quando Deus est æquè indifferens, non minùs prudenter possemus sperare non combustionem, quàm timere combustionem: ergo &c.

Resp. disp. maj. ex applicatione præcisa ignis, conc, ex natura ignis simul cum decreto Dei satis nobis cognito; nego maj. & distincta minore, nego conseq. Ad prob. dist. ant. exigentia ignis præcisè sumpta, con. simul cum decreto DEI satis nobis cognitio in ordine ad frequentes operationes, nego ant. & consequentiam. Ad consequentiæ probationem distinctis eodem modo præmissis nego consequentiam. Ratio est, quia Deus habet decretum generale se accomodandi exigentiæ creaturarum, præterquam in raris casibus scientiæ Divinæ reservatis ; cùm autem nobis non constet, aliquem casum singulare esse ex reservatis Divinæ scientiæ, & aliunde constet ex ipsa experientia de generali decreto, imprudentissimè extenderemus manum ad ignem applicatū; ex quo nec per umbram inferri potest ulla moralis necessitas in Deo ad combustionem, quin potiùs non combustio in aliquo raro casu ex reservatis Divinæ scientiæ miraculosè eveniret; siquidem nulla causa moraliter posset in ea hypothesi privare ignem combustione ; atque adeò esset opus Dei, qui licèt sit Auctor naturæ, est tamen infinitè perfectus & liber ad decernendum, quando, & quomodo se velit accomodare naturæ rerum creaturarum, quæ nullam habeant metaphysicam conexionem cum aliis.

Objicitur 2. potest homo, qui sanctissimam vitam duxit, nullúmque præceptum usque ad articulum mortis cum plena advertentia violavit, in extremis vitæ constitutus petere à Deo donum perseverantiæ, pro cujus consequutione tunc etiam intercedant omnes Sancti, & Virgo Deipara. Quo in casu absque ullo dubio opposito quisque prudens judicabit, concedendum

dum esse illi homini donum perseverantiæ; licèt Deus illud absolutè posset non concedere; atqui ad efformandum illud judicium est rigorosa, & absoluta necessitas moralis, quæ in eo stat, ut licèt non habeat metaphysicam aut physicam connexionem cum re, habet tamen cum judicio omnium prudentum: ergo &c.

Resp. admisso tali casu, dist. maj. quisque 171.
prudens judicabit ex præcisa ratione precum, nego; ex natura precũ cum simul generali decreto Dei, conc. maj. & nego min. cum consequentia. Ratio est, quia Deus habet generale decretum concedendi æternam salutem petentibus, si bene petamus, ut infertur ex verbis Christi Domini: *petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis; omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur.* Matth. 7. unde quando Deus non concedit, quod petimus, ideò est, quia non bene petimus, ut Jacobus ait Epistolâ suâ canonicâ cap. 4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Cùmque quisque prudens in eo casu censeret absque dubio Deiperam, omnésque simul Sanctos, & hominem illum bene petere, inferret in Deo ratione precum, & generali suo decreto metaphysicam necessitatem ad conferendum illi homini donum perseverantiæ; quamobrem non esset necessitas moralis, sed metaphysica consequens.

172. Quòd si in hoc generali decreto excogitetur aliqua particularis exceptio pro rarissimis casib⁹ Divinæ scientiæ reservatis, sat erit ad judicium prudentum voluntas Dei generalis accommodandi naturæ talium precum, ut in casu particulariter pro cujus exceptione nullum motivum fundamentúmque habemus, censeremus prudenter, preces illas non esse frustrandas hìc & nunc re postulata; ut de combustione in similibus casibus Particularibus diximus. Etenim ad judicium prudentum satis est fundamentum hìc & nunc inclinans ad rei positionem, quin appareat fundamentum ullum positivum inclinans potiùs hìc & nunc ad rei omissionem, quàm ad positionem; cæterùm, quia hoc fundamentum seorsim à decreto libero Dei se accommodandi hìc, & nunc exigentiæ talis fundamenti nullam refundit necessitatem in Deum; Exinde hìc & nunc maneret Deus omnino liber, & absque ulla necessitate physica, vel morali; neque hoc impedit prudens judicium creaturarum, cùm ad illud efformandum satis sit rebus bene expensis fundamentum quo ad nos hìc & nunc magis inclinans ad positionem, quàm ad rei omissionem, ut contingeret in nostro casu.

173. Objicies 3. Patres creati ex vi suæ naturæ, & antecedenter ad omnem actum liberum suæ voluntatis habent naturalem inclinationem ad benefaciendum filiis, quæ quidem inclinatio cùm metaphysicè, aut physicè possit vinci à parentibus nolentibus pro sua physica libertate se accommodare tali inclinationi, nec benefacere filiis, non affert necessitatem metaphysicam, aut physicam, sed aliqualem duntaxat moralem; atqui huic necessitati est similis necessitas DEI ad benefaciendum creaturis, ut Isaiæ 40. à Deo dicitur. Numquid potest oblivisci mulier infantem suum, & si illa oblita fuerit, ego tamen non oblivisear tui; ergo hæc necessitas in Deo non est metaphysica, aut physica, sed tantùm moralis. Confirmatur: hæc necessitas moralis pro priori ad quodcunque liberum decretum, & præcisè fundata in natura Patris eò est major, quò minùs depravata est natura Patris; aliàs non esset legitimum illud Christi Domini argumentum Luc. XI. si ergo vos cùm sitis mali, nôstis bona data dare Filiis vestris; quantò magis pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se; atqui natura Dei nequit esse depravata, sed est essentialiter sanctissima; ergo habet necessitatem moralem multò majorem, quàm habeat Pater in creatis ad benefaciendum Filiis suis. Ex dictis

Resp. conc. maj. dist. min. huic necessitati 174.
est similis necessitas Dei quoad aliqua conc. omnia quoad, nego min. & conseq. quia ea necessitas moralis in creaturis cùm consistat in aliqua sympathia inter sanguinem & sanguinem, ratione cujus aliquo modo patitur Parens, quando advertit pati Filium, ut constat in ipsis brutis, aliqualem illis afferre difficultatem ad non benefaciendum Filiis, cujus difficultatis, & compassionis capax est natura creata, quæ cùm non habet perfectionem nisi mixtam imperfectione, continet potestatem ad benefaciendum mixtam cum imperfectione aliqualis diminutionis perfectissimæ libertatis, quæ quidem diminutio haberetur ab ipsa difficultate, quam trahit per identitatem moralis necessitas. Perfectiones autem, quæ relucent in creaturis, non possunt in Deo reperiri nisi depuratæ ab omni imperfectione, ac proinde depuratæ à compassione, & à necessitate morali, sive à difficultate, quam per identitatem trahit necessitas moralis; idcirco non potest esse similitudo, quantum ad hoc, inter necessitatem creaturarum, & necessitatem Dei ad benefaciendum; unde similitudo in eo stat, quòd in Deo datur in hac providentia inclinatio ex libero appetitu elicito ad benefaciendum creaturis major, quàm ex appetitu innato detur in Parentibus creatis ad benefaciendum Filiis; nam in parentibus frustrari potest, secus autem in Deo, proindéque in textu dicitur. *Et si illa oblita fuerit; Ego tamen non oblivisear tui.*

Ad confirmationem dist. maj. est fundata in 175.
præcisa natura continente perfectionem mixtam imperfectione, conc. in præcisa natura Patris depurata ab omni imperfectione, nego maj. nec aliter procedit argumentum Christi Domini, nisi in sensu à nobis exposito; & con. min. nego consequentiam; ratio est, quia eò ipsò, quòd natura Dei perfectissima sit depurata ab omni pravitate, est pura perfectio sine imperfectione, ac proinde non continet imperfe-

perfectionem necessitatis moralis; unde argumentum Christi Domini ita procedit; si vos, cùm sitis mali, annuitis Sympathicæ ei inclinationi naturaliter benefaciendi Filiis, Pater vester cœlestis, qui malus esse non potest, nec infidelis in promissis, cùm per suam liberam voluntatem promiserit benefacere creaturis, & dare Spiritum bonum petentibus se; quantò magis annuit ipsi inclinationi elicitæ? in hoc enim est tota vis argumenti, ex qua neutiquam infertur, sed potiùs eliminatur à Deo quæcumque moralis necessitas. Ex dictis

176. Fit. 1. non solùm in hac providentia, in qua Deus decrevit nunquam conjungere gratiam sanctificantem cum peccato lethali, verùm etiam in alia providentia, & independenter ab ullo decreto libero Dei, gratiam habitualem nunquam conjungendam esse cum peccato lethali, si Deus velit se accommodare exigentiæ ipsius gratiæ; quia, ut diximus in tractatu de gratia; gratia habitualis licèt non habeat metaphysicam oppositionē cum peccato, habet tamen oppositionem ex natura rei; unde si Deus non excluderet peccatum à subjecto, in quo reperitur gratia, cederétque juri per peccatum acquisito, ageret contra naturam gratiæ: quare ex generali etiam decreto, quo voluit in hac providentia se accomodare rerum exigentiis, præterquam in aliquo casu rarissimò, inferri quoque potest, gratiam regulariter non conjungendam cum peccato; ideóque peculiare decretum circa gratiam tendit ad impediendam eam conjunctionem etiam pro peccato rarissimo.

Fit secundò, quomodo inferrenda sit certitudo de eo, quòd Beatissima Virgo non contraxerit peccatum originale ex præcisa suppositione, quòd Deus eam elegerit in matrem; dupliciter enim id fieri potest, primò quidem per congruentias, nam congruum est, ut Mater Dei purissima sit, nec ulla peccati labe infecta, quò tendunt plura Patrum testimonia, secundò per indecentiam, quæ refunderetur in Deum; Christus enim, qui verus Deus est, est etiam verus Filius naturalis Deiparæ; unde ex titulo Filiationis naturalis teneretur Filius Matrem liberare, quando potest, à maxima ipsius ruina; peccatum autem originale est maxima ruina, & detrimentum animæ; unde si Matrem non liberâsset, hæc indecentia aliquo modo videretur refundi in Filium, quod metaphysicè repugnat, ex quo inferunt decretum eligendi Mariam in Matrem fuisse decretum eam præservandi ab omni culpa; cùmque decretum istud exiterit in Deo, nullum est excogitabile, quo peccatum originale contraxerit, aut conferit, quò tendunt plura testimonia, & argumenta Theologorum. Cæterùm si nulla in Deum refunderetur indecentia ex eo, quòd non ita præservâsset Matrem, quam elegerat, nec ullo titulo teneretur ex vi electionis ad talem præservationem, non potest formari efficax argumentum ex indecentia, quòd refunderetur in Deum, ac proinde tunc recurrendum esset, ut alii faciunt, ad id, quòd Deus in hac providentia decrevit circa Matrem suam, quod inferendum est ex testimoniis scripturæ, conciliorum, & Theologorum.

DISPUTATIO V.

AN VERBUM DIVINUM SIT INCARNATUM?

SECTIO I.

Proponuntur Hebræorum, & Hæreticorum errores.

178. POstquam de possibilitate, convenientia, & necessitate Incarnationis egimus, supereſt agere de existentia hujus Mysterii, quam Fides Catholica docet; onus hoc peculiare est Theologorum, cùmque ad nullum alium Theologiæ tractatum spectet nisi ad hunc, ut optimè notavit Exim. Doctor, ideò locum proprium hîc sibi vendicat; cæterùm, quia contra hoc Mysterium Pagani, Hebræi, Hæretici pugnârunt, & pugnant, ostendenda contra eos est Catholica veritas; Hebræi, qui solùm admittunt testamentum vetus, ex ejusdem testimoniis sunt impugnandi, Hæretici verò admittentes utrumque, ex utroque convincendi sunt. Pagani verò & vetus, & novum testamentum respuentes signis credibilitatis nostræ Fidei, & naturalibus rationibus inducendi sunt ad hanc veritatem agnoscendam. In hac disputatione colligemus errores omnium, & Judæos præsertim impugnabimus, in sequenti autem Paganos & Hæreticos.

179. SUppono 1. Mysterium Incarnationis, quod Fides Catholica profitetur, in eo stare, quòd Verbum Divinum sibi assumpserit humanitatem per substantialem unionem, quo fit, ut aggregatum ex Verbo, & humanitate sit verus Deus, & homo, & exinde humanitas illa dicitur unita Divinitati. Hoc olim Deus promiserat per Prophetas, & ut ait Apostolus ad Gal. 4. *ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Hunc Dei Filium, nempe Deum simul, & hominem vocamus hebraicè Messiam, Græcè Christum, latinè unctum; cæterùm, quia Hebræi non solùm negant, Messiam venisse, sed etiam contendunt, futurum esse purum hominem, ad confirmandam contra ipsos veritatem Catholicam ex vetere testamento, quòd ipsi admittunt, conveniemus cum ipsis in hoc, nomine Messiæ significe-

significari quemdam hominem ex genere Judæorum ducentem originem à Deo, & Prophetis prædictum, & promissum in Regem, & Salvatorem hominum. Ex his autem promissionibus, quæ frequentes sunt, & apertæ in sacra Scriptura, ostendendum est contra ipsos, Messiam jam venisse, & non esse duntaxat hominem, sed & Deum.

180. Supp. secundò, vix esse ullum Fidei nostræ Mysterium pluribus erroribus impugnatum ab Hæreticis, Judæis, & Ethnicis, quàm istud, & quidem à primo Ecclesiæ sæculo, & modò dicunt Athei plurésque Ethnici, impossibile esse Deum incarnari. Athei nimirum, quia Deum insipienter negant; Ethnici verò, quia tantam Dei dignationem impossibilem judicant; à primo etiam Ecclesiæ sæculo negârunt, & per fidē negant Messiæ Divinitatem Judæi, quos sequuti sunt Cerinthus, & Ebion; secundo sæculo negârunt divinitatem Christo *D*omino Heleesæi solis Adoratores, Carpocrates Gnosticorum Antesignanus, & Theodotus Byfantius Christianæ Religionis desertor; de Hermogenis, aliorúmque erroribus ad istud sæculum spectantibus dicemus num. 181. Tertio sæculo Paulus Samosatenus, ut placeret Zenobiæ Palmirenorum Reginæ judaizanti negavit Christo Domino divinitatem; quarto sæculo Arrius docuit, Verbum Incarnatum non esse Deum, sed creaturam quamvis ab æterno existentem. Photinus verò Sirmiensis Episcopus, ut Arrium, & Ecclesiam Catholicam simul impeteret, docuit, Verbū ante Virginem non extitisse revera, sed tantummodo prævisione, & prædestinatione.

181. Quinto sæculo Nestorius oppositis erroribus ductus negavit veram Verbi Incarnationem; Nestorius enim negabat physicam substantialē Unionem, admittens solam moralem Unionem Verbi cum humanitate ad eum modum, quo vi amoris dicitur amans unitus cum amato. Unde aiebat, dari in Christo duas Personas. Sexto sæculo hæresim, quam sub finem quinti sæculi conceperat, ausus est propalare Petrus napheus, seu Græci cognominis interpretatione Fullo Antiochenorum Antistes docens, totam Trinitatem incarnatam.

182. Usque ad hoc tempus nullus Hereticorum Mysterium Trinitatis, & substantialem Incarnationem admittentium amplexus est talem errorem, nam Hermogenes Prazias Sabellius, Noëtus, & sequaces negabant Mysterium Trinitatis, & *D*EUM unam tantùm Personam docebant, quæ, ajebant, ut Creatrix appellatur Pater, ut incarnata, & patiens Filius, ut sanctificans Spiritus Sanctus, atque exinde inferebant, incarnato, & passo Filio Patrem etiam, & Spiritum Sanctum fuisse incarnatos, & passos; quare Noëtanos, & ejus farinæ Hæreticos Græci nominârunt Theoparchitas, & Patroparchitas, id est Deipassianos, & Patripassianos, ut ex antiquis, & novis Hæresiologis constat. Fullo verò pro variis temporalibus, varios etiam errores amplexus est, nam aliquando admisit cum Nestorio Personam creatam, quæ passa est, aliquando sequutus est Sabellium, & aliquando alios hæreticos, ut Sanctus Quintianus Asculanus Episcopus literas ad eundem Napheum, seu Fullonem datas sic orsus fuerit; multifariam, multisque modis à veritate clarissimè deviâsti.

Septimo sæculo Machumetes licèt fassus sit, 183.
Christum Dominum Prophetam esse excellentissimum, & Messiam in veteri lege promissum, at Deum esse perfidè negavit in gratiam Judæorum. Ex prædictis erroribus partim aliqui per diversa sæcula desumentes mixtos alios errores excogitârunt. Manichæi enim negârunt Christo Domino corpus verum, & reale, & phantasticum duntaxat concesserunt; alii verò concesserunt corpus verum, & reale, sed negârunt corpus mortale, & passibile; alii somniârunt, Christum non esse hominem completum, sed caruisse animâ, cujus munere Verbum Divinum fungebatur, alii censentes, mentem ab anima distingui, concesserunt animam, non mentem; ideóque ajebant Verbum mentis munus objisse; quibus valdè affines fuerunt Monathelitæ, qui licèt agnoscerent in Christo duas naturas, at admittebant unam tantùm voluntatem, & unam operationem. Felix, & Elipandus Nestorium sequuti, & affectivam duntaxat unionem inter Verbum, & humanitatem admittentes concedebant, in Christo duos esse Filios, naturalem, & adoptivum; Ubiquistæ unum tantùm Filium, & substantialem unionem admittebant, errabantque dicendo, Christi corpus, & animam esse ubique. Valentius tandem somniavit, carnem Christi non fuisse de Virgine sumptam, sed de cœlo descendisse, & pertransisse per Virginis uterum, sicut aqua per canalem.

Sæculo 16. proximè elapso supra dictum 189.
Fullonis errorem, plurésque alios diu jam sepultos in Luthero, & Calvino revixisse eruditè probat. P. Jacobus Gualterus in Chronologia sæculo 5. cap. 24. videri quoque potest Alphonsus Castro lib. 4. adversùs hæreses Verbo Christus; eod. sæculo Michaël Servetus, & postea Faustus Socinus, qui ad usque 17. sæculum præsens vitam duxit, impiè negârunt, quòd Christus Deus sit verus, & realis Deus, licèt possit dici Deus ratione dignitatis, & potestatis, quam Deus summus omnino æqualem illi contulit.

Has omnes hæreses suo loco impugnabimus, 190.
quando agemus de Christi Domini humanitate voluntate operatione, Filiatione, & Maternitate Deiparæ; cæterùm quia omnium harum hæresum duplex est origo, primò, quòd Messias in lege promissus nondum venerit, vel quòd si venisset, non erat promissus, ut Deus sed ut homo, vel non ut homo, sed ut *D*eus; secunda, quòd Messias in lege promissus, qui jam venit, non erat secunda ex tribus Personis SS. Trinitatis; idcirco in ista prima disputatione hanc duplicem hæresum originem refutabimus,

mus; corruente siquidem harum hæresum fundamento, & hæreses ipsæ facilè corruent. Possumus autem etiam ad convincendos Hebræos arguere ex signis credibilitatis sanctæ nostræ fidei, quæ dedimus in tractatu de fide; hæc enim, si rectè expendantur, nullam habent congruam solutionem, ut dicemus num. 191.

SECTIO II.

Stabilitur, & roboratur Catholica veritas contra Hebræos.

186. Asfero 1. Messias in lege veteri promiss° jam venit. Probatur 1. quæ Deus in veteri testamento revelavit per Prophetas de Messia venturo, ita adimpleta sunt in Christo Domino, ut secundùm omnes notas, & circumstantias prædictionum soli Christo Domino convenire possint, ad eum modum, quo notæ individuales unius hominis illi soli conveniunt; sed exinde deducitur, revelationes illas esse à Deo juxta illud Isaiæ *annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & dicemus, quia Dii estis vos*, ac proinde quòd Christus est verus Messias in lege promissus, qui jam venit: ergo &c. Minor, & consequentia tenent; major probatur: de Messia dictum erat Isaiæ 2. quòd nasciturus erat ex Virgine; quòd ita factum esse constat & Matth. 1. & Luc. 1. Micheæ 5. Bethlehem Juda erat locus destinatus Nativitati, quòd ita contigisse constat ex Matth. 2. prædictum etiam erat Isaiæ 2. nasciturum fuisse tempore pacis, & sap. 9. tempore noctis & Matth. 3. ingressurum fuisse templum paulò post nativitatem, quod ita contigisse constat ex Luc 2. Rursus Isaiæ 35. prædictum erat, Messiam operaturum miracula sanando cæcos, & mutos, surdos, & claudos, quòd ita factum esse constat ex Matth. 11.

187. Præterea Isaiæ 61. prædicta erat Messiæ prædicatio, & cap. 66. vocatio gentium, quæ prædicta jam erat ab eod. Isaia cap. 59. erat etiam prædicta Judæorum reprobatio, Jerem. 19. quæ omnia completa esse per Christum, & ejus ministros non solùm constat ex nostro testamento, sed & ipsâ experientiâ. Dictum etiam erat Zachar. 9. Messiam ingressurum Jerusalem super Asinam, & super pullum Asinæ, quod adimpletum esse constat ex Matthæo 2. Messiæ mortem, & passionem prophetaverat David Psalm. 3. Ascensionem Psalm 67. & Mich. 2. adventum Spiritus Sancti Joel 2. quæ omnia adimpleta esse testantur omnes Evangelistæ, & comprehensa sunt in symbolo Apostolorum, ubi etiam comprehenditur secundus Christi adventus in Judicii die, qui prædictus fuit ab Isaia 67. ad quem adventum attinent Prophetiæ, quæ dicunt, venturum esse Messiam in gloria, & Majestate, unde quæ attinent ad primum adventum, jam completa sunt in Christo, eúmque designant, sicut notæ individuales unius hominis illum solum designant, eíque soli conveniunt: nullus quidem homo invenietur in historiis præter Christum Dominum, cui hæc omnia conveniant; ergo &c.

188. Hæc prima probatio, si bene expendatur indissolubilis est, eámque indicavit Christus Dominus Matth. 11. quando nuntiis à Joanne Baptista missis, ut ipsum interrogarent: *tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Respondit. *Euntes nuntiate Joanni, quæ audistis, & vidistis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur;* ac si apertè diceret, ut me esse Messiam promissum cognoscatis, in me, & per me impleta esse, quæ de Messia prædicta sunt, considerate. Sic Apoc. 2. V. 10. *Testimonium enim JESU est Spiritus Prophetiæ.* Et certè quòd Christus ex Judæis fuerit natus, eísque prædicaverit, & apud eos mirabilia operatus fuerit, & quòd ab ipsis interfectus, & crucifixus fuerit, nec ipsi Judæi negant, nec negare possunt, cùm res istæ toto orbe fuerint notissimæ. Unde quoad hæc omnia non possunt Hebræi negare fidem Evangelistis, quasi falsis historicis; quandoquidem scripserunt res gestas eo tempore notas, ut nullus illius temporis scriptor probatus ausus fuerit eas impugnare, quin potiùs Josephus eorum historiographus plurima ex his, & quidem præcipua omnium memoriæ prodidit lib. 18. antiquit. cap. 4. ubi gravissimum testimonium reddit, quod ita habet; *eodem tempore fuit JEsus, vir prudens, si tamen virum eum fas est dicere; erat enim mirabilium operum patrator, Doctor eorũ, qui libenter vera suscipiunt, plurimósque tam de Judæis, quàm gentibus sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum à nostræ gentis principibus, Pilatus cùm addixisset Cruci, nihilominus non desiterunt eum diligere, qui ab initio caperant. Apparuit enim eis tertia die vivus ita, ut divinitus de eo vates hoc & alia multa miranda dixerunt;* ipsique Judæi veritatem omnium horum facilè agnoscent, si tantùm reflectant ad gravissimum supplicium, quo ab eo tempore semper puniantur.

189. Probatur igitur argumentum ex supplicio Judæorum, qui vel inviti experiuntur delicti sui pœnam, & perpetuam desolationem à Daniele, Jeremia, & aliis Prophetis prænunciatam; quamquam enim propter sua peccata sæpè sint puniti à Deo, & in servitutem traditi, ac præcedebant semper aliqua publica, & communia peccata præsertim Idololatriæ, aut necis Prophetarum, quin & captivitates, & pœnæ brevi tempore finiebantur, atque in eis habebant Prophetas & sanctos viros, per quos Deus exhibuit aliqua benevolentiæ signa, & præbuit semper evadendi spem, dum ipsi observando legem suam ad Deum converterentur, nunc verò ab eo tempore, quo venit Christus, licèt illam legem diligentiùs observent, siquidem nec colunt Idola, nec habent graviora scelera moralia, quàm antea habebant, nulla illis evadendi

dendi spes affulget per Prophetas, aut sanctos viros tradita; quandoquidem toto hoc tempore gravissimè puniunur non solùm temporali servitute, sed etiam spirituali quadam, & Divina desertione; carent enim miraculis, Prophetis, templo, & sacrificio, & sacerdotib⁹, quod profectò est certum signum, eos puniri propter gravissimum peccatum commissum in Christi morte, quod ipsa eorum infidelitate, & mentis cæcitate abundè confirmatur.

190. Miracula etiam, quæ ut illius temporis historici probati referunt, operabantur Apostoli, & Evangelistæ, satis evincunt, Evangelistas fuisse historicos veros, quod etiam evincit maximum miraculum, in quo ea omnia antiqua, quasi in effectu suo, modò perseverant, nempe dilatatio Evangelii per totum orbem, quæ ab hominibus pauperibus, quales erant Apostoli, & Evangelistæ sine armis, sine subsidio temporali ita firma, & constans introduci non poterat, nisi plurimis esset miraculis roborata; siquidem non solùm postquam Imperatores, & reges fidem amplexi sunt, & multò ante tempora Constantini mundus Christianus tantum terrarum, & gentium occupaverat, ut longè superaverit illam antiquam Monarchiam, de qua Daniel 2. dictum est; *ecce in ditione sua universa constituit Deus. Regnum tertium imperabit universæ terræ*, quasi diceret: erit majus imperio quocumque, quod tunc erit in terra. Imperium autem Christianum majus omnino esse nunc ipsa experientia ostendit; quandoquidem quatuor mundi partes amplectitur. Unde indubitabile est, adimpletas esse illas Prophetias de Messia venturo, quibus Psalm. 2. dictum est; *adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium*, & Psalm. 71. *omnes gentes servient ei.*

191. Cæterùm non solùm defactò, sed etiam à primis Ecclesiæ sæculis mundum Christianum reliqua omnia imperia dilatatione sua superâsse, quod miraculum ingens est, in quo reliqua omnia à tempore Christi Domini, quasi in effectu suo perseverant, fatentur vel inviti ipsi Ethnici hostes Christiani Nominis; nam, ut apud Augustinum lib. 7. de Civit. Dei cap. 11. sæculo primo Ecclesiæ ita conquerebatur de Judaica gente Lucius Seneca, ut per omnes jam terras recepta sit, victi Victoribus legem dederunt; sic de Gente Christiana Dio Cass. lib. 33. *genus illud adeo auctum, ut jam legem pervicerit.* Et secundo sæculo apud Tertullianum in Apolog. Gentiles à Christianis obsessam vociferabantur civitatem, addebántque, esse in agris, in castellis, in Insulis Christianos, omnem sexum, ætatem, conditionem, etiam dignitatem transgredi ad hoc nomen; hoc enim ab hominibus inermibus, maximè dum Principes temporales totis viribus resisterent, quomodo fieri posset absque divino auxilio, & magno miraculo certè? Machometismus, aliæque sectæ non ita, sed vi armorum, & protectione Principum temporalium introductæ sunt; quare miracula Apostolorum, & Evangelistarum in hac Evangelii propagatione tanquam in effectu suo perseverare res ita clamat, & clamant id Prophetæ, per quos DEUS hanc Evangelii dilatationem promisit, & intenderat, quam quidem aliis sectis nedum promisit, verùm nec unquam intendit. Hæc omnia adeò roborata sunt ex signis credibilitatis nostræ Fidei, ut nulla excogitabilis sit prudens solutio, ut constabit expendenti illa signa, quæ dedimus in Tractatu de Fide.

Probatur 2. conclusio ex illo celeberrimo testimonio Genesis 49. *non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*; quæ verba ita leguntur in Hebræo: *non recedet sceptrum de Juda, & Scriba, seu Legislator de medio pedum ejus, seu de inter pedes ejus, donec veniat Siloh*, ubi Messias significabatur nomine *Siloh*, ut habet vulgatus Interpres, & oritur à verbo *Salah*, quod *mitto* significat, sive quia significat abundantiam pacis, quod de Messia prædictum jam erat Zachar. 9. & sæpe ab Isaia, quia, ut alii exponunt, significat specialiter *Filium mulieris.* Unde, ut refert Galatinus lib. 4. cap. 4. Hebræi intellexerunt, etiam eo verbo indicatum fuisse Mysterium Incarnationis Messiæ ex fœmina sine opere viri, sive, quia ut alii demum censent, significat quod *illi*, sive juxta septuaginta Interpretes *cui repositum est*, ut sensus sit, non defuturum temporale sceptrum Judæ, & Dux ex femore ejus, donec veniat ille, cui æternum sceptrum reservatum est. Quæ omnes expositiones soli Christo conveniunt, ut constat à num. 188. & notârunt Irenæus lib. 4. cap. 33. Cyprian. lib. Epist. 3. Justin. Mart. lib. contra Tryphonem. 192.

Quamobrem dici non potest, quòd *Siloh* in hoc textu hebraico non significet determinatè personam, sed locum illum, in quo multo tempore mansit Arca DEI, aut personam aliquam, quæ ad locum illum priùs venerit: quare nec potest locus iste rectè exponi de Saulo, Jeroboam, aut Nabuchudonosore. Ratio est, quia Siloh dici non potest exspectatio gentium, si sumatur pro loco, vel Saulo &c. bene verò de Messia, qui ab Aggæo etiâ appellatur desideratus cunctis gentibus, sumpta locutione pro generibus singulorum, vel quia semper inter gentes fuerunt aliqui, qui Christi Fidem, spem, & desiderium habuerunt, vel quia Prophetæ ad indicandam certitudinem solent futura, & præterita dicere, cúmque Christus amandus, & desiderandus erat à gentibus, ideo vocatur ab Isaia exspectatio gentium, sicut postea appellatus est ab Aggæo desideratus cunctis gentibus. Unde non possunt convenire illis verba Prophetiæ, nec alia, quæ in Prophetia statim subduntur: *lavabit in vino stolam suam, & sanguine uvæ pallium suum*; soli enim Messiæ conveniunt omnia verba Prophetiæ antecedentia, & subsequentia, ideo certum esse debet in hoc testimonio *Siloh* significari Messiam, ut omnes Ca- 193.

tholici intelligunt, & Rabbini etiam Christo antiquiores, ut refert Galatinus citatus, & Chaldaica paraphrasis, quæ apud illos magnæ auctoritatis est, scilicet non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat Rex Messias.

194. Ex textu autem hebraico nomine Ducis adhibito bene infertur, significari Scribam, aut Legislatorem, sive aliquem ex Supremis Magistratibus ex Tribu Juda, qui Senator, aut Consiliarius Regius esset in supremo Consilio, in quo principaliores causæ populi hebraici examinarentur: tales erant septuaginta illi viri, ex quibus efformabatur magnum Consilium Sanhedrim, quod apud Judæos tantæ auctoritatis erat, ut decisiones gravissimæ, etiam ad declarandum, quis inter litigantes deberet obtinere Regnum, ad hoc Consilium spectarent, ut insinuat Josephus lib. 11. cap. 4. ubi de Judæis à Persica captivitate in Judæam redeuntibus, & templum ædificantibus, ait: *incoluerunt Jerosolymam, institutâ eâ Reipublicæ formâ, quæ per optimates administratur.* Cùm autem unus ex optimatibus istis esset Zorobabel, ut ibidem ait Josephus, & iste, ut tradit Aggæas cap. 1. fuerit Dux in Juda, clarè infertur, eos Consiliarios nomine Ducis appellatos apud Judæos. Ex quo apparet, quòd tempore Herodis durabat istud Sanhedrim Consiliũ, additque ipse Josephus: Herodes Regnũ adeptus, omnes illos Judices, & Regem quoque sustulit, excepto uno Samea, quod consilium, & jus Regium penes Tribum Juda omnino extinctum fuit sub altero Herode, ut dicemus num. 199.

195. In hac igitur Prophetia num. 193. aliud prædicitur explicitè, aliud implicitè: explicitè quidem dicitur, non auferendum à Tribu Juda sceptrum simul, & Ducem, donec veniat Messias, ita ut licèt alterâ ex illis dignitatibus Tribus Juda privaretur, non tam privaretur utrâque simul, antequâ Messias adveniret; an autè post adventũ Messiæ privanda foret utraq; simul dignitate, expresè non dicitur, nec illa particula *donec* habet eã vim indispensabilẽ in SS. Scripturis; sic Psalm. 109. *dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum;* quin exinde sequatur, non sessurum deinceps, quòd inimici sint jam debellati; sic dicitur de Josepho Mariæ Sponso Matth. 1. *& non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum unigenitum;* quin exinde inferri possit, quòd eam post partum cognoverit. Unde infertur, quòd si Tribus Juda utraque hac simul dignitate quandoque privata sit, illud erit infallibile signum, quòd Prophetia adimpleta sit, & Messias advenerit, atque exinde infertur implicitè ex eventu, quòd hoc continetur in Prophetia. Cæterùm, quia nemo privari potest aliqua dignitate, nisi eam priùs habeat, exinde in ea Prophetia implicitè dicitur, Tribum Judam non solùm habituram eam Ducalem dignitatem, sed etiam Regiam nomine sceptri significatam, quam certè habuit à tempore Davidis.

Ad veritatem autem Prophetiæ non requiritur, quòd usque ad Christi tempora perseveraret dignitas Regia in Tribu Juda, sed satis est, quòd vel regia, vel supra explicata dignitas permansisset in aliquo orto ex femore Juda, qui nunquam defuerit in Sanhedrim. Prophetia enim non ait, quòd non auferetur nec sceptrum, nec Dux, sed quòd non auferetur sceptrũ de Juda & Dux. Quamobrẽ licèt dignitas Regia defecit in Juda, si permansit ista Ducalis usque ad Messiæ adventum, satis clara erit Prophetia; quòd autem Regia dignitas adæquatè in hac Tribu non permanserit usque ad Christi adventum, suadetur; quia post Jechoniam cessárunt Reges in Judæa, ut patet Jeremiæ 22. ubi de Jechonia dicitur: *scribe virum istum sterilem, nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Judæa.*

Rursus Machabæi annis 165. regnárunt; illi autem, cùm essent Sacerdotes, erant de Tribu Levi per lineam virilem, hoc tamen non officit, ne permanserit aliqualiter sceptrum in Tribu Juda per lineam fœmininam; nam licèt alii non possent jungi matrimonio, nisi cum Tribubus suis, licebat tamem Tribui Juda, & Tribui Levi propter nobilitatem inire mutua matrimonia. Sic Exod. 6. Aaron Summus Pontifex duxit in uxorem Elisabeth filiam Aminadab Principis Tribu Juda, & Joada Pontifex duxit Jozabeth filiam Regis Joram de Tribu Juda. Et Luc. 1. Elisabeth, quæ erat de filiabus Aaron, dicitur cognata MARIÆ, quæ erat de Tribu Juda, sicut & Joseph Vir ejus; unde Tribus Juda obtinuit semper sceptrum per lineam fœmininam usque ad Christi adventum; nam Herodes duxerat Mariamnam neptem Hyrcani Pontificis, quæ post Hyrcanum, & Alexandrum erat legitima hæres Regni, & per lineam maternam ducebat originem ex Tribu Juda: ex illa quippe natus est Aristobulus, & ex hoc Herodes Agrippa, qui regnabat apud Judæos tanquam legitimus Rex post mortem Christi, ut habetur Actor. 12.

Quamquàm enim Herodes duxerit uxorem Mariamnam, quæ jus habebat in Regnum; at post Christi Domini adventum, imò & vivente Christo collatum est Regnum Personæ Herodis, & non uxori ejus; primò quidem ex Senatusconsulto, & beneficio Cæsaris Augusti deinde ex populi consensu, qui accepravit illum in Regem, eique juramentum præstitit, ut refert Joseph. 17. cap. 3. ubi etiam refert, Herodem hac de causa puniviſſe quosdam Pharisæos, qui ipsi obedire, & jurare nolebant; consilium autem Sanhedrim, ut postea dicemus, non fuit extinctum, nisi post mortem Christi. Ex quo apparet, non defecisse Ducem de Juda usque ad adventum Christi, imò neque in totum defecisse Regiam dignitatem, quamquàm hoc ultimum necessarium non erat ad veritatem Prophetiæ. His positis

Forma-

199. Formatur jam contra Hebræos indissolubile argumentum: certum est ex Divina Prophetia, Tribũ Judam utraque simul dignitate Regia & Ducali non privari, quousque Messias in lege promissus adveniat; atqui privata est utraque hac dignitate: ergo Messias in lege promissus jam venit. Consequentia est legitima, major constat; minor est evidens; videmus enim Hebræos per orbem esse dispersos, nec Duces habere, nec Reges; Josephus enim eorum historiographus refert, Herodem annis circiter 30. ante Christi Nativitatem constitutum esse Regem Judæorum authoritate senatus Romani; consilium autem Sanhedrim, quod Duces illos, scribas, seu consiliarios Regios continere poterat, sua auctoritate privatum est, & ab altero Herode, cujus tempore mortuus est Christus, penitus extinctum, & quod præcipuum quidem est, paulò post in eversione, & captivitate Jerusalem à Romanis facta totus ille populus ferè deletus est, & distinctio Tribuum ita confusa, ut nulla dignitas, aut prærogativa Tribus Juda jam cerni, aut fingi posset: ergo Tribus Juda privata est utraque ista dignitate, ac proinde ineptum est adhuc ex illa Tribu Messiam exspectare.

200. Explicantur, & roborantur hæc omnia: licèt Tribus Juda non semper habuerit Regiam dignitatem, quam ex Tribu Juda David obtinuit, & licèt probabile sit, non retinuisse eam usque ad Christi Nativitatem, & primarii saltem Judices in consilio Sanhedrim semper erant ex Tribu Iuda usque ad Christum Natum, neque illam dignitatem amiserunt nisi post Christi Nativitatem, ut diximus numero Superiori. Etenim in tempore Roboam Gens Hebræa in duo Regna divisa est, Juda Tribus, & Israel; at Regnum Israel, quod decem Tribubus constabat, plus quàm 500. annis ante Christi adventum ita fuit vastatum à Salmanasar Rege Asyriorum, ut solùm manserit Regnum Juda. Dicitur enim 40. Reg. 17. *Iratusque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit, nisi Tribus Juda tantummodo;* Nam licèt manserit Tribus Benjamin, quæ sequuta est Roboam Regem Juda 3. Reg. 17. aliúque fortâsse ex aliis Tribubus, non habetur tamen eorum ratio ob dignitatem, & excellentiam Tribûs Juda.

201. Rursus tempore captivitatis Babyloniæ Iechonias nomen, & dignitatem Regis obtinuit, & postea in reædificatione templi tempore Cyri zorobalel Princeps Juda erat Princeps, & Dux totius populi, tribúsque Juda semper aliis prælata est, ut constat cap. 2. & 7. Nnumer. ex cap. 1. judic, & ex cap. 2. lib. 1. unde indubitabile est, quòd saltem in consilio Sanchedrim primarios saltem Judices, aut Magistratus obtinuerit, usque dum extinctum fuit, quos modò post illam extinctionem, tribuúmque confusionem certè non retinet, ac proinde privata manet utraque dignitate, in quo stat signum infallibile in revelatione *Divina* promissum de adventu Messiæ.

202. Probatur 3. ex altero clarissimo testimonio Danielis 9. Gabriel Angelus ortum Messiæ post. 70. hebdomadas futurum Danieli promisit, licèt tempus longius fuisset, nisi propter Sanctorum clamores abbreviatum esset, ideóque dicitur: 70. hebdomadæ abbreviatæ sunt usque ad Christum Ducem; harum initium desumendum ait Angelus ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem. Hebdomadæ in sacra scriptura aliæ sunt dierum, ut Genes. 29. imple hebdomadam dierum, & aliæ annorum, quarum quælibet continet septem annos, ut habetur Levit. 25. *numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est septies septem, quæ simul faciunt annos* 49. in præsenti autem intelligi non possunt dierum hebdomadæ; nam cum istæ spatio brevissimo diffluant, non posset intra illas reædificari Jerusalem; unde in eo textu intelliguntur hebdomadæ annorum, ac proinde 70. illæ hebdomadæ continebant 409. annos; nec licèt hîc fingere hebdomadas hebdomadarum, vel mensium, non solùm, quia etiam brevissimo spatio diffluerent, sed quia tales hebdomadæ nullibi in scriptura reperiuntur; quare in his Prophetiæ verbis; ab exitu sermonis usque ad Christum Ducem Christus Dux, sive Messias in lege promissus significatur ut terminus ad quem; exitus sermonis, sive adimpletio decreti, & concessionis de reædificanda Jerusalem est terminus à quo, septuaginta hebdomade sive 490. anni sunt tempus intermedium usque ad Christum Ducem, qui in eodem textu appellatur Sanctus sanctorum; unde inferes, quàm stultè aliqui Judæi ad subterfugiendam vim argumenti dixerunt, nomine Christi intelligi Cyrum in hac Prophetia, vel Hyrcanum, stultè quidem, quia nec Cyrus, nec Hyrcanus est Sanctus sanctorum, nec illis convenire possunt Verba Prophetiæ, nec antecedentia nec subsequentia, ut expendenti constabit; quin potiùs hic promittitur post 490. annos; Cyrus autem jamdiu præcesserat.

203. Quia tamen in scriptura sæpè mentio fit de anno solari continente 365. dies cum quadrante, & de anno lunari continente 354. dies; exinde ad veritatem Propheriæ satis erit, sive ea computatio fiat per annos solares, sive per Lunares, ad cujus intelligentiam sciendum est prædictum fuisse per Ierem. 29. post captivitatem Babylonicam & destructionem Jerusalem concedendam fore facultatem Judæis redeundi in Patriam, & reædificandi suam civitatem, quam promissionem Gabriel Angelus hîc etiam confirmat; lex autè Prophetiæ diversis temporibus, & sub diversis Babyloniæ Regibus est impleta vel omnino quidẽ, vel ex parte, scilicet vel sub Cyro, quando primo anno Regni sui, ut constat ex primo Esdræ 1. fecit facultatem Judæis redeundi in Patriam, & templum erigendi, vel à tempore Darii, qui ex primo

Esdræ

Esdræ 6. anno secundo sui Regni dedit facultatem Judæis, ut reædificationem templi inter missam reædificarent, vel ab Artaxerxe Longimano, qui ex primo Esdræ 7. anno Regni sui septimo misit Esdram in Jerusalem cum magnis muneribus, & magna pecuniæ vi, atque auctoritate, quo tempore verisimile est, datam ei fuisse potestatem ad reædificandam civitatem, & templum, & quòd ipse ab Rege petierat id, quod ardenter desiderabat Esdras, & quòd Rex annuerit; ait enim textus: dedit ei Rex secundùm manum Domini Dei ejus super eum omnem petitionem ejus; vel ab eodem Artaxerxe anno 2. Regni sui, quando lib. 1. Esdræ cap. 2. dedit expressam facultatem Nehemiæ iterum ædificandi Jerusalem, murósque ejus instaurandi.

204. Ex his oritur sententiarum diversitas in assignando hebdomadarum initio; nam Lyranus, Burgensis, & Galatinus illud sumunt à tempore, quo tempore Jeremias de hac reædificatione prophetavit. Origines ab ipso tempore, quo Angelus hæc loquebatur; Clemens Alex. ab anno primo Cyri. Eusebius, & Cyrillus Jerosolym. a secundo anno Darii, Julius Afric. Theodorus, Beda, & communiter Doctores à secundo anno Artaxerxis, neque approbare possum doctrinam in Chronico, nempe per ly exitus sermonis intelligi completionem operis, & non intimationem decreti, seu facultatem tunc concessam; Verba enim illa clariora sunt, quàm quæ commento indigeant; sic quando Luc. 2. dicitur; *exÿt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*; per ly exjit non potest intelligi adimpletio descriptionis totius orbis, sed intelligi debet intimatio ipsa decreti, quòd publicabatur; certum autem est, non posse longiùs protrahi initium hebdomadarum; nam licèt ante secundum annum Regni Artaxerxis non constet certò, datam esse expressam facultatem ædificandi non civitatem, sed templum, ac proinde tantùm inferri possit ex ea expressa facultate, facultas implicita reædificandi civitatem, construendi domos pro illis, qui in ædificatione templi laborabant; at certò constat ex Scriptura citata secundo anno Artaxerxis, quod tribus annis plus minúsve factum est, tùncque celebratio novæ urbis dedicata est Esdræ 2. ac proinde saltem ab eo anno sumendum est hebdomadarum initium, quæ quidem hebdomadæ continuatæ, & æquales esse debent, ut tempus illud sit certum, & præfixum juxta intentionem DEI revelantis per Angelum manifestatam. Quamobrem absque ulla controversia hebdomadæ inchoatæ fuerunt durante Persarum sceptro, continuatæ solo tempore Monarchiæ Græcorum, fine ferè verò initio Imperii Romanorum.

205. Constat enim, ab initio Monarchiæ Romanorum usque ad Christi Baptismum annos 59. interjectos esse, id est 44. Imperii Augusti, & 15. Tiberij, quo anno, ut ait Lucas cap. 3. Christus fuit baptizatus; de duratione autem Monarchiæ Græcorum nihil certum habemus ex historiis; licèt communis sententia, quam tenent Eusebius in Chronic. Beda lib. de sex ætat. & aliqui Antiqui censeant, durâsse 302. vel 303. annos; de Monarchia autem Persarum res magis incerta est: siquidem inter Authores est tanta dissensio, ut aliqui assignent minùs 100. annis, alii 115. alii 118. alii 150. ut refert in præsenti Exim. Doctor: unde propter historiæ incertitudinē non possumus exactè explicare initium, & finem harum hebdomadarum. Hoc autem nihil refert ad demonstrationem, quam ex hac Propheria contra Hebræos intendimus, quámque sic propono.

In hac Prophetia promisit DEUS ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum Ducem, sive Messiam non effluxu ampliùs, quàm 490. annos, ut constat à num. 202. Exitus autem sermonis, quo expressa facultas concedebatur Judæis ad ædificandam iterum Jerusalem ultra 20. aut 23. annos Artaxerxis Longimani protrahi non potest, ac proinde saltem illud est initium horum 490. annorum, ita ut ultra hos non protrahatur adventus Messiæ; atqui ab anno 20. vel 25. Artaxerxis usque ad tempus nostrum fluxerunt plus, quàm 490. anni: ergo juxta veritatem Propheriæ hoc nostro tempore Messias in lege promissus jam advenit; quomodo autem hoc tempus secundùm Historicos sit computandum, vide Tyrinum in Chronic. cap. 38. ex Aggæo, ubi ait DEUS: *adhuc unicum modicum est, & ego movebo cœlum, & terram, & mare, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.*

Hic locus apertè intelligitur de adventu Messiæ, qui certè dicitur desideratus cunctis gentibus, & promittitur intra tempus modicum; non quidem modicum comparatum cum æternitate; nam sic ad Hebræos 11. totum tempus usque ad diem Judicii modicum dicitur, sed comparatum cum tempore vitæ mortalis longiori, ad quod timebant protrahendum Messiæ adventum; agebat enim ibi Prophe-ta de consolandis, & erigendis Judæis, qui in secundo Templo reædificando laborabant, ut prompti ad opus redderentur audiendo bonum, & novum nuntium de adventu Messiæ, quod non multùm distaret: si autem modicum non esset pro illis novum nuntium, quandoquidem jam certi erant ex Prophetiis, quòd Messias ante diem venturus erat; atqui à tempore Aggæi Prophetæ usque ad nos effluxerunt plus quam 2000. annorum, quod tempus in hac significatione modicum dici non potest: ergo Messias in lege promissus jam venit.

Affero secundò: Messias in lege promissus non est purus homo, sed etiam Deus. Prob. 1. Prophetæ prænuntiantes Messiam venturum, non solùm vocant illum hominem, sive parvulum natum, sed etiam Deum; ergo non est

est purus homo, sed etiam DEUS. Probatur antec. ex Isaiæ 9. *Parvulus natus est nobis, Filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium, & pacis ejus non erit finis, & super solium David sedebit in sempiternum.* Etenim in Sacra Scriptura appellatio DEI simpliciter, & absolutè sine ullo addito, præsertim conjuncta cum appellatione fortis, quæ in hoc textu significant Majestatem, totiúsque futuri sæculi protectionem, non tribuitur Ecclesiæ, aut cuipiam puro homini, sed vero Deo. Quamobrem Eusebius lib. 7. de demonstrat. cap. 4. lib. 9. cap. 8. Chrysost. tom. 5. de incorpor. Dei natura, maximè ex hoc testimonio urgent Hebræos.

209. Confirm. 1. Nullus Hebræorum negat, Messiam operaturum magna miracula, ex eo, quòd absque addito limitante ita asseritur à Prophetis, sed eodem planè modo asseritur ab ipsis, quod erit DEUS, ut Isaiæ 35. *Deus ipse veniet, & salvabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum; aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum;* ergo ex hoc testimonio arguunt contra Judæos Athanasius lib. de Incarnat. & lib. de humanit. assumpta, & lib. de communi essentia Patris, & Filii. Confirmatur 2. ex Isaiæ 45. ubi pro adventu Messiæ ita deprecatur: *rorate cæli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem:* statimque prophetico Spiritu, quasi Messiam præsentem aspiciens subdit: *tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus; verùm tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator.* Ubi dicitur tantùm *in te est Deus*; quia in Christi humanitate est Divina Persona, ut exprimit Epiphanius contra hæreses cap. 57. & Cyrillus lib. 1. in Joannem 15. additur etiam, *non est absque te Deus* propter unitatem naturæ; quia nec Pater est DEUS absque Filio, neque est alius DEUS à Filio, ut exponunt Nazianzenus, & Hieronymus: tandem dicitur, *tu es Deus absconditus* propter assumptæ humanitatis mysterium, & *Deus Israël Salvator*, quia DEUS absconditus, sive DEUS homo est verè hominum Salvator; atque ita exponunt plures Patres cum Hilario lib. 4. de Trinitat. circa finem; ubi ait, Paulum imitatum fuisse hunc locum Isaiæ in 2. ad Corinth. cùm dixit: *Deus erat in Christo mundus reconcilians sibi.*

210. Probatur 2. ex Baruch 3. *hic est Deus noster, & æstimabitur alius adversus eum; hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israël dilecto suo; post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Ubi apertè loquitur Propheta de vero Deo Israël, qui legem dedit populo, & postea cum hominibus conversatus est, id est factus est homo, ac proinde est simul DEUS, & homo: si enim Propheta non loqueretur de hac apparitione facta per Incarnationem, sed de alia, quæ mediis Angelis fieri solet in corporibus assumptis, vel per solam imaginariam, aut sensibilem repræsentationem non diceret. *Post hæc in terris visus est*: siquidem multò ante legem datam fuerat illo modo in terris visus cum Abraham Jacob, & aliis Sanctissimis hominibus; unde in hoc testimonio clarè loquitur Propeta de Mysterio Incarnationis, quo DEUS factus est homo, ut bene urgent Nazianzenus, Cyrillus, Chrysostomus, Eusebius, & Augustinus lib. 18. de Civit. cap. 37. hoc enim testimonium adeò perspicuum est, ut Judæi ad fugiendam vim argumenti librum istum expungant à syllabo Scripturarum; at hôc ostendunt cæcitatem suam jam olim prædictam per Prophetas.

Confirmatur 1. ex Michæa: *& Bethlehem parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël, & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Hæc Prophetia de Christo, & Messia intelligitur, ut etiam Pharisæi Herodi responderunt Matth. 2. & ideo statim subditur: *& egressus ejus ab initio à diebus æternitatis;* nimirum secundùm Divinam, & æternam generationem: nam dictio illa *ab initio* propriè dicta, & præsertim conjuncta cum alia particula *à diebus æternitatis*, significat existentiam ab æterno, ut constat Ecclesiast. 24. *ab initio, & ante sæcula creata sum*; ergo Messias, sive Christus, qui promissus est homo in tempore, est etiam Deus. Confirmatur 2. Psalm. 2. vers. 2. ubi dicitur: *astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Ducem, & adversus Christum ejus;* & postea ipse Messias, sive Christus versic. 3. ait: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hic textus de Messia intelligitur ab Hebræis, ut constat ex Paulo Actor. 3. qui Antiochiæ in Synagoga Hebræorum sermonem habens in hoc sensu utitur hoc testimonio; quod non fecisset, nisi ipsos Hebræos ita sentire satis intelligeret; hic verò tum ex proprietate vocis, tum ex singularitate sermonis, *Filius meus es tu*, satis indicat, sermonem non esse de filiatione adoptiva pluribus communi, sed de naturali, aut propria, quæ solùm convenit filio habenti naturam Patris sui Divinam, ac proinde filio, qui est verus Deus. 211.

Probatur 3. & præoccupantur ex suprà dictis omnes Judæorum responsiones; ubi sunt plura Scripturarum testimonia se mutuò juvantia, & explicantia, omnia simul consideranda sunt, & proprietates verborum, quantùm fieri potest, sunt tenendæ; sed pro Divinitate Messiæ sunt plura Scripturarum testimonia se juvantia, & explicantia, ut ex dictis constat; ergo omnia simul consideranda sunt, & proprietas verborum, quantùm fieri potest, est tenenda; atqui considerando simul ea omnia testimonia, non teneretur, quantùm fieri potest, proprietas verborum, si intelligerentur de Divinitate analogicè, & metaphoricè, & non de Divinitate propriè sumpta: ergo &c. Confirmatur 212.

firmatur 2. David non vocaret Dominum suum illum, quem filium suum sperabat, neque prædiceret ad dextram DEI Patris sessurum, nisi verum DEUM ipsum agnosceret; atqui vocat eum Dominum, & prædicit illum ad dextram Dei sessurum, ut constat Psalm. 109. *dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis* &c. hunc locum de ipso interpretatus est ipse Christus Matth. 22. indicans, significatam esse in illis verbis suam Divinitatem. Ex his constat, Messiam esse Deum verum, quod negabant Judæi; constat etiam, esse verum hominem, quod ipsi non negant, cùm omnes suprà dictæ Prophetiæ hoc evidenter contineant, & omnes aliæ, in quibus dicitur Messias *Filius David de semine Abraham, ex semore Jacob*, aliæque similes, ac proinde verba illa Moysis Deuteronom. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Contra Hæreticos verò ostendemus ex utroque Testamento easdem veritates, postquam dissolverimus Judæorum argumenta.

SECTIO III.

Solvuntur Opposita.

214. OBjicies 1. contra primam assertionem: licèt Messias promittatur venturus, quando Tribus Juda carebit suô sceptrô, hucusque tamen suô sceptrô non caruit: adhuc enim illud tenent in Babylone transmigrationis capita, habéntque potestatem dominandi in Judæos toto orbe dispersos: ergo Messias nondum advenit. Confirmatur. Prophetia de ablatione sceptri à Tribu Juda ita intelligi debet, ut transferendum sit ad aliam Tribum; sed hucusque nondum est translatum; ergo &c. Respondeo nego ant. quia commentitium omnino est fingere sceptrum illud Babylone; licèt enim in ea Provincia multi Judæi dispersi sint, tamen nec Principatum, nec Regnum obtinent, nec illius in orbe terrarum ulla mentio circumfertur. Ad Confirmationem nego maj. quia in Sacra Scripturâ nunquam dicitur transferendum sceptrum ad aliam Tribum in adventu Messiæ, unde aliud sperare, & voluntarium, & vanum est, atque omnino ridiculum exponere in eo sensu Scripturam.

215. Objicies 2. Nulla est ratio, cur ly *Siloh*, quod in Prophetia Jacob reperitur in textu hebræo intelligatur de Messia, & non potiùs de Saulo, qui fuit unctus in Siloh, aut de Jeroboam, cujus tempore divisum est Regnum, aut de Nabuchodonosore, quando tempore Sedæciæ Regis captivum duxit populum in Babylonem, & Regnum Judæorum extinxit: ergo exinde malè infertur, Messiam jam venisse. Confirmatur 1. Non est commentitium excogitare varias expositiones hujus Prophetiæ, quas tradunt Catholici; ergo neque erit commentitium excogitare expositiones, quas tradunt Judæi. Confirmatur 2. Civitas Jerusalem, & Templum reædificandum est ita tum, ac Messias advenerit, & DEUS ibi acceptabit Sacrificia, oblationes, & holocausta vitulorum, juxta illud Psalm. 50. *benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem, tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta, tunc imponent super Altare tuum vitulos*; atqui ista non sunt hucusque adimpleta: ergo nec Messias advenit.

Respondeo nego antec. quia ex verbis ipsius revelationis, tum ex antecedentibus, & consequentibus infertur, revelationem illam tantùm intelligi posse de Messia, & non de Saulo &c., ut constat num. 193. quin potiùs absque ullo Scripturæ fundamento dicunt Hebræi, Saulem unctum in Siloh; siquidem in eo tempore Arca Domini jam non erat in Siloh, sed in Cariathiarin ex 1. Regum 7. unde unctus dicitur in terra Suph, seu in Masphat 7. Regum 9. & 10. tum etiam Jeroboam non fuit coronatus, aut unctus in Siloh, sed in Sichem 3. Reg. 12. nec Nabuchodonosor Rex Babylonis 4. Reg. 25. quo proinde etiam Babylone coronatus erat; unde nulla est ratio in Scriptura, cur tempus Regni ejus hac voce *Siloh* significetur. Unde apparet, hæc esse effugia Hebræorum, & figmenta. Ad primam Confirmationem conc. antec. nego consequentiam; quia unusquisque Catholicorum ad sustinendam suam expositionem considerat omnia Scripturarum testimonia se adjuvantia, & explicantia, & admittit, quantùm fieri potest, verborum proprietates, ut diximus num. 213. ex qua planè infertur, Messiam venisse, & unusquisque Catholicus infert: at Hebræi oppositum faciunt. Unde apparet, eorum expositionem commentitiam esse.

Ad secundam confirmationem nego maj. quia reædificatio Jerusalem, & templi facienda prædicitur, in scriptura ante adventum Messiæ, quo tempore Deus admittebat holocausta vitulorum, & hoc jam fuit adimpletum tempore Artaxerxis, ut diximus num. 203. & iterum tempore Herodis, ut tradit Josephus lib 25. cap. 4. templum autem primum non dum fuerat penitus eversum, ut constat ex Josepho 20. c. 8. & colligi potest ex scriptura; cum Porticus Salomonis usque ad Christi tempora duraverit Joan. 10. & actor. 3. & 5. & Joan. 2. Judæi dixerunt 46. *annis ædificatum est templum hoc*; reædificatio autem ab Herode facta 8. annis absolura fuit teste Josepho lib. 15. cap. 4. quo factum est, ut primum templum usque ad tempus illud mansisse dicatur juxta humanum loquendi modum, quando in reædificatione non intenditur destructio, sed instauratio domûs, dicitur domus antiqua durare; hoc autem templum ultimo instauratum propter præsentiam Messiæ dictum est, glorioſiùs primo, si enim templum Salomonis structum non tam à lapidibus, & auro dicebā-

dicebatur glorioſum, quàm Arca Fœderis, quæ Gloria Iſraël dicebatur; ſic dicitur primo Reg. 4. translata eſt Gloria & Iſraël, quia capta eſt Arca DEI, quantò glorioſiùs dicendum eſſet illud remplum reſtauratum propter Meſſiæ præſentiam in illo, ut optimè notavit Auguſtinus lib. 18. de civitate cap. 35. 44. & 45. In illo autem offerebantur, & admittebat DEUS holocauſta vitulorum, quæ modo jam non admittit, neque ſperari poteſt, ut in eo templo unquam admittat.

218. Quare maximæ inſaniæ convincuntur Hebræi ſperantes, quòd in eo templo Prophetiæ adimplerentur; tum quia, ſi illud templum exſpectare poſſent, non eſſet verè unum & idem cum illo, quod jam à Romanis penitus everſum eſt, ut omnino diverſum. Tum etiam, quia templum illud revera expectari non poteſt, cum per Danielem cap. 9. prædictum ſit de templi deſolatione poſt adventum Meſſiæ; *Et erit in templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & finem durabit deſolatio*; quod ipſa rerum experientia & evidentia demonſtrat Judæis; cùm enim ſæpe tentaverint templum inſtaurare Romano etiam Imperatore interadjuvante, nihil unquam perficere potuerunt ipſo etiam Deo prodigiis apertiſſimis reſiſtente, ut tradunt Chriſoſt. Orat. 2. contra Judæos, Euſeb. lib. 4. Hiſtor. cap. 4. Ruffin. lib. 1. cap. 37. & Socrat. lib.
219. 3. cap. 17.

Objicies 3. poſt Jechoniam ceſsârunt Reges in Judæa; ſed tunc nondum advenerat Chriſtus; ergo Chriſtus non eſt Meſſias in lege promiſſus. Confirm. ante Chriſti Nativitatem regnârunt per plures annos in Judæa, qui non erant è Tribu Juda, ac proinde ante Chriſti adventum defecit ſceptrum de Juda; ergo &c. Confirm. 2. ſi perſeverantia ſcepti in Machabæis per lineam fœmineam de Tribu Juda, ut non diceretur omnino ablatum de Juda, etiam fuiſſet ſatis, quòd Deipara per lineam fœmineam oriretur ex Tribu levi, & Chriſtus ita diceretur Sacerdos ſecundùm Ordinem Aaro, eò quòd fuerit ex Tribu Juda, ex qua nullus unquam Sacerdotio functus eſt, ideóque poteſt dici ſolùm Sacerdos ſecundùm Ordinem Melchiſedech; ergo perſeverantia ſceptri ex Materno genere non ſatis eſt, ut
220. dicatur perſeverâſſe ſceptrum in Tribu Juda.

Reſpondeo 1. diſt. maj. ceſſârunt Reges perſeverantibus Ducibus, ſive ſcribis, omitto; deficientibus ſimul ſcribis, & Ducibus, nego maj. & con. min. nego conſequentiam: ut verificetur Prophetia, ſatis eſt, quòd non defecerit utraque ſimul dignitas uſque ad Chriſti adventum. Dignitas autem Ducis, & Scribæ duravit uſque ad Chriſti adventum, & quidem, licèt Jechonias non habuerit ſucceſſorem, qui ex paterno genere ſederit ſuper ſolium David titulo Majeſtatis Regiæ, habuit tamen, qui ſederet ut Princeps, & Dux; conſtat enim, Zarobabel, & deinceps ejus ſucceſſores deſcendiſſe ex Jechonia, ut dicitur 1. Paral. 3. & Matth. 1. Zorobabel autem Dux erat in Juda, ut refertur Aggæi 1. Reſp, 2. diſt. maj. ceſsaverunt ex paterno genere Reges in Tribu Juda conc. materno, nego maj. & conc. min. nego conſequentiam.

Ad primam confirmationem diſt. ant. de- 221.
fecit ſceptrum de Tribu Juda ex paterno genere, conc. ex materno, nego ant. & conſeq. quin potiùs, licèt defeciſſet ſceptrum, nihil contra concluſionem noſtram inferretur, cùm tunc non defeciſſet dignitas Ducis, ſeu Scribæ in Sanhedrim, ut diximus ſuprà. Ad ſecundam confirmationem nego maj. quia fœmina non poterat eſſe ſummus Sacerdos in lege veteri, ac proinde genus paternum non erat ſufficiens, ut Chriſtus dici poſſet Sacerdos ſecundùm Ordinem Aaron, at fœmina poterat revera in lege veteri tenere ſceptrum regale, ac proinde ad perſeverantiam ſceptri ſatis erat genus maternum, & quidem Joſephus lib. 9. cap. 7. ait Gotholiam Regnum obtinuiſſe Hieroſolymis, & lib. 13. cap. 22. ait, Alexandrum poſt Alexandri obitum tenuiſſe uſque ad mortem ſceptrum in Judæa; quòd autem Herodes Agrippa, qui per lineam maternam ex parte ſcilicet Mariamnæ aviæ ſuæ deſcendentis ex Tribu Juda poſt mortem, & Aſcenſionem Chriſti regnaverit, non obeſt veritati Prophetiæ Jacob, ut factum eſt in primo Herode; jam enim adimpleta erat Prophetia illa, quæ ſolùm dicebat, quòd non auferetur ſceptrum de Juda, quoadùſque Meſſias veniret, quòd verò ſemel ablatum iterum non rediret ad Tribum Juda, ad talem Prophetiâ explicitè non pertinebat, licèt ex eventu inferamus, quòd continebatur implicitè, quantum ad tempus, in quo utraque dignitas eſſet ablata à Tribu Juda, ut defactò, & à tempore Titi Imperatoris contingit.

Objicies 4. licèt ex allatis teſtimoniis rectè 222.
inferatur, Meſſiam veniſſe; at Meſſias ibi promiſſus vel erat Herodes, qui templum conſtruxit, vel Veſpaſianus, qui pacis templum erexit, variiſque prodigiis conteſtatus eſt, ſe eſſe Meſſiam; quia Meſſias in lege promiſſus, qui jam venit, non eſt Chriſtus, ut Chriſtiani fatentur. Reſp. nego ant. quia Prophetiarum verba neque antecedentia, neque ſubſequentia, neque teſtimonia ſe adjuvantia, & explicantia convenire poſſunt Herodi, aut Veſpaſiano, ſed tantùm Chriſto Domino, ut conſtat. Unde maximum eſt figmentum, eas Prophetias aut Herodi, aut Veſpaſiano, aut alteri, quàm Chriſto Domino accommodari. Et certè in illis teſtimoniis Meſſias apertè futurus dicitur de Tribu Juda, ſed nec Herodes, nec Veſpaſianus fuerunt de Tribu Juda, quod ſatis eſt ad oſtendendâ Hebræorũ cæcitatem, ut optimè urgent Hieronymus contra Luciferianos. Tertull. de præſcript. cap. 45. Euſebius lib. 3. cap. 11. qui refert, Veſpaſianum omnes poſteros David magnâ diligentiâ conquiſitos interficiendos curâſſe & licèt, ut aliquæ Hiſtoriæ referunt, Chriſti

sti Regnum affectaverit, ideò pacis templum construxerit, & per magicas artes apparentia quædam prodigia effecerit, ut, quæ de Christo scripta erant, in illo completa existimarentur, tamen hæc omnia frustra intendit, cùm nec Judæus fuerit, nec ex Tribu Juda, aut familia David, nec Prophetiarum verba ipsi conveniant, ut ex dictis constat.

223. Objicies 5. de signis ante adventum Messiæ dicit Deus Aggæi 2. *Ego commovebo cœlum, & terram, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus gentibus;* atqui ea signa hucusque adimpleta non sunt; ergo nec Messias venit. Confirm. per eundem Prophetam de templo illo in Messiæ adventu, ait Deus; *implebo domum ipsam gloriæ, magna erit gloria domus istius novissimæ plùs quàm primæ, dicit Dominus exercituum, & in isto loco dabo pacem.* Sed hæc non sunt adimpleta, nec adimpleri possunt, nisi in Messiæ adventu erigatur templum magnificentius, quàm primum, quod nondum factum est, ergo &c. Resp. con. maj. & nego min. quia licèt plures Catholici censeant, non pertinere ad primum, sed ad secundum Christi adventum in die judicii, quando cæli movendi sunt, & terra, ac congruenter etiam, & multò expedientiùs ad expositionem Prophetiæ intelliguntur de primo adventu, in quo adimpleta jam sunt; nam, ut benè hæc exponit Exim. Doctor, Christo Nascente cæli moti sunt, cùm Angeli & sidera testimonia illi præbuerunt, & Angeli gloriam cecinerunt Deo; nox clariùs resplenduit, quàm dies, stella Magos duxit ad Præsepe, tres soles apparuerunt in cælo in unum postea coalescentes, ut Historiæ referunt, quarum meminit etiam Div. Thom. 3. Quæst. quæst. 36. art. 3. ad 3. Galatin. lib. 4. cap. 10. & Julius obsequens. lib. de prodigiis cap. 128. ubi alia his similia plura referuntur.

224. Terra etiam, & mare commota sunt bellis, & perturbationibus propè innumeris ante Christi adventum, donec pacato orbe Romanorum virtute, ut Christus nasceretur, pax promissa consequuta est, de qua intelligi possunt ea verba: & in loco isto dabo pacem; quamvis etiam de spirituali pace, quæ in Christi Nativitate ab Angelo nuntiata est, & in terra pax hominibus perfectè intelligantur, sicut ex alia intelligi possunt de commotione gentium vi admirationis, & grauditate miraculorum; sic Psalm. 113. In egressu populi ex Egypto propter prodigia, quæ tunc facta fuêre, dicitur: à facie Domini mota est terra, quæ clarè ostendunt, ea verba plurimis modis in primo Christi adventu adimpleta esse. Ad confirmationem conc. maj. & nego min quia templum post adventum Messiæ prædictum erat ita destruendum, ut nunquam ampliùs extaret, ut patet alibi. Unde quòd in Messiæ adventu dicatur forè glorioſius, quàm fuerit primum, non intelligitur de gloria templi desumpta ad structurâ, sed à præsentia Christi, & in egressu ejus in illud, ut diximus num 217. atque adeo in primo adventu Christi ea omnia impleta sunt.

Objicies 6. plura signa data sunt à Prophetis in primo Messiæ adventu Isaiæ 6. Amos 9. &c. quæ non sunt impleta: ergo Messias nondùm advenit. Prob. ant. tempore Messiæ promittitur Judæis magna felicitas, sic Amos 9. *In die illa suscitabo Tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea, quæ corruerant, instaurabo, & reædificabo ipsum, sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eo, dicit Dominus faciens lege. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & comprehendet Arator messorem, & Calcator Uvæ mittentem semen, & stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt, & convertam captivitatem populi mei Israel, & ædificabunt Civitates desertas, & habitabunt, & plantabunt vineas, & bibent vinum earum, facient hortos, & comedent fructus eorum, & plantabo eos super humum suam, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus;* sed hæc hucusque non sunt impleta: ergo &c.

Ad detegendum Judæorum errorem, & falsam Scripturarum intelligentiam, qua utuntur in hoc, & similibus argumentis, observandum est, Judæos speràsse, & adhuc sperare Messiam temporalem Regem, & potentissimũ magnatem ipsis temporales delicias allaturum, orbémque terrarum sub eorum ditione subjugaturum; cùmque hac spe nutrii sint, & Christum Dominum longè alia ratione, quàm sibi finxerant natum esse, mortuúmque conspiciant, nequaquam sibi persuadere possunt illum esse Messiam in lege promissum: horum autem cæcitas in eo stat, quòd non videant in Scriptura esse plures locutiones tantùm ad spiritualem sensum, & felicitatem pertinentes, qualia sunt absque dubio ea bona promissa, quibus meliora esse non possunt, quæque cunctis mortalibus possunt esse communia, & ad quæ afferenda venit Messias, utpote Pater futuri sæculi, ut prædixerunt Prophetiæ, & præsertim Isaias cit. num. sup. Vocans Messiam Regem sempiternum spiritualis Reipublicæ.

Aliæ sunt etiam locutiones in Scriptura in sensu metaphorico intellectæ, & de Messiæ adventu metaphoricè dicta; sic Judæus in Prophetia Jacob, vocatur *Leo*, ex eo, quòd ex ejus femore oriturus prædicitur Messias *catulus Leonis Judæ;* Unde ipse Messias Apocal. 5. vocatur *Leo*, *vicit Leo de Tribu Juda, radix David*, quod certè intelligi non potest nisi in sensu metaphorico; aliæ sunt locutiones spectantes non quidem ad primum, sed ad secundum Messiæ adventum, ut constat ex dictis. Atque ex Isaia 66. hæc omnia valde attendenda sunt in scriptura, ut verùm illius sensum eruamus, & ne spiritualia carnaliter aspiciamus; dúmque ex cerebro nostro fidem fingimus, hæresim incur-

incurramus; regula autem generalis ad ipſos Scripturæ ſenſus rectè capiendos ea eſt, ut obſcura Scripturæ teſtimonia explicemus per alia, & adjuvantia, & declarantia; ſic enim nunquam eruetur ſenſus aut bonis moribus, aut fidei contrarius, quæ eſt altera Auguſtini Regula ad literalem Scripturæ ſenſum rectè capiendum; Judæi verò, cùm hæc omnia egregiè confundant, exinde falſas Scripturæ intelligentias, erroneósque ſenſus tanquam Fidei dogmata deprædicant, quò in dies magis, magisque ruunt. His itaque præmiſſis ad argumentum propoſitum num. 225.

228. Reſpondeo neg. antec. ad probat. diſt. maj. promittitur Judæis magna felicitas temporalis, nego, ſpiritualis, conc. maj. & diſtincta pariter min. nego conſeq. Ratio eſt, quia nec Amos in eo textu, nec alii Prophetæ tot bona promittentes tempore *Meſſiæ* loquuntur de inſtauratione, Regno, aut proprietatibus temporalibus, ſed de ſpiritualibus felicitatibus. Regnùm enim *Meſſiæ*, ac proinde illud Iſraëli promiſſum cùm ſit ſpirituale, licèt ſit in hoc mundo, non tamen eſt de hoc mundo, ut bene notavit Auguſtinus ad illa Chriſti verba Joannis 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Quare ea bona ſub illis metaphoris per Chriſtum, ſive *Meſſiam* Regem Iſraëlitis promiſſa non quidem carnaliter, & materialiter, ſed ſpiritualiter intelligenda ſunt; quod certè ex regulis interpretandi Scripturam manifeſtè apparet; nam ea bona per Chriſtum, ſive *Meſſiam* promiſſa, ut omnes Prophetæ conteſtantur, talia ſunt, ut ſalutem veram hominibns afferant, & cunctis mortalibus poſſint eſſe communia, nec poſſint eſſe alia ipſis meliora, quæ quidem proprietates non poſſunt convenire temporalibus bonis, ſed ſpiritualibus, & æternis. Id ipſum conſtat ex aliis Scripturæ locis, quæ ſe adjuvant, & explicant; ſiquidem Meſſias aliis Prophetarum oraculis deſcribitur *pauper, humilis, Vir dolorum, & ſciens infirmitatem*: unde ſignum eſt, abundantiam bonorum per ipſum futuram, ſub quacunque metaphora expliceturr, non carnaliter, & materialiter, ſed ſpiritualiter intelligendam eſſe. Hac enim ratione facilè exponuntur alia Scripturarum teſtimonia, quæ afferunt, & rectè explicant Paulus Burgenſis, Lyranus, Adrianus, Galatinus, & præſertim Hieronymus ſuper Prophetas, & S. Auguſtinus lib. de Spiritu.

229. Objicies 7. De tempore Meſſiæ prædicitur ita Iſaiæ 2. *erit in noviſſimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium*, & cap. 11. *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo, accubabit vitulus, & leo, & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos*; ſed hæc non ſunt impleta: ibi enim prædicitur, ea bruta, & fera animalia in mutuâ ſocietatem cohabitatura, Templúmque Hieroſolymitanum, & montem illum, in quo fundatum erat, ſupra omnes montes altiùs elevandũ, quod hucusque factum non eſt; ergo Meſſias hucusq; nondũ advenit. Reſp. conc. maj. & diſt. min. non ſunt adimpleta ſecundùm ſpiritualem ſenſum à Spiritu Sancto intentum in illis teſtimoniis, nego, ſecundùm ſenſum ex puro verborum cortice ab Hebræis deſumptum, & à Spiritu Sancto ibi non intentum, conc. min. & nego conſeq. quia Scripturæ, & Prophetiæ adimplendæ non ſunt, niſi ſecundùm ſenſum verborum à Spiritu Sancto intentum; cúmque iſte ſenſus adimpletus jam ſit, ex iisdem teſtimoniis deducitur, Meſſiam jam veniſſe.

Senſus enim primi teſtimonii non eſt de 230.
monte materiali, cùm ex Propheta Daniele citato num. planè conſtet, Templum illud materiale planè vaſtandum, & deſtruendum fore poſt Meſſiæ adventum, ejusque deſolationem usque ad finem ſæculi duraturam, quod & ipſa experientia ſatis oſtendit, ut ibi diximus; eſt enim jam Templum illud à fundamentis everſum. Quare licèt alterum Templum conſtrueretur, non poſſet jam dici antiquum Templum perſeverare, ſicut dici poteſt, quando domus antiqua ruinam minitans reparatur; unde domus non intelligitur de domo Dei lapidibus conſtructa, ſed de Eccleſia, vel de Deipara, quæ fuit unicum, Sanctúmque Templum DEI, monsque Sanctitatis elevatus, & in utero ſuo geſtavit Meſſiam verum Deum, & hominem ſuper cæteros Sanctitatis montes elevata; ſic etiam alia verba ejusdem Prophetiæ intelliguntur metaphoricè de magnis peccatoribus, qui feritate ſua erant quaſi lupus, & pardus.

Peccatores enim in hiſtoria Sacra, & profa- 231.
na vocantur, ut refert Apoſtolus cap. 1. ad Titum; dixit quidam ex illis proprius ipſorum Propheta, *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ*, & David Pſalm. 37. deprecans Deum, ne tradat juſtos peccatoribus, aut Dœmonibus, ait, *ne tradas beſtiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem*, & Ezechiel. 38. *negotiatores Tharſii, & omnes leones ejus dicentes tibi*; unde tempore Meſſiæ perinde eſt habitare pacificè juſtos cum peccatoribus, & bonos Catholicos cum Hebræis, ac oves, & agnos cum leonibus &c. quin & ipſe Chriſtus Diſcipulis ſuis, quos ad infideles mittebat, dixit Lucæ 10, *ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos*; ex quo apparet, quàm benè conſentiant Scriptura nova, & vetus, & quantùm ſe adjuvent, & declarent iſta teſtimonia ad verum horum locorum ſenſum intelligendum. Horum omnium figura fuerunt animalia ferocia, quæ dum in Arca tempore naufragii ſervarentur, pacificè vixerunt; ſicut in Eccleſia Chriſti ſæpe peccatores, & juſti pacificè vivunt. Videatur Origines lib. 4. peria. cap. 2. à principio, ubi optimis exemplis utitur ad convincendos Hebræos, & manifeſtandum ipſum Scripturæ ſenſum; tum etiam Homilia 2. in Geneſ. & Euſeb. lib. 7. demonſtrat. cap.

Objicies 8. Quando Meſſias adveniet, pu- 232.

gnaturus est contra Gog, & Mogog, magnámque victoriam reportaturus juxta Isaiam cap. 38. idque erit, ut ait Propheta, in novissimis diebus; sed hæc nondũ sunt impleta, nec sumus in ultimis mundi diebus; ergo Messias nondum advenit. Confirm. 1. Ante Messiæ adventũ erit Elias ejus præcursor Malach. 4. *ecce ego mittam vobis Prophetam, antequam veniat dies Dei;* sed hoc non est hucusque impletum; ergo &c. Confirmatur 2. Messias in lege promissus erit Bethlehemiticus, Mich. 5. sed Christus secundùm Evangelia nostra est Nazarenus, & Galilæus; ergo non est Messias in lege promissus. Respondeo dist. maj. quando Messias adveniet in secundo adventu, conc. in primo adventu, nego maj. & concessa prima parte minoris, nego consequentiam; Isaias enim in eo textu non loquitur de primo Messiæ adventu in humilitate, & paupertate, sed de secundo in majestate, & gloria ad judicandum mundum, & Antichristum significatum per Gog, & Mogog. Hoc satis indicat ipse Isaias scribens: *& judicabo eum peste, & sanguine, & igne vehementi, & lapidibus innumeris, ignem, & sulphur pluam super eum, & super exercitum ejus, & super populos multos, qui sunt cum eo;* quod etiam explicatur Apocal. 20. Cùm igitur dies universalis judicii nondũ venerit, ideo ista signa nondũ impleta sunt, sed adimplenda.

233. Dixi *conc. min. quoad primam partem;* nam licèt verba, quæ in secunda parte minoris adducuntur, nempe in novissimis diebus, conjuncta cum universali judicio, intelligantur de secundo *Messiæ* adventu; at si accipiantur ab illis circumstantiis separata, possunt etiam intelligi de primo adventu; quia licèt tempus universalis Judicii comprehendat ultimos, sive novissimos dies relatè ad tempus, in quo Christus jam primò per Incarnationem advenit; at tempus Incarnationis, sive primi adventûs *Messiæ* relatè ad omne tempus elapsum, & ad omnes ætates mundi transactas à mundi initio usque ad Incarnationem Verbi comprehendit etiam ultimos dies, sive ultimam mundi ætatem, quamquàm longiorem aliis, eò quòd in hoc tempore data sit lex usque ad finem mundi duratura, postquam alia non speratur; unde in hoc sensu dicitur ultima mundi ætas, quia in ea durat, atque semper duratura est eadem Christi Ecclesia; idem modus regiminis in ea, & eadem gratiæ communicatio, quò alludens Joann. Epist. 1. cap. 1. ait: *Filioli novissima hora est*, & Apostolus de figuris, quæ numerantur in Scripturis usque ad hujus ætatis dies, 1. ad Corinthios 10. ait: *in quos fines sæculorum devenerunt.* Aliquando verò in Scripturis Sacris locutiones illæ Prophetarum, *& erit in novissimis diebus*, tantundem valent, acsi diceretur, *post hæc tempora*, & è converso, ut constat ex Paulo Actor. 2. textum illum Joëlis cap. 2. *& erit, post hæc effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri*, ita exponente, hoc est, quod dictum est per Prophetam Joël, *& erit in novissimis diebus: effundam de spiritu meo super omnem carnem.*

Ad primam confirmationem dist. maj. ante 234
secundum Messiæ adventum, conc. ante primum nego maj. & conc. min. nego conseq. Nam illa verba Malachiæ clarissima sunt de secundo adventu, cùm sic habeant; antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis; quamobrem Hebræi non agnoscentes duplicem Messiæ adventum maximũ laborant in conciliandis oraculis de adventu Messiæ, & exitum non inveniunt; quo factum est, ut aliqui his excæcati duos jam fingant Messias, alium pauperem, alium divitem, quod apertè repugnat Scripturæ loquenti de Messia in singulari, & attribuenti pauperi, quod postea applicat diviti, & è converso. Unde ignorantia duplicis adventus Messiæ est maxima origo cæcitatis eorum, ut notârunt Tertull. Cyprianus Athan. Irenæus apud Exim. Doctorem disp. 1. contra Judæos lib. 4. Ad secundam confirmationem conc. maj. & dist. min. est Nazarenus, & Galilæus appellatione desumpta à domicilio Parentis, & diuturna habitatione, concedo; à loco Nativitatis, nego maj. & conseq. quia ipsi Evangelistæ, qui Christum à domicilio Parentis, & diuturna habitatione vocant Nazarenum, & Galilæum, referunt quoque, ipsum Natum esse in Bethlehem Matth. & Luc. 2. & testatur etiam prophana historia, referens occasionem, per quam Sanctissima Genitrix Nazaretho Bethlehemium se contulit, ubi Christum pareret.

Objicies contra secundam assertionem: de 235
Messia venturo dicit Moyses Deut. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus;* cùm enim Scriptura nostra Actor. 7. hunc locum de Christo intelligat, certum est, de Messia in lege promisso intelligi; sed in eo loco asseruit Moyses, Prophetam illum futurum esse purum hominem & non Deum, ergo: *Messias* in lege promissus non est Deus, sed purus homo. Prob. 238
min ex eodem textu, qui ita prosequitur: ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est; atque dixisti: *Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar, & ait Dominus mihi, bene omnia sunt loquuti. Prophetam suscitabo eis de mediis fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loquetur ad eos omnia, quæ præcepero illi;* ergo Prophera ille non est futurus Deus, sed purus homo, qui loquetur. Confirm. 1. populus in eo testimonio petebat, ne Deus sibi loqueretur; atqui Deus petitionem admisit dicens, se daturum Prophetam, & per eum loquuturum; ergo Propheta ille non erit Deus. Confirm. 2. Prophera futurus est similis Moysi; atqui Moyses erat homo, & non Deus; ergo nec ille Propheta erit Deus.

Resp. conc. maj. & nego min. quia licèt 239
in eo textu non affirmetur Christi Divinitas expresse

expreſsè, ſed humanitas tamen illa non negatur; unde Chriſti divinitas non quidem ex hoc, ſed ex aliis textibus inferenda eſt; ubi expreſsè aſſeritur, ut diximus num. 208. Ad primam confirmationem diſt. maj. ne *D*eus ſibi loqueretur ex intentione abdicandi inſtructionem *D*EI, nego, ex intentione ſe liberandi à terrore, quo concutiebantur, quando in majeſtate ignis & portentis, quaſi per ipſam *D*ivinitatem loquebatur *D*eus, conc. maj. & diſt. min. DEUS admiſit petitionem quantum ad modum non ita illis loquendi, conc. quantum ad ſubſtantiá non loquendi illis deinceps, nego min. & conſeq. Hebræi enim ita terrebantur, quando in ea majeſtate illis *D*eus loquebatur, ut timerent vitam amittere, mortuique manere in conſpectu majeſtatis divinæ loquentis, ut fatetur populus dicens; ampliùs non videbo, ne moriar.

237. Jam olim idem clamaverat populus ad ipſum *M*oyſem Exod. 2. *loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* *D*eus igitur admiſit Populo petitionem non quidem aſſerens deinceps ſe non loquuturum, ſed non loquuturum in ea majeſtate, ſed humana voce per humanam naturam ex eodem genere aſſumptam, quò non excluditur, quin ille Propheta *D*eus ſimul eſſet, & verus homo, licèt eo textu divinitas non exprimatur, quia rudis populus capax non erat tanti *M*yſterii. Ad ſecundam confirmationem diſt. maj. futurus erat ſimilis Moyſi quoad aliqua, conc. quoad omnia nego maj. & conc. min. nego conſeq. quia cùm Meſſias promittatur verus Propheta, homo, legislator, & mediator inter Deum & hominem, quantum ad hoc promittitur ſimilis Moyſi, & in natura, & in officio, ſimilitudo autem non eſt quoad omnia, aliter jam eſſet identitas, nec Meſſias in lege promiſſus fuiſſet Redemptor, nec natus ex Virgine nec in aliis perfectionibus Moyſem ſuperâſſet, quòd eſt contra Scripturas, quas Hebræi admittunt.

238. Objicies 11. Deus eſt Omnipotens, & omniſcius; ſed Chriſtus Dominus neque eſt omnipotens, neque omniſcius: ergo non eſt Deus. Prob. minor: in Evangelio noſtro fatetur Chriſtus, ſe non poſſe dare primas Sedes Filiis Zebedæi. Matth. 20. ſedere autem ad dextram, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Fatetur etiam ſe non ſcire omnia, cùm non ſciat diem judicii Marci 13. *De die autem illo, vel hora nemo ſcit neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater &c.* Reſp. conc. maj. nego min. Ad probationem diſt. ant. quò ad primam partem fatetur ſe illis non poſſe dare primas ſedes conſequenter ad decretum, quòd ipſe Chriſtus, ut Deus cum Patre ordinavit dandi, ſcilicet illas eis, qui potiora merita habent, con. antecedenter ad tale decretum, nego iſtam, & diſt. al. eram partem antecedentis, fatetur ſe non ſcire diem judicii quatenus Deus eſt, nego quatenus homo eſt per ſcientiam aliis manifeſtabilem conc. ant. & nego conſeq.

Ratio eſt, quia Deus ordinavit dare in cœ- 239.
lo majora præmia juxta majora cujuscunque merita; unde prima ſedes in cælo conſequenter ad hoc decretum eſt à Deo Patre, atque exinde à Chriſto ut Deo parata illis, qui potiora merita habent, ideóque ſicut conſequenter ad iſtud decretum non pater poteſt eas ſedes dare aliis, quia omnipotentia impeditur à fidelitate, ita neque Chriſtus poteſt conſequenter eas dare aliis, niſi quibus parata ſunt à Patre ſuo; quare ſicut ex eo decreto inferri non poteſt, quòd Pater non ſit omnipotens, ſed ſolùm poteſt inferri, quòd non poſſit eſſe infidelis, ita malè infertur, quòd Chriſtus, ut Deus non ſit omnipotens, ſed tantùm inferre licèt, quòd non poſſit eſſe infidelis; dare enim cum infidelitate eſſet peccatum, & defectus, & Deus cum tota ſua omnipotentia non poteſt peccare, aut deficere: ſic conſequenter ad decretum non poteſt auferre Pater à Chriſto potentiam judicandi, quin inferatur, quod Pater non ſit Deus; quò in ſenſu dicitur Joan. 5. neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.

Hoc ipſum apparet in ſcientia, quam de die 240.
judicii anima Chriſti Domini accepit à Patre, accepit enim ſcientiam non quidem ad dicendũ aliis, ſed ſub obligatione ſecreti, cujus transgreſſio peccatum eſſet, neque Diſcipuli quærebant ſcire, quod ſine peccato non poterat; interrogatio autem prudens, quæcumque ſemper ſubintelligit de manifeſtatione, quæ ſine peccato fieri poſſit, cùmque iſta manifeſtatio fieri non poteſt ſine peccato, rectè reſpondit Chriſtus ad mentem interrogantium de die illa, non ſcio. Et quis dubitare poteſt de ſanctiſſima anima Chriſti, quando nos ipſi communi, & prudenti loquendi modo ea, quæ ſub ſecreto accipimus neſcire nos dicimus, & confeſſarius, qui ſub ſigillo ſecreto peccata pœnitentis novit, cuivius de peccatis illis interroganti, rectè reſpondet ſe neſcire, quod autem anima Chriſti non tantùm hoc, ſed & alia plura accepetit retinenda uſque ad tempus congruum ex noſtris ſcripturis conſtat; ſic Chriſtus ait Joan. 25. *Omnia quæcunque audivi à Patre meo nota feci vobis*, & tamen cap. 16. V. 12. ait *multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*; Unde quando dixit ſe revelâſſe omnia, quæ audivit à Patre, clarè intelligitur de omnibus, quæ eo tempore commiſſa non erant ſub ſecreto, atque iſta eſt expoſitio, quàm tradunt Patres, & ſequitur Exim. Doctor 3. comment. ad quæſtionem 10. & art. 2. Divi Thomæ.

Quin potiùs ſi bene hæc expendantur, non 241.
militant contra Chriſti divinitatem; licèt anima Chriſti non haberet ſcientiam omnium futurorum malè exinde inferretur, quod juxta Scripturas noſtras non haberet ſcientiam illam Chriſtus, ut Deus, vel quòd non eſſet Deus;

Deus; cùm Scripturæ hæc omnia expresè doceant de Christo ut Deo; sic Joannis 1. *Deus erat Verbum, & Verbum Caro factum est.* Et Paulus ad Colos. 2. de Christo, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Error autem Judæorum in eo stat, quòd cùm non agnoscant, Christum esse Deum simul, & hominem, non capiunt plures locutiones, quæ de Christo dicuntur secundùm Divinitatem, & alias, quæ secundùm humanitatem; sic in Symbolo Athanasii de Christo dicitur, *æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem.* Alia argumenta, quæ hic fieri possent contra substantiam Sanctissimi Mysterii Incarnationis, dissolvemus infrà agentes de eodem hoc Mysterio; quæ verò attinent ad altissimum Mysterium Trinitatis, non sunt hujus loci; expendentur enim fusè à Theologis in Tractatu de Trinitate; quæ autem dedimus, satis sunt ad ostendendam Hebræorum cæcitatem.

***

DISPUTATIO VI.

DE DEO HOMINE CONTRA PAGANOS, ET HÆRETICOS.

242. TRiplex infidelitatis genus distingui solet à Theologis, videlicet Hebræorum, Paganorum, & Hæreticorum; contra Hebræos egimus disputatione præcedenti, in hac acturi contra Paganos, & Hæreticos, ut ostendatur contra omnes infideles Catholica veritas; cúmq; Hæretici vetus, & novum Testamentum admittant, utriusque testimoniis convinci possunt; contra Paganos verò, qui utrumque negant, difficiliùs agere possemus, ut Sanctissimum Incarnationis Mysterium admittant: nam cùm supernaturale sit, & rebus supernaturalibus non quidem humana ratione, sed auctoritate Divina possumus firmiter adhærere, ideo magis laborandum est ad Paganos convincendos. Unde Irenæus lib. 4. contra Hæreticos cap. 41. existimavit, propterea dixisse Paulum 1. ad Corinthios 15. *abundantiùs illis omnibus laboravi;* quia cùm esset Apostolus Gentium, quæ non admittebant Scripturas, difficiliùs fuit, eis suadere Christum esse verum DEUM, & hominem. Unde recurrendum est ad signa credibilitatis nostræ Fidei, quæ dedimus in Tractatu de Fide, quamquàm etiam possimus aliquam probationem insinuare ex supra dictis, ut jam constabit.

SECTIO I.

Assertiones Catholicæ.

243. ASsero 1. contra Paganos: Christus Dominus est simul DEUS, & homo: non possumus formidare, nisi imprudentissimè, quòd non sint ab aliquo excedente conditionem creatam, ac proinde, quòd non sint à DEO verba prophetica præcedenti disputatione dicta, quibus Mysterium Christi, seu DEI hominis jam ante prædicta sunt, & nunc cernuntur impleta; quomodo enim potest naturalis intellectus nisi imprudentissimè sibi fingere creaturam, quæ certissimam habeat cognitionem de futuris contingentibus, eáque tot retro sæculis possit prædicere quoad substantiam, & circumstantias omnes, ita ut post plura sæcula perfectissimè impleantur modò, quo prædicta erant, aut quomodo posset aliquis prudentem excusationem habere in re tanti momenti, à qua pendet æterna salus, si hanc Fidem tot propheticis locutionibus contestatam nollet credere, esse à Deo dictatam; ideo ipsum naturæ lumen ostendit, non posse prudenter negare veritatem eorum verborum Isaiæ 14. *annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & dicemus, quia Dii estis vos.* Unde Tertulliauus in Apolog. cap. 20. contra Gentiles ajebat: *idoneum testimonium Divinitatis, veritas divinationis;* hæc omnia reddunt certè Fidem nostram credibilem, & credendam, esse à DEO dictatam; atqui ipsa Fides, quæ utpote à Deo dictata certa, & infallibilis est, docet, Christum existere verum Deum, & hominem, ut diximus; ergo &c.

Quamobrem licèt testimonia suprà allata directè militent contra Judæos, qui testamentum vetus tanquam DEI Verbum admittunt, indirectè reverâ pugnant contra omnes Paganos; ac proinde & contra Atheos, ut inde convincantur, dari Deum, & existere Christum Dominum, qui verus est Deus simul, & homo. Unde ultra probationes, quas in Philosophia, & Theologia contra Atheos afferimus ad probandum, dari Deum, superadditur contra ipsos hæc efficacissima probatio. Confirmatur. Non possunt Pagani prudenter negare libros, in quibus illæ Prophetiæ continentur, esse antiquiores nomine Christiano, nec prudenter suspicari possunt, esse eos à nobis confictos, cùm evidenter constet, nos illos à Judæis recepisse, & hoc ipsum non solùm Judæi, sed & Gentes nobiscum fatentur: ergo Pagani excusari non possunt, si ex eorum librorum veritate iis non assentiatur & DEUM existere, & Christum Dominum esse DEUM simul, & hominem; sic arguunt Augustinus lib. 18. de Civit. cap. 46. Hieronymus super 18. Isaiæ, & Theodoret. Orat. 10. de Provident.

Prob. 2. Quando non solùm datur signum propheticum convincens, existere Christum Domi-

Dominum, qui est DEUS, & homo, sed etiam dantur alia signa id ipsum contestantia, & se explicantia tanquam signa à Deo dictata, non potest nisi per summam stultitiam negari, ea signa esse à Deo, ac proinde rem per ea signa contestatam esse verissimam; sed ad convincendum, Christum simul esse Deum, & hominem, non solùm datur signum propheticum, sed etiam dantur alia signa plura id ipsum contestantia, & explicantia tanquam signa à Deo dictata: ergo &c. Probatur min. adducendo omnia signa credibilitatis nostræ Fidei, nempe gloriam miraculorum, Martyrum fortitudinem, miraculosam Fidei extensionem, oracula Sibyllarum, prodigia perpetua, quæ latè dedimus in Tractatu de Fide num. 570. hæc enim omnia certè se adjuvant, & explicant, nec locum relinquunt ad prudentem formidinem de oppositro; ergo &c.

246. Assero 2. contra Hæreticos: Christus Dominus non quidem phantasticè, aut diminutè, sed realiter, & propriè est verus homo. Probatur 1. Quando sunt plura Scripturæ testimonia se adjuvantia, & explicantia in sermone historico loquente de Christo homine, non possunt ea intelligi de homine phantastico, & diminuto, sed de reali, proprio, & vero; nec ea locutio alium sensum permittit; sed hujusmodi sunt Scripturæ testimonia loquentia de Christo homine: ergo &c. Consequentia tenet, & maj. constat ex regula interpretandi Scripturas; minor verò ex Scripturis narrantibus Matth. & Luc. Christi originem secundùm carnem, ejúsque conceptionem, & nativitatem; & ex illis, ubi Filius Virginis dicitur, & ubi comedere, ambulare, fatigari, obedire, loqui, mori &c. quæ se adjuvant, & explicant, ac proinde falsa essent, si verum hominem non significarent; ergo &c. Confirmatur. Si Christus non esset verus, sed phantasticus homo, non posset verè dici mori, mereri, pati, & satisfacere pro peccatis, & si esset homo tantùm diminutè, non posset absolutè, & absque addito limitante dici homo; atqui Christus verè passus, & mortuus est, veréque satisfecit pro peccatis, idque ipsi non homini aliquando addito limitante tribuitur, ut patet ex toto ferè novo Testamento, & expresè tradit Paulus ad Romanos 5. *Christus pro nobis mortuus est, veréque satisfecit pro peccatis*; & infrà: *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; ita multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis JESU Christi in plures abundavit*; ubi Christus Dominus verè, & propriè dicitur mortuus, & absolutè, & absque addito limitante homo non minùs, quàm primus homo Adam; ergo &c.

247. Probatur 2. Christus Dominus in novo Testamento sæpe docet, absque addito limitante se esse hominem, aliíque à DEO illuminati id ipsum fatentur, quorum locutionem, & confessionem Christus approbat; ergo non est phantasticè, & diminutè homo. Probatur antec. Christus Joann. 8. dicit, *quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum*; cæcus etiam, cui Christus visum restituit Joan. 9. dixit: *ille homo, qui dicitur JESUS, lutum fecit &c.* quem non correxit Dominus, sed ulterius petijt ab illo, ut etiam crederet Filium DEI; tum etiam Joannis 10. ipsi Judæi dicebant: *de bono opere non lapidamus Te, sed quia tu homo cùm sis, facis Te ipsum Filium DEI*; Christus autem primum admittens, sed etiam Deum esse, & rectè appellari confirmat; Centurio etiam illuminatus à Deo Marci 15. ait: *verè hic homo Filius DEI erat.*

Confirmatur 1. ex ipso Symbolo Apostolo- 248.
rum, ubi de Christo dicitur, *qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex MARIA Virgine*, Matth. 1. *quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, Joannis 1. *Verbum Caro factum est*, & in Symbolo Athanasii, *homo est ex substantia Matris in sæculo natus*; quæ testimonia apertè docent, Christum esse verum hominem, & non phantasticè, neque Deipara se habuit tantùm ut canalis proferens Christum, sed ipsum reverâ genuit ex sua substantia. Confirmatur 2. Christus Dominus ita est simpliciter homo, ut licèt sit circumscriptus Deitate, non tamen corpore, sed eo incircumscriptus, & non ubique existens; sic de Christo viatore dicitur Joann. 6. *cùm ergo vidisset turba, quòd JESUS non erat ibi*, & Joannis 2. *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quòd non eram ibi*: quæ locutio non esset vera, si Christus esset ubique. Vide plura testimonia apud Eximium Doctorem disput. 32. sect. 4. Unde Concilium Lateranense sub Martino I. in Canon. 4. *si quis non confitetur Christum circumscriptum corpore, & incircumscriptum Deitate, condemnatus sit.* Ex quibus facilè ruunt hæreses relatæ num. 193.

Assero 3. contra alios Hæreticos: Christus 249.
Dominus non est simpliciter, & verus homo, sed etiam DEUS. Probatur 1. ex Joannis 1. *Deus erat Verbum, & Verbum Caro factum est*, & ex confessione Thomæ Apostoli, *Dominus meus, & Deus meus* ad Christum Dominum dicentis, quam confessionem ex vera Fide profectam approbavit Christus; *quia vidisti me Thoma, credidisti*, & Paul. ad Romanos 9. *ex quibus est Filius secundùm carnem, qui est supra omnia Deus benedictus in sæcula*, & ipse Christus Joannis 10. *Ego, & Pater unum sumus totum*, & cap. 1. & 2. ad Hebræos eandem veritatem confirmat; ergo &c. Confirmatur etiam ex testimoniis relatis veteris Testamenti à num. 208. Hæretici enim utrumque Testamentum admittunt, sed ex utroque infertur, Christum esse Deum, ut constat ex dictis; ergo &c.

Probatur 2. Ea, quæ in Scriptura tribuun- 250.
tur DEO, tribuuntur etiam Christo; ergo juxta Scripturam Christus est verus Deus. Probatur ant. De Deo dicitur Psalm. 67. *ascendi-*

sti in altum &c. quod de Christo exponitur ad Ephesios 4. *ascendens in altum &c.* Isaiæ 6. de Deo dicitur, *vidi Dominum sedentem*, & de Christo Joannis 12. *hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo;* Isaiæ 45. de Deo dicitur, *mihi curvabitur omne genu*, & idem de Christo ad Romanos 14. *omnes enim stabimus ante tribunal Christi; scriptum est enim, vivo ego, dicit Dominus, mihi flectetur omne genu.* Denique Exodi 20. verus Deus ait, se eduxisse populum de Ægypto: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*; quod Christum fecisse asseritur in Can. Epist. Judæ V. S. *JESUS populum de terra Ægypti salvans;* ergo non solùm ex libera, sed etiam ex constantia novi, & veteris Testamenti indicium est, Christum esse verum DEUM.

251. Assero 4. contra alios Hæreticos. Inter Divinas Personas solum Verbum incarnatum est. Probatur 1. Joannis 1. expressa mentio fit trium Personarum Divinarum, Patris nempe vers. 4. quasi unigeniti à Patre; Filii verò sub nomine unigeniti: Spiritus Sanctus vers. 32. *vidi Spiritum descendentem quasi columbam de Cælo;* & tamen ut aliquid singulare, & ipsius Filii proprium dicitur, Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Ubi manifesta fit allusio ad illud Baruch 3. vers. 38. ubi de inventore sapientiæ, & veritatis supernaturalis, quæ est ipsa divina sapientia, & veritas dicitur; *post hæc in terra visus est, & cum hominibus conversatus est*, quod sæpe alibi adstruitur in Scriptura, præsertim cùm commendatur charitas Dei erga nos, ut ad Galatas 4. *misit Deus Filium suum;* sed hæc nullibi habentur ex Scriptura, sive ex Verbo Dei scripto, aut de Spiritu Sancto, sed de solo Filio; imò ex Verbo Dei tradito Ecclesia Catholica semper retinet, & retinuit solum Filium incarnatum esse juxta horum testimoniorum veritatem; ergo &c.

252. Confirmatur. Quando in Scriptura res aliqua summi momenti revelatur, & asseritur secundùm suam constitutionem, dubiúmque insurgit, an ea prædicata constitutiva sint positiva tantùm, an etiam aliorum distinctorum exclusiva; ac proinde quæritur, an revelatio divina implicitè includat alia prædicata, an potiùs excludat, recurrendum est ad Judicem controversiarum infallibiliter proponentem, & applicantem nobis verum sensum Verbi Dei, quod unicè spectat ad Ecclesiæ caput, sive ad Ecclesiam cum suo capite, ut diximus in Tractatu de Fide à num. 400. sic apud ipsos Adversarios illa verba, in quibus revelatur nobis Mysterium Trinitatis Matth. 28. *docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, & Joannis 3. *tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt;* non solùm intelliguntur positivè de Trinitate, verum etiam exclusivè, prout excludunt paternitatem, aut majorem numerum Personarum Divinarum, ut intelligit semper Ecclesia Catholica, & decisum est à Summo controversiarum Judice.

Constat id aperte ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in Can. 2. *in Deo trinitas est solumodo, non quaternitas;* atque ex superiùs allatis Scripturæ testimoniis idem decisum est de Mysterio Incarnationis relatè ad solum Filium, ut constat ex Concilio Lateranensi sub Martino I. Can. 7. *si quis non confitetur propriè, & vere substantialem differentiam naturarum post ineffabilem unionem, ex quibus unus, & solus existit Christus, in eo salvatam, sit condemnatus*, quod repetit Can. 8. & habetur in cap. *firmiter*, de Summa Trinitat. & Fide Catholica in 5. Synodo collat. 8. in Concil Carthaginens. 4. cap. 1. *solus tamen Filius humanitatem suscepit* dicente, & Tolet. 11. iterum id ipsum definit in explicatione hujus Mysterii, quod non minùs constat ex Verbo DEI tradito, quàm constet Mysterium Trinitatis, ut patet ex contextu Sanctorum Patrum apud Eximium Doctorem disp. 12. sect. 2. & ex Felice III. in condemnatione Fullonis, aliis Conciliis, & Patribus apud Bernal disp. 21. sect. 1. ergo &c.

Probatur 3. In Scriptura solus Filius dicitur simpliciter missus in terras, & in terra conversatus, ex Matre natus in tempore, solus ipse dicitur manducàsse, bibisse, & mortem subijsse, aliáque, quæ propria sunt Dei incarnati, nec conveniunt Divinæ Personæ purè apparenti, & per solam puram extrinsecam unionem corpus assumenti; ergo solus Filius inter Personas Divinas incarnatus est; cur autem ille solus, attinet ad secretum consilium Dei, quamquàm non desint nobis aliquæ congruentiæ, quas innuit Augustinus quæst. novissima, & vet. Testament quæst. 113. cujus titulus, cur Filius Dei missus sit, & non alius, ubi ita præfatur; *quamquàm omne, quod facit Deus rationabiliter, & prudenter factum credendum sit, meliùs tamen puto, si post Fidem etiam causa fecti possit adverti, ut, quod creditur, non ignoretur.* Exinde Eximius Doctor disp. 12. sect. 1. plures congruentias congerit, quas hìc subjicio.

Prima congruentia est, ut quantùm fieri potest, idiomata essent similia; ut qui ab æterno erat Filius DEI, fieret in tempore filius hominis, & nomen Filii Patri, aut Spiritui Sancto nullo modo communicaretur; ita Damascenus lib. 4. cap. 4. Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 4. inquiens, si Spiritus Sanctus incarnatus esset, sicut Filius est incarnatus, esset Spiritus Sanctus Filius hominis, essent igitur duo Filii in Trinitate Dei, scilicet Filius Dei, & filius hominis, unde quædam nascerentur dubietatis confusio, cùm de Dei Filio loqueremur. Secunda est, quia Verbum est exemplar, & sapientia, per quam facta sunt omnia, ideóque decuit, ut per eandem sapientiam incarnatam omnia instaurentur, juxta illud Pauli ad Ephesios 1. *instaurare omnia in Christo;* ita Augustinus

ſtinus tract. 17. in Joan. 1. ut naturalis Filius adoptivos Filios honoraret, ſibique faceret ſimiles. Quarta: quia homines perierant cum Adamo appetitu inordinato ſcientiæ ex Dæmonis ſuggeſtione genes. 3. ita ut congruum fuit, ut ſapientia genita Patris injuriam vindicaret; ita Bernar. in ſerm. Domini 1. adventus, quinta: quia Dæmon Primatum petierat, qui Filio debetur; unde decuit, ut per ipſum Filium expugnaretur, ita Auguſtinus ſupra cit. cap. 113. ſexta: quia Filius eſt quaſi Perſona media inter Patrem, & Spiritum Sanctum, quatenus procedit à Patre, & ſimul cum Patre producit Spiritum Sanctum; ideóque decuit ut etiam eſſet mediator inter Deum, & homines. Plures afferunt Richard. de S. Victore lib. de Incar. cap. 9. D. Thom. 3. part. q. 3. art. & lib. 4. contra gentes cap. 42. Alex. Alenſ. 3. part. q. 2. membro 4. & alii Theologi in tertium ſentent. diſt 1. & 5.

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

256. OBjicies 1. contra primam aſſertionem ex Paganis Philoſophis Muro ſectantibus. Solùm poſſumus, & debemus aſſentiri firmiter rebus evidentibus, atqui Myſterium Incarnationis non eſt evidens ergo &c. Confirm. intellectus eſt potentia neceſſaria, ſed potentia neceſſaria non poteſt aſſentiri, niſi neceſſario ex neceſſitate evidentiæ: ergo &c. Reſpondeo: diſt. maj. aſſenſu non requirente imperium voluntatis, omitto, aſſenſu præſupponente imperium voluntatis, nego maj. & conc. min. nego conſeq. Ratio eſt, quia intellectus utpote potentia neceſſaria neceſſitari poteſt non ſolùm ab evidentia rei, ſed etiam ab apparentia evidentiæ, & patet in illis, qui firmiſſimè, & tenaciter ſuis erroribus adhærent, cenſentes, affectiones ſuas non quidem erroneas, ſed veras, & evidentes eſſe; ex quo patet majorem ab Adverſ. aſſumptam eſſe falſam, illa tamen per miſſa de aſſenſu non requirente voluntatis imperium adhuc major illa propoſitio eſt apertiſſimè falſa, ſi loquatur de aſſenſu præſtito impellente voluntatis imperio circa objectum, quòd neque in re, neque in evidentia apparenter proponitur, ſi proponatur cum motivo prudenti ad aſſentiendum, ut patet in aſſertione probabili; vel ſi proponatur cum evidenti obligatione ad aſſentiendum firmiſſimè absque illa formidine, ut patet in actibus Divinæ Fidei, & dicemus num. ſequenti. Ad confirmationem conc. maj. & nego min quia intellectus neceſſariò aſſentitur neceſſitati immediatæ, ſive neceſſitetur ab evidentia objecti, ſive ab imperio voluntatis, cum hoc tamen diſcrimine, quòd, quando requirit libertum voluntatis imperium, actus ille eſt mediate liber, & meritorius in illa pia affectione voluntatis imperante, ut latè diximus in tractatu de fide à num. 570. & hìc breviter explico.

Intellectus enim, circa objecta fidei non requirit evidentiam, ut firmiſſimè, & absque ulla formidine aſſentiatur, ſed requirit ſolùm evidentem obligationem aſſentiendi firmiſſimè, & abſque ulla formidine; hæc autem evidens obligatio oritur ex ſignis credibilitatis noſtræ Fidei indicatis num. 243. quæ talia ſunt, ut nullam prudentem excuſationem homini relinquant, ſi nolit amplecti Fidem, quam tot ſignis contextatam eſſe videt; quando enim aliqua obligatio nobis proponitur, quin ulla appareat ratio prudentis excuſationis eo ipſo manemus evidenter obligati; proindéque ſumus evidenter obligati ad amplectendam Fidem Catholicam, & aſſentiendis articulis Fidei propter verbum Dei; cùmque iſta obligatio exigat circa res Fidei firmiſſimum aſſenſum abſque ulla formidine per ſimplicem adhæſionem ad Verbum Dei, tenetur voluntas imperare intellectui firmiſſimum iſtum aſſenſum, in quo ſtat maximum Fidei meritum, & intellectûs captivitas in obſequium DEI, ita, ut nulla maneat intellectui formido juxta exigentiam verbi Dei digni tali aſſenſu, ſatisque approximati per illam evidentem obligationem. Unde Paul. ad Galat. 1. ait, *licèt nos, aut Angelus de cœlo Evangelizet vobis præterquam quòd Evangelizavimus vobis, Anathema ſit;* notum enim vobis Fratres facio Evangelium, quod Evangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem; *neque ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem IESU Chriſti;* quamobrem Innoc. XI. inter 65. propoſitiones damnavit 21. quæ ſic habebat; *aſſenſus Fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.*

257. Objicies 2. contra ſecundam aſſertionem: Chriſtus Dominus egreſſus eſt de thalamo virginali Matris penetrando, ac inviolatum relinquendo virginalem uterum; egreſſus eſt, ſepulcro penetrando lapidem, & Januas penetrans ingreſſus eſt cœnaculum; ſed hæc probant Chriſti corpus non fuiſſe verum, ſed phantaticum, vel non aſſumpſiſſe integram humanitatem, aut ſolùm retinuiſſe accidentia naturæ humanæ, per tranſubſtantiationem humanitatis in divinitatem: ergo &c. Reſpon. conc. maj. nego min. quia ea omnia facta ſunt miraculosè à Chriſto Domino ad oſtenſionem ſuæ virtutis; corpus autem verum, & integrum divinitus penetrare poteſt, eo modo, quo penetratum eſt in Myſterio Evchariſtiæ; unde ea omnia quàm optimè componuntur cum vero, & integro Chriſti corpore, verâque, & integra humanitate, quam nobis tradunt Scripturæ citatæ; ac proinde licèt Chriſtus non aſſumpſerit ſubſiſtentiam creatam, aſſumpſit tamen omnia prædicata conſtituti-

va naturæ in ratione naturæ; unde Concil. Lateran. sub Martino 1. can. 9. ita definit, si quis non confitetur verè, & propriè naturales proprietates Deitatis Christi, & humanitatis indimminutè in eo, & sine defectione salutatas in affirmationem veracem earundem ipsum DEUM perfectum, & hominem perfectum secundum naturam existere, sit condemnatus.

259. Objicies 3. contra assertionem: ex Erasmo, quando Joannis 1. dicitur verbum esse apud Deum, additur in Græco articulus elevans significationem, ut denotetur significari verus Deus; ac si dicatur latine Verbum erat apud ipsum Deum; deinde verò cum dicitur Deus tollitur articulus; ergo saltem ex hoc textu probari non potest, quòd Christus sit Deus. Resp. conc. ant. nego conseq. quia non semper, ubi est sermo de vero DEO ponitur articulus ille, ut patet inferius in eodem cap. quando dicitur Deum nemo vidit unquam, vel fuit homo missus à Deo, aliisque in locis, ut ad Romanos 9. cùm Christus dicitur Deus, ille articulus additur, quin potiùs in loco citato Joannis convenienter fuit omissa articuli illius repetitio, ne videretur sermo esse de eadem persona, cùm dicitur Verbum esse apud Deum, & cùm dicitur esse Deus; nam in primo loco significatur persona Dei Patris, in secundo verò cùm dicitur Verbum esse Deus, licèt sit sermo de eodem Deo, est tamen de diversa Persona, scilicet de Filio.

260. Objicies 4. si Christus esset *Deus*, & homo esset, ubique maximè, quia id suadere videntur, illa Matth. verba 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*; vel saltem per communicationem idiomatum potest dici, *Christum esse ubique* & *Verbum dici esse mutatũ*, sed hæc falsa sunt: ergo Christus non est verus *Deus*. Respondeo nego maj. quia licèt per communicationem idiomatum aliquæ ex istis loquutionibus admitti possint, ut suo loco dicemus, & explicat Exim. *Doctor*, disp. 32. sect. 9. at quia in hujusmodi loquutionibus est periculum erroris ubiquistarum attribuentium humanitati, quòd in aliquo sensu solùm per communicationem idiomatum dici potest de Christo, & exinde non possunt illæ propositiones absolutè concedi, sed debent distingui, & admitti sensu duntaxat Catholico tollente ambiguitatem juxta modum, quo Sancti Patres loquutiones eas assumunt, ut præcipit. 6. Synodus act. 12. dicens 2. *omnino necesse est non solùm secundùm sensum sequi Sanctorum Patrum dogmata, sed & iisdem vocibus uti cum illis, nihilq; penitùs innovare.* Unde cùm aliud sit loqui de humanitate, aliud de Christo, & aliud de Christo per communicationem idiomatum; ubi nullum est periculum erroris ratione ambiguitatis verborũ, ideò Theologicum est verba ambigua distinguere, & sensum falsum rejicere.

261. Quare, si dicitur, Christus præcisè per communicationem idiomatum est ubique, propositio admiti potest cum sancto Thom. disp. 22. quæst. 1. art. 2. quia ut Christus dicatur esse, ubique per communicationem idiomatum satis est, ut ipsa Persona sit ubique, sicut ut dicatur æternus, satis est, ut ipsa Persona sit æterna; de illa autem propositione, Christus ubique est homo, aliter dicendum est, nam licèt cum expositione declarante adverbium præcisè conjungi cum subjecto admitti possit, ita, ut sensus sit; hoc suppositum, quòd est ubique est homo, at aut rectè ait, D. Thomas absolutè, absque ulla distinctione est falsa, & in rigore prolata est falsa, quia prædicata formaliter tenentur, & ideò illud ubique absolutè prolatum cadit supra humanitatem ipsam, & significat, illam esse ubique, & ubique copulari tali suppositio; hæc etiam est falsa propositio, Christus ab æterno est homo propter eandem rationem, & hæc similiter; anima ubique est, informat manum, & si unus homo esset in pluribus locis, & in eis haberet accidentia diversa, nempe in uno albedinem, in altero nigridinem, falsum esset dicere illum, ubique esse album, & nunc falsum est dicere, Christi corpus ubicunque est extensum, est in ordine, ad locum.

Idcirco communicatio idiomatum non impedit, nec hujusmodi propositiones formales, absolutæ prolatæ falsæ sint, & ne debeant distingui ad investigandam in alio sensu veritatem, idem dicendum est de hac propositione verbum, aut Deus est mutatus, quando Christus mutatus est, nam si accipiatur formaliter, prout significat Deum in se ipso ratione hujus Mysterii mutatum esse falsissima est, licèt possit admitti, cum expositione declarante puram communicationem idiomatum, prout sensus est mutationem factam esse in humanitate jam unita verbo, ad eum modum, quo admittuntur per communicationem idiomatum propositiones: *Deus mortuus, Deus est genitus ex Virgine*, in horum enim admissione non est difficultas, cum earum sensus jam sit ab Ecclesia declaratus, & apud omnes Catholicos usitatus; unde propositiones, quæ ita usitatæ non sunt, si habent aliquem verum sensum per communicationem idiomatum exponendæ priùs sunt, nam ea verba, ut implere omnia, quæ de Christo dicuntur ad Ephes. 4. significant, ut ait Sanctus Thomas, ut suam peregrinationem concluderent, & terminarent juxta illud Christi Luc. 24. *necesse est impleri omnia, quæ Scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis de me, illa autem, data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*; non significant ipsam omnipotentiam DEI, sed quamdam potestatem excelsam in omnes creaturas, quæ non requirit realem præsentiam in iisdem omnibus creaturis, siquidem Christus existens in cælo potest omnibus imperare; verum de his in suis locis.

Obje-

262. Objicies 4. contra quartam conclusionem impossibile est unam personam operari Incarnationem sine alia: ergo nec incarnari sine alia. Confirm. non potest una Persona objectivè terminare visionem claram sui sine aliis, ergo nec potest terminare humanitatem sine alia. Confirm. 2. unio hypostatica est terminata ad Divinam naturam; atqui Divina natura est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ergo unio ad Patrem fuit terminata, Filium, & Spiritum Sanctum. Confirm. 3. Christus Joan. 10. ait *ego, & Pater unum sumus*: ergo si Filius tunc etiam Pater incarnatus est. Hæc sunt fundamenta Hæreticorum admittentium Trinitatem Personarum. Respondeo: conc. ant. nego conseq. quia operari est actio pertinens ad omnipotentiam formaliter ratione sui, cùmque omnipotentia sit toti Trinitati communis, ideo operari Incarnationem est toti Trinitati commune. Unde Concil. Tolet. 6. Dixit; *inseparabilia sunt opera Trinitatis; at incarnari convenit Deo ratione prædicati formaliter ratione sui termini terminantis unionem, nempe ratione filiationis, quod non est prædicatum commune, sed relativum conveniens soli filio, ac proinde vi ejus terminationis non quidem tota Trinitas, sed solus filius est incarnatus.*

263. Ad primam confirmationem omitto antecedens, quod plures Theologi negant: & nego consequentiam, quia ea, quæ inter se habent mutuam habitudinem, majorem inter se connexionem habent in ordine ad claram cognitionem, quàm in ordine ad physicam unionem; sic in creatis relatio accidentalis paternitatis non potest cognosci clarè sine filiatione, & tamen potest realiter uniri subjecto, cui non unitur filiatio; sic etiam scientia non potest clarè cognosci sine objecto scibili, & tamen unitur realiter cum intellectu, cui objectum scibile realiter non unitur; unde licèt una Persona Divina, utpote continens essentialem relationem ad aliam, non potest clarè cognosci sine altera, potest tamen realiter uniri extremo, cui altera Persona realiter non unitur. Dicitur tamen, vi unionis manere Personam non unitam, quasi per circuminsessionem in humanitate unita alteri Personæ; quatenus licèt Deus non esset immensus, adhuc tamen esset, ubi est humanitas illi unita, cùm id exigat divinitas, quæ ratione Personalitatis unitur. Unde Concil. Tolet. 11. in expositione Mysterii Trinitatis, ait: *nec enim Pater absq; Filio cognoscitur, nec sine Patre Filius invenitur; relatio quippe ipsa vocabuli personalis Personas separari vetat.* Ad secundam Confirmationem: dist. majorem, est terminata ad divinam naturam formaliter ratione sui, nego, ratione personalitatis concedo majorem, & minorem, nego conseq. quia ea, quæ conveniunt alicui divinæ Personæ ratione formali solius prædicati relativi, non sunt Trinitati toti communia; sic Filius, quia ratione filiationis dicitur genitus, differt in hoc à Patre, & Spiritu Sancto, neque in hoc cum illis convenit.

264. Ad secundam Confirmationem: concesso antecedenti, nego consequentiam, quia Filius licèt in Deitate sit unus cum Patre, non tamen in personalitate, ratione cujus terminat formaliter unionem; cùm enim unitas, ut notavit quinta Synodus Can. 4. multipliciter intelligi possit, scilicet vel pro unitate aggregationis, sive dignitatis, sive æquivalentiæ; ad eum modum, quo Baptismus fluminis, flaminis, & sanguinis dicuntur unum in ordine ad conferendam gratiam, quod significatum est per illa verba 1. Joan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra Spiritus, aqua, & sanguis & hi tres unum sunt*; at quando sermo de unitate Patris, & Filii in ratione Deitatis non intelligitur, unitas aggregationis, vel unitas æquivalentiæ, sed identitatis quatenus eadem indivisibili natura divina identificatur cum omnibus tribus Personis, scilicet cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Ut ex verbo scripto, & tradito docet nostra Sancta Mater Ecclesia Catholica, & fusè explicatur in Concilio Lateranensi, quòd dicitur maximum sub Innoc. 3. in Can. 2. quare similitudines, quæ ad explicandum hoc Mysterium Trinitatis ex creaturis sumuntur, non possunt illi convenire in omnibus, sed tantùm in aliquibus, ut in eodem citato concilii loco traditur. Reliqua argumenta, quæ à Paganis Hebræis, fieri possunt contra Sanctissimum Mysterium Incarnationis soluta sunt à num. 22. ad 35. & num. 70. usque ad 85.

* * *

DISPUTATIO VII.

AN FUERIT NECESSARIA INCARNATIO AD CONDIGNAM SATISFACTIONEM PRO PECCATO LETHALI.

265. NOmine Incarnationis non intelligitur in præsenti Incarnatio rigorosè, & determinatè sumpta, prout tantùm significat unionem hypostaticam inter Deum, & humanitatem: sed vel formaliter, vel æquivalenter sumpta, prout significat Unionem hypostaticam creaturæ rationalis cùm Deo, sive sit unio humanitatis, sive animæ rationalis, sive Angeli, quæ dici posset Angeli-ratio; siquidem non minùs meritorii essent actus animæ rationalis, aut Angeli

geli hypostaticè uniti Deo, quàm actus hominis, neque est quæstio de satisfactione ex toto rigore justitiæ, de qua postea; neque de remissione liberali Dei; quippe, qui vel per extrinsecâ condonationem, vel per liberalem gratiæ infusionem, vel aliis modis quàm plurimis independenter ab Incarnatione poterat peccatum remittere, ut cum Augustino aliisque Patribus diximus, à num. 98. quæstio igitur est an purus homo, sive purus Angelus non quidem purus, quia destitutus donis supernis, sed quia pura creatura, & independenter ab unione hypostatica cum Deo, si instrueretur abundanti gratia habituali, posset condignè satisfacere pro peccato lethali, vel an ad hanc condignam satisfactionem fuerit necessaria Incarnatio?

SECTIO I.

Utrum pura creatura possit condignè satisfacere pro peccato lethali?

267. SUppono 1. satisfactionem condignam in eo distingui à congrua, quòd congrua non est æqualis cum offensa, licèt ea posita deceat summè bonum, & liberalem Deum injuriam, & offensam condonare; condigna verò est æqualis offensæ, id est tanta in ratione satisfactionis, quanta sit offensa in ratione offensæ: offensa autem alteri illata potest accipi duplicitet 1. quidem latè pro quocunque damno alteri illato, sive in bonis realibus, ut fortunæ, quando nempe peccunia accipitur invito Domino, sive in bonis personalibus, ut famæ, quando scit, detrahitur alteri de bono nomine, & fama. 2. strictè pro injuria in bonis honoris, ut quando aliquis inhonoratur, & contemnitur; in eo quippe differt diffamatio ab inhonoratione, quòd fama est bona opinio unius apud alios comparata, ut virtutis, sapientiæ, egregiorúmque facinorum; unde diffamatio stat in detractione, & læsione hujus bonæ opinionis. Honor verò est exhibitio reverentiæ, vel protestatio, & testimonium præeminentis, & excellentiæ alterius; unde inhonoratio stat in ratione, qua quis irreverenter se gerit erga aliquem, & ei detrahit lædendo ejus dignitatem, & auferendo testimonium opinionis interiùs conceptæ de ipsius dignitate, & excellentia, quæ dignitas moraliter saltem residet in ipso inhonorato.

268. Suppono 2. mortale peccatum continere inhonorationem Dei; primò, quia Deus spretus dicitur à creatura propter peccatum lethale, ut Isaiæ 1. Filios enutrivi, & exaltavi; illi autem spreverunt me, & ad Hebræos 10. Deus dicitur conculcari in peccatoribus; quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit? Secundò per quodcunque peccatum mortale vilipenditur, & irreverenter tractatur excellentia, & dignitas Dei præsentis, quòd certè continet rigorosam inhonorationem; etenim ille, qui peccatum lethale comittit Deo præsente anteponit voluntati divinæ voluntatem creatam, seque avertit à Deo, ejusque amicitia, ut se convertat ad creaturas; unde hæc omnia saltem virtualiter, & interpretativè vult; sicut qui comedit die veneris carnes, quas advertit sibi prohibitas, vult interpretativè transgressionem præcepti; unde qui ita se avertit à Deo, vilipendit & irreverenter tractat dignitatem, & excellentiam Dei præsentis.

Quod etiam explicatur facilè paritate desumpta ab humanis; si enim Rex, aut Imperator aliquis præciperet actionem aliquam vasallo suo, eique suam amicitiam, magnáque præmia, si eam exequeretur; sin autem magna supplicia cum ipsius inimicitia, procul dubio vasallus si inconspectu Regis audacter præceptum frangeret, apud omnes prudentes censeretur maximam irrogâsse legi inhortationem; sic etiam Deus supremus omnium Rex, & Imperator imponens creaturis suis præcepta gravia, si ea impleant, offert illis magna præmia, inter quæ creaturam, gloriam, & se ipsum ab eis possidendum, sin autem convincatur magna supplicia cum ipsius inimicitia, & indignatione; unde qui in conspectu Dei, qui ubique est, audet frangere præceptum, sanè apud omnes prudentes censebitur Deum inhonorare.

Suppono 3. Magnum quoque esse discrimen inter offensam latè sumptam pro jactura in bonis, sive realibus, sive fortunæ, & inter offensam strictè sumptam pro inhonoratione; nam offensa latè sumpta non crescit ex dignitate personæ offensæ, & in dignitate offendentis; non enim est major offensa contra justitiam furari 100. à Rege, quàm à plebejo: ideóque ad justam compensationem tam sufficit restituere 100. Regi, quàm plebejo, idem esto de pura læsione in bonis famæ; nam cæteris paribus tanta est injuria infamare plebejum de symoniaca vindicatione beneficii, ante duas Personas, quàm Regem; ideóque non deberetur uni major satisfactio, quàm alteri: quamquam enim offensa aliquando componatur ex lata, & stricta, ut rapina, in qua ob violentiam illatam præsenti Domino miscetur inhonoratio, & contemptus, at ista non est pura offensa lata, de qua loquimur.

Offensa verò stricta continet inhonorationem, & contemptum: ideóque crescit proportionate ex dignitate Personæ offensæ, & ex vilitate offendentis; ita, ut quo dignior est Persona offensa, & vilior offendens, eo gravior sit injuria, & offensa; ratio hujus discriminis est, quia offensa in bonis realibus solùm attingit immediatè bona realia, quæ tollit; & offensa in bonis famæ solùm attingit immediatè opinionem hominum, quam enervat, quæ cùm non subjecterur moraliter in Persona offensa, exinde talis injuria non attingit directè Personam dignam, ac proinde non

non crescit ex parte dignitatis talis personæ: at verò cùm honor feratur ad ipsam personam dignam ratione dignitatis, quæ in ea persona residet, offensa inhonorationis immediatè attingit personam dignam, quæ inhonoratur ab offendente, ideóque crescit ex parte illius dignitatis offensæ; idcirco Theologi distinguunt in actibus inhonorationis rationem malitiæ, & rationem offensæ. Malitia vocatur actio prava identificata cum actu humano finito, & limitato, quæ non crescit ratione personæ, contra quam fit; offensa verò geometricè crescit ex proportione dignitatis personæ offensæ, & vilitatis personæ offendentis; unde quicunque actus pravus continet rationem malitiæ, licèt non contineat contra homines rationē offensæ.

272. Quidquid tamen sit de ratione à priori inter malitiam, & offensam, certum omnino est, & ipso lumine naturæ notum, offensam aliquo modo crescere ex dignitate personæ offensæ, & indignitate offendentis. Quis enim dubitat, majorem esse offensam, si plebejus alapâ percutiat Regem, quàm si Rex percutiat plebejum, vel alium Regem? Idcirco Aristoteles lib. 5. Ethicor. cap. 5. dixit: *si is, qui Magistratum quærit, alium percutit, non est repercutiendus: at si quis Magistratum percusserit, non solùm repercutiendus est, sed etiam supplicio afficiendus*; & consonat Div. Thomas 3. part. quæst. 1. art. 2. ad 2. ubi ait: *peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate divinæ majestatis; tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur*; unde obsequium è contra decrescit ex magnitudine Personæ, cui offertur, & ex vilitate offerentis, aut se humiliantis obsequendo, quia obsequium personæ vilis respectu supremæ parùm est, licèt obsequium personæ supremæ respectu vilis magnum sit; unde minùs est, si genu flexo Regem salutet, quàm quòd Rex genu flexo salutet subditum, vel alium Regem.

273. Suppono 4. Res ordinis eminentioris quantumvis finitas, ita superare alias lineæ inferioris, ut quantùm ad hoc nulla earum multiplicatione possint adhuc moraliter æquari; sic in moralibus infinita peccata venialia non efficerent unum mortale, nec infinita opera purè naturalia mererentur de condigno, quod meretur unus solus actus supernus: atque in physicis infiniti lapides non æquabunt unius Angeli perfectionem, & dignitatem. Ratio est, quia multiplicitas non auget dignitatem, sed numerum intra eandem lineam dignitatis; cúmque supremum infimi non possit accedere ad infimum supremi, sicut supremum equorum non potest accedere ad infimum hominum, ea de causa res ordinis inferioris quantumcunque multiplicatæ non possunt æquare in æstimatione morali rem ullam ordinis superioris.

274. Quamobrem, quando ab hominibus instituuntur aliquæ æquales commutationes, nequaquam attenditur ad æqualitatem dignitatis rerum, quæ commutantur, ut lineæ inadæquabiles adæquentur, quod est impossibile, sed attenditur ad commodum, quod afferri potest hominibus ratione ipsarum, vel ad incommodum, & difficultatem, quæ requiritur ad acquirendam hanc rem, vel illam, quod ad eandem lineam pertinet. Sic quando venditur servus pro pecuniis, videlicet pro 100. scutis, nequaquam intendunt homines decernere, quòd illa 100. scuta habeant eandem dignitatem, quam habet homo, sed tantùm censent, quòd possint afferre homini tantum commodum, quantum posset afferre servitiū unius hominis. Pariter quando decernitur, triginta Julios argenteos æquivalere duploni aureo, nequaquam intenditur, quòd perfectio argenti sit æqualis perfectioni aurei, sed quòd non minùs laboris, aut quid simile requiratur in fodinis ad obtinendū triginta Julios, quàm ad obtinendum unum duplonem, & sic de aliis, quæ in commercio humano decerni solent; atque in eodem sensu sæpe apud homines ad compensandas ex pacto eorum actiones attenditur ad pretium, & commodum, quod alteri intendit; non verò obsequium, quod non intendit. His positis

Prima sententia docet, non esse necessariam 275.
Incarnationem ad condignam satisfactionem pro peccato lethali. Ita Scotus, Paludanus, Richardus, & alii; nec multùm differt ab hac opinione Castillo, qui Tom. 1. disp. 2. quæst. 2. docet, puram creaturam posse condignè satisfacere pro peccato lethali alieno, quamvis non possit satisfacere pro proprio. Secunda sententia docet, Incarnationem esse simpliciter necessariam ad condignè satisfaciendū pro peccato lethali, quatenus Incarnatio significat Unionem hypostaticam creaturæ rationalis cum Deo, & quatenus creatura nequit satisfacere de condigno pro peccato lethali. Ita Div. Thomas 3. part. quæst. 1. art. 2. Bonaventura, & ferè omnes Thomistæ, & nostri cum Eximio Doctore disp. 4. sect. 8. & Vasquez disp. 2. c. 2.

Assero cum secunda sententia: nulla pura 276.
creatura potest condignè DEO satisfacere pro offensa lethali, proindéque ad hanc condignam satisfactionem necessarium est, quòd Deus hypostaticè unitus creaturæ rationali satisfaciat. Probatur 1. Sancti Patres constanter docent, non posse puram creaturam condignè satisfacere pro peccato lethali, atque ad istam satisfactionem necessariam fuisse Incarnationem in sensu explicato num. 266. ergo &c. Probatur ant. ex S. Leone Papa Serm. 1. de Nativitat. *nisi esset verus DEUS, non afferret remedium; nisi esset verus homo, non præberet exemplum*; & Serm. 12. de Pass. *quia ergo primi hominis universa posteritas uno simul vulnere sauciata corruerat, nec ulla Sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis evincere, venit è Cœlo Medicus singularis.* Sic etiam loquitur Adrianus I. Papa in Epist. ad Episcopos Hispaniæ: *sicut peccatum non tolleret, si ipse peccatum haberet, ita adoptionis gratiam non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit, necessarium eguerit*

Euerit, ut gratiam adoptionis acciperet; Augustinus in Enchyrydio cap. 108. *neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei, & hominum Christum JESUM, nisi esset Deus;* Cyrillus, Alexandrinus in Concilio Ephesino Tom. 6. cap. 1. Epist. 1. *quomodo vulgaris, nobisque similis sanguis orbis pretium exæquare posset?* & cap. 16. *quo pacto unus pro omnibus mortuus, justum pro omnibus pretium exsolvere potuit, si perpessionem illam puri cujuspiam hominis esse dicemus?* Basilius in Psalm. 48. *Frater non redimit, redimet homo:* ubi ait, *redimet homo, non homo nudus, sed homo Deus Christus JESUS; quia nullus alius condignum poterat afferre pretium;* idémque docent plurimi alii Patres, quos afferunt Eximius Doctor, & Vasquez locis supracitatis: ergo &c.

277. Confirmatur, & præoccupatur Adversariorum responsiones: hæc Patrum testimonia non possunt intelligi de satisfactione exhibita à pura creatura donò gratiæ destitura, cùm Patres expresè dicant, non posse aliquem condignè satisfacere pro lethali, quin sit DEUS: pura autem creatura, licèt haberet intensam gratiam sanctificantem, non ideo esset Deus, nec intelligi possunt de sola satisfactione superabundanti, quam DEO homini concedunt, ita ut concedant creaturæ satisfactionem æqualem offensæ, licèt non superabundantem; nam Patres expresè loquuntur de satisfactione condigna, ut constat ex Basilio citato, & loquuntur etiam expresè de satisfactione, qua nos indigebamus, ut ex adductis testimoniis planum fit: nos autem non indigebamus superabundanti, cùm satis nobis fuisset æqualis satisfactio pro offensa lethali; neque intelligi possunt de æqualitate ex rigore justitiæ commutativæ: nam Patres contendunt, ex vi hujus satisfactionis contra Hæreticos, Christum esse Deum, si autem loquerentur de satisfactione ex rigore justitiæ commutativæ inefficaciter contra illos arguerent, cùm possent Hæretici se protegere sententia satis communi inter Theologos, & quidē vera negante, Christum satisfeciſse ex rigore justitiæ commutativæ, licèt superabundanter satisfecerit: ergo testimonia Patrum non possunt aliter intelligi, nisi quatenus nulla pura creatura potest condignè satisfacere Deo pro offensa lethali.

278. *Probatur* 2. conclusio ratione Eximii Doctoris, satisque communi inter Theologos: satisfactio condigna illa est, quæ ita apud *Prudentes* est æqualis offensæ, ut nequeat rationabiliter offensus ad æqualitatem cum offensa exigere ulteriorem satisfactionem: sed pura creatura nequit reddere Deo hujusmodi satisfactionem pro peccato lethali; ergo &c. *Probatur* min. ut satisfactio talis sit, debet esse tam æstimabilis in ratione obsequii, quanta est offensa in ratione offensæ; sed pura creatura nequit reddere Deo talem satisfactionem pro peccato lethali: ergo &c. *Probatur* min. Obsequium, utpote ab illa creatura exhibitum DEO summæ dignitatis, & excellentiæ, decrescit ex parte creaturæ ratione suæ utilitatis, & decrescit etiam ratione excellentiæ DEI in ratione obsequii ipsi Deo præstiti, quantùm ex iisdem capitibus crescit offensa in ratione offensæ, ut constat à num. 272. sed obsequium, quod decrescit in ratione obsequii ex iisdem capitibus, ex quibus crescit offensa in ratione offensæ, nequit esse tanta in ratione offensæ, quanta est offensa in ratione offensæ: ergo &c.

Confirmatur. Offensa lethalis illata DEO à creatura nequit compensari per obsequia infinita exhibita ab infinitis puris creaturis, licèt fingantur infinitæ Sanctæ; ergo &c. *Probatur* antec. Infinita obsequia exhibita à puris creaturis infinitè Sanctis, tanquam nihil sunt in ratione obsequii respectu Dei, utpote exhibita à vilissimis personis relatè ad personam summæ dignitatis, & excellentiæ; & è contra offensa, quia facta est à vilissimis personis relatè ad DEUM contra personam supremæ excellentiæ, & dignitatis non sunt tanquam nihil, sed tanquam maximum respectu *Dei* in ratione offensæ; atqui, quod est maximum respectu Dei in ratione offensæ, nequit condignè compensari per id, quod est tanquam nihil respectu Dei in ratione obsequii: ergo &c.

Probatur 3. Offensa gravis illata Deo à creatura, major est, quàm offensa illata creaturæ ab altera creatura, & è contra obsequium factum *Deo* à pura creatura quantavis Sanctitate pollente minùs est, quàm si fieret à creatura alteri creaturæ: sed offensa major quacunque offensa facta creaturæ nequit condignè compensari per obsequium minus quocunque obsequio facto puræ creaturæ: ergo nulla pura creatura potest condignè satisfacere *Deo* pro offensa lethali. *Patet* consequentia; quia tantùm distant duo inter se, quantùm distant à tertio: atqui offensa, & obsequium factum *Deo* penes magis, & minùs summè distant à tertio, nempe ab obsequio, & offensa facta puræ creaturæ: ergo penes magis, & minus summè distant inter se: ac proinde offensa contra DEUM nequit compensari per obsequium puræ creaturæ. Confirmatur ex Exim. Doctore disp. 4. sect. 9. Nulla, quantumvis infinita multiplicatio actuum purè naturalium potest in vi meritoria æquivalere uni actui supernaturali finito, ut ex Fide constat: ergo neque obsequia puræ creaturæ facta DEO possunt in vi satisfactoria condigna æquivalere demerito unius duntaxat offensæ lethalis contra *Deum*. *Probatur* consequentia; quia juxta *Prudentum* judicium inhonoratio *Dei* non minùs excedit obsequium puræ creaturæ, quàm actus supernus excedat naturalem: ergo &c. Abstineo à probationibus, quas adducunt Lodoi, Gonnet, & Contenson fundatas in magnitudine offensæ simpliciter infinitæ; nam ut infrà videbimus, non est infinita simpliciter, licèt secundùm quid.

SE-

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

281. OBjicies 1. Bonitas meritorum major est, quàm malitia peccatorum lethalium: ergo peccatum lethale potest compensari superabundanter per merita puræ creaturæ. *Probatur* antec. Sicut se habet præmium ad pœnam, ita se habet meritum ad peccatum, seu demeritum; sed bonitas præmii est major, quàm malitia pœnæ: ergo etiam bonitas meritorum est major, quàm malitia peccatorum, ac proinde superabundanter compensabitur per merita. Maj. & consequentia tenent; minor probatur; quia in præmium datur ipse DEUS, qui melior est, quàm mala sit qualitas pœnæ; ergo &c. Resp. 1. nego antec. ad probationem nego maj. quia præmium est finis meritorum intentus à Deo, & à merente; cúmque finis prudenter decernatur à Deo melior mediis, ideo est major bonitas præmii, quàm meritorum, quæ media sunt: sic abscissio brachii, quæ est medium ad conservandam vitam, prudenter decernitur, quia brachium est minus bonum, quàm vita, quæ finis est illius abscissionis, ideóque ablatio vitæ imprudenter decerneretur ad conservandum brachium; at verò pœna non est finis demeritorum, sed est medium à DEO positum, ut homines avertantur à peccatis, quæ quidem aversio est finis intentus per illa media; cùmque finis debeat esse nobilior mediis, sive æstimabilior; exinde pœna non potest prudenter decerni tanta, quanta est malitia peccati. Idcirco Beati, cùm habeant gaudium de bono infinito intuitivè viso, & possesso, habent majus præmium, quàm damnati habeant pœnam; nam isti non habent tristitiam ortam ex cognitione intuitiva, sed abstractiva summi boni, quo privantur, & tristitia orta ex cognitione abstractiva summi boni non est tanta, quantum est gaudium ortum ex cognitione intuitiva summi boni.

282. Resp. 2. ex communi sententia, dist. antec. sumpta bonitate, & malitia objectivè solùm, permitto; objectivè, & affectivè, nego antec. Ad probationem dist. maj. sumptis objectivè solùm, permitto; objectivè, & affectivè, nego maj. & distincta min. nego consequentiam, cujus probatio nulla est; quia si per meritum obtineretur DEUS aliquo modo fruendus, per peccatum amittitur ipse Deus cum omni fruitione, & possessione ipsius: idcirco in peccato, & merito duo considerare debemus, nempe objectum, & affectum; alapa enim, qua plebejus percutitur à plebejo, objectivè in æstimatione morali eadem est cum alapa, qua Rex percutitur à plebejo, sed affectivè valde distant; nam illa percussio ita afficit plebejum, ut parum illum inhonoret; Regem verò plurimùm, quia ex num. 272. inhonoratio illa crescit ex magnitudine personæ inhonoratæ, & vilitate inhonorantis: sic in merito considerandæ est objectiva entitas meriti, & affectio honorationis, sed illa honoratio decrescit ex magnitudine personæ honoratæ, & vilitate honorantis; unde licèt meritum, & demeritum æqualia essent objectivè, essent affectivè inæqualissima, ideóque nullo modo posset unum compensari per aliud, cùm inhonoratio unius incompensabilis esset per honorationem alterius.

283. Objicies 2. Pura creatura eliciens dilectionem Dei super omnia tantum Deo reddit, quantum abstulit per peccatum lethale: ergo condignè satisfacit pro peccato lethali. *Probatur* antec. Dilectio Dei super omnia anteponit Deum omnibus rebus, convertítque perfectè creaturam ad Deum ultimũ finem supernaturalem: sed hoc abstulerat creatura à DEO per peccatum: ergo &c. Respondeo dist. antec. tantum Deo reddit objectivè solùm, conc. objectivè, & affectivè, nego antec. ad probationem conc. maj. & dist. min. hoc solùm abstulerat à Deo ablatione objectivè tantùm considerata, nego, considerata objectivè, & affectivè, conc. min. & nego consequentiam; quia per quodlibet peccatum mortale inhonoratur Deus, ut constat ex dictis, quæ inhonoratio est quid maximum respectu Dei: at verò licèt per dilectionem Dei honoretur Deus, illa tamen honoratio est quid minimum respectu Dei, ut constat à num. 279. Unde nequit unum per alterum compensari.

284. Objicies 3. Qui præstat id, per quod extinguit debitum, omnino satisfacit; cùm repugnet, supereſſe aliud, per quod ulterius satisfaciat: sed id præstat dilectio Dei super omnia elicita à pura creatura: ergo &c. Probatur min. Talis dilectio est incomponibilis cum odio, ira, & jure offensi ad vindictam, quod erat debitum peccati: ergo pura creatura eliciens dilectionem Dei super omnia, præstat id, per quod extinguit omnino debitum peccati: nam Deus ex Proverb. 68. diligentes se diligit, & amor Dei nequit componi cum ira, & odio, & jure Dei ad vindictam: ergo &c. Respondeo 1. dist. maj. si id conveniat obsequio præstito ex magnitudine suæ bonitatis, & justæ æstimabilitatis, conc. si id conveniat illi ex conditione tollente justam, & æqualem æstimabilitatem, nego maj. & distincta min. nego consequentiam: idémque dicendum ad probationes.

285. Ratio est, quia, ut bene probat Esparza q. 8. de virtutibus Theologicis, dilectio DEI super omnia solùm extinguit debitum acquisitum per peccatum lethale ex gratiosa promissione, & insinuatione Dei offensi invitantis ad mutuam redamationem, & ex connexione intentionali obsequii cum ea promissione, insinuatione, ac invitatione Dei, quod tantùm probat illud objectum Scripturæ testimonium. Quòd autem Deus cedat juri ad vindictam ratione contritionis, non quidem eò, quòd illa sit

tantæ magnitudinis, quàm debitum; sed quia Deus gratiosè vult illâ contentus esse: conditio est, quæ tollit dilectioni Dei æqualem æstimabilitatem cum magnitudine lethalis offensæ, quæ Esparzæ doctrina satis nota est ex dictis à num. 272. Respondeo 2. negando assumptum argumenti; quia licèt pura creatura posset elicere contritionem, & gratiam inducere, si hæc possit esse, quin denominet objectum Sanctum, non potest facere, ut denominetur Sanctum, si Deus non cedat juri offensi, quia in se haberet subjectum in eo casu ad talem denominationem resistentiam prævalentem, & provenientem ab inhonoratione: ad eum modum, quo gratia habitualis non reddit Christum Filium DEI adoptivum; quia invenit resistentiam prævalentem ratione Filiationis naturalis, ut dixi à n. 39. de grat. sanctific. & infrà dicemus à n. 291.

286. Objicies 4. Dilectio Dei super omnia crescit ex magnitudine objecti infiniti, sicut crescit offensa ex DEO offenso: ergo offensa Dei condignè compensatur per talem dilectionem. Probatur antec. Ideo actus charitatis est perfectior actu cujusvis alterius virtutis, quia habet pro objecto ipsum Deum perfectissimo modo attactum, modo, quo offensa est major reliquis malis; quia habet pro objecto ipsum Deum vilissimo modo inhonoratum: ergo &c. Respondeo dist. antec. crescit in linea meriti, & obsequii, sicut offensa in linea offensæ, conc. crescit æquando magnitudinem suæ lineæ cum magnitudine lineæ offensæ, nego antec. ad probationem dist. eodem modo secundam partem antecedentis, & nego conseq. quia incrementum actûs dilectionis Dei, & incrementum offensæ manet in linea inhonorationis divinæ, quæ ex dictis num. 272. & 279. inæqualissimæ sunt. Sic licèt formica in sua linea crescit, sicut in sua linea crescit elephas, nunquam tamen poterit adæquare magnitudinem suæ lineæ cum magnitudine lineæ elephantis.

287. Objicies 5. Peccatum non crescit per inhonorationem Dei: ergo condignè potest per dilectionem Dei compensari. Prob. ant. Transgressio præceptorum Dei non est contra honorē Dei; ergo &c. Prob. ant. Transgressio legis, quæ non fertur in favorē Legislatoris, ejúsq; authoritatis, & dignitatis, sed tendit ad bonū cōmune subditorū, non est contra honorem Legislatoris, nec Principes ulciscuntur ejusmodi transgressiones tanquā sibi injuriosas, nec earum pœnā propria dignitate metiuntur: atqui leges Dei non respiciunt bonum divinum, sed nostrum: ergo &c. Probatur min. Transgressio legis, quæ non potest minuere dignitatem, & authoritatem, non est contra legem respicientem bonum Principis, sed subditorum; atqui transgressio legis divinæ nequit minuere authoritatem, & honorem Dei ex illo Jobi 33. dicentis peccatori: *si peccaveris, quid ei nocebis, & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum*: ergo &c. Hoc argumentum hæresin sapere videtur; quia vel nihil probat, vel probat, nullum peccatum esse directè contra Deum. Quare

Resp. nego antec. ad probationem nego ant. ad probat. dist. maj. non est contra honorem Legislatoris, si ea transgressio fiat præsente ipso Legislatore, qui comminatus fuerat transgressoribus justum jus ad eorum inimicitiam, indignationem, & odium, aliásque gravissimas pœnas, nego, si nihil eorum comminatus fuerit, conc. maj. & distincta pariter minore, nego consequentiam. Ad probationem dist. maj. quæ non potest minuere duntaxat, nego, quæ non potest neque minuere, neque contemnere, conc. maj. & distincta pariter minore, nego consequentiam. Ratio est, quia transgressio divinæ legis in illis circumstantiis, licèt dignitatem Dei non minuat, nihilominus præsente Deo eam contemnit, quod satis est ad veram Dei inhonorationem, ut constat à num. 268. Unde licèt lex illa non possit dici, quòd respiciat bonum aliquod intrinsecum, quod Deus sibi quærat, aut malum intrinsecum, quod sibi fugiat, dici tamen debet, quòd respiciat bonum Dei intrinsecum, quo Deus ipse gaudet, cùm respiciat suam divinam majestatem, quam non vult à peccatore contemni; quod ad rem nostram satis, supérque est.

Objic. 6. Major est complacentia Dei in bonis justorum operibus, quàm displicentia in peccatis: sed qui obsequendo exhibet majorem complacentiæ materiam, quàm exhibuit displicentiæ peccando, superabundanter satisfacit: ergo &c. Major probatur. Gloria, quæ sequitur ex illa complacentia, est major, quàm pœna, quæ ex illa displicentia subsequitur: ergo complacentia in bono major erat, quàm displicentia in malo, Resp. nego majorem, ad probationem conc. antec. & nego consequentiam; quia complacentia ad conferendam gloriam respicit gloriam, ut finem bonorum operum, & & bona opera respicit, ut medium ad talem finem; cúmque finis sit nobilior mediis ex suis intrinsecis ad illum destinatis, ex ea complacentia subsequitur gloria, quæ melior est illis operibus. at displicentia de peccato, ex qua infertur pœna, non respicit pœnam, ut finem peccatorum, sed ut medium, quod destinatum erat ad fugienda peccata; cúmque medium non debeat esse nobilius fine, ut constat ex n. 288. sed longè minùs; exinde licèt displicentia de peccato sit longè major, quàm complacentia de bonis justorum operibus, nihilominus ex complacentia minori de bonis operibus sequitur gloria major, & ex displicentia majori de peccato subsequitur pœna major.

Objicies 7. instando simul solutionem: tantùm placet Deo sola dilectio præcepta in genere moris, quantùm displicet omissio peccaminosa: ergo &c. Probatur antec. Deum displicere in ea omissione, est nolle eam omissionem existere; sed nolle, quòd existat ea omissio, est velle, quòd existat dilectio: ergo quantùm vult, quòd non existat omissio, tantùm

tùm vult, quòd exiſtat dilectio, ac proinde tantùm complacet in una, quantùm in alia diſplicet. Reſp. nego ant. quia dilectio placet ut meritoria, & obſequioſa; omiſſio verò, ut graviter peccaminoſa, & inhonorativa, & cùm ſit major inhonoratio, quàm obſequium, nequit complacere in una, quantùm diſplicet in alia. Ad probationem diſt. maj. eſt nolle juxta magnitudinem ſuæ lineæ, conc. alterius lineæ, nego maj. & diſtincta pariter min. nego conſeq. quia licèt in illis circumſtantiis nolle omiſſionem dilectionis, ſit nolle peccatum, & inhonorationem Dei, ſimúlque ſit velle dilectionem, & honorationem divinàm; at ille actus divinus prout tendit ad inhonorationem, reſpicit lineam ſuperiorem, quæ creſcit ex ipſa Dei magnitudine, & prout tendit ad honorationem, reſpicit lineam inferiorem, quæ ex ipſa Dei magnitudine decreſcit, in quo ſtat maximum diſcrimen inter obſequium, & offenſam DEI, ut conſtat ex num. 272.

291. Objicies 8. Qui poteſt mereri, quod eſt majus, poteſt mereri, quod eſt minus: ſed purus homo poteſt ſuis operibus mereri gloriam, quæ eſt quid majus, quàm remiſſio peccati: ergo &c. Reſpondeo diſt. maj. ſi nihil ſit, quod reſiſtat ad merendum minus, conc. ſi ſit aliquid, quod fortiùs reſiſtat, nego maj. & diſtincta eodem modo ſecunda parte min. nego conſequentiam; quia ad merendam gloriam nihil eſt, quod fortiùs reſiſtat operibus juſti; at verò ad merendam remiſſionem peccati reſiſtit inhonoratio Dei à pura creatura incompenſabilis. Sic in phyſicis ignis in ceram poteſt inducere quintum gradum mollitudinis, quin poſſit unicum inducere in adamantem; & in moralibus, ſi Joannes ſit amiciſſimus Petri habentis pinguẽ hæreditatem, & inimiciſſimus Pauli habentis hæreditatem exiguam; Petrus autem, & Paulus velint adoptare aliquẽ in filium, Joannes mereri poterit adoptionem Petri, & hæreditatẽ, quod eſt majus, quin mereatur adoptionem, & hæreditatem Pauli, quod eſt minus; quia ad unum, non ad aliud invenit, quod fortiùs reſiſtat. Unde argumentum nullius eſt roboris: quin potiùs falſum eſt, quod aſſumit, nempe quòd beatitudo formalis ſit melior, quàm malum ſit peccatum; oppoſitum enim conſtat ex dictis, & docent communiter Theologi cum Div. Thom. in quæſt. diſputat. quæſt. 1. de malo art. 5. in 2. ſentent. diſtinct. 37. quæſt. 3. art. 2. tum etiam 2. 2. quæſt. 19. art. 1. quæſt. 3. art. 1. quæſt. 96. art. 4. & 1. part. quæſt. 48. art. 6.

292. Objicies 9. Qui facit, quantum poteſt, cùm ad nihil ampliùs teneatur, ſatisfacit ad æqualitatem: ergo pura creatura ſatisfaciendo, quantum poteſt, ſatisfacit condignè pro quovis lethali. Confirmatur. Non minùs debetur Deo gratiarum actio pro beneficiis acceptis, ac debeatur Deo ſatisfactio pro peccatis: ſed licèt pura creatura nihil poſſet æquale reponere pro beneficiis Dei, ſatisfacit condignè obligationi gratiarum actionis, gratias agendo, quantas poteſt; nam ut ait Philoſophus, qui, quantum poteſt, obſequitur, bonus, & juſtus eſſe videtur: ergo &c. Reſpondeo diſt. ant. ſatisfacit ad æqualitatem pro obligatione faciendi, omitto, pro obligatione patiendi, nego antec. & conſequentiam; quia licèt delinquens non poſſit condignè ſatisfacere pro offenſa, tenetur ad patiendum, quantum reſponder debito contracto per delictum, licèt non teneretur ad ulterius patiendum. Dixi *omitto antec.* quia cùm non extinguatur jus creditoris, manet debitor obnoxius ad alia facienda, quoties poſſit, ut diximus à num. 533. de juſtitia, & jure. Ad primam Confirmationem nego conſequentiam, quia per beneficia non contrahitur debitum ad patiendum, ſed ad agendum, ut conſtat ex natura beneficii; at per peccatum non ſolùm contrahitur debitum ad agendum, ſed etiam ad patiendum, ideóque, qui facit, quantùm poteſt, ſatisfaciet condignè obligationi gratiarum actionis, licèt non ſatisfaciat condignè obligationi contractæ per offenſam.

Objicies 10. Deus, qui eſt eſſentia bonitatis non dedit creaturæ majorem poteſtatem ad malum, quàm ad bonum, & conſtat ex 18. Ezechielis à verſiculo 23. usque ad 21. ſed dedit ei poteſtatem per peccatum amittendi gratiam: ergo dedit etiam illi poteſtatem recuperandi gratiam per condignam ſatisfactionem. Confirmatur: in ſtatu puræ naturæ poterat homo peccare; ſed tunc non eſſet deterior conditio hominis ad bonum, quàm ad malum: ergo poteſt per converſionem condignè ſatisfacere pro peccato. Retorqueo argumentum, Deus non dedit min. poteſtatem homini ad bonum, quàm ad malum; atqui dedit ei poteſtatem, ut ſi præcipitetur è turri, vitam amittat: ergo dedit etiam illi poteſtatem, ut vitam amiſſam recuperet. Reſpondebis æqualem poteſtatem non ſtare in eo, quòd reſtaurare poſſit vitam amiſſam, ſed in eo, quòd liberè poſſit ſe præcipitare, vel non; aliter non eſſet poteſtas ejus naturæ proportionata. Idem ego reſpondeo & diſt. maj. poteſtatem ad malum, quàm ad bonum, quatenus per id ſignificatur dediſſe, illi libertate ad utrumque conc. quatenus per id ſignificatur dediſſe illi poteſtatem ad plenè ſatisfaciendum pro peccato, ſi ſemel peccaverit, nego maj. & diſt. min. dedit ei poteſtatem ſolùm ad amittendam grátiam nego, ad amittendam, & ad non amittendam conc. min. & nego conſeq. ut conſtat ex dictis. Ad Confirmationem diſtinctis eodem modo præmiſſis nego conſeq. propter eandem rationem ſupra datam, quæ valdè corroboratur ex illo Oſeæ 13. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* 293.

Objicies 11. Peccatum veniale eſt contra DEUM; atqui poteſt pura creatura pro illo condigne ſatisfacere: ergo etiam pro lethali. Confirmatur fortior eſt in voluntate virtus 294.

virtus ad bonum, quàm malum: ergo &c. Probatur antec. natura voluntatis imitatur naturam intellectûs: atqui in intellectu fortior est virtus ad actus rectos, per quos immobiliter adhæret objecto, quàm ad actus irrectos, per quos non adhæret immobiliter: ergo etiam in voluntate. Respondeo dist. maj. est contra Deum, ut offensa propria Dei, nego, ut impropria conc. maj. & concessa min. nego conseq. quia veniale propriè tantùm opponitur honestæ prosecutioni alicujus medii ordinabilis ad Deum retenta adhæsione ad DEUM, ut ultimum finem, nec per ipsum amittitur gratia Dei, & id, per quod offensi gratia non amittitur, non est propriè, sed impropriè offensa; secus autem evenit in lethali; unde licèt pura creatura possit satisfacere pro veniali, malè exinde infertur, quòd possit satisfacere pro lethali.

295. Ad Confirmationem dist. antec. quatenus per id significatur centrum voluntatis non esse malum, sed bonum conc. quatenus per id significatur habere potestatem ad resurgendum solis viribus suis à malo lethali semel perpetrato nego antec. & conseq. Ad probationem dist. maj. imitatur quoad aliqua conc. quoad omnia nego maj. & permissa min. nego conseq. Ratio est, quia intellectus non est potentia libera, benè verò voluntas: unde quantum ad hoc voluntas nequaquam imitatur naturam intellectûs; quamobrem non opponitur exercitio intellectus veritas proposita sine mixtione ulla falsitatis, & tunc objecto firmiter adhæret; at verò meritò voluntatis, quod sine libertate haberi non potest opponitur bonitas sine ulla mixtione mali proposita, quæ voluntatem raperet, & libertatem everteret: unde non potest adeò firmiter adhærere liberè tali bonitati. Dixi permissa min. quæ sanè est falsa; nam quòd intellectus rapiatur ab evidentia clarè proposita, non probat majores vires in intellectu, si ex natura sua intellectus evidentiam illam non exigat, ad eum modum, quo Aggregatum ex intellectu, & summæ gloriæ exigit visionem, & intellectus Deus evidentiam omnium rerum; sed potiùs probat majores esse vires in evidentia, quibus intellectus rapitur, quin veritati clarè propositæ dissentiri possit; sicut quod homo debilis rapiatur à forti, non probat, quòd sint fortiores vires in debili, sed potiùs infirmi. Verùm hæc longè sunt à quæstione, de qua agimus.

296. Objicies 12. licèt ex dignitate Dei, & vilitate creaturæ crescat gravitas offensæ divinæ, semper est finita: ergo ex multiplicitatè meritorum, aliisque circumstantiis ita potest crescere valor satisfactorius, ut æquet, & excedat gravitatem delicti. Confirmatur 1. entitates finitæ additæ sine fine adæquant alteram rationem infinitam: ergo pariter in nostro casu. Confirmatur 2. ex defectu deliberationis, ex materia, levitate, aliisque circumstantiis ita minui potest offensa, ut levissima sit, quæ in aliis circumstantiis foret offensa gravis: ergo etiam ex aliquibus circumstantiis ita potest crescere satisfactio, ut maxima sit, & æqualis magnitudini offensæ, licèt futura esset minima in aliis circumstantiis. Confirm. 3. licèt argentum sit ordinis inferioris respectu auri, ita potest multiplicari, ut æquet, & excedat auri æstimationem, ut demonstrat experientia: ergo licèt satisfactio sit ordinis inferioris respectu offensæ, ita poterit augeri satisfactio, ut æquet, & excedat gravitatem offensæ.

Respondeo conc. antec. & nego conseq. quia ut constat à num. 278. inhonoratio Dei est in linea valdè superiori ad obsequium, & linea superior neqnit æquari ab inferiori quantumcunque multiplicata, ut constat à num 273. Ad primam Confirmationem dist. antec. adæquant, & excedunt alteram rationem infinitam relatè ad considerationem non pertinentem ad diversam lineam, sed ad eandem lineam utilitatis, commodi, aut difficultatis in acquirendo conc. relatè ad intrinsecam rei excellentiam pertinentem ad lineam superiorem nego antec. & conseq. ut constat à num. 274. Ad secundam confirmationem conc. antec. & nego conseq. quia ubi nulla est libertas, nullum est formale peccatum, & cum in circumstantiis, in quibus deficit deliberatio, deficiat quoque libertas, ideò in his circumstantiis non est formale peccatum, quod in aliis circumstantiis esset gravissimum; at verò nullæ possunt esse circumstantiæ, in quibus obsequium puræ creaturæ tam magnum sit respectu Dei, quanta est offensa, & inhonoratio divina ut constat à n. 278. ideóque non potest pura creatura per obsequia sua quantumcunque multiplicata satisfacere condignè pro gravitate talis offensæ. Ad tertiam Confirmationem dist. antec. ut æquet, & excedat relatè ad æstimationem humanam considerantem eandem lineam sive commodi, sive difficultatis in consecutione rei conc. relatè ad excellentiam auri in sua superiori linea considerati nego antec. & conc. ut constat à num. 214. aliter posset etiam argentum æquari dignitati hominis, cum juxta humanam considerationem habitam in commerciis, homo vendatur pro argento; neque in alio sensu, nisi juxta istam humanam considerationem potest vasallus suis obsequiis satisfacere pro offensa contra Regem commissa.

Objicies 13. Deus potest creaturæ infundere gratiam habitualem infinitè intensam: sed actus talis creaturæ condignificatus per gratiam infinitam esset condigna satisfactio pro lethali: ergo &c.. Probatur min. ille actus haberet infinitam vim meritoriam, cùm hæc crescat juxta augmentum gratiæ habitualis præexistentis: atqui demeritum peccati lethalis non est infinitum: ergo &c. Confirmatur actus infinitè intensus condignificatus à gratia habituali infinitè intensa mereretur gloriam in intensione, & extensione infinitam; sed peccatum lethale solùm mereretur pœnam infini-

infinitam in extensione, & non in intensione: ergo ille actus, qui posset elici à pura creatura esset condigna satisfactio pro lethali.

299. Resp. permissa maj. quæ falsa est; nam infinitum categorematicum intensionis, ut ex Philosophiæ suppono, omnino repugnat; & nego min. ad Probationem permitto maj. quæ est etiam falsa, quia meritum non crescit arithmeticè juxta mensuram gratiæ habitualis, ut dixi in demerito, & infra iterum dicemus, cum de infinitate meritorum Christi sermo erit, & concessa min. nego conseq. quia offensa in ratione offensæ est in linea valde Superiori respectu meriti puræ creaturæ considerati in ratione meriti; ac proinde est inæquabilis à meritolicèt infinito, ut à num. 213. Ad Confirmationem permissis præmissis, nego conseq. quia, ut constat ex dictis à num. 218. meritum, & demeritum puræ creaturæ sunt in lineis adeò distantibus, ut nequeat una etsi finita per aliam infinitam compensari; meritū enim decrescit in linea inferiori, seu obsequii ex iisdem capitibus, ex quibus in linea superiori, sive inhonorationis Dei crescit peccatum lethale, seu demeritum. Resp. alii 2. peccatum lethale mereri, præter pœnam sensus pœnam damni aliquo modo in intensione, quatenus punitur à Deo privatione omnium donorum & gratiæ infinitè intensæ; quæ omnia mereri non potest pura creatura: unde est major vis demeritoria in peccato, quàm sit vis meritoria in actu infinitè intenso puræ creaturæ; sed de hoc alibi:

300. Objicies 14. Peccatum lethale committi potest absque prævia cognitione Dei, legisque &c. v. g. volendo occidere innocentem, vel annihilare Angelum, si fieri potest: atqui hujusmodi peccatum nullo modo haberet magnitudinem malitiæ incompensabilem per opera puræ creaturæ: ergo pura creatura potest condignè satisfacere pro aliquo peccato lethali. In primis, hæc objectio non probat Incarnationem non fuisse necessariam ad condignè satisfaciendum pro lethali commisso ab Adamo, ejusque in posteros derivato, & pro peccatis personalibus aliorum. Præterea hoc argumentum viam aperit, vel potiùs contendit possibile esse peccatum Philosophicum, quod planè chimera est, ut constat ex Alex. VIII. in decreto suo 24. Aug. 1690. damnate secundam propositionem, quæ sic habebat. *Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò & morale est transgressio libera divinæ legis, Philosophicum, verò quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum morale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna digna.*

Quam quidem propositionem Alexan. VIII. 301.
ut in ipso decreto habetur declaravit *scandalosam, temerariam, spuriam, aurium offensivam, & erroneam, & ut talem damnandā & prohibendam esse, sicut damnat & prohibet. Ita, ut quicunque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut etiam de ea disputaverit publicè, sive privatim tractaverit, nisi forte impugnante, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano pontifice absolvi.* Insuper districtè virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, status, ac dignitatis etiam speciali & specialissima nota dignis, prædictam Thesim, & propositionem ad praxim deducant. Ex qua prohibitione satis apparet, quàm falsum sit assumptum hujus argumenti. Unde.

Resp. nego maj. quia sicut est impossibile, 302.
quod ulla creatura rationalis expedita ad agendum, & operandum possit ignorare prima naturæ principia, ut sunt illa, bonum est amplectendum, malum est fugiendum, ita est impossibile, quòd possit ignorare Authorem omnis bonitatis, qui est Deus, natura rationalis expedita ad operandum non posset cognoscere bonum & malum, nisi cognosceret bonum esse bonum, & malum esse malum, quod proinde est ac cognoscere esse conforme regulæ supremæ approbanti, malúmque esse deforme tali regulæ; cùmque regula ista non sit alia, nisi Deus, exinde creatura rationalis sub hoc etiam conceptu nequit habere, invincibilem ignorantiam de Deo, unde nullum peccatum committi potest, quod non sit Theologicum, sive contra Deum; cùmque pura creatura pro peccato lethali contra Deum non possit condignè satisfacere, ut & ipsi Adversarii in argumento supponunt. Idcirco condignè satisfacere non potest pro ullo peccato lethali, quin potiùs, ut dixi in Tract. de Deo à num. 10. creaturæ rationali expeditæ ad operandum est debita cognitio de Deo, ut Authore suo, qua in Deum tanquam in centrum suum inclinetur, multò magis, quàm gravibus sit debita gravitas, qua tendunt deorsum in centrum, & levibus levitas, qua in centrum suum sursum aspirent, ut expressè tradunt SS. PP. ibi citati.

* * *

DISPUTATIO VIII.

DE MERITO CONDIGNO PURÆ CREATURÆ CIRCA PRIMAM PECCATORIS GRATIAM, ET REMISSIONEM PECCATI.

303. QUæstio præcipua est, an pura creatura possit condignè mereri peccatori gratiam ipsum justificantem, vel solùm remissionem peccati, licèt non possit condignè satisfacere pro peccato: in eo quippe differt hæc quæstio à præcedenti, in quo meritum à satisfactione distinguitur: satisfactio enim respicit offensam, qua satisfaciens factus fuit debitor, & offensus creditor, proindéque ejus solutio est satisfactio. At verò in merito è contra contingit: nam cùm meritum respiciat præmium debitum merenti ex vi meriti merens est, quasi creditor, & præmians quasi debitor, ejusque solutio est præmium, ut ait Ripalda. Unde ad satisfactionem pro lethali plus requiritur, quàm ad meritum ejusdem lethalis, siquidem satisfactio, ut sit condigna, debet esse talis offensæ, meritum verò, ut sit condignum duntaxat debet esse æquale præmio. pro resolutione

SECTIO I.

An possit creatura pura de condigno mereri peccatori remissionem peccati?

304. NOn procedit quæstio in præsenti providentia, in qua totum meritum justi defactò impenditur, in promerenda sibi de condigno gratia, & gloria, licèt non de congruo. Etenim soli Christo Domino data gratia fuit capitis, ut infra dicemus, qua possit aliis de condigno mereri gratiam; nec est quæstio circa meritum justi in alia providentia, si supponatur, gratia componibilis cum peccato, ita, ut meritum illud justi tenderet ad merendam gratiam non expellente actu peccatum, sed cum peccato potiùs conjungendam. Supponimus enim justum de potentia absoluta posse in alia providentia mereri alteri justo de condigno augmentum gratiæ, siquidem posset offerre meritum æquale præmio, siquidem potest acceptare præmium pro alio; cùmque meritum justi esset pretium æquale augmento gratiæ sibi collato, in altera providentia supposita ea ordinatione divina est pretium æquale augmento gratiæ alteri conferendæ, ut contra Vasquez docet communis Theologorum sententia cum Ripalda à disp. 96. de Ente Supernaturali sect. 4. His præmissis prima sententia tenet posse puram creaturam condignè mereri remissionem peccati, licèt non possit condignè satisfacere pro peccato. Ita aliqui cum Ripalda disp. 96. sect. 3. Secunda sententia negat; ita communiter alii cum Oviedo Controv. 7. de merito punct. 5.

Affero cum secunda sententia: nequit pura creatura de potentia absoluta mereri peccatori gratiam illam sanctificantem, aut remissionem peccati lethalis. Probatur 1. Sancti PP. ut ex num. 276. absolutè docent, non potuisse Christum nobis afferre remedium, nisi esset verus Deus; atqui si viribus puræ creaturæ nobis peccatum remitteretur, sive per meritum condignum, sive per condignam satisfactionem potuisset Christus afferre nobis remedium, quin esset Deus: ergo ex ista doctrina Sanctorum Patrum non potest pura crearura de condigno mereri peccatori gratiam illam justificantem, aut remissionem sui peccati lethalis. Confirmatur: nequit per Vos pura creatura condignè satisfacere Deo pro peccato lethali: ergo neque condigno mereri remissionem lethalis.

Respondent Adversarii nego conseq. quia licèt pura creatura nequit offerre pretium æquale offensæ, quod requiritur ad condignam satisfactionem, potest tamen offerre pretium æquale præmio, sive remissioni peccati lethalis, quod sufficit, ad meritum de condigno. Contrà est 1. in homine infecto peccato lethali, tam bona est remissio peccati lethalis, quàm mala sit offensa; sed per Vos, neque pura creatura defactò nequit mereri aliquid æquale offensæ: ergo neque equidem remissioni peccati lethalis: min. & conseq. tenent, maj. verò probatur: cavere malo, nempe dolore præhibito tam bonum est, quàm malum est pati illum dolorem, & carere debito; contracto centum scilicet aureorum tam bonum est, ac est malum debere centum: ergo homini infecto peccato lethali, tam bona est remissio illius offensæ, quàm mala sit offensa.

Contrà 2. nequit, per Vos purus homo offerre æquale obsequium offensæ: sed nequit meritum esse æquale remissioni offensæ, quin etiam sit æquale offensæ: ergo &c. Probatur min. nequit meritum esse æquale remissioni offensæ, quin sit æquale remissioni totius debiti inducti per offensam; aliter non esset condignum; cùm nequiret totum debitum inductum per offensam: sed nequit esse æquale remissioni totius debiti, quin sit æquale ipsi offensæ: ergo &c. Probatur min. nequit æquale remissioni totius debiti inducti per offensum, quin sit æquale toti debito; aliter per modum meriti posset aliquis cum quadraginta aureis restituere adæquatè pro quinquaginta: sed nequit esse æquale toti debito, quin sit

sit æquale ipsi offensæ, cùm debitum illud nihil aliud sit, quàm offensa: ergo &c.

308. Contrà 3. meritum æquale remissioni offensæ tale debet esse, ut non possit offensus ultra illud justè exigere aliquid aliud pro æqualitate ad remissionem offensæ; sed hujusmodi meritum debet esse æquale ipsi offensæ; siquidem offensa est jus exigendi illud debitum: ergo nequit esse æquale remissioni offensæ, quin sit æquale ipsi offensæ. Probatur maj. si ultra meritum illud potest justè offensus aliquid aliud ad æqualitatem exigere pro remissione offensæ, quo perveniretur ad æqualitatem, meritum illud non adæquaret jus, quòd remaneret in offenso ad exigendum tale debitum pro remissione de condigno; sed ex eo, quòd non adæquaret tale jus, non esset æquale remissioni offensæ, ut ex terminis patet: ergo &c.

309. Probatur 2. conclusio: ut meritum sit condignum remissioni peccati debet habere tantam bonitatem, quantam malitiam habet peccatum: sed per Vos nequit pura creatura offerre aliquid tam bonum, quàm malum est peccatum: ergo &c. Probatur min. peccatum resistit exigentiæ meriti petentis remissionem peccati: sed ubi adest resistentia ad remissionem, tanta vis, imò & major requiritur in merito ad obtinendam remissionem, quanta sit in peccato ad resistendum: ergo &c. Prob. maj. forma physica, quæ introducitur insubjectum aliquod, quia prævalet subjecti resistentiæ nequit introduci in aliud, cujus resistentiæ non prævalet, ut constat ex num. 291. ergo, si meritum non prævalet, vel saltem non est tantum, quanta resistentia peccati, non potest peccatori mereri de condigno remissionem peccati. Quamobrem licèt justus mereri possit gloriam non peccatori, non exinde poterit peccatori mereri de condigno remissionem peccati; cùm per Vos major sit malitia resistens in peccato, quàm bonitas peccato opposita, quæ reperitur in merito.

310. Probatur 3. Deus cederet eidem juri, quod ad vindictam acquisivit per peccatum contra peccatorem, sive peccatum remittat propter meritum condignum, sive propter condignam satisfactionem: ergo nequit esse meritum condignum remissionis peccati, quin sit etiam satisfactio condigna pro peccato. Antecedens patet, quia Deus vi meriti condigni totum id remitteret, quòd remitteret vi condignæ satisfactionis; etenim si aliquid remitteret non quidem vi meriti, sed liberaliter, jam illud non esset meritum condignum illius remissionis. Conseq. verò probatur ex eo, quòd Deus cedat eidem juri vi meriti, ac satisfactionis, si illud meritum offerretur in satisfactionem, esset condigna satisfactio: ergo non posset esse meritum condignum remissionis, quin etiam esset condigna satisfactio. Probatur antec. tantum valeret illud meritum, quantum valeret satisfactio: ergo si illud meritum offeretur in satisfactionem, esset condigna satisfactio.

311. Respondent 1. Adversarii negando conseq. redduntque disparitatem non unam, sed multiplicem juxta diversa eorundem principia. Aliqui enim illorum docent ad meritum requiri acceptationem Personæ merentis, secus ad satisfactionem; alii verò censent oppositum, & hoc discrimen inter meritum, & satisfactionem putant esse sufficienté disparitatem. Contrà tamen 1. Si ad meritum requiritur acceptatio, etiam requiritur ad satisfactionem, & è converso: ergo hæc disparitas nulla est, Probatur anteced. sicut non potest quis mereri pro alio juxta fere omnium Theologorum sententiam, quin acceptetur in hunc finem ejus opus, ita nequit pro alio satisfacere, nisi priùs acceptetur in fidejusorem pro alio; nemo enim tenetur admittere satisfactionem fidejussoris, quem non acceptavit: ergo &c.

312. Contrà 2. Acceptatio non dat, sed supponit pretium operis: ergo opus independenter ab acceptatione vel habet tantum valorem, ut si acceptetur, mereatur de condigno remissionem peccati vel non? si primùm: ergo independenter ab acceptatione erit satisfactio, si satisfactio non requirit acceptationem, vel si requirit, sicut posita acceptatione est meritú condignum, ita etiam erit condigna satisfactio. Si secundùm: ergo neque post acceptationem erit meritum, aut satisfactio condigna. Prob. conseq. si opus insufficiens ad condignitatem ante acceptationem esset post acceptationem sufficiens, quodvis opus procul dubio esset condignum posita acceptatione: sed hoc apud ipsos Adversarios est omnino falsum: ergo & illud. Contrà 3. qui non tenetur vendere equum, quem habet valentem 100. scuta, verè dicitur ex jure suo non admittere 100. scuta, quæ Petrus offert illi pro equo; quo in casu illa 100. scuta erunt condignum pretium in actu primo pro equo, non verò in actu secundo ad dandum Petro equum pro condigno pretio 100. scutorum: at si Petrus solùm daret 20. scuta, & Dominus reliqua liberaliter remisisset, non potest dici, quòd dedisset pretium condignum, neque quod illa 20. scuta, quæ ante acceptationem non erant in actu primo condignum pretium manebant condignum pretium in actu secundo ratione solius acceptationis: ergo idem dicendum est de merito, & satisfactione.

313. Respondent alii 2. disparitatem esse, quia satisfactio condigna requirit æqualitatem Aritmeticam cum offensa, quæ æqualitas vires puræ creaturæ superat; at meritum condignum solùm requirit æqualitatem geometricam, seu proportionis cum præmio, quæ geometrica æqualitas non excedit vires puræ creaturæ. Contra tamen 1. Ad meritum condignum sufficit proportio geometrica: atqui Deus quidquid facit vi condignæ satisfactionis, facit quoque vi meriti condigni: ergo etiam ad condignam

dignam satisfactionem erit satis proportio geometrica. Contrà 2. Ex Sanctis Patribus adductis num. 276. Christus non posset afferre nobis remedium, nisi esset DEUS: atqui non solùm per condignam satisfactionem, sed etiam per meritum condignum posset afferre nobis remedium: ergo sicut pura creatura non potest reddere opus sufficiens ad meritum condignum pro offensa lethali, ita neque poterit reddere opus sufficiens ad condignam satisfactionem, & è converso, sive ad hoc requiratur proportio arithmetica, sive tantùm geometrica. Contrà 3. quia juxta hanc responsionem neutiquam poterunt Adversarii explicare, in quo distinguatur meritum condignum à merito congruo; si enim, quod requiritur ad condignitatem in merito, non requiratur etiam ad condignitatem in satisfactione, quodlibet meritum congruum esset etiam condignum condignitate sufficienti ad satisfactionem, & è converso: sed hoc est magnum absurdum: ergo &c. Ex dictis

314. Fit 1. Peccatum philosophicum esse chymericum; unde cùm nemo possit satisfacere pro chymera, exinde nemo potest pro peccato philosophico satisfacere, ut bene arguit Sfondratus in Nodo prædestinat. part. 1. num. 11. ubi ait: *cùm enim peccatum sit essentialiter offensio, & injuria Dei, sublata Dei cognitione necessariò subsequitur, nec injuriam, nec peccatum, nec pœnam æternam esse*; ex eadem ratione docet Eximius Doctor disp. 4. sect. 11. contra Gabrielem, Scotum, & Durandum, non posse fieri satisfactionem pro peccato commisso, si pura creatura sit omni prorsus gratia destituta. Ratio est, quia remissio peccati quantumvis venialis est quid excedens vires puræ naturæ ad æqualem compensationem, unde licèt homo viribus suis relictus possit peccare, non potest suis viribus à peccato resurgere; ad eum modum, quo viribus nostris possumus præcipitare nos in profundum, quin exinde possimus solis viribus nostris ex illo profundo in altum erigi; quæ quidem est comparatio, quam dedimus num. 293. quáque plures Sancti Patres utuntur.

315. Fit 2. cum communi Theologorum contra Petrum Sotum, posse hominem justum reddere Deo condignam satisfactionem pro peccato veniali. Ratio est, quia dilectio Dei super omnia elicita à justo æqualitatem habet cum remissione unius saltem venialis; ea quippe dilectio conducit intrinsecè ad præmium æternum positivum; at peccatum veniale non meretur intrinsecè pœnam æternam positivam, sed temporalem. Quòd autem conducat ad pœnam negativam, de qua intelligendus est Div. Thomas, quatenus cum peccato veniali nemo gloriam æternam obtinebit, nihil refert ad rem præsentem; nam hoc non arguit, quòd peccatum veniale sit tam malum, quàm bona est gloria æterna, sed quòd status gloriæ est adeò perfectus, ut componi non possit cum ulla macula, etsi veniali, proindéque opus est, ut remittatur, & deleatur, antequam homo ingrediatur vitam æternam. Sic peccatum veniale componi non potest, nec reperiri in Christo Domino, quin possit exinde inferri, quòd sit tam malum, quàm bonus est ipse Christus, sed potiùs exinde infertur, quòd Christus Dominus est tam bonus, & purus, ut secum componere non possit maculam ullam vel levissimam. Rursus peccata venialia non sunt propriè offensa DEI, neque Deo opposita, cum non impediant ejus amicitiam, licèt opponantur fervori charitatis, seu mediis ducentibus ad Deum; at perfecta dilectio Dei super omnia à justo elicita est verus Dei amor per se ducens ad possessionem nostri ultimi finis.

Quin potiùs ea perfecta DEI dilectio non 316
solùm videtur esse in hac divina providentia
condigna satisfactio in actu primo, sed etiam 317
condigna in actu secundo. Ratio est, quia videtur adesse promissio Dei de acceptanda tali satisfactione, ut colligitur ex 1. Joannis 1. ubi dicitur: *si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis*; ibi enim, ut Augustinus censet Tractat. 1. in Joannem videtur sermo præsertim esse de venialibus; nam paulò ante dictum erat: *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Quæ verba universaliter sumpta intelligi debent de venialibus, in quæ *septies in die cadit justus*. Rursus promissio gloriæ decedenti in gratia est promissio remittendi venialia, cum quibus non potest obtineri gloria; unde licèt totum meritum justi impendatur defactò in merenda gratia, & gloria, non tamen defactò impenditur in hoc duntaxat tota meriti vis satisfactoria.

Fit 3. Non posse puram creaturam satisfacere de condigno adhuc nomine Christi pro peccato lethali. Ratio est, quia, ut bene notavit Bernal disp. 4. num. 153. actio satisfactoria, sicut accipit valorem à principio suo, sive à persona satisfaciente; sic non accipit, nisi à persona physicè illam eliciente, cùm sit actio maximè personalis in morali æstimatione: sed actio eatenus condigna, quatenus est maximè personalis, sive ab aliqua persona physicè elicita, nequit ita condignificari, si eliciatur ab altera persona minùs digna, quamvis nomine dignioris operetur; ad eum modum, quo si Rex effor- 318
maret pulcherrimos caracteres, & Pro-Rex malè formatos exararet, non efficeret charactéres pulchros, quamvis nomine Regis scriberet, eò quòd illa esset actio Regis personalis; opera autem Christi Domini eatenus sunt tantæ dignitatis, & æqualis satisfactionis, quatenus 320.
sunt actiones personales, sive elicitæ à Persona Divina: ergo nulla pura creatura, quatenus nomine Christi operatur, potest elicere actiones æquè dignas, vel æqualis satisfactionis, quibus condignè satisfaciat pro lethali.

Pariter si Rex eleganter epigrammata compo- 319
neret, non posset alter rudis epigrammata elegan-
ter

ter componere nomine Regis, nec mereri primum præmium, eò quòd nomine Regis ea componeret; unde nulla eſt paritas deſumpta ex actionibus factis per procuratorem, cùm iſtæ non ſint actiones perſonales, quæ ad ſui valorem requirant, ut à Regia perſona phyſicè eliciantur. Quin potiùs ſi aliquando cenſeantur maximæ æſtimationis, ea æſtimatio non eſt intrinſecà ipſis, ſed extrinſeca, & proveniens à voluntate Regis ab ipſo elicita, quæ dignificat eas actiones, quas ut ſuas agnoſcit, totámque vim ſuam habet ab illa voluntate Regis dignificativa. Quare ſi meritum creaturæ à Chriſti Domini merito ſupremam æſtimationem accipiat, tota ea ſuprema condignitas proveniet à Chriſti merito, & à merito puræ creaturæ tantùm proveniet intrinſeca condignitas ſuæ lineæ.

319. Fit 4. Non poſſe puram creaturam ut membrum Chriſti conſideratam condignè ſatisfacere pro lethali. Ratio eſt, quia quòd pura creatura ut membrum Chriſti ſatisfaciat, non eſt, quòd illi imputetur ſatisfactio Chriſti, ſed ſolùm ſignificat, quòd ſatisfaciat per gratiam à Chriſto acceptam, quam ipſe tanquam caput influit in membra. Sic dicitur noſtra ſatisfactio fundari in Chriſti meritis, & ſatisfactione, non ſolùm, quia fundatur in gratia habituali propter Chriſtum accepta, ſed etiam, quia ipſamet auxilia actualia dantur propter Chriſtum ad ſatisfaciendum, quantùm ex parte noſtra cum illis poſſumus; quod autem deeſt in noſtra ſatisfactione, ſuppletur, & compenſatur ex conjunctione ad ſatisfactionem Chriſti, propter quem acceptantur, ut docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. idcirco ſatisfactio Chriſti eſt univerſalis ſatisfactio exigens ad ipſius applicationem in adultis peculiarem ipſorum ſatisfactionem; unde ſicut nos finitè concurrimus, ut cauſæ particulares cum omnipotentia, ut cauſa univerſali infinita; ita etiam finitè ſatisfacimus in conſortio meritorum Chriſti, quæ ſunt ſatisfactio univerſalis infinita, ideòque ſicut non tollitur, quòd omnipotentia ſit virtus univerſalis infinita, licèt DEUS velit habere conſortium cauſæ particularis finitæ; ita non tollitur, quòd ſatisfactio Chriſti ſit ſatisfactio univerſalis infinita, licèt Chriſtus velit habere conſortium ſatisfactionis finitæ.

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

320. OBjicies 1. Poteſt juſtus mereri alteri gratiam in altera providentia de condigno: ergo etiam remiſſionem peccati, quæ, cùm ſit ſecundarius effectus gratiæ, videtur eſſe quid minus, quàm gratia. Confirm. 1. Remiſſio peccati non eſt melior, quàm ſit meritum juſti: ergo juſtus per meritum ſuum poteſt de condigno mereri remiſſionem peccati. Confirm. 2. Juſtus poteſt in altera providentia mereri peccatori auxilium efficax, quo eliciat perfectam contritionem, ut à peccato reſurgat: ergo poteſt etiam de condigno mereri remiſſionem peccati. Reſpondeo diſt. antec. mereri alteri, in quo non inveniat reſiſtentiam prævalentem, omitto, in quo inveniat reſiſtentiam prævalentem, nego antec. & conſeq. ex dictis n. 291. nam malitia peccati lethalis eſt lineæ valdeſuperioris ad meritum puræ creaturæ; unde absque dubio continet reſiſtentiam prævalentem merito puræ creaturæ quantumcunque juſtæ; remiſſio autem lethalis non eſt effectus ſecundarius gratiæ in genere meriti, aut ſatisfactionis, ſed in genere formæ phyſicæ incompoſſibilis cum peccato; ad eum modum, quo peccatum veniale eſt in genere formæ phyſicæ incompoſſibile cum gratia Unionis hypoſtaticæ.

321. Oppoſitio autem in genere phyſico non requirit, quòd unum extremum alteri oppoſitum ſit alteri æquale, ut patet in peccato veniali, cujus malitia non eſt tanta, quanta eſt bonitas gratiæ Unionis hypoſtaticæ; quin potiùs infimum veniale opponitur phyſicè in eadem perſona cum ipſa ſanctitate ſubſtantiali divina, quin habeat tantam malitiam, quantam bonitatem habet ſanctitas Dei ſubſtantialis; at ſatisfactio debet eſſe æqualis rei, pro qua ſatisfit, & meritum condignum debet eſſe æquale præmio, quod ipſi de condigno reſponder. Ad primam Confirmationem nego antec. quia cùm meritum puri hominis juſti decreſcat ex iiſdem capitibus, ex quibus augetur offenſa peccati mortalis, peccatum lethale habet titulum reſiſtentem remiſſioni, & prævalentem bonitati puri hominis juſti, cùmque remiſſio peccati ſit tam æſtimabilis, quàm malum eſt peccatum in ratione offenſæ, ut conſtat à num. 307. nequit meritum puri hominis juſti eſſe æquale remiſſioni peccati. Ad ſecundam Confirmationem diſt. antec. quo eliciat perfectam contritionem merentem de condigno remiſſionem lethalis, nego, de congruo, conc. ant. & nego conſequentiam, ut conſtat ex dictis.

322. Objicies 2. Majus beneficium eſt præſervatio, quàm liberatio à peccato contracto, ut patet in privilegio immunitatis Deiparæ ab originali: atqui juſtus poteſt mereri alteri præſervationem à lethali: ergo etiam remiſſionem peccati lethalis. Conſequentia tenet; quia qui poteſt mereri, quod eſt majus, poteſt quoque mereri, quod eſt minus. Minor verò probatur. Juſtus potens alteri mereri gratiam, poteſt etiam illi mereri auxilium efficax, quod minus eſt, quàm gratia, ſine qua non adimpleret præceptum: ergo poteſt illi mereri præſervationem á lethali transgreſſione præcepti. Inprimis hæc objectio confundit majus beneficium, & majus donum cum majori privilegio, quæ valde diverſa ſunt; nam licèt Unio hypoſtatica ſit majus, quàm remiſſio venialis, nos potiùs deberemus eligere remiſſionem venialis,

quàm Unionem hypostaticam, si hæc posset cum peccato conjungi; quandoquidem nunquam licet facere mala, ut eveniant bona; unde est majus privilegium carere quocunque peccato, etiam veniali, quàm habere intensam gratiam simul cum veniali; at non est majus donum, & beneficium; quandoquidem gratia continet in se majorem bonitatem, quàm peccatum veniale contineat malitiam. Quare

323. Respondeo 1. dist. maj. majus beneficium est, sumpto beneficio pro dono, nego, sumpto pro privilegio eligendo potiùs, conc. maj. & permissa minore, nego consequentiam; quia licèt esset majus privilegium, si tamen sit minus donum, non potest unum per aliud compensari ad æqualitatem. Respondeo 2. omissa maj. dist. min. potest justus mereri præservationem alteri, in quo inveniat resistentiam prævalentem suo merito, nego, in quo eam resistentiam non inveniat, conc. min. & nego conseq. Ad probationem dist. eodem modo ant. & nego conseq entiam; quia licèt justus possit mereri, quod est majus, si non inveniat resistentiam, nequit tamen mereri, quod est minus, si inveniat majorem resistentiam, ut constat à num. 291. quia in eo casu meritum non solùm debet adæquare vim meritoriam relatè ad rem, quam prætendit nudè sumptam, sed etiam relatè ad alteram resistentem, ut constat à num. 307. cúmque istam resistentem non adæquet, non potest tunc alteram mereri de condigno, quæ nudè sumpta esset æqualis.

324. Objicies 3. Meritum justi non solùm includit bonitatem ipsius actus, sed etiam gratiam illum condignificantem; atqui gratia se sola est remissio peccati: ergo potiori jure meritum justi obtinere potest remissionem peccati. Respondeo dist. maj. illum condignificantem ad præmium conferendum illi, in quo non datur resistentia prævalens tali merito, conc. in quo adest resistentia prævalens tali merito, nego maj. & dist. min. est remissio peccati in subjecto, cui inest, conc. cui non inest, nego min. & consequentiam; quia gratia infusa Petro solùm remittit peccatum Petri, cui gratia inest, non autem peccatum Pauli, cui gratia non infunditur. Unde sicut Petrus, dum est in peccato lethali, nequit sibi de condigno mereri gratiam remittentem peccatum illius; quia resistentia sui peccati prævalet exigentiæ ad gratiæ introductionem; ita per gratiam nequit condignificari actus justi ad introducendam gratiam in peccatore, cùm ratione sui peccati habeat resistentiam prævalentem exigentiæ introductionis gratiæ in ipsum, proindéque solùm poterit peccatori mereri illa dona, quæ tali resistentiæ non prævalent, aut non opponuntur.

325. Objicies 4. Actus puræ creaturæ condignificatus ab infinita gratia creata ex hypothesi, quòd de absoluta DEI potentia possit illi conferri, haberet vim meritoriam infinitam; ergo illa pura creatura cum illo merito posset mereri alteri de condigno remissionem peccati. Respondeo permissa hypothesi, quæ falsa est, cùm gratia creata ex titulo creaturæ sit limitata, nego consequentiam; quia ille actus esset in linea valde inferiori ad lineam offensæ lethalis; cùm peccatum lethale sit in linea inhonorationis divinæ incompensabilis per infinita obsequia puræ creaturæ; unde sicut infinita peccata venialia non possunt æquivalere unico soli lethali; quia lethale est in linea superiori ad veniale; ita unicum peccatum lethale non posset adæquatè compensari per illud meritum infinitum puræ creaturæ; quia ea infinitudo esset in linea valde inferiori ad magnitudinem peccati lethalis; quod etiam patet in infinitis actibus naturalibus, qui propter eandem rationem non possunt adæquare vim meritoriam unius solius actus supernaturalis, ut diximus à num. 299.

Objicies 5. Deus potest puræ creaturæ conferre gratiam habitualem, ita perfectam, ut reddat voluntatem impeccabilem, & cui annexa sit continuò visio beatifica, & alia dona supernaturalia; sed actus elicitus à pura tali creatura meretur de condigno remissionem peccati lethalis: ergo potest creaturâ mereri de condigno peccatori remissionẽ peccati lethalis. Confir. Licèt vasallus sit in linea valde inferiori ad suũ Regem, potest adæquatè satisfacere pro peccato contra suum Regẽ: etenim casu, quo Rex in proximo mortis periculo jam occidendus ab inimicis, & vasallus, ut Regem suum liberaret, se exponeret illi periculo, ratione illius actionis absque dubio mereretur remissionem peccati commissi contra Regem: ergo licèt creatura sit in ordine valde inferiori ad Deum, poterit tamen aliquando adæquatè satisfacere pro peccato commisso contra Deum.

Respondeo permitto maj. quæ valde dubia est, & nego min. quia tota vis meritoria illius actus esset in linea obsequii exhibiti Deo à pura creatura; peccata autem essent in linea inhonorationis divinæ, quæ valde excedit lineam obsequii creati, ac proinde unum esset incompensabile ad æqualitatem per aliud, ut diximus à num. 287. Ad Confirmationem dist. ant. potest satisfacere adæquatè per id, quod est in linea inferiori, nego, per id, quod non est in linea inferiori, conc. antec. & nego conseq. Ratio est, quia vasallus non est in linea inferiori quoad omnia relatè ad Regem, sicut pura creatura quoad omnia est in linea inferiori relatè ad Deum, & quidem in ratione hominis vasallus non est inferior Rege, neque in ratione potentis elicere actionem, qua vitam Regis redimat, quàmque Rex elicere non potest; in hoc enim potest esse non modo æqualis, sed Superior Rege.

Quamobrem casu, quo ad hanc actionem vasallus minimè teneatur, eámque eliciat, ut Regem suum ab imminenti periculo mortis liberet cum tanto ipsius detrimento, licèt actio illa secundùm aliquem respectum considerari posset ut actio inferioris. Ad secundùm alterum respectum verè considerarerur ut actio superioris

perioris, vel ſaltem æqualis, & ſecundùm iſtum reſpectum poſſet adæquatè ſatisfacere pro peccato priùs commiſſo contra ſuum Regem; vita etenim Regia, quæ à Rege conſervari non poteſt, & conſervatur à vaſallo, non eſt in linea inferiori ad lineam inhonorationis Regis. Ideóque bene poteſt una per alteram compenſari; in his enim nulla eſt implicantia, cùm natura vaſalli non ſit inferior naturâ Regis, nec ſit ex natura rei obligata quoad omnia, quæ placent Regi; imò quoad aliqua, e. g. quoad capacitatem obedientialem, neque homo dici poteſt inferior Angelo, licèt ſit inferior quoad alia. Hoc autem dici non poteſt de pura creatura relatè ad Deum, cùm ſecundùm omnem conſiderationem creatam ſit inferior Deo, & obligata ad faciendum, quidquid placet Deo. Quin potiùs compenſatio apud homines attendit ad commodum vel utilitarem, aut ſimilem effectum provenientem à pura actione relatè ad incommodum, quod ex altera actione permittebat, vel ad commodum, quo privaverat, quod ad eandem lineam pertinet, ac proinde in eo ſenſu vaſallus benè poteſt ſatisfacere pro offenſa contra Regem, ut diximus num. 297. At relatè ad offenſam Dei non ita ſit in compenſando inhonorationem contra Deum, quæ à pura creatura compenſari non poteſt, ut conſtat à num. 277.

329. Objicies 6. Ex Gonnet diſp. 4. art. 1. §. 1. num. 11. Si pura creatura non poſſet Deo adæquatè ſatisfacere pro peccato lethali etiam alieno, falsò dixiſſet Exim. *Doct.* diſp. 4. ſect. 2. puram creaturam poſſe de condigno ſatisfacere pro peccato lethali: ergo poteſt. Hoc argumentum eminenter habetur in verbis Gonneti loco cit. ubi ait: *Nulla pura creatura poteſt condignè ſatisfacere pro culpa lethali etiam alieno: eſt contra Vegam lib. 3. in Trid. c. 3. & Suarem hic diſp. 4. ſect. 7.* Verumtamen iſte Author non poteſt aliter excuſari, niſi quòd Exim. Doctorē non legerit, aut ſi legit, non intellexerit: unde fingit ſibi hoſtem, quem feriat; etenim Exim. Doctor loco cit. expreſsè tenet, nullam puram creaturam poſſe adæquatè ſatisfacere pro peccato lethali: ſic etenim habet: *Hinc conſtat, etiamſi peccatum non ſit infinitum ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, & objectivè, nihilominus eſſe improportionabile, & ut ita dicam, inadæquabile per ſatisfactionem exhibitam à Perſona finita, quia habent quantitates quaſi diverſarum rationum, & ordinum.* Quid clariùs? unde reſpond. nego ſuppoſitum antec. Exim. Doctor nequaquam tradit doctrinam illam, quam Gonnetus illi imputat, ut ex verbis citatis conſtat.

330. Cæterùm, ut æquivocatio Gonneti penitus detegatur, opportunum eſt, hîc notare, Gonnetum integram Exim. Doctoris doctrinā in præſenti amplecti, & defendere, ad eamque probandam rationes Exim. Doctoris ſibi aſſumere; unde non video, cur beneficium acceptum ſolvat imputando illi falſam doctrinam; docet igitur ibi Exim. Doctor, puram creaturam non ſatisfacere rigoroſè, ſed ſolùm *aliquo modo de condigno.* En ejus verba: *dico jam 1. de potentia abſoluta fieri poſſet, ut homo purus innocens, & Sanctus ſatisfaceret ex juſtitia; & aliqomodo de condigno pro peccatis aliorum, etiam totius generis humani;* et paulò poſt: *dico 2. nihilominus talis ſatisfactio puri hominis non eſt æqualis offenſæ divinæ; unde neque eſſet ex perfecta juſtitia, nec poſſet cum ſatisfactione Chriſti in valore conferri;* eam autem ſatisfactionem vocat. Exim. Doctor *aliquo modo de condigno*, quatenus, ut ibi explicat, poſſet Deus conſtituere aliquem hominem juſtum, qui eſſet caput hominum in ordine gratiæ; ita, ut illo merente, & ſatisfaciente ſuo merito improportionato relatè ad magnitudinem peccati lethalis, omnes in illo, & per illum ſuo modo ſatisfacere exiſtimarentur, ſicut nunc dicuntur peccâſſe in Adamo, attentis tamen obſequio, & peccato in ſua linea.

Quod autem hanc doctrinam, & rationem 331.
tradat ipſe Gonnetus, conſtat ex loco cit. num. 12. ubi hæc habet; *Unde ſi Deus aliquem juſtum conſtitueret caput aliorum hominum, poſſet alijs de condigno mereri, ut multi probabiliter ſentiunt, & videtur inſinuare Divus Thomas 3. parte quæſt. 64. art. 4. ubi docet Chriſtum potuiſſe alicui homini communicare tantam gratiæ plenitudinem, ut ejus meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, & ut Sacramentorum effectus ſine ritu Sacramentorum conferre poſſet.* Hucuſque Gonnetus: videas, num ovum ſit ovo ſimilius, quàm hæc doctrina Goñeti ſit ſimilis doctrinæ Eximii Doctoris.

Objicies 7. Præſertim contra illationes, & 332.
contra meritum puræ creaturæ ad ſatisfactionem pro venialibus; Ideò nequit pura creatura ſatisfacere pro offenſa gravi, quia offenſa gravis creſcit ratione Perſonæ offenſæ, qualis eſt Deus, & obſequium decreſcit ratione Perſonæ obſequentis, qualis eſt creatura: ſed eadem ratio militat in culpa veniali: ergo non poteſt pura creatura ſatisfacere pro veniali. Reſpondeo conc. maj. & nego min. quia veniale non eſt propriè offenſa *Dei*, ac proinde non propriè *Dei* inhonoratio. Cæterùm, ut patet à num. 294. & tradit cum Divo Thoma Eximius Doctor diſput. 4. ſect. 9. Peccatum veniale non eſt propriè contra Deum, ſed contra media ducentia ad Deum; unde Deum non inhonorat, neque illius amicitiam deſtruit, ideóque culpa venialis non conſtituitur in altiori gradu relatè ad meritum puræ creaturæ; quamobrem ſi peccatum veniale dicatur offenſa *Dei*, locutio iſta erit impropria, & metaphorica; nam offenſa *Dei* propriè accepta eſt illa, quæ excludit amicitiam *Dei*; cúmque eam amicitiam veniale non deſtruat, exinde non poteſt verè dici *Dei* offenſa.

Objicies 9. Ex Vaſquez inſtando ſimul ſo- 333.
lutionem: veniale eſt propriè offenſa *Dei*: ergo non poteſt ad æqualitatem compenſari per

merita puræ creaturæ. Probatur antec. ad offensam *Dei* sufficit, ut sit actio displicens Deo, & contra ejus voluntatem: atqui veniale est actio *Deo* displicens, & contra ejus voluntatem: ergo &c. Confirmatur veniale minuit fervorem charitatis: sed charitas est amicitia: ergo minuit amicitiam Dei, ac proinde est offensa *Dei*. Respondeo nego antec. ad probationem dist. maj. sufficit, quòd sit actio Deo displicens, ut opposita divinæ dignitati, conc. ut opposita duntaxat bono per legem intento, nego maj. & dist. eodem modo min. nego conseq. Ratio est, quia actio displicens, ut purè opposita bono per legem intento non dat *Deo* jus ullum ad auferendam, vel minuendam amicitiam, ac proinde non est propriè offensa *Dei*. Quamobrem potest exhiberi Deo actio, quæ tantùm placeat Deo in genere satisfactionis, quàm displicuit veniale in genere transgressionis.

334. Ad Confirmationem dist. maj. minuit fervorem charitatis habitualis justificantis, nego. Purè actualis, à qua possumus cessare, etiam sine ullo peccato, omitto maj. & dist. min. nego conseq. Ratio est, quia veniale non minuit ullum gradum gratiæ habitualis, per quam constituimur amici DEI, habemusque jus passivum ad redamationem divinam; imò neque minuit gradum ullum charitatis habitualis, qua diligimus habitualiter *Deum*, sed solùm impedit fervorem charitatis habitualis, quatenus non est conjungibile cum actu perfectissimæ charitatis, quo ita Deum diligamus, ut ex ejus amore velimus efficaciter nos conformare divinæ voluntati; cùm enim venialiter peccans per hoc ipsum, quòd ita peccat, non se conformet divinæ voluntati, non potest cum veniali conjungere illum actum ferventissimæ charitatis; actus autem non est offensa amici per hoc, quòd sit inconjungibilis cum actu ferventissimi amoris erga amicum, si nihil imminuat de amicitia habituali, vel de jure passivo ad redamationem amici; impedire autem non est minuere, si rigorosè loquamur, ideóque dixi: omitto maj.

335. Objicies 9. Ille, qui legi divinæ præfert aliquod bonum temporale, contemnit, & offendit Deum, ac divinam legem, sed qui venialiter peccat, Deo, & legi divinæ præfert illud bonum temporale, pro quo peccat: ergo &c. Confirmatur. Saltem peccatum veniale est contra DEUM ut Legislatorem, & contra divinam legem, & voluntatem: ergo est offensa Dei. Respondeo conc. maj. & nego min. nam actus solùm venialiter peccaminosus non impedit, quin homo ita peccans actu, vel habitu sit paratus illud bonum contemnere, si Deus graviter jubeat, nempe sub comminatione amissionis amicitiæ ipsius: qui autem, dum ita peccat, est ita paratus, ut omnia potiùs contemnat, quàm Deum amittat, sanè per illum actum peccaminosum Deum non contemnit, ac proinde manet actus ille venialiter tantùm peccaminosus, nec includit rationem offensæ, aut contemptûs *Dei*.

Ad Confirmationem nego antec. nam veniale non est contra *Deum*, neque contra legem, & voluntatem *Dei*, sed contra bona intenta à lege, & voluntate *Dei*; ut enim esset contra *DEUM* ut Legislatorem, vel contra divinam legem, & voluntatem, opus erat, ut per ipsum amitteretur amicitia *Dei* Legislatoris, cumq; per veniale hæc amicitia non amittatur, exinde non potest dici, quòd veniale sit contra DEUM ut Legislatorem, sed contra bona intenta à *Deo* Legislatore; unde Angelicus 1. 2dæ 2dæ quæst. 88. art. 1. ad 1um, Alexander Alensis, S. Bonaventura, & alii, quos citat Vasquez 1. 2. disp. 143. cap. 1. 2. & 3. docent, veniale non esse contra *Deum* ut Legislatorem, sed solùm esse præter legem, quatenus est contra aliqua bona intenta à lege, non tamen necessaria ad Legislatoris amicitiam.

Ratio omnium est, quia esse contra Deum Legislatorem & contra divinam legem est præferre aliquid Deo ut Legislatori, ac divinæ legi, & voluntati; cùm autem ille, qui venialiter tantùm peccat, in sensu composito illius peccati possit esse habitualiter saltem paratus contemnere bonum, pro quo peccat, si Deus talem contemptûm ejus boni graviter præcipiat, in sensu composito illius venialis præfert simpliciter Deum, & divinam legem, ac voluntatem illi bono, pro quo peccat; ideóque nullum bonum præfert *Deo* ut Legislatori, ejusque legi, ac voluntati, sed solùm peccat, quia contemnit illud bonum, quod, licèt non sit necessarium ad *Dei* Legislatoris amicitiam, est tamen ex lege *Dei* conducens ad intensiorem illius amorem, & ad impediendam aliqualem Legislatoris displicentiam. Ex quo satis apparet, peccatum veniale non esse propriè offensam *Dei*, proindéque posse puram creaturam meritis suis adæquatè satisfacere pro veniali.

* * *

DISPU-

DISPUTATIO IX.

DE MAGNITUDINE LETHALIS OFFENSÆ.

338 PLures sunt sententiæ Doctorum. Prima docet, peccatum lethale in ratione offensæ esse simpliciter infinitum. Ita Cajetanus; Alvarez; Coninch; Petrus Hurtado; Bernal; Godoy, plurésque Thomistæ cum Gonnet disput. 9. de peccatis. Secunda sententia negat. Ita Scotus; Exim. Doctor, Vasquez; & communiter Nostri. Cæterùm inter Doctores primæ sententiæ varii sunt sensus; aliqui enim dicunt, offensam esse simpliciter infinitam physicè ratione Dei; qui est quasi forma infinita physica offensæ; alii ratione infinitæ vilitatis creaturæ; quæ includitur in offensa; alii cum Gonnet docent; non quidem physicè, sed moraliter tantùm esse infinitam; quia Deus non constituit offensam per unionem physicam cum actu pravo, sed per unionem moralem; & quia evadit infinita ratione infinitæ pœnæ; quam lethalis offensa promeretur per vim moraliter infinitam. Alii docent, esse simpliciter infinitam; sumpto ly *simpliciter* rigorosè; prout scilicet quælibet offensa continet formaliter; & eminenter omnem rationem offensæ; sicut Deus dicitur infinitus simpliciter in ratione entis; quia formaliter, vel eminenter continet omnem entis perfectionem; alii sumunt ly *simpliciter*, non rigorosè, sed propriè, prout scilicet quævis offensa licèt non contineat omnem rationem offensæ, continet tamen infinitatem in sua linea; sic Petrus dicitur simpliciter homo ex eo, quòd contineat perfectionem requisitam ad essentiam hominis, licèt non contineat perfectionem omnium hominum. Ad examinandos istos omnes dicendi modos, præscindimus in præsenti ab illa quæstione, in qua disputatur, an peccatum stet in positivo, an in negativo, & conveniemus cum Adversariis, dari peccatum lethale, quando homo transgreditur legem divinam advertens, illam transgressionem sibi esse graviter à DEO prohibitam.

SECTIO I.

Resolvitur Controversia.

339 ASsero 1. Offensa Dei non est simpliciter infinita, sumpto ly *simpliciter* rigorosè. Probatur Deus, ut ex terminis constat, non offenditur per quamlibet offensam, quantum offendibilis est: atqui ita necessariò offenderetur, si quælibet offensa esset infinita simpliciter: ergo &c. Confirmatur 1. Si quælibet ita esset simpliciter infinita, nulla esset major aliâ, tùm supra infinitum simpliciter non possit dari majus: sed hoc præterquam, quòd fuit error Joviniani, & Stoicorum, est contra Scripturam Joannis 19. Ubi Christus dixit Pilato: *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*: ergo &c. Confirmatur 2. Si offensa esset simpliciter infinita, esset tanta in ratione offensæ, quantum est meritum Christi in ratione meriti; siquidem in utrisque reperiretur infinitudo simpliciter; sed Christus brevissimo suæ vitæ tempore non potuit elicere tot actus, quot à principio usque ad finem mundi erunt peccata: ergo non satisfecisset adæquatè pro peccatis totius mundi; verum hæc infra clariùs constabunt.

Ante Secundam assertionem notare oportet, 340 propugnatores physicæ infinitudinis offensæ distinguere duplicem offensam, primâ dicitur merè affectiva; quæ licèt quoad affectum sit offensa, in re tamen non est offensa, v. g. si quis percutiat Paulum existimans, esse Petrum, offendet Petrum affectivè, non effectivè, similiter si quis efficeret actionem, existimans, esse contra jus Dei, illíque displicere, si non esset tale jus Dei, neque ex hoc titulo displiceret Deo, offenderet affectivè Deum & non effectivè; secundâ dicitur effectiva, quæ in re, & affectu est offensa Dei, & contra jus Dei, & displicentiam; primam fatentur non includere Deum, sed stare in aggregato ex actione physica mala, & ex advertentia ad Dei jus, & displicentiam; secundam verò dicunt includere ipsum Deum; hæc tamen explicatio manifestè includit repugnantiam in terminis, cùm nequeat aliqua actio esse affectivè contra Deum, & non effectivè, nam in illis circumstantiis nequit Deus in eâ non graviter displicere. His præmissis

Assero 2. Offensa Dei non est simpliciter 341 propriè infinita physicè, vel moraliter, assumendo infinitatem simpliciter à Deo tanquam à formâ physica, vel morali. Probatur 1. Eò ipsò, quòd fiat actus cum advertentia gravis prohibitionis divinæ, sivè ad jus, quòd habet, Deus, ne offendatur in illo conjuncto ex illa advertentia, & actu afferente carentiam rectitudinis graviter debitæ, datur offensa Dei affectiva, & effectiva; sed Deus neque est forma talis conjunctionis, neque in illo includitur, ut ex terminis patet: ergo &c. Confirmatur 1. Non minùs est finitum simpliciter peccatum lethale, licèt sit secundùm quid infinitum, quatenus respicit objectum infinitum offensum; sed illud conjunctum, utpote ex actibus finitis, est simpliciter finitum: ergo etiam peccatum lethale est simpliciter finitum. Minor, & consequentia certæ sunt, maj. autem videtur nota ex terminis, simúlque est expressa Div. Thomæ doctrina quæst. 2. de malo, art. 9. ad 5. ubi hæc habet: *peccatum essentia-*

liter finitum est, licèt habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum; & 3. part. quæst. 1. art. 2. ad 2. *peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate Divinæ Majestatis;* ubi notanter apponit *quandam*, & non simpliciter; quia in doctrina Div. Thomæ peccatum non est simpliciter infinitum, sed secundùm quid ex habitudine ad Deum offensum, qui infinitus est.

342. Confirmatur secundò, non minùs est evidens lumine naturæ, creaturas debere placere, & non displicere graviter Deo, quàm sit evidens dari creaturas, & dari Deum, atqui supposita hujusmodi cognitione, actus, quo amo Deum propter se, & creaturas propter Deum, non solus est bonus in affectu, sed effectu: ergo supposita hujusmodi cognitione actus, quo volo graviter displicere Deo, non solus est malus in affectu, sed in effectu, ac proinde in illo conjuncto ex illa cognitione, & tali actu, stat essentia peccati lethalis. Confirmatur 3. Posito actu, cum advertentia prohibitionis divinæ de re levi in conjuncto ex ea advertentia, & tali actu afferente carentiam rectitudinis leviter debitæ datur per Vos peccatum leve: ergo posita tali advertentia, & actu afferente carentiam rectitudinis graviter debitæ, quo Deo displiceo, datur in eo conjuncto peccatum grave. Confirm. 4. Posito actu dilectionis cum advertentia ad præceptum Dei datur per Vos affectiva, & effectiva honoratio, & obsequium Dei, quin Deus sit forma illius obsequii: ergo posito actu odii, cum advertentia ad prohibitionem gravem Dei dabitur affectiva, & effectiva inhonoratio, & offensa Dei, quin Deus sit forma illius inhonorationis, & offensæ. Confirmatur 5. In eo stat offensa effectiva Dei, ad quod tendit displicentia gravis Dei; sed tendit ad conjunctum ex eo actu, & cognitione gravis prohibitionis, non verò ad ipsum Deum: ergo totum constitutivum peccati lethalis stat in eo conjuncto, & non in ipso Deo.

343. Respondebis ex Godoy, Gonnet, & Contenson, Deum esse formam offensæ, non autem obsequii, quia diversimodè comparatur ad offensam, & obsequium; offensa enim ex Philosopho stat in offenso, obsequium verò non in honorato, sed in honorante; Deus quidem per offensam affectivè subjicitur homini, destruitur, & patitur offensam, quod moraliter idem est, acsi in re subjiceretur, patereturque offensam, & ab homine destrueretur, quod nempe in æstimatione morali nequit non esse malum infinitum, ac proinde nequit non habere Deum, ut formam talis offensæ; ideóque offensa, ut ait Divus Thomas, est major, quò major est ille, in quem delinquitur; hoc autem non contingit in obsequio, sed è converso.

344. Contrà tamen 1. omnia peccata mortalia non tendunt affectivè ad Dei destructionem: ergo &c. Probatur antec. peccatum, quo quis vult furari rem alienam (idem esto suo modo de aliis) non tendit formaliter ad Dei destructionem, ut per se patet deinde; neque æquivalenter: ergo &c. Probatur secunda para antec. homo non vult destrui rem, quam vult furari; sed si vellet destructionem Dei, vellet destructionem rei, quam vult furari; cùm ea sine Deo conservari non possit: ergo &c. Confirmatur 2. homo solùm vult per aliquem actum æquivalenter id, sine quo nequit dari talis actus; sed peccatum furti v. g. dari potest absque Dei destructione: ergo &c. Confirmatur 3. Licèt peccatum vellet formaliter Dei destructionem, non ideò haberet malitiam Theologicam infinitam: ergo &c. Probatur antec. malitia illius actus limitaretur à cognitione proponente Deum, quæ esset finita, ut Vos fatemini, claréque constabit probatione secunda; sed malitia limitata à cognitione finita nequit evadere infinita: ergo &c.

Confirm. 4. Malitia hujus actus ratione limitationis non est tanta, quanta est magnitudo objecti: ergo &c. Probatur antec. malitia physica illius actus, quo quis vellet interficere infinitos homines, non est infinita per Vos, sed haberet objectum infinitum: ergo &c. Confir. 5. Licèt per dilectionem perfectam reddat homo Deo affectivè rationem ultimi finis, ejúsque destructionem detestetur, non habet ille actus bonitatem infinitam: ergo licèt homo per peccatum tollat affectivè à Deo rationem ultimi finis, ejúsque destructionem optet, non habebit ille actus malitiam infinitam. Confirmatur 6. Ille actus nihil intrinsecè tolleret à Deo, sed solùm impediret extrinsecum honorem in Deo sub gravi debitum, quo Deum contemneret: ergo nequit habere malitiam intrinsecam simpliciter infinitam.

Respondebis, illum actum, quo vult homo destruere Deum, graviorem esse, quàm illum, quo vult Deum honorare, quæ major gravitas aliunde desumi nequit, nisi ex eo, quòd Deus sit subjectum & forma offensæ, quin sit subjectum, & forma obsequii. Contrà 1. licèt actus virtutum eò perfectiores sint, quò perfectius est objectum, quod attingunt, v. g. actus charitatis est perfectior actu temperantiæ Deum non attingente, per Vos objectum actus perfectioris non est forma sui actus præ objecto actus imperfectioris: ergo licèt sit gravior actus inhonorans, quàm honorans Deum, non erit Deus forma actus inhonorantis, & purus terminus honorantis; contrà 2. licèt actus charitatis intensior sit perfectior remisso, non est Deus forma intensi, & purus terminus remissi: ergo pariter.

Licèt apprehensio ignobilior sit judicio, actus humanus Angelico, Angelicus Divino circa idem objectum, non sumitur ex eo, quòd objectum sit forma unius, & non alterius, sed à diverso modo intrinseco tendendi in objectum: ergo licèt actus inhonorans Deum sit gravior honorante, non id desumetur ex eo, quòd Deus sit forma unius, & non alterius, sed ex diverso modo tendendi per inhonorationem, quàm

quàm per honorationem respectivè ad Deum. Contrà 4. Deus per Vos patitur offensam, sed non patitur seipsum: ergo non est forma offensæ. Contrà 5. Licèt materia sit substantia formæ non est de constitutivo formæ, & licèt forma rationalis sit subjectum suorum actuum, non tamen est forma suorum actuum: licèt Deus sit objectum ergo offensæ, non ideò est forma offensæ. Confirmatur 6. Quòd dicatur Deus inhonoratus ab offensa, & illam valorans, per Vos solùm arguit, quòd Deus sit objectum offensæ: ergo quòd dicatur honoratus à dilectione, & illam valorans, solùm arguet, quòd Deus sit objectum dilectionis.

348. Prob. 2. Dato, & non concesso, quòd Deus sit forma offensæ, non redderet offensam simpliciter infinitam: ergo &c. Probatur antec. infinitudo Dei non esset forma offensæ, ut est in se (aliter cùm Deus sit semper idem, omnes offensæ semper essent æquales, quod dici nequit ex num. 339.) sed juxta mensuram geometricam cognitionis; atqui Deus, ut cognitus nequit reddere offensam simpliciter infinitam: ergo &c. Prob. min. Deus, ut cognitus limitatur per cognitionem, sed limitatus per cognitionem nequit offensam constituere simpliciter infinitam: ergo &c. Major patet, quia Deus, si nullo modo cognoscatur, nullo modo offenditur, & cognitus per cognitionem levem solùm leviter offenditur, & per gravem graviter, quia limitatur ad cognitionem. Min. probatur. Cognitio non solùm est finita, sed etiam in gradu inferiori ad inhonorationem, & offensam: ergo, ut Deus infinitus proportionaliter limitetur per cognitionem ordinis inferioris ad ipsum, neque manebit in linea infinita, qualis est in se, neque in linea ordinis inferioris, qualis est cognitio, sed in linea Superiori gravi media inter inferiorem & infinitam, quæ quidem est proportio geometrica: ergo &c.

349. Respondebis ex Gonet Deum media cognitione finita constituere offensam infinitam, sicut media cognitione ordinis inferioris constituit per nos offensam ordinis Superioris, & sicut personalitas verbi constituit meritum simpliciter infinitum cum suis actibus limitatis à principio effectivo finito. Contrà tamen, & in primis, ut infra constabit, exemplum personalitatis verbi non venit ad rem; primò quia personalitas se habet ex parte principii meritorii, quod ut operetur non opus est, ut cognoscatur, ut patet in gratia justificante; justus enim supernaturaliter, etiam liberè operans in via revera meretur, quamquàm non cognoscat se esse in gratia, ac proinde gratia, quæ est forma meriti puræ creaturæ, vel Persona Divina, quæ est constitutiva meriti Christi, non limitatur à principio productivo creato actus condignificandi, neque ab illius dignitatis cognitione; cum principium productivum creatum, ejusque dignitatis cognitio sit extra constitutivum meriti Christi, ut cum omnibus fatetur Gonnet.

350. Contrà 2. Quia personalitas verbi, ut est in se constituit meritum, cum communicetur merito, ut est in se, ideóque licèt unio moralis & actus sit finitus consurget mei tum simpliciter infinitum; hæc etenim est diversitas inter actum, & meritum, etenim actus cum non includat personalitatem, ut est in se, sed hæc ei adveniat media Unione morali, manet semper in se finitus; at verò meritum utpote ex actu, & personalitate, ut etiam in se consurgens includit personalitatem, ut est in se, quæ cùm in se sit simpliciter infinita, erit etiam meritum simpliciter infinitum; sic humanitas Christi non manet simpliciter infinita, quia solùm habet personalitatis communicationem media unione finita; at verò compositum Christus includens personalitatem, ut est in se manet simpliciter infinitum; nihil enim ex his reperitur in offensa, quandoquidem Deus, ut est in se non unitur moraliter actioni offensivæ, sed ad summum, ut limitatur per cognitionem, ut constat à num. 348. aliter, sicut merita Christi sunt æqualia, essent æquales omnes offensæ, quod falsum est, & sicut personalitas non cognita meritum constituit, Deus etiam non cognitus constitueret offensam, quod negant omnes, & ipse Gonnet; hinc

351. Necesse est, ut Gonnet ad primum argumentum confugiat, contra quod insurgo primo, offensa non limitatur arithmeticè ad mensuram cognitionis: ergo licèt cognitio sit in ordine inferiori respectivè ad Deum, constituet offensam in ordine Superiori. Probatur antec. homo eadem cognitione instructus potest elicere obsequium, vel offensam Dei, sed apud omnes gravior reputaretur offensa, quàm obsequium factum Deo in illis circumstantiis: ergo quia Deus non limitatur arithmeticè, sed geometricè ad mensuram cognitionis; secundò eatenus limitatur Deus per cognitionem quatenus cum illa constituitur conjunctum ex cognitione, & entitate, seu carentia actus peccaminosa, sed illud conjunctum etsi finitum est in ordine Superiori, ut per se patet: ergo licèt cognitio sit per se ~~in~~finita, & ordinis inferioris, Deus limitabitur per illam etsi finitè ad ordinem Superiorem.

352. Contrà 3. Licèt cognitio secundum se sumpta sit ordinis inferioris, & carentia rectitudinis debitæ, seu actus pravus, quo non adimpletur præceptum, secundum se sumptus sit etiam ordinis inferioris, tamen conjunctum ex tali actu, & cognitione est ordinis superioris: ergo si Deus limitatur per cognitionem conjunctam, cum tali actu limitabitur ad ordinem Superiorem; conseq. tenet, antec. patet, quia licèt facere contra præceptum Dei sine cognitione præcepti non sit mortale v. g. comedere carnes die Veneris, si invincibiliter ignoretur esse diem Veneris, nec cognoscere esse diem Veneris sit mortale, si non comedantur car-

carnes die Veneris, tamen cognoscere diem Veneris esse, in quo prohibetur comestio carnium, & comedere cum hac cognitione carnes est peccatum mortale: ergo licèt illa cognitio seorsim à comestione carnium, & comestio carnium seorsim à cognitione non sint in linea superiori, tamen illa cognitio simul cum comestione, & illa comestio cum illa cognitione erunt in linea superiori, atqui licèt illa cognitio seorsim à comestione, & comestio à cognitione non sunt peccatum mortale, comestio tamen simul cum cognitione, & cognitio cum comestione erunt peccatum mortale: ergo licèt seorsim acceptæ non sint in linea superiori, erunt tamen acceptæ conjunctim: ergo licèt Deus per cognitionem in illo conjuncto non limitetur infinitè, quia conjunctum illud non crescit sine fine, cùm crescat ex cognitione, & affectu, quæ duo simul sumpta finita sunt, tamen limitabitur ad lineam superiorem, ex quo conjunctum illud crescit ad lineam superiorem, licèt finitam.

353. Contrà 4. Deus limitatur per cognitionem juxta mensuram suæ displicentiæ; sed Dei displicentia respectivè ad offensam est finita, & in ordine superiori; ergo &c. Major constat; quia offensa non est gravior, quàm Deo displicens; min. verò probatur: displicentia divina de malitia offensæ reflectit supra displicentiam de malitia objectiva; ergo quo major est displicentia de malitia objectiva; ergo quo major est displicentia de malitia objectiva, eò major est displicentia de malitia Theologica; plus enim Deo displicet offensa perfidæ infidelitatis, quàm offensa furti cum aliquali necessitate; quia gravior est, ut per se patet in ea infidelitate malitia objectiva, quam in tali furto, supra quam reflectit displicentia de Theologica malitia; atqui, si offensa esset simpliciter infinita, non posset Deo displicere magis una, quàm alia: ergo non est simpliciter infinita, ac proinde manebit ratione divinæ inhonorationis in linea superiori finita.

354. Dices, constitui in ordine superiori infinito; quia displicentia est actus Dei, & omnes actus Dei sunt infiniti. Contrà tamen 1. Ex eo, quòd in conjuncto ex actu creato, vel carentia rectitudinis debitæ, & advertentia ad jus Dei ster ratio offensæ, ut probavimus num. 341. displicentia divina, licèt sit entitativè infinita; at objectiva limitatur arithmeticè ad gradum illius conjuncti; sed tale conjunctum, ut per se patet, est finitum, licèt sit ordinis superioris, & grave: ergo displicentia Dei objectivè, sive respectivè ad illud conjunctum erit finita, licèt sit gravis, & ordinis superioris. Probat. maj. Licèt displicentia divina de veniali sit entitativè infinita, quia tamen veniale est finitum, & leve, illa displicentia respectivè ad veniale est finita, & levis: ergo pariter. Contrà 2. Ut fatetur Gondoy, Gonnet, & Contenson, offensa limitatur, ne sit major alia ab objecto, intensione actus, aliisque circumstantiis: ergo potiùs limitabitur à cognitione creata, & displicentia divina.

Respondebis ex Gonnet, offensam non limitari, sed esse moraliter infinitam, quia habet vim moraliter infinitam, quæ infertur ex pœna infinita, quam promeretur. Contrà 1. Angelum, & animam rationalem exigere durationem infinitam ex natura sua, & per infinitam durationem operari physicè, non arguit per vos Angelum, & animam rationalem habere vim, & virtutem infinitam physicè, sed solùm arguit virtutem finitam physicè exigentem ex natura sua extendi per infinitam durationem: ergo offensam ex natura sua exigere durationem infinitam, & per durationem infinitam operari moraliter, non arguit, offensam habere vim, & virtutem moraliter infinitam, sed virtutem moraliter finitam exigentem ex natura sua per infinitam durationem.

Contrà 2. Licèt offensa esset infinita, produceretur per Vos ab anima finita: ergo licèt pœna sit infinita, causari potest ab offensa finita. Contrà 3. Licèt opera supernaturalia justi mereantur Præmium infinitum, non habent per Vos virtutem moraliter infinitam: ergo pariter. Contrà 4. & à priori. Causa moralis, sive meritoria, sive demeritoria, in eo distinguitur à physica, quòd non operetur per suam vim moralem, sed per suam compossibilitatem, ut patet in meritis; sed offensa finita nequit satis compensari, nisi per pœnam in duratione infinitam; siquidem manebit per totam æternitatem: ergo licèt sit finita, merebitur pœnam infinitam. Contrà 5. Licèt Angelus naturaliter exigat durationem infinitam, non est infinitus: ergo licèt offensa naturaliter exigat pœnam infinitam, non tamen est infinita.

Respondet ultimò Gonnet, gravitatem personalem offensæ utpote sumptam ex parte Dei, æqualem esse pro omnibus, licèt inæqualis sit malitia non personalis, nec accepta ex parte Dei, sed ex aliis capitibus, sicut valor personalis operum Christi est in omnibus æqualis, licèt valor objectivus inæqualis sit; hæc tamen solutio, ni fallor, pejor est omnibus aliis: ideóque contrà 1. Deus non constituit offensam, sicut personalitas Christi constituit meritum, ut constat manifestè ex num. 348. hæc igitur solutio nulla est. Contrà 2. Si gravitas offensæ in omnibus æqualis esset ex parte Dei, à quo sumitur infinitudo, & inæqualis ex parte objecti, à quo infinitudo non desumitur, sicut valor operum Christi æqualis est omnibus ex parte personalitatis, ex qua sumitur infinitudo, & inæqualis ex parte objecti, ex qua infinitudo non desumitur, tam infinita esset offensa, ac sit infinitus valor operum Christi, ut per se patet; sed hoc dici non potest, aliter cùm Christus per brevissimum suæ vitæ tempus non potuerit elicere tot actus, quot peccata elicuerunt omnes homines, non satisfeciisset condignè pro omnibus peccatis; ergo &c.

Assero 3. contra Bernal. Offensa non est infinita

finita ratione vilitatis creaturæ offendentis, & ut clariùs appareat conclusio nostra, nota vilitatem creaturæ utpote entitativam stare in intrinsecis creaturæ prædicatis distantibus ab infinita perfectione Dei considerată distantiâ ex parte creaturæ ad Deum; nam sumpta distantia ex parte Dei ad creaturam non esset vilitas, sed summa dignitas entitativa Dei; sic distantia localis, quæ inter Cœlum, & terram intercedit, sumpta à terra ad Cœlum vocatur distantia sursum, & sumpta à Cœlo ad terram, vocatur deorsum; quia terra est locata deorsum, Cœlum verò sursum, & superius; sic etiam DEUS est superior, seu entitativè infinitus; creatura verò inferior, & entitativè finita. Unde vilitas creaturæ entitativa, utpote secum ipsa identificata erit finita in se, & respectivè ad Deum, & dignitas Dei erit in se, & respectivè ad creaturam infinita. Cæterùm præter entitativam, & intrinsecam distantiam datur alia extrinseca; sic Deus est terminus extrinsecus creaturæ, & creatura est terminus extrinsecus Dei; quæ in utroque dici potest aliquo modo infinita, negativè tamen in creatura, prout caret infinita perfectione Dei, positivè verò in Deo, prout per suam virtutem infinitè superat creaturam. His positis

359. Probatur nunc conclusio 1. Vilitas personæ offendentis non includitur formaliter in offensa: ergo &c. Probatur antec. Vilitas personæ, utpote cum ipsa persona identificata, solùm est prinipium activum: ergo non est constitutivum formale. Confirmatur 1. ex iis, quibus num. 341. probavimus, Deum non esse formam offensæ; nam ipsissimæ rationes militant utrobique. Confirmatur 2. Licèt Vilitas entitativa creaturæ esset constitutiva formaliter offensæ, non ideo offensa esset simpliciter infinita: ergo &c. Probatur antec. Vilitas entitativa creaturæ ita est finita, ut, quò magis creatura distat à Deo, magis vilis, limitata, & finita sit; sed vilitas adeò finita nequit constituere offensam intrinsecè infinitam: ergo &c. Major, & consequentia tenent; min. patet; quia quod constituit totum aliquod intrinsecè, non aliter illud constituit, nisi se ipsi toti communicando: ergo vilitas finita se communicat finitè, ac proinde nequit constituere offensam infinitam.

360. Probatur 2. Licèt vilitas creaturæ esset aliquo modo infinita, non posset constituere offensam in ratione offensæ infinitam: ergo &c. Probatur antec. Vilitas, & malitia offensæ in ratione offensæ est Theologica, vilitas entitativa creaturæ in ratione creaturæ est physica; sed vilitas physica, ut physica est, nequit intrinsecè constituere vilitatè, & malitiam Theologicam in ratione Theologicæ: ergo &c. Maj. & consequentia tenent; min. patet, quia quod constituit, intrinsecè constituit, ut est in se. Confirmatur 1. Ipse actus, qui est intrinsecè offensa, ut contradistinctus à persona offendente, etiam esset infinitè vilis, cùm etiam sit creatura; sed per se ipse actus, ut contradistinctus à persona offendente, non habet infinitâ malitiam Theologicam; ergo &c. Confirmatur 2. Peccatum veniale, cùm sit creatura, etiam esset infinitè vile; atqui non includit infinitam malitiam Theologicam: ergo &c.

Respondebis ex Bernal, peccatum veniale non includere vilitatem personæ offendentis; quia rigorosè non est offensa Dei. Contrà tamen 1. Licèt non includat vilitatè personæ, includit tamen vilitatem ipsius peccati, quæ juxta sua principia non minùs infinita est, quàm vilitas personæ offendentis, cùm ambo conveniant in ratione creaturæ infinitè à *Deo* distantis; sed per te non habet malitiam Theologicam infinitam: ergo &c. Contrà 2. Licèt peccatum veniale non sit strictè offensa Dei, est tamen actus in se strictè malus, & peccaminosus, & reverâ peccatum; atqui ex tuis principiis ex titulo creaturæ continet vilitatem infinitam constituentem actum peccaminosum: ergo juxta tua principia peccatum veniale est infinitum. Ex dictis 361.

Fit 1. Offensam Dei nullam includere rigorosam infinitudinem, neque physicam, neque moralem. Ratio est, quia si aliquam includeret, vel esset desumpta ex parte Dei, vel creaturæ, vel offensæ consideratæ in ordine ad affectivam destructionem Dei, vel in ordine ad pœnam, quam promeretur peccator; sed ex nullo ex his capitibus desumitur: ergo &c. Fit 2. Offensam Dei solùm esse secundùm quid infinitam, prout infinitudo secundùm quid significat habere objectum infinitum, à quo sumit gravitatè geometricam, seu finitam in supremo ordine offensæ, sive inhonorationis divinæ, & hoc est non habere rigorosam, sed aliquam solùm infinitatem; sic loquitur Exim. Doctor disput. 4. sect. 7. §. *hinc constat*, juxta doctrinam Div. Thomæ num. 341. proportio autem geometrica in eo stat, quòd Deus repræsentatus in cognitione apparet in ea nobilior quacunque creatura, quamvis ea repræsentatio in cognitione non sit tanta, quantus est ipse Deus: sic imago hominis relucens in speculo repræsentata est nobilior imagine canis repræsentati in speculo; at ea repræsentatio hominis in speculo, non tam excedit repræsentationem canis, quàm ipse homo excedit canem. Unde testimonia in contrarium allata intelligenda sunt juxta explicationem istam, ne sibi S. Doctor contrarius esse videatur. 362.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

OBjicies 1. contra primam, & secundam assertionem ex Gonnet disp. 9. de peccat. num. 141. ratione, ut ipse ait, fundamentali. Gravitas offensæ crescit juxta dignitatem personæ, cui irrogatur, sed persona per peccatum mortale offensa, scilicet Deus, est dignitatis simpliciter infinitæ; ergo peccatum mortale in ratione offensæ est gravitatis simpliciter in- 363.

finitæ; sed quis non videt, ex dictis fundamentum penitus evulsum. Retorqueo argumentum: bonitas actûs cæteris paribus crescit juxta bonitatem objecti, quod attingit; atqui actus charitatis attingit bonitatem simpliciter infinitam, scilicet Deum: ergo actus charitatis in ratione boni est bonitatis simpliciter infinitæ. Respondeo deinde dist. maj. crescit proportione arithmetica cum persona offensa, nego, proportione geometrica, conc. maj. & concessa min. nego conseq. hoc est, ita crescit illa offensa ratione Dei, ut superet omnes alias offensas factas contra personas inferiores Deo ex dictis à num. 268. sed non ita crescit, ut excedat alias offensas, sicut excedit alias personas, cùm infinita dignitas Dei limitetur à cognitione imperfecta.

364. Objicies 2. instando solutionem ex Gonnet: persona offensa ex se non est minus potens dare infinitatem simpliciter, quàm superioritatem ordinis offensæ sibi irrogatæ; atqui ex parte offensæ non est assignabilis ratio, cur unum, & non aliud participet: ergo &c. Confirmatur 1. Licèt conatus, & cognitio peccantis sint in ordine inferiori, possunt dare offensæ gravitatem ordinis superioris: ergo licèt sint in ordine finito, possunt dare offensæ gravitatem ordinis infiniti. Confirmatur 2. Licèt actus meritorij Christi sint in genere entis finiti, & limitati, limitatio illa non obstat, quò minùs à persona verbi trahant dignitatem, & valorem infinitum, ut præter Scotum omnes ferè Theologi fatentur: ergo quamvis conatus, & cognitio peccatoris sint in esse physico finiti, hoc non obstabit, quò minùs trahant à Deo gravitatem offensæ moraliter infinitam. Hæc sunt argumenta Gonneti.

365. Retorqueo 1. argumentum in actu charitatis ex dictis num. 363. Deinde respondeo permitto maj. quæ valde dubia est; primò, quia, ut plures volunt, ut offensa sit simpliciter infinita, requiritur in peccatore cognitio cognoscens Deum, quantùm cognoscibilis est, & cùm hæc repugnet ex parte Dei, nequibit Deus ex se dare offensæ infinitatem moralem simpliciter infinitam; secundò, quia saltem ad offensæ infinitatem requiritur cognitio, & conatus infinitus supra vires naturales puræ creaturæ, quorum impossibilitatem propugnant ferè omnes Theologi, nec improbat ipse Gonnet, ne dicatur specialis causa peccati, imò cum illa cognitione non potest fortasse pura creatura peccare, cùm infinitè repræsentaret summam bonitatem, sicut nunc non possunt peccare Beati: majori tamen permissa, nego min. quia juxta num. 341. DEUS limitatur à cognitione, ne communicet offensæ gravitatem infinitam.

366. Ad primam Confirmationem respondeo, nego consequentiam; quia, ut constat à n. 351. Deus non limitatur arithmeticè, sed geometricè per cognitionem; aliàs omnes offensæ essent æquales, quod est contra Christi doctrinam datam num. 339. unde poterit constituere offensam in ordine superiori, & non in ordine infinito. Respondeo 2. dist. antec. si sint in ordine inferiori seorsim sumptæ, conc. simul sumptæ, nego suppositum antecedentis ex num. 352. & nego consequentiam; quia simul sumptæ sunt in ordine superiori; nam constituunt peccatum mortale, & sunt in linea inhonorationis divinæ. Cæterùm exinde non sunt in linea infinita adhuc simul sumptæ; quia cognitio non est infinitè intensa, neque actus transgrediens præceptum est infinitè intensus, neque seorsim, neque conjunctim cum alio; & ratio ulterior est, quia ex eo, quòd Deus non displiceat graviter in illis actibus seorsim sumptis, licèt non evehat illos actus seorsim sumptos, ut sint in linea superiori, reddit tamen conjunctum illorum in linea superiori: at verò Deus non dat illis actibus majorem affectionem, & expressionem conjunctim, quàm seorsim; cùm expressio, & affectio sit realiter identificata cum actibus consistens in ipsorum natura physica, quæ semper est eadem, ac proinde nec conjunctim, nec seorsim possunt pervenire ad lineam infinitam.

Ad secundam Confirmationem nego antec. maxima enim æquivocatione laborat hic Gonnet: etenim actus Christi Domini ex sua entitate non sunt infiniti, licèt sit infinitum conjunctum ex actu, & personalitate Verbi illud condignificante, in quo conjuncto stat meritum simpliciter infinitum, eò quòd personalitas, ut est in se, constituit illud conjunctum, ut proprium divinæ personæ. Deus autem, ut est in se, non constituit offensam, nec ista est actio propria personæ divinæ, sed ad summum Deus ut cognitus dat extrinsecam gravitatem offensæ, quatenus proportionatur geometricè ad mensuram cognitionis, cùmque in hac acceptione non maneat offensa simpliciter infinita, exinde non potest Deus reddere eam offensam simpliciter infinitam; aliter si Deus, ut est in se, constitueret offensam, modo, quo personalitas, ut est in se, constituit meritum Christi Domini, tanta esset quævis offensa, quantum esset quodlibet meritum; unde una non esset major alia contra doctrinam Christi Domini num. 339. nec Christus satisfeciisset condignè pro omnibus peccatis, cùm non elicuerit tot actus, quot patrata sunt peccata.

Objicies 3. Ex eodem Gonnet. Ex eo, quòd satisfactio Christi gaudeat vi satisfactoria sufficiente pro culpis syncategorematicè infinitis, continet valorem simpliciter infinitum in ratione meriti: ergo ex eo, quòd peccatum gaudeat vi meritoria pœnarum syncategorematicè infinitarum, continebit gravitatem in ratione offensæ simpliciter infinitam. Confirmatur 1. Ut satisfactio Christi contineret illam vim satisfactoriam, non sufficeret, quòd esset ordinis Superioris ad offensas, sed necessariò requiritur, quòd sit ordinis infiniti: ergo pariter in peccato respectu pœnarum. Confirmatur 2. Effectus physicè infinitus nequit

quit contineri in cauſa finita, aliter omnipotentia eſſet infinita, ex eo, quòd contineat effectus ſine termino: ergo pariter, ut effectus moraliter infinitus contineatur in aliqua cauſa, non ſufficit, quòd illa ſit ordinis ſuperioris, ſed neceſſario exigitur, ut in ratione moris ſit ſimpliciter infinita.

369. Retorqueo argumentum in actu charitatis, ex n. 362. Deinde reſp. nego ant. ſeu cauſalem illam ex eo, quia meritum Chriſti non continet valorem ſimpliciter infinitum ex eo, quòd poſſit ſatisfacere pro culpis ſyncategorematicè infinitis; aliter Angelus potens phyſicè producere in æternum actus ſyncategorematicè infinitos, contineret virtutem, & perfectionem infinitam, quòd cum omnibus negat ipſe Gonet; meritum enim Chriſti *Domini* continet valorem ſimpliciter infinitum: quia conſtituitur ex actione Chriſti, & perſonalitate Verbi, ut eſt in ſe, quæ cùm in ſe ſit ſimpliciter infinita, conſtituit meritum ſimpliciter infinitum, at Deus, ut eſt in ſe, non eſt de formali offenſæ conſtitutivo, ſed eſt objectum, quod à creatura offenditur. Ad Confirmat. diſt. antec. ſi poſſet eſſe ordinis ſuperioris, quin eſſet ordinis infiniti, nego, ſi non poſſet conc. antec. & nego conſeq. quia, ut conſtat à num. 286. offenſa licèt finita, ita gravis eſt, ut non poſſit compenſari à creatura, ſed ab homine *Deo*, cùm autem meritum Hominis *Dei* ſit ſimpliciter infinitum, exinde ſatisfactio continens vim condignè ſatisfactoriam talis offenſæ, arguitivè infertur ſimpliciter infinita.

370. Cæterùm, ſi per impoſſibile fingeretur meritum ordinis ſuperioris ad offenſam, quin eſſet ſimpliciter infinitum, ſed finitum, adæquatè ſatisfaceret pro offenſa, cùm actus ordinis ſuperioris abundanter æquivaleant infinitis actibus ordinis inferioris, ut conſtat ex num. 273. Hanc eandem doctrinam ſolutionis noſtræ ſui immemor defendit Gonnet diſp. 4. de Incarnat. num. 46. docens juſtè peti à *Deo* ſatisfactionem Chriſti pro peccatis, licèt hæc ſit ſuperabundans, quia non eſt poſſibilis ſatisfactio ſolùm æqualis, quia duntaxat ſatisfacere poteſt Perſona divina, quæ ſuperabundantem ſatisfactionem exhibebit neceſſariò, imò num. 33. ut hanc doctrinam accuratè defendat, reddit cum Godoy diſparitatem, quàm nos aſſignamus inter offenſam & meritum Chriſti, ait enim *Deum* per unionem phyſicè limitari ad gravificandam offenſam quàm limitetur per unionem phyſicam mediatam ad dignificandas actiones Chriſti; unde cùm illa unio fundetur in cognitione peccatoris, velit, nolit, tenetur Gonnet fateri ad gravificandam offenſam limitari à cognitione creata, quæ cùm finita ſit, adhuc in conſortio actus pravi licèt ſit ordinis ſuperioris reddet offenſam finitam, & ordinis ſuperioris.

371. Ad ſecundam confirmationem diſt. antec. effectus phyſicè infinit⁹ nequit contineri in cauſa phyſicè finita modo infinito, conc. modo finito nego ant. & conſeq. nam Angelus in æternitate à parte poſt continet virtutem productivam actuum, ſyncategorematicè infinitorum, quin ſit infinitus; contineri autem modo finito in eo ſtat, quòd cauſa, ut cauſa non habeat in ſe prædicatum infinitum, ſed finitum; contineri autem modo infinito ſtat in eo, quòd cauſa, ut cauſa conſtituatur ex aliquo prædicato infinito, ut omnipotentia conſtituitur ex prædicato divino, quod infinitum eſt, & ſe ipſo abſque dependentia ab altero omnia poteſt, quod certè in actu peccaminoſo non ita contingit; unde meritum Chriſti eatenus eſt ſimpliciter infinitum, quatenus conſtituit perſonalitatem Verbi ſimpliciter infinitam.

Objicies 4. Ex aliis Thomiſtis. Illa offenſa eſt ſimpliciter infinita, qua Deus offenditur quantum offendibilis eſt, ſed per peccatum mortale offenditur Deus, quantum offendibilis eſt: ergo &c. Probatur min. Deus non aliter offendi poteſt, quàm auferendo ab ipſo rationem ultimi finis, eámque conſtituendo in creatura, ſed hoc ipſum invenitur in quocunque peccato mortali: ergo &c. Hoc argumentum inquit Gonnet, nihil valet, quia retorſionem patitur in actibus charitatis, quàm ſic efformat. Deus non eſt aliter diligibilis, quàm ſi præponatur creaturis, & ſuper omnia diligatur, ſed hoc fit per quemlibet actum charitatis: ergo &c. Nec refert, quòd per unum actum Deus diligatur intenſiùs, & per alium remiſſiùs; at hæc ratio non quidem Adverſariis, ſed nobis favet, unde reſpondeo, nego min. ad probat. diſt. maj. quàm auferendo ab ipſo rationem ultimi finis magis, vel minùs intensè ad limitationem cognitionis vel affectus ſaltem creati conc. ſemper æqualiter, & abſque limitatione, nego maj. & diſt. min. nego conſeq. quæ ut conſtat ex dictis, nulla eſt. 372.

Objicies 5. Ex aliis actio per ſe deſtructiva termini infinitè boni eſt gravitatis, & malitiæ ſimpliciter infinitæ, ſed quodlibet peccatū mortale, quantum eſt de ſe, eſt deſtructivum Dei, qui infinitè bonus eſt: ergo &c. Major patet, quia actio deſtructiva adæquatur in ratione mali, cum non eſſe termini deſtruendi, quod eſt malum infinitum: ergo &c. Confirm. peccatum mortale meretur pœnam damni conſiſtentis in privatione viſionis beatificæ, aliorúmque donorum, & cujuslibet beatitudinis poſſibilis, ſed hoc eſt malum infinitum: ergo meretur pœnam infinitam, ac proinde erit infinitum; hujus argumenti imbecillitatem agnoſcunt Adverſarii, ut fatetur Gonnet num. 140. quòd, ut pateat, retorqueo argumentum; non minùs actus charitatis eſt de ſe ædificativus Dei, ſed reddens Deo rationem ultimi finis, quàm peccatum mortale ſit Dei deſtructivum, atqui peccatum eſt ſimpliciter infinitum: ergo etiam actus charitatis erit ſimpliciter infinitus. 373.

Reſpondeo deinde nego maj. quia ex dictis num. 341. malitia ipſius actus limitatur à tenuitate cognitionis, unde manet finita, imò ex 374.

ex dictis num. 344. minor etiam est falsa, ad probat. nego antec. ob eandem rationem. Ad Confirm. resp. 1. nego maj. quia privatio donorum supernorum potest solùm esse positiva pœna juxta eam proportionem, quam condignè mereretur homo, si non peccaret, cùm autem participatio bonorum esset intensivè infinita, nequit peccatum mortale mereri pœnam simpliciter infinitam, sed infinitam solùm exigentem extensionem syncategorematicè infinitam, quod non arguit infinitatem, ut patet in merito exigente extensionem præmii syncategorematicè infinitam; sic licèt peccatum veniale faciat hominem indignum unione hypostatica, illúmque privet gloria, dum non remittitur, non est tam malum, quàm bona sint gloria, & unio hypostatica, ideóque duntaxat potest esse pœna positiva ipsius, quod proportionaliter respondet illi malitiæ; quamobrem carentia boni non est semper tantum malum, quantum est bonum, quod impedit, aliter beati carentes Unione hypostatica, & infinitis donis supremis possibilibus paterentur malum simpliciter infinitum, unde carentia alicujus boni solùm reputaretur absolutè mala juxta eum gradum, quo aliquem absolutè privat sua felicitate, at juxta alios gradus non est absolutè mala positivè, sed minùs bona.

375. Exinde carentia unius actus gloriæ dicitur absolutè mala damnatis, quia eos absolutè privat sua felicitate, at illis, qui habent unicum duntaxat gradum gloriæ, carentia aliquorum gràduum non dicitur absolutè mala, sed minùs bona, imò, ut advertit Exim. Doct. disp. 4. sect. 3. nequit esse absolutè mala privatio donorum, quæ licèt non extitisset peccatum, extitura esset, ut carentia unionis hypostaticæ, aliorúmque donorum; unde ea privatio, quæ pœna est positiva, metiri debet juxta gradum gravitatis peccati, attenta etiam majori spe, & possessione; ideóque majus est malum auferre dignitatem à possidente, quàm à non possidente, & ab habente, quàm à non habente spem illam acquirendi. Omitto argumenta aliorum probantium infinitatem offensæ, ex eo quòd potiùs deberemus eligere, carere peccato, quàm habere infinita dona superna, hoc enim non desumitur à majori gravitate, sed ex eo quod Deus semper habeat jus ne illi dipliceamus, ideòque potiùs debemus eligere carere veniali, quàm habere infinita dona suprema, quin exinde veniale infinitum sit.

376. Ob. 6. Deus est forma offensæ, atqui simpliciter infinitus est: ergo offensa est simpliciter infinita. Probatur major, *Deus* est subjectum morale offensæ, sed subjectum morale offensæ est forma offensæ: ergo &c. Probatur major, ex eo, quòd *Deus* ex affectu hominis patiatur offensam, offendens vult Deum sibi subjicere, & Deus gravificat offensam plusquam obsequium; sed in hoc stat, quòd *Deus* sit subjectum, & forma offensæ: ergo &c. Resp. nego maj. ad probat. conc. maj. & nego min. quia etiam materia prima est subjectum formæ, & non est forma formæ, & *Deus* est subjectum morale actus charitatis, & non est forma illius, quin potiùs licèt permitteretur, quòd *Deus* esset forma offensæ non quidem, ut est in se, sed ut limitatus per cognitionem eò ipsò, quod ut cognitus non est infinitus, adhuc in eo casu, ut esset forma offensæ non esset, infinitus, ut constat à num. 398.

Objicies 7. Contra tertiam assertionem vilitas Personæ offendentis est forma offensæ, atqui est simpliciter infinita; major constat, quia valor meriti desumitur in Christo à sua personalitate, & in creatura ad gratiam justificantem: ergo etiam valor demeriti desumitur à personæ vilitate. Min. probatur vilitas personæ non est aliud, quam distantia illius à Deo, sed hæc distantia est simpliciter infinita: ergo &c. Confirm. tanta est arithmeticè vilitas creaturæ, quanta est dignitas *Dei*, cùm tantùm superetur creatura à DEO, quantum *Deus* superat creaturarũ; sed dignitas, & excessus *Dei* est simpliciter infinitus: ergo &c. Retorqueo argumentum vilitas offendentis est forma offensæ sed venialiter peccans est vilitatis simpliciter infinitæ: ergo peccatum veniale est simpliciter infinitum.

Respondeo deinde nego maj. ad probationem conc. antec. nego conseq. quia meritum est opus supernum *Deo* gratum, quod non datur sine gratia substantiali, vel accidentali, at vero demeritum est opus ingratum, quod tale est, quin in eo opere includatur Persona offendens. Resp. 2. omissa maj. nego min. ad probat. dist. maj. nihil est aliud, quàm distantia entitativa, & intrinseca conc. extrinseca, est negativa, nego maj. & dist. min. nego conseq. Ad confirmat. nego maj. quia licèt sit eadem distantia, qua superior distat, ab inferiori est tamen diversimodè sumpta; nam ex parte superioris infiniti est intrinseca, & infinita perfectio, ex parte vero inferioris finiti est perfectio finita & limitata; unde licèt ea distantia quidditativè sumpta includit aliquod infinitum, denominativè accepta ex parte creaturæ est quid infinitum, & limitatum; cumque hoc duntaxat modo identificetur cum creatura, exinde vilitas cum creatura identificata est tantùm finita, non verò infinita: nec venit ad rem exemplum de via locali: eadem est via, quæ ducit Athenis Thebas, & quæ Thebis Athenas; nam hæc via est utrique extremo extrinseca: quin potiùs argumentum istud est extra rem præsentem, de qua hìc agimus; nam nunc non agimus de vilitate physica, sed morali quæ consistit in malitia morali, & quæ ex nullo capite potest in offensa reperiri simpliciter infinita.

Objicies 8. Offensa contra Deum superat offensam factam contra qualemcunque hominem eo modo, quo Deus ipse superat hominem, atqui Deus superat hominem quasi gradibus infinitis: ergo &c. Major prob. sicut Deus

superat infinitas Personas possibiles intermedias inter Deum, & hominem, ita etiam offensa facta contra Deum superat offensas infinitas factibiles intermedias: ergo &c. Confirmatur si Personæ infinitæ possibiles, ita se excedant, ut prima Persona esset perfecta, ut unum, secunda, ut duo, tertia, ut tria, & sic de reliquis consequentibus, ex hypothesi, quod omnes, & singulæ istæ Personæ offendi possent cognitione, & odio, ut quatuor, tunc offensa contra Personam primam erit offensa mala, ut unum, contra secundam, ut duo, contra tertiam, ut tria, & sic de reliquis in infinitum, atqui Deus infinitè superat has omnes creaturas: ergo &c.

380. Retorqueo argumentum primò peccatum veniale terminans displicentiam DEI superat omnia alia venialia peccata terminantia displicentiam creaturarum infinitarum proportionaliter se excedentium: ergo peccatum veniale est infinitum. Retorqueo secundò, quo perfectius est objectum eo perfectior est actus, sed Deus superat objecta creata prohibita se excedentia in infinitum: ergo actus charitatis factus erga Deum excedit alios actus se excedentes in infinitum, ac proinde iste actus charitatis factus erga Deum erit infinitus. Retorqueo 3. homo superat infinitas creaturas intermedias possibiles inter ipsum hominem, & formicam, v. g. sese proportionatè excedentes: ergo homo est perfectionis infinitæ; similiter etiam retorqueri potest hoc modo; inter hominem, & Angelum dantur creaturæ possibiles se excedentes in infinitum: ergo offensa facta contra Angelum, excedit infinitè offensam factam contra hominem, ac proinde erit infinita. Unde

381. Resp. dist. maj. superat modo geometrico conc. maj. arithmetico nego maj. & conc. min. nego conseq. ad probat. nego antec. vel potiùs ly *sicut*, quia Deus superat seriem infinitam creaturarũ modo simpliciter infinito, cùm formaliter, vel æquivalenter contineat perfectionem omnis generis, qua major alia esse non potest: at verò offensa commissa adversus DEUM non superat illam seriem infinitam creaturarum modo infinito, sed finito prout scilicet est in linea superiori ad illas, quæ superior linea per infinita inferiora infinitis vicibus multiplicata adæquari nequaquam potest, sicut non potest adæquari vi meritoria unius actus supernaturalis per infinitos actus naturales, nec magnitudo unius peccati mortalis per infinita venialia; sic enim, & non aliter superat unum lethale contra Deum seriem peccatorum contra creaturas, & quidem una offensa, nec formaliter, nec virtualiter contra omnes alias offensas contra Deum; aliter esset simpliciter infinitè mala, sicut Deus est simpliciter infinitè bonus, quod manifestè repugnat ex dictis num. 339. idcirco excessus ille in offensa nequit esse arithmetricus, ut est in Deo, sed geometricus.

Ad confirmationem omitto maj. quæ falsa est, cùm repugnet à parte rei infinitum categorematicum, nego min. quia excessus illarum offensarum non esset per additionem gradus ad gradum, sed quatenus una offensa est major alia ratione lineæ superioris, in qua constituitur relatè ad alias; hæc enim doctrina est adeò certa, ut neque ipsi Adversarii possint illam negare; sic dicimus amorem divinum elicitum erga Deum esse perfectiorem amorem, ut unum elicitum circa creaturam, non quidem ex eo, quòd unus habeat plures gradus, quàm alius, sed ratione nobilioris objecti est ordinis superioris relatè ad alterum; sic etiam offensæ illæ factæ contra Personas digniores erunt graviores aliis, non quidem, quia habent plures gradus, quàm aliæ, sed quia juxta superioritatem geometricam Personæ sunt in ordine superiori; hoc tamen est discrimen inter offensam factam contra creaturas, & factam contra Deum, quia creaturæ, cùm sint limitatæ, non superant, quoad omnes perfectiones alteras creaturas, ideóque in his, in quibus æquales sunt, potest excogitari aliqua compensatio; at non ita relatè ad Deum, qui in omnibus infinitè superat creaturas; quare licèt relatè ad aliquem respectum excogitari possit homo satisfaciens offensæ factæ contra Angelum, non tamen potest excogitari satisfactio satisfaciens offensæ factæ contra divinam majestatem: cæterùm illationes, quæ ex ista doctrina consequuntur faciliùs, & commodiùs tradentur infra à num. 389 382.

***

DISPUTATIO X.

QUANTUS SIT VALOR, ET CONDIGNITAS SATISFACTIONIS IN MERITIS CHRISTI DOMINI?

383. TRia præcipuè consideranda sunt in operibus dignificatis, seu in meritis Christi Domini, scilicet valor, satisfactio, & meritum: valor quidem respicit dignitatem, & sanctitatem status operantis. Meritum respicit præmium, seu retributionem: satisfactio respicit compensationem injuriæ, & in honorem Personæ offensæ vel de congruo, vel decondigno secundum qualitatem satisfactionis, quamobrem valor reperitur in omnibus Christi actionibus tam necessariis, quàm liberis; meritum vero, & satisfactio reperiuntur in solis liberis; exinde meritum Christi latiùs patet, quàm satisfactio; primò, quia ut infra dicemus, Chri-

ſtus meruit ſibi, Angelis, & hominibus; at ſolùm pro hominibus ſatisfecit. Secundò, quia effectus meriti Chriſti eſt triplex, ſcilicet gloria corporis, & ſui nominis exaltatio, variæ Angelorum illuminationes, gratia, & gloria nobis collata. At verò effectus ſatisfactionis etſi ab effectu meriti, ſeu à gratia ſanctificante habeatur, eſt tantùm unicus, ſcilicet liberatio à peccatis.

SECTIO I.

An ex dignitate Verbi derivetur ſpecialis valor in opera Chriſti Domini?

384. SUppono cum omnibus Theologis opera Chriſti Domini conſiderata ſeorſim à Verbi dignitate habere ſpecialem valorem meritorium à gratia habituali deſumptum; cùm major fuerit gratia habitualis in Chriſto, quàm in aliis; cæterùm, cùm valor iſte non excedat valorem puræ creaturæ, ulterius inquirimus, an ex dignitate Verbi ſpecialem habuerint condignitatem merita Chriſti: cùm autem perſona verbi includat Deitatem, & perſonalitatem, tria quæri poſſunt in præſenti. Primò, an opera Chriſti habeant ſpecialem valorem, & dignitatem à tota perſona Verbi, hoc eſt à perſolitate ſimul, & Deitate. Secundò, an habeant ſpecialem valorem à Deitate, ut contradicta à perſonalitate. Tertio, an habeant ſpecialem valorem à perſonalitate, ut contradiſtincta à Deitate; pro quorum omnium reſolutione.

385. Aſſero 1. In omnes operationes Chriſti Domini ſatisfactorias, & meritorias, ſive in ipſius meritum, & ſatisfactionem derivatur ſpecialis valor à perſona verbi. Probatur 1. Ex paulò ad Hebræos 5. dicente de Chriſto; *exauditus eſt pro ſua reverentia.* Hoc eſt pro dignitate ſuæ perſonæ: ergo ex dignitate perſonæ verbi derivatur ſpecialis valor in meritū, & ſatisfactionē Chriſti. Confirmatur 1. clariſſimo Clementis VI. teſtimonio in extravaganti unigenitus, ubi de Chriſto ſic loquitur: *cujus quidem unica gutta ſanguinis propter Unionem ad verbum pro redemptione totius generis humani ſuffeciſſet.* Confirm. 2. ex Pio V. & Gregorio XIII. damnantibus hanc 19. Baij propoſitionem: videtur inſinuare, quod opera juſtitiæ & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerint majorem valorem: unde contradictoria propoſitio eſt vera: ſed iſta eſt aſſertio noſtra: ergo &c.

386. Probatur 2. Ratione. Major eſt dignitas deſumpta à perſona Verbi, quàm dignitas juſti deſumpta à gratia habituali: atqui operationes juſti accipiunt valorem meritorium, & ſatisfactorium à gratia habituali: ergo per actiones Chriſti Domini accipiunt ſpecialem valorem ſpeciali à dignitate perſonæ Verbi. Confirmatur 1. Ex dignitate operantis creſcit valor operis ſatisfactorii: ſed perſona verbi eſt ſpecialiſſimæ dignitatis: ergo &c. Minor & conſequentia tenent; maj. autem patet, quia majus obſequium eſt: quòd Rex reverenter ſaluret vaſallum, quàm quòd vaſallus reverentet ſalutet Regem; quod quidem naturæ humanæ notum eſt, ut conſtat ex num. 272. ſed non ob aliam cauſam, quàm ob dignitatem perſonæ obſequentis: ergo &c. Confirmatur 2. juxta Sanctos Patres eſt neceſſaria Incarnatio, ad condignè ſatisfactionem pro lethali, ut conſtat à nu. 276. atqui ſi non creſceret valor ſatisfactionis ex dignitate operantis, non foret neceſſaria, neque utilis, ut per ſe patet: ergo &c.

Probatur 3. Concretum iſtud: opus condignum gratiæ & gloriæ, idem eſto in hoc alio: opus condignè ſatisfactorium conſtituitur, vel antmetricè, vel gometricè ex dignitate perſonæ conducente ad vitam æternam, & ex entitate operationis: ſed dignitas Chriſti ad vitam æternā conducens ratione perſonæ Verbi eſt ſupra omnem dignitatem puræ creaturæ: ergo &c. Min. & conſeq. tenent. Maj. verò probatur ex Pio V. & Gregorio XIII. oppoſitum damnantibus in Bajo, & infertur etiam ex Tridentino ſeſs. 6. cap. 16. de gratia juſtificante dicente: *ſine qua bona opera nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt;* unde ex gratia, & bono opere conſtituitur hoc concretum: opus condignum gratiæ, & gloriæ: ſed gratia tribuit hanc cōdignitatem perſonæ: ergo ex entitate operis, & dignitate perſonæ conſtituitur concretum iſtud, opus condignum gratiæ, & gloriæ. Ubi notat cum communi Eſparza quæſt. 10. dignitatem perſonæ, ſicut communicatur ſubjecto per unionem veram, ita communicari operibus per veram cauſalitatem, ſaltem, ut conſtituit principium productivum quod, ut infra dicemus.

Aſſero 2. Deitas, ut contradiſtincta à perſonalitate condignificat meritum, & ſatisfactionem Chriſti. Probatur Deitas mediate mediatione formali unita humanitati rigoroſe ſanctificat humanitatem: ergo confert valorem ejus operibus, ac proinde condignificat meritum, & ſatisfactionem Chriſti. Conſeq. tenet, quia non aliter gratia habitualis condignificat meritum & ſatisfactionem juſti, niſi quia eſt rigoroſa ſanctitas juſti. Antec. probatur ideò gratia habitualis ſanctificat hominem, quia eſt participatio ethica naturæ divinæ, ſed Deitas unita humanitati eſt per identitatem ipſamet natura divina: ergo &c. Quamobrem perſonalitas cùm ſit realiter natura divina, eſt incompoſſibilis cum quocumque defectu, & labe peccati; ſicque ſanctificabit humanitatem, ac proinde in hac acceptione, ut virtualiter contradiſtinctam à dignitate, cùm non amittat virtualitatem ſuam, exigentem identitatem cum Deitate, tribuet condignitatem merito, & ſatisfactioni Chriſti. Quò reſpexit Ambroſius

in psalm. 48. *bonum aurum sanguis Christi, dives ad pretium, profluens ad lavandum omne peccatum.*

388. Assero 3. Personalitas Verbi ex præciso conceptu personalitatis divinæ confert valorem merito, & satisfactioni Christi Domini. Hæc conclusio facilè infertur ex num. antecedenti, & probatur. Personalitas, ut contradistincta ab alia formali sanctitate, constituit Personam Christi adeò supremæ dignitatis apud DEUM, ut maneat Christus specificativè sumptus verè Filius Dei naturalis; imò & reduplicativè quà homo, ut infrà dicemus, est saltem Filius Dei proprius, nec potest esse adoptivus; quæ quidem dignitas nequit per se non conducere ad vitam æternam: ergo ex ratione illius dignitatis derivatur in Christi opera specialis valor meritorius, & satisfactorius. Confirmatur. Plus æstimatur apud Deum dignitas Filii proprii, & naturalis, quàm inter homines dignitas Regis; imò ea dignitas est Christo intrinseca: in humanis verò dignitas regia est homini extrinseca: atqui apud homines dignitas regia confert valorem operibus regiis: ergo apud *DEUM* specialis dignitas Filij confert operibus Christi Domini specialem valorem. Ex dictis

389. Fit 1. Magnum esse discrimen inter indignitatem peccatoris ad gravificandam offensam, & inter dignitatem Christi Domini ad condignificandum obsequium. Ratio est, quia indignitas personæ offendentis est valde limitata ad limitationem suæ perfectionis; dignitas verò Christi Domini est infinita. Rursus Deus gravificans offensam se habet ut objectum respectu offensæ, nec potest esse forma illi intrinseca; siquidem offensa secundùm totum suum esse intrinsecum habet oppositionem cum Deo; dignitas autem Dei nequit secum ipsa habere oppositionem; at verò obsequium constituitur in ratione meriti, & satisfactionis ex dignitate obsequentis; cúmque in Christo sit dignitas infinita, significat formaliter obsequium meritorium suum per dignitatem infinitam. Quòd autem status Filii saltem adoptivi requiratur ad meritum gratiæ, & gloriæ, diximus num. 386. & constat ex Pio V. & Gregorio XIII. damnantibus in Bajo hanc 13. propositionem: *opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei;* & hanc 15. dicit, *rationem meriti non consistere in eo, quòd, qui bene operatur, habeat gratiam, & inhabitantem spiritum sanctum*; idémque constat ex damnatione 17. & 24. propositionum; ex quo omnes assertiones nostræ maximè roborantur.

390. Fit 2. De ratione satisfactionis esse, ut sit obsequium offenso gratum, & illi voluntariè exhibitum à satisfaciente ad placandum offensum, offerendo illi obsequium non minoris æstimationis in ratione obsequii, quàm æstimationis sit offensa in ratione offensæ; è converso de ratione pœnæ est, ut, qui voluntariè peccavit, contra suam etiam voluntatem patiatur malum compensativum culpæ inflictum à Judice; unde non est de ratione peccati, & offensæ, ut peccans possit satisfacere, & satisfaciendo pœnam effugere, sed ut possit peccator justè, & æqualiter puniri à Deo, qui offenditur: æqualitas autem pœnæ in hoc consistit, ut, quantùm, & quamdiu fuit aliquis malus per culpam voluntariè commissam, tantùm, & tamdiu sit miser per pœnam, quam patitur, etiamsi contra suam voluntatem; unde quia per peccatum mortale non remissum peccator est malus in æternum, pœna æqualis peccato mortali consistit in hoc, ut, quantùm quis est in æternum malus, tantùm sit in æternum miser; quæ est ratio, propter quam quodlibet peccatum mortale non remissum in hoc sæculo, in quo solùm mortalia remittuntur, punietur in altera vita pœnâ æternâ, juxta illud Christi Matth. 25. *discedite à me maledicti in ignem æternum;* ubi bene notat Augustinus, significari non solùm ignem esse æternum, sed esse quoque æternam combustionem; sic enim ait Tomo 4. lib. de fid. & oper. cap. 15. *neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli se ipsos seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam: per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem, ut videlicet ipse ignis æternus sit, combustio verò eorum, hoc est, operatio ignis, non sit in eos æterna, cùm & hoc prævidens Dominus, sententiam suam concluserit, ita dicens: sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam; erit ergo æterna combustio, sicut ignis:* & certè Christus Dominus non solùm dicit, quòd impii ibunt in ignem æternum, sed exprimit, quòd ibunt in supplicium æternum, sive æternam combustionem; sic enim sententiam suam concludit Matth. 25. *& ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam;* quod satis expressit Christus, dum dixit Marc. 9. *vermis eorum non moritur*; cúm enim peccatum mortale non remittatur in altero sæculo, & ex se mereatur pœnam æternam, planè infertur, peccata mortalia in hoc convenire, ut quodcunque eorum dignè puniatur pœnâ æternâ.

391. Cæterùm, quia peccata mortalia non sunt omnia æqualia, exinde licèt conveniant in supplicio pœnæ æternæ, non conveniunt in quantitate ejusdem pœnæ per totam æternitatem; miseria etenim, quæ est pœna culpæ, consistit in malo illativo doloris, quod proportionatur ipsi dolori; unde tunc aliquis est tantùm miser, quantùm est malus, quando patitur malum inferens dolorem æqualem malo culpæ, sive offensæ, ac proinde cogitur dolere æqualiter de offensa; ideóque spectat ad divinam justitiam, ut possit infligere peccatori malum, quo cogatur æqualiter dolere de malo culpæ; & sic illum puniat justè, & ad æqualitatem. Quamobrem pura creatura potest puniri æqualiter pro peccato mortali: etenim malitia peccati mortalis in duo-

duobus consistit ; in hoc nempe, quòd offendens Deum voluntariè se avertit à Deo summo bono, & in hoc, quòd se convertat ad bonum creatum, & imperfectum, ut habetur Jeremiæ 2. *duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Unde

392. Fit 3. Pœnam æternam consistere in malo, quo damnati cogantur æqualiter dolere de his duobus malis, nempe de aversione Dei, & conversione ad creaturas ; unde damnati per pœnam æternam damni, qua privantur Deô, ut beatificante, coguntur dolere æqualiter de malo aversionis à DEO summo bono, & per pœnam sensûs, quam patiuntur ab igne, vel aliâ creaturâ torquente, coguntur dolere æqualiter de malo conversionis ad creaturam, & bonum creatum ; idcirco Apocalipsis 18. dicitur, *quantum se glorificavit, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*; atque in eo consistit, ut pœna æterna sit æqualis culpæ, reddátque damnatos tantùm in æternum miseros, quantum in æternum sunt mali per culpam ; quamobrem licèt eadem materialiter pœna centeatur major ; si inferatur digniori, & minor, si inferatur minùs digno, utrumque tamen puniet ad æqualitatem ; nam si inferatur digniori, ideo est major, quia debet causare majorem dolorem ; si inferatur minùs digno, ideo est minor, quia debet causare minorem dolorem, semper tamen commensuratur culpæ, quatenus cogit unum quemque tantùm dolere, quantùm est malus ; & in hac proportione, quæ reverâ est possibilis, consistit æqualitas pœnæ, nec refert, quòd offensa sit in linea superiori ad lineam pœnæ ; quia, cùm pœna ex ipsa ratione pœnæ se habeat, non quidem, ut pretium æquale, sed ut medium ad deterrendum homines, atque ad avertendum à tanto malo, ex ipsa ratione pœnæ habet, quòd non requirat aliam proportionem, ut sit æqualis, nisi ea, quæ sufficit ad rationem medii ; medium autem est in linea inferiori ad finem, ideóque pœna est in linea inferiori ad offensam, ex dictis à n. 381. idcirco ad æqualitatem compensationis in pœna neutiquam requiritur æqualitas lineæ. Unde

393. Fit 4. Magnum esse discrimen inter satisfactionem, & satispassionem. Ratio est, quia satisfactio puræ creaturæ ideo non potest esse æqualis offensæ ; quia in ratione satisfactionis decrescit ex iisdem capitibus, ex quibus crescit offensa in ratione offensæ, ut à num. 278. at miseria ; seu malum illativum doloris non decrescit ex iisdem capitibus, ex quibus crescit offensa ; nam miseria consistens in privatione Dei, & combustione, non ideo est minor, quia Deus, quo privamur, sit infinitus, & quia nos, qui privamur Deo, infinitè distamus à Deo ; & infinitè indigemus DEO ; quod idem proportionaliter apparet in combustione ; unde assignari potest æqualis satispassio pro peccatis lethalibus ; atque exinde cognoscitur, quantum debeamus Christo Domino, qui, quod nos nullo modo poteramus efficere propter nostram imbecillitatem, ille dignatus est facere pro nobis sua infinita dignitate satisfaciendo ad æqualitatem pro nostris peccatis, ut infrà constabit.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

OBjicies 1. contra primam assertionem: in comparatione, & satisfactione injuriarum non attenditur ad dignitatem, aut indignitatem obsequentis, vel injuriantis, sed ad quantitatem in læsione, ut tradit Philosophus 5. Ethic. cor. cap. 4. ergo & respectu Dei nihil conducet major, vel minor dignitas satisfacientis ad majorem valorem operis satisfactoris, proindèque neque conducet tota dignitas personæ Christi ad valorandam satisfactionem pro nobis. Respondeo dist. antec. sumprâ injuriâ ex parte objecti solùm, conc. ex parte objecti, & ex parte actûs, nego antec. & consequantiam ex dictis num. 288. ibi enim agit Philosophus de justitia commutativa ; considerata præcisè injuria reali, quæ solùm respicit injurias objectivè sumptas, earúmque compensationes in ratione injuriæ, & lucri : at verò, quando injuria accipitur ex parte actûs, sive affectivè, quæ vocatur injuria personalis, sive offensa attenditur ad inhonorationem, & justitiam legalem, pro cujus compensatione plurimùm conducit dignitas obsequentis, sicque majus obsequium faciet Rex salutans vasallum, quàm vasallus salutans Regem.

Objicies 2. Obsequium eò est minoris valoris, quò est magis obligatus ad obsequendum is, qui illud exhibet ; cùm sit minùs suum, quod dat, magisque pertinens ad accipientem : sed quò major est dignitas obsequentis, cùm illam acceperit à Deo, est major obligatio exhibendi obsequium ipsi Deo : ergo &c. Respondeo dist. maj. si major obligatio instituta sit in utilitatem obsequentis, nego, si non sit ita instituta, conc. maj. & distincta min. nego consequentiam ; quia omnis supernaturalis nostra obligatio respectu Dei est instituta ad nostram utilitatem, ideóque crescente obligatione, crescit utilitas ; sic actus charitatis, qui inter omnes nostras operationes maximè est debitus Deo propter maximam ipsius dignitatem, ut amerur, est maximè meritorius, & satisfactorius cæteris paribus ; secus venit in obligatione obsequendi creaturis, quæ cùm non sit instituta in favorem obligati, sed creditoris, ea solùm major dignitas obsequentis auget valorem meritorium cæteris paribus, quæ magis eum removet ab obligatione obsequendi.

Objicies 3. ut sæpe dicitur in Scriptura : non est acceptio personarum apud Deum : atqui si Deus, ut præmiaret opera, non solùm attenderet ad præcisam operis bonitatem, sed etiam ad

ad dignitatem perſonæ, eſſet acceptio perſonarum apud DEUM: ergo &c. Probatur min. eſſe perſonam magis dignam apud DEUM, nihil aliud eſt, quàm eſſe magis gratam Deo, vel habere gratiam ſaltem adoptionis: atqui ſi Deus, ut condignè præmiaret opera, non ſolùm attenderet bonitatem operis, ſed etiam qualitatem operis ſibi magis grati, vel quod ſaltem haberet gratiam adoptionis, eſſet acceptio perſonarum apud Deum: ergo &c. Reſpondeo diſt. maj. non eſt apud *Deum* acceptio perſonarum vitioſa, conc. prudens, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. ad probationem diſt. eodem modo min. & nego conſeq. quia acceptio apud Deum vitioſa eſſet, ſi Deus ob majorem dignitatem temporalem majus præmium aſſignaret operibus juſti, cùm hæc non ſit dignitas conducens ad vitam æternam; imò dona ſuperna communia juſtis, & peccatoribus non augent valorem operis in genere cauſæ formalis coram DEO; ſola enim gratia ſanctificans eſt dignitas conferens valorem, ut forma meriti: nam ut ait Tridentinum ſeſs. 6. cap. 7. ea ſola eſt unica formalis cauſa noſtræ juſtificationis, & cap. 16. id ipſum de merito docet, ut conſtat ex num. 386. & 389. Unde hæc acceptio perſonarum apud *Deum* non eſt vitioſa, ſed prudens.

397. Objicies 4. contra ſecundam aſſertionem: ſicut valor monetæ pendet à libera Principis voluntate, potente quidem illum conſtituere modò magnum, modò infimum; ita valor bonorum operum pendet à libera Dei voluntate potente illi taxare pretium modò magnum, modò infimum, imò & nullum: ergo neque ratione ſui, neque ratione dignitatis perſonæ habent majorem valorem meritum, & ſatisfactio Chriſti. Confirmatur. Omnia noſtra bona ſupernaturalia exiſtunt in nobis ex Dei miſericordia, & donatione; ergo poteſt illa Deus exigere abſque ulla retributione, ac proinde ex ſola promiſſione, & lege *Dei* valoranda ſunt. Inprimis hæc argumentatio non probat intentum; nam ſicut per vos ex lege Dei aſſignat Deus prudenter præmia operi ſpectata ipſius operis bonitate; ita etiam prudenter poſſet deſignare præmium attenta dignitate operantis. Deinde

398. Reſpondeo nego antec. quia ſicut cauſa phyſica neceſſariò inducit ſuum effectum phyſicè prævia divina voluntate cooperandi; ita merita inducunt præmiũ ut cauſa moralis prævia voluntate divina promittente; imò ſi talis determinata virtus, & connexio cum effectu non ineſſet intrinſecè aut cauſis phyſicis, aut meritis, ſed omnia penderent à ſola arbitraria, & pura libera deſignatione divinæ voluntatis, nihil differret cauſa ſive phyſica, ſive meritoria à pura conditione *ſine qua non*, nullúmque eſſet diſcrimen meriti de congruo, & de condigno, quæ abſurda ſunt: nec exemplum monetæ venit ad rem: Princeps enim non cognoſcit valorem intrinſecum monetæ arithmeticè conſideratum in ordine ad reſpectus intentos à Republica, ideóque dum non excedat judicium prudens, poteſt modò majorem, modò minorem valorem illi taxare ex pacto inito cum Republica; ſi tamen Princeps certò excederet valorem intrinſecum monetæ, teneretur ad reſtitutionem, ſi non poſſet accipere illum exceſſum ratione tributi, Deus autem non ignorat valorem intrinſecum meritorum ſecundùm vim illorum intrinſecam conducentem ad vitam æternam, qui eſt reſpectus ad illorum præmium conſiderandus. Ad Confirmationem conc. antec. & diſt. conſeq. quoad primam partem, abſque ulla retributione, ut ſe accommodans valori rerum, nego, de potentia abſoluta ex ſupremo ſuo dominio, conc. conſeq. quoad primam, & nego quoad ſecundam partem; quia hoc non tollit intrinſecum valorem meriti, ſicut non tollit exigentiam ignis, licèt *Deus* privet illum calore de potentia abſoluta.

Objicies 5. Si major dignitas operantis rederet majorem valorem operis meritorii, aut ſatisfactorii, daretur proceſſus in infinitum inter unumquodque meritum, & ejus præmium augentia ſe invicem ſine fine: ſed hoc eſt abſurdum: ergo &c. 399. Probatur maj. eliciens opus aliquod meritorium, per gratiam receptam in ejus præmium redderetur dignior, quàm antea eſſet: ergo ſi ex majori dignitate operantis creſceret valor meriti, deberet propter idem opus nova dignitate auctum, conferri novum præmium, quo rurſus creſceret magis dignitas operantis, & ſic proportionatè ſine fine: ergo &c. Hoc argumentum tangit difficultatem ad Tractatum de gratia pertinentem, in qua quæritur, an gratia juſtificans duntaxat dignificet meritum, prout affert juſto filiationem *Dei*, ſive prout elevat illum ad ſtatum filiorum, vel etiam dignificet ſecundùm majorem gratiæ intenſionem, & ſic augeat meritum. Si major intenſio non augeat meritum, ut infrà dicemus, nulla eſt vis argumenti. Cæterùm, quia argumentum nihil probat, pro nunc omittamus, augeri quoque meritum ex majori gratiæ intenſione. Ideo

Reſpondeo nego maj. ad probationem diſt. antec. redderetur dignior per dignitatem exercentem cauſalitatem in opus, nego, non exercentem, conc. antec. & nego conſequentiam; quia illa gratia recepta in præmium, eſſet jam effectus meriti: unde ea dignitas advenit operanti, poſtquam meritum exercuit ſuam cauſalitatem in ordine ad præmium; dignitas autem operantis nihil meretur, niſi ut impenſa in opere meritorio eo in ſigno, in quo exercetur cauſalitas meriti, ſeorſim à præmio in alio ſigno adveniente, ideóq; ſecunda dignitas non condignificaret idem præmiũ ad ulterius præmium. Totum hoc explicat Card. de Lugo iſto exemplo: ſi propter egregia facinora Rex promitteret Equiti Marchionatum, ſi victoriam obtineat, & Marchioni Ducatum, licèt Eques mereretur per victoriam Marchionatũ, non mereretur propter illum Ducatum; quia Marchionis dignitas fuit 400.

effectus, & non dignitas impensa in laboribus ad obtinendam victoriam in ordine ad præmium promissum. Videatur Lugo disp. 6. num. 44.

401. Objic. 6. Major dignitas remuneratoris non auget valorem præmij, aliter Deus largitione rei quantumvis exiguæ compensaret superabundanter quælibet merita: ergo nec major dignitas obsequentis auget valorem obsequii meritorii, seu satisfactorii. Respondeo conc. antec. & nego conseq. Ratio est, quia remuneratio facta propter meritum respicit utilitatem merentis, cujus utilitatis mensura est id, quod accipitur, & non dignitas conferentis. Obsequium verò conducit ad gloriam illius, cui fit obsequium, & ad hoc plurimùm conducit dignitas obsequentis, ut suprà diximus; imò DEUS in præmiando solam gratiam suam sibi quærere potest ex obsequio: creatura verò respicit sibi in obsequendo etiam suam utilitatem.

402. Objicies 7. Satispassio in Purgatorio substituitur pœnæ; sed pœna non accipit majorem dignitatem ex dignitate patientis: ergo neque satisfactio accipiet majorem dignitatem ex majori dignitate satisfacientis. Respondet Cardinalis de Lugo disp. 6. de Incarnat. num. 67. & disp. 26. neg. min. quo ruit totum argumentum. Cæterùm, si bene expendatur, non est in forma, cùm non inferatur ea conclusio, quæ ibi deducitur, sed potiùs ista: ergo neque satispassio accipit majorem dignitatem ex majori dignitate satispatientis. Unde in forma respondeo dist. maj. substituitur in aliquibus, conc. in omnibus, nego maj. & conc. min. nego consequentiam; quia patientes in Purgatorio merè passivè se habent respectu pœnæ, ac proinde eorum dignitas nullâ in ea re causalitatem exercet: at verò ex propria electione in opere satisfactorio, quod, si meritorium sit, erit satispassio, & meritum, & satisfactio exerceret propriam causalitatem; ac proinde condignificat tale opus satisfactionis, & satispassionis, licèt non condignificet pœnam: unde satisfactio non substituitur, quantum ad hoc, pœnæ, & puræ satispassioni, vide num. 393.

403. Objicies 8. In Sacris Literis solùm promittitur retributio attenta operis bonitate: Sic Paulus ait, *qui reddet unicuique secundùm opera ejus*: ergo dignitas personæ nihil conducit ad quantitatem retributionis, ac proinde neque ad valorem operis satisfactorii. Respondeo dist. antec. attenta bonitate operis nudè sumpti, nego, operis dignificati, conc. antec. & nego consequentiam; quia sine hac condignificatione, in qua consistit dignitas personæ in pura creatura, nullo pacto Deo grata sunt, aut meritoria de condigno opera nostra, ut ait Tridentinum citatum num. 896. & constat ex Pio V. & Gregorio XIII. citatis num. 389. ac proinde dignitas personæ nequit non deservire ad retributionem. Unde nomine operum, ut clarè demonstrat Concilium Tridentinum, comprehenduntur in Scriptura omnes circumstantiæ operatrices, & non purè materialiter, ac concomitanter se habentes.

Objicies 9. Vilitas in peccatore inducta per primum peccatum furti non auget malitiam subsequentis peccati intemperantiæ; ergo neque dignitas accepta per obsequiũ actûs justitiæ augebit bonitatem subsequentis obsequii temperantiæ. Hoc argumentum nihil probat contra nos, qui, ut constabit à num. 410. docemus, gratiam habitualem non condignificare meritum secundùm illius augmentum, sed secundùm rationem, qua hominem constituit in statu altiori supra illos, qui Dei filiationem non habent, ita, ut in eo statu augmentum meriti proveniat ab augmento valoris, qui reperitur in operibus. Cæterùm supponendo pro nunc primam illorum Theologorum sententiam, quam suppositimus, & promisimus num. 399. retorqueo primò argumentum, vilitas inducta per peccatum furti non est superna: ergo neque dignitas accepta per obsequium temperantiæ est superna. Secundò vilitas peccati furti nequit impendi in obsequio DEI: ergo neque dignitas obsequii temperantiæ poterit impendi in obsequio Dei. Respondeo deinde conc. antec. de vilitate non se habente per modum objecti, ut optimè notat Cardinalis de Lugo disput. 6. de Incarnat. num. 63. & nego consequentiam.

Ratio est, quia solùm illa vilitas augere potest peccatum, quæ inducit obligationem ad obsequendum, cujusque causalitas impendi potest in obsequio, in quo non impenditur per peccatum; sicut ea dignitas auget meritum, quæ obligata est, cujúsque causalitas impendi potest in merito, in quo impenditur per aliud obsequium; cùm autem peccatum, utpote aversio à DEO, neque illius causalitas impendi potest in obsequio Dei, exinde vilitas inducta per peccatum primum furti non augebit malitiam subsequentis peccati intemperantiæ, licèt dignitas accepta per obsequium justitiæ auget bonitatem subsequentis obsequii temperantiæ. Sic conditio vasalli auget injuriam contra Regem, quia obligata est, ejusque causalitas impendi potest in obsequio Regis, cùm sit instituta in Regni utilitatem. At vilitas in vasallo inducta per injuriam, & contemptum, quo ab aliis hominibus inhonoratur, non auget injuriam contra Regem, quia hæc neque obligata est, neque ejus causalitas potest impendi in obsequio Regis.

Objicies 10. contra tertiam assertionem: ex suppositione, quòd personalitas Verbi non esset sanctitas humanitatis, esset compossibilis cum peccato; sed humanitas composita cum peccato, utpote Deo, invisa non eliceret operationes summæ æstimationis apud Deum: ergo si personalitas Verbi non esset sanctitas humanitatis, non posset ratione sui dignificare opera humanitatis. Confirmatur. Opera puri hominis ex Tridentino supra citato sess. 6. cap. 16. non sunt

sunt DEO grata, seu condigna absque forma sanctificante; ergo si personalitas Verbi non sit sanctitas, non condignificabit apud Deum opera Christi Domini. Resp. nego majorem, quia personalitas ratione sui separari nequit à natura divina, secum ipsa identificata; & è converso: cùm autem natura divina componi nequeat cum peccato, neque valebit conjungi personalitas, quin potiùs suppositio Adversariorum non pugnat contra nos, qui docemus ipsam personalitatem esse ratione sui sanctitatem humanitatis, ut infrà suo loco dicemus.

407. Ad Confirmationem nego conseq. quia personalitas independenter ab alia ratione formali sanctitatis est in se sanctitas, & humanitatem sanctificat, ut diximus numero superiori. Cæterùm dato, & non concesso, quòd non sit sanctitas humanitatis adhuc filiatio naturalis DEI, ac proinde summæ æstimabilitatis apud Deum, & multò magis quàm filiatio adoptiva; at verò purus homo, nec identificatur cum natura divina, nec est filius naturalis Dei, nec adhuc adoptivus independenter à gratia sanctificante, ac proinde sine illa non est in statu æstimabilitatis requisito ad merendum de condigno dona superna apud Deum; unde licèt opera puri hominis independenter à gratia sanctificante Deo grata seu condigna gloriæ non sint, opera Christi Domini independenter à gratia accidentali erunt Deo gratissima ratione divinæ personalitatis: difficultas tamen est in explicando quomodo specialis ille valor derivetur in opera Christi Domini ratione suæ dignitatis, pro cujus decisione sit.

SECTIO III.

Quomodo ex dignitate Verbi derivetur specialis valor in merita Christi?

408. SUppono 1. Concretum aliud esse physicum, quod scilicet resultat ex partibus physicè unitis, ut album ex subjecto, & albedine unitis physicè, aliud autem esse morale constans ex extremis solùm moraliter unitis, ut concretum cognitum, quod resultat ex objecto, & cognitione, videlicet, quando cognosco parietem, cognitio illa non quidem physicè, sed solùm moraliter, & purè intentionaliter unitur pariet, sicque ex pariete & cognitione moraliter tamen unitis resultat istud concretum cognitum. Meritum autem non imitatur genus concreti physici, sed concreti moralis; nam ut constat à num. 386. & 389. resultat ex entitate operis tanquam ex subjecto, & ex dignitate principii elicientis tanquam ex forma, quæ duo non uniuntur physicè, sed tantùm moraliter: sic opus Regium dignificatur à dignitate Regia ipsi moraliter duntaxat unita, & opus justi dignificatur à gratia habituali, & hæc est condignificativa operis meritorii, quæ quidem gratia habitualis hominis justi non unitur physicè, sed tantùm moraliter cum opere elicito à justo.

Suppono 2. unionem esse determinationem, 409.
qua extremum se habens veluti forma absque unione physica determinat alterum, quod se habet veluti objectum seu subjectum; sic determinatio, qua cognitio denominat parietem cognitum, est unio moralis parietis cum cognitione, idem esto de determinatione, qua gratia habitualis dignificat opera justi; & dignitas RegiaRegis. Hæc autem determinatio dependet ab extremis, pluribúsq; requisitis, quæ secundùm qualitatem extremorũ necessariò concurrunt, neque est quæstio in præsenti de merito Christi desumpto ex gratia habituali, sed de speciali valore desumpto ex dignitate Personæ Verbi; etenim inter dignitatem Verbi dignificantem opus meritorium Christi, & inter gratiam habitualem dignificantem merita nostra est infinitum discrimen, quale est inter Deum, & creaturam; quandoquidem gratia habitualis est res creata, & dignitas Verbi est ipsa persona divina, ex quo infinito discrimine facilè intelligitur, quomodo gratia habitualis limitatè concurrat ad dignificandum meritum, & quomodo dignitas Verbi concurrat illimitatè.

Dignitas non creata de condigno valorativa 410.
operis ad præmium coram Deo eatenus concurrit, quatenus justum reddit Filium DEI. Ab hac equidem filiatione habetur, quòd sit hæres gloriæ, ac proinde, quòd de condigno mereatur apud DEUM præmium vitæ æternæ, juxta illud Pauli ad Rom. 16. si autem filii, & hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi: unde cùm unicus gradus habitualis gratiæ necessarius sit, & sufficiens ad constituendum justum Filium Dei adoptivum, nec in illa linea adoptionis unus Filius potest esse magis Filius, quàm alius, licèt possit esse majoris perfectionis, sicut in linea naturali non potest esse magis Filius naturalis, quàm alius, licèt possit esse magis perfectus, exinde gratia habitualis per unicum duntaxat gradum concurrit essentialiter ad condignificandum opera justi, & per reliquos gradus tantùm concurrit accidentaliter, seu materialiter; ad eum quippe modum proportione servata, quo se habet potentia obedientialis magis vel minùs perfecta in ordine ad eliciendos actus supernaturales, ut dixi in tractatu de beatitudine & actibus humanis à num. 426. idcirco licèt unus justus gratia purè habituali sanctificatus possit esse magis Sanctus, magisque Deo dilectus, quàm alter, non potest esse magis Filius adoptivus, quàm alter. Sic Pontifex creans duos Cardinales potest intensiori voluntate efficaci, & dilectione assumere ad Cardinalatum unum, quàm alterum, quo in casu, licèt unus sit magis dilectus, quàm alter, non tamen erit magis Cardinalis, quàm alter: quod idem apparet in electoribus Regum,

gum, Imperatorum, millenisque aliis exemplis.

411. Quamobrem incrementum substantiale ad præmium in merito puri hominis justi non desumitur ex majori gratia, sed ex perfectiori, & digniori opere superno libero à gratia dignificato; nam qui sunt in eodem ordine dignitatis, per opera æqualia æqualiter merentur: & ut unus magis mereatur, quàm alter, opus est, ut eliciat opera digniora, quàm alter, ut ex adducta ratione probat bene Vasquez Disput. 6. cap. 4. unde collaturus præmia justis, dicitur Matth. 16. & ad Rom. 2. *Reddet unicuique secundùm opera ejus;* at cum persona Verbi sit in altiori ordine juris ad gloriam propter naturalem filiationem Dei, & propter naturam divinam non minùs, quàm sit Pater, & Spiritus Sanctus; si carnem assumerent, eo quòd haberent titulum naturæ divinæ & peculiaris suæ personalitatis, ex quo haberent jus infinitæ dignitatis, & perfectionis, propterea dignitas Verbi condignificativa substantialiter operis meritorii Christi est simpliciter infinita, ideóque meritum Christi continet substantialiter valorem simpliciter infinitum; quæ quidem est ratio, quam tradit Clemens VI. citat. suprà num. 384. & infrà num. 425. quámque tetigit Div. Thomas 3. part. quæst. 48. art. 2. ad tertium ubi ait. *Ad tertium dicendum, quod dignitas carnis Christi non est æstimanda solùm secundùm carnis naturam, sed secundùm personam assumentem, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitatam.* Idcirco in Christo dignitas requisita ad Filium Dei naturalem est ratio formalis, seu quasi forma suorum meritorum, & in nobis dignitas requisita ad statum filiationis Dei adoptivæ, est ratio formalis, seu forma nostrorum meritorum, quod etiam infertur ex damnatione contra Bajum traditum num. 389. His positis.

412. Assero 2. cum communi Theologorum. Valor specialis meritorius operum Christi desumitur à dignitate personæ Verbi, prout constituit cum libera Christi Domini operatione superna hoc concretum morale, meritum Christi. Probatur 1. Meritum est concretum resultans ex operatione libera superna, & ex dignatione, quâ afficitur persona eliciens operationem, respiciénsque meritum æquale statui suæ dignitatis, & valori suæ operationis, sed specialis dignitas, qua afficitur ratione sui status persona Christi eliciens operationem, est dignitas personæ divinæ, proindéque infinita, respiciens quodcunque præmium sibi æquale; ergo specialis valor operationum Christi desumitur ex dignitate suæ personæ; atque ex vi meritoria constituente cum ea dignitate hoc concretum, meritum Christi. Min. & conseq. tenent: Major autem satis constat ex dictis, & patet; quia meritum puri hominis justi est concretum morale ex operatione superna libera, & ex statu Filiationis DEI adoptivæ, ad quam elevatur à gratia habituali, qua relatè ad præmium afficitur persona hominis justi; meritum Magnatis apud Regem est concretum morale resultans ex ipsius operatione recta libera, & ex statu dignitatis Magnatis, qua relatè ad præmium afficitur ejus persona, & sic de omnibus aliis, ut notum est à num. 410. ergo idem dicendum est de merito Christi Domini.

Confirmatur 1. Et explicatur simul conclusio, licèt gratia sanctificans non producat operationem puri hominis justi, quia tamen est dignitas coram Deo elevans hominem ad statum adoptionis Dei, constituit ut forma istud concretum, meritum hominis justi, ut colligitur ex Trid. & Pontificibus à num. 386. & 389. ergo licèt persona Verbi non producat, ut partiale principiũ operationem creatam Christi Domini, quia tamen est dignitas coram Deo personæ Christi Domini ad statum Christi requisita, constituet, quasi forma istud concretum, meritum Christi. Confirmatur 2. licèt tota persona hominis justi non producat *ut quo* actionem creatam, sed sola anima, quæ secundùm ferè omnium Theologorum sententiam est principium *quo* operativum, sive immediata virtus effectiva, nihilominus operatio hominis justi dignificatur à dignitate totius personæ in ordine ad præmium; ergo licèt tota persona Christi non producat operationem rectam, ut particulare principium *quo*, sed sola anima, quæ est particulare principium *quo* illarum operationum, nihilominus operatio Christi Domini dignificabitur à dignitate totius personæ, cum qua constituet hoc concretum, meritum Christi.

Probatur 2. Conclusio; eatenus dignitas requisita ad statum personæ merentis dignificat illius opera, quatenus totum principium operativum status illius personæ impenditur in illis, sed ut impendatur illud principium operativum personæ, satis est, ut eliciatur actio, quæ tribuitur toti personæ, quandoquidem actiones sunt suppositorum, proindéque dignè juxta dignitatem status suppositorum; ergo tota dignitas personæ Christi dignificabit operationes Christi meritorias, licèt tota persona Christi non sit principium particulare, *quo* eliciens eas operationes. Confirmatur 1. Ad meritum alicujus personæ non solùm requiritur principium elicitivum, sed etiam condignificativum, cum hoc tamen discrimine, quod elicitivum stare potest in aliquo particulari prædicato personæ sicut in homine, principium elicitivum actuum spiritualium stat in sola anima; at condignificativum provenit à dignitate status illius personæ relatè ad æqualitatem cum præmio; ergo licèt sola anima Christi sit principium particulare elicitivum suarum operationum, nihilominus tota dignitas Christi erit principium condignificativum ipsarum, ac proinde valor meritorius illorum operum stabit in ggregato ex operibus, & dignitate Christi

Christi, prout constituunt istud concretum morale, meritum Christi.

415. Confirmatur 2. Ex eo, quòd impendatur in operatione totum principium effectivum, quod est in persona, refunditur meritum in totam personam; aliter corpora, quæ non sunt principium spirituale, neque immediatè elicitivum operationum spiritualium, nullum præmium haberent, neque in Cœlum ascenderent, quod est Hæreticum; ergo licèt tota persona non sit principium *quo* particulare operationis, nihilominus tota dignitas status illius personæ refundetur in creatis in operationem ad illam condignificandam, ac proinde tota dignitas Christi refundetur ad condignificandam suam operationem, & ad constituendum illud concretum morale meritum Christi. Confirmatur 3. Ex Div. Thoma citato num. 411. ubi docet dignitatem carnis Christi, non esse æstimandam solùm secundùm carnis naturam, sed secundùm personam assumentem, in quantum scilicèt erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam; ergo etiam meritum Christi non est æstimandum solùm secundùm naturam particularis principii elicitivi, sed secundùm personam assumentem & elicientem, in quantum scilicet erat operatio Christi, ex quo habebat dignitatem infinitam: Ex dictis.

416. Fit 1. Entitatem operationis creatæ constitutivam meriti Christi non esse simpliciter infinitam, sed revera finitam; licèt sit simpliciter infinitum concretum ex operationis entitate, & dignitate personæ constitutum. Sic humanitas Christi non est simpliciter infinita, sed finita, licèt Christus constitutus ex humanitate, & personalitate Verbi sit simpliciter infinitus. Quamobrem dignitas personæ constitutiva hujus concreti *meritum* debet esse propria personæ merentis. Idcirco nec dignitas hominis justi condignificat opera peccatoris, quia non est dignitas propria peccatoris, nec dignitas Regia condignificat apud Deum opera Regis, quia hæc non est dignitas condignificativa operationũ apud Deum, apud quem sola opera supernaturalia, & condignificat à gratia sanctificante, merentur præmiũ de condigno; ob eandem rationem actiones meritoriæ, quæ ab aliqua persona dignitate sua condignificantur, debent esse actiones illius personæ propriæ. Unde Petrus non potest condignificare actiones Pauli, nec volitio divina complacens in nostris operibus, potest ea condignificare, sed supponit meritum, & valorem terminativum divinæ complacentiæ.

417. Fit 2. Operationem Christi non haurire specialem valorẽ meritoriũ à Verbi personalitate, quatenus hæc conjungit suum specialem actum increatum, cum quolibet actu creato humanitatis ad efficiendum unum totum morale, sicut fit ex actu imperante, & imperato, ratio est, quia ille actus increatus vel esset proprius Verbi, vel communis toti Trinitati; neutrum autem dici potest, nam volitiones in *Deo* sunt toti Trinitati communes: unde nulla est propria Verbi, & per volitiones communes Christus mereri non potest; tum etiam, quia, ut ex actu creato, & increato Christi fieret unum totum morale, sicut fit ex actu imperante, & imperato, necesse erat, quòd sicut actus imperatus accipit totam suam libertatem, & moralitatem ab imperante; ita actus creatus acciperet ab increato, quod dici non potest; nam actus creatus libertatis humanæ Christi, ut fide constat, habuit totam libertatem contradistinctam à libertate actus increati; aliter actus omninò necessariùs humanitatis Christi esset meritorius, quod dici non potest; ergo actus creatus, & increatus nequeunt in Christo constituere unum morale, sicut illud in nobis constituunt actus imperans, & imperatus, propter hæc pluribus censuris incurrunt Authores sententiam illorum, qui ex actu creato, & increato constituunt meritum Christi, ut videri potest apud Bernal. Disp 6. num. 34.

Fit 3. Opera Christi non accipere specia- 418.
lem valorem ex aliquo influxu physico immediato & proprio personæ Verbi, ratio est, quia, ut docent Concilia & PP. opera ad extra sunt communia toti Trinitati; ergo Verbum non præstitit specialem influxum in ea opera; quamobrem neque recipiebant specialem valorem à persona Verbi, tanquam ab objecto oblato, quia Verbum, ut objectum oblatum, se habebat, ut objectum illorum actuum ad eum modum, quo erat objectum oblatum relatè ad actus, quibus Beata Virgo Filium suum offerebat æterno Patri, sed actus Beatissimæ Virginis non recipiebant à Verbo, tanquam ab objecto oblato valorem simpliciter infinitum; ergo neque actus Christi ex hoc duntaxat titulo poterant recipere valorem simpliciter infinitum; tumetiam quia Christus Dominus per opera libertatis, & misericordiæ, qua talia non semper se offerebat Deo, & tamen per illos actus, qua tales maximè merebatur, & constituebat meritum simpliciter infinitum; unde solùm desumi potest valor in operibus Christi à dignitate personæ constituentis hoc concretum, meritum Chtisti.

Fit 4. Ad intelligendum, quod dicat in re- 419.
cto, & quod in obliquo meritum Christi, priùs considerandum esse, in quo sensu accipiatur concretum; etenim concretum accidentale dupliciter prædicari potest, primò quidem secundùm rem denominatam, & tunc revera non prædicatur concretum, sed subjectum concreti. Secundò, ut concretum, & tunc prædicantur partes omnes concreti. Sic concretum istud *album* accipi potest denominativè pro re, quæ denominatur dealbata, in qua acceptione non potest prædicari concretum, cùm falsum sit dicere: album est dealbatum, vel albedo est dealbata, sed prædicatur solum subjectum, & dicimus: Petrus est albus; tunc e-

nim non prædicatur de Petro concretum, cùm falsum sit dicere: Petrus est concretum album, vel Petrus est Petrus, albedo, & unio. Si verò prædicatio sumatur concretivè, prædicabimus ita: compositum ex Petro, unione, & albedine est concretum album; quo in sensu prædicatur concretum ut concretum, & sic verè prædicantur omnes partes concreti.

420. Id ipsum dicendum est de merito Christi, quod etiam est concretum accidentale constitutivum ex dignitate personæ, & operatione creata, & unione morali. Quapropter, si concretum istud meritum Christi prædices solùm secundùm rem denominatam, seu operationem condignificatam, non prædicabis totum concretũ, sed solùm operationem creatam Christi, quæ est valorata, & dignificata, & ex re ipsa non est simpliciter infinita. Si autem meritum Christi prædices ut concretum, prædicabis totum ipsius constitutivum, ac proinde prædicabis ut simpliciter infinitum; sic nempe meritum Christi dicens in recto dignitatem, & in obliquo operationem, vel è converso, est simpliciter infinitum. Si verò dicamus: meritum Christi est obsequium Deo factum, tunc jam non prædicatur ut concretum, sed denominativè secundùm operationem condignificatam creatam, quæ revera est obsequium. Unde inferes, quænam propositiones concedendæ sint, quænam verò sint negandæ circa prædicationem hujus concreti meritum Christi.

421. Objicies tamen; gratia habitualis non dignificat meritum puri hominis justi arithmeticè, sed tantùm geometricè; ergo neque dignitas personæ Verbi dignificabit opera Christi arithmeticè, sed tamen geometricè. Probatur antec. si gratia habitualis communicaret merito puri hominis justi tantum valorem, quantum illa habet in se ipsa, licèt justus ut octo per quemlibet actum suum, quantumcunque remissum, mereretur alios octo gradus gratiæ, per alium actum duplicaret gratiam existentem, & sic deinceps; atqui est penitùs incredibile, per actus remissos fieri posse tale augmentum gratiæ: ergo &c. Confirmatur: si gratia habitualis daret suum valorem merito consurgenti ex actu quantumcunque remisso, homo justus magis, plus mereretur actu remisso, quàm minùs justus actu egregio charitatis, vel fortitudinis in subeundo Martyrio, sed hoc apparet incredibile; ergo &c. Hoc argumentum in varios sensus divisit Auctores, at nullam habet vim in nostris principiis juxta doctrinam traditam à num. 410.

422. Respond. facilè concesso antec. ejúsque probatione, & confirmatione, nego conseq. ratio discriminis, & quidem satis manifesta est, quia vis condignificativa in meritis Christi provenit à ratione necessariò constitutiva filiationis naturalis Dei, ad quam non sufficit, nisi perfectio & dignitas simpliciter infinita, ut in merito puræ creaturæ provenit à ratione necessaria ad constituendam filiationem Dei adoptativam, ad quam sufficit unicus gradus gratiæ habitualis; unde opus puræ creaturæ solùm condignificatur formaliter à gratia habituali secundùm unicum gradum, & cæteri gradus se habent de materiali, quod ita rursus explicant plures Theologi cum Vasquez citato num. 411. quia scilicet opus meritorium à dignitate personæ dignificatur ad merendum præmium tali dignitati proportionatum, eo modo, quo nostra opera à dignitate gratiæ, per quam sumus in statu filiationis adoptivæ, elevantur ad merendum præmium vitæ æternæ proportionatum filiis adoptivis.

At posito, quòd plures habeant dignitatem ejusdem ordinis, licèt unus sit accidentaliter dignior altero, opus meritorium à majori dignitate accidentali merentis non dignificatur ad merendum majus præmium; nam qui sunt in eo ordine dignitatis per opera inter se æqualia, debent æqualiter mereri juxta Scripturæ doctrinam traditam num. 411. at in Christo persona merens habeat infinitam dignitatem filii naturalis Dei ad statum illum requisitam: unde opera meritoria Christi dignificantur ab infinita personæ dignitate ad merendum omne præmium, quod juxta pactum voluerit obtinere; idcirco, licèt major gratia habitualis facit magis Sanctum, cùm sanctitas haberi possit per additionem gradûs ad gradum; at non facit magis Filium Dei, quia filiatio in ordine, in quo est filiatio, non suscipit magis, & minùs, cùmque ab eo titulo proveniat in puro homine ratio condignificandi meritum, exinde gratia habitualis formaliter solùm dignificat secundùm unum gradum, cúmque iste sit limitatus, manet ratione formæ limitatum meritum puri hominis justi. At in Christo Domino ratio filiationis naturalis DEI, à qua provenit sui meriti condignificatio, est simpliciter infinita, nec potest in ullo indivisibili reperiri, in quo non reperiatur perfectio simpliciter infinita, proindeque condignificat meritum simpliciter infinitè; cæterùm hæc omnia clariora fient disp. sequenti.

Quantum ad præsens attinet, satis est scire, meritum Christi Domini esse obsequium Deo factum tanquam superiori, non quidem accipiendo meritum pro forma condignificante, quæ est Deus ipse, quo in sensu non habet superiorem, cui obsequitur; sed accipiendo meritum pro subjecto condignificato ad eum modum, quo accipitur concretum album, quando de Petro prædicamus, dicendo Petrus est albus, meritum enim in hoc sensu est liberum, non verò secundùm formam ad eum modum, quo Christus est liberè productus in tempore, non quidem secundùm Divinitatem, aut personalitatem, sed secundùm humanitatem, quamquàm per communicationem idiomatum verè dicatur *Christus est æternus*: nam ibi prædicatio est de persona æterna, nec exinde potest dari comunicatio idiomatum inter Deum, &

& operationem creatam; sicuti non potest in concreto albo inter subjectum, & albedinem, cùm non habeant inter se unionem substantialem requisitam ad unitatem per se in eodem supposito; non tamen valet dicere: *Petrus est albedo, neque albedo est Petrus.* Quid autem requiratur ad communicationem idiomatum, & quem sensum habeant hujusmodi prædicationes, infrà suo loco dicemus. Reliqua verò, quæ hìc adjungi poterant, commodiùs trademus Disputatione sequenti.

DISPUTATIO XI.

AN OPERA MERITI, ET SATISFACTIONIS CHRISTI SINT SIMPLICITER INFINITA IN RATIONE MERITI, ET SATISFACTIONIS?

425. CErtum est apud omnes Theologos, meritum, & satisfactionem Christi esse valoris aliquo modo infiniti, quod expresè docet Clemens VI. in Extravag. *unigenitus*, ubi ait: *de cujus consumptione, & diminutione non est aliquatenus formidandum propter infinita Christi merita*; & ratio est, quia valor meritorius, & satisfactorius meritorum, & satisfactionum Christi constituitur ex infinita dignitate divini Verbi, ut constat à num. 412. quæ est simpliciter infinita, ac proinde est valor simpliciter infinitus; tum etiam est illud, cujus semper est aliquid extra; de plenitudine autem meritorum Christi omnes accepimus, & quantumcunque accipiamus, semper manebit aliquid extra, cùm formidare non possimus, ut ea plenitudo quandoque consumatur, aut exhauriatur, ut dicitur in citata Extravagente: unde Anselm. lib. 2. *cur Deus homo*, cap. 19. rectè dixit: *tantum bonum, tam amabile potest plusquàm in infinitum sufficere ad solvendum id, quod debetur pro peccatis totius mundi.* Quamobrem præsens controversia inter Theologos solùm est circa qualitatem infinitudinis hujus valoris meritorii, & satisfactorii.

SECTIO I.

Proponitur, & resolvitur Controversia.

426. PRima sententia docet, meritum Christi habere valorem simpliciter infinitum, non tamen esse meritum simpliciter infinitum. Ita Cardinalis de Lugo disp. 6. sect. 1. de Incarnat. Secunda sententia defendit, meritum Christi esse infinitum duntaxat secundùm *quid*. Ita Scotus, aliique cum ipso. Tertia propugnat, meritum Christi (idem esto de satisfactione) concretè sumptum in ratione meriti, & valoris esse simpliciter infinitum. Ita ferè omnes nostri cum Eximio Doctore disp. 4. sect. 4. & Vasquez disp. 6. cap. 2. Ad has tres sententias reducentur aliæ, quæ considerant meritum Christi vel secundùm formam, vel secundùm subjectum, vel secundùm aggregatum ex utroque.

Assero cum tertia sententia: meritum Christi Domini (idem de satisfactione) in ratione meriti, & valoris est simpliciter infinitum. 427.
Probatur 1. Illud est simpliciter infinitum in ratione valoris, & meriti, quod formaliter, vel æquivalenter continet omnem perfectionem, & rationem possibilem meriti; sed quodlibet meritum Christi vel formaliter, vel eminenter continet omnem rationem possibilem meriti: ergo est simpliciter infinitum. Consequentia tenet, & maj. patet; quia æquè perfectum est continere eminenter, quàm continere formaliter omnem perfectionem possibilem; sic in divinis Pater est tam perfectus, quàm Pater, Filius, & Spiritus Sanctus simul. Sic Deus continens eminenter perfectionem omnium actuum, quos potuisset elicere, ut de non condendo mundo, tam perfectus est, acsi contineret eam formaliter, & continens eminenter quamliber perfectionem creatam tam perfectus, acsi formaliter eam contineret: min. verò probatur; quia meritum Christi ex dictis à num. 412. intrinsecè constituitur ex dignitate personæ Verbi; sed dignitas personæ Verbi continet eminenter omnem perfectionem possibilem: ergo &c.

Confirmatur 1. Conjunctum ex duplici extremo, quorum unum alterum non vitiat, non minùs valet, quàm valeat unum ex suis extremis; sicut conjunctum ex duobus Juliis, quorum unus alterum non vitiat, non minùs valet, quàm unus Julius; sed meritum Christi constituitur ex actione creata, dignitate personæ Verbi simpliciter infinita, quæ ab actione creata non vitiatur; imò manet immutata, & immutabilis, ut constat à num. 24. ergo non minùs valet, quàm valeat dignitas simpliciter infinita, ac proinde continet valorem simpliciter infinitum. Confirmatur 2. Non plus valent omnia possibilia merita, quàm dignitas Verbi; sed quodlibet meritum Christi, utpote intrinsecè constitutum ex dignitate Verbi immutata, tantùm valet, quantùm valet dignitas Verbi; ergo valet tantùm, quantùm valent omnia merita possibilia, ac proinde non minùs habet infinitum valorem in ratione meriti, quàm habeant omnia merita possibilia. 428.

Respondebis 1. cum Scoto, dignitatem personæ- 429.

sonæ Verbi ex eo non constituere cum operatione creata Christi meritum simpliciter infinitum, sed solùm secundùm quid; quia, ut esset simpliciter infinitum, deberet esse tale, ut unum Christi meritum non posset esse majus alio; cùm autem unum Christi meritum possit esse majus alio, ut constat ex eo, quòd possit crescere ex parte operationis creatæ; siquidem actus charitatis perfectior est actu temperantiæ: exinde meritum ex actu temperantiæ constitutum non tantùm erit in ratione meriti, quantum erit meritùm constitutum ex actu charitatis; unde non erit simpliciter infinitum, sed infinitum secundùm quid.

430. Contrà 1. Licèt actus charitatis perfectior sit entitativè actu temperantiæ, ut conjunctum ex persona Verbi, & actu charitatis, non est absolutè perfectius conjuncto ex actu temperantiæ, & eadem persona Verbi: ergo unum meritum Christi non est absolutè perfectius alio. Probatur antec. Perfectio, qua actus charitatis excedit actum temperantiæ, eminenter continetur in persona Verbi: ergo ex actu charitatis, & persona Verbi nequit fieri conjunctum perfectius conjunctò ex eadem persona Verbi, & actu temperantiæ. Conseq. tenet, quia, ut una res sit absolutè perfectior aliâ, non sufficit, quòd habeat aliquam perfectionem, quæ formaliter non sit in alia; aliter conjunctum ex Deo, & creatura esset absolutè perfectius solo Deo, cùm perfectio creata, E.G. perfectio pœnitentiæ non contineatur formaliter in DEO, sed ulteriùs requiritur, quòd habeat aliquam perfectionem, quæ neque formaliter, neque eminenter reperiatur in altera; atqui conjunctum ex actu charitatis, & persona Verbi nullam includit perfectionem, quæ non contineatur eminenter in conjuncto ex eadem persona Verbi, & actu temperantiæ; ergo &c.

431. Contrà 2. Christus Dominus constitutus ex humanitate, & persona Verbi tantæ dignitatis, & perfectionis est, acsi constitueretur ex persona Verbi, & natura Angelica: ergo meritum consurgens ex actu temperantiæ, & persona Verbi tantæ dignitatis, & perfectionis est, quantæ sit meritum consurgens ex actu charitatis, & eadem persona Verbi. Antec. certum est apud omnes; quia Christus, sive constituatur ex natura humana, sive Angelica, est eadem persona divina. Conseq. verò probatur. Ideo Christus æquè perfectus, sive constituatur ex natura humana, sive Angelica, quia perfectio, qua natura Angelica excedit humanam, eminenter continetur in persona Verbi utriusque conjuncti constitutiva: imò in persona Verbi reperitur tota ea perfectio depurata ab omni imperfectione sub eodem modo perfecti, quo actus charitatis excedit actum temperantiæ eminenter, continetur in persona Verbi utriusque meriti constitutiva: ergo utrumque meritum est æqualis dignitatis, & perfectionis.

Respondebis 1. cum Cardinali de Lugo dis. 43
sput. 6. à num. 10. meritum Christi non esse
simpliciter infinitum in ratione meriti; quia
habet aliquid, à quo limitatur, nempe ab actione creata, quæ minui, & augeri potest; sicut
offensa non est simpliciter infinita; quia limitatur à cognitione creata: sicut enim offensa est
major, vel minor in ratione offensæ juxta mensuram cognitionis; ita meritum Christi in ratione meriti erit majus, vel minus, juxta incrementum, vel discrementum actionis creatæ,
licèt semper sit æquale ratione personæ Verbi;
unde non erit simpliciter infinitum in ratione
meriti. Erit igitur (inquit Lugo) simpliciter 435
infinitum in ratione valoris, quia licèt non meretur præmium simpliciter infinitum formaliter, hoc est, attenta dignitate operationis independenter à dignitate personæ, meretur tamen
præmium simpliciter infinitum materialiter,
quatenus ex le meretur præmium magnum respectu Christi, quod tale esse non potest, quin
sit simpliciter infinitum.

Explicatur exemplò tota ista doctrina re- 43
sponsionis, ex his, quæ dixi in Tractatu de justitia, & jure à num. 419. Beneficiarii equidem
ratione obsequii Ecclesiæ præstiti, possunt ex
Beneficii fructibus licitè accipere congruam sustentationem. Unde formaliter loquendò omnibus offertur æqualis merces sui laboris, scilicet victus, & sustentatio congrua, ut merces ista inæqualis materialiter est; siquidem contingere potest, ut aliquis vel propter infirmam
valetudinem, vel propter robustiorem etiam naturam indigeat multò majori, vel pretiosiori
victu, & sic possit ex fructibus beneficii multò
plus sibi accipere, quàm alii possint. Pariter
in nostro casu actus creatus honestus meretur 43
coram DEO magnum præmium; sed cùm iste
sit finitus, meritum formaliter loquendò non est
simpliciter infinitum. At materialiter loquendò præmium, quod respectu unius puræ creaturæ est finitum: nam Christus est Deus, & coram Deo omnia præmia finita tanquam nihil
reputantur. Unde meritum Christi, licèt formaliter in ratione meriti sit finitum materialiter, tamen in ratione valoris evadit simpliciter
infinitum.

Contrà 1. Ex nullo capite limitatur meri- 43
tum Christi, ne sit simpliciter infinitum, licèt
limitetur offensa, ne evadat simpliciter infinita: ergo licèt offensa non sit simpliciter infinita
in ratione offensæ, meritum Christi erit simpliciter infinitum in ratione meriti. Prob. ant. Licèt
DEUS non sit forma, sed objectum offensæ,
nec, ut est in se, contineat formaliter offensam,
nec illam gravificet, nisi ut objectum cognitum
ex dictis à num. 341. & ut etiam dicemus num.
445. at dignitas personæ, ut dignitas personæ
est, & non ut cognita, constituit meritum; ju- 43
stus enim, quamvis invincibiliter ignoret, se
habere gratiam, nihilominus per actus liberos
supernos meretur condignè apud DEUM, li- 43
cèt non peccet graviter coram DEO, qui in-
vincibi-

vincibiliter ignorat præceptum Dei; ergo licèt Deus, ut objectum gravitans offenſam limitetur à cognitione, Chriſtus merens non limitatur, ne ſecundùm totam ſuam dignitatem infinitam significet meritum. Conſeq. patet; quia licèt Deus ut cognitus non ſit ſimpliciter infinitus, & non conſtituat offenſam ſimpliciter infinitam in ratione offenſæ, dignitas tamen perſonæ Verbi, ut eſt in ſe, conſtituet meritũ ſimpliciter infinitum in ratione meriti. Confir. Dignitas perſonæ Verbi non limitatur ab actione creata, ne conſtituat meritum Chriſti ſimpliciter infinitè perfectum.

435. Contrà 2. Dignitas perſonæ Verbi non ſolùm conſtituit meritum in ratione valoris, ſed etiam in ratione meriti; atqui per Te ex eo, quòd dignitas perſonæ ſit ſimpliciter infinita, conſtituit meritum in ratione valoris ſimpliciter infinitum; ergo etiam conſtituit meritum in ratione meriti ſimpliciter infinitum. Minor, & conſeq. tenent; maj. verò conſtat, quia, ut docent Concilium Tridentinum, Pius V. Gregorius XIII. citati num. 386. & 389. noſtra opera nullo modo poſſunt eſſe meritoria de condigno ſine gratia habituali, quæ in puris creaturis eſt dignitas requiſita ad hunc ſtatum perſonæ operantis, & merentis; ergo dignitas perſonæ operantis, & merentis non ſolùm conſtituit meritum in ratione valoris, ſed etiam in ratione meriti. Confirmatur. Vis merendi, & ſatisfaciendi non diſtinguitur à merito, & ſatisfactione; ſed hæc vis, utpote conſiſtens formaliter in dignitate perſonæ Verbi, eſt ſimpliciter infinita; ergo jus merendi in merito Chriſti Domini eſt ſimpliciter infinita, ac proinde in ratione meriti evadet ſimpliciter infinitũ.

436. Contrà 3. & aſſumo exemplum, quo utitur Adverſarius. Nullum præmium dici poteſt magnum, niſi relatè ad aliud minus, ut ex terminis conſtat. Nunc ſic: vel obſequium Beneficiarii ſimul cum qualitate perſonæ meretur præmium magnum reſpectu aliorum, vel magnum reſpectu ſui: ſic etiam operatio Chriſti ſimul cum Divinitate perſonæ, vel meretur præmiũ magnum reſpectu aliorum, vel magnum reſpectu ſui. Si primum, ergo neque attenta qualitate perſonæ debentur Beneficiario redditus pinguiores his, qui debentur aliis, ſed illi gratioſè offeruntur ab Eccleſia, ac proinde nec Chriſto Domino debebitur præmium majus eo, quod debetur reliquis juſtis, ſed gratioſè offeretur illi majus præmium à Deo, quod & abſurdum eſt, & contra Clementinam citatam num. 425. Si ſecundum; atqui nullum præmium eſt excogitabile, quod excedat vim meriti ſui reſpectu Chriſti: ergo nullum eſt excogitabile præmium, quod non cadat ſub meritum Chriſti, quod perinde eſt, ac dicere, meritum Chriſti in ratione meriti eſſe ſimpliciter infinitum; unde neque meritum Beneficiarii, ne que meritum Chriſti poteſt eſſe majus reſpectu aliorum in ratione valoris, quin etiam ſit majus in ratione meriti.

437. Reſpondebis 3. ex aliis: perſonam Verbi unà cum operatione creata Chriſti conſtituere meritum ſimpliciter infinitum in ratione meriti, ſi ſumatur meritum ſubſtantivè, & concretivè; ſecus autem, ſi ſumatur adjectivè. Contrà tamen 1. quia hoc ſolùm eſt dicere, operationem creatam non eſſe ſimpliciter infinitam; exinde autem non infertur, quòd meritum conſtitutum ex actione creata, & dignitate Verbi non evadat ſimpliciter infinitum: ergo meritum Chriſti abſolutè ſumptum, quatenus ex operatione creata, & dignitate Verbi conſtituitur, reverâ eſt in ratione meriti ſimpliciter infinitum. Contrà 2. Licèt humanitas Chriſti Domini ſit reverâ finita, at Chriſtus Dominus ex humanitate, & dignitate Verbi conſtitutus eſt ſimpliciter infinitus, & quando de Chriſto loquimur, abſolutè dicendum eſſe ſimpliciter infinitum in ratione Chriſti: ergo eodem modo, quando de merito Chriſti loquimur, abſolutè dicendum eſt in ratione meriti ſimpliciter infinitum. Contrà 3. Sicut Chriſtus, ſive adjectivè, ſive ſubſtantivè accipiatur, ipſiſſimus eſt ex parte objecti, eique extrinſecè advenit ex noſtris actibus, quòd adjectivè, vel ſubſtantivè conſideretur; ita meritum Chriſti, ſive adjectivè, ſive ſubſtantivè accipiatur, ipſiſſimum eſt ex parte objecti, eique extrinſecè advenit ex noſtris actibus, quòd adjectivè, vel ſubſtantivè conſideretur: ergo ſicut contingentia adveniens ex noſtris actibus non impedit, ne debeamus dicere, quando de Chriſto abſolutè loquimur, quòd ſit ſimpliciter infinit⁹ in ratione Chriſti, ita hæc contingentia non impediet, quando de Chriſti merito abſolutè loquimur, quòd ſit ſimpliciter infinitum in ratione meriti.

438. Probatur 2. concluſio. Licèt Chriſtus includat humanitatem, quæ non eſt ſimpliciter infinita, nihilominus, quia includit perſonam Verbi ſimpliciter infinitam, eſt totum ſimpliciter infinitum: ergo licèt meritum Chriſti includat operationem creatam, quæ non eſt ſimpliciter infinita, nihilominus, quia includit perſonam Verbi ſimpliciter infinitam, erit totum ſimpliciter infinitum. Probatur conſeq. Ideo Chriſtus ratione Verbi eſt ſimpliciter infinitus; quia, licèt perſonalitas Verbi non cõmunicetur humanitati per identitatem, communicatur tamen per identitatem compoſito, ut extremum illius conſtitutivum ab humanitate non vitiatum; ſed etiam perſona Verbi, licèt non communicetur per identitatem operationi creatæ, communicatur tamen per identitatem merito Chriſti, utpote extremum illius conſtitutivum, & ab operatione creata non vitiatum: ergo ſicut Chriſtus eſt ſimpliciter infinitus in ratione Chriſti, ita Chriſti meritum eſt ſimpliciter infinitum in ratione meriti.

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

439. OBjicies 1. Deus ſolus, utpote continens perfectionem absque ulla mixtura imperfectionis eſt perfectior, quàm aggregatum ex Deo, & creatura: ergo etiam dignitas Verbi, utpote

te continens perfectionem depuratam ab omni imperfectione, erit perfectior, quàm aggregatum ex ipsa, & ex operatione creata; ac proinde, licèt dignitas personæ Verbi sit simpliciter infinita, nihilominus meritum Christi constitutum ex ea dignitate, & operatione creata non erit simpliciter infinitum. Retorqueo argumentum: Deus solus, utpote continens perfectionem absque ulla mixtura imperfectionis est perfectior, quàm aggregatum ex DEO, & creatura; ergo etiam dignitas Verbi, utpote depurata ab omni imperfectione erit perfectior, quàm Christus Dominus constitutus ex eadem dignitate, & humanitate creata.

440. Deinde dist. ant. est perfectior, id est, simpliciter eo aggregato, conc. id est continens aliquam perfectionem, quæ non contineatur in eo aggregato, nego antec. & consequentiam; quia in eo aggregato imperfectio, quæ continetur, est purè negativa ex parte extremi creati, prout illud extremum creatum dicit tantam, & non majorem perfectionem; at non est imperfectio positiva inficiens DEUM; aliter non posset Deus velle illud extremum ad constituendam quasi formam cum illo unum suum divinum compositum cum peccato, vel cum positiva morali imperfectione, ex quo non impeditur, quod illud aggregatum contineat perfectionem simpliciter infinitam. Vide à n. 140. de justit. & jur. ubi notavi, exponendo, quomodo in his possit facilè immiscèri quæstio de voce, quæ non aliter, nisi juxta nostra principia expediri potest.

441. Objicies 2. Ex persona Verbi, & operatione Christi non fit unum meritum simpliciter æternum: ergo nec unum meritum simpliciter infinitum. Probatur conseq. Quamvis contineat extremum simpliciter æternum, non fit meritum simpliciter æternum: ergo quamvis contineat extremum simpliciter infinitum, non consurget meritum simpliciter infinitum. Retorqueo argumentum 1. licèt Christus Dominus contineat immensitatem ubique existentem, non existit ubique: ergo licèt contineat extremũ simpliciter infinitum, non erit simpliciter infinitus. 2. licèt meritum Christi contineat extremum magis æternũ, non reddit illud magis æternum, quàm meritum puri hominis justi: ergo licèt contineat extremum magis dignum, non reddet magis dignum, quàm meritum puri hominis justi.

442. Respondeo deinde conc. antec. & nego conseq. Ad probationem conc. etiam ant. & nego conseq. Ratio est, quia illud totum est capax denominationis simpliciter infinitæ, & non est capax denominationis simpliciter æternæ; nam ut sit simpliciter infinitum, sufficit, quòd, licèt nunc habeat valorem simpliciter infinitum, & quòd non possit compensari ad æqualitatem cum valore finito; at verò, ut totum illud sit simpliciter æternum, requirebatur, ut illud aggregatum extiterit ab æterno; cùm autem certum sit, quòd illud totum non possit compensari ad æqualitatem cum valore finito, siquidem continet non minorem valorem, quàm persona Verbi, quæ est infinita, exinde certum apparet, quòd sit capax denominationis simpliciter infinitæ; at verò, cùm aliunde sit certum, quòd illud aggregatum non extiterit ab æterno, exinde certum apparet, quòd illud totum sit incapax, ut denominetur simpliciter æternum.

Ratio omnium est, quia forma, vel quasi forma totius non dat toti denominationem, cujus est incapax, sed denominationem, cujus est capax: sic forma naturalis, quæ spiritualis est, & intellectiva, reddit totum hominem intellectivum, & non spiritualem; sic etiam forma, quæ simul est albedo, & qualitas, reddit totum album, cujus denominationis est capax, non autem reddit illud quale, cujus denominationis est incapax. Regula autem generalis ad quamcunque denominationem cognoscendam, quam fusè tradidi in analyticis, ita breviter explicatur. Quando enim quæritur, an forma communicet huic toti aliquam denominationem, quæri priùs debet definitio ejus denominationis, & si hæc definitio conveniat toti, totum illud erit capax talis denominationis, eamque suscipiet; si verò non conveniat toti, erit exinde totum incapax illius denominationis, eámque non suscipiet. E. G. homo constituitur ex corpore, & ex spiritu, & quærimus, an à forma spirituali denominetur totum spirituale, vel an à materia denominetur totum materiale? Pro cujus decisione quærimus definitionem spiritualis, videlicet, quod ex se saltem sit in altero penetrabile, & materiale, quòd sit ex se impenetrabile; quod idem est de quacunque excogitabili definitione; cùm autem totus homo non sit penetrabilis cum altero, sed impenetrabilis; exinde non potest dici à forma spirituali totum illud spirituale, nec est capax talis denominationis; dici tamen potest à materia materiale, & est capax talis denominationis.

Eodem modo quærimus, an à forma intellectiva dicatur totus homo intellectivus, vel à materia, quæ intellectiva non est, dicatur non intellectivus; & recurrimus ad definitionem harum denominationum sic; v. g. intellectivum, quod potest tendere intentionaliter in objectũ, ex qua definitione inferimus sic. Totus homo tendit intentionaliter in objectum, nec à materia impeditur, ne intentionaliter tendat. Unde dicitur reverà intellectivus à forma intellectiva, & est capax hujus denominationis. Ex quo clarè infertur, quomodo meritum Christi non sit æternum, & sit valoris simpliciter infiniti, ut enim sit æternum, requiritur, quòd hoc concretum accidentale non inceperit in tempore, cúmque hoc aggregatum accidentale meriti Christi in tempore inceperit, non est capax denominationis æternæ. At concretum valoris simpliciter infiniti illud est, quod ad æqualitatem non potest appretiari minus, quàm simpliciter infinitè; cúmque meritum Christi appretiari non possit, quàm simpliciter infinitè, exinde est capax hujus denomi-

natio-

nationis, & revera evadit ſimpliciter infinitum.

445. Objicies 3. Offenſa lethalis non evadit ſimpliciter infinita ex dignitate ſimpliciter infinita Dei offenſi; ergo neque meritum Chriſti evadet ſimpliciter infinitum ex dignitate ſimpliciter infinita perſonæ merentis. Reſp. conc. antec. & nego conſeq. quia Deus non eſt forma intrinſecè conſtitutiva offenſæ, ſed objectum offenſum, neque offenſam gravificat, niſi ut cognitus, ex dictis num. 434. at, ut ibi diximus, eſt forma, vel quaſi forma intrinſecè, ut eſt in ſe, conſtitutiva meriti Chriſti; ſiquidem ad dignificandum non eſt opus, ut dignitas cognoſcatur. Deus etiam, ut eſt in ſe, eſt bonus, & ſic poteſt conſtituere tanquam forma meritum ſimpliciter infinitè bonum; at verò, ut eſt in ſe, non eſt malus, ac proinde, ut eſt in ſe, nequit conſtituere tanquam forma offenſam ſimpliciter infinitè malam; unde, ut eſt in ſe, poteſt communicari tanquam forma concreto meriti, non autem offenſæ. Hæc omnia fusè dedimus à num. 339. ubi diximus, quòd, licèt Deus eſſet forma offenſæ, non eſſet forma, ut eſt in ſe, ſed ut cognitus, & ut limitatus, & repræſentatus in cognitione, tanquam in ſpeculo. Ideóque ſolùm geometricè poſſet gravificare offenſam; nam licèt imagines in ſpeculo ita appareant, ut una excedat alteram, v. g. imago hominis excedit imaginem Canis; at non tantùm excedit imaginem Canis, quantùm homo excedit Canem. Sic imago Dei excedit imaginem omnium creaturarum; at non excedit tantùm, quantùm Deus excedit creaturas; in quo ſtat limitatio ad proportionem geometricam.

446. Ob. 4. Satisfactio & meritum Chriſti, neque formaliter, neque eminenter continent omnem dignitatem, & valorem poſſibilem, ita, ut non ſit valor alius, & dignificatio major; ergo in ratione ſatisfactionis & meriti non eſt ſimpliciter infinitum. Probatur antec. valor, & dignificatio volitionis liberæ Dei, vel perſonæ Verbi in ſe ipſa major eſt, quàm valor, & dignificatio meriti Chriſti; ergo &c. Probatur antec. valor, & dignificatio volitionis liberæ Dei, aut perſonæ Verbi in ſe ipſa, eſt talis per eſſentiam; atqui valor, & dignificatio meriti Chriſti non eſt talis per eſſentiam, ſed per unionem; ergo &c. Confirmatur 1. Deus non exiſtimat tanti dignificationem meriti Chriſti, cùm potuiſſet illam non nolle nolendo Incarnationem, quàm dignificationem perſonæ Verbi, quam non potuit non velle; ergo &c. Confirmatur 2. dignificatio meriti Chriſti, licèt habeat formam, non tamen habet communicationem ſimpliciter infinitam; atqui dignificatio perſonæ in ſe non ſolùm habet formam, ſed etiam communicationem ſimpliciter infinitam; ergo eſt major. Confirm. 3. Excellentia Dei non reddit, tam excellentem humanitatem Chriſti, cui communicatur per unionem, quàm perſona Verbi, cui communicatur per eſſentiam; ergo neque reddet tam excellentem operationem Chriſti, cui communicatur per unionem, quàm ipſam perſonam Verbi, cui per eſſentiam communicatur. Hoc argumentum retorſionem paritur in infinitate Chriſti Domini, ut per ſe patet.

Reſpondeo deinde 1. nego antec. ad prob. 447.
nego etiam antec. ad probationem conc. maj. & nego min. quia licèt perſona Verbi non ſit de eſſentia, & conſtitutivo operationis creatæ Chriſti, eſt tamen de eſſentia, & conſtituto meriti Chriſti reſultantis ex ipſa perſona, & operatione creata. Sic perſona Verbi, eſt de conſtitutivo Chriſti Domini, licèt non ſit de conſtitutivo humanitatis. Ad primam Confirmationem; nego antec. quia, licèt Deus poſſit velle exiſtentiam operationis creatæ Chriſti Domini, quin velit ipſius dignificationem, nihilominus velle non potuit meriti Chriſti exiſtentiam, quin vellet illius dignificationem, cùm eſſentialiter conſtituatur ex ipſa perſona Verbi. Nec obſtat, quòd potuerit non exiſtere meritum Chriſti, quia etiam potuit non exiſtere iſtud compoſitum ex humanitate, & Verbo, & potuit non exiſtere volitio libera Dei, & tamen ex ſuppoſitione, quòd ſint, neceſſariò amantur à Deo, habéntque dignitatem ſimpliciter infinitam; quia eſſentialiter conſtituuntur ex ipſa dignitate Dei.

Ad ſecundam confirmationem nego majo- 448.
rem; quia licèt dignitas perſonæ Verbi communicetur per unionem moralè operationi creatæ Chriſti, communicatur tamen merito per identitatem, cùm ſit de intrinſeco, & reali conſtitutivo meriti Chriſti; unde habet denominatio, quam accipit operatio creata abſtractè ſumpta, ut non ſit abſolutè, & ſimpliciter infinita. At meritum Chriſti concretè ſumptum nequit non eſſe ſimpliciter infinitum: ſic licèt humanitas Chriſti abſtractè ſumpta non ſit abſolutè, & ſimpliciter infinitè ſancta; at Chriſtus ex humanitate, & Verbo conſtitutus eſt abſolutè, & ſimpliciter infinitè ſanctus. Ad tertiam confirmationem concedo totum; ſed quid inde contra nos? ſanè, qui ſic arguunt, egregiè confundunt duo toto Cœlo diverſa, videlicet actionem creatam Chriſti, quæ eſt abſtractum hujus concreti meritum, & ipſum concretum; ſicut ſi quis confunderet humanitatem Chriſti, quæ eſt purè creata, cum ipſo Chriſto conſtituto ex Verbo divino & humanitate; unde ſicut hujusmodi argumentum frivolum eſſet; nempe humanitas eſt ſimpliciter finita; ergo & Chriſtus eſt ſimpliciter finitus; ita & argumentum iſtud eſt inutile; operatio creata Chriſti eſt ſimpliciter finita; ergo meritum Chriſti eſt ſimpliciter infinitum. Cæterùm, quia Adverſarii hac ingenti æquivocatione ſæpè laborant, accipiendo meritum Chriſti, non quidem pro concreto conſtituto ex operatione creata, & dignitate Verbi, ſed pro ipſa operatione valorata à Verbi dignitate, ut ipſis aliquid demus,

449. Resp. 2. Ad argumentum consideratum in sensu Adversariorum dist. antec. non continet omnem valorem possibilem in omni linea, con. in linea operationis meritoriæ, nego antec. & conseq. ad prob. conc. antec. & dist. conseq. eodem modo: ad probationem concessis præmissis, dist. eodem modo conseq. ratio est; quia, ut operatio creata esset simpliciter infinita in omni genere, opus erat, ut contineret omnem valorem possibilem in omni genere, quàm revera non continet, cùm non sit infinita per identitatem, ut est ipsa Christi persona; ita, ut sit simpliciter infinita in linea operationis meritoriæ, non est necesse, nisi quòd ratione formæ significantis actum supernaturalem meritorium contineat dignitatem ad quodlibet præmium; cúmque operatio Christi meritoria ex dignitate significativa simpliciter infinita habeat condignitatem ad quodlibet præmium; eo quòd non possit dari major condignificatio; exinde manet simpliciter infinita in linea meriti. Ad primam Confirmationem dist. antec. dignificationem passivam sumptam pro pura entitate actûs, conc. dignitatem formalem acceptam pro forma dignificante actum, nego antec. & conseq.. Ad secundam Confirmationem: dist. maj. non habet communicationem simpliciter infinitam in omni linea, conc. in linea operationis meritoriæ, nego maj. & dist. min. nego conseq. quia licèt persona Verbi habeat infinitam communicationem per identitatem, ideóque sit simpliciter infinita in omni genere; at operatio meritoria, quamvis non habet infinitam communicationem per identitatem, habet tamen talem condignificationem, ut non sit possibilis major in linea meritoria, ac proinde manet in hac linea simpliciter infinita.

450. Objicies 5. Si meritum Christi esset simpliciter infinitum, nec unum esset majus alio, nec omnia simul continent majorẽ valorem, quàm unum duntaxat Christi meritum, ut patet in quavis persona Divina, quæ tantam perfectionem continet, quantã tres simul divinæ personæ contineant; sed hoc est falsum; ergo &c. Prob. min. ex eo charitas Christi erga nos commendatur à Sanctis PP. quia cùm potuisset per actum multò minùs difficilem nos à peccato redimere, id præstitit per actum difficilem; sed hoc locum non haberet, si omnia Christi merita essent æqualia: ergo &c. Confirm. 1. quia omnes divinæ personæ sunt æquales, & quævis earum continet tantam perfectionem, quantam omnes simul, nequit una reperiri sine altera; atqui unum Christi meritum potest absque altero reperiri: ergo &c. Confirmatur 2. quia actus Christi necessarij non erant capaces meriti, non accipiebant à persona Verbi valorem meritorium; ergo quia actus remissus non est tam capax, quàm intensus, non accipiet tantum valorem meritorium à persona Verbi quantum intensus. Confirm. 3. Christus habuit libertatem sufficientem ad meritum; atqui libertas inter duo omnino æqualia non est sufficiens ad meritum; ergo merita Christi non erant æqualia. Hoc argumentum etiam confundit meritum Christi cum actionibus abstractè sumptis.

Resp. conc. maj. & nego min. ad probat. conc. maj. & nego min. nam Sancti PP. rectè inferunt charitatem Christi erga nos, eò quòd, cùm Christus potuerit nos à peccato redimere per actum non multò difficilem, voluit tamen hoc facere per difficillimam Crucis passionem, ut præberet nobis patiendi exemplum. Cæterùm ipsi actus abstractè sumpti non sunt adæquatum meritum, ut sæpè diximus, cùm meritum Christi ex iis actibus & persona Verbi adæquatè consurgat; at hoc conjunctum revera continet valorem simpliciter infinitum; ideóque, licèt actus sint inæquales, manet tamen Christi meritum simpliciter infinitum. Ad primam Confirmationem nego maj. seu potiùs illam causalem, *quia*. Nam personæ divinæ non ideò præcisè habent essentialem connexionem, quia sunt simpliciter infinitæ, sed quia, ut fides docet, sunt metaphysicè necessariæ; at verò merita non sunt metaphysicè necessaria, sed potiùs libera, neque potest meritum reperiri absque libertate.

Ad secundam Confirmationem conc. antec. & dist. conseq. quia non est tam capax actus remissus abstractè sumptus, concedo; in concreto meriti, nego conseq. quia cum persona Verbi contineat omnem valorem possibilem, eò ipsò, quòd actus remissus sit potens cum illa constituere hoc concretum meritum Christi, est quoque tam capax constituendi meritum simpliciter infinitum, ac sit capax actus intensus; sic humanitas Christi est tam capax constituendi cum unione hypostatica compositum simpliciter infinitum, ac sit capax natura Angelica; id autem non convenit actui necessario; siquidem ex defectu libertatis est incapax meriti. Ad tertiam Confirmationem dist. min. si actiones, quæ fiunt, sint omnino æquales, conc. si sint inæquales, nego min. & conseq. quia licèt in meritis Christi persona Verbi eadem sit, nec detur libertas, ut personæ dignitas sit major, vel minor; at relatè ad operationes datur libertas ad eliciendam intensiorem, vel minùs intensam, ad eliciendam operationem in hac specie virtutis, vel altera; imò & Christus habet etiam libertatem contradictionis ad eliciendum, vel omittendum actum supernum meritorium, ut suo loco dicemus.

Objicies 6. Persona Verbi magis dignificat humanitatem, quàm meritum Christi; ergo non dignificat meritum simpliciter infinitè. Probatur antec. illud magis dignificat, cui intimiùs communicatur, sed intimiùs communicatur humanitati, quam condignificat immediatè, sive per unionem physicam, quàm communicetur merito, quod condignificat mediatè, sive per unionem moralem fundatam in unione physica: ergo &c. Resp. nego antec.

ad

ad probat. conc. maj. & nego min. quia perſona Verbi communicatur ſuis meritis per identitatem, licèt humanitati comunicetur per unionem phyſicam, & operationi per unionem moralem. Sicut enim Chriſto Domino non communicatur per unionem, ſed per identitatem, quia eſt de eſſentiali conſtitutivo Chriſti, licèt non communicetur per identitatem ſed per unionem phyſicam humanitati, cujus non eſt eſſentiale conſtitutivum, ita communicatur merito per identitatem, quia eſt de eſſentiali ſui meriti conſtitutivo, licèt non communicetur per identitatem, ſed per unionem moralem operationi, cujus non eſt eſſentiale conſtitutivum.

454. Datur præmium, quod nequit condignè cadere ſub meritum Chriſti: ergo meritum Chriſti in ratione meriti non eſt ſimpliciter infinitum. Probatur antec. volitio libera Dei eſt infinita per eſſentiam, dum, etiamſi incarnaretur Pater aut Spiritus Sanctus, conſtituunt totum infinitum per eſſentiam, & meritum Chriſti non eſt infinitum per eſſentiam; ſed infinitum per eſſentiam non poteſt cadere ſub meritum non infinitum; ergo &c. Confirmatur 1. Meritum Chriſti exhauriri poteſt, ſi nempe petitur in præmium, quòd Pater aut Spiritus Sanctus carnem aſſumant, vel ſi detur in præmium ipſa Euchariſtia, in qua reproducitur ipſe Chriſtus; ſed quod exhauriri poteſt, non eſt ſimpliciter infinitum; ergo &c. Confirmatur 2. Si meritum Chriſti non poſſet exhauriri, ſequeretur, quòd quocunque præmio dato adhuc maneret in Chriſti merito valor ad aliud præmium, ac proinde, quòd plus poſſet Chriſtus mereri, quàm Deus poſſet præmiare; ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c. Confirmatur 3. Sequeretur, quòd unicum Chriſti meritum eſſet majus, quàm omnia peccata ſimul; ergo Deus exigens Chriſti meritum ad condignam ſatisfactionem pro peccato, eſſet iniquus. Confirmatur 4. Sub eodem genere darentur duo infinita ejusdem rationis, videlicet duo Chriſti merita; ſed duo infinita ejusdem rationis ſub eodem genere repugnant ex Philoſopho; ergo &c.

455. Reſp. nego antec. ad probationem, nego majorem quoad ſecundam partem, quia dignitas Verbi, utpote conſtitutiva meriti Chriſti communicatur merito per eſſentiam, ac proinde meritum Chriſti per eſſentiam ſuam eſt ſimpliciter infinitum; cùm autem ſit de ratione ſimpliciter infiniti, quòd formaliter, vel eminenter omnia contineat, ac proinde, quòd ſit tantum ſe ſolo, quantum cum quolibet alio ſimul, exinde meritum Chriſti, eſt tantum ſe ſolo, quantum omnia ſimul merita, & omnia ſimul præmia. Sic Deus ſe ſolo eſt tantus, quantus ipſe ſimul cum creaturis, & Pater ſe ſolo eſt tantus, quantus ſimul Pater ipſe, Filius, & Spiritus Sanctus. Ut ait Auguſtinus Serm. 38. de tempore prope medium. *Tantus ſolus eſt Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus Sanctus, quantus eſt ſimul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Ratio eſt, quia, quod formaliter eſt ſimpliciter infinitum, continet eminentiâ ſimpliciter infinitâ, quidquid realiter ab ipſo diſtinguitur, & hoc tam perfectum eſt, quàm ſit perfectum in altero realiter diſtincto continere illud formaliter; ſic tanta perfectio eſt in Patre continere filiationem eminentiâ ſimpliciter infinitâ, quanta ſit perfectio in filio continere formaliter filiationem, & tanta perfectio eſt in filio continere paternitatem eminentiâ ſimpliciter infinitâ, quanta ſit perfectio in patre continere formaliter paternitatem; ſic etiam tanta perfectio eſt in Deo continere omnes perfectiones creaturarum eminentiâ ſimpliciter infinitâ, quàm ſit perfectio in creaturis continere eas perfectiones formaliter; unde cum quodlibet Chriſti meritum contineat perfectionem omnium meritorum eminentiâ ſimpliciter infinitâ, eſt ſe ſolo tam perfectum, quàm omnia ſimul merita. Exinde

Ad primam Confirmationem: nego maj. & ejus ſuppoſitum, nempe, quòd infinita perfectio divina, ſive conſideretur in actibus Dei liberis, ſive in Patre, aut Spiritu Sancto, qui carnem aſſumerent, ſive in miſterio Euchariſtiæ, ſive in uno Chriſti merito, quod pro altero ejusdem merito conferretur, poſſit eſſe præmium meriti Chriſti. Ratio eſt, quia nulla divina perfectio diſtinguitur eſſentialiter ab altera, cùm in Deo ſit unica indiviſibilis eſſentia cum omnibus divinis perfectionibus identificata, ut fides docet, & expreſsè definit Concilium Lateranenſe; Can. 2. ad præmium autem, utpote eſſentialiter indebitum pro priori ad meritum, requiritur, quòd ſit eſſentialiter diſtinctum ab ipſo merito; unde in divinis, neque Pater poteſt eſſe præmium filii, neque filius poteſt eſſe præmium Patris, ſed ſunt ad invicem mutua poſſeſſio: idcirco ſolùm poteſt eſſe Chriſti præmium, quod eſt realiter diſtinctum à ſuo merito, ut viſio creata animæ Chriſti, remiſſio peccatorum humani generis, & alia dona ſuperna, de quibus infra agemus; cùm autem omnia dona creata nullatenus poſſint exhaurire merita Chriſti; exinde nequaquam poſſunt exhaurire per aliquod præmium; quò reſpexiſſe videtur Clem. 6. in Extravagante Unigenitus, dum de theſauro meritorum Chriſti dixit; *De cujus conſumptione ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum propter infinita Chriſti merita;* atque exinde patet, quomodo reſpectu adultorum gloria dicatur corona, & hæreditas, & reſpectu Chriſti dicatur hæreditas, & poſſeſſio ſua, ut Dominus loquitur Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* quo in ſenſu dicitur etiam Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre.* Vide aliam ſolutionem apud Eximium Doctorem diſput. 4. ſect. 4. dato, & permiſſo ſuppoſito. 456.

457. Ad secundam Confirmationē dist. maj. quoad secundam partem: maneret valor ad aliud præmium categorematicè infinitū, neg. syncategorematicè infinitū conc. istam, & nego alteram partem majoris, & dist. pariter min. nego conf. ratio est, quia, ut nunc suppono cum communi Philosophia, infinitum categorematicum implicat, ac proinde non potest esse revera præmium. Siquidem præmium ex natura præmii debet esse possibile, & non chymericū; unde infinito merito Christi non debetur præmium infinitum categorematicè, seu syncategorematicè, imò quomodo in hac eadem suppositione deberur in sua linea infinitæ omnipotentiæ DEI effectus infinitus non quidem categorematicè, cùm iste sit effectus chymericus, sed syncategorematicè, id est, etiam posse producere plura, & plura, majora, & majora in infinitum; sic etiam meritum Christi in actu primo est æquale cuicunque præmio non repugnanti; cúmque præmium non repugnans sit infinitum tantùm syncategorematicè, exinde habet duntaxat proportionem, & æqualitatem cum præmio infinito syncategorematicè.

458. Quamobrem sicut omnipotentia divina ex effectibus syncategorematicè infinitis debet per suam voluntatem determinare in actu secundo, quem velit producere, sic Deus per suam voluntatem debet determinare, quodnam ex præmiis syncategorematicè infinitis velit conferri Christo, ex quo clarè apparet, quomodo Deus possit tantum præmiare, quantum Christus possit mereri, si Christus potest mereri præmium syncategorematicè infinitum; ita Deus potest præmiare dando præmium syncategorematicè infinitum. Quin potiùs inter virtutem omnipotentiæ, & inter meritum Christi datur in ordine ad effectus suos grande discrimen, nempe, quòd Deus non est liber ad faciendum, quòd omnipotentia non detur, aut omnipotentia non sit, ac est liber, ut admittat operationes creatas Christi Domini tanquam constituentes meritum in actu secundo, vel ut admittat eas tanquam constituentes meritum, cui in actu secundo debeatur præmium, sed tanquam Deo debitas ex aliis quàm plurimis titulis, ut dicemus sect. sequenti; ex quo etiam apparet iterum, quòd non possit Christus magis mereri, quàm Deus possit præmiare.

459. Ad tertiam Confirmationem conc. antec. & nego conseq. quia Deus cùm absolutè posset relinquere operationes Christi Domini absque ullo præmio, ut dicemus sect. sequenti, nullam irrogare potest injuriam Christo Domino determinando illi ex pacto tantum præmium, & non majus: sicut quia potest relinquere omnipotentiam, quin aliquid ad extra producat, nullam irrogat injuriam omnipotentiæ determinando illi istos effectus, & non alios; non enim manet Deus obligatus in actu secundo ad conferendum ullum præmiū independenter à sua promissione, & fidelitate. Addunt aliqui, quòd Deus non exigeret illum excessum in meritis Christi per se, sed per accidens ex eo, quòd nullum meritum minùs esset possibile Christo; sicut qui exigeret nummum aureum ab eo, qui non posset minùs reddere, licèt solùm abstulisset argenteum; verùm hæc ratio non erit satis firma, nisi solutionis naturæ doctrinâ roboretur. Ad quartam confirmationem dist. maj. daretur infinita sub eadem forma, & diversa materia, concedo, sub eadem forma, & materia, nego maj. & dist. min. nego consequentiam; quia sicut multiplicationem hujus concreti finiti *album* satis est, quòd multiplicetur sub eadem forma finita, ut contingeret, si eadem albedo dealbaret Petrum, Paulum, & Franciscum; siquidem tunc essent tria alba; sic ad multiplicationem hujus concreti infiniti *meritum* Christi satis est, quòd multiplicetur materia sub eadem forma, seu quasi forma infinita.

Objicies 8. Dignitas personæ Verbi non auget honestatem, libertatem, & supernaturalitatem actûs; ergo neque auget meritum. Retorqueo argumentum: dignitas Verbi non auget naturalitatem humanitatis supra alias humanitates; ergo neque valorem hominis Christi supra valorem aliorum hominum. Respondeo deinde conc. antec. & nego conseq. Ratio disparitatis est, quia magnitudo honestatis, libertatis, & supernaturalitatis consistit in magnitudine talis amoris liberi, quo amatur objectum formale honestum. Dignitas personæ Verbi non facit, quòd talis amor non sit talis amor, vel quòd sit alius; at dignitas meriti consistit in eo, quòd actus cum dignitate Verbi constituat concretum majoris valoris ad præmium, quàm constitueret cum alia dignitate purè creata; cúmque hoc reverâ constituat; exinde quamvis non augeat honestatem, libertatem, aut supernaturalitatem actûs, auget nihilominus cum eo actu valorem meriti; sic licèt dignitas Verbi non faciat, quòd humanitas Christi sit alterius speciei, ac humanitas aliorum hominum, faciet tamen, quòd homo ex ea humanitate & Verbo constitutus sit majoris valoris, quàm homo constitutus ex alia humanitate, & subsistentia purè creata. Ex dictis

Fit 1. meritum Christi Domini condignificatum à persona Verbi non minoris esse valoris, quàm si esset condignificatum à triplici persona; Ratio est, quia cùm quælibet persona divina non esset quid majus, quàm una sola persona, ut constat ex num. 455. ac proinde una sola persona non minùs condignificat meritum, quàm illud condignificaret triplex persona divina; unde meritum Christi est simpliciter infinium in linea morali respiciente præmium, & in linea physica, quia habet extremum physicum simpliciter infinitum. Fit 2. Quamquàm operatio creata possit esse vel magis, vel minùs intensa, vel in hac, vel in alia specie virtutis pro libertate animæ Christi Domini ad operandum; eam tamen maj-

majorem intensionem non posse reddere meritum Christi Domini magis dignum; unde quævis alia operatio, dummodo supernaturalis sit, satisque libera ad supernaturaliter merendum, constituet cum ea dignitate meritum æquè dignum. Ratio est, quia minoritas illa operationis compensatur à dignitate simpliciter infinita, cum qua constituit meritum ad eum modum, quo, ut suprà diximus, non est minoris dignitatis, & valoris Christus constitutus ex Verbo, & natura humana, quàm si constitueretur ex eodem Verbo, & natura Angelica, eò quòd minoritas naturæ humanæ, ratione cujus Christus dicitur minoratus paulò minùs ab Angelis, satis, superque compensatur à dignitate Verbi simpliciter infinita, cum qua constituit unum compositum.

SECTIO III.

An satisfactio Christi absque ullo favore Dei extrinseco fuerit æqualis, & superabundans?

462. SUppono 1. personam infinitam Verbi dignam esse, ut si satisfaciat in natura assumpta, per quamlibet satisfactionem satisfaciat de condigno pro quibusliber offensis pluribus, & pluribus, majoribus, & majoribus in infinitum; ad eum modū, quo si mereatur in natura assumpta, est digna, ut per quodlibet meritū mereatur de condigno quodlibet præmiū majus, & majus in infinitum: sicut enim meritum requirit æqualitatem cum præmio, ita etiam satisfactio requirit æqualitatem cum delicto, sive offensa, pro qua satisfacit; unde satisfactio non minùs est simpliciter infinita in genere satisfactionis, quàm sit meritum simpliciter infinitum in genere meriti; siquidem ab eadem forma, seu quasi forma simpliciter infinita, qua constituitur meritum, constituitur etiam satisfactio. Quærimus autem in præsenti, an satisfactio Christi (idem esto de merito) contineat totum illum valorem independenter ab ullo favore
463. Dei extrinseco.

Suppono 2. satisfactionem Christi (idem suô modô de merito) dupliciter posse considerari, nempe vel in actu primo, quatenus habet ex se condignitatem, & vim motivam ad obtinendam offensæ remissionem, vel in actu secundo, quatenus actu causat, & movet efficaciter offensum ad remittendam offensam intuitu talis satisfactionis; quòd si satisfactio talis sit, ut vi sua essentialiter obliget DEUM ad volendum remittere, & ad remittendam offensam, vocatur satisfactio strictissima; si autem talis sit, ut, licèt vi sua actu obtineat remissionem, eámque in valore adæquet, & excedat, non tamen habeat essentialem exigentiam ex parte sui, neque respiciat obligationem ad remittendum ex parte DEI, vocatur satisfactio duntaxat stricta; hæc Dei obligatio ad remittendam offensam vi satisfactionis Christi Domini, considerari quoque potest saltem dupliciter; primò quidem per mutuum contractum, quo Deus promittat Christo Domino peccata hominum remittere, eísque gratiam conferre, si Christus æqualem satisfactionem pro hominibus offerat, & Christus acceptet promissionem, repromittátque offerre, quod exigitur. Secundò, si DEUS independenter à Christi Domini repromissione promittat eam offensæ remissionem, aliorúmque donorum collationem, si Christus offerat pro hominibus satisfactionem condignam. Remissio quoque ex vi condignæ Christi satisfactionis considerari potest absque ulla prævia obligatione ex parte Dei. Primò, si DEUS efficaciter ex condignitate satisfactionis Christi jam exercitè posita remittere velit offensam. Secundò, si efficaciter velit Deus offensam remittere ex vi condignæ satisfactionis Christi nondum exercitè positæ, sed absolutè prævisæ. His positis

Prima sententia tenet, Christi satisfactionem 464.
non indigere ulla prævia ordinatione, aut acceptatione divina, ut sit strictissima satisfactio in actu secundo, sed teneatur DEUS remittere peccata humani generis; ita Valentia disput. 1. quæst. punct. 9. *Ego verò*, citans pro se Bonaventuram, & alios. Secunda sententia, quæ attribui solet Scoto, docet, satisfactionem Christi Domini (idem suô modô de Christi merito) non fuisse intrinsecè condignam, & sufficientem ad solvendum pro peccatis humani generis, sed accepisse extrinsecè sufficientiam à liberali acceptione Dei, quatenus Deus voluit esse contentus cum illa satisfactione. Tertia sententia docet, fuisse intrinsecè condignam, & sufficientem in actu primo independenter ab ordinatione, & acceptatione Dei, non verò in actu secundo, cujus condignitas, ait hæc sententia, requirit ordinationem antecedentem ex parte DEI pro satisfactione strictissima, consequentem autem pro stricta. Ita plures, quos sequitur Martinus Perez disp. 3. de Incarnatione sect. 8.

Assero 1. cum omnibus Catholicis: Christus 465.
Dominus non solùm condignè, sed etiam superabundanter satisfecit pro peccatis mundi. Probatur 1. ex Psalm. 129. ubi de redemptione, & satisfactione Christi, ita prædicitur, *quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud Deum redemptio*; at satisfactio Christi non solùm fuit condigna, sed copiosa etiam, sive superabundans. Confirmatur 1. Illa est satisfactio superabundans, quæ magis continet, quàm quòd necessarium est ad condignam satisfactionem; sed ita se habuit satisfactio Christi: ergo non solùm fuit condigna, sed etiam superabundans. Probatur min. Magis est, quòd Christus totum suum sanguinem obtulisset, ut revera obtulit, quàm si obtulisset duntaxat unicam guttam sanguinis; atqui una sola gutta sanguinis erat, ut ait Clement. 6. in Extravag. *unigenitus*,

nitus suprà citata; *cujus quidem una gutta sanguinis modica propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani sufficisset*; ergo &c. Confirmatur 2. ex Tridentino sess. 6. ubi contra Novatores ita de Christo ait: *hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris*: ergo &c.

466. Probatur 2. Illa est satisfactio non solùm condigna, sed superabundans etiam pro remissione offensæ, quæ majorem in se continet valorem in ratione satisfactionis, quàm contineat offensa in ratione offensæ; sed talis est satisfactio Christi Domini: ergo non solùm fuit condigna, sed etiam superabundans. Probatur min. Offensa in ratione offensæ, licèt sit infinita secundùm quid, quatenus est inhonoratio objecti infiniti, est tamen simpliciter finita, ut constat à n. 339. & 445. atqui satisfactio Christi in ratione satisfactionis est simpliciter infinita; quandoquidem Christus Dominus satisfecit per merita sua, quæ sunt simpliciter infinita, ut constat à num. 427. ergo operatio Christi Domini simul cum dignitate suæ personæ eatenus constituit meritum, quatenus non prærequirit in DEO jus offensi, quod vi illius operis, & dignitatis remittatur, sed præcisè tendit ad acquirendum titulum condignitatis ad præmium, quo Christus manet quasi creditor, & DEUS quasi debitor; illa autem eadem operatio, & dignitas eatenus dicitur esse satisfactio, quatenus præcedit in DEO jus offensi contra peccatorem propter offensam, cui Christus satisfecit, ideóque Christus est quasi debitor, & Deus quasi creditor; atqui illud concretum ex operatione, & dignitate est simpliciter infinitum: ergo satisfactio Christi in ratione satisfactionis est simpliciter infinita. Confirmatur 2. Licèt offensa esset simpliciter infinita in ratione offensæ, adhuc deberet considerari in linea valde inferiori ad lineam satisfactionis Christi Domini, cùm offensa sit opus puræ creaturæ, & satisfactio sit opus ipsius DEI; ad eum modum, quo operatio facta ab Angelo est Angelica, non verò, quæ fit circa Angelum, sed quod est in linea superiori, non solùm adæquat, sed etiam excedit superabundanter lineam inferiorem, ut constat à num. 273. ergo &c.

467. Assero 2. cum Exim. Doctore disput. 4. sect. 3. & communi Theologorum: satisfactio Christi Domini secluso omni favore extrinseco acceptationis, & ordinationis divinæ habuit condignitatem, & superabundantiam in actu primo ad satisfaciendum pro peccatis totius humani generis ad promerendam redemptionem, & aliqua dona supernaturalia obtinenda. Probatur 1. plurimis Scripturæ testimoniis evidentibus apud Eximium Doctorem disp. 4. sect. 3. & apud Vasquez disput. 5. cap. 1. ex quibus celeberrimum est illud Pauli tota Epistola ad Hebræos, ubi probat, unicum Christi Sacrificium fuisse pro redemptione humani generis sufficientissimum, & præsertim cap. 5. ubi de Christo lachrymante, & Deo supplicationes suas offerente ait: *exauditus est pro sua reverentia*, id est ob intrinsecam dignitatem Christi significantem actus suos, & constituentem valorem satisfactionis suæ, & non ob gratiosâ purè, & liberalem acceptationē divinam, ut exponit Chrysostomus Tom. 7. Homil. 8. per hæc verba: *voluit ostendere, ejus esse magis effectum, quam gratiæ Dei, tanta non erat ejus reverentia, ut etiam propter eam revereretur DEUS*; ac proinde propter infinitum valorem intrinsecum satisfactionis Christi acceptavit Deus eam satisfactionem; sed in hoc stat, quòd satisfactio Christi Domini secluso omni favore extrinseco acceptationis, & ordinationis divinæ habuerit eam condignitatem, & superabundantiam in actu primo; ergo &c.

Probatur 2. ex Paulo ad Romanos 5. ubi ait: 46
si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia, & donum in gratia unius JESU Christi in plures abundavit. Ex quo testimonio 47
Cajus, Leo, & Agapitus Pontifices apud Vasquez disput. 5. num. 10. & 20. inferunt, majoris valoris fuisse Christi meritum, & satisfactionem ad vitam, quàm Adami peccatum ad mortem inferendam, quibus addi possunt Chrysostomus Homil. 10. in Epist. ad Romanos, ubi ait: *si quis propter debitum decem nummorum in carcerem conjiciatur, veniat autem alius, qui non solùm solvat illos nummos, sed etiam, & innumera auri talenta largiatur, vinctúmque in regalem aulam inducat, ita & nobiscum factum est*; Cyprianus Serm. de ratione Circumcisionis: *tantæ dignitatis Redemptoris nostri illa una fuit oblatio, ut una ad tollenda mundi peccata sufficeret*; & Athanasius lib. de Incarnat. paulò post principium: *corpus assumpsit, quod pro omnibus ad plenam satisfactionem sufficeret, & mortem in omnibus, quasi stipulam ignis consumeret suis meritis, & satisfactione*; quæ omnia clarè indicant Christi satisfactionem ex suis intrinsecis fuisse in actu primo non solùm condignam, sed etiam superabundantem; aliter non habuisset ex suis intrinsecis tantum valorem in ratione satisfactionis, quantum habuit peccatum Adami in ratione offensæ, quod est contra Apostolum, & contra testimonia PP. ergo &c.

Probatur 3. Satisfactio Christi independenter ab ullo favore extrinseco, utpote essentialiter constituta ex operatione sua, & dignitate Verbi simpliciter infinita est majoris valoris in ratione satisfactionis, quàm sit offensa in ratione offensæ, ut constat à num. 445. sed in eo 47
stat, quòd sit in actu primo superabundans secluso quolibet favore extrinseco; ad eum modum, quo labor servi diurnus valoris duorum Juliorum, se ipso continet illum valorem in actu primo independenter ab ullo favore extrinseco acceptationis, aut repromissionis Domini de dando pretio æquali pro illo servi labore; ergo &c. Confirmatur 1. Si satisfactio Christi ex intrinsecis suis non esset in actu primo condigna, & superabundans, non posset esse talis ex ordina-

ordinatione divina; ad eum modum, quo, licèt Deus promittat justificationem actibus nostris ad illam disponentibus, quia tamen actus isti ex suis intrinsecis principiis non sunt in actu primo æqualis valoris cum justificatione; non fiunt æqualis valoris, adhuc post ordinationem, & acceptationem divinam, ut ipsi Adversarii fatentur, & constat ex Patribus adductis n. 276. dicentibus, ad condignum valorem fuisse necessariam Incarnationem, quæ certè necessaria erat ad acceptationem divinam; sed dici non potest, quòd satisfactio Christi post divinam acceptationem non fuerit æqualis, & superabundantis valoris, ut constat à num. 465. ergo &c. Confirmatur 2. Qui acceptaret decem pro agro ad minus valente mille, non redderet illa decem æqualis, & superabundantis valoris cum agro, sed remitteret gratiosè reliquum pretii; ergo pariter in nostro casu.

470. Assero 3. Satisfactio Christi Domini in actu primo considerata absque ulla acceptatione, sive ordinatione, aut promissione divina de remittenda offensa propter illam satisfactionem, non obligat Deum, ut satisfactionem acceptet, & remittat offensam in actu secundo, ac proinde dici non potest strictissima satisfactio independenter ab ulla acceptatione, ordinatione, sive promissione divina. Probatur 1. Deus, utpote absolutus, & supremus Dominus omnium rerum creatarum, ita habet dominiũ ad acceptanda, vel non acceptanda opera Christi Domini cedendo propter ipsa juri acquisito contra peccatorem propter peccatum, vel non cedendo, ut à nemine possit obligari ad acceptandum, & cedendũ independenter à sua ordinatione, & promissione, nec ulla est excogitabilis indecentia in eo, quòd utatur suô dominiô; cùm enim opera Christi sint creata, ex titulo creationis sunt debita Deo, ut supremo Domino, non minùs, quàm opera servi, ut servi sint debita Domino suo; non minùs potest Deus sibi assumere ea opera, ut sibi debita ex titulo servitutis absque obligatione compensandi eorum valorem, quàm sit potens Dominus sibi assumere opera servi, ut servi absque obligatione compensandi eorum valorem: ergo ea opera Christi independenter ab acceptatione, ordinatione, seu promissione divina non obligant, ut ea acceptet in satisfactionem, & remittat offensam in actu secundo, ac proinde dici non possunt strictissima satisfactio, neque illam constituere possunt independenter ab ulla acceptatione, ordinatione, seu promissione divina.

471. Probatur 2. Quamquàm filius Regis nondum emancipatus offerat opera sua Regi in satisfactionem offensæ illatæ à vasallo, non ideo manet Rex obligatus independenter à quocunque suo pacto ad acceptandam satisfactionem, licèt satisfactio esset in actu primo majoris valoris, quàm offensa: ergo neque DEUS independenter ab ullo suo pacto manebit obligatus ad acceptanda in actu secundo in satisfactionem pro nostris peccatis opera elicita ab anima Christi; ac proinde non manet obligatus, ut ea constituat cum dignitate personæ meritum strictissimum in actu secundo. Confirmatur. Si præcisè ex vi valoris satisfactionis Christi Domini in actu primo maneret Deus obligatus ad acceptandum illum in actu secundo, ita ut non esset liber ad illam non acceptandam, eo ipso maneret obligatus ad remittenda peccata, & conferenda præmia, ad quorum valorem se extendit ea meritoria satisfactio; sed hoc apertè est falsum; aliter dedisset Deus gratiam, & gloriam omnibus hominibus, pluraque alia dona, cùm ad hæc omnia se extendat valor satisfactionis meritoriæ Christi Domini; ergo &c.

Respondebis, non ita mansisse obligatum, 472.
quia Christus non postulavit ea præmia pro omnibus hominibus, nisi meris aliquibus conditionibus, ut Baptismi, Pœnitentiæ, aliorumque similium. Contrà 1. Christus pro omnibus mortuus est, ut latè constat ex dictis à num. 150. de Gratia; ita, ut quicunque hominum, ut ex Symbolo Nicæno constat, verè dicere possit: *crucifixus etiam pro nobis*, vel, ut in Symbolo Athanasij dicitur, *qui passus est pro salute nostra*; ergo si independenter ab ulla acceptatione, ordinatione, & promissione divina tenetur DEUS admittere satisfactionem, & præmia ei æqualia conferre omnibus, pro quibus passus est Christus, teneretur eo ipso conferre omnibus hominibus gratiam, & gloriam, pluraque etiam alia dona superna. Contrà 2. postulatio Christi est actio creata, ac proinde ex titulo creaturæ subjecta DEO, ut essentiali Domino proprietatis; sed actio servi subjecta Domino titulo proprietatis, non potest obligare Dominum independenter ab ullo ipsius pacto, & promissione, ut eam compenset; ergo &c. Ex dictis

Fit 1. Deum non fuisse obligatum ad acce- 473.
ptandam Christi Domini satisfactionem in actu secundo pro nostris peccatis, neque ad remuneranda ejus merita, nisi post ordinationem, acceptationem, & pactum, quod inter Deum, & Christum intercessit, ac proinde ex tali pacto ortam esse in Deo obligationem cedendi juri acquisito contra peccatorem, & dandi præmia in pacto inclusa, licèt illa præmia nequaquam sint supra valorem meritorũ, & satisfactionis Christi Domini in actu primo; aliter quidem non essent compensativa, sed purè gratiosa, ut constat num. 312. & 470. proinde quæ non respiceret opera Christi, sive merita, ut digna ex se tantô donô, sed ut purum terminum, vel secundùm alium respectum. Quòd autem defacto adsit tale pactum inter Patrem, & Christum, constat ex Scriptura sæpe à nobis adducta, in qua insinuatur, Christum fuisse fidejussorem, & sponsorem pro nobis. Sic dicitur Ecclesiast. 19. *gratiam fidejussoris non obliviscaris; dedit enim pro te animam suam*; ubi ex doctrina Eximii Doctoris Disp. 4. sect. 2. Rabani, aliorumque exponit de Christo ea verba Cornelius in Commentario; quo etiam in sensu intelligi-

tur Apostolus ad Hebræos 7. dicens: *melioris testamenti sponsor factus est Christus.*

475. Id ipsum significat Isaias cap. 53. dicens: unde peccata nostra fuerunt peccata Christi moraliter, atque ipsi imputata non quidem quoad culpam, cùm sanctitas Christi sit incompossibilis cum culpa, sed tantùm quoad debitum satisfaciendi, quod ex pacto acceptavit; quare voluntas Christi in voluntatibus nostris nequaquam fuit inclusa, ut ipse peccaret nobis peccantibus, cùm hoc impossibile esset Christi sanctitati, quamquàm voluntates nostræ inclusæ fuerint in Adamo, ut nos peccaremus ipso peccante; ideóque peccatum ipsius transfusum fuit in nos, non solùm quoad debitum solvendi, & patiendi, sed etiam quoad culpam. Præterea Christus in Scripturis ideo peccata nostra vocat peccata sua, quia ut fidejussor fecit illa moraliter sua, quoad debitum solvendi; quo in sensu intelliguntur ea verba Psalm. *Deus, tu scis justitiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Ubi insipientiam, ex qua Adam comedit ex pomo vetito, Christus vocat insipientiam suam, & delicta nostra vocat sua quoad debitum solvendi, ut optimè exponit Bellarm. in comment.

476. Eodem prorsus modo Psalm. 21. Christus dixit: *Deus meus! Deus meus! quare me dereliquisti, longè à salute mea verba delictorũ meorum*; quem locum explicans Augustinus: *quorum delictorum? cùm de illo dictum sit, qui peccatum non fecit, quomodo dicit delictorum meorum, nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra sua debita fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret.* De hac etiam promissione, & pacto, ut testatur Eximius Doctor disp. 4. sect. 5. intelligunt plures SS. Patres illud primi Psalm. *postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hæc enim loca Scripturæ vix, aut ne vix explicare poterunt illi moderni, qui negant pactum inter Christum, & Patrem, & quidem cùm à Deo facta sit promissio puris hominibus remunerandi eorum opera, si in gratia Dei decedant, quid mirum! quòd Christo facta sit promissio remunerandi sua opera? Ex quo facilè intelligetur Tridentinum sess. 6. cap. 16. ubi ait, *bene operantibus usque in finem in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per JESUM Christum fideliter promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda: hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi esse ajebat Apostolus, à justo Judice sibi reddendam; non solùm autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.*

477. Fit 2. Christum sponte, & liberè se constituisse ex vi illius pacti debitorem Deo ad satisfaciendum pro peccatis nostris, ac proinde liberè acceptâsse, & inisse pactum istud cum Patre. Ratio est, quia sicut Scriptura, & Patres summopere commendant charitatem Christi, quòd, cùm esset innocens, voluit satisfacere Patri pro peccatis nostris, & liberè acceptaverit mortem; sic Isaiæ 53. *oblatus est, quia ipse voluit*; atqui, si Christus ratione unionis ad hoc fuisset obligatus, aut ex titulo capitis, aut ex titulo charitatis, vel alio simili sibi non libero, non posset propter hoc esse comendanda charitas Christi, ejusque libertas: ergo &c. Difficultates, quæ hìc suboriri poterant, commodiùs explicabuntur solutione argumentorum; de præcepto autem libertati Christi consentaneo agemus infrà in peculiari Disputatione.

SECTIO IV.

Solvuntur Oppositа.

OBjicies 1. Contra primam assertionem: satisfactio Christi supponit remissam partem debiti contracti per nostra peccata: ergo neque fuit superabundans, neque condigna satisfactio pro nostris peccatis. Probatur antec. per peccata primi Parentis contraximus debitum carendi Redemptore; eramus enim digni, quos Deus absque ullo remedio in æternum relinquere, & pœnâ damni per totam æternitatem posset punire, imò & etiam pœnâ æternâ sensus proprer peccata nostra personalia; atqui Deus hanc partem debiti nobis liberaliter remisit concedendo nobis absque aliis prævis meritis Redemptorem; ergo &c. Respondeo nego antec. Ad Probationem dist. maj. contraximus debitum exclusionis nego: debitum indignitatis conc. maj. & dist. min. nego conseq. Ratio est, quia per peccatum solùm contraximus debitum constitutivum peccati, quo reddimur indigni, & Deus manet cum jure ad indignationem & punitionem, si non offeratur ipsi condigna satisfactio; hoc debitum indignitatis nequaquam excludit existentiam Redemptoris, quandoquidem potest integrum manere totum istud debitum, quamvis Redemptor existat: licèt non detur Christus, qui possit redimere, cùm liber sit ad non redimendum, eò ipsò peccator, quandiu remanet peccator, remanet adhuc cum tota illa indignitate per peccatum contracta; ac proinde remanet indignus Christo, ut Redemptore; unde debitum illud per peccatum contractum non est debitum exclusionis, sed indignitatis; cùm verò Christus pro toto debito indignitatis abundanter satisfecerit, nobisque meruerit gratiam, ut ex peccatoribus redderemur justi, & maneremus absque ista indignitate, exinde satisfecit quoque pro hac nostra indignitate, nullúmque fuit debitum contractum à nobis per peccatum, pro quo Christus abundanter non satisfecit.

Objicies 2. Instando simul solutionem, & doctrinam nostrarum illationum: Christus semel productus non potuit non redimere nos, neque fuit liber ad non redimendum; ergo

vi ipſius productionis, quam Chriſtus mereri non potuit, remiſſa fuit liberaliter à Deo pars debiti indignitatis à nobis per peccatum contracti, ac proinde non ſatisfecit, nedum abundanter, verùm neque adæquatè pro debito à nobis contracto per peccatum. Probatur antec. peccante toto Regno contra alium Regem, & non potente ſatisfacere Rex, ut caput Regni, etiamſi eſſet innocens, tamen ſi poſſet, ſatisfacere obligaretur ex juſtitia ad ſatisfaciendum, & ad ſe humiliandum pro ſalute Regni; atqui in Adamo peccaverat tota Respublica hominum, & non poterat ſatisfacere, Chriſtus autem eò ipsò, quòd ſit productus, eſt ratione unionis hypoſtaticæ Princeps, & caput totius Reipublicæ humanæ, poteratque Deo ſatisfacere; ergo obligabatur ex juſtitia ad ſatisfaciendum. Confirmatur: Chriſtus eò ipsò, quòd ſit productus, eſt ſanctiſſimus, & impotens transgredi leges charitatis; & in ea captivitate omnium hominum teneretur ſaltem homines redimere ex charitate; ergo &c.

480. Reſpondeo nego antec. ad prob· diſt. maj. peccante Regno, Rex, ut caput Regni habens pro fine Regnum, & debens ſervire Regno, obligatur ex juſtitia ad ſatisfaciendum pro Regno, conc. Rex, qui ſit finis Regni, & cui Regnum debeat ſervire, nego maj. & diſt. min. nego conſeq. Ratio eſt, quia Principes & Reges humani, habent pro fine ſuo Regnum, id eſt, ſuos ſubditos, & debent ſuis Regnis ſervire, adeóque obligantur ex juſtitia ad ſerviendum Regnis, & ad moriendum etiam pro ſalute ipſorum; at Chriſtus ratione unionis hypoſtaticæ ita eſt Rex, & caput hominum, ut non habeat pro fine homines, ſed ſit finis hominum; neque debeat ſervire hominibus, ſed homines debeant ipſi ſervire, cùm ſit infinito exceſſu excellentior omnibus hominibus etiam ſimul ſumptis, adeóque non tenebatur ad ſatisfaciendum, & moriendum pro peccatis hominum. Ad Confirmationem conc. maj. & & nego min. quia lex charitatis non obligat ad dandum infinitum pro finito; ac proinde non obligaret Chriſtum perfectionis infinitæ ad moriendum pro ſalute hominum, qui ſunt finitæ perfectionis.

481. Explicatur exemplo: cùm in Republica ſervus viliſſimus peccat contra Regem, non tenetur, Rex aut princeps ſatisfacere, & ſe humiliare Regi offenſo propter exceſſum, qui eſſet in humiliatione Regis ad offenſam viliſſimi ſervi: cùm autem major ſit excellentia Chriſti ſuper totum genus humanum collectivè ſumptum, quàm ſit excellentia cujuslibet Regis ſupra viliſſimum ſervum, peccatum generis humani nequaquam obligaret ad moriendum pro illo; unde manet omnino liber ad ineundum pactum, & ſe conſtituendum, vel non conſtituendum fidejuſſorem noſtrum. Hæc omnia clariùs apparebunt, quando agemus de Chriſto capite; licèt enim humani Reges ita ſint caput, ut ſint etiam Reipublicæ membrum, pendeantque ab influxibus Reipublicæ eos alentis, & ſuſtentantis; at Chriſtus ita eſt caput, ut non ſit membrum, neque recipiat influxum illum in ordine gratiæ à membris.

Objicies 3. Contra ſecundam aſſertionem: 482.
tam Deus diſplicet in peccato, quàm complaceat in merito Chriſti; ergo meritum Chriſti in actu primo ratione ſui neque fuit ſuperabundans neque æquale pro ſatisfactione etiam peccatorum. Probatur antec. non minùs demeretur omne malum, quàm mereatur omne bonum meritum Chriſti; ergo tam Deus diſplicet in peccato, quàm complaceat in meritis Chriſti. Confirmatur 1. Dolores debiti pro peccatis ſunt acerbiſſimi, & æterni; ergo non fuerunt dolores Chriſti in actu primo æqualis ſatisfactio pro peccatis. Confirm. 2. Meritum Chriſti eſt à DEO, ut homine, peccatum verò eſt contra Deum, ut Deum; ergo magis diſplicet Deus in peccato, quàm complaceat in merito, & ſatisfactione Chriſti; ac proinde iſta non fuit adæquata pro peccato. Confirm. 3. Tam diſplicet Deo deſtructio ipſius, quam intendit peccatum, quàm placeat ſuum eſſe, quod dignificat Chriſti meritum; ergo &c.

Reſpondeo nego antec. ad probationem diſt. 483.
antec. non minùs & eodem modo, nego; & diverſo modo, omitto antec. & nego conſeq. diverſitas enim ſtat in eo, quòd demereri eſt per poſitivum demeritum ſe habere negativè, ſive cum indignitate ad præmium; mereri verò per poſitivum meritum ſe habere ad præmium poſitivè; abſque ex hac ratione non eſt tam malum peccatum, quàm ſit bonum meritum Chriſti, quia negativè, ſive indignè ſe habere non eſt tantum, quantum eſt ſe habere poſitivè; ſic non tantum requiritur, ut quis fiat incapax, quantum, ut fiat capax ſacerdotii; prærerea pœna poſitiva, quam peccator promeretur, non eſt tantæ magnitudinis, quantæ eſt præmium, quod promereretur meritum Chriſti Domini, nec aliunde habet, unde peccatum æquari poſſit merito & ſatisfactioni Chriſti; qua de cauſa dixi in diſtinctione omitto antec. cúmque meritum & ſatisfactio majoris dignitatis ſint, quàm ſit indignitas peccati, magis complacet Deus in Chriſti merito & ſatisfactione, quàm diſpliceat in peccato.

Ad primam Confirmationem conc. antec. & 484.
nego conſeq. quia valor meritorius operum Chriſti non deſumitur ſolùm à dolore, ſed principaliter à dignitate perſonæ, ut conſtat à num. 427. cùm autem Deus magis complaceat in dignitate perſonæ Verbi, quàm diſpliceat in peccato, complacebit etiam magis in merito, & ſatisfactione Chriſti, quàm diſpliceat in peccatis. Ad ſecundam Confirmationem diſt. antec. eſt à Deo, ut homine effectivè, ut à cauſa ſecunda, conc. quod melius eſt dicere; eſt ab humanitate dignificativè, nego antec. & conſeq. quia dignificatio meriti, & ſatisfactionis Chriſti provenit à dignitate perſonæ, quæ revera eſt DEUS, ac proinde

constituet dignitatem satisfactionis multo majorem, quàm sit dignitas peccati. Ad tertiam Confirmationem nego antec. quia destructio, quam intendit peccatum, ad summum est affectivè tantùm, non effectivè, cùm Deus sit indestruibilis; & dignitas infinita satisfactionis non est solùm affectivè sed in re talis, & quidem divina, quatenus à forma non divina haberi non potest ea condignificatio; cùm autem magis placeat Deo sua ipsius divina dignitas, quàm displiceat destructio purè affectiva suæ dignitatis, exinde placet multò magis Deo dignitas satisfactionis Christi, quàm displiceat indignitas peccati.

485. Objicies 4. Nequit Christus unico actu reddere Deo condignas gratias pro omnibus beneficiis à Deo acceptis; ergo neque satisfacere pro omnibus peccatis contra DEUM commissis. Resp. 1. Omitto antec. & nego conseq. quia quilibet actus, quo Christus Deo gratias ageret, esset novum beneficium à Deo acceptum, pro quo deberetur nova gratiarum actio ab ipso beneficio distincta; at verò nulla Christi satisfactio esset injuria contra Deum, pro qua debeatur nova satisfactio. Respondeo 2. Cum Eximio Doctore, dist. antec. si Deus actum illum ordinet & acceptet secundùm illius condignificationem pro actione gratiarum ad æqualitatem condignificationis, nego, si solùm acceptet illum pro actione gratiarum relatè ad dona ab ipso distincta conc. antec. & nego conseq. ratio est, quia cùm operationes Christi non possint obligare Deum independenter à pacto; si Deus nolit acceptare actum, quo Christus reddit gratias Deo, nisi pro beneficiis distinctis ab ipso actu ad æquales gratias in actu secundo reddendas, opus erit, ut per alium actum eas offerat pro beneficio in statu primo accepto; ut si Deus vellet eas gratias accipere pro omnibus beneficiis, ac proinde etiam pro eo actu condignitatem, meritum illud Christi, ut esset pro omnibus illis beneficiis condigna gratiarum actio; sicut enim non repugnat cognitio reflexa, quæ se ipsam cognoscat, ita non repugnat actus, qui in gratiarum actionem se ipsum cum aliis offerat Deo.

486. Objicies 5. Contra tertiam assertionem. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 19. sic de Christo loquitur. Eum autem, qui tantum donum sponte dat Deo, sine retributione debere esse non judicabis; imò necesse esse video, ut Pater Filio retribuat, alioquin aut injustus videatur, si nollet, aut impotens, si non posset, cui consonat Paulus ad Hebræos 5. dicens Christum exauditum esse pro sua reverentia, sed in istis testimoniis necessitas retributionis meritorum Christi, revocatur ad dignitatem filii naturalis, & magnitudinem meritorum, non autem ad pactum Deo liberum; ergo merita Christi independenter à tali pacto sunt merita strictissima obligantia Deum ad retributionem. Confirmatur 1. dissonum est rationi Deum non acceptare opera filii sui naturalis, ex laboribus, & sua merce aquisita, & quòd illa absque præmio relinquat; atqui Deus nihil efficere potest contra rationem; ergo nequit non acceptare opera Christi semel elicita. Confirm. 2. Deus nequit relinquere sine præmio merita omnium justorum; etenim, ut rectus, & supremus Gubernator, nequit res ita disponere, ut ratione suæ dispositionis vitia triumpharent, & torperet studium virtutis, quòd fieret, si relinqueret impræmiata justorum merita, sed quodlibet Christi meritum majoris æstimationis est, quàm meritor a omnium reliquorum justorum hominum; ergo &c.

Respondeo conc. maj. & dist. min. revocatur ad dignitatem filii nudè sumptam, nego, ad dignitatem filij constituti in fidejussorem nostrum conc. min. & nego conseq. quia Deus a nemine potest obligari ad præmiandum, nisi à se ipso ratione pacti inclusi, saltem in voluntate divina constituente Christum fidejussorem nostrum, cùm ea omnia opera Christi sint Deo debita ex pluribus alijs titulis, ex quibus ea poterat sibi accipere, ut dicemus disput. sequenti, ac proinde in hoc sensu exponendus est Anselmus, ut notarunt Exim. Doctor, Bernal, pluresque alij; unde merita Christi Domini non ideò sunt digniora, quia independenter à pacto obligant DEUM ad præmiandù, sed quia ratione sui habent condignitatem in actu primo ad quodcumque præmium, & ad satisfaciendum pro quocumque delicto, quo respexit Conc. Alexandrinum in Epistola ad Nestorium, quæ est 10. inter Epistolas Cyrilli, & recepta atque approbata fuit in Concilijs Ephesino, Chalcedonensi, & Constantinopolitano 5. ut notat Surius in titulo illius, in qua non parum post medium de Christo dicitur; *qua igitur egeret oblatione nullo sui existente facinore? pro quo si esset talis admodum convenienter offerre;* quamquàm si sequantur translationem operum Cyrilli, aliter proponitur testimonium, per hæc nempe Verba. *Qua igitur oblatione opus habuissent, cùm nullum in eo sit peccatum, pro quo fieri posset olbatio.* Videatur Vasquez Disput. 5. cap. 2.

Ad primam Confirmationem nego maj. quia Deus plurimis alijs titulis sibi debitis posset acceptare opera Christi, quin acceptaret illa tanquam satisfactionem pro nostris peccatis, nec Christus illa offerret, nisi sub conditione, nempe casu quo Deus illa vellet acceptare; nam si Deus nollet, Christus desisteret statim à postulato, ad eum modum, quo orabat in horto Matth. 26. *Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Siquidem voluntas hummana Christi debet se conformare voluntati divinæ Patris, & non econtra. Ad secundam Confirmationem, nego maj. quia licèt dedeceret Deum vitia impunita relinquere, hoc

hoc rectæ gubernationi obstaret, eaque de causa triumpharent vitia, non tamen ipsum dedeceret obsequia servorum non præmiare, sed ea potiùs exigere titulo servitutis; sic Dominus rectè gubernat servos puniendo eorum delicta, quamquàm merita non præmiet, sed exigat titulo servitutis; quin potiùs plurimis modis Deus facere potest, ut vitia non triumpharent, quamvis non puniret, neque in hoc excogitabilis est paritas ab homine ad Deum per limitationem hominis, & infinitam potentiam Dei.

489. Ex his perspicuè apparet non posse ab illis Theologis rectè negari pactum initum inter Filium missum, & Patrem mittentem; cùm enim unicum Christi meritum, utpote simpliciter infinitum, imò & unica gutta sanguinis propter unionem ad Verbum, ut ait Clem. VI. num. 384. satis esset ad redemptionem totius generis humani, non est assignabilis alia ratio Sacris Scripturis, & Conciliis, & PP. consentanea; cùm Christus non redemerit nos in actu secundo ante mortem, sed intercedente morte, ut ait Paulus ad Rom. 5. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filij ejus*; nisi quia, ut ea merita obligarent Deum, opus erat juxta pactum, ut morte ipsius Christi confirmata essent; tale quidem pactum satis indicatum est Isa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longœvum*; quod, cùm Christus, ut fidejussor noster acceptaverit, & impleverit juxta illud Eccl. 19. *Gratiam fidejussoris noli obliviscaris, dedit enim pro te animam suam* subjungit textus: *Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam.* Pactum enim illud exigebat, ut Christus omnia sua merita nobis applicaret novo testamento, rato, & confirmato; nam ita factus est fidejussor noster, ut ait Paulus ad Hebræos 7. *melioris testamenti sponsor factus est Christus.* Cúmque ante mortem testatoris nondum sit testamentum confirmatum, sed revocabile, & per mortem testatoris confirmetur, ut dicitur Lege prima digestis de testamentis. *Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri vult.* Exinde ad redemptionem nostram in actu secundo vi pacti requirebatur, ut Christi mors intercederet. Neque de hoc videtur dubitare, nisi qui Apostolum non legerit ad Hebræos 9. ubi de Christo ait. *Ideò novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis, ubi enim testamentum est: mors necesse est intercedat testatoris, testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, qui dum vivit, qui testatus est;* quæ Verba Vers. 15. ita exponit Cornelius. *Idque ita exigente, & flagitante Patris justitia, quasi Pater Filio dixerit: Si vis me hominibus parcere ô Fili, qui tam graviter in me peccârunt, necesse est, ut pro eis moriaris; sanguinemq; tuum profundas, quia justitiæ meæ, legiq;, & decreto meo æterno de puniendo peccato satisfieri volo; Filius vero id ipsum acceptavit, & summo jure ad teruntium usque cuncta nostra debita Patri persolvit, fecitque, ut sine metu, & nudo (quod ajunt) capite coram Deo, & Angelis ambularemus atque animos, spesq; nostras in Deum erigeremus;* omitto plura, quia hæc satis superque sunt.

***

DISPUTATIO XII.

DE SATISFACTIONE EX COMMUTATIVA JUSTITIA, ET DE ESSENTIA REDEMPTIONIS.

490. CONditiones ad justitiam commutativam requisitas dedimus in iractatu de justitia, & jure à num. 520. & juxta aliquas ex illis decidenda est præsens controversia. Unde non est quæstio de justitia generali, quæ convenit unicuique virtuti, prout implet, & adæquat obligationem requisitam ad præcepti adimplectionem, atque ad impediendam transgressionem, quo in sensu quæcunque virtus, & quæcunque rectitudo dicitur justitia. Sic Matth. 3. *Decet nos implere omnem justitiam*; id est exercere omnem actum virtutis, quo in sensu gratia habitualis, quia est radicalis rectitudo, & forma justificationis, vocatur justitia à Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. *Unica formalis causa est justitia Dei non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur Spiritu nostræ mentis, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur, & sumus justitiam in nobis recipientes;* Sumpta etenim justitia in hoc sensu frequenti in Concilijs, & Scripturis, certum est Christi satisfactionem fuisse ex justitia, cùm fuerit alicujus, vel plurium virtutum actus, sancta itidem, & perfecta, quamobrem, quæstio præsens non est de hujusmodi justitia, sed de justitia commuativa. Omissis ergo conditionibus, quæ ad resolutionem præsentem non conducunt, dabimus eas, quæ ad istam controversiam decidendam maximè necessariæ sunt.

SECTIO I.

Proponitur, & resolvitur Controversia.

SUppono 1. Ex dictis num. 179. de justitia & jure jus proprietatis ita definiri: *Legi-* 491.

tima potestas directè & principaliter in commodum propriæ libertatis ad restringendam moraliter per voluntatem suam libertatem alterius. Qui enim caret tali legitima potestate, eò ipsò caret jure proprietatis, licèt habeat rem sibi obstrictam vi voti, aut cujuscunque alterius virtutis, aut præcepti, quo fit, ut sint plura peccata contra conscientiam, quæ non sunt contra justitiam commutativam, ut ibi diximus. Idcirco si quis faciat contractum ex pura fidelitate, & non ex justitia commutativa, ita, ut fidem suam tantùm offerat, quòd alteri donum conferet, quin velit cedere integræ facultati, vel alicui particulæ illius facultatis constitutivæ juris proprietatis, & contractum, postea non adimpleret, non peccaret contra justitiam commutativam, sed duntaxat contra fidelitatem, ut dixi in tractatu de justitia n. 666. quamquàm enim peccatũ verúmque sit malum, si nempe contractus non adimpleatur, vel ad justitiam commutativam, vel ad fidelitatem pertinens, est tamen in diversa specie mali, licèt unaquæque ex his sufficiat ad peccatum usuræ, ut constat ex Innoc. XI. Hanc 42. inter 65. propositiones damnante; *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm, si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

492. Suppono 2. Justitiam plura habere significata non in vulgari tantùm hominum locutione, sed etiam in Jure Canonico, & civili, tum etiam in Concilijs, PP. & Scripturis, ut diximus à num. 1. & 116. de justitia & in jure, quia potiùs quæcumque rectitudo virtutis vocatur in Sacra Scriptura justitia, ut constat ex num. 490. quamobrem cum Sacra Scriptura dicit, aliquid deberi ex justitia, non potest exponi, de quo genere justitiæ loquatur, nisi attendendo ad subjectam materiam, & inquirendo, an materia, de qua est sermo, comprehendat obligationem pertinentem ad justitiam commutativam, an ad solam fidelitatem, vel aliam virtutem, quæ nomine justitiæ donantur; quod clarè tradit Tridentin. sess. 6. cap. 16. ubi ait: *Benè operantibus usq; in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia Filij Dei per JESUM Christum fideliter promissa, & tanquam ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda: hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositum sibi esse ajebat Apostolus à justo judice sibi reddendam, non solum autem sibi, sed, & omnibus, qui diligunt adventum ejus;* quibus Verbis satis ostendit Tridentinum, obligationem compensandi merita nostra oriri in Deo à sua promissione, & fidelitate de compensanda congnitate meritorum in actu primo, atque in hoc stare conceptum justitiæ in ipso Deo, quatenus non potest infideliter agere, & sic non potest non adimplere suam fidem, & promissionem. Quomodo usus pacti distinguatur à dominio & jure proprietatis, diximus à num. 374. de justitia, & jure vide num. 53. Hiis positis

Prima sententia docet, Christum pro nobis 49
satisfeciisse, & DEUM remunerâsse ex justitia commutativa rigorosa. Unde juxta Auctores satisfactio Christi, & remuneratio Dei 49
fuerunt actus rigorosæ justitiæ commutativæ, ita, ut Christus exhibendo suam satisfactionem aquisiverit jus commutativæ justitiæ adversùs Deum taliter, ut, si per impossibile Deus non servaret illæsum jus illud Christi Domini, retribuendo auxilia, & gratiã remissivam peccati, ad quæ obtinenda, & conferenda hominibus Christus sua merita & satisfactionem ordinavit, Deus faceret contra justitiam commutativum, verámque injuriam Christo irrogaret; ita plures ex nostris, & Thomistis, quos sequuntur Gonnet. disput. 4. art. 4. Contenson, aliique moderni. Secunda sententia defendit, satisfactionem Christi fuisse de rigorosa justitia commutativa pro peccatis Incarnationem subsequentibus, non verò pro peccatis præcedentibus Incarnationem; ita aliqui supresso nomine citati à Bernal. tertia sententia ait, aliqua peccata esse, quæ continent veram injustitiam adversus Deum, utpote directè pugnantia contra honorem Deo debitum, & pro 49
his Christum satisfeciisse ex toto rigore justitiæ commutativæ; alia verò esse peccata, quæ talem injustitiã non continent adversùs Deum, sed solùm rationem inobedientiæ, pro quibus Christus non satisfecit ex justitia commutativa; ita aliqui citati à Gaspare Hurt. Quarta sententia tenet, satisfactionem Christi non fuisse de rigore justitiæ commutativæ, quamquàm fuerit revera superabundans; ita Vasquez, Lugo, Bernal, Esparza, plurésque alij, quos refert Ripalda disput. 163. de Ente supernaturali sect. 1.

Assero cum quarta sententia: Christus non 49
satisfecit Deo pro peccatis nostris ex rigorosa justitia commutativa. Probatur 1. Ut Christi satisfactio esset ex rigorosa justitia commutativa, opus erat, ut aquirerer jus proprietatis adversùs Deum, quo ipsum obligaret ad conferendam gratiam hominibus ad remissionem peccatorum & justificationem illorum requisitam, ita, ut si per impossibile Deus exhibita Christi satisfactione non conferret talem gratiam, aut peccatum non remitteret, contraheret injustitiam commutativam, irrogaretque injuriam Christo; sed Christus non potuit sua satisfactione acquirere tale jus adversùs Deum; ergo illius satisfactio non potuit esse ex rigorosa justitia commutativa. Major est explicatio justitiæ commutativæ, quam dedimus num. 419. & ab ipsis admittitur: minor verò probatur: Deus, utpote essentialiter Dominus suarum creaturarum, nequit ab ullo privari dominio perfectissimo absoluto, & plenissimo erga omnes suas creaturas, cùm hoc dominium fundetur in ipsa natura divina, qua Deus privari non potest; unde nulla partici- 497.

la juris proprietatis potest deficere DEO circa ullam creaturam; sed hoc indispensabiliter requirebatur, ut Christus acquireret jus proprietatis contra Deum; ergo &c.

495. Confirmatur 1. Deus ex titulo Dei essentialiter habet plenum dominium circa quamlibet creaturam, ac proinde potest illâ uti, ut voluerit absque injuria alterius; atqui si Christus per suam satisfactionem acquireret jus proprietatis contra Deũ circa dona gratiæ, non posset Deus uti illis donis, ut voluerit absque injuria Christi; ergo &c. Confirmatur 2. Ex Vasquez: qui alteri satisfacit ex rigore justitiæ commutativæ, statim atque creditor accipit condignam satisfactionem, manet extinctum jus totum proprietatis creditoris, sic qui debet quatuor Petro, statim atque illa Petro reddit, extinguit totum jus proprietatis Petri adversùs illum; atqui Christus offerendo suam satisfactionem, non ita extinxit totum jus Dei contra peccatorem, aliter mansissent statim actualiter, & absolutè remissa omnium hominum peccata, quod apertè est falsum; cùm eo ipso tempore fuerint plures peccatores, & post illud tempus omnes in conceptione contrahunt peccatum originale: ergo &c.

496. Probatur 2. Si Christus sua satisfactione posset acquirere jus proprietatis adversùs Deum, ita, ut Deus esset injustus, si dona sua non conferret, eò ipsò non maneret Deus cum absoluto, & pleno dominio suorum donorum; sed impossibile est, Deum esse Deum, & non habere plenum, & absolutum dominium suorum donorum, cùm titulus talis dominii sit ipsa essentia divina; siquidem Deus quà *Deus* est absolutè, & plenè Dominus omnium creaturarum; ergo impossibile est, quòd Christus sua satisfactione posset acquirere jus proprietatis adversùs *Deum*. Min. & conseq. tenent; major autem patet: nam quòd aliqua actio sit ita justa, provenit à facultate, sive dominio morali, quo agens potest disponere, vel non disponere pro libitù suo de re sine alterius injuria; sicut quòd aliqua actio sit libera, provenit à libertate, seu dominio, quo agens potest ponere, vel non ponere illam sine impedimento ad utrumque: ergo sicut actio nequit esse libera, si detur impedimentum, ne agens pro libitu suo possit tendere ad utrumque, ita nequit esse commutativa justitia, sive pleni, & absoluti dominij proprietatis, si agens non possit pro libitu suo disponere, vel non disponere de re sine alterius injuria; atqui si satisfactio Christi fuisset ex rigorosa justitia commutativa, non posset *Deus* disponere de suis donis, ea non conferendo sine injuria Christi; ergo non esset actio absoluti, & pleni dominii proprietatis *Dei*.

497. Probatur 3. Christus non potest sua satisfactione acquirere jus proprietatis contra *Deum*, quin habeat dominium morale proprietatis distinctum à dominio *Dei*, sed non habet tale dominium: ergo &c. Maj. patet; quia ideo servus ut servus, quidquid acquirit, *Domino* acquirit, & Filius, nondum mancipatus, nec habens bona castrensia, sive quasi castrensia non fructificat sibi, sed Patri, & quidquid acquirit, Patri acquirit; quia nec servus ut servus habet dominium moraliter distinctum á dominio Domini, sive quod idem est, quod quidem non sit sub dominio proprietatis Domini, nec talis Filius habet dominium proprietatis, quod non sit sub dominio proprietatis Patris, ideóque quidquid acquirunt, alteri acquirunt. Min. verò probatur: totus Christus satisfaciens adæquatè est Dei; ergo non potest acquirere jus proprietatis contra Deum. Probatur antec. personalitas est Dei per identitatem, humanitatis unio hypostatica, & ipse actus satisfactionis sunt Dei tanquam Domini proprietatis ipsorum ratione essentialis dependentiæ illorum à Deo, quam dependentiam habet indispensabiliter quælibet res creata titulo creationis; ergo totus Christus satisfaciens est adæquatè Dei.

Confirmatur 1. Christus multò magis est Dei, quàm servus Domini, & Filius nondum emancipatus sit Patris. Siquidem Christus essentialiter est Dei, servus autem & filius accidentaliter sunt Domini, & Patris, cùm cessare possit eorum subjectio; atqui prædicti Filius, & servus, ut tales, nequeunt acquirere strictum justitiæ jus contra Patrem, & Dominum; ergo nec Christus adversùs Deum. Dixi prædicti Filius, & servus, ut tales; quia cùm sint accidentaliter subjecti dominio alterius, possunt in aliquibus absolvi à tali dominio, & tunc acquirere jus adversùs Patrem, & Dominũ quamquàm ut subjecti non possint acquirere tale jus, in eo nempe, in quo subjecti sunt; at creaturæ non accidentaliter, sed essentialiter subjiciuntur dominio proprietatis Dei, & nullo modo absolvi possunt à tali subjectione, cùm divinitus fieri nequeat, ut *Deus* non sit *Deus*, & creaturæ non sint creaturæ; ac proinde quidquid acquirunt, indispensabiliter acquirunt creatori; unde quamvis sint instrumenta libera potentia facere, vel non facere, quod *Dominus* vult, sunt tamen instrumenta libera essentialiter constituta sub dominio proprietatis creatoris; ideóque quidquid liberè agunt, manet sub jure proprietatis *Dei Domini* sui. Confirmatur 2. Deus non potest inire pactum cum Christo, quo possit eximere opera Christi à ratione creaturarum, sive à subjectione, quam habeant ad dominium proprietatis *Dei*, quod necessum est ad pactum pertinens ad justitiam commutativam, contradistinctum à pacto pertinente ad fidelitatem; ergo neque ex titulo operationum, neque ex titulo pacti potest Christus acquirere jus proprietatis contra *Deum*. 498.

Respondet Gonnet dist. 4. de Incarnat. art. 5. cap. 2. Licèt inter Patrem, & Filium nondum emancipatum reperiri non possit justitia commutativa, neque inter servum, & *Dominum*; at posse quàm optimè reperiri inter 499.

Chri-

Christum & Deum, quia apud homines filius, ut talis nihil habet, quod à Patre per voluntariam, & gratuitam communicationem non accepit, & similiter servus nihil habet, quòd non pertineat ad Dominum, cui legali vinculo subjicitur, imò filius in creatis nequit reddere aliquid æquivalens aut adæquans esse naturale, quod à Patre gratuita communicatione susceptit, hæc autem in Christo locum non habent, quia cùm sit Deus simul & homo, ratione suppositi divini habet æquale jus, & dominium in proprias operationes, ac ipse Deus. Unde est ipsi æqualis in jure proprietatis, & licèt sit Filius, recipit à Patre, sed non sicut in humanis, gratuito, necessariò & per modum naturæ, nec secundùm divinitatem est inferior, sed æqualis Patri ex illo Pauli ad Philippens. 2. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo;* Unde inter Christum, & Deum facilius, quàm inter servum, & Dominum, Patrem, & Filium in humanis reperiri potest justitia commutativa, hæc Gonnetus; sed quis non videat Adversarium suismet Verbis gravioribus difficultatibus irretitum? quare.

500. Contrà 1. Licèt Christus, ut Deus sit æqualis Patri, at, ut Deus nullum jus potest acquirere contra Patrem, cùm non sit distinctus Deus à Patre, aliter cum Polytheistis admitteret Gonnetus plures Deos; ergo modo, quo est æqualis, non potest acquirere illud jus proprietatis contra Patrem. Contrà 2. licèt persona filii sit distincta à persona Patris, attamen jus, quo creaturæ subjiciuntur dominio Dei, utpote fundatum in natura divina, est idem jus cum jure Patris; ergo ratione Dominii, quod in Christo, ut filio Dei reperitur, neque acquireret Christus proprietatis jus contra Patrem. Contrà 3. Licèt meritum Christi, utpote constitutum ex dignitate Verbi, sit summi, & infiniti valoris apud Patrem nihilominus idem meritum constat etiam actione creatâ; sed actio creata Christi, utpote essentialiter creatura nequit eximi à dominio proprietatis Dei; ergo licèt meritum Christi sit summi valoris apud Deum, nequit vi illius Christus acquirere jus proprietatis contra Deũ.

501. Contrà 2. Licèt persona Verbi sit æqualis personæ Patris, attamen nullum specialem influxum activum potest præstare circa actiones humanitatis, quam eandem non præstet persona Patris, cùm activus influxus proveniat ab omnipotentia, quæ est identificata cum tribus personis; ergo non potest acquirere cum humanitate aliquod jus proprietatis, quod non habet persona Patris. Patet Cons. ideò licèt persona filii sit distincta realiter à persona Patris, nequit præstare aliquem influxum activum, quem non præstet etiam persona Patris, quia influere ad extra provenit ab omnipotentia, ut tali, quæ communis est Filio, & Patri; ergo &c. Contrà 3. Ad hominem, nihil reperitur in filio, quod non sit identificatum cum Patre, nisi sola personalitas filii, sed personalitas filii per te nullam dicit perfectionem; ergo nullum perfectum dominium proprietatis potest acquirere filius, quòd non sit etiam dominium Patris. Ex dictis.

Fit 1. non posse Deum emancipare Christum cedendo juri proprietatis circa opera ab humanitate elicita. Ratio est; quia jus proprietatis Dei circa illa opera stat in ipsa natura divina, qua Deus privari non potest. Unde non potest fieri recursus ad jus passum, quo Deus obligetur ex justitia commutativa vi contractus: nam jus proprietatis ideò fundatur in ipsa natura divina, quæ bassa non est, nec Deus potest illa se expoliare, ne retineat jus proprietatis circa quælibet creata; unde licèt possit creatura facere contra jus proprietatis Dei, non ponendo, quod DUES ex jure suo exigit, ac proinde committendo injustitiam, non tamen potest Deum ex justitia commutativa obligare, cùm non possit elicere opus aliquod exemptum à jure proprietatis Dei, vel quo extinguat aliquam particulam juris proprietatis Dei, quamobrem jus applicabile & accidentale, quod Deus acquirit contra peccatorem per peccatum ad indignitatem, & punitionem, non potest ex justitia commutativa auferri à creatura, siquidem quæcunque actio creata apponatur, manet sub inextinguibili jure divino proprietatis; Unde ex sola fidelitate potest Deus obligari ad cedendum illi juri acquisito, non autem ex ullo jure proprietatis creaturæ contra Deum.

Fit 2. Non posse Deum sibi imponere onus justitiæ commutativæ circa creaturã ullam vi pacti; ratio est; quia non potest ulla vi pacti sibi imponere opus, quo creaturam, vel operationem creatam eximat à jure proprietatis inextinguibili, ac proinde non potest creatura ulla actione sua extinguere particulam ullam juris proprietatis Dei, ne Deus, si voluerit, iterum ex jure suo repetat à creatura eandem, aut physicè, aut moraliter actionem, quam semel exhibuit; sicut tamen natura divina indivisibilis est, & essentialiter inamissibilis, & quo ad totum, & quoad quamlibet ipsius particulam, ita est inamissibile jus proprietatis Dei & quoad totum, & quoad quamlibet illius particulam, relatè ad quamcunque creaturam; unde fit, Deum non posse ex justitia commutativa ligatum habere tale jus, cùm nullus sit superior Deo, à quo ligari possit, vel à quo fieri possit, ut actio creaturæ creata non sit, nec maneat subjecta essentiali dominio proprietatis Dei.

Cùm enim essentiale dominium proprietatis Dei perfectissimum sit, & ad quæcumque creata se extendens, nullus apparet titulus, si res bene expendatur, ut creatura in aliqua possibili hypothesi acquirere possit jus proprietatis contra Deum, quo respexêre Sancti Patres dicentes, Deum nunquam obligari creaturæ ex justitia commutativa, licèt obligetur ex fidelitate, sic Div. Thomas locis adductis tract.

Tract. de justitia & jure num. 528. 541. & 552. dum etiam Bernardus Serm. 1. de Annuntiatione; *Neque sunt talia hominum merita, ut propter ea vita æterna debeatur* ex jure, aut propter ea Deus injustitiam aliquam faceret, nisi eam donaret; & Anselmum in Prosologio cap. 10. *Justus es, non quia reddis nobis debita, sed quia facis quod te decet*: sic etiam Augustinus lib. 1. Confess. cap. 4. *reddis debita nulli debens*, & lib. 3. de libero arbitrio cap. 16. *Deus nulli debet aliquid, quid ergo ei prærogas, ut tanquam debitum poscas?* Ex quibus apparet DEUM eum non dici operari justitiam erga homines, nisi quatenus justè, seu fideliter se gerit erga illos, eorum justitiam, sive merita compensando; unde quòd Deus non possit pœnam infligere propter peccata Petri, si omnia illius peccata, quoad culpam, & pœnam remiserit, non procedit ex eo, quòd creatura se ipsa potuerit extingere jus Dei, sed quia Deus ex sua promissione voluit cedere tali juri, & tollere materiam pœnæ; ideóque licèt possit torquere, non tamen potest infligere pœnam ex defectu materiæ prærequisitæ essentialiter ad pœnam.

505. Fit 3. Non posse fieri recursum ad dominium duorum in solidum 1. quia tale dominium duorum repugnat essentialiter, ut diximus à num. 569. *De* justitia, & jure. 2. quia licèt non repugnaret relatè ad alteros Dominos, quorum unus non esset essentialiter servus alterius, at relatè ad servum, ut talem respectu Domini omnino repugnat; siquidem servus, ut talis nihil sibi, sed Domino acquirit, habétque se, ut instrumentum liberum, subjectum juri proprietatis domini; cùm autem creaturæ sint essentialiter seruæ relatè ad *Deum*; & inde non possit, nisi per fictionem concipi dominium proprietatis circa eandem rem in creatura simul, & *Deo* tanquam in duobus plenè *Dominis*; idcirco creatura relatè ad *Deum* tantùm habere potest simplicem usum facti, licèt relatè ad alteras creaturas possit habere creatum dominium, ut dixi à num. 563. de just. & jure. Hæc enim est ratio, propter quam *Deus* obligare non potest creaturæ ex rigorosa justitia suam potestatem ordinariam, cùm non possit se obligare, ut teneatur conferre dona sua creaturæ sub pœna peccati injustitiæ commutativæ, neque cedere juri proprietatis in tali ordinaria potestate, quæ utpote identificata cum natura divina, est inabdicabilis ab ipso *Deo*, ex quo facilè impugnatur nova Ripaldæ excogitatio.

506. Fit 4. Plurimum derogari satisfactioni Christi Domini, si concedatur, fuisse ex justitia commutativa saltem juxta principia, quæ plures defendunt cum Esparza lib. 8. de just. q. 20. ratio est, quia juxta principia ex *Div. Thom.* & Philosopho desumpta, sicut de conceptu justitiæ commutativæ ex æqualitas arithmetica, ita compensatio non debet esse æstimabilior, quàm offensa, sed omnino æqualis cum illa; ideóque, ut dixi à n. 15. de justitia, & jure, aliquæ sunt virtutes, quæ per defectum non continent illum conceptum, ut pridem jam denotaverat Bernal disput. 7. de Incarnat. sect. 6. Cùm autem satisfactio Christi infinitum habeat excessum valoris supra valorem offensæ, ut constat ex dictis à num. 427. non pertinet ad justitiam commutativam, sed aliam virtutem non excludentem excessum compensationis, qualis est Dei fidelitas, Christi charitas, aut alia virtus, quæ tendentiam illam non excludat.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

OBjices 1. Sæpè dicitur in Scriptura Deum remunerari merita justorum ex justitia, ut constat ad Rom. 3. 4. 5. Psalm. 10. & 2. ad Tim. ultimo; *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*; & sæpe alibi, in Conciliis & PP. sed nulla est assignabilis ratio, quare hæc non intelligantur de rigorosa justitia; ergo &c. 507.
Respondeo conc. maj. nego min. quia nulla virtus admitti potest in Deo, cujus essentialis conceptus remanere non possit, si virtus depuretur ab omni imperfectione, cúmque essentialis conceptus justitiæ commutativæ talis sit, ut depurari non possit ab omni imperfectione, siquidem ad justitiam commutativam unius contra alterum requiratur, ut alter applicatum habeat priprietatis dominium circa rem, quod relatè ad Deum supremum omnium Dominum, maxima esset imperfectio; exinde ea Scripturæ testimonia relatè ad Deum intelligi non possunt de justitia commutativa; idcirco intelligi debent de justitia protestativa juxta usitatam Scripturæ phrasim, & juxta doctrinam citati Trid. num. 490. & 492.

Objicies 2. Licèt inter servum, ut servum creatum, & Dominum dari non possit justitia commutativa, nihilominus dari potest inter creaturam, & Deum; ergo testimonia Scripturæ possunt absque imperfectione intelligi relatè ad Deum de rigorosa justitia commutativa. Probtur antec. licèt inter servum & Dominum creatum non possit intercedere amicitia, & jus ad hæreditatem, potest tamen intercedere inter creaturam, & Deum, & licèt inter servum & Dominũ creatum non possit intercedere ex justitia cõmutativa, poterit tamen intercedere inter Christum & Deum. Respondeo: nego antec. Ad probationem conc. antec. & nego conseq. ratio est, quia cùm servitus unius creaturæ erga alteram sit accidentalis, & revera abdicabilis, ac proinde habeat titulos impositos à Lege præscribente manumissionem, quibus positis servus manumittitur, & servitus abdicatur, cúmque tales sint tituli amicitiæ, & juris ad hæreditatem Domini juxta Legem de manumissione, non potest in 508.

creatis juxta Leges conservari servitus concurrentibus illis titulis: cæterùm cùm servitus creaturæ relatè ad DEUM non sit accidentalis, sed essentialis, & inabdicabilis, tituli isti amicitiæ & juris ad hæreditatem Domini non possunt esse nihil ad manumissionem & abdicationem talis servitutis, ac proinde servi dici possunt retinere istos titulos cum ipsa servitute ad Deum, ideóque non possunt acquirere jus commutativæ justitiæ contra Deum, sed jus physicæ exigentiæ, quam habet gratia ad gloriam, & jus fidelitatis, qua Deus promisit annuere exigentiæ gratiæ, & meritorum condignificationi; quod satis constat ex dictis, & ex doctrina Tridentini tradita locis citatis numero superiori.

509. Objicies 3. Promissio conditione condigni operis obligat ex justitia commutativa promittentem ad conferenda dona promissa, si conditio adimpleatur; sed Deus promisit Christo sub conditione suorum meritorum conferre dona hominibus, & Christus adimplevit conditionem; ergo DEUS vi talis promissionis manet obligatus ex justitia commutativa ad conferenda ea dona; min. & conseq. renent, major probatur; quia aliter promissio non distingueretur à simplici proposito; ergo &c. Confirmatur anima Christi erat libera ad ponenda vel non ponenda sua merita, ac proinde habebat dominium circa ea merita; ergo promissio Dei relatè ad tale Christi dominium potuit esse justitia commutativa. Resp. dist. maj. si sit promissio, qua dominium promittentis abdicetur, omitto; si sit promissio impotens abdicare dominium promittentis, nego maj. & dist. pariter min. nego conseq. Ad probat. nego antec. quia simplex propositum non requirit conditionem ullam ex parte promissionis, qualis requiritur in casu nostro.

510. Itaque promissio divina cùm non possit abdicare ullum jus proprietatis Dei circa res creatas, non potest pertinere ad pactum justitiæ commutativæ, sed pertinebit vel ad simplex propositum, si Deus id promittat absque ulla actione onerosa ex parte promissarii, vel ad fidelitatem compensativam operis ad æqualitatem, si respiciat pro conditione opus condignum, quo in casu fidelitas Dei ipsam obligabit, non autem ullum jus proprietatis ex parte creaturæ, cui facta est promissio; at inter homines ea pacta, quæ directè tendunt ad abdicandum jus proprietatis, quod in illis est accidentale, & abdicabile, ita, ut promittens vi promissionis, statim, atque adimpleta est conditio, extinctum habeat jus proprietatis, neque circa rem illam in ipso maneat legitima facultas directè, & principaliter ordinata in bonum suæ libertatis ad restringendam moraliter per suam voluntatem libertatem alterius, sunt puncta pertinentia ad justitiam commutativam; unde hac in re nulla fieri potest paritas à creatura ad Deum, quamquàm si pactum hujusmodi non esset, neque hoc modo creaturæ ex promissione sua se obligarent, sed tantùm ex fidelitate, posset fieri paritas, & appareret, quomodo plures promissiones non pertineant ad justitiam commutativam, sed tantùm ad fidelitatem, ut diximus num. 401.

Ad Confirmationem dist. antec. erat libera tanqnam instrumentum liberum à servitute; & dominio proprietatis Dei, nego; tanquam instrumentum liberum, subjectum tamen servituti, & dominio proprietatis Dei, conc. antec. & nego conseq. nam instrumentum liberum, subjectum tamen dominio proprietatis Domini, quidquid acquirit, non sibi, sed *Domino* acquirit, ut patet etiam in creatis in servo quà tali.

Objicies 4. Repugnat absoluto dominio *Dei*, quòd *Deus* unicuique hominum jus suum tribuat, ac proinde quòd tribuat Christo *Domino* jus suum; sed justitia commutativa nihil est aliud, quàm constans voluntas jus suum unicuique tribuens; ergo inter Deum, & Christum intercessit rigorosa justitia commutativa, ac proinde Christus satisfecit Deo ex rigore justitiæ commutativæ. Resp. dist. maj. quòd Deus jus suum unicuique hominum tribuat, quod sit jus proprietatis contra Deum, conc. quod sit simplex usus facti relatè ad Deum, & jus proprietatis contra alias creaturas, nego maj. & dist. min. nego conseq. Ratio est, quia ad justitiam commutativam non sufficit quæcunque suitas, sed requiritur illa, vi cujus res aliqua reponatur sub jure proprietatis istius contra alterum, contra quem dominium acquirit; cumque id omnino repugnet in creatura relatè ad Deum, exinde planè repugnat absoluto, & pleno dominio Dei, quòd Deus jus suum unicuique hominum, vel ipsi Christo tribuat ex justitia commutativa contra Deum.

Objicies 6. Peccatum lethale continet commutativam justitiam contra Deum; ergo latisfactio condigna pro illo, qualis fuit Christi, debuit esse ex rigorosa justitia commutativa. Respondeo conc. antec. & nego conseq. quia ad justitiam sufficit non ponere, quod tenemur ponere ex jure proprietatis *Dei*; cumque creatura eò ipsò, quòd peccet, non ponat, quod tenetur ponere ex jure proprietatis Dei, committit injustitiam contra Deum; at verò ad acquirendam justitiam commutativam contra DEUM non satis est ponere, quod ex jure suo exigit DEUS, sed ulteriùs requiritur, ut ex jure apponendi tale opus, & reponendi illud sub dominio DEI, extinguam jus proprietatis DEI contra me; cumque tale jus proprietatis DEI contra me nequaquam possim extinguere, cum quæliber creatura, ex titulo creaturæ maneat semper tota, quanta est, subjecta dominio proprietatis Dei, exinde nulla creatura neque anima Christi *Domini* potest acquirere jus proprietatis contra Deum; idcirco ad condignam satisfactionem non requiritur, quòd compensem ex justitia commutativa, si peccem contra justitiam commutativam; sed satis est, si reddam rem æqualem, ut compensatio fit in actu primo adæquata,

quata, ſi noſtra peccata intemperantiæ ſufficienter compenſantur per actus ſatisfactorios Chriſti Domini. Ex dictis.

513. Fit 1. Opus non eſſe ad perfectiſſimam, & condignam ſatisfactionem, quòd Chriſtus ſatisfaciat ex motivo formali omnium virtutum, quibus formaliter opponuntur peccata lethalia contra Deum comiſſa, ſed ſufficere, ſi ſatisfactionem reddat æqualem, ad quamcunque virtutem pertineat. Quod evidens eſt in peccatis infidelitatis, pro quibus Chriſtus ſatisfecerit, Chriſtus enim cùm eſſet viator ſimul, & comprehenſor, non habuit habitum fidei, ut diximus à num. 553. de fide, ac proinde non elicuit actus fidei, per quos intra eandem virtutem ſatisfaceret condignè pro peccatis infidelitatis; unde ſatis erat, ut apponeret ſatisfactionem æqualis valoris, quam Deus juxta pactũ admittere tenetur, non verò ſecluſo pacto; nam quamquàm ea ſatisfactio haberet vim motivam ſimpliciter infinitam, erat tota ea vis debita Deo, ut conſtat à num. 498. & nemo tenetur ſolvere, quod eſt debitum, licèt illud revera amet, ut patet in creaturis, ſe, resque ſuas amantibus, licèt res ſuas non teneantur ſolvere, & in DEO neceſſariò amante ſe ipſum.

514. Fit 2. Adimpletionem conditionis per merita & ſatisfactionem Chriſti, ut teneatur Deus ſatisfactionem illam pro peccatis noſtris admittere, debere eſſe talem, qualis comprehenditur in pacto inter Deum, & Chriſtum, de quo dixi à num. 474. cúmque in eo pacto exigeretur, ut Chriſti merita morte ſua conſummarentur, ut conſtat ex num. 469. ideò Deus non tenebatur admittere ſatisfactionem, niſi ea merita Chriſti eſſent morte ſua conſummata, & confirmata, quod ſignificavit Apoſt. ad Heb. 10. cùm dixit, *una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*, & Joan. 19. *cùm ergo accepiſſet JEſus acetum, dixit conſummatum eſt, & inclinato capite tradidit Spiritum*, conſummatum quidem fuit, quod dictum erat de filio hominis, & in pacto incluſum uſque ad mortem, & cùm ſtatim mortuus eſt, ut conſummaret, & novo, ac firmo teſtamento confirmaret pactum initum inter ipſum, & Patrem, ut dixi num. 489.

515. Fit 3. Chriſtum ſatisfeciſſe Patri ex fidelitate, qua vi pacti ſe obligavit, atque ex honeſtate ſpeciali in ipſo pacto incluſa, qua ſe obligavit ad dandam ſatisfactionem æqualem pro peccatis, & quidem talem, qualem Pater exigebat: cùm enim in hoc appareat ſpecialis honeſtas actus laudabilis, quæ reperiri non poteſt relatè ad ullum actum virtuoſum puræ creaturæ; cùm nulla pura creatura poſſit reddere æqualem ſatisfactionem pro peccatis, non eſt ratio, cur non admittamus in Chriſto Domino ſpecialem virtutem reſpicientem ad peculiarem honeſtatem actus laudabilis, cùm iſtud fuerit magnum Chriſti Domini opus, atque ex hac ratione multiplicandæ ſint virtutes juxta doctrinam Divi Thomæ 3. Part. quæſt. 85. art. 2. & 3. Nec exinde excludimus motivum aliarum plurium virtutum, nempe charitatis, religionis, obedientiæ, & aliarum; cùm hæc omnia motiva Chriſtus perfectiſſimè habuerit, atque ex eorum honeſtate egiſſe ſæpè mentio fiat in Scriptura, neque unum motivum cum altero ſit incomponibile; unde congruum eſt cenſere, ex his omnibus obtuliſſe Patri ſuam ſatisfactionem.

516. Fit 4. Deum retribuiſſe Chriſto ex fidelitate, qua vi pacti ſe obligavit ad retributionem, atque etiam ex motivo aliarum virtutum, quas Deus voluerit exercere in retributione, & certè exercuit motivum charitatis, quo reſpiciunt omnia opera divina ad extra juxta illud proverb. 16. *Univerſa propter ſemet ipſum operatus eſt Dominus*; reſpexit etiam Deus excellentiam Chriſti Domini ſatisfacientis; & ſupplicantis juxta illud Pauli ad Heb. 5. *exauditus eſt pro ſua reverentia*; nec in his opus eſt ulteriùs immorari; nam cùm Deus liberè potuerit habere alia motiva virtutum, & alia non habere, de his, quæ ex Scripturis, PP. aut Conciliis nobis non conſtant, ſolùm dicere poſſumus habuiſſe ea, quæ voluit. Vide hæc omnia ad juſtitiam commutativam pertinentia, clariùs diſcuſſa in Tractatu de juſtitia & jure à num. 517.

SECTIO III.

De eſſentia & proprietatibus ſatisfactionis Chriſti.

517. QUamquàm ex dictis appareat facilis hujus tituli deciſio, eſt tamen difficilior; quàm appareat. Quærimus enim, quid ſit formaliter Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe? difficultas cognoſcetur ex ratione dubitandi, quam ſic propono. Videtur enim hoc inexplicabile; nam vel Chriſti ſatisfactio conſiſtit in eo, quòd nobis meruerit offenſæ remiſſionem, vel quòd nos à Dæmonis poteſtate liberarit, vel in utroque ſimul? atqui nullum horum trium videtur aſſeri poſſe; ergo neque videtur explicari poſſe, in quo conſiſtat Chriſti ſatisfactio: min. quæ tria membra continet, probatur per partes. Primum quidem dici non poteſt; quia ſi Chriſtus meruiſſet nobis offenſæ remiſſionem, vel Deus nobis omnibus remiſiſſet offenſam, quod eſt hæreticum, vel fuiſſet iniquus, & infidelis, quod eſt blaſphemum, & quidem ſicut ſolutione tollitur debitum, ita ſatisfactione tollitur offenſa. unde ſicut facta æquali reſtitutione, neceſſe eſt, ut creditor ab exactione pretii ſe abſtineat, vel juſtitiam, aut ſaltem fidelitatem ſuam lædat, ſic exhibita condigna ſatisfactione, quam Deus promiſit admittere, neceſſarium videbatur, ut Deus vel ab offenſa deſiſteret, vel infidelis eſſet; neque ſecundum dici poteſt; quia Dæmonum nullam in homine videtur habuiſſe poteſtatem, aut ſi

quam olim habuit, eandem nunc retinere videtur, unde colligitur, nec tertium dici posse. Cæterùm ad hæc omnia clarè explicanda

518. Suppono 1. Cum omnibus Catholicis Christum non obtulisse Deo suam satisfactionem, ut remitterentur omnia peccata, statim atque illa acceptaretur in adultis mediante illorum dispositione, nempe cooperando auxiliis gratiæ per Christum acceptis, & eorum operibus adjunctis Christi meritis; atque in parvulis mediante Sacramento Baptismi in re, vel in voto (quod addo propter Martyrium) in quo applicantur illis merita Christi, absque ulla prævia parvulorum dispositione in adultis, qui baptizantur, prærequiritur voluntas suscipiendi baptismum; & si actualiter peccaverunt prærequiritur etiam contritio præscindens à perfecta, & imperfecta, quæ est actus pœnitentiæ, ut constat ex illo actorum 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi in remissionem peccatorum vestrorum*, quòd explicat latè Tridentinum sess. 6. cap. 56. sic etiam in veteri lege institutum fuit aliquod signum externum, quod erat figura Baptismi (talis fuit circumcisio inter Hæbræos) ut per gratiam collatam ex meritis Christi absolutè prævisis remitteretur originale. Hæc intellige de lege ordinaria: nam ex speciali privilegio merita Christi potuerunt aliter aplicari. Sic Joannes Baptista sanctificatus fuit in utero Matris. Sic etiam Deipara ex meritis Christi sanctificata fuit in primo suæ Conceptionis instanti.

519. Suppono 2. Christi satisfactionem pro nostris peccatis aliquid aliud habere præter id, quod præcisè requiritur ad peccatorum remissionem; ratio est, quia si Deus per puram condonationem extrinsecam remisisset peccata, eò ipsò deposuisset inimicitiam, & nullus homo maneret peccator. At satisfactio Christi non tantùm tendit ad peccatorum remissionem, sed etiam ad infusionem gratiæ, & donorum, quo peccator ex injusto fit justus, amicus Dei, & hæres vitæ æternæ. Hæc autem Christi satisfactio est efficax relatè ad illos, qui cooperando auxiliis ex merito Christi acceptis assequerentur gratiam, & remissionem peccati, & vitam æternam; est autem inefficax relatè ad illos, qui auxiliis collatis resistunt, & vitam amittunt, quæ etiam distinctio observanda est relatè ad parvulos, quia aliqui eorum cum Baptismo, alii absque eo decedunt; quomodo verò ex parte Dei dispensentur omnibus sufficientia media ad salutem, dixi in Tractatu de gratia à num. 145. His positis

520. Assero 1. Satisfactio Christi Domini essentialiter sumpta stat in eo, quòd Christus suorum meritorum, & operum, quæ continebantur in pacto, obtinuerit media sufficientia omnibus ad salutem consequendam, ita ut quantùm ex parte sua, neminem excludat à vita æterna, nec ex sola sua determinatione neget media ad illam obtinendam. Probatur 1. Satisfactio Christi essentialiter sumpta debet esse æqualis saltem offensis contra Deum commissis, ut vi illius DEUS offensam remittat tanquam vi pretii æqualis pro remissione, ut constat ex num. 307. insuper talis esse debet, ut ea supposita possint homines, si per nos non steterit, vitam æternam obtinere, quam quidem in hoc statu elevationis obtinuissent, si non intercessisset peccatum; sed hæc omnia comprehenduntur assertione nostra; ergo &c. Confirmatur. In hac providentia Deus non vult remittere peccatum, nisi infundendo gratiam, neque vult homines in statu puræ naturæ, sed in statu elevationis, ita, ut si non habeant supernaturalem beatitudinem, aut gloriam æternam, sint reverà tanquam à regno, & hæreditate patrua excluſi, & damnati, vel pœnâ damnati tantùm, ut contingit in parvulis, vel etiam pœnâ sensûs, ut in adultis in peccato decedentibus; ac proinde satisfactio Christi exigebatur, ut homo haberet gratiam remissivam peccati, qua posset consequi vitam æternam, sed hoc fieri non poterat, nisi Christi satisfactio obtinuisset, quantù n ex parte Dei, ea omnia pro hominibus; ita ut Deus, quantùm est ex parte sua, nemini negaret gratiam, & media requisita ad obtinendam vitam æternam; ergo &c.

Probatur. Satisfactio Christi essentialiter sumpta aperuit nobis Cœli januas, quas peccatum clauserat; unde usque dum hæc satisfactio morte Christi consummata fuit ex dictis à num. 489. nullus hominum obtinuit beatitudinem, quò respexit Christus Lucæ 24. dicens: *nonne hæc opportuit pati Christum, ut ita intraret in gloriam suam*, quasi diceret per mortem, & passionem consummavi satisfactionem à Patre exigitam, quod necessarium erat, ut Cœli portæ aperirentur, quod etiam indicatum fuit illis verbis Psalm. 53. *attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ; quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ;* cùmque iste sit finis noster, atque ad finem necessaria sint media; satisfactio Christi essentialiter sumpta tendebat etiam ad media nobis necessaria, ita ut Deus ex parte sua, sive ex sola sua determinatione neminem negaret ea media, sine quibus salus æterna obtineri non poterat: his enim deficientibus non poterant homines ad amicitiam, & hæreditatem Dei pervenire; quamvis vellent, sicut pervenissent, si non intercessisset peccatum; ergo satisfactio Christi essentialiter sumpta hæc omnia comprehendit.

Confirmatur. Christus satisfactione sua obtinuit adultis auxilia necessaria ad consecutionem vitæ æternæ, & pro parvulis obtinuit etiam, ne ex sola determinatione Dei impediretur susceptio Baptismi, quò possent vitam æternam obtinere: tum etiam vi illius satisfactionis factum est, ut qui post Christi Ascensionem è vita decederent mundi à peccatis, non amplius clausas haberent Cœli januas, juxta ea omnia, quæ

quæ incluſa fuerunt in pacto inter Patrem, & Chriſtum inito, ac proinde ſi alicui deficiant media ad ſalutem [illegible]mendã, non quidem *Deo*, ſed cauſis ſecund[illegible] imputandum eſt juxta illud Oſeæ 13. *perditio tua Iſrael; tantummodo in me auxilium tuum*, ut diximus latè agentes de gratia à num. 185. & 211. Unde licèt ante mortem Chriſti aliis jam fuiſſent conceſſa auxilia, nemini horum apertæ fuerant januæ clauſæ per peccatum, usque dum exercitè appoſita fuit, & conſummata Chriſti ſatisfactio; ergo ſatisfactio Chriſti eſſentialiter ſumpta hæc omnia complectitur.

523. Quamobrem media propter Chriſti ſatisfactionem conferenda talia ſunt, qualia exigebat Chriſtus applicando ſuam ſatisfactionem, juxta promiſſionem Patris paciſcentis cum Chriſto; unde cùm Chriſtus non ſolùm poſtulaverit media ſufficientia pro omnibus, ſed etiam efficacia pro aliquibus; ſicut etiam quandoque pro uno eodem aliqua afficacia, & aliqua purè ſufficientia; hæc omnia conceſſa ſunt ex meritis Chriſti *Domini*, ita tamen, ut exinde non excludatur ad ultimũ cooperatio; nam, ut dixi à num. 319. Chriſtus applicare voluit ſuam ſatisfactionem ad modum cauſæ univerſalis, quæ, licèt ſit infinitæ virtutis, non exinde excludit concurſum cauſæ particularis. Sic omnipotentia *Dei*, quamvis ſit virtus infinita, non ſe exercet cum cauſis ſecundis, niſi admittendo ipſarum cooperationem; ex quo impugnantur Hæretici negantes neceſſitatem bonorum operum, quaſi per illa derogetur infinitæ dignitati ſatisfactionis Chriſti, quod falſiſſimum eſſe conſtat ex dictis de cauſa univerſali, cujus munus obtinet Chriſti ſatisfactio ex ipſius applicatione, & pacto cum Patre.

524. Aſſero 2. Chriſtus *Dominus* ſatisfactione ſua non ſolùm obtulit condignum pretium pro peccato, ſed etiam nos redemit, & eruit à poteſtate *Dæmonis*. Hic conceptus dici ſolet pertinere non quidem ad eſſentiam, ſed proprietatem ſatisfactionis; quidquid de hoc ſit. Probatur 1. Concluſio, ſi propter aliquam rationem non poſſet verè & propriè dici Chriſtum nos eruiſſe à poteſtate Dæmonis, eſſet ideò, quia ſi homines tenebantur ſub Dæmonis poteſtate, debuiſſet pretium afferri Dæmoni, qui captivos tenebat omnes, quod contumelioſum eſt, non verò Patri, cujus captivi non erant, quæ eſt difficultas Gregorii Nazianzeni orat. 42. Ubi hæc habet Quòd ſi Redemptionis pretium non alii ulli, quàm ei, qui captivos tenet, perſolvitur, quæro cui tandem oblatum eſt, & quam ob cauſam? ſi pravo illi, nempe Dæmoni captivos nos tenenti; ô gravem contumeliam! ſi autem Patri primùm, quomodo id factum eſt? neque enim ab ipſo tenebamur, atqui, ut Chriſtus nos redimeret, ut eruerer à poteſtate Dæmonis, non erat perſolvendum pretium Dæmoni, ſed Patri, quandoquidem Dæmon erat quaſi Miniſter, & Tyrannus ex permiſſione Patris, uſque dum Deo daretur condigna ſatisfactio: ergo ſicut miniſtro principis cuſtodienti carceratos non eſt perſolvendum pretium, ſed principi, ita ad eruendum nos à poteſtate Dæmonis, non erat perſolvendum Dæmoni, ſed Patri.

Probatur 2. Noſtra captivitas ſub poteſtate Dæmonis, quam definit Innoc. II. in Epiſt. S. Bernardi, ex Concil. Trid. ſeſs. 6. cap. 1. & 2. à qua Chriſtus nos liberavit juxta illud Joan. 22. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*, & ad Coloſs. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum*, in eo ſita fuit, quod per Adami culpam Diaboli ſuggeſtione commiſſam, & ad nos cum natura ipſa tranſitam contraheramus debitum indignitatis ad gratiæ ſubſidia, nec ea Pater, absque condigna ſatisfactione dari volebat, ut poſſemus reſurgere ab illa culpa, quæ in Adamo actualis fuit, & in nobis originalis, unde deficiente ea condigna ſatisfactione maneremus ſemper ſub Vexillo Diaboli, è quibus Chriſtus nos eripuit obtinendo auxilia, quibus ſi velimus, poſſumus ex Chriſti meritis à peccato reſurgere, & ſub Dei Vexillis militare. Idcirco totum noſtrum debitum, & captivitas erat propter peccatum contra Deum commiſſum; ergo ut eriperemur, à captivitate, & peccato ſatisfaciendum, & offerendum erat pretium Deo, & non Dæmoni, non enim offerendum erat illi ſub cujus Tyrannide capivi detinebamur, ſed illi contra quem debitum contraximus; unde cùm hoc pretium Chriſtus perſolverit Patri redemit nos, & eruit à poteſtate Diaboli. Hæc dicta ſint de noſtra redemptione, non verò de redemptione *Deiparæ*, quæ nunquã fuit ſub Diaboli poteſtate, atque adeò non fuit redempta redemptione reparativa, ſed præſervativa. 525.

Ob. contra primam aſſertionem: ex ratione dubitandi propoſita num. 517. Chriſtus non meruit nobis offenſæ remiſſionem, ſiquidem poſt mortem Chriſti plures perſeverârunt in ſuis peccatis; ergo non bene explicatur à nobis eſſentia ſatisfactionis Chriſti. Reſp. diſt. ant. non meruit nobis peccati remiſſionem, ita ut remiſſa manerent peccata abſque ulla noſtra cooperatione, conc. ita, ut ſi velimus ex parte noſtra uti mediis vi ſatisfactionis Chriſti à Deo conceſſis non poſſemus ex meritis Chriſti ſe habentibus, ut cauſa univerſalis, obtinere remiſſionem peccati, nego antec. & conſeq. ratio ex dictis eſt; quia Chriſtus ſatisfactionem ſuam non obtulit Patri, ut vi illius Pater abſque ulla cooperatione noſtra peccata remitteret, ſed ut per ipſum non ſtaret, ne haberemus media ſufficientia, quibus pro libitu noſtro poſſemus à peccato reſurgere, & ſalutem obtinere, quamquàm enim ſatisfactio noſtra ſatis non eſſet ad obtinendam remiſſionem peccati, at conjuncta cum Chriſti ſatisfactione, quæ ſe habet, ut cauſa univerſalis omnium noſtrarum ſatisfactionum, ſufficientiſſima eſt, ac proinde in hoc ſenſu à Chriſto intento verè, & propriè ſa- 526.

satisfecit pro nobis, & ex ipso facilè intelligitur essentia suæ satisfactionis à nobis exposita.

527. Objicies 2. contra secundam Assertionem: si tota nostra captivitas esset ratione debiti contracti per peccatum, & Christus ab illa nos eripuisset obtinendo nobis auxilia modo supra explicato, nunquam homines fuissent sub Tyrannica potestate Dæmonis adhuc in lege veteri, hoc est contra Verba Christi, qui Joan. 22. dixit; *nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*; ergo malè explicatur à nobis, quomodo Christus nos redemerit, & eruerit à potestate Dæmonis. Probatur maj. Christus non solùm obtinuit ea auxilia nobis, sed etiam reliquis in lege veteri; ergo homines legis veteris non fuissent captivi, sed erepti semper à Tyrannica Dæmonis potestate. Resp. nego maj. ad probationem dist. antec. reliquis in lege veteri obtinuit auxilia abundantia, & intensa, qualia nobis obtinuit, nego, rariora, & remissiora conc. antec. & nego conseq.

528. Ratio est, quia actualis captivitas magnam habet latitudinem, etenim ante Christi Adventum rariores erant, vel saltem remissiores vocationes tum infidelium ad fidem, tum fidelium ad sanctitatem, neque illis erant apertæ Januæ Cœli, atqui in Cœli reclusione, atque raritate vocationum, & inefficacitate consistebat summa durities actualis captivitatis; at verò post Christi Adventum, Dominus sua, & suorum prædicatione, & exemplis mundum illuminavit, & ardentiores illi inspirationes concessit, magnáque ei reliquit præsidia contra Dæmonem institutione Sacramentorum. Atque in Ascensione sua sibi, & nobis aperuit Januas Cœlorum. Unde ante Christi Adventum Dæmon erat magis solutus; & hæc erat 532
summa durities illius captivitatis, de qua loquitur Christus, à qua in lege Evangelica erepti sumus abundantioribus auxiliis, & mediis conducentibus ad salutem, quæ per satisfactionem suam Christus nobis obtinuit. Unde licèt in lege veteri erepti essent ab aliqua captivitate illi homines per Christum, non tamen erant redempti à durissima servitute, à qua in lege nova Christus nos eripuit, vide Exim. Doct. in lib. 14. de leg. cap. 18. & Bernal, disp. 13. de Incarnat. sect. 2.

* * *

DISPUTATIO XIII.

DE CONSTITUTIVO HYPOSTATICÆ UNIONIS, ET COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

529. PLura consideranda sunt in Christo Domino, sive Mysterio Incarnationis, nempe natura humana, Verbum Divinum, & Unio hypostatica. Quantum ad Unionem attinet, certum est apud omnes Catholicos, eam esse substantialem, quandoquidem istud compositum Christus, est totum substantiale, & per se, natura humana etiam est adæquata in ratione naturæ, ac proinde continet materiam, formam & unionem inter utramque, at non continet creatam personalitatem, nam Christus Dominus una tantùm est persona divina, licèt contineat duas naturas, alteram divinam, alteram creatam, unitas in Verbo divino, quod extremum est substantialiter unitum humanitati, cum qua constituit totum istud per se. Agimus in hac disputatione de unione prout concurrit ad constitutionem compositi substantialis unius, fundatque communicationem idiomatum, & in sequenti agemus de extremis hujus unionis. Hæreses, & errores contra constitutionem hujus Mysterij refutavimus à num. 180. & 296. quamobrem hìc solùm disputabimus de his controversiis, quæ apud Catholicos in lite sunt, quia tamen circa unionem hypostaticam plures sunt controversiæ ab hac incipimus.

SECTIO I.

De Unione hypostatica.

PLures sunt Doctorum sententiæ circa Unionem hypostaticam. Prima docet non distingui realiter ab extremis scilicet humanitate, & Verbo, ita Valentia, Martinon. Wading. & communiter Thomistæ, quos sequuntur Gonnet disp. 6. art. 3. num. 45. Secunda eam distinguit realiter ab extremis, ita ferè omnes nostri cum Exim. Doct. & Scotistæ cum Scoto, plurésque Thomistæ cum Divo Thoma quæst. 2. art. 7. Tertia sententia quasi media est aliquorum recentium Thomistarum, cum Gody dicentium, humanitatem uniri Verbo per unionem realiter distinctam, licèt Verbum ea unione non indigeat, ut uniatur intrinsecè humanitati.

Assero 1. cum secunda sententia: unio hypostatica est modus substantialis distinctus realiter ab extremis. Probatur 1. Ut dicitur Joh. 1. *Verbum Caro factum est*, atqui Verbum Caro fieri non potuit absque unione distincta à Verbo, & carne sive humanitate; ergo unio hypostatica est realiter distincta à Verbo, & humanitate. Probatur min. Verbum non potuit fieri caro, quin aliquid fieret præter ea omnia, quibus factis nondum verificaretur Verbum Carnem factum fuisse, sed omnia alia 534
potue-

potuerunt fieri præter substantialem modum unionis, quin verificaretur, Verbum Carnem factum fuisse; ergo &c. Probatur min. ablato modo unionis solùm remanent Verbum, volitio Dei; humanitas, dona naturalia, & superna; sed poterant existere in rerum naturam Verbum, & volitio Dei, quæ factibilia non sunt, tum etiam poterant esse facta humanitas, dona naturalia, & superna, & quodcunque aliud excogitabile prædicatum creatum, quin Verbum fieret Caro &c.

532. Probatur 2. Ex Concil. Ephes. Can. 13. Verba, illa Verbum Caro factum est, ita explicante; *non enim dicimus, quod DEI natura conversa, vel immutata facta sit Caro, nec quod in totum hominem, qui est ex anima, & corpore, transformata sit, sed magis, quod Carnem animatam anima rationali sibi copulaverit, Verbúmque substantialiter, ineffabiliter, & incomprehensibiliter factus sit homo, & nuncupatus sit etiam Filius hominis non nuda tantummodo voluntate, sed nec assumptione sola personæ, sed quod diverse quidem naturæ in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Christus, & Filius non evacuata, vel sublata diversitate naturæ per conjunctionem, sed quia simul nobis efecerunt unum Deum, & Christum, & Filium, id est divinitas, & humanitas per ineffabilem illam copulationis adunationem; non enim dicit Scriptura, Verbum Dei personam sibi hominis assumpsisse, sed Carnem factum esse, id enim est ostendere, Dei Verbum similiter ac nos principium habuisse Carnis, & sanguinis, & corpus nostrum propriè suum fecisse, & hominem ex muliere natum esse.*

533. In hoc quippe textu Concil. Ephes. damnat Nestorium, qui dicebat, Verbum divinum unitum esse non solùm naturæ humanæ, sed personæ, simúlque admittebat unionem inter utrumque, quæ in nuda *Dei* voluntate consistebat; hoc damnat Concil. dicens; *Non nuda tantummodo voluntate*; ergo præter humanitatem, & Verbum, & volitionem divinam agnoscit Concilium nexum aliquem substantialem utrumque illud extremum adunantem, ita, ut facto illo vinculo, quo Verbum fit Caro, juxta Catholicam Fidem dicere debeamus, Verbum Caro factum est, ad eum modum, quo licèt anima rationalis non generetur, nec materia prima, eò ipsò tamen, quòd generetur unio, qua constituitur humanum compositum, dicitur homo genitus, ac proinde ex eo, quòd fiat unio, qua constituitur hoc compositum Christus, dicetur Verbum Caro factum. Confirmatur ex eodem Concil. cap. 13. Ubi de Christo ex Virgine nato ait, quod ex ea natum sit sacrum illud corpus animatum anima rationali, cui substantialiter adunatum *Dei* Verbum; quibus verbis clarè significat substantialem nexum inter ista extrema; ergo &c.

534. Probatur 3. Ex *Div.* Thom. 3. part. quæst. 2. art. 7. Ubi hæc habet; respondeo dicendum, quod unio, de qua loquimur, est relatio quædam, quæ consideratur inter divinam naturam, & humanam, secundùm quod conveniunt in una persona Filii Dei; sicut autem in prima parte dictum est, omnis relatio, quæ consideratur inter *Deum*, & creaturam, realiter quidem est in creatura, per cujus mutationem talis relatio innascitur, non autem est realiter in Deo, sed secundùm rationem tantùm, quia non innascitur secundùm mutationem Dei; sic ergo dicendum, quòd hæc unio, de qua loquimur non est in Deo realiter, sed secundùm rationem tantùm, in humana autem natura, quæ creatura quidem est, realiter est, ideò oportet dicere, quod sit quoddam creatum. Ex quo ita conficitur argumentum; unio hypostatica ex *Div.* Thom. est quid creatum, & id, per quod intrinsecè, sive per innascentiam mutatur humanitas; sed quid creatum distinguitur realiter à Verbo, & ab intrinseca *Dei* volitione, quamquàm sit objectum creatum volitionis divinæ, & id, per quod mutatur intrinsecè humanitas, distinguitur realiter ab humanitate, ut per se patet; ergo unio est realiter distincta à Verbo, volitione *Dei*, & humanitate

Confirmatur omnibus illis rationibus, quibus in Philosophia probatur, unionem humanam esse modum realiter distinctum ab extremis, eò quòd sint necessaria ad constituendum totum substantiale, possintque extrema reperiri, quin sint unita, cúmque non possint de non unitis fieri substantialiter unita, quin de novo adveniat aliquis modus substantialis tollens indifferentiam; id ipsum dici oportet de Verbo, & humanitate, quæ cùm possint esse non unita, nequeunt fieri substantialiter unita sine nexu substantiali intermedio tollente indifferentiam extremorum; ex quibus facilè impugnabis aliquas Thomistarum responsiones 535.

Assero 2. Unio hypostatica est realiter distincta ab unione naturali humanitatis, qua anima, & corpus Christi *Domini* inter se copulantur ad constituendam naturam humanam. Probatur 1. unio hypostatica terminata fuit ad Carnem animatam anima rationali; atqui Caro animata anima rationali est Caro unita animæ rationali; ergo unio hypostatica terminata fuit ad Carnem, quæ prioritate quasi naturæ unita erat animæ rationali, ac proinde distinguitur ab unione inter carnem, & animam rationalem. Minor, & consequentia tenent; major est certa ex Synodo Constantin. V. Can. 4. Ubi contra Nestorianos sic ait: *sed non confitentur, sicut Sancti Patres docuerunt, unitatem Dei Verbi ad Carnem animatam anima rationali*: tum etiam ex Ephes. sup. cit. Ubi de Verbo dicit; *quod Carnem animatam anima rationali sibi copulaverit*, quod habet etiam Div. Thom. plurimis in locis, sic in tertium dist. 6. quæst. 3. art. 1. *Ad secundum dicendum, quòd Damascenus loquitur, quantum ad unionem divinitatis ad humanam* 536.

natu-

naturam, ex qua non consurgit tertia natura speciei, non quantum ad unionem, aut ad corpus, & ad tertium, compositio animæ rationalis ad Carnem est ultima in operibus naturæ, sed compositio humanitatis ad personam Verbi non fit operatione naturæ, sed virtute divina; quibus Verbis ostendit unionem animæ ad corpus esse naturalem, unionem verò humanitatis ad Verbum esse supernaturalem, ac proinde distinctam

537. Probatur 2. Ex Trid. sess. 13. cap. 2. Ubi loquendo de præsentia Christi in Eucharistia, inquit existere, *corpus quidem sub specie Panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamq; sub utraq; vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur, divinitatem porro propter admirabilem ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem.* Unde sic arguo: Concilium distinguit unionem, vi cujus anima existit in Eucharistia, ab unione, vi cujus ibi existit divinitas; illam enim vocat naturalem, istam verò admirabilem, & hypostaticam, ita, ut anima existat in Eucharistia ratione unionis, quam habet cum corpore, & divinitas ratione unionis hypostaticæ, quam habet cum humanitate; ergo ex mente Concilii unio, qua anima unitur corpori, distinguitur ab unione hypostatica, qua divinitas unitur humanitati. Confirmatur ex Div. Thom. in 3. dist. 2. quæst. 2. art. 3. Ubi ait. *Hæc quatuor necesse est se fecisse, scilicet conceptionem Carnis, creationem animæ, conjunctionem utriusque, & unionem cum Deitate*

538. Assero 3. Unio hypostatica neque stat, neque stare potest in speciali influxu Verbi. Probatur 1. ex Concil. Later. cap. *firmiter* de summa Trinitate, ubi de Filio sic loquitur: *à tota Trinitate communiter incarnatus ex Maria semper Virgine.* Ex Toletano 6. sub Honorio cap. 1. *tota cooperata est Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis.* Ex Toletano 11. in Confessione Fidei: *Incarnationem quamquam hujus Filii Dei tota Trinitas cooperata esse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis*: ergo unio hypostatica facta fuit ex influxu totius Trinitatis, & non solius Verbi. Confirmatur 1. Christus Joannis 5. de se ait: *non potest à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter faciet.* Unde Sancti Patres unanimiter docent, omnes actiones ad extra esse toti Trinitati communes, ut videri potest apud Ruiz de Montoya disp. 110. de Trinitat. sect. 2. sed exinde clarè infertur, unionem hypostaticam non stare in speciali influxu Verbi; ergo &c.

539. Confirmatur 2. Efficere unionem nectentem duo extrema, non est uniri extremis; aliter Petrus producens Paulum, & generans unionem inter corpus Pauli, & animam, uniretur Paulo, & tota Trinitas efficiens omnes physicas uniones hominum, uniretur physicè omnibus hominibus, quod absque hæresi dici non potest. Unde influxus effectivus, & specialis Verbi est impertinens ad peculiarem unionem Verbi cum humanitate; ac proinde unio hypostatica debet esse nexus substantialis productus à Trinitate tota, nectens Verbum cum humanitate. Unde Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 4. cùm dixisset: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus uti inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur.* Addit: *hæc autem mea fides est, quoniam hæc est Catholica fides*; ergo &c.

Probatur 2. pars conclusionis contra Arriagam, Prudentium, & Ripaldam variis in locis dubitantes in oppositum: etenim Sanctiones Conciliorum, & Patrum adductæ loquuntur etiam de possibili, quippe nituntur inseparabilitate operum Divinorum ad extra, quæ quidem opera vocantur non solùm à Conciliis, & PP. inseperata, sed etiam inseparabilia; ergo Unio hypostatica non solùm non defacto, verùm neq; de possibili fieri potuit per peculiarem influxum Verbi, sive per influxum, qui non esset toti Trinitati communis. Confirmatur 1. Omnia posse, sive quod idem est, omnipotentia, quæ est virtus productiva ad extra, est virtus simpliciter infinita, & communis toti Trinitati: ergo est necessitas, ne sit ens ad extra, quod ab ipsa non sit, aut ullus modus essendi, qui non producatur ab ipsa: si enim daretur ens, quod ab omnipotentia non foret, aut modus essendi, qui non emanaret ab ipsa, jam non esset virtus omnipotens; atqui, quod *Deo* convenit ratione prædicati communis, convenit toti Trinitati; ergo relatio ad extra est pendens à tota Trinitate. Confirm. 2. quia hæc divisio actionum ad extra videtur sapere Arianismum, ut constabit ex erroribus legendis apud Ruiz loco citato.

Respondebis ex Prudentio, posse hæc ita componi, ut opus ad extra sit ex attributo omnipotentiæ, simulque ex notionali virtute specialiter ab una persona. Contrà tamen 1. Vel ille specialis influxus diceret specialem, & diversam actionem ab actione, qua opus ad extra penderet à tota Trinitate, vel non? Si primum: ergo jam esset aliqua actio ad extra, quæ in omnipotentia contenta non sit, ac proinde, quæ non sit communis toti Trinitati; si secundum, ergo operatur aliqua persona ad extra dissimiliter, ac alia, contra verba Christi de Patre dicentis Joannis 5. *quæcunque ille fecerit, hæc & Filius similiter faciet.* Contrà 2. Repugnat *Deo* esse omniscium ex prædicato communi, & quòd possit Filius aliquid scire, quod non sciat Pater, aut modo aliquo speciali sciendi, quem Pater non sciat: ergo repugnat *Deo*, esse omnipotentem ex prædicato generali, & quòd Filius aliquid producat, vel aliquo speciali influxu, quod Pater non producat. Ex dictis

Ex

542. Fit 1. contra Bernal, Unionem hypoſtaticam realiter diſtingui ab actione productiva humanitatis; ratio eſt, quia, cùm Verbum divinum aſſumpſerit humanitatem vi Unionis hypoſtaticæ, ſe habet pro ſigno priori ad eam unionem humanitas aſſumpta; atqui humanitas non poteſt ſe habere pro ſigno priori ad actionem productivam: ergo Unio hypoſtatica realiter diſtinguitur ab actione humanitatis productiva. Quamobrem Unio hypoſtatica non eſt illa actio, ſed id, quo ejus actionis terminus aſſumitur. Unde ſicut unio termini eſt pro ſigno poſteriori ad terminum, ita Unio hypoſtatica eſt pro ſigno poſteriori ad humanitatem; humanitas autem eſt pro ſigno poſteriori ad ipſius actionem productivam, ac proinde Unio hypoſtatica multò magis erit pro poſteriori ad actionem productivam humanitatis, quæ eſt expreſſa *Div.* Thomæ doctrina 3. part. quæſt. 4. art. 2. ubi ait: *Illud, quod aſſumitur, oportet præintelligi aſſumptioni, ſicut illud, quod movetur localiter, præintelligitur ipſi motui.* Idcirco dependentia humanitatis à Verbo vi Unionis hypoſtaticæ non eſt à priori tanquam à cauſa, ſed eſt dependentia à poſteriori tanquam á termino ſubſtantiali ſupplente defectum propriæ ſubſiſtentiæ, cum quo conſtituit unum totum per ſe, ſive unum ſuppoſitum.

543. Fit 2. Unionem hypoſtaticam eſſe entitativè ſupernam inter purè creatam. Ratio eſt, quia ſuperat vires, & exigentiam totius naturæ, cui eſt omnino indebita, & ratione cujus verè dicitur: DEUS eſt homo, & homo eſt DEUS, quod ſanè nullum aliud donum creatum efficere poteſt. Unde ſi tres divinæ Perſonæ carnem aſſumerent, tres illæ hypoſtaticæ uniones non eſſent donum intenſivè, ſed tantùm extenſivè majus, quàm una ſola unio hypoſtatica; ſiquidem *D*eus homo vi unius unionis hypoſtaticæ conſtitutus continet omnem perfectionem poſſibilem, ac proinde in dono unionis hypoſtaticæ continentur eminenter omnia dona creata.

544. Fit 3. Cauſam principalem effectricem hypoſtaticæ unionis eſſe ſolam Trinitatem; exinde autem non tollitur, quin Beata Virgo potuerit eſſe cauſa effectiva inſtrumentalis, ſeu elevata ad ſupernaturalem illum nexum producendum, quamquàm enim hoc influxu explicari poſſet, quomodo Beatiſſima Virgo ſit Mater Dei, ut infrà conſtabit, & multò meliùs, & clariùs percipitur, ſi dicatur, ut cauſam inſtrumentalem elevatam produxiſſe unionem hypoſtaticam; nam in hoc caſu non minùs diceretur Mater Chriſti, quàm quævis altera dicatur mater puri hominis; ſiquidem puri hominis mater dicitur propriè mater; quia producit unionem, vi cujus conſurgit totum, quod eſt homo: ergo ſi Deipara dicatur produxiſſe unionem hypoſtaticam, vi cujus reſultat totum, quod eſt homo Deus, clarè, & perſpicuè appareret, quomodo ſit Mater Dei. Cæterùm in hac hypotheſi adhuc diceretur Deipara mater naturalis, non quidem prout naturale opponitur ſupernaturali, ſed prout opponitur artificiali, adoptivo, & legali. Vide Bernal Diſputatione 19. ſect. 2.

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

OBjic. 1. contra primam aſſertionem ex Gonnet, ratio, ut ait, fundamentalis. Per illud Verbum divinum unitur actu, & formaliter humanitati aſſumptæ, per quod exercet in ea rationem ultimi termini, & complementi; ſed exercet in ea rationem ultimi termini formaliter per ſuam perſonalitatem abſque alio intermedio; ergo per illam formaliter abſque alio etiam modaliter diſtincto illi unitur. Confirmatur. *D*eus ſecundùm ſe indifferens, ut velit, aut nolit uniri humanitati, conſtituitur determinatè volens uniri per aliquod realiter ab ipſo Deo indiſtinctum; ergo ſimiliter Verbum divinum ſecundùm ſe indifferens, ut in tempore uniatur, vel non uniatur humanitati, conſtituitur determinatè unitum per aliquod realiter indiſtinctum à Deo. 545.

Reſpondeo diſt. maj. per illud unitur ut *quod*, per quod exercet rationem ultimi termini, conc. unitur ut *quo*, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam; quia, licèt perſonalitas Verbi ſit illa, quæ ut *quod* complet humanitatem, non eſt illa, quæ ſe habet ut *quo*; ſicut quando unitur albedo parieti, albedo eſt, quæ dealbat ut *quod*, non verò ut *quo*; nam hoc tantùm convenit unioni albedinis, quod agnoſcere tenetur Adverſarius, velit, nolit, in hac retorſione, cùm doceat, præſentiam eſſe modum diſtinctum à re locata, & loco extrinſeco; ſic enim per id corpus eſt præſens loco, per quod correſpondet loco; ſed correſponder per ſuam entitatem: ergo eſt præſens per ſuam entitatem, & non per diſtinctum modum præſentiæ. Ad confirmationem conc. antec. nego conſequentiam; quia velle Dei non eſt opus ad extra, ſed ad intra, & proinde non eget modò diſtinctò; at vero incarnari eſt opus ad extra, quod ſine modo diſtincto evenire non poteſt; cùm in eo modo non poſſit dari eſſentialis indefectibilitas identificata cum contingentia, qualis reperitur in actibus liberis Dei. 546.

Objicies 2. Quod eſt indifferens, ut ſit dextrum, vel ſiniſtrum alterius, poteſt conſtitui dextrum, vel ſiniſtrum determinatè nulla facta reali additione vel ſiniſtro, vel dextro, vel utrique: ergo etiam quod eſt indifferens, ut ſit unitum, poteſt ad alterutrum horum determinari nulla facta additione, aut detractione modi realiter diſtincti. Confirmatur. Si unio hypoſtatica eſſet modus realiter diſtinctus à Verbo, & humanitate, eò ipsò, quòd adveniret naturis completis, eſſet accidens; ergo non eſt modus diſtinctus realiter ab extremis. Reſp. 547.

nego antec. quia, ut ipsi Thomistæ docent, diversa præsentia requirit diversum modum, & proinde ut sit dexter ille, qui erat sinister, opus est medio præsentiæ distincto. Ad confirmationem nego antec. quia unio hypostatica, licèt adveniat humanitati tanquam extremo completò in ratione naturæ, advenit illi tanquam extremo substantialiter incompleto in ratione suppositi, ac proinde conducit, ut natura à subsistentia Verbi substantialiter compleatur, & maneat in unitate suppositi; hoc autè non habent modi accidentales, cùm non uniant unam substantiam alteri ad illam complendam.

548. Objicies 3. Si unio hypostatica esset modus realiter distinctus, esset imperfectissima, quod est contra Sanctos Patres, qui illam appellant perfectissimam, admirabilem, & incomprehensibilem; ergo non est modus &c. Prob. antec. De ratione modi est esse imperfectissimum; siquidem nec entitatis, nec realitatis, nec rei nomen absolutè meretur; ergo &c. Confirmatur. Si unio hypostatica esset modus realiter distinctus à Verbo, esset productus à tota Trinitate; sed non est productus à tota Trinitate; ergo &c. Probatur min. Illi, cui convenit esse causam ad extremum assumptum, convenit assumere; atqui tota Trinitas non assumpsit humanitatem; ergo tota Trinitas non produxit unionem.

549. Respondeo nego antec. ad probationem nego antec. quia, licèt de ratione modi sit, quòd minorem habeat perfectionem, quàm unum saltem ex suis extremis; at non est, quòd sit imperfectior quocunque alio extremo; major enim, vel minor perfectio desumenda est à majori, vel minori conjunctione cum Deo, cúmque in hac conjunctione unio hypostàtica excedat reliqua dona creata, erit exinde perfectior reliquis donis creatis, quæ entitates sunt, & licèt esse Dominum æstimabilius appareat, quàm esse ministrum Domini; at esse primum Regis ministrum æstimabilius est propter majorè conjunctionem cum Rege, quàm esse primum Dominũ domûs plebejæ. Sic etiam de unione hypostatica dicendum est respectu aliorum donorum vel naturalium, vel supernaturalium. Ad confirmationem nego min. ad probationem dist. maj. cui convenit esse causam solùm, nego, cui convenit esse causam unionis, & ad se sumere unionem, conc. maj. & dist. min. nego conseq. quia, licèt tota Trinitas producat unionem, solum Verbum divinum sumit ad se unionem, quam producit, ideóque dicitur extremum assumens. Unde licèt tota Trinitas dicatur activè unire producendo unionem, non dicitur passivè uniri, quia non terminat illam unionem tota Trinitas, sed solum Verbum; sic assumi dicitur uniri absque productione unionis, saltem tanquam à causa principali; & quia hoc convenit humanitati, assumitur humanitas à Verbo.

550. Objicies 4. Non repugnat de potentia absoluta, quòd Verbum divinum uniatur substantialiter humanitati per solum actum liberum divinæ volitionis identificatum cum Deo; ergo ita dicendum est defactò contigisse. Confirmatur. Si unio hypostatica non esset actus identificatus cum Deo, sed modus realiter ab ipso distinctus, darentur partiales uniones hypostaticæ; sed hoc absque fundamento diceretur; ergo &c. Respondeo nego antec. quia volitio DEI non operatur ad extra, nisi mediâ omnipotentiâ producente; at si vult fieri aliquod compositum physicum, quod antea non erat, necesse est, ut producat id, quod antea non erat, & sine quo non potest esse compositum; unde nunquam poterit ponere unitum sine unione, 553.
neque album sine albedine. Ad Confirmationem conc. maj. nego min. quia plures sunt rationes gravissimæ ad admittendas plures uniones hypostaticas partiales, ex quibus constituitur una unio totalis; quædam enim pars unionis hypostaticæ uniebat Animam Christi cum Verbo, & hæc erat unio spiritualis; siquidem habebat duo extrema spiritualia, independebatque à re sensibili, alia pars uniebat materiam primam, sive corpus cum ipso Verbo, quæ etiam erat divisibilis juxta divisibilitatem partium, quas uniebat cum Verbo, & hæc erat materialis; siquidem habebat extremum materiale, imò juxta alios dabatur etiam partialis unio hypostatica nectens naturalem unionem humanitatis cum Verbo.

Quòd autem necesse sit, admittere partiales uniones cum Verbo, ex eo patet, quia in triduo mortis Christi permanserunt corpus, & anima cum unione ad Verbum, & sine unione inter se, quæ destructa fuit, quando Christus mortuus est; unio autem animæ ad Verbum semper fuit indivisibilis; quia licèt replicaretur anima in partibus acquisitis per nutritionem, & separaretur à corpore, quando descendit ad Inferos, semper in se manebat indivisibilis cum eodem indivisibili extremo, nempe Verbo, quod ubique est; partes autem acquisitæ ab humanitate Christi in nutritione non poterant uniri Verbo per unionem indivisibilem, ac proinde per partialem unionem hypostaticam, quæ reliquis partibus adveniebat: non enim possumus negare in Christo naturalem nutritionem; unde Div. Thomas 3. part. quæst. 33. art. 1. ad 4. ait: *augmentum corporis Christi fuit factum potentiâ augmentativâ Animæ Christi, quæ, cum sit conformis speciei animæ nostræ, eodem modo debuit corpus illud augmentari, sicut & alia hominum corpora augmentantur, ut ex hoc ostenderetur veritas humanæ naturæ.* 554.

Idcirco unio hypostatica terminata ad corpus erat divisibilis, & capax augmenti, & diminutionis; illa verò, quæ terminabatur ad animam, erat indivisibilis, & incapax diminutionis, & augmenti: ea verò, quæ in plurimum sententia terminabatur ad unionem humanam inter corpus, & animam, erat etiam materialis; unde licèt hæc amissa fuerit deficiente unione inter corpus, & animam in morte Christi, nunquam defecit unio nectens corpus cum 555.
Verbo

Verbo, nec unio nectens animam cum Verbo. Unde S. Fulgentius lib. 3. cap. 13. ab ipſo Conceptionis virginalis exordio ſic in Chriſto perſonalitas unita manſit, ut in morte divinitas nec ab anima, nec à carne poſſet ſeparari ſuſcepta. Cæterùm, cùm iſtæ partiales uniones omnes tenderent ad idem indiviſibile Verbum divinum tanquam extremum, & ad conſtituendum unum ſolum ſuppoſitum, ex ea ordinatione habebant, ut unam totalem unionem hypoſtaticam conſtituerent.

553. Objicies 5. contra ſecundam aſſertionem plura Patrum teſtimonia videnda apud Bernal diſp. 12. præſertim Auguſtini cap. 36. in Enchyridio de Chriſto dicentis: *inde cœpiſſe, & inde incepiſſe, & ipſa ſusceptione factum eſſe*; & Joannis 2. Epiſt. 3. Decretali, quæ extat apud Baronium Tom. 7. art. 534. ubi de unitate Perſonæ reddens rationem Pontifex ait: *non ante exiſtente carne, & poſtea unita Verbo, ſed ab ipſo Deo Verbo initium, ut eſſet, accipiens ex materno corpore ſumpſit initium*; atqui hæc expleri non poſſunt, ſi unio inter corpus, & Animam Chriſti non ſit etiam unio hypoſtatica; ergo &c. Reſpondeo conc. maj. nego min. quia ea teſtimonia ſolùm ſignificant, non extitiſſe humanitatem Chriſti priùs tempore, quàm eſſet unita, non autem, quòd non extiterit prioritate naturæ ad unionem hypoſtaticam, imò potiùs hanc prioritatem ſupponunt, cùm docent, Verbum divinum fuiſſe unitum carni animatæ anima rationali, ut conſtat alibi; quod etiam conſtat ex Epiſtola Sophronii approbata à Synodo VI. actione XI. ubi loquendo de Corpore, & Anima Chriſti hæc habet: *non ante veriſſimum ipſius Verbi conventum in ſe ipſis unquam extiterunt, vel cujuspiam ſecundum nos alterius hominis penitus extiterunt, ſed cum Verbi ipſius naturali conventu ſubſiſtentiam habitura concurrerunt, & nec quantum in ictu oculi hanc, quam illam priorem habentia, ſicut Paulus Samoſatenus, atque Neſtorius.*

554. Objicies 4. Si unio inter corpus, & animam Chriſti non fuiſſet hypoſtatica, Beatiſſima Virgo non fuiſſet propriè, & phyſicè Mater Dei; hoc eſt hæreticum: ergo &c. Probatur maj. Si illa unio non eſſet etiam unio humanitatis cum Deo, Beatiſſima Virgo ſolùm diceretur Mater Dei, quatenus produxit humanitatem, cui contingenter advenit, & valde per accidens uniri Deo; ſed hoc non ſufficit, ut Beata Virgo dicatur verè, & propriè Mater Dei; aliter qui producit lignum, cui per accidens advenit calor, diceretur propriè producere lignum calidum; ergo &c. Reſpondeo nego maj. ad probationem diſt. maj. advenit per accidens uniri cum Deo accidente Logico, conc. accidente phyſico, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam.

555. Ratio eſt, quia perſonalitas Verbi non advenit humanitati ut accidens phyſicum, ſed ut ſubſtantia complens humanitatem, & cum ea conſtituens unum totum per ſe; ſic enim forma rationalis, licèt adveniat materiæ primæ, ut accidens Logicum, advenit tamen ut extremum phyſicum ſubſtantiale; quia conſtituit cum materia prima totum phyſicum ſubſtantiale. Unde cùm denominatio, ut docent Theologi cum Divo Thoma, cadat ſupra totum ſuppoſitum Beatæ Virginis, eò ipsò, quòd producat humanitatem, cui, ut bene monet Aldrete diſput. 39. ſ. 5. n. 18. in eodem productionis inſtanti ſubſtantialiter unitur perſonalitas Verbi ad conſtituendum cum illa unum totum per ſe in eadem perſona, dicitur verè, & propriè Mater DEI. Sic enim habet Concilium Epheſinum Can. 13. *in tali ſenſu fuiſſe Sanctos Patres comperimus, ideóque illi non dubitárunt, Sanctam Virginem dicere Theotocon, id eſt, DEI Matrem, non quidem, quòd Verbi natura, Deitásque in S. Virgine ſumpſit exordium, ſed quia ex ea natum ſit Sacrum illud corpus animatum anima rationali, cui ſubſtantialiter adunatum Dei Verbum carnaliter natum eſſe dicitur.* Quamquàm hæc ſatis ſint ad ſolutionem argumenti, ſolvi etiam poſſet, admittendo, Beatam Virginem ut cauſam inſtrumentalem produxiſſe unionem hypoſtaticam, quod poſſibile defendit Lugo diſput. 11. ſect. 1. & Arriaga diſp. 20.

556. Objicies 6. contra tertiam aſſertionem ex Petro Abra de Raconis: Verbum divinum poteſt habere ſpecialem terminationem paſſivam in humanitatem, quod non habet Pater, & Spiritus Sanctus; ergo etiam poterit habere ſpecialem influxum, ſeu terminationem activam, ac proinde unio hypoſtatica, & dependentia unionis à Verbo bene poteſt ſtare in ſpeciali influxu activo Verbi in humanitatem. Retorqueo argumentum: Verbum divinum poteſt uniri humanitati, cui non unitur Pater, nec Spiritus Sanctus: ergo etiam poteſt producere humanitatem, quam non producat Pater, & Spiritus Sanctus.

557. Reſpondeo deinde conc. antec. nego conſequentiam; quia terminare paſſivè eſt ſe habere tanquâ extremum, quod exigitur ab unione hypoſtatica reſpiciente humanitatem Filii ut diſtinctam realiter à paternitate, & ſpiratione paſſiva: etenim terminationes paſſivæ non ſunt communes toti Trinitati, nec proveniunt à prædicato communi. Sic una perſona mittitur, quin mittatur alia, & apparet, quin apparet alia, ut apparuit Pater ſuper Jordane, & Spiritus Sanctus in Cœnaculo. Ex quo clarè conſtat, terminationem paſſivam convenire perſonis ratione prædicati peculiaris, & cùm perſonalitas Filij non ſit perſonalitas Patris, neque perſonalitas Spiritûs Sancti, bene poterit Filius ratione filiationis terminare humanitatem, quam nec Pater, nec Spiritus Sanctus terminat. At verò producere, & influere ad extra, convenit perſonis divinis ratione omnipotentiæ, quæ eſt prædicatum commune tribus perſonis, ideóque nullam habet omnipotentiam Pater, quam non habeat Filius, & Spiritus Sanctus, aut viciſſim, ideóque non

non poterit Filius influere activè in humanitatem, quin simul influant Pater, & Spiritus S. Ex dictis

558. Fit 1. Unionem hypostaticam non solùm esse maximam dignitate inter omnes uniones creatas, verùm etiam esse maximam in linea unionis ratione ejus, in quo duæ naturæ uniuntur, non autem ratione earum partium, quæ uniuntur; ratio est, quia perfectio comparativa unionis non desumitur ex eo, quòd extrema naturaliter exigant talem unionem, sed ex eo, quòd per illam uniantur partes in aliquo maximè uno; atqui per unionem hypostaticam uniuntur partes humanitatis in subsistentia, & persona Verbi, quæ est maximè una, & simplex; ergo licèt unio hypostatica non sit in linea unionis maxima ratione earum partium, quæ uniuntur, est tamen maxima ratione ejus, in quo uniunrur. Hæc autem ratio non militat in unione accidentium humanitatis; nam cùm Verbum non uniat sibi immediatè accidentia, quæ non subsistunt per subsistentiam Verbi, sed subjectantur in humanitate, quæ non est maximè una, unio accidentium dici nequit maximè una; quod idem dicendum de unione naturali inter corpus, & Animam Christi.

559. Fit 2. Tres Personas divinas simpliciter esse magis unum in essentia, quàm in Christo duæ naturæ sint unum in Persona Verbi. Ratio est, quia tres Personæ divinæ non sunt unum cum natura divina per unionem, sed per realem identitatem, quæ incomparabiliter est major unitas, quàm unitas per unionem; at in Christo duæ naturæ, licèt sint unum in persona, quæ est maximè una, non tamen habent maximam unitatem cum persona; siquidem natura humana non identificatur cum Persona Verbi; Ex quo etiam fit, Deum, & hominé esse magis unum in ratione suppositi, quàm in Trinitate sint in ratione suppositi unum Pater, Filius, & Spiritus S. qui non sunt unum, sed tria suppositа; non tamen sequitur, quòd Deus, & homo in Christo sint magis unum simpliciter, sed tantùm secundùm *quid*; quia in divinis ea tria suppositа non habent inter se physicam unionem, sed identitatem cum natura divina, in quo stat excessus unitatis simpliciter.

SECTIO III.

De Communicatione Idiomatum.

560. SUppono 1. certum esse apud Philosophos, resultare ex unione hypostatica communicationem idiomatum, vi cujus ea, quæ dicuntur de DEO, dicuntur etiam de homine, & è converso; idioma quippe græcè significat idé, ac latinè proprietas, seu proprium.. Unde communicatio idiomatum est, quòd propria unius naturæ dicantur de altera per unionem in supposito, seu persona; quòd autem proprium unius naturæ dicatur de altera, dupliciter potest intelligi; primò ita, ut una natura cum suis proprietatibus dicatur de altera in abstracto; secundò ita, ut non possit dici in abstracto, sed in concreto, quatenus una natura in concreto ejusque proprietates, seu prædicata, quæ de illa dicuntur inconcreto, dicantur de altera etiam in concreto, & non in abstracto.

Suppono 2. ad prædicationem unius de altero in concreto sufficere, quòd id, quod concretum dicit per modum subjecti, identificetur cum subjecto propositionis, licèt non identificetur cum subjecto propositionis id, quod in concreto dicitur per modum formæ: V. G. hæc est vera propositio: Petrus est albus, quia in hoc concreto album, quod se tenet ex parte prædicati, Petrus dicitur per modum subjecti, & albedo per modum formæ, cùmque illud subjectum concreti identificetur cum subjecto propositionis, quod est ipse Petrus, propositio illa est vera, quamvis forma, scilicet albedo non identificetur cum Petro. Quamobrem, cùm istud concretum *homo* dicat humanitatem tanquam formam, & subsistentiam tanquam subjectum, cui advenit humanitas, & istud concretum *Deus* dicat tanquam formam Deitatem, & tanquam subjectum eandem subsistentiam, cui advenit divinitas, exinde apparet, quo in sensu verè prædicemus: Deus est homo, homo est Deus.

Suppono 3. Quòd ad multiplicationem concretorum requiritur, quòd multiplicentur illa, quæ significantur per nomen concreti primariò, & principaliter juxta impositionem nominis datam ipsi concreto, ex quo oritur magnum discrimen quoad multiplicationem substantialium concretorum inter istud concretum personæ, & inter concreta homo, & Deus. Ratio est, quia nomen concreti, per quod significatur persona, impositum est ad significandum primò, & personaliter tantùm personalitatem, seu hypostasin; unde tot erunt personæ sub eadem natura, quot erunt hypostases, seu personalitates; idcirco in Conciliis pro eodem sumuntur personæ, & subsistentiæ. Sic Concil. Ephes. Can. 4. *si quis in personis duabus, vel subsistentiis &c.* & in Constantin. *si quis non confitetur, Dei Verbum carni substantialiter uniri, & propterea unam ejus subsistentiam, vel unam personam &c. Anathema sit*; & in Epist. Sophronij, quæ habetur Synodo generali 6. act. 11. & postea act. 13. à tota Synodo approbata est, ita dicitur: *Trinitati itaque in unitate credimus, & in unitate Trinitatem glorificamus; Trinitatem quidem propriis subsistentiis, unitatem autem propter singularitatem Deitatis.*

At verò istud concretũ homo, & istud, Deus, juxta nominis ipsius impositionem non tendit ad

ad significandum principaliter vel solam formam, vel solam personalitatem, sed utrumque simul, unde ad multiplicationem horum concretorum satis non est, ut multiplicetur sola personalitas, vel ut multiplicetur sola forma, sed requiritur indispensabiliter, ut utrumque simul multiplicetur, quod satis infertur ex eodem Synodo 6. supra cit. quæ declarat, non multiplicari concretum, Deus, licèt multiplicentur personalitates; quia Deitas non multiplicatur, sed est una indivisibilis, & singularis: ex quo intulit Div. Thom. 3. part. quæst. 3. art. 6. & 7. quòd, licèt tres Personæ divinæ assumerent eandem naturam humanam, non essent tres homines, sed unus homo, & similiter licèt una divina Persona assumeret tres humanitates, non essent tres, sed unus tantùm homo; quia nec in primo, nec in secundo casu multiplicarentur hæc duo, nempe & personalitas, & natura, sed in primo casu multiplicarentur tantùm personalitates, & in secundo tantùm natura, sic enim habet eo art. 7. ad secundum: *Nominibus utendum est, secundùm quod ad significandum sunt imposita, quod quidem est ex consideratione eorum, quæ apud nos sunt, in quibus nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum; homo enim, qui est duobus vestimentis indutus, & qui habet duas qualitates, dicetur singulariter aliqualis secundùm duas qualitates; natura autem assumpta secundùm aliquod se habet per modum indumenti, licet non sit similitudo, quantùm ad omnia, & ideò, si persona divina assumeret duas naturas humanas, propter unitatem suppositi diceretur unus homo habens duas naturas humanas*, ex quo etiam infertur, cur satis sint tres hypostases in divinis cum una natura divina, ut dentur tres personæ, & satis non sint, ut dentur tres Dii. Ex dictis

564. Assero 1. cum omnibus Catholicis, vi unionis hypostaticæ resultat idiomatum communicatio, ratione cujus potest verè, & propriè dici tum proprietate terminorum, tum proprietate prædicationis: *Deus est homo, homo est Deus.* Probatur 1. De supposito alicujus naturæ completæ verè, & propriè prædicatur concretum significans illam naturam, quæ dicitur tanquam forma, & subjectum illius ex parte prædicati, quod identificatur cum subjecto propositionis, ut constat ex num. 561. eo pacto, quo Petrus, qui est suppositum naturæ humanæ, verè, & propriè dicitur homo; cùm autem *Deus* sumi possit *pro Deo Filio*, qui vi unionis hypostaticæ est suppositum naturæ humanæ, verè prædicari potest *Deus est homo*, siquidem id ipsum, quod dicit hoc concretum Deus, tanquam subjectum, nempe personalitatem, dicit etiam hoc concretum homo tanquam subjectum, nempe eandem personalitatem; sed exinde perspicuè apparet quomodo tum proprietate terminorum, tum proprietate prædicationis verè dicamus: *Deus est homo*, *homo est Deus*; ergo &c. Confirm. eò ipsò, quod homo sumi possit pro quolibet singulari supposito naturæ humanæ, ac proinde etiam pro Filio Dei, qui in Christo est suppositum humanæ naturæ, potest verè, & propriè prædicari de Filio Dei, *Deus*; sed eadem est ratio, ut verè, & propriè prædicetur de Filio Dei, *homo*; ergo &c.

Probatur 2. Et explicatur ulteriùs eadem ratio. Eò ipsò, quod hoc, quod revera est suppositum, & subjectum respectu albedinis & dulcedinis habet albedinem & dulcedinem, potest verè, & propriè dici proprietate terminorum, & proprietate prædicationis, non solùm: hoc est album, hoc est dulce; sed etiam dici potest: album est dulce, dulce est album; ergo quia Filius Dei est suppositum, in quo simul est natura divina, & humana, potest dici verè, & propriè, tum proprietate terminorum, tum proprietate prædicationis non solùm: Filius Dei est Deus, Filius Dei est homo, sed etiam: Deus est homo, homo est Deus. Confirmatur sicut per istam prædicationem, album est dulce, significatur subjectum, seu suppositum dulcedinis, sic per hanc propositionem, Deus est homo, significatur suppositum naturæ humanæ; ergo sicut verè dicimus: hoc est dulce, hoc est album, album est dulce, dulce est album, ita verè dicimus: Filius Dei est Deus, Filius Dei est homo, homo est Deus. 565.

Assero 2. Contra Nestorianos ex doctrina Cyrilli approbata in Concil. Ephes. can. 4. Non solùm potest dici: Deus est homo, homo est Deus, sed etiam, quæ dicuntur de Filio Dei in concreto, dici possunt de homine Christo in concreto, & è converso, sicque communicantur idiomata, seu prædicationes, & quæ dicuntur de Deo Filio, communicantur homini, & è converso, non quidem reduplicativè, sed specificativè. Probatur, & explicatur conclusio: Eò ipsò, quòd possit dici album est dulce, quæ dicuntur de albo in concreto, possunt dici specificativè de dulci in concreto, & è converso; sic dicitur: album disgregat visum, dulce disgregat visum, dulce delectat gustum, album delectat gustum; istæ namque prædicationes specificativè sumptæ significant idem subjectum, seu suppositum concretorum, proindéque sunt veræ propositiones proprietate terminorum, & prædicationis; qua ratione distinguuntur à proprietatibus reduplicativè sumptis cadente reduplicatione supra formã, in quibus nempe non significatur idem suppositum, seu subjectum, sed significantur formæ inter se realiter distinctæ, quæ ad invicem prædicari non possunt; non enim potest dici: albedo est dulcedo, vel è contra; quo in sensu reduplicativè dici non potest: album ut album est dulce, ut dulce est album. 566.

Dici autem verè, & propriè potest specificativè: albũ est dulce, dulce est album, album delectat gustum, dulce disgregat visũ; ergo eò ipsò, 567.

quòd dici possit in concreto: *D*eus est homo, homo est Deus, quæ dicuntur de Deo specificativè in concreto, possunt dici specificativè de homine in concreto, & è converso. Unde sicut dicitur: homo est Filius, Virginis, est natus, passus &c. Sic dici potest: Deus est Filius Virginis, passus &c. Et sicut dici potest: Deus, Filius fuit ab æterno, natus ex parte ante sæcula, sic potest dici: homo fuit ab æterno &c. Tum etiam immortalis est mortuus, impassibilis est passus; siquidem de Deo, qui est immortalis, & impassibilis, dicitur etiam, quòd sit mortuus, & passus. Confirmatur: quod dicitur de concreto specificativè, dicitur etiam de suppositio illius concreti specificativè; sed in Christo idem est suppositum Dei, & hominis &c. Quamobrem Deus est passus, mortuus &c. Significat: suppositum Deitatis est etiam homo, qui est passus, mortuus &c. Et, homo fuit ab æterno, natus ex Patre ante sæcula, significat: suppositum humanitatis fuit ab æterno, & natum ex Patre ante sæcula. Ex dictis

568. Fit 1. Ex veritate harum propositionum: *D*eus est passus, mortuus &c. Rectè inferri falsitatem harum contradictoriarum: DEUS non est passus &c. Ratio est, quia negatio cùm sit malignantis naturæ, negat universaliter, Deum passum, & mortuum esse etiam in natura humana. Unde satis non est, quòd habeant aliquem sensum restrictum verum, ut siquis diceret Filius DEI non est mortalis secundùm naturam divinam, ex quo etiam constat, falsas esse istas propositiones reduplicativas: homo, in quantum homo, est Deus fuit ab æterno &c. Deus Filius, in quantum Deus, est homo, natus in tempore &c. Quia nempe reduplicatio illa cadit supra formam hominis, quæ est natura humana, ac proinde sensus est: homo est Deus, & fuit ab æterno secundùm naturam humanam: & sensus alterius propositionis est: Deus est homo, passus &c. Secundùm naturam divinam; quæ propositiones falsæ sunt. Ex eadem ratione falsæ sunt istæ: Christus, in quantum homo, est Deus, in quantum Deus, est homo, cùm reduplicentur supra formas realiter inter se distinctas, ut rectè ait Div. Thom. 3. part. quæst. 16. art. 10. & 11.

569. Fit 2. Non posse concedi sine addito & expositione istas propositiones: Christus seu Filius Dei est creatura, incepit esse, est mutatus. Ratio est, quia propositiones, quæ ex usu hæreticorum determinatæ sunt ad sensum hæreticum, non possunt à Catholicis simpliciter admitti propter periculum erroris, ne eorum hæresi favere videamur, sed debent in sensu Catholico exponi; atqui allatæ propositiones ex usu Arianorum determinatæ sunt ad significandum, quòd Christus est creatura, & incepit esse non solùm secundùm naturam humanam, sed etiam secundùm suppositum Filii *D*ei, atque etiam ex usu Eutichianorum; Verbum dicitur mutatum, quatenus vi unionis, ut ajebant, natura humana erat conversa in divinam, vel è converso, quam mutationem gentiles contendunt inferendam fore in ipso Verbo, si incarnatur, ut vidimus solvendo eorum argumenta à n. 24. ergo simpliciter & absq; expositione Catholici sensûs admitti non possunt. Ex paritate rationis, quia hæc propositio, Christus est ubiq; ex usu Ubiquistarum determinata est ad significandum, quòd Christus etiam secundùm naturam humanam sit ubique, non est simpliciter admittenda, sed adhibenda limitatio, dicendo: Christus est ubiq; secundùm naturam divinam. Propter eandem rationem negat Ex. Doctor has propositiones, Christus est persona divina & humana, creata & increata. Unde approbare non possum loquutiones, quas proferunt Cajetanus, Valentia, Amicus, & Bernal. disp. 13. sect. 6. dicentes, Christum esse personam Theandricam, sive divino-humanam.

Fit 3. Communicationem idiomatum debere fieri in concreto, ut propositiones sint veræ, non autem in abstracto, ratio est, quia natura divina & humana in abstracto realiter distinguuntur, ac proinde dici non potest, quòd una sit alia. Unde ex defectu identitatis cum subjecto sunt falsæ hæ propositiones: humanitas est divinitas, est Deus, est omnipotentia, est omnipotens. Pariter istæ: divinitas est humanitas, est homo, & mortalis; quamobrem in prædicationibus per communicationem idiomatum cautè procedendum est, ne propositiones erroneas proferamus, & eviterur periculum, quando opus est. Unde ista est vera prædicatio: Deus factus est homo, ut constat ex Symbolo Fidei, & homo factus est, & Joann. 1. *Verbum Caro factum est.* Hæc autem falsa: homo factus est Deus; ratio est, quia in prima ly *factus* cadit supra humanitatem, quæ fit, & assumitur, in secunda verò caderet supra Deum, & Deus non fit, neque assumitur ab humanitate; cùm aliqui Patres eam propositionem proferunt, solùm intendunt, factum esse illud compositum, quod simul est Deus, & homo.

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

OBjicies 1. Contra primam Assertionem ad Communicationem idiomatum requiritur, ut verè, & propriè dici possint istæ propositiones: Deus est homo, homo est Deus; sed non possunt verè & propriè dici; ergo non datur communicatio idiomatum. Probatur min. hæc propositio, Deus est homo, est in materia remota, seu impossibili, sicut ista, homo est lapis; atqui propositio in materia impossibili non potest esse vera; ergo &c. Resp. conc. maj. nego min. ad probationem, nego maj. quia propositiones, quæ significant ex parte suppo-

sitis

ſiti, ſeu ſubjecti idem prædicatum ſubſtantiale ſui concreti non ſunt in materia remota, & impoſſibili, ſed in materia naturali, & poſſibili; cùm autem iſtæ propoſitiones Deus eſt homo, & homo eſt Deus, ex parte prædicati ſignificent idem ſubjectum, ſeu ſuppoſitum commune, non poſſunt dici eſſe in materia remota, & impoſſibili; unde non eſt eadem ratio relatè ad iſtas, homo eſt lapis, lapis eſt homo, nam iſtæ propoſitiones ſignificant ex parte concreti ſubjecta, & ſuppoſita realiter diſtincta, quæ eſt doctrina Div. Thom. 3. part. quæſt. 16. art. 1. Ubi ait: *Dicendum, quod quando formæ diverſæ non poſſunt convenire in unum ſuppoſitum, tunc oportet, quòd propoſitio ſit in materia remota, cujus ſubjectum ſignificat unam illarum formarum, & prædicatum aliam, ſed quando duæ formæ poſſunt convenire in unum ſuppoſitum, non eſt materia remota, ſed naturalis, vel contingens, ſicut eum dico album eſt unicum; natura autem divina & humana, quamvis ſint maximè diſtantes tamen conveniunt per Incarnationis Myſterium in uno ſuppoſito, cui neutra illarum ineſt per accidens, ſed per ſe, & ideo, hæc propoſitio Deus eſt homo, non eſt neque in materia remota, neque in materia coutingenti, ſed naturali, & prædicatur homo de Deo non per accidens, ſed per ſe, ſicut ſpecies de ſua hypoſtaſi, non quidem ratione formæ ſignificatæ per hoc nomen Deus, ſed ratione ſuppoſiti, quod eſt hypoſtaſis humanæ naturæ*

572. Objicies 2. Magis conveniunt tres perſonæ divinæ ad invicem, quàm humana natura, & divina, ſed in Myſterio Trinitatis non prædicatur una perſona de alia, non enim dicimus, quòd Pater eſt Filius, vel è converſo; ergo neque dici poteſt, quòd homo eſt Deus. Reſp. diſt. maj. magis conveniunt ratione naturæ, ſeu formæ Deitatis conc. ratione ſuppoſiti, nego maj. & conc. min. nego conſeq. quia ut ait ibidem S. Doctor ad ſecundùm. Tres perſonæ divinæ conveniunt in natura, diſtinguuntur in ſuppoſito, & ideò non prædicantur ad invicem, in Myſterio autem Incarnationis naturæ quidem, quia diſtinctæ ſunt, ad invicem non prædicantur ſecundùm id, quod ſignificatur in abſtracto; non enim natura divina eſt humana, ſed quia conveniunt in ſup-
573. poſito, prædicantur ad invicem in concreto

Objicies 3. Ex Symbolo Athanaſii: ſicu tanima, & corpus unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus, ſed hæc propoſitio eſt falſa, anima eſt corpus; ergo & hæc, Deus eſt homo. Confirmatur: quod prædicatur de Deo non relativè, ſed abſolutè, convenit toti Trinitati, & ſingulis perſonis, ſed hoc nomen non eſt relativum, ſed abſolutum; ergo ſi verè prædicaretur de *Deo*, ſignificaretur, quòd tota Trinitas, & quæliber perſona ſit homo, quod eſt falſum. Reſp. diſt. maj. unus eſt homo, ſi anima, & corpus ſignificantur in abſtracto, nego, ſi ſignificantur in concreto, quatenus ſignificatur concretum ex anima, & corpore unitis, & ſubſiſtentibus conc. maj. & conc. min. nego conſeq. quia quando prædicatur *Deus* eſt homo, & homo eſt *Deus*, non eſt prædicatio in abſtracto, ſed in concreto, ſi autem eſſet prædicatio in abſtracto, non eſſet una, cùm falſum ſit dicere: divinitas eſt humanitas. Unde Div. Thom. ibi ad tertium ait: *anima, & caro ſignificantur, ut in abſtracto, ſicut divinitas, & humanitas; in concreto verò dicuntur animatum, & carneum, ſive corporeum; ſicut ex alia parte Deus eſt homo, unde utrobique abſtractum non prædicatur de abſtracto, ſed ſolùm concretum de concreto.* Ad Confirmationem conc. maj. diſt. min. hoc nomen homo, non eſt relativum ſecundum id quod dicit pro ſubjecto, & ſuppoſito, ad quod terminatur unio, nego, ſecundum id, quod dicit pro abſtracto, ſeu forma humanitatis, conc.. min. & nego conſeq. quia quando dicimus *Deus* eſt homo, non prædicamus abſtracta, ſed concreta; unde idem *Div. Thom.* ibidem ad quartum ait, hoc nomen homo prædicatur de *Deo* ratione unionis in perſona, quæ, quidem unio relationem importat, & ideo non ſequitur regulam eorum nominum, quæ abſtractè prædicantur de *Deo* ab æterno.

Objicies 4. Deus eſt nomen incommunica- 574.
bile, ideóque ſap. 13. reprehenduntur idololatræ de eo, quòd hoc nomen Deus, quod eſt incommunicabile, lignis, atque lapidibus impoſuerint; ergo pari ratione eſt inconveniens, quòd hoc nomen Deus prædicetur de homine, & dicatur: homo eſt Deus. Confirmatur 1. quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de ſubjecto; ergo ſi hæc propoſitio eſſet una, homo, eſt Deus prædicaretur de homine, quidquid prædicatur de Deo, ac proinde cùm de Deo prædicetur, quòd eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, prædicaretur etiam verè de homine, quod eſt Pater Filius, & Spiritus Sanctus. Confirm. 2. Pſalm. 80. dicitur, *non erit in te Deus recens*, ſed homo eſt quiddam recens; non enim Chriſtus ſemper fuit homo; ergo eſt falſa propoſitio, homo eſt Deus. Reſp. diſt. antec. eſt nomen incommunicabile ſumpta Deitate conſtitutiva nominis Dei in abſtracto relatè ad humanitatem ſumptam in abſtracto, conc. ſumpto Deo in concreto relatè ad hominem in concreto ſumptum, nego antec. & conſequentiam Unde licèt non poſſint prædicari naturæ in abſtracto, prædicantur verè in concreto, homo eſt Deus; idololatræ autem non ita prædicabant, ſed ſecundùm naturas, ut ait S. Thomas art. 2. ad 1. Idololatræ attribuebant nomen Deitatis lapidibus, & lignis, ſecundùm quod in ſua natura conſiderantur, quia putabant in illis aliquid numinis eſſe; nos autem non attribuimus nomen Deitatis homini ſecundùm humanam naturam, ſed ſecundùm ſuppoſitum æternum, quod eſt etiam per unionem ſuppoſitum humanæ naturæ

Ad 1. Confirmationem diſt. antec. quid- 575.
quid prædicatur de prædicato cummuni nego, de

de prædicato purè singulari, & non communi, conc. antec. & nego consequentiam; quia, quando dicitur: homo est Deus, non prædicatur Deus de homine secundùm id, quod est commune tribus personis, sed secundùm id, quod in Filio Deo est proprium Filii secundùm suppositum, & personam Filii; cùm autem suppositum Filii non sit suppositum Patris, licèt dicatur, homo est Deus, dici non potest, homo est Pater. Quapropter certum est, quòd si Deus supponat pro Patre, vel Spiritu Sancto, non potest dici: homo est DEUS; unde solùm prædicatur, quando Deus supponit determinatè pro *D*eo Filio, vel indeterminatè pro uno trium divinorum suppositorum; ita, ut sensus sit, DEI Filius est homo, aliquod suppositum divinum est homo, quæ diligenter notavit *Div.* Thomas eo art. 2. ad 2. his verbis: *hoc nomen Pater prædicatur de hoc nomine Deus, secundùm quod hoc nomen Deus supponit pro persona Patris; sic autem non prædicatur de Persona Filii, quia persona Filii non est persona Patris, & per consequens non oportet, quod hoc nomen Deus, in quantum ly homo supponit pro persona Filii.* Ad secundam Confirmationem dist. min. homo est quiddam recens, secundùm quod dicit pro supposito, nego, secundùm quod dicit pro natura, conc. min. & nego consequentiam. Nam ut habet Div. Thomas ibidem ad tertium, licèt humana natura in Christo sit quiddam recens, tamen suppositum humanæ naturæ non est recens, sed æternum; & quia hoc nomen Deus non prædicatur de homine ratione humanæ naturæ, sed ratione suppositi, non sequitur, quòd ponamus DEUM recentem; sequeretur autem, si poneremus, quòd homo supponat suppositum creatum.

576. Objicies 5. contra secundam assertionem: licèt vi unionis hypostaticæ perficiatur natura humana, non tamen perficitur Verbum: ergo vi unionis hypostaticæ non fundatur communicatio idiomatum, ut ea, quæ sunt propria hominis, tribuantur Deo, & è converso. Confirmatur. Nihil est magis proprium naturæ humanæ, quàm esse humanitatem, & naturæ divinæ, quàm esse *D*ivinitatem; sed vi unionis hypostaticæ non est vera ista propositio: Divinitas est humanitas: ergo nec sunt veræ istæ: homo est immortalis, DEUS est mortuus. Respondeo conc. antec. nego consequentiam; quia licèt ratione unionis hypostaticæ Verbum non perficiatur, & perficiatur humanitas, hoc non tollit, quo minùs Verbum habeat suppositum commune cum natura humana, in qua communicatione fundatur communicatio idiomatum, sed in eo concreto, non quidem reduplicativè, sed specificativè significato. Unde cum in concreto specificativè significato verum sit dicere: hic homo est mortuus, hic homo est DEUS, hic homo est immortalis, significando suppositum, quòd habeat naturam immortalem, & mortalem, ea de causa sunt veræ istæ propositiones in concreto, & specificativè: homo est mortalis; homo est immortalis &c. quia, licèt significantur specificativè in concreto de eodem supposito, non tribuuntur illi ratione ejusdem, sed ratione diversæ naturæ, in qua subsistit tale suppositum. Sic verè dicimus: album est dulce, dulce est album; quia prædicamus de eodem subjecto, non quidem sub eadem, sed sub duplici forma talis suppositi.

Objicies 6. Proprium est naturæ humanæ, etiam in concreto esse creaturam, & incepisse in tempore, & proprium est naturæ divinæ tum in abstracto, tum in concreto esse ubique, sed vi unionis hypostaticæ non possunt verificari istæ propositiones: DEUS est creatura, homo est ubique: ergo vi unionis hypostaticæ nequit fundari communicatio idiomatum, ut ea, quæ sunt propria unius naturæ, tribuantur alteri. Confirmatur. Quando de aliquo nequit prædicari ratio animalis, nequit etiam ratio hominis; atqui ratio creaturæ est generica, sive communis omnibus prædicatis propriis naturæ humanæ: ergo si ratio creaturæ non potest prædicari de DEO, aut Verbo, aut Christo, nihil eorum, quæ sunt propria naturæ humanæ, prædicari poterit de DEO Verbo, aut Christo.

Respondeo negando implicantiam interminis inclusam in majore: si enim supponitur humana natura in abstracto sumpta, eò ipsò non est acceptio in concreto includente suppositum, sive personam; hac tamen æquivocatione detecta, conc. maj. dist. min. non possunt verificari propter abusum vocis, & affinitatem cum hæresi convenientem specialiter tali voci, conc. quia nullum habent sensum Catholicum, nego min. & consequentiam; quia prima propositio sic explicari potest: Deus est creatura, non ut DEUS est, sed secundùm naturam humanam; & secunda sic: homo est ubique, non ut homo, sed secundùm Divinitatem, vel suppositum Deo, & homini commune. Ad Confirmationem dist. maj. quando ratio generica prædicari non potest juxta illum sensum Catholicum, conc. quando solùm per accidens non potest absolutè prædicari propter abusum, & affinitatem cum hæresi, nego maj. & conc. min. nego consequentiam; quia ille abusus, & affinitas cum hæresi, quæ datur in ratione generica, non datur in ratione specifica absolutè prolata; unde cessat inconveniens.

Objicies 7. Si ex unione hypostatica resultaret talis communicatio idiomatum, quando Filius Dei in triduo mortis hypostaticè fuit unitus animæ, & sanguini separatis à corpore, potuisset dici, DEUS est anima, Deus est sanguis, & quia sanguis fuit effusus, ac divisus in partes, potuisset dici, Deus fuit effusus, ac divisus in partes; hæc sunt absurda; ergo &c. Respondeo nego maj. non enim dici potuit, in Triduo mortis Deus Filius est anima, est sanguis. Ratio est, quia sola nomina concreta significantia naturas completas possunt prædicari de supposito talium naturarum; nomina autem signi-

ſignificantia naturas partiales non prædicantur de ſuppoſitis. Unde licèt bene dicamus: Petrus eſt homo, non poſſumus verè dicere: Petrus eſt anima, Petrus eſt ſanguis. Quamobrem licèt verè dicamus: Filius Dei eſt Deus, eſt homo; at in triduo mortis non verè diceretur: Filius Dei eſt anima, Filius Dei eſt ſanguis, licèt eſſet unitus hypoſtaticè animæ, & ſanguini, & corpori ſeparatis ab anima; non enim licèt fingere pro arbitrio noſtro nominum ſignificationes, ſed debemus ſtare ſignificationi nominum, quibus ſignificantur concreta admittentia iſtas prædicationes. Ex dictis

580. Fit 1. Non poſſe ſimpliciter, & abſolutè concedi iſtam propoſitionem, niſi in ſenſu identico, ut bene ait Exim. Doctor diſp. 35 ſect. 2. ſcilicet Chriſtus eſt Divinitas, & humanitas, ſeu duæ naturæ; ratio eſt, quia ſolùm poteſt verificari illa locutio, accipiendo Chriſtum ex parte ſubjecti reduplicativè, ut ſupponit pro conjuncto, & ex parte prædicati accipiendo humanitatem, & Divinitatem ut conjunctas in Verbo; ſed in hoc ſolùm ſtat, quòd ſit vera prædicatio in ſenſu identico; ergo &c. atque in hoc ſenſu eſt iſta locutio damnata contra Joannem Huſs in Concilio Conſtantienſi ſeſs. 15. ut cenſuerunt aliqui; nam Huſs admiſit prædictam locutionem, exiſtimando Chriſtum eſſe duas naturas divinitatem, & humanitatem non ſolùm conjunctim, ſed etiam diviſim, ita, ut poſſet prædicari de ſingulis, quod quidem damnatur à Concilio Conſtantienſi, teſte Waldenſi diligentiſſimo errorum Wicleffi, & Huſsij indagatore, & Cenſore fortiſſimo. Nec licet exinde inferre, quòd ſicut dicitur: Chriſtus eſt duplex natura, eſt paſſus &c. dici quoque poſſit, duplicem naturam paſſam &c. ſiquidem ea de Chriſto dicuntur in ſuppoſitione valde diverſa, primum in ſuppoſitione reduplicanti, & formali, ſecundum in ſpecificativa, & materiali, quod facere nequit expreſſio illa, Divinitas, quæ reduplicat ſupra Divinitatem, & illa expreſſio, humanitas, quæ reduplicat ſupra humanitatem, cùm Divinitas, & humanitas realiter adæquatè diſtinguuntur; ſic iſta concluſio eſt falſa: monſtrum eſt album; ſed album eſt conjunctum ex ſubjecto, & albedine; ergo &c. quia in maj. album ſupponit pro ſubjecto, in min. verò ſupponit pro toto concreto albo. Unde concluſio nulla eſt propter diverſam ſuppoſitionem terminorum.

Fit 2. Quid dicendum ad illas propoſitiones: Chriſtus eſt unum, & duo, unus, & plures, aliquid, & aliud, alius, & alius, aliud, & aliud, quæ omnia tangit, & examinat Sanctus Thomas quæſt. 17. cum Eximio Doctore, & P. Vaſquez Lugo diſp. 24. & Bernal diſput. 47. Ad hæc omnia explicanda ſeligo duas regulas ex Martinon diſp. 8. ſect. 2. Prima eſt, quia Chriſtus eſt verè, & ſimpliciter unum ens per realem, & ſubſtantialem compoſitionem, & quæ in eo ſunt, licèt in ſe multa, non tamen ſunt in ipſo ſine unione, & compoſitione, vitandi ſunt modi loquendi, quibus ſignificarentur ea multa ſine unione: tales eſſent iſtæ propoſitiones prolatæ ſimpliciter, & ſine addito: Chriſtus eſt duo, Chriſtus eſt multa, Chriſtus eſt aliud, & aliud, cum addito tamen ſæpe aſſumuntur à Patribus, dicendo: Chriſtus eſt duo realiter unita in unitatem perſonæ, multa phyſicè in unum ſuppoſitum conjuncta, duæ naturæ unitæ ſecundùm ſubſiſtentiam. 581.

Secunda regula eſt, quia Chriſtus eſt unica perſona, & unica hypoſtaſis divina, vitandi ſunt modi loquendi, quibus ſignificaretur ſuppoſitorum pluralitas: tales eſſent hujusmodi propoſitiones: Chriſtus eſt plures, Chriſtus eſt duo maſculina, Chriſtus eſt alius, & alius; nam maſculina abſolutè prolata ex Theologorum uſu ſignificant diverſitatem ſuppoſitorum; ſicut ea, quæ in genere neutro ſumuntur, ſignificant diverſitatem naturarum, eaque de cauſa in tribus divinis perſonis datur alius, & alius, non aliud, & aliud. Sic Concilium Lateran. maximum Can. 2. *Licèt igitur alius ſit Pater, alius Filius, & alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, ſed id, quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus Sanctus, id eſt omnino, ut ſecundùm Orthodoxam, & Catholicam Fidem conſubſtantiales eſſe credantur.* Ex his habetur regula ad decidendas reliquas quæſtiones, quæ hìc excogitari poſſent. 582.

DISPUTATIO XIV.

DE SUBSISTENTIA, ET HUMANITATE.

583. PLures excitati fuerunt errores ab Hæreticis circa Myſterium Incarnationis, eò quòd cenſuerint, idem eſſe naturam, & perſonam, nec diſtinxerint humanitatem à ſuppoſito. Teſtatur id Epiphanius in ſeptima Synodo generali action. 6. Tom. 3. Concl. poſt medium, ubi loquens de Eutichianis, aliisque Hæreticis ait: *ideo Hæretici errant, quia nihil aliud agunt, quàm ut oſtendant, naturam, & hypoſtaſim idem eſſe, quæ ſanè inter ſe differre veri Eccleſiæ Catholicæ Alumni cognoſcunt.* Idem teſtatur Damaſ. lib. 3. de Fide cap. 3. dicens: *verùm hoc Hæreticis inducit errorem, quod idem dicunt naturam, & hypoſtaſim, ſuppoſitúmve, ac perſonam.* Idem docuit Vigilius lib. 2. de Fide contra Eutichianos, & alii. Idcirco ad explicandum Incarnationis Myſterium, in quo duæ naturæ uniuntur in una perſona, opus eſt definire, in quo differant ſuppoſitum, & perſona à natura, ut ſic appareat, quomodo Verbum aſ-

sumpserit personam humanam, & quidem aliter non potest intelligi Incarnationis Mysterium, ut rectè notavit Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 20. in fin. *qui non intelligit discrimen inter personam, & naturam, non potest intelligere Mysterium Incarnationis.* Cæterùm, quia licèt omnes Catholici eandem veritatem amplectantur, diversa tamen sunt aliquorum principia, ideo sunt in præsenti examinanda, ut appareat, quænam conformiora sint doctrinæ Conciliorum, & Patrum contra Hæreticos, ac proinde tenenda; quænam verò parùm consentanea, ac proinde relinquenda; quæ omnia, ut clarè decidamus, sit

SECTIO I.

De prærequisitis ad Controversiam.

584. SUppono 1. ex eodem falso principio intulisse Nestorium, & Eutichetem, non quidem unum, eundemque, sed oppositum errorem, quem partim dedimus num. 181. & impugnavimus à num 246. etenim uterque Hæresiarcha censuit, quòd in DEO natura, & persona non differebant; quo falsò principiò præmisso subintulit Nestorius: *sed in Christo dantur duæ naturæ completæ, & integræ, divina scilicet, & humana; ergo in Christo dantur duæ personæ, divina nimirum, & humana;* ac proinde persona Filii Dei non est persona Filii Virginis, nec Beata Virgo dici potest Theotocon, seu Mater Dei, sed puri hominis. E converso Eutiches ex eodem falso principio ita subsumpsit: *sed in Christo datur tantùm una persona*, ut ex Scriptura constat; *ergo datur tantùm una natura*; unde non reperiuntur in Christo natura divina, & humana. Inter hos errores secura incedit Catholica Fides, medium tenens, & docens, aliquam esse distinctionem inter personam, & naturam, propter quam in Deo dantur tres personæ, & una tantùm natura, atque in Christo dantur è converso duæ naturæ, & una tantùm persona.

585. Suppono 2. olim hanc vocem *homo* indifferentem fuisse ad significandam vel solam naturam, vel etiam personam: unde contrahendo significationem ad naturam, nonnulli Patres asserebant, Verbum divinum assumpsisse hominem; legantur Augustinus Tom. 1. lib. de vera Religione cap. 16. & aliis in locis, Cyrillus Alexan. lib. 10. Thes. cap. 7. Sanctus Gaudentius Serm. 19. col. 5. eandémque phrasim usurpat Concilium Toleranum 11. in Conf. Fidei, Wormatiense etiá in Conf. Fid. Tom. 3. Conc. quam etiam significationem accepit Athanas. in Symbolo, quando dixit: *sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita homo & Deus unus est Christus*: decursu verò temporis Sancti Patres, ne viderentur Nestorianis consentire, noluerunt fateri, Verbum assumpsisse hominem, & usurpârunt naturam humanam pro humanitate, & hominem pro persona, ne deinceps possent Hæretici voces Sanctorum Patrum ad pravum sensum detorquere, ut advertit Maxent. dialog. 1. contra Nestorianos non procul à fine inquiens: *ego à Deo susceptum hominem usque latenus dicere audeo &c. ne, si susceptum à Deo hominem dixero, dicere videar, in Filio Dei prædicare personam.*

Propter hanc rationem jàm ita invaluit, non usurpare hominem pro sola natura, sive pro sola humanitate, ut modò non possit dici: *Verbum assumpsisse hominem*; quia cùm illa indifferens usurpatio pro natura, & pro homine actum traxerit, eò quòd veteres Theologi tum Græci, tum Latini non agnoverint, distincte saltem discrimen inter naturam, & personam, & talis distinctio ab Ecclesia, Patribus, & Conciliis sit declarata, & probata, ideóque noluerint naturam humanam appellare hominem, ne humanitas, & persona confunderentur, modò nefas erit usurpare hominem pro sola natura, recolatur Concilium Ephesinum part. 3. cum Sancto Cyrillo in defensione Athan. 8. & 11. nec non Sanctus Felix Papa, & Martyr relatus in Concilio Calcedonensi act. 1. cum Sancto Eustachio Episcopo Bereytensi ibidem act. 11. §. penult. quod etiam suo modo dicendum est de hoc nomine *substantia*, quæ olim erat etiam indifferens, & aliquando accipiebatur pro ea, quæ est substantia communis, quod idem est, ac natura; unde non alio sensu negabant aliqui in DEO tres substantias, nisi quatenus negabant tres naturas; eodem in sensu accipiebatur ab aliquibus hypostasis: unde Hieronymus, & alii renuebant dicere, dari in Deo tres hypostases, quatenus negabant in Deo tres naturas, sive substantias communes; aliquando verò significabat idem, quod *suppositum*, in quo sensu postea usurpata est ista vox ab Ecclesia, & sine formidine conceditur, dari in Deo tres hypostases; videatur Cardinalis de Lugo disput. 12. sect. 1.

Suppono 3. Eutichianos decursu temporis ex uno in alterum errorem incidisse; dixerunt enim, ex duabus naturis in divina natura specie integris in unitate naturæ, & inter se substantialiter uniris unam resultare ad eum fere modum, quo ex materia, & forma substantialiter unitis resultat una natura, quæ neque est materia, neque forma, quia omnis vera, & physica unio debet constituere unum; ideóque si esset unio naturarum, deberet constituere unam naturam, quem errorem tribuunt etiam ipsi Eutycheti Alphonsus à Castro, & alii, quos sequitur Vasquez 3. part. disput. 14. cap. 1. Cæterùm, quia Eutiches sibi ipsi inconstans fuit, licèt aliquando admiserit naturam humanam in sensu Nestorii, postea tamen magis adhæsit alteri errori, admittendo in Christo solam naturam compositam, quam appellabat divinam; exinde Eutichiani communiter admittebant in Christo unam solam naturam compositam, quam vocabant divinam, ut constat ex Gela-

Gelasio Papa Tom. 4. Bibliothecæ PP. lib. de duabus naturis; unde statim à proloquio ait: *Eutychiani dicunt, unam esse naturam, id est divinam; Nestorius nihilominus memorat singularem, id est humanam:* verùm quia Hæretici, ut tradit Aldrete disput. 39. de Incarnat. sect. 2. repetebant illud principium: *si duæ naturæ uniuntur verè, & physicè, necesse est, ut resultet una natura composita, quemadmodum ex corpore, & anima una resultat natura composita*; negârunt Sancti Patres illud principium universim acceptum, ut constat ex S. Maximo apud S. Eutymium in Panoplia tit. 15. §. *in duabus naturis*, & ex Damasceno ibidem adducto §. *sine inversione.*

588. Quamobrem assignârunt PP. discrimen inter naturam divinam, & humanam ex una parte, & inter animam, & corpus ex altera, quia scilicet corpus se solo non est natura integra, sed anima se sola est natura integra in ratione naturæ, ac proinde possent uniri substantialiter ad constituendam unam naturam integram in ratione naturæ: at natura divina est integra in ratione naturæ, & natura humana constituta ex anima, & corpore est etiam in diversa specie naturæ integra in ratione naturæ; ac proinde non possunt uniri substantialiter ad constituendam unam naturam. Evolvatur Gelasius in lib. de duabus naturis parùm post medium; & Athan. adductus ab Eutymio in Panoplia titulo 15. §. *ecce natura.* Unde Eximius Doctor disput 7. sect. 2. postquam adduxit plura Conciliorum & PP. testimonia, in quibus error iste condemnatur, respondendo ad secundam objectionem Hæreticorum ex Conciliis, & PP. ita habet: *Corpus, & anima sunt natura imperfectæ, & essentiales partes, & ideò non tantùm unam personam, sed etiam unam naturam componunt; natura verò divina, & humana sunt integræ, & perfectæ, quæ non possunt ad componendam unam naturam inter se immediatè conjungi. Conjunguntur verò in eadem Verbi subsistentia, ad eum modum (servata proportione) quo duo rami ejusdem arboris uniuntur in trunco, ut ipse Doctor Exim. exponit in comentario art. 9. quæst. 2. Div. Thomæ, atque in eo sensu dicuntur à Conciliys verè, & propriè duas naturas humanam scilicet, & divinâ in hypostasi Verbi uniri, non quidem immediatè inter se, sed mediatè.*

589. Cæterùm ad tollendam omnem æquivocationem, & intelligendam in præsenti mentem SS. PP. contra eos hæreticos notare, quàm maximè oportet, scopum hujus controversiæ non fuisse de natura humana, quasi illi Hæretici intenderent, quòd natura divina possit esse de constitutivo naturæ humanæ, aut quòd Verbum esset in humanitate, intelligere per intellectionem creatam; hoc enim neutiquam intendebant, sed potiùs supponebant naturam humanam essentialiter exigere partes ad sui compositionem, quarum una sit materia & altera forma intelligens intellectiones creatas, quæ ad invicem perficiantur, cùm autem natura divina non possit esse pars, neque perfectibilis, neque Verbum possit intelligere per intellectiones creatas, nec Deus possit invertere essentias rerum, aut facere, quòd detur homo sine sua essentia; exinde dicebant, quòd ad constituendam naturam humunam integram in ratione naturæ, requirebantur indispensabiliter materia & forma, quæ est ratio, *Div. Thom. 3. part. quæst. 2. art. 5. ad tertium: sicut unumquodque formaliter est per suam formam, ita corpus vivit per animam, & hoc modo non ponitur corpus vivere per Verbum, quod non potest esse corporis forma*; solùm igitur, concedebant illi Hæretici, quod ex natura divina, & humana resultabat alia tertia natura, quæ ex utraque constituebatur. Unde Patres non arguebant à ratione ad constitutionem sufficiente, sed à ratione necessaria; sic bene arguimus, lapis non est animal; ergo non est homo, quia licèt ratio animalis non sit sufficiens ad constituendum hominem, ut patet in leone, qui est animal, & non homo, at est ratio necessaria, ita, ut non possit esse homo, quin sit animal; arguebantque PP. tanquam à ratione necessaria, quòd nempe ex natura humana, & divina non poterat constitui una substantialis natura, quia neutra earum erat substantialiter incompleta, sed utraque erat substantialiter completa in ratione naturæ.

590. Quòd autem fuerit hæc mens PP. constat ex ipsorum verbis, locis adductis, num. 587. Gelasius einm Papa ad ostendendum, non posse duas naturas completas in ratione naturæ uniri ad constituendam substantialem compositionem, & unam naturam, ita ait: *non considerantes, quia cùm una natura dicatur humana, quæ tamen ex duabus constet, id est ex anima, & corpore, principaliter illa causa est, quia nec initialiter anima alibi possit existere, quàm in corpore, nec corpus valeat constare sine anima: & meritò, quæ alterutro sibi sit causa existendi, pariter unam abusivè dici posse naturam, quæ sibi invicem causam præbeat, ut ex alterutro natura subsistat una salva proprietate duntaxat duarum*; quæ Verba docent unitatem per compositionem in naturis non esse strictè unitatem, sed latè, & adhuc hoc genus unitatis reperiri non posse, absque aliquo complemento substantiali, si debeat fieri unitas substantialis.

591. Pariter Athan. loco supra relato postquam sibi opposuerat illam paritatem unius naturæ humanæ ex duabus naturis coalescentem; ita reddebat discrimen. *Hic enim, neque caro pars Verbi, neque Verbum pars carnis, horum enim utrumque priùsquàm conjungantur perfectam naturam ostendit, ut nihil omnino, neque divinitati ad rationem propriam, neque humanitati deest; aliud enim est duabus ex partibus essentiam absolvi, & aliud duas essentias conjungi, quarum utraque perfecta sit.* En quomodo

modo Athan. probat, non resultare ex duabus illis naturis, humana scilicet, & divina, unam naturam, neque posse uniri immediatè, & substantialiter ad constituendam unam naturam, quia utraque in sua diversa specie est completa in ratione naturæ; idcirco opus est, ut alterum saltem sit substantialiter imperfectum, & non integrum in ea ratione, in qua perficitur, & alterum sit perfectivum, ut compleat, & perficiat, verùm de his fusè sectione sequenti.

592. Suppono 4. Ens creatum immediatè dividi in substantiam, & accidens, unde unumquodque ex his debet habere in sua linea rationem illam, quam essentialiter exigit utens creatum, nempe dependentiam à priori à Deo, quia non est à se, sed ab alio, & dependentiam à posteriori, sed non est illimitatum, & simplex, sed limitatum, atque compositum, ratio est, quia, si ens creatum sit accidentale exigit actionem accidentalem, qua pendet à Deo à priori tanquam à primo principio, & exigit à posteriori substantiam, cujus gratia sit, atque ubicationem suam accidentalem, prima distinguitur à Deo se ipso ubique præsente, quia simplex est, & illimitatus; unde accidens, quia est creatum, & quidquid habet, habet per participationem à Deo, non solùm debet distingui à Deo ratione productionis, & dependentiæ à priori, sed etiam ratione limitationis, & dependentiæ à posteriori, quatenus indiget aliquo subsequente, ut in linea sua perseveret, ideóque, si est modus, indiget re, cujus est modus. Pariter ens substantiale utramque habet dependentiam à Deo in linea substantiali ratione actionis substantialis, qua producitur; cæterùm quia hoc est entitativum substantiale, non est simplex, & illimitatum, sed limitatũ & finitum, utq; in sua linea possit esse, aut perseverare, requirit in ea linea substantiale complementum, in quo sistat, & quo sit potens in linea sua ad operandum. Unde essentia dicitur, principium *quo*, sive virtus operativa, complementum verò substantiale, quo in sua linea indiget, dicitur subsistentia, sine qua operari non potest; ideóque totum resultans ex essentia & subsistentia dicitur principium *quod* operationis, & apud omnes ferè Philosophos, & Theologos eidem attribuuntur operationes ex illo ferè omnium proloquio: actiones sunt suppositorum.

593. Sic Div. Thomas 2. 2. quæst. 58. art. 2. in corpore: *actiones autem sunt suppositorum, & totorum, non autem propriè loquendo partium, & formarum, seu potentiarum; non enim propriè dicitur, quòd manus percutiat, sed homo pro manu.* Quod etiam repetit 3. part. quæst. 19. art. 1. ad tertium, & sæpè alibi, ex quo frequens est apud Philosophos principium illud: priùs est esse, quàm operari; subsistentia enim cùm sit illa, quæ subest naturæ, vel in qua natura sistit, gerit respectu naturæ vicem subjecti, aut quasi subjecti, ex quo procedit, ut sint veræ prædicationes per communicationem idiomatum, ut constat à num. 560. Unde Damas. lib. 3. de fide cap. 15. *natura est ea, ex qua operatio progreditur; opus verò id, quod ex actione conficitur, operans verò is, qui actione perfungitur*, hoc est, persona, quia scilicet operationes naturæ completæ tribuuntur personæ, eò quòd natura, sive subsistentia, quæ est modus substantialis essendi, nequeat exercere munus subsistentiæ, seu primæ radicis operandi, propter quod esse substantiale creatum distinguitur ab omnipotentia; quæ cùm non sit ab alio, non indiget actione substantiali productiva ipsius, & cùm non sit limitata, sed infinita, & simplicissima, non indiget sustantiali complemento realiter distincto in linea sua, ut possit producere ad extra; quæ quidem operatio dicitur finis cujuslibet creatæ virtutis operativæ, ut tradunt Theologi cum Div. Thoma 1. part. quæst. 65. art. 2. in corp. & 3. part. quæst. 9. art. 1. in corp.

Suppono 5. ex Aristotele 5. Metaphys. cap. 8. textu 15. in fine, substantiam dupliciter dici, altera quidem est prima substantia, & altera secunda substantia. *Prima* substantia est singulare per se subsistens primò habens naturam completam; quo in sensu *Petrus*, Bucephalus, Michaël, hæc arbor, hic lapis, & alia singularia materialia, vel immaterialia per se primò subsistentia, sive habentia naturam completam hominis, equi, Angeli, arboris, aut lapidis sunt prima substantia. Secunda subsistentia est ipsa forma, & species, per quam unum quodque singulare per se primò subsistens constituitur in sua specie; & quia singulares homines, ut *Petrus*, & Paulus constituuntur in specie hominis per humanitatẽ, quæ est materia simul & forma hominis, sicut singulares equi, ut Bucephalus, constituuntur in specie equi per equinitatẽ, quæ est materia simul & forma equi; ideo humanitas, & equinitas sunt secundæ substantiæ. Cæterùm quia dantur aliqua singularia per se primò subsistentia, quæ componuntur ex materia, forma, pluribúsque partibus integralibus, & continuativis simul unitis eo pacto, quo Petrus componitur ex anima, & corpore, tanquam ex partibus essentialibus, & capite, manibus, pedibus, tanquam ex partibus integralibus, ex carne, & ossibus, quæ caro, & ossa componuntur ex pluribus carnis & ossis partibus continuatis, ideóque omnes partes, tum essentiales, tum integrales, tum continuativæ, ex quibus componuntur singularia per se primò subsistentia, & unio talium partium pertinet ad primam substantiam. Accidens verò è converso dicitur, quod ita exigit esse in alio, tanquam in subjecto, ut neque per se subsistat, neq; sit pars, aut constitutivum omnis per se subsistentis, ut subsistentis, neque cum illo identificetur.

Prima substantia, quæ ita appellatur à Philosopho in prædictis cap. de substantia à *Porphyr.* cap. 3. suæ introductionis vocatur individuum, à PP. & Theologis, & Philosophis latinis vocatur suppositum, & substantia, dicitur quidem sub-

substantia, quia per se subsistit; primò dicitur suppositum, quia in ea linea prædicamentali ultimo loco sub omnibus aliis prædicamentis ponitur singulare per se subsistens primò. Nos de hac subsistantia in hac disputatione loquentes utemur suppositi, & hypostasis nomine, utpote magis usitatis, non autem ratione subsistentiæ, eò quòd hæc Recentiorũ usu accipitur frequentiùs subsistentia ad signandum id, per quod singulariter constituitur, & completur ultimò in ratione substantiæ per se subsistens, quàm ad significandum ipsum singulare per se subsistens primò.

596. Ex doctrina Boëtii lib. de duabus naturis: explicari potest suppositum ita, *naturæ completæ individua subsistantia*; quia tamen substantia idem est, ac ens per se subsistens, individuum idem erit, ac singulare per se subsistens, primò habens naturam completam. Quando suppositum habet naturam completam irrationalem, retinet nomen genericum suppositi, quando habet naturam rationalem, non solùm vocatur suppositum nomine generico, sed etiam nomine specifico vocatur persona; ideóque persona à Boëtio lib. de duabus naturis dicitur *esse rationalis naturæ invidua substantia*, hoc est singulare per se subsistens primò habens naturam completam rationalem. Unde suppositum comparatur ad personam, sicut genus ad speciem; singularia autem, quæ ita per se subsistunt, ut non habeant naturas completas in specie, neque vocantur suppositа, neque personæ e.g. Anima, paritérque manus separata, pes separatus, quia est pars ejus naturæ specificæ, quam exigit, non est suppositum, ut docet Div. Thoma 1. part. quæst. 29. art. 1. ad quintum: *Ad quintum dicendum, quòd anima est pars humanæ speciei, & & ideo licèt sit separata, quia tamen retinet naturam unibilitatis, non potest dici subsistentia individua, quæ est hypostasis, vel substantia prima, sicut nec manus, nec quæcunque alia partium hominis, & sic non competit ei neque definitio personæ, neque nomen.*

597. Ea igitur est natura completa, quæ non potest esse pars essentialis, aut integralis alterius naturæ specificæ, ut humanitas, & ea est natura incompleta, quæ potest esse pars essentialis, aut integralis alterius naturæ specificæ, ut materia & forma, natura capitis, & pedis, per quod ista pars distinguitur à gutta aquæ separatæ ab Oceano, quæ retinet totam naturam speciei aquæ, ut infrà dicemus. Secunda substantia vocatur à SS. Patribus græcis *Usia*, & *Physis*, à latinis essentia, & natura; nos nomine naturæ, utpote usitatiori, illam vocabimus; dici enim solet forma totius, quia, ut supra diximus, per naturam tanquam per formam suppositum, quod est totum substantiale, constituitur in specie sua completa; unde natura exponitur à Boëtio lib. de duabus naturis sic: unumquodque infirmans specifica differentia, propter rationem supra adductam, nempe, quia natura completa est forma, per quam Petrus, & Paulus, & quivis homo constituitur in specie hominis; hæc autem natura ab Aristot. 2. phisic. tex. 13. definitur: *principium motûs, & quietis in eo, in quo primò, & per se, & non per accidens inest*; unde in entibus sensibilibus est principium, ut moveantur, & quiescant sensibiliter, & insensibiliter, ut in Angelis est principium, ut moveantur, & quiescant intelligibiliter, in Deo est principium, ut detur divina operatio immanens liberè, sive contingens volendi & intelligendi; actus enim divini contingentes intelligendi & volendi sunt cum ipso Deo identificati, ut dixi à num. 83. de Deo, quamquàm plura, quæ de suppositionibus istis dicta sunt, non careant aliqua controversia apud Authores, proindéque ea latè probavimus sect. sequen. ex doctrina Concil. & PP. ea nihilominus in præsenti tradidi propter doctrinæ connexionem. His igitur præmissis

598. Quæstio præsens est, utrùm persona, & suppositum supra naturam singularem addat aliquid distinctum, & an sit aliquid positivum, vel negativum substantiale, vel accidentale, id est, an suppositum, & persona Petri addat aliquid distinctum supra hanc singularem humanitatem ipsius Petri, & an istud suppositum Michaël supra hanc numero naturam Angelicã, quam habet, addat aliquid distinctum positivum vel negativum, substantiale, vel accidentale? prima sententia, quam tenent aliqui cum Eximio quodlib. 4. dist. 34. quæst. 1. docet, suppositivum creatum supra naturam singularem addere aliquid non quidem re, sed sola ratione distinctum? secunda sententia, quam licèt non omnino assertivè, proponit, ac defendit Scotus in 3. dist. 1. quæst. 1. & alibi, & quæ tribuitur S. Bonaventuræ in 3. disp. 3. art. 2. quæst. 2. Sequitur cum Nominalibus Molina 1. part. quæst. 29. art. 2. disput. 2. in fine, defendit, suppositum supra naturam singularem substantialem completam in ratione naturæ addere solùm, quòd sit per se, & quia naturam esse per se nihil est aliud, quàm non esse unitam intrinsecè alteri substanitæ, cum qua faciat unum per se, ideo juxta hanc doctrinam suppositum supra naturam singularem nihil aliud addit, quàm puram negationem substantialis unionis cum alia substantia, cum qua faciat unum per se.

699. Tertia sententia, quam defendunt aliqui cum Herovæo, Javallo 11. Metaphisic. quæst. 16. censet suppositum supra naturam addere aliquid positivum, non quidem substantiale, sed accidentale, simúlque quasdam proprietates, & accidentia aliqua characteristica, per quæ unum individuum distat naturâ ab alio, ut Petrus à Paulo. Quarta sententia docet, suppositum supra naturam addere aliquid positivum, non quidem accidentale, sed substantiale: ita communiter Thomistæ cum Div. Thoma, & Cajetano 3. part. quæst. 4. art. 2. & ferè omnes Societatis Auctores cum Exi-

mio Doctore disput. 34. Metaphysic. sect. 4. & 3. part. disput. 11. 13. & 14. & sæpe alibi, tum etiam Vasquez 3. part. disput 31. cap. 6. Valentia Tom. 4. disput. 1. quæst. 4. punct. 2. Card. de Lugo disput. 12. sect. 4. Tannerus, Hurtado, Arriaga, & alii, quos citat, & sequitur Caneton disput. 50. sect. 6. Maurus, Bernal. plurésque alii cum Aldrete disp. 39. à sect. 3.

SECTIO II.

Controversiæ Resolutio.

600. ASsero 1. Contra primam sententiam: suppositum creatum supra naturam singularem addit aliquid non tantum ratione, sed reverâ distinctum. Probatur 1. Si suppositum, & persona creata hominis v. g. supra hanc numerò humanitatem tantum adderet aliquid sola ratione distinctũ, posset dari à parte rei hæc numerò humanitas, quin daretur suppositum & persona creata hominis, quandoquidem non potest dari res, quin dentur omnia, quæ sola ratione distinguuntur ab ipsa re; distinctio enim rationis non sufficit ad hoc, ut unum possit dari sine alio; atqui potest dari hæc numerò humanitas, ac defactò datur in Christo, quin detur suppositum, & persona creata, aliter darentur in Christo duo suppositа, & duæ personæ, altera quidem increata Verbi, altera creata hominis, quod est Hæreticum, & Nestorianum: vel daretur tota essentia substantiæ creatæ, & tota simul subsistentia essentiæ divinæ, quod apud Theologos non bene audit; ergo suppositum creatum supra naturam humanam, addit aliquid non tantùm ratione, sed reipsa distinctum; reliquæ probationes constabunt à num. 602.

601. Respondebis, naturam non vocari suppositum, neque personam, quando est in alio, sed quando per se est; unde quia humanitas Christi non est per se, sed in Verbo, non est suppositum, neque persona; è converso humanitas puri hominis, nempe Petri est suppositum, & persona, quia est per se. Contrà tamen 1. Humanitas Christi Domini metaphysicè sumpta est indifferens, ut sit per se vel non sit per se, sed in Verbo, vel in alia persona divina; ergo ly *per se* plusquàm ratione distinguitur ab ipsa humanitate; ac proinde proprietas, sive subsistentia non est distincta ratione solùm à natura. Probatur conf. Id, sine quo potest aliquid divinitus existere, plusquàm ratione distinguitur ab illo, sed ex eo, quòd humanitas Christi unita Verbo, sit in Verbo, & non sit per se, potest tota existere absque ly *per se*, sive absque perseitate, & subsistentia; ergo &c. Contrà 2. quia ex hac responsione saltem fieret, quòd in Christo non solùm reperiebatur tota ratio subsistentiæ increatæ, sed etiam tota ratio subsistentiæ creatæ, quod non est consonum Patribus, Conciliis, ut statim constabit; ergo &c.

Assero 2. cum quarta sententia contra secundam, & tertiam relatas: suppositum creatum supra naturam addit non quidem puram negationem, sed complementum substantiale positivum. Probatur 1. Licèt rationes in generali Concilio ab aliquo particulari PP. nomine excogitatæ non sint habendæ tanquam doctrina Conciliorũ, & Patrum, ut dici solet in Concilio Nicæno adducto à Joanne Thessalonicensi, qui contendebat, Angelos depingi posse, quia sunt corporei; quæ ratio ab ipso nomine suo discurrente excogitata fuit, nec unquam fuit à Patribus commendata; at si productæ sint ab aliquo constituto nomine totius Ecclesiæ Romanæ, ut coram Summo Pontifice, Patribusque, Catholicæ nomine Ecclesiæ, in publica controversia, atque in Sessione generali Patrum rationes afferat, quibus Catholici Theologi dogmata fidei explicant, atque ex illis publicè arguat contra Adversarios ad publicam disputationem in ea generali Sessione adductos, & admissos cum ea protestatione, ut decisiones faciendæ essent ex doctrina Conciliorum, & Patrum; tales inquam rationes coram Summo Pontifice, Cardinalibus, & Patribus Catholicis ex una parte, & præsertim, si sint etiam Schismatici cum suis Patriarchis, aliisque Doctoribus, suoque Imperatore ex parte oppositа, nec ullus sit Patrum Catholicorum, qui contra eas rationes à Catholico adductas quidquam opponat, certè tales rationes, licèt definitiones non sint, haberi debent tanquam doctrina deducta ex Conciliis, & Patribus; atqui in Concilio Florentino, in quo Eugenius IV. præsidebat, & in quo ad controversiam circa dogma de processione Spiritûs S. à Filio vocati, & admissi fuerunt Græci, nempe Imperator Constantinopolitanus, Joannes Palæologus, & Patriarcha Constantinopolitanus, rum etiam Præsul Ephesinus, aliique pro Græcis cum ea protestatione, ut decisiones ruendæ essent ex doctrina Conciliorum, & Patrum, hisque stabilitis rationes ad confirmandum Catholicum dogma de processione Spiritûs Sancti à Filio, & ad dissolvenda argumenta Græcorum, adductæ sunt à Joanne Theologo constituto, ut disputaret nomine Ecclesiæ Romanæ, in quibus rationibus tanquam Theologorum Catholicorum doctrina sæpè supponitur ut fundamentum, subsistentiam creatam esse aliquid positivum substantiale distinctum à natura, quin ullus Patrum Catholicorum quidquam in oppositum judicaverit; imò ex eo fundamento ducti sunt omnes ad Fidei dogma decidendum; ergo quòd subsistentia sit aliquid substantiale distinctum à natura, censenda est doctrina Conciliorum, & Patrum. Consequentia, & maj. videtur innegabilis.

Probatur igitur min. adducendo verba Joannis Theologi disputantis nomine Ecclesiæ Romanæ contra Marcum Ephesinum agentem partes Græcorum: Joannes enim Theologus ita disputat in Concilio Florentino sess. 19. *Quoniam non me bene videris intellexisse Rev. Pater,*

Pater, idcirco, quæ paulò ante protuli, clariora reddam: ergo diligenter attende: substantia duobus modis à Doctoribus solet intelligi; uno quidem prorei ratione, quæ definitionem, quod quid esserei, significantem, vel alio nomine entitatem, atque naturam significat; altero verò modo substantia pro suppositó sumitur, quemadmodum Aristoteles in 5. Met. lib. juxta omnium Doctorum expositionem dicere videtur, quandoquidem suppositum in prædicamentali substantiæ linea speciebus, atque generibus apud Porphyrium subsat, ut Socrates, atque Plato, quæ alio quoque nomine hypostasis, vel existentia, vel res naturæ solet appellari. Modò hic: quando Petrus loquitur nomine Pauli, Paulo audiente, & tacente, eò ipsò Paulus censetur consentire, juxta tritam illam juris regulam, *qui tacet, consentire videtur*; unde loquente Joanne Theologo nomine Ecclesiæ Romanæ ipsa audiente, & tacente, eò ipsò Romana Ecclesia censetur consentire; atqui in hoc textu expresè dicitur, hypostasim ut contradistinctam à natura esse substantiam, & rem naturæ; naturam, verò ut contradistinctam ab hypostasi esse entitatem; ergo ex hoc textu clarè infertur, hypostasim esse modum substantialem naturæ, sive entitatis.

604. Confirmatur 1. Quando virtus immediata ita concurrit ad operationem, ut non possit ipsi virtuti attribui operatio, sed tantùm personæ constitutæ ex ea virtute, & ex aliquo alio, in quo residet ea virtus, id, in quo virtus ea residet, non est quid negativum, sed positivum; sic quia in homine caro nec augmentatur, nec unit, nec crescit deficiente anima, quæ est forma corporis, anima est tota virtus vivificativa, & augmentativa, licèt ipsa non vivificetur, nec crescat, sed homo per animam: homo exinde est aliquid distinctum à sola anima; sic licèt manus habeat virtutem percussivam, quia tamen nequit percutere, nisi quando percutit homo, in quo manus residet, exinde homo est aliquid passivum distinctum à sola manu, & non purè negativum; atqui natura in supposito humano ita est virtus immediata operationis, ut non possit ipsi attribui perfectio, sed personæ, in qua natura residet, ut constat ex Græcis, ore Div. Damasceni, & ex Latinis ore Div. Thomæ citatis num. 593. imò ex eo Joanne Theologo in supracitata disput. sect. 19. ubi hæc habet: *id, quod fit in humanis, tantùm ab agente supposito fit, ita ut falsum sit proferre, hoc humanum suppositum ab humana natura productum esse, quandoquidem apud nostros Theologos humanitas abstractum nomen est, ac suppositum nullum*, significat homo suppositum, hoc, quod subsat, significans sua suppositum aliud produci, ubi expresè dicitur, contradistinctum à natura reverâ producere; ergo &c.

605. Confirmatur 2. Pura negatio, cùm nihil sit, non potest aliquid producere per virtutem ipsi advenientem; atqui subsistentia, ut constat ex testimoniis adductis, verè producit operationes per virtutem naturæ ipsi advenientem; ergo subsistentia non est aliquid purè negativum, sed verè positivum. Confirmatur 3. Ex eo, quòd fundamentum domûs subsitet altioribus partibus ad aliquid præstandum, dici nequaquam potest, quòd sit quid negativum; atqui subsistentia subsat naturæ ad aliquid cum ea præstandum, ut constat ex testimoniis adductis ex Joanne Theologo eadem Disputatione, & sect. 19. ubi ait: *Joseph enim à Jacob supposito per ipsius Jacob naturam, ut principium, quod communicabile est, generatur, quandoquidem actiones sunt suppositorum*, ut sæpe alibi dictum est.

606. Confirmatur 4. Si hæc doctrina à nobis hucusque exposita non bene inferretur ex Conciliis, & Patribus, à quibus Præsules Græci volebant in Concilio Florentino desumi rationes, & argumenta, nequaquam in hac doctrina convenissent Patres Græci cum Latinis; atqui in hac doctrina statim convenerunt, ut constat ex eodem Concilio Florentino sess. 18. ubi Marcus Ephesinus agens partes Græcorum, & disputans cum Joanne Theologo ita habet: *quemadmodum divina substantia, & persona differant inter se, non opus est in præsentia dicere, cùm præsertim in hoc minimè differamus, constat enim ipsas differre simpliciter, ut commune differt à proprio, ut Magnus Basilius ad suum fratrem Gregorium scribit, & quemadmodum (ut utar exemplo vulgari) humana substantia à persona sua differre videtur, ut vos quoque sentire censeo*; ergo &c. Confirmatur 5. quia aliter, ut expendenti constabit, præsertim, si recolat doctrinam Catholicam in Tractatu de Trinitate, non potest intelligi, quod definitum à Florentino, nempe quòd natura divina non generat, & quòd datur realis distinctio inter generantem, & generatum, ideo Patrem generare virtute naturæ, neque intelligi posset, quomodo spiratio activa non spiret Spiritum Sanctum, sed spirent Pater, & Filius virtute spirationis activæ, quod latè promovet, & explicat Joannes Theologus in eodem Concilio Florentino; ergo &c.

607. Probatur 2. conclusio: natura creata constitutiva creati suppositi ita est se ipsa ex doctrina Conciliorum, & Patrum subsantialiter incompleta in ratione suppositi, aut compositi subsantialis subsistentis; ergo suppositum creatum supra naturam addit complementum subsantiale positivum, quod cum natura constituit suppositum, sive compositum subsistens. Probatur antec. Natura creata constitutiva creati suppositi, eò quòd sit se ipsa subsantialiter completa in ratione naturæ, non potest cum natura divina constituere per subsantialem unionem unam naturam juxta doctrinam Conciliorum, & Patrum, ut constat à num. 587. & tamen in ratione subsistendi constituit unum subsantiale compositum cum subsantia divina: ergo naturæ humanæ aliquod subsantiale complementum deficiebat in linea subsistendi, cum quo constitueret unũ totum subsantiale, ideóq; in linea hac erat subsantialiter incompleta, & completur

pletur per subsistentiam Verbi, ac proinde suppositum creatum supra naturam addit complementum substantiale positivum, quod vocamus subsistentiam. Confirmatur 1. ex Divo Thoma Quodlibeto 2. art. 1. in corp. ubi ait: *Divinitas autem in natura quidem non potuit uniri nec animæ, nec corpori, quia cùm sit perfectissima natura, non potest esse pars alicujus naturæ, sed fuit unita animæ, & corpori in persona*; ergo non potuit constituere cum humana natura naturam; quia hæc erat completa in sua linea, & potuit constituere cum ea unum compositum subsistens; quia non erat substantialiter completa in ratione subsistendi.

608. Confirmatur 2. ex Concilio Lateranensi sub Martino I. cap. 6. ubi dicitur: *si quis non confitetur, verè, & propriè ex duabus naturis Deitate, & humanitate secundùm subsistentiam unitis inconfuse, & indivisè, eundem, & unum Christum esse, sit condemnatus*; quod etiam tradit can. 7. & 8. Similia habet Concilium Hispalense 2. adducendo can. 13. pro hac veritate plurima testimonia veteris, & novi Testamenti, & antiquos Ecclesiæ Patres, & Doctores, nempe Hilarium, Ambrosium, Gregorium Nazianzenum, Basilium, Cyrillum, Athanasium Augustinum, Leonem Papam, & Fulgentium; quod etiam tradunt 5. & 6. Synodi generales, plurimaque alia Concilia, ex quibus ita conficitur argumentum: juxta Concilia, & Patres natura humana non potest substantialiter uniri naturæ divinæ ad constituendum cum natura divina unam naturam, & tamen unitur substantialiter natura humana subsistentiæ divinæ, constituitque cum illa unum substantiale subsistens: ergo natura humana se ipsa in sua specie est substantialiter completa in ratione naturæ, & non est se ipsa substantialiter completa in ratione totius substantialis subsistentis. Probatur conseq. Anima rationalis eò ipsò, quòd excludat partes continuas, & habeat omnia prædicata substantialia constitutiva ipsius, in ratione formæ rationalis non potest habere unionem substantialem cum alia forma rationali, & cum illa constituere unam substantialem formam rationalem; neque per illam substantialiter compleri: ergo si natura humana se ipsa haberet omnia prædicata substantialia requisita ad unum compositum substantiale subsistens, non posset terminare unionem substantialem ad personam divinam constituendo cum illa unum substantiale subsistens. Vide num. 613.

609. Probatur 3. conclusio: natura, & persona non distinguuntur, sicut aliquid, & nihil, sed sicut aliud, & aliud, ita ut natura sit ratio essendi, personalitas verò modus substantialis essendi, quo natura indiget, ut sit proximè operativa; ergo persona supra naturam non addit negationem tantùm, sed aliquod complementum substantiale positivum. Probatur antec. auctoritate Justiniani in Edicto Fidei à Vigilio Papa approbato, ubi dicitur: *omnes Sancti Patres consonanter docent, aliud esse naturam, sive substantiam, & aliud subsistentiam, sive personam, & naturam quidem hoc, quod est commune, significare; personam verò hoc, quod est speciale.* Illa enim verba adversativa *aliud*, & *aliud*, commune, & speciale, quæ correspondent naturæ, & subsistentiæ, planè significant, subsistentiam non esse puram negationem, seu purum nihil, sed esse aliquid speciale distinctum à natura, quæ est substantiale naturæ complementum, sive conditio substantialis, qua indiget natura, ut sit proximè operativa; ergo &c. Confirmatur 1. sicut persona indiget aliquibus dispositionibus accidentalibus ad operandum, ita etiam natura indiget conditione substantiali, quæ est specialis modus illius, & vocatur subsistentia, sine qua non redditur natura proximè operativa in linea substantiali; aliter natura non solùm esset principium *quo*, seu virtus immediatè operativa, sed esset etiam principium *quod* contra doctrinam Patrum, & Conciliorum, ut constat àn. 593. & 604. ergo &c.

Confirmatur 2. Personalitas apud Sanctos Patres est modus substantialis essendi, sive differentia substantialis naturæ, qua natura, sive principium *quo* productivum redditur proximè expeditum in linea substantiali ad operandum; unde persona est, quæ per suas actiones, & proprietates nobis innotescit, non verò per negationem; ergo personalitas creata non est quid negativum, sed est aliquid substantiale positivum. Probatur antec. ex Damasceno cap. 4. Dialecticæ, ubi ait: *natura est principium motûs, & quietis cujuslibet rei*; & cap. 43. *persona est, quæ per suas actiones, & proprietates perspicuam, atque circumscriptam eorum, quæ ejusdem naturæ sunt, declarationem nobis præbet, ut Gabriel, dum Sanctam DEI Genetricem alloqueretur*; & cap. 46. agens de substantia: *dictum est insuper de ipsius divisione, quidquid inter substantiam, & substantiales differentias interest, nimirum, quòd substantia per ipsas informata, certam speciem absolvit, & certam qualitatem contrahit.* Ex quibus verbis apparet, ad constituendam certam speciem personæ in aliquo determinato individuo concurrere substantiam, & substantiales differentias, cum hoc tamen discrimine, quòd in DEO propter suam simplicitatem substantiales differentiæ solùm distinguuntur virtualiter intrinsecè à natura; in nobis verò, sive in Angelis per limitatam perfectionem creatam impotentem in sua linea identicè comprehendere, quod in sua linea comprehendunt duo prædicata divina virtualiter intrinsecè distincta, requirit distinctionem realem, & compositionem; quamquàm enim Damascenus hanc rationem substantialem differentialem sæpe adducat ad explicandâ personam ex doctrina, ut ipse ait, Sanctorum Patrum, nunquam tamen recurrit ad puram negationem; ergo ex Divo Damasceno, & Sanctis Patribus subsistentia creata non stat in pura negatione, sed in positiva differentia substantiali.

Resp.

611. Respondebis cum aliquibus, falsum esse illud principium, actiones sunt suppositorum, quia solùm procedunt à natura, quæ est tota substantia creati suppositi. Unde suppositum creatum non addit aliquid substantiale positivum supra naturam, sed tantùm addit aliquid negativum. Contrà tamen; quia principium illud satis colligitur ex Conciliis, & Patribus citatis à num. 593. & 604. imò licèt hìc non multùm curem, an Aristoteles expressè cognoverit subsistentiam, vel non? nihilominus ex suis principiis, ut ajebat Joannes Theologus n. 603. sufficienter videtur colligi posse, subsistentiam esse conditionem substantialem ad agendum, qua completur natura, ideo illi toti consurgenti ex natura, & subsistentia tribuitur operatio, quod idem est, ac dicere, actiones esse suppositorum. Legatur Aristoteles lib. 1. de anima cap. 8. textu 64. ubi ait: *dicere, animam irasci, vel timere, simile est, atque si quis diceret, animam texere, vel ædificare; melius est fortasse dicere non animam, sed hominem animaratiocinari;* quod perinde est, ac dicere, actiones esse suppositorum. Ratio istius principii, est ea, quam nuper assignavimus; quia scilicet quælibet substantialis natura creata ex propria quidditate non minùs est substantialiter incompleta, quàm sit incompleta accidentaliter; unde non minùs indiget complemento substantiali, quod vocatur subsistentia, ut sit proximè substantialiter operativa, quàm indiget accidentibus, ut actu operetur.

612. Probatur 4. ex Concilio Francofordiensi in Epist. ad Fideles Christi universos, columna 2. ubi ait: *itaque in DEO, & homine gemina subsistentia, sed non gemina persona est; quia persona personam consumere potest: siquidem persona res juris est, subsistentia res naturæ*; quibus verbis censet Concilium, personam esse rem distinctam à natura, aliter non esset vera illa adversativa *res juris, & res naturæ*; ergo persona supra naturam non addit puram negationem, sed aliquod substantiale complementũ, cum quo constituit principium, *quod* ad negandum: nec refert, si dicas, illa non esse Concilii, sed Paschasii verba, & quòd Concilium non approbaverit fundamentum Paschasii, sed doctrinam, qua asserebat, in Christo non esse duas personas. Nihil enim refert; nam Patres Concilii Francofordiensis non solùm meminere asserti Paschasii, sed fundamenti ipsius, neque rationem omittunt, sed commendant modô, quo non fuit commendata à Concilio Nicæno ratio Joannis Thessalonicensis, qui dicebat, Angelos depingi posse, quia sunt corporei: nam Concilium Nicænum, licèt definiêrit, posse Angelos depingi, rationem tamen illam non commendavit sed omisit. Quare in casu nostro ex hoc Pascha, si testimonio validè possumus arguere contra Adversarios.

613. Probatur 5. Si natura humana non esset incompleta substantialiter in ratione creati suppositi, non posset per unionem substantialem, ad subsistentiam Verbi illa perfici, & in illa subsistere, sicut quia est perfecta in ratione naturæ, non potest per unionem ad naturam Verbi ab illa perfici in ratione naturæ, ut constat à num. 607. atqui natura humana per unionem ad subsistentiam Verbi ab ea perficitur substantialiter, & in Verbo subsistit; ergo &c. Probatur min. ex Concil. Hispalensi 2. Can. 13. ubi ait: *Probatur ergo veritas veteris, ac novi testamenti testimoniis, in quibus duæ naturæ Christi perfectæ sunt in una subsistentes persona* Sic etiam Damasc. lib. 3. de Fide cap. 9. *sed non est necesse naturis invicem secundum hypostasim conjunctis, ut unaquæque propriam habeat hypostasim; nam fieri potest, ut unam conveniat hypostasim, neque eas subsistentes esse, neque unamquamque propriam retinere hypostasim, sed unam eandémque hypostasim habere utramque; namque ipsius Verbi hypostasis, utriusque naturam hypostasis existens nullam subsistentem esse permittit*; etiam in Pontificali Romano, qui consecrandus est Episcopus, ita interrogatur: credis Christũ in duabus & ex duabus naturis subsistere, & respondet credo.

614. Probatur 6. Suppositum in ratione suppositi est substantia totalis, sive prima substantia, quæ ut constat ex Aristotele cit. 594. est maximè substantia, sive magis substantia, quàm secunda; atqui id, quod habet magis de substantia, est, quod pertinet ad subsistentiã, & non ad naturam, quæ eadem consideratur in secunda substantia, ergo subsistentia est complementũ substantiale superadditum naturæ. Confirm. 1. Substantia, & accidens, quoadmodũ existendi per hoc differunt, quod substantia per se subsistit, & accidens non subsistit per se, & inhæret subjecto; ac proinde id, per quod substantia per se subsistit, debet proportionaliter correspondere illi, per quod accidens inhæret subjecto; atqui accidens inhæret subjecto non per meram negationem, sed per modum accidentalem positivum inhærentiæ; ergo substantia per se subsistit, non per meram negationem, sed per modum substantialem positivum subsistentiæ. Confirmatur 2. Ex duobus modis existendi; si modus imperfectus est positivus, à fortiori modus perfectior debet esse positivus, atqui modus existendi per se est perfectior, quàm modus inhærendi; ergo ex eo quod modus inhærendi sit positivus; modus subsistendi per se debet esse positivus. Confirm. 3. Persona non est ens per accidens, sed ens per se, atqui aggregatum ex natura, & negatione non est ens per se, sed per accidens; siquidem negatio non potest esse substantia contrapositi accidenti; ergo modus naturæ, quo subsistit natura, non est negativus sed substantialis, & positivus.

615. Probatur 7. Persona unita alienæ naturæ potest consumere alteram personam, quin consumat naturam, ut constat ex Concil. Francofordiensi n. 612. sed exinde infertur subsistentia esse aliquid positivum; ergo ex mente Concilii non est purè negativum; ergo &c. Probatur min. si verè & absolutè dici potest perso-

nam consumi, quin deficeret positivum aliquid, sed tantùm negativum, etiam posset dici, consumi naturam, cùm illi quoque deficiat aliquid negativum, videlicet non esse unitam personæ divinæ; atqui ex eo, quod naturæ deficiat aliquid negativum, non posset verè, & absolutè dici, naturam consumi; ergo ex eo quòd deficeret aliquid tantùm negativum, non posset verè dici, personam consumi.

616. Confirmatur: subsistentia Verbi uniti humanitati supplet subsistentiam propriam ipsius humanitatis in ordine ad reddendam humanitatem subsistentem in Verbo, sive substantialiter completam in ordine ad operandum, ut constat ex Concilio Hispalensi, & Damasc. cit. num 613. atqui si subsistentia consisteret in pura negatione, & non esset substantialis, non posset subsistentia Verbi per unionem humanitatis ad Verbum supplere subsistentiam propriam humanitatis in ordine ad reddendam illam ita subsistentem; ergo &c. Probatur min. eò ipsò, quod Aër constituitur tenebrosus per hoc, quòd non habeat sibi unitam lucem, lux ut unita aëri non potest supplere negationem hujus in ordine ad reddendum aerem tenebrosum; ergo si humanitas constitueretur subsistens per negationem unionis cum subsistentia Verbi, subsistentia Verbi ut uniti humanitati non posset supplere talem negationem in ordine ad reddendm humanitatem ita subsistentem.

SECTIO III.

Illationes doctrinæ nostræ.

617. Fit 1. Ex dictis, quomodo intelligenda sit illa propositio à Conciliis, & *PP.* tradita num 586. nempe, quòd Verbum divinum assumpsit humanitatem, & non assumpsit hominem: in nostris quippe principiis intelligitur facilè; quia assumpsit totâ humanitatem, & non assumpsit creatum substantialem modũ essendi, qui est subsistentia creata, ex qua & ex humanitate consurgit purus homo: exquo iterũ impugnari quoque possunt Adversarii fundamentò desumptò ex Concilio Ephesino, quod postquam can. 2. definivit, Verbum divinum substantialiter unitum esse carni, canone immediatè sequenti definit; post hanc unionem non mansisse duas substantias; unde non est realiter idem juxta Concilium, naturam humanam esse substantialiter unitam subsistentiæ divinæ, & non habere subsistentiam creatam; alioquin secunda illa definitio planè esset frustranea, sicut quia est idem realiter orbari omni luce, & esse tenebrosum, non rectè hic agere censeretur, qui postquam probavit locum orbatum esse omni luce, probari deinde conaretur, eum esse tenebrosum.

618. Fit 2. Humanitatem Christi Domini revevera subsistere per subsistentiam Verbi, ut constat ex num. 613. quin constituat personam humanam cum subsistentia Verbi; unde in Christo Domino sunt duæ naturæ subsistentes, & non sunt duæ personæ, sed una tantùm persona, ut contra Nestorium docent PP. & Con. adducta à num. 584. Ratio est, quia tunc natura subsistit per aliquam subsistentiam, quando ab illa substantialiter completur, & in linea substantiali fit proximè operativa; cùmque ita compleatur humanitas Christi Domini à subsistentia Verbi exinde humanitas Christi Domini revera subsistit per subsistentiam Verbi: at verò natura completa, ut cum ea subsistentia constituat personam, est opus, ut personalitas absque ea natura, quam exigit, esse non possit, vel ab ea natura, quam terminat, accipiat quoque perfectionem, ut natura cum ea subsistentia, quod ad personam constituendam requiritur ex num. 612. maneat sui juris, & non sit juris alterius, à quo terminatur: cúmque humanitas Christi Domini, neque exigatur à subsistentia divina, neque ullo modo possit subsistentiam divinam perficere, sed solùm possit ab ea perfici, & revera perficiatur; exinde non manet sui juris, neque subsistit in se, sed in alio; ac proinde non constituit personam, quæ est ratio Rustici Diaconi contra Cephalum Nestorianum contendentem, esse in Christo personã creatam, cùm sit natura creata, cui Rusticus, ut habetur tom. 6. Bibliothecæ novæ part. 2. Editionis Colonienſis, ita respondet; *quia Deus illam naturam humanam, non quam sua gratia, atque gubernatione depositam reliquit &c. Sed & ob hoc eam creavit, non ut sua, sed ut ejus esset & super semetipsum eam fundavit tanquam basim quandam, Vel fundamentum.* Unde

Fit 3. Humanitatem Christi Domini (quod idem est de quacunque natura creata, non posse subsistere in alio, nisi in supposito divino; ratio est, quia, ut subsistat non quidem in se, sed in alio, opus est, ut ita recipiat perfectionem per unionem substantialem cum alteo subsistente, ut hoc vi talis unionis neutiquam perficiat; atqui solùm suppositum divinum potest uniri ita substantialiter humanitati, ut eam substantialiter perficiat, & ab illa neutiquam perficiatur, ratione suæ immutabilitatis, & perfectionis simpliciter infinitæ & incapacis augmenti, aut diminutionis, ut constat à n. 24. ergo à solo supposito divino potest humanitas, aut quævis natura creata reddi subsistens, non quidem in se, sed in alio, ac proinde ita fieri subsistens, ut non constituat personam. Quamobrem Divus Thomas 3. part. quæst. 3. art. 1. ad secundum accuratè dixit: *hoc autem est proprium divinæ personæ propter ejus infinitatem, ut fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundùm subsistentiam.*

Ratio Div. Thom. est ea, quam dedimus num. superiori, ut habet 3. quæst. 3. art. 2. ad tertium his Verbis. *Sciendum est tamen, quod non quodlibet individuum in genere substantiæ etiam in rationali natura habet rationem personæ, sed solùm illud, quod per se existit, non autem quod*

quod existit in alio perfectiori, unde manus sortis, quamvis sit quoddam individuum, non tamen est persona, quia non per se existit, sed in quodã perfectiori, scilicet in suo toto, & hoc etiam potest significari in hoc, quòd persona dicitur substantia individua: non enim manus est substantia, sed pars substantiæ. Licèt ergo hæc humana natura sit quoddã individuum in genere substantiæ, quia tamen non per se separatũ existit, sed in quodã perfectiori, scilicet in persona Dei Verbi, consequent est, quòd non habeat personalitatẽ propriam; & ideo facta est unio in persona. Unde quando D. Thomas, aliique dicunt, Verbum subsistere in humanitate, idẽ est, ac dicere, quòd perficit humanitatem in ratione subsistendi, eamque reddit non quidem in se ipsa, sed in Verbo subsistentem.

621. Fit 4. quid dicendum sit ad illam difficultatem ab Antiquis acriter agitatam, ut refert Vasquez disput. 16. cap. 1. in qua quæritur, an persona Christi debeat dici composita? ut quæstionem istam juxta principia nostra facilè decidamus, distinguenda est duplex compositio, ut cum Durando notârunt plerique Theologi; altera quidem dicitur compositio absoluta, sive rei in se, quæ appellatur compositio rei ad intra, vel hujus ex his; cujus generis est compositio hominis ex natura, & subsistentia, compositio humanitatis ex anima rationali, & corpore, & compositio continui ex suis partibus; altera est compositio relativa, qua res cum alia posita, seu unita dicitur, ideóque manet simul posita, vel composita, quæ quidem vocatur compositio ad extra, sive hujus ad hoc, vel cum hoc. Idcirco unio vocatur compositio, quia vi illius unum simul cum altero ponitur; unde si sit unio ad intra, erit compositio ad intra, sive rei in re; si verò sit unio ad extra, erit compositio ad extra, sive hujus ad hoc, vel cum hoc; quo in sensu anima rationalis in se simplex dicitur in homine composita, hoc est vi unionis cum corpore posita simul cum corpore; primum genus compositionis opponitur simplicitati; secundum genus non quidem simplicitati, sed separationi opponitur.

622. Ex quo apparet, valde diversum esse quærere, an Christus sit compositus, ac quærere, an persona Christi sit composita: quòd enim Christus sit compositus compositione absoluta, est certum de Fide, ut constat ex 5. Synodo generali can. 4. *si quis non confitetur (sicuti Sancti Patres docuerunt) unionem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali, & intellectuali secundùm compositionem, id est secundùm subsistentiam factam, & propterea unam ejus subsistentiam, qui est Dominus noster JESUS Christus, unus de Sancta Trinitate, talis Anathema sit*; quod etiam traditur can. 7. & in 6. Synodo Constantinopolitana act. 4. & in Concilio Lateranensi sub Martino I. can. 8. & 16. At persona Verbi non est composita compositione absoluta; unde si Verbum divinum non assumpsisset naturam humanam, sed Angelicam, non esset quidem idẽ compositum, & tamen esset idẽ suppositum, eademque persona. Idcirco Div. Thomas ut omnino certum supponit, Christum esse compositum, ac proinde 3. part. quæst. 2. artic. 4. non quærit, an Christus sit compositus, sed, *utrum hypostasis, vel persona Christi post Incarnationem sit composita.* Neque ad compositionem requiritur, quòd utrumque extremum sit pars, aut perfectibile, sed satis est, quòd unum extremum sit perfectibile, & pars, & quòd alterum sit duntaxat perfectivum, ut dixi à num. 266.

623. Quamobrem dicendum est, juxta nostra principia, personam Verbi esse verè, & realiter compositam compositione relativa ad aliud, vel cum alio, nempe cum humanitate: unde datur vera compositio duarum naturarum in una persona Verbi, sive secundùm hypostasim. Ratio est, quia, quando licèt unum extremum sit in se simplex, immutabile, & imperfectibile, est tamen reverâ perfectivum, & per substantialem unionem alterum perficit, reverâ constituit cum altero unum compositum, ideóque illa unio est compositio, & extrema sunt composita compositione relativa, scilicet ad aliud, vel cum alio; atqui ita se habet persona Verbi cum humanitate vi substantialis unionis, ut constat ex num. superiori; ergo &c. Idcirco persona Verbi non potest dici verè composita compositione absoluta; quia humanitas assumpta non constituit personam, ut constat num. 618. siquidem persona Verbi in ratione personæ est omnino simplex, & manet eadem, quæ erat ab æterno, atque in triduo mortis, in quo non erat humanitas, eadem omnino permansit. Hoc autem evenire non posset, si esset composita compositione absoluta, ut constat ex dictis; ergo &c.

624. Ex hac doctrina facilè componuntur testimonia Sanctorum Patrum dicentium, Personam Christi non esse compositam, & altera testimonia Sanctorum Patrum dicentium, esse compositam; nam hæc affirmantia intelliguntur de compositione relativa, & altera negantia intelliguntur de compositione absoluta. Unde quando S. Theodorus Cariæ Episcopus Opusc. 2. ait: *vterni Filii Dei hypostasim ex Deitate, & humanitate non dicimus propriè compositam; omne enim, quod propriè compositum est, non erat priùs, quam completa essent ea, ex quibus compositum est.* Ex ipsa quippe ratione, quam tradit S. Theodorus, perspicuè apparet, ipsum loqui de compositione absoluta, quam non admittit in persona Christi. Præterea quando Damascenus lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 3. aliique docent, in Christo Domino hypostasim, aut personam esse compositam ex natura divina, & humana, intelligendi sunt de compositione relativa, ita, ut intelligatur persona composita, non quidem secundùm se, & in ratione personæ; sic enim est omnino simplex, sed in officio, & exercitio personæ, in quantum subsistit in duabus naturis, sic quasi habet duplica-

tum officium, & ministerium personæ, cùm sit persona naturæ divinæ, & simul hypostasis, suppositum, & persona humanæ naturæ, reddens naturam humanam in se ipsa persona subsistentem. Videatur Divus Thomas 3. part. quæst. 2. art. 4.

625. Ex hac etiam doctrina facilè rejicies aliquorum Theologorum locutiones, qualis est illa Cajetani 3. part. quæst. 3. art. 1. in fine comment. dicentis: *persona Filii Dei facta est persona humana, & in quantum est persona humana, constituitur per naturam humanam;* sic enim Alexander Mod. quæst. 9. de Incarnat. artic. 6. num. 6. ubi docet, *personam Christi, seu Verbi post hoc Mysterium verè dici posse personam humanam:* sic etiam Bernal disput. 15. sect. 6. *persona Christi propriè est, & dicitur creata, & increata;* cùm enim ad rationem personæ requiratur, quòd natura constituens personam maneat sui juris, sive quòd in se subsistat, & natura humana non possit in se subsistere, quin constituat distinctam personam à persona Verbi, illæ locutiones videntur præbere ansam Nestorianis; quin potiùs, ut diximus à num. 562. persona multiplicatur ad multiplicationem personalitatis, quam significat per modum subjecti, quamvis DEUS importans per modum subjecti, & homo requirant ad sui multiplicationem, quòd natura simul, & subsistentia multiplicetur, ideóque primò, & per se utrumque significant, juxta propriam nominum impositionem, ut tradit Divus Thomas ibi à nobis adductus.

626. Fit 5. non posse naturam humanam uniri substantialiter personæ, v. g. Angeli Michaëlis, ut subsistat per personam Michaëlis. Ratio est, quia si natura humana uniretur substantialiter supposito Michaëlis, constitueretur aliquod ens per se nobilius quidem solo Angelo, ideóque exigeret modum substantialem essendi distinctum à modo substantiali essendi solius Angeli, qui proinde modus jam non esset subsistentia debita soli Angelo. Rursus unaquæque natura esset pars illius totius: pars autem, ut pars, non est sui, sed totius, aut extremi completi, à quo perficitur, & quod non perficit, ut patet in Christi humanitate, quæ ea de causa non est sui juris, neque subsistit in se, sed in Verbo. Unde in eo casu dici non posset, quòd natura humana assumeretur ab Angelo, vel è converso: ergo non potest natura humana substantialiter uniri personæ Michaëlis, ut subsistat per personam Michaëlis.

627. Præterea non apparet possibilis, neque fingi debet aliqua subsistentia creata communis naturæ humanæ, & Angelicæ, qua ex homine, & Angelo constituatur una persona creata. Ratio est, quia omnis subsistentia per se una ex principiis Theologicis est primò, & per se unius tantùm naturæ completæ in ratione naturæ, nec potest secundariò terminari ad alteram naturam, nisi possit illam perficere, quin ab ea perficiatur, quod est proprium personæ divinæ propter infinitam suam perfectionem, ut dixi à n. 619. quin modus subsistentialis essendi naturæ Angelicæ, utpote speciei perfectioris, non potest esse primò, & per se modus subsistentialis essendi naturæ humanæ, utpote speciei minus perfectæ, ac proinde tantùm posset excogitari secundariò, & per accidens; atqui modus imitatus, & realiter distinctus ab entitate essentiali non potest dare denominationem modalem, quam per se semel non tribuit: ergo nullo modo est possibilis subsistentia Angeli, quæ simul sit subsistentia personæ humanæ; quòd si quis talem subsistentiam mente fingeret, nihil exinde contra nostras assertiones inferre posset; siquidem in ea hypothesi Angelus, & homo essent una persona, ad eum modum (proportione servata) quo in Christo defactò sunt homo & Deus una persona.

Fit 6. subsistentiam creatam, utpote modum substantialem essendi complentem naturam in ratione principii expediti in linea subsistentiali ad operandum ita necessariũ esse naturæ, ut non possit existere sine illo modo, vel illius compensativo per divinam subsistentiam habito ex dictis à num. 626. Quamobrem si humanitas unita Verbo amitteret unionem hypostaticam, cùm non possit existere sine modo subsistentiali statim, atque esset separata, retineret suum modum subsistentialem requisitum ad existendum separatè. Unde eò ipsò, quòd maneret separata à divina persona, maneret quoque persona creata, & humana, quod & ratione philosophica, & ratione Theologica suaderur. Ratio philosophica est, quia natura creata vi subsistentiæ substantialiter sistit vel in se, vel in alio, non minùs, quàm corpus vi præsentiæ ubicetur hìc, vel alibi. Unde sicut corpus existens, si non habeat ubicationem alibi, necessariò infertur, eam habere hìc; ita etiam si natura creata subsistentialiter non sistat in alio, necessariò infertur, eam sistere in se, ac proinde habere suum modum subsistentialem essendi, sive quod idem est, subsistentiam creatam; quin potiùs, cùm naturã creatam subsistentialiter sistere in se, sive in alio, habeatur ratione limitationis ex dictis à num. 592. & non posset substantialiter esse, nisi limitata; exinde non potest esse substantialiter, quin sistat in alio, vel in se; unde eò ipsò, quòd humanitas Christi maneret separata à subsistentia divina, sineret subsistantialiter in se, atque retineret propriam subsistentiam, & esset persona creata. Quid autem dicendum sit de natura integra in specie, quæ tamen possit constituere totum substantiale entitativum, constabit à num. 632.

Ratione Theologica suadetur etiam doctrina nostræ illationis, quia essentiam subsistentiæ creatæ debemus Theologicè inferre ex doctrina Conciliorum, & ex principiis Fidei; sed ex hac doctrina inferimus, subsistentiam creatam esse hujusmodi modum substantialem, atque ita necessariam naturæ, ut in se sistat substantialiter, si ea non habeat nobilius divinum compensativum,

vum, quo ſubſiſtat in alio ; ergo &c. Prob. min. quia ex Conciliis habemus, humanitatem non retinere propriam ſubſiſtentiam, eò quòd ſit unita ſubſtantialiter ſubſiſtentiæ Verbi, ac proinde non poſſe denominari naturam ſubſtantialiter in ſe ſiſtentem, ſive ſui juris, ut habetur in 5. Synodo Generali can. 4. citato num. 622. & can. 5. ubi dicitur. *Si quis non confitetur, Dei Verbum carni ſubſtantialiter uniri, & propterea unam ejus ſubſiſtentiam, vel unam perſonam, & ita Sanctam Calcedonenſem Synodum, unam ſubſiſtentiam Domini noſtri JEſu Chriſti confiteri, talis anathema ſit. Neque enim adjectionem perſonæ, vel ſubſiſtentiæ Sancta Trinitas ſuſcepit ex incarnato uno de eadem Trinitate Deo Verbo ;* Ex quo apparet, naturam creatam, utpote diſtinctam in ſpecie à natura divina non poſſe retinere propriam ſubſiſtentiam ſimul cum alinea ; cùm non poſſit natura ſiſtere, & non ſiſtere, ſubſtantialiter in ſe, & non eſſe ſui juris ; ſimúlque infertur, non poſſe admitti propriam ſubſiſtentiam ſimul cum aliena ; cùm non poſſit natura ſubſiſtere, & non ſiſtere ſubſtantialiter in ſe, & non eſſe, ſui juris ; ſimúlque infertur, non poſſe amitti propriam ſubſiſtentiam, niſi ſuppleatur per divinam qua natura humana non ſiſtens ſubſtantialitet in ſe ſiſtat ſubſtantialiter in alio.

630. Quòd autem ea extrema ſeparata, ut per ſe exiſtant, ſive in ſe ſubſtantialiter ſiſtant, requirant modum ſubſtantialem poſitivum, non ſolùm infertur ex rationibus adductis, verùm etiam ex Div. Thoma cap. num. 563. tum etiam 3. part. quæſt. 2. art. 2. in corpor. ubi docet, *ſuppoſitum ſignificari ut totum habens naturam tanquam partem formalem perfectivam ſui ; pars autem formalis & perfectiva alterius dicitur relatè ad alteram compartem, quam perficit*, tum etiam lib. 4. contra Gentes cap. 43. docet: *quod ſi hypoſtaſis humana non remaneret in natura, in qua aſſumenda à Verbo præextitiſſet, hoc ſine corruptione non potuiſſet accidere ;* corruptio autem eſt de aliquo poſitivo. Sic etiam 3. part. quæſt. 7. art. 2. ad tertium concedit, quòd Deus non poſſit aſſumere naturam Angelicam Angeli præexiſtentis ſine ulla deſtructione, vel corruptione perſonalitatis Angelicæ ; & art. 2. ejusdem quæſtionis ait ; *ſi enim humana natura non eſſet aſſumpta à divina perſona, natura humana propriam perſonalitatem haberet. Et pro tanto dicitur perſonam conſumpſiſſe, perſonam habet impropriè, quia divina perſona ſua unione impedivit, ne humana natura propriam perſonalitatem haberet ;* unde quando Divus Thomas videtur inſinuare, perſonam humanam, non indiſtingui à materia & forma ſubſtantialiter unitis, intelligendus eſt, quando iſta in ſe ipſis ſiſtunt, ut dicemus ſect. ſequenti

631. Fit 7. Partes naturæ compoſitæ ex materia & forma habere quoque partiales ſubſiſtentias, ſicut eas in ſuo ordine etiam habet natura compoſita ex pluribus partibus integralibus, & ſubſtantialiter continuativis extenſis ; ratio eſt, quia Verbum divinum retinuit partes inter ſe ſeparatas, etenim in triduo mortis anima, & corpus amiſerunt unionem inter ſe, & remanſerunt cum unione ad Verbum ; atqui Verbum vi unionis hypoſtaticæ ſupplet defectum propriæ ſubſiſtentiæ, ut partes illæ, quæ non ſiſtunt in ſe, ſubſiſtant in Verbo, à quo reddunturin linea ſubſtantiali proximæ operativæ ; ergo partes illæ, quamvis inter ſe ſeparatæ exigunt partiales ſubſiſtentias pariter in partibus integralibus. Sicut enim caput non eſt ſuppoſitum, neque perſona, bene verò partialis natura integralis, cùm ſe ipſo non ſit natura humana, cujus vel actualiter, vel potentialiter eſt integrale conſtitutivum, ſic non exigit adæquatam, ſed partialem ſubſiſtentiam integralem, ut cum reliquis partialibus ſubſtentiis conſtituat integram in ſpecie naturam humuaam, & ſuppoſitum. Si non ſuppleatur defectus propriæ ſubſiſtentiæ à ſubſiſtentia divina.

Cæterùm partes integrales, & continuativæ, licèt conveniant cum partibus eſſentialibus in eo, quòd non habeant rationem ſuppoſiti, dum ſunt unitæ, ideóque, ut docet Div. Thom. 1. part. quæſt. 75. propriè & per ſe ſubſiſtens dicitur, quod neque prædicto modo inhæret, neque eſt pars, ſecundùm quem modum oculus aut manus non poſſet dici per ſe ſubſiſtens, & per conſequens neque per ſe operans. At quando ſunt ſeparatæ, non ita conveniunt. Ratio eſt, quia aliter ſe habent partes eſſentiales ſeparatæ v. g. materia & forma, vel partes integrantes eam naturam, ut gutta atq; in ſpecie ajebat Div. Thomas, cit. num. 596. at partes purè continuativæ ſe ipſis retinent integram in ſpecie naturam, ut gutta aquæ ſeparatæ ab Oceano retinet integram in ſpecie aquæ naturam in ratione naturæ ; proinde ſubſiſtentia aquæ ſeparatæ complet naturam integram in ratione naturæ, eámque denominat ſuppoſitum ; ſubſiſtentia verò brachii, aut animæ ſeparatæ non terminat naturam integram in ſpecie in ratione naturæ, dum non terminat naturam humanam ; unde non poteſt animam ſeparatam denominare ſuppoſitum. 632.

Ex quo etiam colliges, guttam ſeparatam non denominari ſuppoſitum à negatione unionis tanquam à forma, licèt ea negatio ſit conditio requiſita, ut denominetur totum ; etenim quando guttæ aquæ ſunt conjunctæ, non denominantur duo tota, ſed partes integrales ejusdem totius continui ſubſtantialis, ac proinde ſubſiſtentiæ ipſarum dicuntur partiales ſubſiſtentiæ reſpectu illius totius ; quando verò ſunt ſeparatæ, dicuntur duo tota ſubſtantialia, quorum quodlibet habet naturam in ſpecie integram, in ratione naturæ ; & ideo tunc à ſuis ſubſiſtentiis denominantur ſuppoſita. Unde quod denominatur, & eſt ſuppoſitum & principium *quod*, non eſt aliquid accidentale, ſed 633.

substantiale, constitutum ex natura, & subsistentia, quare ea conditio separationis se habet tanquam dispositio ex parte subjecti capacis, & expediti, ut à sua subsistentia denominetur in se subsistens principium, quod est suppositum. Sic gratia habitualis, quæ est forma filiationis adoptivæ Dei, non denominaret animam Christi, neque Christū Filium Dei adoptivum, quia ad Filium adoptivum requiritur, quòd natura expedita ad susciendam talem denominationem non sit propria, sed extrinseca Patri adoptanti; cùm ergo Christus ratione unionis hypostaticæ sit Filius Dei proprius, & naturalis, exinde vi unionis est impeditus ad susciendam denominationem Filii adoptivi; ac proinde requiritur separatio, ut anima Christi maneat expedita ad sucipiendam talem denominationem.

634. Ea autem separatio ideo est pura conditio, quia neque est subjectum, cùm separatio non denominetur filia Dei, sed talis denominatur anima separata; neque est forma denominans, cùm separatio illa non sit virtus denominans, sed gratia habitualis in anima separata est virtus, quæ denominat, quod idem est de natura, & subsistentia in casu nostro, uti clarè patet ex dictis. Videatur Card. de Lugo disput. 12. sect. 4. ubi impugnat Vasquez contendentem, per separationem unius guttæ ab Oceano destrui totam subsistentiam Oceani, & produci novam subsistentiam in Oceano, & alteram in gutta separata; Hæc enim excogitatio Patris Vasquez, ut bene monet Aldrete disput. 39. sect. 6. rem dicit penitus incredibilem, quod satis est ad doctrinam illam rejiciendam; si enim extractione unius guttæ aquæ, quæ antea continuabatur cum toto mari, amitteretur subsistentia occupans totum spatium maris, similiter per additionum unius guttæ tota præcedens subsistentia corrumperetur, & alia de novo produceretur, quod non est minùs incredibile. Exinde

635. Fit ultimò, subsistentiam non reddere naturam omnino incomunicabilem, sed illam reddere immediatè incomunicabilem naturæ subsistenti, quæ non est de naturali ipsius complemento. Ratio est, quia per subsistentiā materiæ primæ non redditur materia prima incomunicabilis formæ affectæ partiali sua subsistentia, neq; per subsistentiā formæ redditurforma incomunicabilis materiæ; eò quòd materia sit de naturali complemento formæ, & ea forma de naturali complemento materiæ; nec per subsistentiam Patris redditur divina natura incommunicabilis Filio, & Spiritui Sancto, eò quòd natura divina naturaliter exigit tres illas subsistentias; neque natura unius guttæ aquæ redditur per suam subsistentiam incommunicabilis Oceano, eò quòd sit de naturali ipsius complemento continuativo, & possit cum Oceano constituere naturaliter unum totum substantiale continuativum: unde incommunicabilitas, quam tribuit subsistentia naturæ, in eo stat, quòd, dum natura retinet eam subsistentiam, non possit immediatè, & naturaliter communicari alteri naturæ subsistenti, quæ non sit de naturali ipsius complemento.

Quo autem pacto dicantur remanere eadem 63
numero suppositа, quæ per nutritionem, & augmentationem acquirunt semper novas partes materiæ, & subsistentiæ, amissis quibusdam partibus, quas priùs habebant, eodem prorsus modo exponendum est, ac dicitur de natura, quæ quia in sua augumentatione, & nutritione eadem moraliter perseverat, dicitur eadem numerò; eodem modo subsistentia, quæ augetur per nutritionem, aut minuitur, quia moraliter perseverat, dicitur eadem numerò, quod idem est de domo antiqua, ac innovata, millenisque aliis exemplis. Reliqua, quæ hic afferri possent, constabunt melius sect. sequenti.

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

OBjicies 1. contra utramque nostram assertionem: SS. PP. ideo docent non esse in Christo humanam hypostasim, quia humanitas est pars Christi; sic Theodorus Cyriæ Episcopus Tom. 9. Bibliotecæ novæ inquit; *Quia corpus animatum assumptum est pars Christi, idcirco non est hypostasis*, & 5. Synodus Generalis can. 4. à nobis adducto num. 640
622. explicata unione humanitatis ad Verbum ait: *Et propterea unam ejus subsistentiam*, quod etiam reperit eadem Synodus can. 5. à nobis adducto num. 629. sed hoc perinde est ac dicere, humanitatem ideo non subsistere propria substantia, quia est unita Verbo, vel quia non habet negationem unionis ad suppositum divinum; ergo juxta PP. & Concilia subsistentia creata nihil est aliud, quam negatio unionis naturæ completæ in ratione naturæ ad suppositum divinum.

Respondeo, conc. maj. & dist. min. quia non habet negationem unionis, sumpto *ly quia* formaliter constitutivè, nego: arguitivè, conc. min. & nego conseq. ratio est, quia supra dictæ auctoritates solùm evincunt, subsistentiam 641
Verbi non posse terminari ad naturam, quæ non est de naturali ipsius complemento, quin ea natura assumpta careat propria substantia, quod verum est, ut diximus à num. 628. quod autem requiratur, ut natura assumpta careat propria subsistentia, vel ut natura non assumpta propriam substantiam habeat, ex his terminis non infertur; cæterùm, cùm inferatur ex aliis Conciliorum, & PP. testimoniis, quæ supra expendimus à n. 603. quòd subsistentia creata sit aliquid substantiale positivum exinde facilè infertur, quod Concilia, & PP. dicunt; propterea humanitatem caruisse propria subsistentia, quia unita fuit hypostaticè Verbo, nihil

nihil aliud significare, nisi quòd substantialis terminatio divinæ subsistentiæ non sit componibilis cum eadem creata subsistentia humanitatis.

639. Quod, ut clariùs appareat, satis est scire, quod nullus ignorat, nempe *ly quia*, & ly *propterea* dupliciter sumi posse; primò quidem sumitur, ut ratio formalis constitutiva, ut cùm dicimus: Petrus propterea est homo, quia est animal rationale. In præsenti autem non accipi in hoc sensu, constat ex Conciliis, & Patribus à num. 603. Accipitur secundò, & quidē frequentissimè, ut ratio arguitiva, ex qua nempe bene inferimus aliud, cúmque ex eo, quòd humanitas subsistat in Verbo bene inferimus, quòd in se non sistat, ac proinde neque subsistat, ut constat à num. 628. ex unione substantiali ad Verbum bene inferimus, humanitatem non retinere propriam subsistentiā, & propterea in Christo Domino unam tantùm esse subsistentiam; sic dicimus: propterea mundus est productus, quia DEUS voluit illum producere, quin Deus volens sit de constitutivo mundi; tum etiam rectè dicimus: propterea Beati obtinuerunt gratiam, & gloriam, ut coronam, quia Christus redemit illos, eisque dedit auxilia efficacia, quin redemptio, aut auxilia efficacia sint de constitutivo sanctitatis, aut gloriæ; sic etiam Deus propterea dedit sanctis Beatitudinem, quia ex hoc vita decesserunt in gratia, & tamen decessus in gratia non est de constitutivo Beatitudinis.

640. Eodem modo prorsus argumentari licèt ab oppositō; sic ex hypothesi, quod amare, & odio habere sint realiter incompossibilia, rectè dicemus: ideo Petrus non hoc objectum amat, quia illud odio habet, licèt existentia odii non sit formaliter destructio amoris, sive illius negatio, sed causa inferens illius negationem. Sic ex suppositione, quòd ignis sit essentialiter impotens comburere, quin applicetur, rectè dicemus: ignis non comburit, quia non est applicatus, licèt carentia combustionis differat à carentia applicationis; atque in eodem sensu intelligendus est Hugo Victorinus in Apologetico pro Verbo Incarnato, quando ait, propterea naturam humanam Christi non habere propriam personam, quia est unita digniori homine Verbo divino.

641. Objicies 2. Si subsistentia creata esset aliquid positivum substantiale distinctum realiter à natura, eò ipsò esset proprietas naturæ: sed non est proprietas naturæ; ergo non est aliquid positivum substantiale distinctum realiter à natura. Probatur min. Verbum divinum assumpsit naturam humanam cum omnibus suis proprietatibus, ut constat ex plurimis Conciliis, & præsertim ex Lateranensi sub Martino I. can. 9. ubi dicitur: *si quis secundùm Sanctos Patres non confitetur propriè, & secundùm veritatem naturales proprietates Deitatis ejus, & humanitatis indiminutè in eo, & sine deminoratione salvatas, condemnatus sit*; atqui non assumpsit subsistentiam creatam, ut ex iisdem Conciliis planè constat; ergo &c. Confirmatur ex Pascasio lib. 2. de Spiritu S. cap. 4. dicente: *in Christo persona personam consumpsit, quia personares juris est*: ergo personalitas supra naturam non est quid physicum, & positivum, sed quid morale, & negativum consistens in carentia unionis ad subsistentiam digniorem Dei.

642. Respondeo dist. maj. esset proprietas naturæ pro statu, quo caret nobiliori supplementō, omitto, pro statu, quo habet nobilius supplementum, nego maj. & dist. pariter min. nego consequentiam. Ad probationem dist. maj. cum omnibus suis proprietatibus, quæ erant proprietates, & ab ipsa exigebantur pro eo statu unionis, conc. quæ non erant proprietates pro eo statu, neque à natura pro eo statu exigebantur, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Ratio est, quia, ut diximus à num. 22. natura pro diversis statibus diversas exigit proprietates; sic apud omnes Theologos gratia habitualis, quæ est tanquā natura in ordine supernō, exigit pro statu viæ habitum fidei; at pro statu patriæ non exigit habitum fidei, sed habitum luminis, cujus erat substitutum habitus fidei; neque habitus fidei est proprietas gratiæ pro statu patriæ, sed pro statu viæ. Pariter igitur dicimus de subsistentia creata, quæ, licèt daremus, quod est proprietas humanitatis, & quidem essentialiter exigitur ab humanitate pro statu separationis à subsistentia divina, non tamē esset proprietas humanitatis pro statu unionis ad divinam subsistentriā, cùm subsistentia divina sit compensativum multò nobilius, quàm subsistentia creata. Dixi *omitto*; quia nomine proprietatis solet intelligi aliquid accidentale adveniens substantiæ; quo in sensu subsistentia non est proprietas, cùm non sit aliquid accidentale, sed substantiale.

643. Quin potiùs communis Theologorum expositio est, quòd hæc testimonia intelligantur de proprietatibus vel metaphysicis, quas exigit natura in ratione naturæ; sic natura humana eò quòd sit natura humana, est admirativa, risibilis, & volitiva, quæ quidem appellantur proprietates naturæ in ratione naturæ, quod satis indicat Canon ab Adversariis adductus, dicens: *eundem ipsum Deum perfectum, & hominem perfectum secundùm naturam existere*; quod etiam habetur in 5. Synodo can. 4. *manet enim utrumque, quod est secundùm naturam, & post factam unionem substantialiter*. Præterea, quando Concilia dicunt, Verbum assumpsisse naturam humanam cum suis proprietatibus, non possunt intelligi de illis, quæ juxta ipsa Concilia nequeunt conjungi cum assumptione, qualis est subsistentia propria inconjungibilis juxta ipsa Concilia cum ea assumptione. Unde quamvis daremus Adversariis, quòd humanitas exigebat pro eo statu subsistentiam propriam, non posset exinde inferri, eam assumptam fuisse

fuisse à Verbo, eò ipsò, quòd esset proprietas inconjungibilis cum assumptione, quod & ipsi Adversarii immemores sui, docent in Tractatu de Evchariſtia. Docet enim Concilium Tridentinum sess. 15. can. 2. fieri transsubstantiationem panis,& vini,& Corporis, & Sanguinis Christi manentibus duntaxat speciebus panis, & vini ubicationem non manere,sicut nec unionē, seu inhærentiam,per quam uniebantur ante Consecrationem substantiæ panis, & vini, ea accidentia, quæ manent, eò quòd ea ubicatio, & inhærentia sint inconjungibiles cum transsubstantiatione; ergo idem non docent in nostro casu.

644. Ad Confirmationem respondeo cum Sancto Thoma citato num. 630. conc. antec. & nego consequentiam; quia illa verba Paschasii non intelliguntur de consumptione propria totius subsistentiæ humanitatis, sed de impropria, quia divina persona sua unione non impedivit, ne humana natura propriam personalitatem haberet: impedire autē, ne humana natura propriam personalitatem habeat, ex Divo Thoma, & testimoniis adductis á num. 612. est impedire, ne habeat rem juris; unde ex hoc testimonio bene explicato minimè infertur, quòd subsistentia creata consistat in negativo, sed potiùs infertur, quód consistat in positivo. Idcirco notandum est, non intercessisse propriam consumptionē subsistentiæ humanitatis; ergo subsistentia humanitatis significat partiales omnes causas subsistentiæ corporis, & animæ rationalis unitæ, cúmque nunquam præcessisset particularis subsistentia creata animæ rationalis, exinde nunquam præcessit subsistentia creata humanitatis, præcessit tamen subsistentia particularis materiæ primæ, respectu cujus intercessit propriè consumptio, ideóque Mysterium Incarnationis universo creaturarum componibilium cum Incarnatione fuit valde conveniens, atque ipsi humanitati, licèt subsistentiæ particulari materiæ primæ non fuerit ita conveniens, sed etiam tantùm convenientia, quæ habetur per similitudinem ad appetitum elicitum bene ordinatum, quando nempe ex detrimento particularis resultat convenientia in bonum commune, quod prævalet particulari. Sic plures convenientissimum sibi censent mori pro bono communi patriæ.

645. Objicies 3. Si suppositum creatum adderet aliquid positivum substantiale pertinens ad complementum naturæ, natura humana Christi haberet inclinationem, & appetitum ad propriam subsistentiam, & consequenter esset violenta; sed hoc dici non potest; ergo &c. Confirmatur 1. Si humana personalitas esset modus positivus, nequaquam posset humanitas privari propria personalitate; quandoquidē modus ille requireretur, ut subsistentia haberet proprium modum essendi per se, quo privari non potest; atqui in Christo Domino est humanitas privata creata personalitate; ergo &c. Confirmatur 2. Non minùs exigeret humanitas modum suum substantialem essendi, quàm exigit suam propriam præsentiam; atqui non potest esse in rerum natura absque modo suæ propriæ præsentiæ; ergo neque posset esse in rerum natura absque propria sua subsistentia creata. Confirmatur 3. Si subsistentia creata esset modus substantialis naturæ, esset insupplebilis per subsistentiam Verbi ad eum modum, quo ubicatio humanitatis non potest suppleri per Verbi immensitatem; atqui Verbum supplevit defectum propriæ subsistentiæ; ergo &c.

Respondeo nego maj. quia eò ipsò, quòd habeat nobilius compensativum, non exigit ignobiliorem suam perfectionem incompossibilem cum eo compensativo, ac proinde neque manet violenta, ut dixi à num. 32. quin potius P. Vasquez disput. 34. can. 2. licèt concedat, quòd humanitas retineat appetitum, ad propriam subsistentiam, negat tamen, quòd maneat violenta; quia violentia solùm contingit, quando infertur vis causæ effectrici, vel formali, ne prodeat in suum actum; natura verò humana non est causa efficiens, aut formalis suæ personalitatis; sed clarior, & verior est solutio nostra. Ad primam Confirmationem nego maj. quia modus ille essendi per se reperitur ab humanitate, ut in linea substantiali reddatur proximè expedita ad operandum, & ut eliciat operationes, quæ tribuantur suppositō; cúmque, si modum, quem ad hunc finem exigit humanitas, compensetur ab alio essendi modo nobiliori, & indebito, nempe à personalitate Verbi, qua reddatur humanitas proximè expedita in linea substantiali ad operandum, & sic possint tribui ejus operationes digniori suppositō, nempe divino, nulla maneat ratio, ne humanitas possit tunc privari suo modo creato essendi, exinde in hoc supplemento nulla est implicantia.

Ad secundam Confirmationem nego maj. quia præsentiam exigit tanquam accidentale complementum, ut vi illius alicubi sit, sive hic magis, quàm ibi; tale autem complementum accidentale nequit suppleri à Verbo divino, nec Verbum, nec unio ad Verbum ex se habet esse hic magis, quàm ibi, ideóque Verbum non potest perficere humanitatem, si alicubi non sit, at si alicubi ponatur, potest à Verbo divino perfici; sic non potest Verbum divinum complere humanitatem, si non dentur unita corpus, & anima rationalis; at si dentur unita hæc extrema, quæ constituunt humanitatem, potest illam humanitatem perficere, & substantialiter complere; sic apud Adversarios sanctitas Verbi sanctificat humanitatem, & tamen immensitas, aut immortalitas Verbi nequit reddere humanitatem immensam, nec immortalem. Verùm de his fusiùs, quando agemus de Sanctitate humanitatis, ubi Adversarii eandem, ac nos doctrinam tradunt.

Ad tertiam Confirmationem nego maj. quia licèt modus substantialis rei non sit supplebilis per id, quod non est modus rei, ut facias

rorum id, quod præſtabat modus; at eſt ſupplebilis in ordine ad aliquem effectum nobiliorem; modus autem ſubſiſtentialis humanitatis faciebat, ut ea ſubſiſteret in ſe, & non in alio digniori, quod fieri non poteſt aliquo, quod non ſit modus humanitatis; quando verò humanitas non ſubſiſtit in ſe, ſed in alio digniori ſe, non eſt effectus proveniens à modo ſubſiſtentiali humanitatis, proinde, quæ præſtari poteſt ab alio, nempe à perſonalitate Verbi, ſic reddere hominem filium Dei adoptivum ſanctificando illum, eſt effectus gratiæ habitualis, & accidentalis, qui proinde non habetur à gratia ſubſiſtentiali Verbi; at habetur ab illa modus alius nobilior ſanctificandi, nempe ſubſiſtentialis proprius perſonæ non extraneæ, ſed divinæ; eo modo ſanctificatur humanitas à gratia DEI ſubſiſtentiali, ut infrà dicemus, & fatentur Adverſarii. Sic etiam, quòd modus ſubſiſtentiæ conſtituat cum humanitate concretum, non impedit, quòd humanitas cum Verbo conſtituat concretum, quia ſunt concreta diverſæ rationis; unde licèt unum proveniat tanquam à forma à modo humanitatis, vel ſi in alio ſenſu provenit ab hac ſubſiſtentia tanquam à ſubjecto, poterit in altero ordine provenire tanquam à ſubjecto ab altera ſubſiſtentia.

649. Objicies 4. Si ſubſiſtentia creata eſſet quid poſitivum, ideo eſſet, quia humana natura debet eſſe ſubſiſtentialiter incompleta, ut poſſit uniri Verbo divino ſubſiſtentialiter; ſed hæc ratio nulla eſt: ergo &c. Probatur min. Si ea ratio vera eſſet, Verbum divinum non poſſet ſibi aſſumere aliquod accidens, neque naturam irrationalem, cùm non habeant in ſe aliquam incompletionem ſubſiſtentialem; imò & poſſit dari aliqua natura creata aſſumptibilis à Verbo, cùm non repugnet natura creata identificata cum ſua ſubſiſtentia; ſed hæc omnia falſa ſunt: ergo &c. Reſpondeo conc. maj. & nego min. Ad probationem diſt. maj. quoad primam partem, non poſſet ſibi aſſumere aliquod accidens per unionem ſubſiſtentialem, conc. per unionem aliquam accidentalem: omitto iſtam, de qua infrà, & nego ſecundam, & tertiam partem maj. Ratio eſt, quia Verbum divinũ aſſumpſit humanitatem complendo illam ſubſiſtentialiter; cùm autem accidens non poſſit ſubſiſtentialiter compleri, non poteſt hoc modo aſſumi à Verbo divino; quòd ſi fingatur accidens habens accidentale complementum, & per unionem accidentalem ad hypoſtaſim creatam potens in ſuo genere compleri, poſſet quoque aſſumi à Verbo unione accidentali, ut aliqui docent: ſed de his infrà: quidquid enim de hoc ſit, non venit ad rem præſentem.

650. Altera pars maj. in qua ſupponitur, Verbum non poſſe aſſumere naturam irrationalem, eſt planè falſa, ut ſuo loco dicemus. Nam cùm natura irrationalis compleatur ſubſiſtentialiter per ſubſiſtentiã creatam, etiam poteſt compleri per ſubſiſtentiã divinam ſibi hypoſtaticè unitam, quod innegabile apparet ex eo, quòd in triduo mortis Chriſti corpus mortuum non erat unitum animæ rationali, & retinuit unionem ad Verbum. Præterea falſum eſt etiam, quod ſupponitur in ultima parte illius maj. nempe quòd ſit poſſibilis natura creata, quæ ſecum identificet ſubſiſtentiam, quandoquidem habebat ſubſiſtentiam diſtinctam, exinde provenit, quia natura eſt limitata, ut conſtat à num 592. & nequit eſſe natura creata, quin limitata ſit, tum etiam, quia quælibet natura creata de ſe eſt apta obedire DEO, volenti illam aſſumere, ob idque defactò non ſolùm ſubſiſtentia humana, ſed etiam Angelica diſtinguitur à natura, & eſt modus ſubſiſtentialis eſſendi, quo completur natura Angelica in ratione principij ſubſiſtentialis proximè operativi.

Et quidem Sancti Patres, dum quærebant, an 651.
potiùs Verbum aſſumpſerit naturam humanam, quàm Angelicam, ſatis perſpicuè ſupponebant, potuiſſe à Verbo aſſumi naturam Angelicam, plurésque ex Patribus de aſſumptione per unionem hypoſtaticam intelligunt verba illa Pauli ad Hebræos: *nunquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, ut ibi oſtendit Rivera, licèt aliter Cornelius locum illum exponat, ut ſupponit paſſim, Patres, & Interpretes priorem ſenſum retinere, quod nobis ſatis eſt. Quòd ſi fingatur aliqua natura creata identificata cum ſua ſubſiſtentia, eò ipsò erit inaſſumptibilis à Verbo; ſicut creata ſubſiſtentia defactò eſt inaſſumptibilis; ideóque dicitur ultimũ complementum in linea ſubſiſtentiali, exquo fit, naturã non eſſe in linea ſubſiſtentiali ſe ipsâ adæquatè completam, ideóque eſſe aſſumptibilem. Unde optionem damus Adverſariis, ut ipſi videant, quid velint, an nempe ſit poſſibilis, vel non natura creata identificata realiter cum ſua ſubſiſtentia.

Ob. 5. Natura ſingularis completa conſtituit 652.
ſuppoſitũ, quatenus per ſe ſubſiſtit; ſed per ſe ſubſiſtit per hoc, quòd non uniatur alteri ſubſiſtentiæ unione, qua ſubſtantialiter perficiatur; ergo &c. Probatur min. Humanitas Petri per ſe ſubſiſtit eò ipsò, quòd non uniatur ſubſiſtentialiter alteri ſubſiſtentiæ, à qua perficiatur; è converſo humanitas Chriſti non ſubſiſtit per ſe, quia unitur ſubſiſtentialiter Verbo divino, à quo perficitur, ideóque non ſubſiſtit in ſua perfectione ſubſiſtentiali; ergo &c. Reſpondeo conc. maj. & nego min. ad probationem nego antec. nam humanitas per ſe ſubſiſtit, quatenus cum ſubſiſtentia conſtituit ſuppoſitum, & à ſubſiſtentia habet effectum formalem ultimi complementi in ratione ſubſiſtentiali, quo indiget natura, ut ſit in linea ſubſiſtentiali proximè expedita ad operandum; hoc autem à pura negatione provenire non poteſt, ut ex terminis patet, & conſtat ex dictis à num. 603.

Objicies 6. Si ſuppoſitum ſupra naturam ad- 653.
deret perfectitatem poſitivam ſubſiſtentialem, Verbum divinum, cùm non aſſumpſerit noſtram perſonalitatem, non aſſumpſiſſet totam noſtram ſubſiſtentiam; ſed aſſumpſit totam noſtram

ſtram ſubſiſtentiam, cùm totam illam ſanaverit juxta doctrinam Damaſceni lib. 3. de Fide cap. 7. ubi docet, quod à Verbo non fuit aſſumptum, non fuit curatum; ergo &c. Reſpondeo diſt. maj. non aſſumpſiſſet totam noſtram ſubſiſtentiam, in quantum ſubſiſtentia ſumitur pro natura, & eſſentia, nego, in quantum ſumitur pro ſuppoſito, hypoſtaſi, ac perſona, conc. maj. & diſt. min. nego conſeq. Ratio eſt, quia, ut dixi n. 586. olim ſubſiſtentia ſolebat accipi pro natura, quo in ſenſu loquuntur aliqui Patres.

654. Eodem quippe modo, quando agitur de Incarnatione, Verbum dicitur aſſumpſiſſe totam noſtram ſubſiſtentiam: dicitur enim, quando agitur de Trinitate, Patrem dediſſe Filio totam ſuam ſubſiſtentiam, ut definitur in Concilio Lateranenſi maximo ſub Innocentio III. can. 2. ut paret Pater Filio dat totam ſuam ſubſiſtentiam, in quantum ſubſiſtentia ſumitur pro natura, & eſſentia, non autem, in quantum ſumitur pro hypoſtaſi, & perſona, cùm Pater non debet Filio paternitatem, ſeu perſonalitatem Patri. Sic Verbum etiam aſſumpſit totam noſtram ſubſiſtentiam, in quantum ſubſiſtentia ſumitur pro eſſentia, & natura humana, non ſumitur pro hypoſtaſi, & perſona, ac proinde non aſſumpſit perſonalitatem ſubſiſtentialē hominis; unde quod non fuit aſſumptum ex his, quæ ſpectant ad perſonalitatem, fuit curatum curata tota natura aſſumpta vi ſatisfactionis Chriſti ſe extendentis ad omnes perſonas: ſicut enim Adam peccando infecit totam naturam humanam, eámque reddidit infirmam, morbúsque ille præter Chriſtum, & MARIAM ad omnes humanas perſonas ſe extendit, ideóque perſonæ, quæ naſcuntur, naſcuntur infimæ, & peccatrices; ſic Chriſtus aſſumendo totam naturam, totam mutavit, & curatâ naturâ curantur perſonæ; quia merita in humana natúra à Chriſto elicita ad omnes perſonas humanas ſe extendunt; quin potiùs Damaſcenus ſolùm loquitur de curatione non quacunque, ſed facta in natura ſimili, nam ſi Verbum aſſumpſiſſet naturam Angelicam, procul dubio potuiſſet nos curare, & defactò aſſumendo naturam humanam meruit etiam Angelis, ut ſuo loco dicemus.

655. Objicies 7. Si ſubſiſtentia creata eſſet aliquid ſubſtantiale poſitivum conſtituens cum ipſa natura ſuppoſitum, & perſonam, actiones provenientes à virtute naturæ, tribuerentur etiam ſubſiſtentiæ, & perſonalitati creatæ, juxta illud Philoſophorum, & Theologorum axioma: actiones ſunt ſuppoſitorum; atqui inexplicabile eſt, quomodo tribui poſſint creatæ ſubſiſtentiæ; ergo &c. Reſpondeo conc. maj. & nego min. quia eò ipsò, quòd natura non ſit potens influere phyſicè in effectus: vel terminos ab ipſa productos, quin ſit ſubſtantialiter completa per ſubſiſtentialem modum ſuum eſſendi, qui eſt neceſſaria diſpoſitio, ut in linea ſubſiſtentiali natura ſit virtus proximè operativa, & receptiva, exinde manifeſtè infertur, quòd ſubſiſtentia non ſe habeat purè concomitanter, aut accidentaliter relatè ad effectum, neque extrinſecè, ſed intrinſecè relatè ad naturam conſtituendo pro priori ad actiones cum illa ſuppoſitum, ita ut actiones non poſſint eſſentialiter oriri à virtute naturæ incompletæ, niſi priùs ſaltem habeat ſuam incompletam ſubſiſtentiam, neque à virtute naturæ completæ, niſi hæc habeat ſuam completam ſubſiſtentiam, qua natura maneat completa ſubſiſtentialiter pro priori ad actiones; ſicque prius prioritate ſaltem originis ſit conſtitutum ſuppoſitum, qua operari poſſit, aut actiones poſſint oriri à virtute ſuppoſiti, in quo ſtat, quòd actiones ſint ſuppoſitorum, cùm hoc facilè explicetur, propterea facilè intelligitur, quomodo actiones ſint ſupppſitorum. Videatur Eximius Doctor diſput. 434. Meth. tota ſectione 7. ubi hanc doctrinam latè exponit, atque confirmat.

Plura quidem invenies ibi ad alios Theologiæ Tractatus non parum conducentia; quod ad noſtrum Tractatum attinet, ex ly *recte* explicatur, videlicet, quomodo in Chriſto Domino tota reſideat virtus humana ad hominis perfectiones efficiendas, & ad immanentes recipiendas; adeſt quidem tota virtus, quia Chriſtus retinet totam naturam humanam integram in ratione naturæ; cúmque in homine natura humana ſit tota virtus ad agendum, & patiendum, reverâ adeſt in Chriſto tota hominis virtus. Idem dicitur de Deo relatè ad opera ad extra, potentia enim ad extra ſtat in natura divina relatè, & virtualiter identificata cum omnipotentia, cùmq; in tribus perſonis ſit eadem natura divina, eſt idem influxus in tribus perſonis in ordine ad quemcunque effectum creatum, ſive opus ad extra. Unde ſubſiſtentia non requiritur ut virtus influxiva, ſed ut conditio ſubſiſtentialis ſe habens ex parte agentis, & conſtituens ſuppoſitum continens naturam, ut in ſuppoſito, ſive in agente ſit ea virtus in linea ſubſiſtentiali expedita ad agendum, ideóque actiones ſuppoſito agenti tribuuntur virtute quidem naturæ ſuæ.

Idcirco docent communiter Theologi in Tractatu de Trinitate, non requiri perſe in Deo Trinitatem perſonarum ex parte actionis creatæ, ſed ex parte DEI, quia divina natura ex ſua perfectione exigit tres divinas ſubſiſtentias, ut ſit ſubſiſtentialiter expedita ad agendum ad extra; actio verò creata ſolùm exigit virtutem illius productivam, quæ in ſuppoſito, divinisque perſonis continetur, eamque exigit ſola virtus naturæ divinæ; exinde actiones creatæ, ſive opera ad extra tantùm exigunt connexionem cum natura divina. An autem idem ſit dicendum de productione ad intra, ubi natura, & eſſentia divina non poteſt producere aliam naturam, & eſſentiam divinam? eſt non modica controverſia apud Theologos; ſiquidem in DEO eſſentia, & natura divina eſt una indiviſibilis in tribus perſonis cum tribus identificata, nec poteſt eſſe multiplex, quamvis in hominibus,

bus, & reliquis natura producentis, & producti ſint realiter diſtinctæ. Quamobrem aliqui Theologi dicunt, quòd natura divina, aut quod idem eſt, aliquod prædicatum neceſſarium abſolutum eſt ſimul principium *quo* communicativum, & productivum, perſonalitatem verò, ſive relationem producentis eſſe conditionem ſubſtantialem eſſentialiter præ-requiſitam ad conſtitutionem perſonæ, ſolúmque requiri diſtinctionem realem inter producens, & productum, non verò inter virtutem *ut quo* productivam, & terminum productum; alii verò cenſentes, requiri etiam diſtinctionem realem inter virtutem productivam, & terminum productum, dicunt, quòd natura divina ad intra non eſt principium *quo* productivum, ſed duntaxat communicativum. Verùm de his ſatis pro re præſenti.

658. Objicies 8. Nulla eſt aſſignabilis ratio, cur ſubſiſtentia creata potiùs cenſenda ſit modus, quàm entitas ſubſtantialis; atqui juxta noſtra principia non eſt entitas ſubſtantialis: ergo neque eſt modus, ſed pura negatio unionis ſubſtantialis ad divinum ſuppoſitum. Confirmatur. Si humanitas mente concipiatur exiſtens à parte rei abſque ullo modo ſubſtantiali, & abſque unione ad divinam ſubſiſtentiam, eò ipsò erit naturæ completæ individua ſubſtantia; ſed hoc ſufficit juxta Boëtium, ut ſit ſuppoſitum, ac proinde ut habeat creatam ſubſiſtentiam: ergo ad creatam ſubſiſtentiam non requiritur modus ſubſtantialis ſuperadditus naturæ completæ, ſed ſatis eſt pura negatio unionis ſubſtantialis ad divinam ſubſiſtentiam. Hoc argumento, ſi bene expendatur, probari poteſt, quòd Chriſtus non conſecravit in nocte Cœnæ; nam non eſt ratio, quòd conſecravit in vino rubro, & non in albo; ergo neque conſecravit in albo, nec in rubro, ac proinde non conſecravit.

659. Reſpondeo deinde nego maj. quia ſubſiſtentia creata eſt determinatio naturæ, ut in ſe ſiſtat, nec poteſt divinitus exiſtere ſine natura, cujus eſt determinatio: natura enim creata ex ſuis intrinſecis eſt indifferens, ut ſiſtat in ſe, vel in alio, ut conſtat nobis ex Myſterio Incarnationis. Unde ſubſiſtentia creata adveniens naturæ, eſt illius determinatio tollens indeterminationem, quæ rectè non ſunt munera entitatis creatæ, ſed modi; ab eo autem modo complerur natura, ut conſtituat hominem; cùmque homo (idem eſto de aliis ſuppoſitis) non ſit totum accidentale, ſed ſubſtantiale; exinde modus ille eſt ſubſtantialis completivus naturæ, eámque reddens in linea ſubſtantiali proximè expeditam ad operandum; quod etiam inferimus ex Conciliis, & Patribus adductis n. 603. atque ex ratione philoſophica fundata in limitatione naturæ creatæ; ut conſtat à n. 592.

660. Ad Confirmationem diſt. maj. erit naturæ completæ individua ſubſtantia individuatione ſignificante primam ſubſtantiam, nego, individuatione duntaxat ſignificante ſecundam ſubſtantiam, conc. maj. & diſtincta pariter min. nego conſequentiam. Ratio eſt, quia, ut diximus num. 595. eatenus ſuppoſitum à Boëtio, & antiquis Philoſophis, imò & à Concilio Florentino citato à num. 603. dicitur, naturæ completæ individua ſubſtantia, quatenus per id ſignificatur totalis individuatio, ſive prima ſubſtantia, quæ juxta Philoſophos cit. num. 594. & 614. eſt illa, cui ita tribuuntur operationes, ut naturæ, quæ eſt prima ſubſtantia ſive individuatio inadæquata, tribui non poſſit, ideóque prima ſubſtantia vocatur maximè ſubſtantia adæquata individua, ſive habens magis de ſubſtantia, quàm prior; illa autem, quæ habet magis de ſubſtantia, eſt ſubſtantia, ſive modus ſubſtantialis eſſendi, in quo in ſe ſiſtit, ſi non ſuppleatur à ſubſiſtentia divina, in qua ſiſtat. Unde ea verba, naturæ completæ individua ſubſtantia, accipienda quidé ſunt non pro quacunque individuatione, ſed pro individuatione completa, ſive primæ ſubſiſtentiæ.

Quod ſatis indicavit Divus Thomas lib. 4. 661.
contra Gent. cap. 43. cujus titulus eſt: *quòd humana natura aſſumpta à Verbo non præceſſit aſſumptioni, ſed in ipſa conceptione fuit aſſumpta à Verbo DEI.* Probatum autem hujus aſſertionis comprehendit his verbis: *ſi enim præexiſteret, cùm natura præexiſtere non poſſit, niſi in individuo; oportuiſſet eſſe aliquid individuum illius humanæ naturæ præexiſtentis ante unionem. Individuum autem naturæ humanæ eſt hypoſtaſis, & perſona, eſt id igitur dicere, quòd humana natura aſſumenda à Verbo in aliqua hypoſtaſi, vel perſona præexſtitiſſet; ſi igitur natura illa aſſumpta fuiſſet manente hypoſtaſi, vel perſona, remanſiſſent tunc poſt unionem duæ hypoſtaſes, vel perſonæ, una Verbi, & alia hominis, & ſic non eſſet facta unio in hypoſtaſi, vel perſona, quod eſt contra ſententiam Fidei. Si verò hypoſtaſis, vel perſona illa non remaneret in ea natura, in qua aſſumenda à Verbo præexſtitiſſet, & hoc ſine corruptione accidere non potuiſſet: nullum enim ſingulare deſinit eſſe hoc, quod eſt, niſi per corruptionem.* Ubi Div. Thomas nihil aliud intelligit pro ſingularitate, & completa individuatione naturæ completæ, quæ quidem individuatio conſtituit hypoſtaſim, & quæ, ſi præexſtitiſſet, corrumpenda erat, ut aſſumeretur natura in unitatem hypoſtaſis, niſi individuationem primæ ſubſtantiæ, quæ addit aliquid ſubſtantiale ſupra naturam. Videatur Ferrarienſis in Commentario hujus loci, hæc omnia accuratè explicans, & confirmans.

Objicies 9. Si ſubſiſtentia creata eſſet mo- 662.
dus ſubſtantialis naturæ, poſſet eadem ſubſiſtentia creata terminare duas integras naturas ſpecie diſtinctas, ſicut idem modus unionis terminat duo extrema ſpecie diſtincta, nempe carnem, & ſpiritum in homine; ſed per nos eadem ſubſiſtentia creata non poteſt terminare duas integras naturas ſpecie diſtinctas; ergo ſubſiſtentia creata non eſt modus ſubſtantialis natu-

ræ. Confirmatur: si hæc natura creata non posset subsistere in altera persona creata per illius subsistentiam, ideo esset, quia illud compositum ex duplici natura, & una subsistentia evaderet nobilius, quàm compositum ex una sola natura, ejúsque subsistentia, ex dictis à num. 626. sed hoc falsum est saltem relatè ad aliquam possibilem personam creatam; ergo &c. Probatur min. possibilis est aliqua persona creata, quæ eminenter contineat totam perfectionem alterius inferioris naturæ creatæ; illa enim continentia non argueret perfectionem simpliciter infinitam, cùm solum comprehenderet duas res simpliciter finitas, & finitum additum finito non valeat constituere simpliciter infinitum, sed in eo casu natura superveniens alteri personæ creatæ nullam adderet perfectionem compositio resultanti ex tali natura, & ex tali persona creata assumente; ergo &c.

663. Resp. neg. maj. quia unio ex suis prædicatis essentialibus primò & per se est compositio; cùm autem compositio optimè fiat ex duobus extremis, alioquin potentibus esse absque compositione, exinde unio quàm optimè potest esse unio talium duorum extremorum, videlicet corporis, & animæ; at subsistentia creata juxta principia Philosophica, & Theologica, quæ dedimus à num. 627. est primò, & per se modus unius tantùm naturæ, cúmque ex hoc ipso conceptu bene inferatur, quòd non possit esse primò, & per se modus duarum naturarum, exinde repugnat, quòd eadem substantia sit substantialiter duarum naturarum, videlicet humanæ, & Angelicæ, tum quia subsistentia creata primò, & per se est modus substantialis essendi, cúmque una natura creata secundùm suum esse substantiale distinguatur realiter ab altera, ita etiam modus substantialis essendi hujus naturæ primò & per se isti debitus debet distingui à subsistentia primò & per se debitæ alteri naturæ, ex quo infert Exim. Doctor lib. 5. de Trinit cap. 8. spirationem activam non esse subsistentiam, quia advenit necessariò, & communicatur duabus personis jam constitutis, nempe Patri, & Filio, ad eum modum, quo volitio libera, quoad denominationem advenit liberè, & communicatur tribus personis jam constitutis; quare licèt ea divina prædicata sint substantia, eò quòd non distinguantur realiter à supposito, non tamen sunt subsistentiæ, quia hæc non advenit naturæ secundariò, sed primò & per se ad constituendum cum natura suppositum; quale constituet subsistentia absoluta, si admittatur in Deo, vel ad constituendam cum natura personam incommùnicabilem alteri personæ, ut adveniunt naturæ divinæ relationes personales, quæ principia maximè necessaria censet Exim. Doctor ad intelligendas difficultates passim obvias in tract. de Trinitate.

664. Et quidem si in Deo sunt tres subsistentiæ simpliciter infinitæ, ac sunt primò & per se unius tantùm naturæ, non est Theologicum contra principia Theologica admittere, possibilem subsistentiam limitatam creatam, quæ primò & per se esse possit duarum naturarum, aliter admitti posset forma rationalis, quæ primò & per se, sive ex sua natura esset forma duorum corporum, & exinde altera, quæ esset trium, factóque progressu, altera quæ esset omnium hominum forma; unde eadem anima rationalis posset esse naturaliter forma omnium hominum, quod apparet satis absurdum; idem autem progressus fieri posset circa creatam subsistentiam, ut ex pendenti constabit; unde eadem ratio, propter quam negant, Adversarii, possibilem esse talem formam rationalem, quæ naturaliter sit duorũ corporũ forma, coget illos ad negandam subsistentiã creatam, quæ naturaliter sit duarum naturarum subsistentia. Idcirco Philosophi nihil aliud intelligunt per creatam subsistentiã, nisi modũ substantialem, quo hæc prima substantia ab alia differt; ideóque tum ex principiis Philosophicis, tum ex Theologicis repugnat, quòd subsistentia sit primò & per se duarum naturarum subsistentia; præterea repugnat etiam, quòd subsistentia creata hujus naturæ sit secundariò subsistentia alterius naturæ: nam ad hoc opus erat, quòd hæc natura subsisteret in altera persona creata, ac proinde, quòd non constitueret nobilius compositum, quia erat illud à quo assumitur, & in quo subsistit, quod planè repugnat creato supposito ratione suæ limitationis, ut diximus n. 619. Cæterùm licèt daremus Adversariis, quòd esset possibilis subsistentia creata, quæ primò & per se esset modus duarum naturarum, nihil exinde fieret contra nostras assertiones, ut prænonui num. 627. nec exinde ullo modo inferri posset, quòd subsistentia creata non sit aliquid substantiale distinctum à natura.

666

667.

Ad Confirmationem conc. maj. & nego min. ad probationem dist. maj. quæ eminenter contineat totam perfectionem alterius inferioris naturæ creatæ continentiâ ita perfectâ, ut ipsa secundùm se duntaxat sumpta æquivaleat utrique, nego: ut ipsa secundùm se duntaxat sumpta æquivaleat, & præemineat inferiori sumptæ solùm secundùm se, conc. maj. & dist. min. nego conseq. Explico distinctionem; quamquàm non arguatur infinitas neque repugnantia chymerica in aliqua perfectione superiori, ex eo, quòd æquivaleat alteri, & eam excedat, at esset perfectio infinita, vel perfectio purè chymerica, si supponatur, ita æquivalere, ut seorsim sumpta non sit minùs bona, quàm utraque perfectio simul; nam in rebus limitatis unum finitum additum alteri facit majus, & quod additione perfectionis non crescit, eò ipsò non est capax augumenti, & consequenter est infinitum, vel chymera: ideóque talis excogitata perfectio distingueretur à perfectione purè creata, vel quia esset Deus, vel quia esset chymera: sic licèt nummus aureus perfectè æquivaleat nummo argenteo, uterque simul

668.

ſimul continet majorem valorem, quàm unus ſolus; ſic licèt ulna æquivaleat palmo, at ſimul cum palmo continet majorem quantitatem, quàm ipſam ſolam.

666. Addunt communiter DD. nullam eſſe poſſibilem ſubſtantiam creatam, quæ contineat adæquatè eminenter totam perfectionem alterius ſubſtantiæ: nam juxta communem ſententiam omnes, & ſingulæ ſpecies creaturarum differunt inter ſe in aliqua perfectione, ita, ut nulla differat ab altera per purum defectum perfectionis. Ideo non ſunt poſſibiles infinitæ creaturarum ſpecies, quia cum una ſola ſpecies non poſſit exprimere infinitam perfectionem Dei, opus eſt, ut ſint poſſibiles plures, & plures ad eam magis & magis exprimendam. Quare nulla ſpecies creaturæ debet fingi poſſibilis, quæ non poſſit exprimere peculiarem aliquam Dei perfectionem, quæ non reperiatur in aliis: ſi autem aliqua ſubſtantia creata contineretur adæquatè eminenter in altera ſecundùm omnem ſuam perfectionem, & ſolùm differret ab illa per purum defectum, nullam ſanè rei perfectionem exprimeret, quæ non eſſet in aliis ſpeciebus creaturarum, & conſequenter hæc ſpecies non deſerviret ad manifeſtandam Dei perfectionem: hæc doctrina ad plures controverſias utilis eſt: cæterùm ad præſentem difficultatem diſſolvendam ſatis ſuperque eſt noſtra ſolutio.

667. Objicies 10. Subſiſtentia creata ſupra naturam completam in ratione naturæ ſolùm addit ex Div. Thoma puram negationem; ergo non eſt modus ſubſtantialis poſitivus. Probatur antec. ex lib. 1. contra Gentiles cap. 25. ubi ait: *hoc, quod dicitur ſubſtantia Ens per ſe, non videtur importare niſi negationem tantùm.* Et in 3. diſt. 6. art. quæſt. 1. art. 2. ad 5. *hominem aliud non eſſe præter conjunctum ex anima, corpore, & unione, ſed ex hoc ipſo, quod ipſum compoſitum ex anima & corpore non adjungatur alteri ſubſiſtenti in natura compoſita, ſequitur, quòd conjunctum ſit homo; unde ſi Chriſtus humanam naturam deponeret, ex hoc ipſo eſſet homo illud conjunctum ex duabus ſubſtantiis;* ſimilia habet 3. part. quæſt. 2. art. 5. ad 1. & art. 2. ad 2. & ſæpè alibi; ergo &c.

668. Reſpond. diſt. antec. ſupra puram naturam conſideratam in concreto, vel ut eſt prima ſubſtantia, concedo, conſideratam in abſtracto, vel ut eſt ſecunda ſubſtantia, nego antec. & conſeq. Ad probationem conc. ant. & nego conſeq. quia quando Div. Thomas conſiderat naturam in concreto, ut primam ſubſtantiam, optimè arguit in ea ſubſtantia negationem ſubſiſtendi in altero, quæ vocatur perfeitas non quidem intrinſeca, ſed extrinſeca, eò quòd natura, quæ in ſe ſubſiſtit, & eſt ſui juris, non ſit juris alterius, neque in alio ſubſiſtat, unde per hoc, quòd humanitas Chriſti deponeretur à Verbo, cùm in eo caſu in ſe ſiſteret per ſubſtantialem modum ſubſtantiale ſuum eſſe, ſine quo non eſſe poteſt, ſi in alio non ſit, bene infertur, quod tunc eſſet perſona, & haberet intrinſecâ perfeitatem, conſiſtentem, non quidem in pura negatione, ſed in modo ſubſtantiali, de quo loquitur Div. Thomas quæſt. 9. de potent. art. 2. quando ait: *Perſona ſignificat naturam cum quodam modo exiſtendi, qui modus eſt per ſe exiſtens.* Quare negatio ſubſiſtendi in altero, quæ exinde ſubſequitur, non poteſt dici juxta doctrinam Divi Thomæ, perfeitas intrinſeca, ſed extrinſeca, quòd velint, nolint, tenentur dicere Adverſarii; nam Divus Thomas in eo textu, ubi ait: ens per ſe non videtur importare, niſi negationem tantùm, loquitur de ente, ut comprehendente Deum, & creaturas, & certè perfeitas intrinſeca in Deo non eſt negatio tantùm; ſi enim hæc noſtra reſponſio vera ſit, atque indubitabilis in via Divi Thomæ, manifeſtè exinde infertur, quòd Divus Thomas nunquam docuerit, quòd ſubſiſtentia creata ſit pura negatio.

669. Quòd autem hæc ſit mens Divi Thomæ, patet ex ipſo Divo Thoma 3. part. quæſt. 17. art. 1. in corpore, ubi ait *dicendum, quòd natura ſecundùm ſe conſiderata, prout in abſtracto ſignificatur, non verè poteſt prædicari de ſuppoſito, ſeu perſona, niſi in Deo, in quo non differt, quod eſt, & quo eſt.* Unde in creatis, ſi natura conſideretur in abſtracto, & non in concreto, ſive quod idem eſt, ſi conſideretur, ut ſecunda ſubſtantia, & non ut prima ſubſtantia, differt id, quo completur, ſive quo eſt prima ſubſtantia, ab ipſa ſubſtantia naturæ abſtractè ſumpta: quamobrem Auctor, qui concordantias contradictionum apparentium in Divo Thoma compoſuit, editione Venetæ impreſſa anno 1288. Indice 6. dubio 114. loca, in quibus Divus Thomas videtur docere, ſubſiſtentiam creatam eſſe negationem, & ea, in quibus aſſerit, eſſe quid ſubſtantiale poſitivum, facilè componit juxta doctrinam à nobis traditam.

670. En ejus Verba: *natura poteſt ſumi dupliciter ſcilicet in concreto, & in abſtracto, ut habetur 1. part. quæſt. 3. art. 3. in corpore, & in primum diſt. 23. art. 1. in corpore, & diſt. 25. art. 1. in corpore, & quodlibeto 2. quæſt. 2. art. 2. in corpore, in quodlibeto 8. quæſt. 2. art. 1. ad primum, & opuſc. 30. lect. 5. & 7. Meth. lectione 2. & 5. primo modo ſignificatur ut totum, & prædicatur de ſuppoſito, ideo eſt idem, quod ſuppoſitum, unde 7. Metaphyſicæ lect. 5. in fine dicitur, quòd ipſum, quod Chriſtus eſt, non eſt ipſa natura in abſtracto, ut humanitas, ſed animal rationale: ſed ſecundo modo ſignificatur natura, ut pars, ideo non prædicatur de ſuppoſito.* Quare ſuppoſitum ſive natura in concreto conſiderata quidem ut prima ſubſtantia, ſupra partem ſubſtantialem conſtitutivam naturæ in abſtracto, ſive ut eſt ſecunda ſubſtantia, addit in creatis alteram ſubſtantialem compartem, quæ eſt ſubſtantia, qua conſtituitur prima ſubſtantia; idcirco non ſolùm in Deo, verùm etiam in creatura, ſubſiſtentia

stentia est aliquid substantiale contradistinctum à natura abstractè sumpta.

671. Neque indigemus commentatore ad hanc mentem Div. Thomæ intelligendam, cùm ipse Div. Thomas (quod commentator non vidit) agens contra Hæreticos defendendo Mysterium Incarnationis se ipsum perspicuè explicet, nam lib. 4. contra Gentiles cap. 4. objicit contra se argumenta Hæreticorum contendentium, humanitatem Christi esse personam, quia est quædam particularis substantia, & integra natura; ideóque debet esse hypostasis & persona: en verba, quibus decimum argumentum sibi objicit: *hic homo, qui est Christus, prout consideratur ex anima solùm & carne consistens, est quædam substantia, non autem universalis; ergo particularis; ergo est hypostasis.* Solutionem autem reddit cap. 49. his Verbis. *Ex hoc etiam solvitur, quod decimo proponebatur: manifestum est enim, quod hic homo, qui est Christus, substantia quædam est non universalis, sed particularis, & hypostasis quædam est, non tamen alia hypostasis, quam hypostasis Verbi, quia humana natura ab hypostasi Verbi assumpta est, ut Verbum subsistat tam in humana natura quàm in divina; id autem, quod in humana natura subsistit, est hic homo; unde ipsum Verbum supponitur, cùm dicitur hic homo.*

672. Ne autem recursus fiat ad aliquorum solutionem, quòd nempe Div. Thomas de natura humana prout in Christo, & non prout in puris hominibus, audiatur ipse Div. Thomas, qui ita prosequitur: *sed siquidem eandem objectionem ad humanam naturam transferat dicens, eam esse substantiam quandam non universalem sed particularem, & per consequens hypostasin, manifestè decipitur; nam humana natura etiam in Sorte vel Platone non est hypostasis, sed id, quod in ea subsistit, hypostasis est. Quod autem substantia sit, & particularis, non secundùm illam significationem dicitur, in qua hypostasis est particularis substantia. Substantia enim secundùm Philosophum dicitur dupliciter, scilicet de subjecto ingenere substantiæ, quod dicitur hypostasis, & de eo, quod quid est, quod est natura rei;* En Verba Div. Thom. quæ clariora esse non possent, in quibus ait, hypostasim esse substantiam, qua completur natura, & constituitur totum substantiale continens naturam, quæ est pars illius compositi, sive subjecti continentis naturam; unde totum illud dicitur natura in concreto, sive prima substantia; atque in hoc sensu substantia comprehenditur in prima substantia, quæ non addit aliquid aliud positivum, ut sit hypostasis, quamvis fundet negationem subsistendi in alio; at si natura sumatur in abstracto pro secunda substantia, non arguit tamen negationem, sed requirit substantiale complementũ, ut constituat suppositum etiam in Sorte, vel Platone, quæ est doctrina nostra, quam non possemus clarioribus Verbis explicare, quàm istis Verbis Divi Thomæ.

Quamobrem natura abstractè sumpta non (
potest esse in linea substantiali proximè operativa, nisi compleatur à subsistentia, qua subsistat in se, vel in alio digniori se; unde cùm natura sit indifferens, ut retineat suam subsistentiam, vel ut eam admittat, & divinam acquirat, licèt dicat determinatè hæc prædicata naturæ, dicit vagè, & indeterminatè hanc, vel illam subsistentiam; idcirco homo dicit determinatè humanitatem, & indeterminatè hanc, vel illam subsistentiam, qua completur humanitas, ut sit proximè operativa, & hæc est ratio, propter quam Christus est homo ejusdem speciei nobiscum, quia determinatè dicit humanitatem ejusdem speciei cum 67
natura, ideòque ipsi convenit definitio hominis, nempe animal rationale, sive principium sensationis, & discursûs; definitiones enim respicientes suppositum dicuntur comprehendere definitum.

Idcirco, si homo definitus solùm dicit determinatè humanitatem, & indeterminatè subsistentiam, etiam hominis definitio debet exprimere determinatè humanitatem, & indeterminatè subsistentiam, sine qua humanitas nequit esse in linea substantiali principium: eadem de causa priùs est, quòd natura compleatur per subsistentiam, quàm quòd recipiat, vel producat accidentia; unde subsistentia creata non potest dici verè & propriè producta à natura, sed ab agente, quod producit naturam; quamquàm ab aliquibus dicatur non tam produci quàm resultare, eò quòd natura neque divinitus esse possit sine sua, vel aliena subsistentia. Hæc est controversia de pura voce, de qua non curo, dummodo conveniamus in eo, quòd natura nullam veram actionem possit elicere, usque dum compleatur per subsistentiam, quandoquidem actiones non sunt naturæ sed suppositorum, ut ex tota nostra disp. constat, ex qua clarè patet, subsistentiam creatam juxta Div. Thomam esse aliquid realiter distinctum à natura, si natura sumatur in abstracto pro secunda substantia, licèt non addat 677
aliquid substantiale realiter distinctum supra naturam, si hæc sumatur in concreto, sive pro prima substantia.

Ex quo etiam intelliges aliqua Div. Thom. testimonia alioquin difficilia in tractatu de Angelis; nam cùm Div. Thom. agit de natura dignatur quantitate, ut in homine, solet eam accipere in abstracto pro secunda substantia, & quando loquitur de natura, quæ non significatur quantitate, ut in Angelo, solet illam accipere in concreto pro prima substantia; unde infert substantiam in Angelo non addere aliquid supra naturam, benè verò in homine. Sic loquitur 1. part. quæst. 3. art 3. in corpore. *In rebus compositis ex materia & forma necesse est, ut differant natura vel essentia, & suppositum &c. in his igitur, quæ non sunt composita ex mate-*

materia, & forma, in quibus individuatio non est per materiam individualem, id est per hanc materiam; sed ipsæ formæ per se individuare oportet, quòd ipsæ formæ sint suppositata subsistentia; unde in eis non differt suppositum, & natura; & lib. 4. contra Gentiles 55. ad 4. *in homine aliud est natura, aliud persona, cùm sit ex materia compositus, non autem in Angelo, qui immortalis est.* Hæc enim testimonia non possent conciliari cum aliis, quæ dedimus num. 630. & 668. nisi intelligatur hæc duplex acceptio naturæ frequens apud Divum Thomam, quando loquitur de natura, quæ significatur, & de natura, quæ non significatur quantitate. Omitto alia argumenta minoris momenti, quæ ex hucusque dictis facilem habent solutionem.

DISPUTATIO XV.

QUID VERBUM ASSUMPSERIT, QUIDVE POTUERIT ASSUMERE?

676. ASsumptio dicitur actio productiva unionis, qua agens principale aliquid sibi unit, unde ea actio, quæ ex parte agentis dicitur assumptio activa, dicitur assumptio passiva ex parte passi, & uniti, quod proinde dicitur assumptum. Quamobrem assumptio, utpote actio creata physicè procedit à tribus divinis personis, cùm inseparabilia sint opera Trinitatis ad extra; at vi illius non possunt dici tres divinæ personæ assumentes, sed solus Filius; nam per illam actionem producta est unio, vi cujus humanitas manet unita soli Filio, non verò Patri, aut Spiritui Sancto: cur autem Verbum assumpserit humanitatem, & non personam, & cur ita factum sit, satis constat à num. 603. de distinctione inter naturam, & personalitatem: idcirco non assumpsit personalitatem creatam, sive hominem, sed humanitatem, sive naturam humanam in unitatem personæ, ut dixi n. 627. Quærimus modò, quinam sit terminus à Verbo assumptus, an scilicet solum corpus, vel sola anima, vel solæ partes essentiales, an etiam pertinentes ad integritatem humanitatis.

SECTIO I.

De Termino assumpto, & assumptibili.

677. SUppono 1. plures distingui terminos à Theologis in re præsenti; alter enim dicitur terminus *à quo*, alter terminus *qui*, alter verò terminus *quo*, sive *ad quem*. Certum est, respectu Verbi non fuisse terminum *à quo*; quia terminus *à quo* solùm reperitur respectu rei, quæ mutatur, ut notum est in omnibus mutationibus; Verbum autem mutari non potest, ut Fide constat, & fusè diximus à num. 24. nec fuit propriè respectu humanitatis; quia nec in ictu oculi præcessit unquam sine unione ad Verbum, saltem adæquatè (quod propter materiam adverto) licèt potuisset præcedere: idcirco impropriè dici posset terminus *à quo* ipsa negatio unionis, & termini totalis; quia omnis actio temporalis habet ex conceptu suo, ut de non esse transferatur ad esse unum, & totum. Certum est etiam, terminum totalem *qui* remotum actionis incarnativæ, sive assumptionis, esse Christum in, & ex duabus naturis divina, & humana subsistentem: nam terminus totalis *qui*, seu remotus (talis enim dicitur, quia solùm terminat actionem in proximo, ex quo resultat) est totum ex unione producta coalescens, quod in Incarnatione est Christus, & DEUS homo: sicut in generatione humana est homo genitus. Quare terminus immediatus *qui*, & proximus est unio hypostatica; nam talis dicitur ille terminus, quo producto ponitur totum, producta autem unione hypostatica ponitur hoc totum, nempe Christus.

678. Suppono 2. magnum esse dissidium apud Doctores circa terminum formalem *quo*, sive *ad quem*: nam Eximius Doctor censet, esse unionem; quia sola unio formalis terminat actionem incarnativam. Vasquez autem docet, esse humanitatem; quia sola humanitas est forma, qua totum formaliter fit homo. Alii verò judicant esse solam personalitatem; quia sola personalitate completur ultimò illa humanitas. Pater Coninch Epist. 70. dub. 80. facilè componit omnes istas sententias, distinguens in eadem actione ex diverso munere varias appellationes, latitudines, & terminos; unde ait, terminum formalem *quo*, seu *ad quem* assumptionis, seu actionis incarnativæ esse illum, qui formaliter explicat ipsam sic; vel aliter expressam, & appellatam; unde ille est, ex cujus positione habet actio, quòd sit talis, qualis eo nomine significatur. Ratio est, quia sicut forma rei permanentis est illa, à qua formaliter res habet, quòd sit talis, vel talis, ut album albedine, sic terminus formalis actionis erit ille, à cujus positione velut à forma extrinseca habet actio, quòd sit talis, vel quòd talis appelletur.

679. Quare actio incarnativa vel sumitur sub appellatione Incarnationis, vel productionis, vel unitionis, vel assumptionis, vel subsistentialitatis; sub appellatione Incarnationis habet pro termino formali *quo* humanitatem unitam Verbo; nam ab ipsa ut unita dicitur Verbum incarnatum, & actio Incarnatio: sub appellatione productionis, & unitionis habet pro termino formali *quo* unionem: nam ab ipsa dicitur Verbum unitum humanitati, & humanitas

unita

unita Verbo, & actio dicitur unitio, & ipsa unio immediatè terminat productionem; sub appellatione assumptionis habet pro termino formali personam Verbi: nam ab ea dicitur natura humana assumpta, & actio assumptio. Tandem sub appellatione subsistentialitatis habet pro termino formali *quo* subsistentiam Verbi, à qua completur humanitas, ut subsistat in Verbo, & actio dicitur subsistentialitas; unde terminus immediatus finalis, seu *qui* denominationis est modò Verbum, modò humanitas, modò unio, modò utrumque, pro diversitate denominationum. Terminus autem omnino totalis, & simpliciter finalis est Christus ex utraque natura compositus in unitatem personæ.

680. Suppono 3. quæstionem esse de termino immediatè assumpto, qui nempe terminat immediatè unionem hypostaticam; dupliciter enim potest aliquid dici unitum alteri, nempe vel immediatè, sicut forma rationalis unitur materiæ, cui substantialiter adhæret per intrinsecam unionem cum ipsa, vel mediatè, ut ipsa anima rationalis dicitur unita accidentibus albedinis, & nigredinis, quatenus unitur materiæ, cui unita sunt illa accidentia. Ex quibus certum est contra Nestorium, subsistentiam humanam non esse assumptam à Verbo, & contra Manichæos, & Marcionistas, corpus assumptum esse verum, & non phantasticum; tum etiam contra Arium, & Appolinarem, assumptam esse immediatè animam rationalem, & contra alios relatos à Magistro, assumpta esse corpus, & animam inter se unita, & quidquid est de substantiali integritate, & constitutione veri corporis. Ratio est, quia nequit dari vera humanitas sine vero corpore, sine anima, & sine unione utriusque: neque humanitas absque his, quæ ad sui perfectionem, & integritatem pertinent, in ratione naturæ esse potest, nisi deformis, & imperfecta; atqui licèt Verbum non assumpserit propriam subsistentiam humanitatis, assumpsit tamen humanitatem perfectam in ratione humanitatis, ut constat ex Conciliis, & Patribus citatis num. 642. & diximus contra Hæreticos à num. 246. omnes partes pertinentes ad substantialem perfectionem, & integritatem humanitatis sunt terminus assumptus à Verbo. Cæterùm, ut clariùs procedamus,

681. Assero 1. cum Exim. Doctore disp. 15. sect. 5. Verbum divinum assumpsit corpus integrum, & omnibus suis partibus constans. Probatur 1. ex Concilio Toletano 6. can. 11. dicente: *& humanitatem sine peccato de S. Virgine assumpsisse.* Quod etiam habet Concilium Wormatiense in professione Fidei: addúntque Lateran. & alii Patres citati num. 641. eam humanitatem retinere naturales suas proprietates: & Christum esse non tantùm perfectum Deum, sed etiam perfectum hominem. Ex quo apparet, quòd Christus Dominus non est tantùm homo verus, sed etiam perfectus, & integer, & neque mancus, aut mutilus, neque monstruosus; & quamquam hoc ultimum non ita expressè haberetur; nihilominus cùm Fides nostra doceat, Verbum factum fuisse hominem, assumendo naturam nostram, quam in Adamo plantavit, satis infertur, Concilia loqui in eo sensu; unde sicut DEUS creavit Adam integrum quoad omnes partes pertinentes ad naturam, ita Verbum assumpsit omnes eas partes substantiales, & integram naturam, ut bene expressit Leo Papa Serm. 70. de Nativit. & Damascenus lib. 3. de Fide cap. 30. & 70. idémque est communis sensus omnium Patrum, & totius Ecclesiæ; ergo &c. Confirmatur. Quia ita decebat, 684.
& majestatem Verbi DEI, cujus corpus illud erat proprium, & omnipotentiam Sancti Spiritûs, cujus virtute illud fabricatum est, & excellentiam illius operis, quod, sicut est maximum omnium, quæ à DEO profecta sunt, ita decuit, ut integro, & perfecto modo fieret; ergo &c. Reliquæ probationes constabunt ex dicendis.

Assero 2. Verbum divinum non solùm mediatè, & in hypostasi, sed etiam immediatè assumpsit secundùm hypostasim omnes partes corporis humani, quæ anima rationali informantur. Probatur facilè. Omnes partes humanitatis, quæ anima rationali informantur, reverâ exigunt propriam subsistentiam; atqui Verbum divinum vi unionis hypostaticæ supplet in tota humanitate defectum propriæ subsistentiæ, ut ex dictis constat; siquidem in pro- 685.
pria persona humana non sola anima subsistit, sed tota humanitas, ac proinde anima rationalis, & omnes illæ partes, quæ informantur anima rationali, verè subsistunt; ergo &c. licèt hæc conclusio communis sit, & certa. Cæterùm, quia apud Theologos dubium est, an aliquæ partes substantiales requisitæ ad consistentiam humanitatis informentur anima rationali, exinde manet locus ad aliquas controversias: licèt non apud Philosophos omnes partes organicæ, ossa scilicet, & caro anima rationali informantur; de aliis verò plures dubitant; & aliqui docent, dentes, ungues, capillos, alioque humores non informari anima rationali; quod plures etiam docent de sanguine: idcirco de his partibus specialis est difficultas, an scilicet sint assumptæ immediatè à Verbo.

Assero 3. Sanguis Christi Domini proximè, & immediatè fuit unitus Verbo Dei. Hæc conclusio ait Exim. Doctor lib. 6. est hoc tempore ita certa, ut contraria non possit sine errore defendi; videantur Authores apud ipsum. Probatur 1. authoritate Conciliorum, & Patrum; etenim Tridentinum sess. 13. loquens de præ- 686.
sentia Christi in Evcharistia, existere ait *corpus quidem sub specie panis, & Sanguinẽ sub specie ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum*

Car-

Corpore, & anima hypostaticam unionem; unde vi verborum sub speciebus vini ponitur unicè Sanguis, sicut ponitur sub speciebus panis vi verborum Corpus, ac proinde sicut ex positione Corporis immediata concomitantia ponitur Verbum, ita etiam ex positione Sanguinis immediata concomitantia ponitur Verbum; aliter si fieret Consecratio in triduo mortis, non poneretur Verbum sub speciebus Vini, sed eò ipsò Sanguis non minùs unitur immediatè Verbo, quàm uniatur Corpus; ergo &c.

684. Confirmatur. Sanguis, sive animetur, sive non animetur, ita pertinet ad substantialem humanitatis constitutionem, & integritatem, ut sine sanguine operari non possit, neque conservari, unde est substantiale complementum pertinens ad integritatem humanitatis, præscindendo ab eo, quòd informetur, vel non informetur anima rationali: ideóque Tridentinum in allato testimonio meritò vocat Christi partem; non minùs Sanguinem, quàm Corpus, & animam; unde sanguis non est purum alimentum hominis, sed multarum operationum substantialis origo; atqui Verbum immediatè assumpsit humanitatem aptam proximè operari substantialiter vi divinæ subsistentiæ, ac proinde assumpsit humanitatem perfectam, & integram; ergo assumpsit immediatè sanguinem.

685. Probatur 2. Illud totum substantiale, quod requiritur ad complementum integrale humanitatis, sine quo humanitas consistere nequit, exigit propriam subsistentiam, ac proinde Verbum assumpsit totum illud, siquidem assumpsit, quidquid exigit propriam subsistentiam ad constituendam integrè humanitatem; sed talis est sanguis, sive animetur, sive non anima rationali; ergo &c. Major videtur certa ex testimoniis allatis à num. 641. siquidem ibi expressè dicitur, Christum Dominum non solùm esse hominem, *sed Deum perfectum, & hominem perfectum existere;* per quæ verba sanguinem quoque intelligi, videtur esse perspicuum ex illo Pauli ad Hebræos 20. ubi loquens de Filio Dei ait: *quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habet mortis imperium, id est Diabolum;* ubi caro, & sanguis significant integram substantiam humanitatis, juxta illud Matth. 16. *caro, & sanguis non revelavit tibi:* atque ex illo Levit. 17. *quia anima carnis in sanguine est, id est vita, quæ ab illo dependet,* ut exponit Augustinus quæst. 17. in Leviticum.

686. Quamobrem solùm superest probanda min. primi sillogysmi, quæ exinde constat; quia, eò quòd ita requiratur sanguis ad consistentiam humanitatis, non solùm requiritur per modum alimenti convertendi in substantiam aliti; sic enim posset animal, saltem brevi tempore, conservari sine sanguine; unde requiritur simpliciter ad consistentiam corporis quasi ad fovenda omnia membra, & conservandum naturalem calorem maximè necessarium vitæ; idcirco sanguis est velut quoddam organum generale ad operationes animæ, præsertim ad effectus, ut sunt ira, audacia, & ad conservationem spirituum vitalium, & animalium, qui ad vitæ conservationem, & usum sensuum maximè necessarii sunt; quæ omnia procedunt, sive sanguis animetur anima rationali, sive non; ergo &c.

687. Confirmatur 1. ex Conciliis, & Patribus exinde inferentibus, sanguinem assumptum esse à Verbo, ut videri potest in Concilio Ephesino can. 5. ubi dicitur: *Verbum factum est caro, & communicavit similiter ac nos carni, & sanguini*, & in Epistola Cyrilli cum Concilio Alexand. quæ habetur, & approbatur in Ephesino Tom. 1. cap. 14. ubi dicitur: *Verbum, naturalémque DEUM carnem, & sanguinem assumpsisse;* quæ omnia referuntur, & confirmantur in 5. Synodo generali, ac 6. & in Concilio Chalcedonensi act. 1. ubi refertur, & approbatur illa explicatio Cyrilli, *Verbum Caro factum est, id est, carnem, & sanguinem assumpsit;* & in 6. Synodo act. 16. ubi damnatur Constantinus Presbyter, qui dicebat, carnem, & sanguinem in carne fuisse divisa; ubi Patres omnes illius Concilii satis sentire se indicant, utrumque fuisse eodem modo assumptum; ergo &c.

688. Confirmatur 2. ex Clementina 6. supra citata num. 384. ubi ait, unam guttam sanguinis Christi sufficientem fuisse ad opus redemptionis nostræ propter *unionem ad Verbum*; quo satis indicat, sanguinem immediatè unitum Verbo; etenim in principio illius Extravagantis sic præmiserat, DEI Filium nostræ mortalitatis substantiam Divinitati suæ conjunxisse, ut haberet, unde hominem redimeret, & DEO satisfaceret, & quidem per substantiam nostræ mortalitatis, clarè intelligit carnem, & sanguinem, ut constat ex contextu. Sic Leo Papa Epist. 10c. 5. post multa de infinito valore sanguinis Christi exprimit illud 1. Joannis 5. *hic est, qui venit in aqua, & sanguine JESUS Christus*; & dicit, per hæc significari Divinitatem, quæ ab humanitate non separatur. Ciriùs Nazianzenus Orat. 5. explicans illud: *Verbum Caro factum est*, ait, non putativè, sed verè, quia assumpsit corpus ex carne, ossibus, & sanguine constans; tum etiam Beda explicans illud Actor. 20. *quam acquisivit sanguine suo*: dicit esse sanguinem DEI propter unionem duarum naturarum in una persona, atque ea de causa Joannis 6. Christus non minùs vocat sanguinem suum, quàm suam vocat ipsam carnem, *caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem*; & certè antiqui Philosophi semper docuerunt, sanguinem esse partem substantialem hominis, sive animetur anima rationali, sive non; sic Aristoteles lib. 2. de part. animalium cap. 2. numerat sanguinem inter partes animalis, & Seneca lib. 2. quæstionum

naturalium vocat illum quasi partem, quia pertinet ad veritatem humanæ naturæ, quatenus sine sanguine non solùm integer homo esse non potest, sed nec omnino naturaliter esse potest; ergo &c.

689. Assero 4. Cum Exim Doctore, & communi Theologorum: non solùm humanitas est à Verbo assumptibilis, sed etiam natura non rationalis, ut leonis, lapidis, arboris. Probatur: quælibet natura composita propriam habet subsistentiam, à qua completur in ratione proximè operativæ, ut constat à num. 592. atqui Verbum supplere potest defectum propriæ subsistentiæ in natura creata eam assumendo, ut in ipso subsistat, quæ quidem est ratio, propter quam est assumpta substantialiter ipsa humanitas; ergo &c. Confirmatur 1. Corpus sine anima est natura irrationalis exigens partialem suam subsistentiam; atqui corpus fuit unitum Verbo in triduo mortis Christi, quando fuit separatum ab anima, ita ut Verbum revera suppleret tunc in corpore defectum propriæ subsistentiæ; ergo natura irrationalis est assumptibilis à Verbo. Confirmatur 2. Ex Div. Thom. in 3. dist. 2. quæst. 1. art. 1. ubi ait: *ad primam ergo quæstionem, dicendum, quòd Deus de potentia absoluta creaturam irrationalem assumere potuit:* unde si aliquando Divus Thomas videtur indicare, naturam irrationalem assumptibilem non esse, intelligitur de assumptione tendente ad constitutionem compositi potentis nos redimere, & pro nobis satisfacere.

690. Assero 5. Cum communi Theologorum: natura Angelica est assumptibilis à Verbo. Probatur 1. ex Paulo ad Hæbr. 2. ubi singularem Dei erga homines benignitatem deprædicans, ait, nusquam Angelos apprehendit, sed semen Aabrahæ apprehendit: quem locum de apprehensione per unionem hypostaticam intelligunt communiter PP. ex num. 651. atqui si natura Angelica non esset assumptibilis, irrecta esset Pauli argumentatio; ergo est assumptibilis. Confirmatur natura Angelica realiter distinguitur à sua subsistentia non minus, quàm natura humana distinguatur realiter à sua, ut ex disputatione antecedenti satis constat; atqui potest Verbum naturam humanam assumere spoliatam propriâ suâ subsistentiâ, supplendo illius defectum per subsistentiam divinam; ergo potest quoque assumere naturam Angelicam spoliatam propriâ suâ subsistentiâ, supplendo illius defectum per subsistentiam divinam.

691. Probatur 2. Angeli perfectiores sunt, quàm homines; sed major perfectio creata non obstat majori perfectioni, cujus est capax natura imperfectior; ergo ex eo, quòd natura humana sit assumptibilis, & maximè perfectibilis à Verbo, est etiam assumptibilis, & maximè perfectibilis natura Angelica. Confirm. 1. Hæc est pessima argumentatio: Angelus est perfectior homine; ergo est incapax tantæ gratiæ, quantæ capax est homo; atqui si natura Angelica ratione suæ perfectionis esset inassumptibilis à Verbo, hæc argumentatio recta esset; siquidem ratione suæ perfectionis reddetur incapax sanctitatis substantialis, cujus ex capax natura humana; ergo &c. Confirmatur 2. Perfectiones Dei omnino simplices, quæ participantur à creatura, participantur cum limitatione propria creaturæ, & cum physica compositione, quoties hæc non repugnat conceptui prædicatorum, quæ participantur; sed potiùs cedit in majorem subjectionem creaturæ ad Deum, & in majus emolumentum ipsius creaturæ; sed ita se habet in natura Angelica assumptibilitas à Verbo; ergo &c. Ex dictis

Fit. 1. Ita Verbum assumpsisse totum sanguinem humanitatis, ut nulla pars sanguinis sejuncta fuerit à Verbo per præcisam separationem sanguinis à corpore, ac proinde sanguis in 694
passione effusus manſit in triduo mortis unitus. Ratio est, quia ut constat ex Trid. cit num. 683. non minùs, quàm corpus dicitur pars Christi; atqui corpus in triduo per præcisam separationem à sanguine non fuit separatum à Verbo; ergo neque sanguis. Confirm. ab alio ex quadam Bulla Clem. VI. contra quemdam Concionatorem Barcinonensem, qui oppositi in concione dixit: verumtamen de hac condemnatione non satis constat, ut videri potest apud Card. de Lugo studiosè hæc omnia examinantem disp. 14. part. 7. habetur etiam Bulla Pii II. qua sub excommunicatione cavet, ne quis alterutram partem damnare præsumat cum præjudicio auctoritatis Apostolicæ; at si auctoritas adhibenda sit Spondano, hoc statutum non est usu receptum. De his agit novissimè Bartholomæus Durand. tom. 4. de Sacramentis disput. 7. ubi propè finem retractat ea, quæ dixit tom. 3. tract. de Incarnatione disput. 8. sect. 5. quamquàm cum omnibus concedat, occasione illius Concionatoris Barcinonensis damnatam esse sententiam oppositam ab inquisitione Hispanica. 695

Fit 2. Probabiliùs esse, aliquas guttas sanguinis post resurrectionem dimissas esse à Verbo, ut latè tradunt Exim. Doctor disput. 47. S. 3. & Vasquez disput. 3. cap. 8. quia tunc non pertinebant jam ad constitutionem humanitatis: tales sunt illæ guttæ sanguinis, quæ post Resurrectionem creduntur mansisse in Clavis spinis, syndone, nam id contestari videntur plures Historiæ, quas refert Amicus disp. 15. sect. 7. tum revelatio facta Sanctæ Brigittæ à Beata Virgine, tum permissio Ecclesiæ, & quasi comprobatio, ut notat Baronius anno 804. tum communis sensus fidelium, & experientia sensuum, quibus non satisfit, si dicas cum aliquibus, sanguinis colorem esse, non sanguinem. Sanguis enim rubefacit suæ adhæsioni, ut albedo dealbat. Illæ enim guttæ sanguinis quamvis in triduo mortis Christi unionem servaverint, quia tunc adhuc spectabant

bat ad constitutivuum humanitatis, quandoquidem non minùs erant capaces reassumptionis quàm aliæ, quæ assumptæ sunt & constituunt integram humanitatem, at quando Verbum reassumpsit perfectâ humanitatem, & guttas illas non reassumpsit, jam illæ non pertinebant ad constitutivum humanitatis, easque dimisit, hoc autem non obstat, ne absolutè dicendum sit, totum sanguinem reassumptum esse à Verbo; nam moraliter totus dicitur reassumi, eò quòd Christus resurrexerit homo perfectus; ac proinde cum his omnibus, quæ pertinent ad veritatem, & substantialem consistentiam naturæ humanæ, ad quam consistentiam pertinet sanguis, eò enim ipsò, quòd Verbum reassumpserit totum sanguinem pertinentem ad perfectum statum naturæ humanæ, dicitur communi modo loquendi sive moraliter reassumpsisse totum sanguinem.

694. Fit 3. Verbum assumpsisse alios tres humores, nempe atram, flavámque bilem, & pituitam, tum etiam dentes, capillos, & ungues. Ratio est, quia sub hac voce absolutè prolata, corpus humanum perfectum, comprehenduntur hæc omnia, utpote substantialia, & requisita ad perfectam, & integram consistentiam humanitatis. Sed PP. & Concilia superiùs adducta, absolutè asserunt, Verbum assumpsisse corpus humanum, & esse non solùm hominem verum, sed etiam hominem perfectum, ut constat ex num. 641. ergo assumpsit hæc omnia. Roboratur insuper, quia corpus humanum, undequaque perfectum substantialiter & integraliter, hæc omnia complectitur; unde hæc omnia ponuntur in Eucharistia. Non enim ponitur Christus exunguis, edentulus, vel calvus, ideóque ponuntur vel ex vi Verborum, vel ex concommitantia; si primùm, sunt pars corporis; hoc enim ponitur vi Verborum; si secundùm, sunt pars Christi: ea enim ponuntur per concomitantiam, quæ se habent, ut partes juxta Tridentinum citatum num. 683. ergo &c.

695. Fit 4. Cum Exim. Doctore disp. 15. sect. 8. accidentia non fuisse immediatè assumpta à Verbo, imò nec esse assumptibilia immediatè. Ratio est, quia accidentia non terminant subsistentiam, neque exigunt ex natura sua nisi inhæsionem, quæ Verbo convenire non potest ex num. 647. unde non possunt à Verbo immediatè perfici, ex quo nulla est auctoritas, aut ratio, quæ accidentium assumptibilitatem suadet, sed potiùs, quæ dissuadeat; idcirco accidentia duntaxat fuerunt mediatè assumpta, quatenus assumptum fuit eorum subjectum, quod sufficit, ut Christus dicatur habere ea accidentia, atque ab ipsis denominetur vel calidus, vel frigidus, vel patiens, & Deus in Christo, ita etiam denominetur per communicationem idiomatum: hæc autem ratio non militat pro unione nectente corpus, & animam Christi Domini inter se; nam hæc, ut bene notat Card. de Lugo disput. 12. sect. 3. cùm substantialis sit, exigit quoque partialem suam subsistentiam: etenim unionem unire præcisè partes, non est constituere totum substantialiter completum in ratione subsistentis; unde unioni, & partibus debetur subsistentia: atqui Verbum divinum supplevit defectum propriæ subsistentiæ in tota ea substantia, quæ pertinet ad constitutionem, & integritatem humanitatis; unde unitum fuit toti illi substantiæ; ergo unitum fuit illi unioni nectenti inter se corpus & animam Christi. Præterea, ut constat ex Concil. adductis, tota humanitas dicitur ratione sui assumpta à Verbo: cúmque humanitas constituatur ex partibus, & unione substantialibus, exinde, & partes, & unio substantiales fuerunt immediatè unitæ à Verbo.

Fit 5. Ea omnia requisita ad constitutionem & integritatem substantialem humanitatis ita fuisse à Verbo assumpta in eodem instanti, ut dici non possit, quòd assumptio unius fuerit prior tempore assumptione alterius. Ratio est, quia ita est definitum contra Origenem, & alios, ut constat ex confessione fidei Justinianæ; *Dei Filius plasmavit sibi in sua subsistentia carnem animatam anima rationali:* Et ex Epistola Sophronii approbata à 6. Synodo art. 11. *non ante verissimum ipsius Verbi conventum in se ipsis unquam extiterunt, vel cujuspiam secundùm nos alterius homonis penitùs extiterunt; sed cùm Verbi ipsius naturali conventu subsistentiam habitura concurrerunt; & nec quantum in ictu oculi hanc, quàm illam priorem habentia, sicut Paulus Samosatenus &c.* De ordine verò prioritatis cum simultate temporis componibili, non est eadem resolutio apud Theologos. Nihilominus, ut rem clarè, & breviter explicemus, triplex ordo excogitari potest in præsenti; nempe ordo dignitatis, ordo intentionis, & ordo quasi naturæ, & executionis. Quare si sermo sit de ordine dignitatis, humanitas præcedit animam, & anima corpus, quia humanitas perfectior est anima, & anima corpore. 696.

Si verò sit de ordine intentionis, etiam humanitas præcedit partes sigillatim acceptas, & anima corpus. Ratio est, quia, ex intentione assumendi humanitatem assumptæ sunt partes, & ratione animæ corpus; ideo enim est assumptum corpus, quia habet animam capacem merendi, satisfaciendi, & videndi Deum, quo in sensu intelliguntur Concilia, & PP. quando dicunt corpus assumptum fuisse media anima, quorum testimonia tradit Vasquez disput. 37. cap. 5. quin potiùs etiam dicunt animam assumptam fuisse media mente, quod sic intelligo, Verbum assumpsit humanitatem ex intentione redimendi genus humanum, si futura fuisset Redemptio, quod media passione, meritis ac morte Christi Domini remedium erat; cùm autem Christus mereri non posset sumpta anima irrationali, 697.

sed rationali; siquidem anima irrationalis est incapax meriti, ideo dicitur assumpsisse animam media mente, non quia mens distinguatur realiter ab anima assumpta, sed ab assumptibili; quare ex hoc testimonio perperam arguunt aliqui, admittentes, potentias identificatas cum anima, & ex illo contendunt, naturam irrationalem non esse ratione sui assumptibilem; oppositum enim inferre deberent; nec aliter possunt hæc Patrum testimonia ritè explicare.

698. Si autem sermo sit de ordine quasi naturæ & executionis, quatenus pro prioritate naturæ intelligitur independentia à dependenti tanquam à causa, sive materiali, sive formali, sive efficienti, aut finali, corpus, anima, & utriusque unio præcesserunt unionem ad Verbum; nam unio hypostatica dependebat ab ipsis tanquam à causa materiali, unaquæque, nempe partialis unio hypostatica ab unoquoque ex his constitutivis humanitatis; hæc autem constitutiva, independebant ab unione hypostatica, poterant enim existere cum propria subsistentia, & sine unione hypostatica, & unio hypostatica non poterat existere sine illis; atque exinde infertur dependentia unionum partialium, nam partialis unio hypostatica correspondens partiali unioni humanitatis dependebat etiam saltem, tanquam à causa materiali remota, à materia & forma independentibus ab ea unione tanquam à causa, è contra uniones hypostaticæ partiales correspondentes animæ, & corpori independebant ab unione humanitatis, & hæc etiam independebat ab illis, ut constat ex triduo mortis Christi; ideóque inter illas non præcessit hæc naturæ prioritas. Rursus humanitas dependebat à partibus tanquam à causis constitutivis, & non è contra; unde in hoc sensu dicebatur etiam natura posterior partibus: si autem quis diceret, materiam independere à forma tanquam à causa materiali, & formam à materia tanquam à causa formali completiva, ac proinde unamquamque ex his partibus in genere dependentiæ esse priorem alterâ, redderet quæstionem de voce, de qua non curo, dum sensus rei intelligatur.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

699. OBjicies 1. contra primam assertionem & & secundam assertionem: plures Patres docent, Verbum assumpsisse corpus mediâ animâ, & animam media mente, ut refert Vasquez citato num. 697. immediatè solùm assumpsit mentem, & mediatè tantùm corpus & animam: Resp. conc. antec. & nego conseq. quia; ut diximus eo num. 697. ea Patrum locutio solùm significat Verbum, assumpsisse naturam, in qua moreretur, & nos redimeret, ac proinde noluisse assumere corpus nisi informatum anima, & animam non nisi mente prædi-

tam; per quod inferri non potest, quòd non assumpserit hæc omnia immediatè; siquidem ea assumpsit, ut maneret vi Incarnationis perfectus homo; unde vi Incarnationis assumpsit immediatè humanitatem, sine qua perfectus homo esse non poterat.

Objicies 2. contra tertiam assertionem: si sanguis fuisset immediatè assumptus à Verbo, quando sanguis erat in passione effusus, posset dici, Deus est sanguis effusus, sparsus, & divisus, sed istæ locutiones admitti non possunt; ergo &c. Resp. nego majorem, quia idiomatum communicatio non fit inter Verbum, & partes, sed inter totum, & totum, nempe inter Verbum, & hominem, vel inter naturas completas, ut diximus num. 579. unio quidem facit, quòd Verbum sit homo, atque adeò, quòd de Verbo possint dici, quæ dicuntur de homine, cùm autem de homine, quando effunditur sanguis, dici non possit, hominem effundi, nec quando manus jacet, dici posset, hominem jacere in lecto, ea de causa, quando sanguis effundebatur in passione, dici non poterat; Deus effunditur. Qui plura de his vult, videat à num. 536.

Objicies 3. Verbum tantùm assumpsit unam naturam, ac proinde unam solam materiam, & formam; atqui si sanguis non informetur anima rationali, habet suam propriam formam ad gradum inanimatum pertinentem; ergo esset diversa natura à natura hominis, ac proinde sanguis si non informetur anima rationali, non fuit assumptus à Verbo. Respond. dist. maj. tantùm assumpsit unam naturam, considerata unitate secundùm essentialia, & integralia, concedo; considerata tantùm secundùm essentialia, nego maj. & dist. min. ad gradum inanimatorum pertinentem absque alio ordine ad humanitatem, nego; ordinatam ad complementum, & integritatem substantialem humani corporis, cujus aliquo modo est, concedo min. & nego conseq. Ratio est, quia eò ipsò, quòd natura sanguinis aliquo modo sit humani corporis, quatenus est ad ejus complementú integrale ex natura sua ordinatum, constituit unam naturam in ratione substantialiter integræ, & completæ cum humano corpore; ideóque Verbum assumendo carnem & sanguinem non assumpsit duas naturas integras, sed unam substantialiter integram, & completam in ratione naturæ, ex quo sub nomine carnis comprehenditur sanguis, si accipiatur caro integraliter completa eo complemento substantiali, sine quo consistere non potest.

Objicies 4. In aliis hominibus subsistentia creata humanitatis tantùm terminat eas partes corporis, quæ informantur anima rationali; ergo Verbum divinum per Incarnationem duntaxat supplet defectum subsistentiæ respectu talium partium, ac proinde non supplet defectum propriæ subsistentiæ respectu sanguinis, neque assumpsit immediatè sanguinem. Respondeo dist. antec. sumpta unitate subsisten-

tiæ

tiæ pro unitate duntaxat eſſentiali, nego, pro unitate eſſentiali, & integrali, conc. antec. & nego conſequentiam. Ratio eſt, quia eo modo, quo in puris hominibus natura eſt una; ita etiam eſt una ſubſiſtentia; cùm autem natura ita ſit una, ut non ſit omnino ſimplex, ſed compleatur per multa ad ſui veritatem, & integritatem pertinentia; exinde ſubſiſtentia illius naturæ eſt una, ſumpta unitate ab omnibus, quæ requirit ad integritatem; cúmque ſubſiſtentia ſanguinis ſit partialis integritas ſubſtantialis, conſtituit cum ſubſiſtentia partium eſſentialium unam ſubſiſtentiam, quatenus per unitatem intelligitur ea, quæ eſſencialiter, & integraliter eſt completa. Idcirco Verbum divinum in humanitate Chriſti Domini ſupplevit totam illius ſubſiſtentiam ablata imperfectione, & compoſitione intrinſeca ipſius ſubſiſtentiæ: quidquid enim creata ſubſiſtentia ex multis partibus compoſita intelligitur terminare, perfectiori modò terminavit Verbum ſua ſimplici ſubſiſtentia. Quapropter, qui dicunt, ſanguinem non informari anima rationali, conſequenter dicent, corpus humanum eſſe per ſe unum, non quidem per continuationem perfectam, ſed per phyſicam ſubordinationem requiſitam in ſanguine ad vitæ conſervationem, & prout expedit, ut anima poſſit uti partibus ſubſtantialibus ad munera ſua exercenda.

705. Objicies 5. Verbum divinum modò in Cœlo non habet ſibi unitas, niſi eas partes corporis, quæ informantur anima rationali; ergo ſignum eſt, eas tantùm à principio aſſumpſiſſe. Confirmatur; quia aliàs ſequerentur incommoda, ſcilicet Verbum eſſe ſanguinem, & per communicationem idiomatum ſanguinem eſſe hominem: poſſet enim ita formari argumentum: Verbum eſt homo; ſed Verbum eſt ſanguis; ergo ſanguis eſt homo; unde per communicationem idiomatum dici poſſet, Verbum effuſum in paſſione, & adhærens Cruci; ſed locutiones iſtæ admitti non poſſunt; ergo &c. Reſpondeo, nego antec. quia in Reſurrectione certiſſimum eſt, ſanguinem fuiſſe iterum conjunctum corpori, & nunc etiam eſſe in glorioſo Chriſti Corpore, quamquàm aliquæ guttæ ſanguinis effuſi in paſſione reaſſumptæ non fuerint, quia illæ jam non pertinent ad integritatem humanitatis, ut num. 639. dixi; ſanguis verò, qui eſt in Corpore Chriſti glorioſo, cùm ad complementum humanitatis verè pertineat, revera eſt unitus immediatè Verbo; quòd autem aliquæ guttæ reaſſumptæ non fuerint, nihil probat, quia etiam per nutritionem admiſſæ, & amiſſæ fuerunt aliquæ particulæ vi incrementi, & detrimenti, quod nutritio ſecum naturaliter affert. Quomodo intelligatur illud axioma, *quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*, dicemus num. 706. Ad Confirmationem nego maj. quia, cùm ſanguis ſit purè pars, quæ non accipitur pro toto, non eſt capax prædicationum pertinentium ad com municationem idiomatum, ut diximus num. 579.

704. Objicies 7. contra quartam aſſertionem: vi unionis hypoſtaticæ ſit natura ſubſtantialiter ſancta; ſed natura irrationalis nequit fieri ſancta: ergo non eſt aſſumptibilis. Confirmatur 1. DEUM dedecet, ut per communicationem idiomatum dici poſſit: DEUS eſt equus, Deus eſt muſca; ſed ita dici poſſet, ſi DEUS aſſumeret illas naturas irrationales; ergo natura irrationalis aſſumptibilis non eſt. Confirm. 2. Subſiſtentia Verbi eſt perſonalitas; ſed cum natura irrationali nequit conſtitui perſona; ergo ſubſiſtentia Verbi nequit uniri hypoſtaticè naturæ irrationali. Reſp. diſt. maj. ſi natura ſit capax ſanctitatis, conc. ſi ſit incapax, nego maj. & conc. min. nego conſequentiam; quia denominatio ſanctitatis cadit ſupra ſubjectum DEO gratum, & amicum; amicitiæ autem ſolùm eſt capax natura rationalis; unde natura irrationalis, cùm ſit incapax amicitiæ cum DEO, eſt etiam incapax Sanctitatis. Ad primam Confirmat. nego maj. ſi enim Deus poteſt propter communicationem idiomatum denominari puer, mortalis, crucifixus, & paſſus, quid mirum, ſi aſſumeret naturam muſcæ, vel leonis, ut per communicationem idiomatum dici poſſit muſca, & leo; quod negare ſtultũ apparuit Tertul. contra Marcionem lib. de Carne Chriſti c. 4. iſtæ tamen locutiones non proferendæ ſunt coram rudibus; nam cùm harum denominationum cauſam ignorarent, aliter, quàm eſt in ſe, ſuſciperent. Ad ſecundam Confirmationem retorqueo argumentum: ſubſiſtentia Verbi eſt æterna: ſed nequit reddere humanitatem æternam: ergo nequit aſſumere humanitatem. Reſp. deinde nego conſeq. quia licèt non poſſit aſſumere naturam irrationalẽ ad ſupplendam ejus perſonalitatem, eò quòd ſit capax ſuppoſitialitatis, & non perſonalitatis, poteſt tamen ſupplere ejusdem ſuppoſitalitatem.

705. Objicies 8. contra quintam aſſertionem: natura Angeli identificatur cum ſua ſubſiſtentia; atqui Verbum divinum non poteſt aſſumere perſonam creatam: ergo neque naturam Angelicam. Reſpondeo nego maj. quia natura Angeli, licèt ſit indiviſibilis, indiget modò ſubſtantiali eſſendi diſtinctò realiter à natura, ut ipſa ſit proximè operativa; cùmque ille modus ſubſtantialis eſſendi ſit ſubſiſtentia, exinde natura Angeli diſtinguitur realiter à ſua ſubſiſtentia, de quo ſatis ſupérque dixi à num. 690. cur autem Div. Thomas 1. part. quæſt. 3. art. 3. & 4. contra Gentes cap. 55. ad 4. dixerit, in Angelo non diſtingui ſubſiſtentiam à natura, bene verò in homine, expoſuimus num. 675. Addit Cajetanus, tunc Divum Thomam conſiderâſſe Angelum duntaxat cognitum ex principiis naturalibus, ex quibus non poſſumus inferre, ſubſiſtentiam diſtingui realiter à natura; per hoc autem non negâſſe, naturam Angelicam diſtingui realiter à ſubſiſtentia, ſi juxta principia Fidei debemus diſcurrere, modò, quo ipſe S. Thomas diſcurrit 3. p. & alibi. Veruntamen hæc Cajetani expoſitio minimè placet,

si non recurrat ad ea, quæ deducimus eo num. 675. nam quando negat Divus Thomas subsistentiam distinctam in Angelo, eam concedit in homine. Unde diversa tantùm acceptione naturæ, uti diximus, debet desumi discrimen. Ex dictis

706. Fit 1. Illud axioma, *quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit*, solùm intelligi de partibus essentialibus humanitatis, nempe de corpore, & anima, quæ nunquam dimisit, cùm adhuc in triduo mortis retinuerit unionem, quamquàm anima, & corpus inter se tunc unionem non haberent. Ex quo apparet, quomodo non sit contra sensum hujus axiomatis, quòd in triduo mortis dimiserit unionem naturalem, quam assumpserat inter corpus, & animam, & quòd non assumpserit in Resurrectione aliquas guttas sanguinis, ut diximus num. 693. atque exinde etiam intelligitur, quomodo dimiserit eas partes tenuissimas, quæ vi nutritionis resolvuntur. Fit 2. Verbum divinum non solùm assumpsisse naturam humanam metaphysicè consideratam, verùm eam assumpsisse secundùm omnia substantialia requisita ad essentiam, & integrale complementum ipsius. Quamobrem, licèt unio nectens corpus, & animam inter se, non sit natura; at quia est de essentiali, & substantiali constitutivo naturæ, fuit verè assumpta à Verbo; unde ea unio naturalis erat modus respectu materiæ, & formæ, & erat extremum respectu unionis hypostaticæ, quæ uniebat illam cum Verbo; ad eum modum, quo forma rationalis est actus respectu materiæ primæ, & est subjectum respectu suorum actuum spiritualium.

DISPUTATIO XVI.

QUISNAM ASSUMPSERIT, VEL POTUERIT ASSUMERE?

707. CErtum est, solum Verbum, seu secundam Trinitatis personam defacto assumpsisse humanitatem, ut contra Hæreticos dixi num. 246. cur autem Verbum, non autem Pater, aut Spiritus Sanctus humanitatem assumpserit, non aliam certam rationem reddere possumus, nisi decretum divinum per Fidem nobis cognitum, licèt sint plures congruentiæ, quas tradit Ex. Doct. disp. 12. s. 5. & dedimus n. 255. Cæterùm, quia Verbo divino duo sunt prædicata, sive duæ virtualitates inter se distinctæ, nempe filiatio propria secundæ personæ, & natura toti Trinitati communis, quæ est prædicatum absolutum; difficultas est non modica, quænam ex his assumpserit immediatè humanitatem? cur autem ratione mysterii Incarnationis dicatur Filius DEI ad Philipp. 2. *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, explicant latè expositores, præsertim Eutymius, & Theophilactus; non enim talis dicitur, quia fuerit homo latens, & occultans humanitatem, sicut fit in Eucharistia, sed quia fuit homo, etiam quoad exteriorem apparentiam, & quia tantùm apparebat homo, cùm reverâ esset homo DEUS; unde in isto testimonio nomine *habitu* non significatur vestimentum, sed figura exterior, & sensus est, quòd Filius DEI quoad extimam figuram apparuit ut homo de turba, cùm non solùm esset homo, sed etiam DEUS æqualis Patri. His positis sit

SECTIO I.

De Termino assumente, & assumptivo.

708. PRima sententia docet, humanitatem fuisse immediatè unitam Verbo duplici unione, altera quidem, qua immediatè uniebatur personalitati relativæ, quæ est propria Verbi; altera verò, qua uniebatur subsistentiæ absolutæ, quæ est communis Trinitati, quam subsistentiam absolutam Capreolus putat esse ipsam divinam existentiam. Ita Durandus in 3. dist. 1. & 4. & 5. quæst. 1. & Capreolus in 3. dist. 1. quæst. unic. Secunda sententia ait, humanitatem per unam tantùm unionem immediatè uniri personæ Verbi, in quantum includit tum naturam communem; tum personalitatem propriam, ita ut humanitas æquè immediatè fuerit unita immediatione terminationis personalitati propriæ, ac naturæ communi. Ita plures Recentiores cum Nominalibus. Tertia sententia defendit, immediatè humanitatem uniri Verbo duntaxat secundùm personalitatem propriam, & secundùm naturam communem uniri tantùm mediatè, quatenus ista personalitas unita trahit per se ad idem compositum naturam, cum qua identificatur; unde natura divina, & humana dicuntur unitæ verè, & propriè in Verbi personalitate; sicut duo arboris rami dicuntur verè, & propriè uniti in eodem trunco; ita Exim. Doct. disp. 21. sect. 2. Cajet. ad q. 3. Div. Thom. art. 2. Vasquez disp. 26. c. 3. quæ etiam tribuitur Alensi, Bonaventuræ, Scoto, & communi Theologorum.

710. 711.

Assero 1. contra primam sententiam: humanitas non unitur Verbo duplici unione, quarum altera uniatur immediatè personalitati propriæ Verbi; altera verò subsistentiæ, sive existentiæ communi toti Trinitati. Prob. 1. ex Concilio Toletano 6. can. 1. ubi ait: *cùm tota operata sit Trinitas formationem susceperit hominis (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis) solus tantùm Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, id est in eo, quod proprium est Filii, non quod*

quod commune est Trinitati, quoniam constat, naturam Trinitatis esse, non tamen personam. Eadem ferè verba habentur in Concilio Toletano 11. in Confessione Fidei; ex hoc enim testimonio constat, Verbum unitum esse humanitati, & terminâsse unionem secundùm proprium, quod in ipso est, non verò secundùm id, quod in ipso est commune toti Trinitati; atqui si humanitas esset unita Verbo duplici unione, quarum alterâ uniretur immediatè subsistentiæ, vel existentiæ communi toti Trinitati, Verbum non solùm term inâsset unionem secundùm id, quod est ipsi proprium, sed etiam secundùm id, quod in ipso est comune toti Trinitati; ergo &c. Confirmatur ex Augustino Serm. 30. de tempore, ubi de Filio D E I ait: *suscepit Filius carnem in proprietate &c. in carne sola Filii proprietas, non autem ab eo Patris, aut Spiritus Sancti recessit aliquando divinitas: cùm ergo una sit Deitas, una Divinitas, implevit quidem carnem Christi & Pater & Spiritus Sanctus, sed majestate, non susceptione.* Ex quibus Augustini verbis ita informatur argumentum: si natura divina fuisset immediatè unita humanitati, non solùm Filii proprietas, sed etiam natura Filii esset immediatè in carne; atqui ex Augustino in carne sola fuit Filii proprietas; ergo &c.

710. Probatur 2. ratione, quam & Concilia, & Augustinus insinuant: ut Fide constat, solus Filius incarnatus est; atqui, si unio esset immediatè terminata ad naturam, non quidem solus Filius, sed tota Trinitas incarnata fuisset; ergo &c. Probatur min. quia Verbum est principium immediatè effectivum Incarnationis, & unionis secundùm omnipotentiam communem toti Trinitati; ergo si Verbum esset terminus immediatus unionis non solùm secundùm proprietatem personalem, sed etiam secundùm naturam divinam communem toti Trinitati non solùm Verbum, sed etiam tota Trinitas incarnata foret.

711. Respondebis ex Durando, solum Verbum esse incarnatum; quia, licèt ipsum solum non terminet unionem secundùm naturam communem, eam tamen solitariè terminat secundùm personalitatem propriam. Contrà tamen, quia ex hac responsione tantùm inferri posset, Verbum divinum esse incarnatum duplici titulô, nimirum titulô prædicati relativi, & titulô prædicati absoluti, cùm apud Adversarium immediatè uniatur humanitati secundùm relativum, & secundùm absolutum; ad eum modum, quo si Verbum divinum produceret unionem non solùm secundùm prædicatum absolutum naturæ, & omnipotentiæ divinæ, verùm etiam secundùm prædicatũ, personale, dupliciter esset principium, ita nempe, ut secundùm influxum peculiarem prædicati relativi esset principium peculiare, eo modo, quo non influerent Pater, & Spiritus Sanctus; at verò secundùm influxum prædicati communis esset principium commune, ideóque simul influerent Pater, & Spiritus Sanctus; ergo si Verbum divinum ita incarnatũ fuisset, ut immediatè terminaviſſet duplicem unionem humanitatis; alteram quidem secundùm prædicatum relativum, & alteram secundùm prædicatum commune naturæ divinæ, erit incarnatum duplici titulo, ita nempe, ut vi tituli relativi maneat solùm Verbum incarnatũ; at verò vi naturæ divinæ immediatè unitæ manerent simul incarnati Pater, & Spiritus Sanctus, quod absque hæresi dici non potest.

Assero 2. contra secundam sententiam: Verbum divinum unitum est immediatè humanitati solùm secundùm personalitatem propriam, non autem secundùm naturam communem. 712. Probatur 1. Concilium Toletanum citatum n. 705. dicit, Filium D E I unitum esse naturæ humanæ *in eo, quod est proprium Filii, non verò in eo, quod est commune toti Trinitati;* tum etiam Augustinus ibi citatus docet, *immediatè esse in carne solam Filii proprietatem;* atqui si Verbum divinum unitum fuisset immediatè humanitati non tantùm secundùm personalitatem, sed etiam secundùm naturam divinam, non solùm esset incarnatum secundùm id, quod est proprium Filii, verùm etiam secundùm id, quod comune est toti Trinitati, ut constat ex num. superiori: proindéque in carne eodem modo esset divinitas, ac Filii proprietas; ergo non fuit incarnatum secundùm prædicatum commune, sed tantùm secundùm propriam personalitatem. Confirmatur. Si Verbum divinum intelligeret aliquod objectum per intellectionem communem toti Trinitati, licèt illud objectum diceretur cognitum à solo Filio per cognitionem notionalem, nihilominus diceretur etiam verè cognitum à Patre, & Spiritu Sancto per cognitionem communem; ergo si Verbum divinum terminâsset immediatè unionem humanitatis, & secundùm prædicatum relativum, & secundùm prædicatum absolutum, licèt vi terminationis relativæ solum Verbum foret incarnatum, tamen secundùm terminationem communem essent quoque incarnati Pater, & Spiritus Sanctus.

Respondebis, Verbum divinum unitum fuisse immediatè in eo, quod est proprium, non verò in eo, quod est commune, eò quòd unitum fuerit immediatè [illegible]biliter illud complexum ex natura, & personalitate, quod complexum est proprium Filii, non verò naturæ secundùm se consideratæ, quæ est communis toti Trinitati. 713. Contrà tamen 1. Qui dicit, alicui constanti ex proprio, & communi aliquid convenire secundùm proprium, & non secundùm commune, non significat, illud convenire secundùm complexum ex proprio, & communi, sed duntaxat secundùm proprium, prout contradistinguitur à comuni: sic loquuntur Concilium Tolet. & Augustinus de Verbo incarnato, ut constat ex illis verbis Concilii: *solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate persodæ, non in unitate divinæ natu-*

ra,

ræ, id est, in eo, quod est proprium Filii, non quod commune est Trinitati; & ex illa locutione Augustini *suscepit carnem proprietate: in carne sola Filii proprietas*; ergo non potest, nisi contra doctrinam Concilii, & Augustini dici Verbum unitum esse immediatè in eo, quod est proprium, & quod unitum fuerit immediatè, & indivisibiliter complexum ex natura, & personalitate.

714. Contrà 2. Qui dicit, hominem mori, & corrumpi secundùm id, quod est materiale, non verò secundùm id, quod est spirituale, non significat, hominem mori, & corrumpi secundùm complexum; ita, ut utraque pars complexi, nimirum anima, & corpus moriatur, sed solùm significat, hominẽ mori, & corrumpi secundùm mortale contradistinctũ ab anima spirituali, nempe secundùm corpus, quod manet absque vita; ergo eo ipso, quòd Concilium dicat, Verbũ incarnatum esse in eo, quod est proprium Filii, non quod commune est Trinitati, non potest dici, quòd per ea verba significet, uniri immediatè in complexo ex proprio, & communi, sed tantùm intelligi uniri immediatè secundùm id, quod est prædicatm proprium, & non secundùm id, quod est prædicatum comũne. Contrà 3. Quoties Concilia, & Patres dicunt, naturam humanam, & divinam verè, & propriè esse unitas; ut explicent, non uniri immediatè, sed in personalitate Verbi, subjungunt, unitas esse secundùm subsistentiam; sic Concilium Lateranense can. *6. si quis non confitetur propriè, & verè ex duabus naturis, Deitate, & humanitate secundùm subsistentiam unitis inconfusè, & indivisim, eundem, & unum Christum esse, sit condemnatus*: ergo quando dicunt, uniri secundùm id, quod est proprium, & non secundùm id, quod est commune, reverâ intelligunt, Verbum divinum unitum fuisse immediatè humanitati solùm secundùm personalitatem propriam, non verò secundùm complexum ex natura communi, & propria personalitate.

715. Probatur 2. conclusio: Verbum divinum immediatè unitum est humanitati secundùm id duntaxat, per quod immediatè compler substantialiter humanitatem ad finem Mysterii; sed hoc modo solùm complet immediatè, & substantialiter humanitatem secundùm personalitatem propriam, non verò secundùm naturam comunem, neque secundùm aggregatum ex natura communi, & personalitate propria; ergo &c. Probatur min. Natura humana, utpote substantialiter completa in ratione naturæ, non completur substantialiter à natura divina in ratione naturæ, ut constat ex Patribus citatis à num. 487. & 607. neque ad finem Mysterii opus erat, quòd compleretur, nisi ut in alio subsisteret, & per ejus personalitatem substantialiter compleretur; atqui ad istum finem requiritur solùm immediata unio cum personalitate Verbi, à qua substantialiter completur, ut humanitas in Verbo subsistat, non autem requiritur unio immediata cum natura, & personalitate.

Confirmatur: quia juxta nostram doctrinam facilè explicatur, quod juxta Adversarios vix, aut ne vix quidem explicari potest, nempe quo pacto, sicut in Trinitate tres divinæ personæ sunt unum in natura, non autem in persona; sic in Christo duæ naturæ sunt unum in persona, non autem in natura; nam sicut tres personæ sunt DEUS per unam naturam divinam; sic in Christo duæ naturæ subsistunt per unam divinam personalitatem; exinde etiam intelligitur, quomodo actio productiva unionis, quæ competit Deo ratione prædicati comunis, proveniat à tota Trinitate, & quomodo non conveniat toti Trinitati incarnari, eò quòd non conveniat Filio ratione prædicati communis, sed ratione personalitatis propriæ, quæ omnia bene tetigit, & expendit Divus Thomas 3. part. quæst. 3. artic. 2. in Corp. *in Verbo assumptionis duo significantur, scilicet principium assumptionis, & terminus ejus; esse autem assumptionis principium convenit naturæ divinæ secundùm se ipsam, quia ejus virtute assumptio facta sit; sed esse terminum assumptionis non convenit naturæ divinæ secundùm ipsam, sed ratione personæ, in qua consideratur, & ideo primò quidem, & propriissimè persona dicitur assumere secundùm se, aut potest dici, quòd etiam natura assumpsit naturam ad sui personam, & secundùm hunc modum dicitur natura incarnata, non quasi sit in carnem conversa, sed quia naturam carnis assumpsit: unde Damascenus dixit: dicimus naturam DEI incarnatam esse secundùm Beatos Athanasium, & Cyrillum.* 718

Hæc Divi Thomæ doctrina quàm maximè notanda est, ut intelligatur, quo in sensu dicantur verè, & propriè uniri in Christo natura humana, & divinanon enim dicuntur uniri primariò, sive immediatè, sed tantùm secundariò, sive secundùm subsistentiam, quatenus subsistentia Verbi non potest non habere ad se naturam in composito, quod constituit substantialiter cum humanitate: nam verissimum est dicere, illud ipsum, quod subsistit in natura humana, subsistit in natura divina; & è converso; ex quo evanescit scrupulus Niceæ, qui lib. 3. Thes. cap. 11, absolutè ait: *errore non caret, si naturam divinam incarnatam esse dicimus, vel si carnem à natura divina incarnatam fuisse dixerimus*; evanescit quidem iste scrupulus, quia non dicitur incarnatam per unionem immediatam ad carnem, sed mediatam, quatenus unita est immediatè personalitas Verbi, quæ non potest intelligi in carne, quin ipsa trahat naturam divinam; nec est contra rationem identitatis, ut infrà videbimus. Quare in ea locutione, ut ait Eximius Doctor, cum communis Divi Thomæ, & Sanctorum Patrum, non est, quod timeas. Ex quo etiam colligitur, personalitatem genitam non posse denominare naturam genitam, quamvis ad se trahat; quia natura est incapax talis denomi- 719.

nationis

nationis, eò quòd in divinis res genita distinguatur realiter à generante, & natura divina est incapax talis distinctionis realis à Patre, & natura mediatè unita nullam exigit realem distinctionem à non unito, sicut natura communis non exigit realem distinctionem à personalitate non communi; quæ omnia facilè inferuntur ex illo certissimo Theol. proloquio: in divinis omnia sunt communia ubi non obstat oppositio relativa, sive producentis, & producti.

718. Omitto aliorum probationem desumptam ex intrinseca impossibilitate naturæ divinæ, ut uniatur immediatè humanitati, nam hæc ratio pendet ab illa quæstione, in qua quæritur, an natura divina sit realiter, & virtualiter subsistentia absoluta, ita, ut præter tres subsistentias relativas detur etiam in DEO subsistentia absoluta, qua Deitas constituatur subsistens, licèt non constituatur persona; eò quòd subsistentia absoluta non constituat cum Deitate totum incommunicabile alteri personæ. Unde si natura divina ratione sui, & in se sit subsistentia absoluta, poterit substantialiter complere humanitatem in ratione subsistentis in alio, atque secundùm dictum respectum posset terminare immediatè unionem humanitatis, quo in casu tres personæ divinæ incarnarentur, siquidem quæ Deo conveniunt ratione naturæ communis, sunt communia toti Trinitati. Cæterùm si ea subsistentia absoluta repugnet, ut contendunt plures cum Vasquez tom. 2. disput. 125. non posset natura divina uniri immediatè humanitati, & incarnari. Ratio est, quia cùm natura humana sit substantialiter completa in ratione naturæ, & solùm sit substantialiter incompleta in ratione subsistentis, in quantum caret propria subsistentia, non poterit natura divina immediatè uniri naturæ humanæ, nec aliter uniri, nisi secundùm subsistentiam, ac proinde mediatè.

719. Assero 3. plures divinæ personæ possent de potentia absoluta assumere unam numerò naturam, tum etiam una sola persona plures naturas. Probatur 1. una personalitas divina propter capacitatem suæ infinitudinis non excludit alteram ab eadem numerò natura, siquidem tres divinæ personalitates revera terminant eandem naturam divinam, nec limitatio naturæ humanæ impedit eam unionem, quandoquidem defacto, quamvis sit limitata, & finita, revera unitur personalitati infinitæ Verbi; ergo de potentia absoluta tres divinæ personæ poterunt assumere unam numerò naturam, & una etiam persona poterit assumere tres numerò naturas. Confirmatur: quia humanitas assumpta in tribus personalitatibus divinis non magis perficeretur à tribus, quàm ab una sola, nec duæ humanitates assumptæ perficerentur minùs ab una sola divina personalitate, quàm à duabus; ergo nullum excogitari potest inconveniens, ne plures divinæ personæ possent assumere unam numerò humanitatem, vel ut possit una sola persona divina assumere plures humanitates.

720. Probatur 2. Personalitas Verbi divini defacto terminat duas naturas, nempe divinam, & humanam; ergo etiam poterat terminare duas humanas. Probatur conseq. quia infinita personalitas Verbi ex eo, quod compleat substantialiter unam naturam, non limitatur, ne simul possit substantialiter complere alteram, sic licèt terminet infinitè naturam divinam, potest adhuc terminare humanam, pariter natura humana, licèt compleatur substantialiter ab una personalitate infinita, ut in ea persona subsistat, non impeditur, ne simul terminetur ab altera, ut in altera quoque subsistat, cùm enim in natura humana ea potentia sit tantùm obedientialis; ex eo, quòd obediat elevatione unius personalitatis, non redditur impotens obedire simul elevationi aliarum personalitatum; ergo de potentia absoluta possunt tres divinæ personæ assumere eandem numerò humanitatem, atque è converso una sola persona divina potest assumere tres humanitates.

721. Probatur 3. Et præoccupantur responsiones Adversariorum; si repugnaret, quòd tres personæ dvinæ assumerent eandem numerò humanitatem, vel è converso, exinde esset quia in eo casu, neque tres personæ assumentes eandem humanitatem possent dici unus homo, neque plures homines, quod idem esset, si eadem persona plures humanitates assumeret, sed hæc ratio non subsistit: nam in eo casu terminus tantùm esset homo, ut enim detur multiplicatio hujus termini *homo*, duo requiruntur, nempe, & quòd detur multiplicatio formæ, scilicet humanitatis, & quòd detur multiplicatio personæ in ea forma, sic in divinis, eò quòd non detur multiplicatio Deitatis, non possunt dari plures Dii, & in creatis eò ipsò, quòd non detur multiplicatio subsistentiarum, non possunt dari plures homines, ut colligitur ex Mysterio Incarnationis; concretum enim substantiale, & personale dicens expressè, & determinatè formam speciei, ut *homo*, hæc duo requirit ad sui multiplicationem, nempe & multiplicationem suæ formæ, sive humanitatis, à qua formaliter constituitur homo, & multiplicationem personæ, in qua subsistat homo distinctus ab altero, sed hæc duo reperiri non possent, quamquàm tres personæ assumerent eandem humanitatem; siquidem in eo casu, quamvis multiplicentur personalitates, non multiplicaretur forma hominis, neque etiam reperirentur hæc duo, licèt una persona assumeret tres humanitates: siquidem in eo casu non multiplicarentur personalitates, licèt multiplicarentur formæ; ergo &c.

722. Confirmatur ex Div. Thoma 3. part. quæst. 3. art. 6. ad 1. ubi ait: dicendum, quòd hac positione facta, scilicet, quod tres personæ assumerent unam humanam naturam, verum esset

esset dicere, quòd tres personæ essent unus homo propter unam naturam humanam, sicut & nunc verum est dicere, quòd tres personæ sunt unus Deus propter unam naturam divinam, & art. 7. ad 2. *Posset videri dicendum, quòd prædicta positione facta sequereturr, quòd essent duo homines propter duas naturas, absque eo, quòd essent ibi duo suppositа, sicut è converso tres personæ dicerentur unus homo propter unam naturam assumptam, ut supra dictum est, sed hoc non videtur esse verum, quia nominibus utendum secundùm quod sunt ad significandum imposita, quod quidem est ex consideratione eorum, quæ apud nos sunt, & ideò oportet juxta modum significandi, & consignificandi, considerare ea, quæ sunt apud nos, in quibus nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluralitatem dicit, nisi propter pluralitatem suppositorum; homo enim, qui est duobus Vestimentis inductus, non dicitur duo vestiti, sed unus vestitus duobus vestimentis, & qui habet duas qualitates, dicitur singulariter aliqualis secundùm duas qualitates, natura autem assumpta, quantum ad aliquid se habet per modum indumenti, licèt non sit similitudo quantum ad omnia, ut suprà dictum est, & ideo si persona divina assumeret duas naturas humanas, propter unitatem suppositi diceretur unus homo habens duas naturas humanas;* Ex quibus apparet, ad multiplicationem concreti substantialis juxta expressionem formæ communis secundùm significationem ab omnibus impositam ea duo requiri, nempe & multiplicationem formæ communis, & multiplicationem personæ: atqui hæc duo non darentur, sive tres personæ divinæ assumerent unam numerò humanitatem, sive eadem persona assumeret tres humanitates; ergo in eo casu non posset dici tres homines, sed unus tantùm homo, vide num. 733.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

723. OBjicies 1. contra primam assertionem: personalitas Verbi præcisè secundùm se nullam dicit perfectionem; ergo non potuit præcisè secundùm se uniri immediatè, terminare, & perficere humanitatem. Resp. nego antec. quia personalitates divinæ habent perfectionem simpliciter infinitam, ut dixi cum Exim. Doctore de Trinitate; si enim divinæ relationes sunt aliquid contradistinctum à puro nihilo, utpote constituentes tres divinas personas realiter inter sed distinctas, simúlque habent identitatem realem cum natura divina, quomodo dici potest, quòd perfectionem non includant, vel quòd non sint summa perfectio? quidquid enim ratione suæ identitatis virtualis identificentur cum Deo, & Deus sint, summa etiam perfectio sunt; & quis unquam credat, quòd in creatura ratio substantialis constitutiva personæ sit perfectio creata, ut Adversarii docent, nempe omnes Thomistæ, & quòd in DEO ratio substantialis constitutiva non sit se ipsa perfectio? alii autem permissionant. negant conseq. quia si apud illos personalitas divina, licèt non dicat perfectionem, nihilominus immediatè terminat naturam divinam, sic licèt non diceret perfectionem, posset immediatè terminare naturam humanam: ex quacunque autem solutione potiùs roboratur sententia nostra; nam personalitas divina vi visionis hypostaticæ terminat proportionaliter naturam humanam, sicut terminat divinam, cùm autem naturam divinam terminet personalitas præcisè, exinde personalitas præcisè terminabit naturam humanam, eique immediatè uniet-
726. tur.

Objicies 2. Contra secundam assertionem: speciali modo unita est carni natura divina, ac personalitas Patris, & Spiritus Sancti; atqui personalitas Patris, & Spiritus Sancti unitur mediatè humanitati; ergo natura divina est unita non quidem mediatè, sed immediatè humanitati. Resp. concessa majore, dist. min. est unita mediatè unitione substantialiter secundùm hypostasim, nego, unitione
727. circuminsessionis concedo min. & nego conseq. Ratio est, quia natura divina unita est humanitati unitione substantiali secundùm hypostasim, quatenus capax est talis denominationis, & identificatur realiter cum hypostasi quæ immediatè unitur, ex quo dicitur incarnata & assumens; at verò personalitates Patris, & Spiritus Sancti non identificantur realiter, sed potiùs distinguuntur realiter à personalitate filii immediatè unita. Unde non possunt dici uniri mediatè substantialiter secundùm hypostasim, neque possunt dici vere incarnari, aut assumere.

Solùm ergo dici possunt uniri immediatè per
728. circumsessionem, quod ita explicat Eximius Doctor, quatenus nempe Pater, & Spiritus Sanctus vi unionis speciali titulo sunt in Christo, ac sint in aliis rebus creatis: nam in aliis solùm sunt titulo immensitatis, in Christo autem solùm sunt titulo unionis, ut si per impossibile Pater, & Spiritus Sanctus non essent immensi, adhuc tamen essent in Christo, quia in ipso est natura divina identificata cum Patre, & Spiritu Sancto: distinctio enim virtualis intrinseca inter naturam, & personalitatem, atque spirationem passivam, licèt talis sit, ut filiatio identificetur cum natura, & non cum paternitate, aut spiratione passiva, non sat est, ut identificetur cum natura, quæ non sit natura Patris, aut spirationis passivæ; ac proinde sufficit, ut natura sit mediatè unita in filio, & incarnata, non tamen sufficit, ut Pater, & Spiritus Sanctus, vi identitatis cum natura non essent, ubicumque est natura, licèt non essent incarnati, in quo stat illa unio circumsessionis.

Obje-

Objicies 3. Ex Conc. Lateranenſi ſub Mar-
726. tino I. Can. 6. *Si quis non confitetur propriè, & verè ex duabus naturis Deitate, & humanitate ſecundùm ſubſiſtentiam unitis inconfusè, & indiviſim eundem unum Chriſtum eſſe, ſit condemnatus*, & can. 8. *ſi quis non confitetur, propriè, & verè ſecundùm compoſitionem, id eſt ſecundùm ſubſiſtentiam unitorum, ex quibus verus, & ſolus exiſtit Chriſtus inconfusè, & indiviſè in eo cognita, ſit condemnatus*; ſed exinde apparet unionem hypoſtaticam terminatam eſſe immediatè non tantùm ad perſonalitatem Verbi, ſed etiam ad naturam divinam; ergo terminata fuit immediatè ad complexum ex perſonalitate, & natura divina. Confirmatur 1. ex Paulo ad Colloſs. 2. dicente de Chriſto: *in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Ex quo Patres & Concil. inferunt humanitatem Deitati unitam eſſe, & Deitate delibutam & Concil. Tridentinum ſeſs. 13. cap. 3. definivit poni divinitatem in Evchariſtia propter unionem; ſed hæc vera non eſſent, ſi unio non eſſet immediatè terminata ad naturam, & divinitatem; ergo &c.

727. Confirmatur 2: Si unio eſſet terminata immediatè tantùm ad perſonalitatem, & non ad naturam divinam, in ratione uniendi intercederet diſtinctio virtualis intrinſeca inter perſonalitatem, & naturam divinam, ſic autem non poſſet natura divina verè, & propriè dici unita; ergo &c. Probatur min. eò quòd in ratione producendi intercedat diſtinctio virtualis intrinſeca, inter filiationem, & naturam divinam, non poteſt dici verè, & propriè natura divina producta, quàmvis dicatur filiatio producta; ergo ſi intercederet, hæc diſtinctio in ratione uniendi, non poſſet dici natura divina verè, & propriè unita, quamvis diceretur verè, & propriè unita filiatio.

728. Reſp. conc. maj. & nego min. quia eò ipsò, quòd immediatè uniatur perſonalitas filii, quæ non poteſt ſecum non afferre per identitatem naturam divinam, in qua ſimul & in natura aſſumpta ſubſiſtat, non poteſt dici, quòd natura divina non ſit verè, & propriè unita ſecundùm perſonalitatem, licèt non ſit in ſe ipſa immediatè unita; nam uniri ſecundùm perſonalitatem eſt uniri cum capacitate ad talem denominationem: eò enim ipsò, quòd perſonalitas unita, quamvis ſubſiſtat in natura aſſumpta, non poſſit non ſubſiſtere in natura divina, oſtenditur naturam divinam capacem eſſe hujus denominationis *mediatè unitæ*, ſive unionis ſecundùm ſubſiſtentiam, quod idem eſt; unde ex his definitionibus inferri non poteſt, quòd natura divina ſit immediatè unita, ſed oppoſitum debet inferri, quandoquidem Concil. non dicunt, quod duæ naturæ immediatè uniantur, ſed quod uniantur ſecundùm ſubſiſtentiam, quod idem eſt, ac dicere uniri immediatè ſubſiſtentiam, qua ſubſiſtunt duæ naturæ, ex quo apparet, quod docent Conc. Toletarum, & Auguſtinus, nempe Verbum uniri ſecundùm id, quod eſt proprium filii, & non ſecundùm id, quod eſt commune toti Trinitati. Hæc autem ratio non militaret reſpectu ſanguinis, ſi non uniretur Verbum immediatè ſanguini, cùm Verbum non poſſit ſubſiſtere immediatè in ſanguine per identitatem ac proinde ſubſiſtit immediatè per immediatam unionem.

Ad primam Confirmationem conc. maj. & 729.
nego min. quia eò ipsò, quòd natura divina ſit unita mediatè naturæ humanæ ſecundùm perſonalitatem ſecum identificatam, vere dicitur natura humana unita & delibuta divinitate, & quòd in ea habitet divinitas, ac proinde, quòd vi talis unionis in Evchariſtia ponatur divinitas. Ad ſecundam confirmationem: diſt. maj. intercederet diſtinctio virtualis relatè ad denominationem, cujus vi hujus Myſterii natura non eſt capax concedo, relatè ad denominationem, cujus eſt capax, nego maj. & diſt. min. nego conſeq. Ad probationem diſt. antec. eò quòd intercedat diſtinctio virtualis intrinſeca relatè ad talem denominationem, cujus natura eſt capax, concedo, cujus non eſt capax, nego antec. & conſeq. Ratio eſt, quia denominatio *verè, & propriè unitæ* ſecundùm hypoſtaſim nihil affert, quod repugnet cum indentitate reali inter naturam divinam, & perſonalitates; ſiquidem per eam denominationem ſolùm ſignificatur per Verbum aſſumens humanitatem non poſſe ſubſiſtere in humanitate, quin ſimul ſubſiſtat in natura divina, quàm ſecum affert per identitatem ad ſubſiſtendum indefectibiliter in illa; at verò per denominationem veram *productæ* ſive mediatè, ſive immediatè, ſignificatur diſtinctio realis à producente, ſicut Filius diſtinguitur realiter à Patre immediatè producente, atque ab avo producente mediatè; cùm autem natura divina incapax eſſentialiter ſit diſtinctionis realis à producente, & producto, eò quòd ſit prædicatum commune divinis perſonis, & communia in divinis ſint realiter identificata cum omnibus divinis prædicatis, ac proinde cum producente, & producto, cum generante, & genito; exinde clarè apparet, quòd natura divina eſt incapax denominationis *productæ*, non ſolum ſi dicatur immediatè, ſed etiam ſi dicatur mediatè producta, licèt non ſit incapax denominationis *unitæ*, ſi dicatur mediatè unita.

Objicies 4. Cui propriè convenit humani- 730.
tatem aſſumere, & incarnari, convenit quoque terminare immediatè unionem humanitatis, quandoquidem aſſumere eſt, ad ſe ſumere aliquid ratione unionis in carne, atqui naturæ divinæ verè, & propriè convenit naturam humanam aſſumere, & incarnatam eſſe, ut conſtat ex Nazianzeno Oratione 41. *ubi nunc Chriſti corpus fuerit, niſi cum ea natura à qua aſſumptum eſt*, & ex Auguſtino in Enchyridio cap. 24. dicente: *corpus fuiſſe à divinitate ſuſceptum*: & Theodoro Antiocheno Tomo 5.

Bibliothecæ novæ Colonienſis pag. 3. ubi ait: *juxta definitionem Eccleſiæ duas naturas in unam convenisse aſſumente divinitate, aſſumpta verò humanitate.* Ex Bernardo ſerm 1. in Paſcha: *venerat ad nos divinitas incarnata, calceata majeſtas;* ex Petro Damiano ſerm. 11. *Virginis uterum novo, & ſingulari partu divinitas humanata ſigillat;* ergo &c.

731. Confirmatur ex Concilio Remenſi, cujus hæc Verba ſunt apud Baronium tomo 11. ad an. 1148. *(redimus, & confitemur, ipſam divinitatem, ſive ſubſtantiam divinam, ſive naturam divinam dicas, incarnatam eſſe, ſed in filio;* unde hæc contradictoria, divina natura non eſt incarnata, damnata eſt cum aliis tribus articulis Gilberti Epiſcopi Pictavienſis; damnata quidem fuit illa propoſitio opera Sancti Bernardi in Concilio Remenſi, ut uberrimè refert Gaufridus Epiſtolâ ad Epiſcopum Albanenſem apud citatum Baronium; nec obſtat, quod Otho Friſingenſis (cui potiſſimum fidem adhibet, & ſubſcribit Pater Vaſquez in primam partem diſput. 120. cap. 2.) affirmat lib. 1. de rebus geſtis Friderici Imperatoris cap. 59. Eugenium unicè damnâſſe primum Gilberti articulum de diſtinctione naturæ à Perſonis, reliquos, & inter ipſos quartum (quæ eſt propoſitio citata) non curâſſe: non inquam, obſtet, quia Gaufrido utpote teſti Religioſo & oculato potior habenda eſt fides, Friſingenſis verò ſcripſit poſt annos ferè 100. à Remenſi, præterea Friſingenſis præſefert propenſionem in Gilbertum, acerbitatem in Bernardum, à quo ille convictus, & exinde Bernardum carpit, eúmque vocat nimis credulum; unde Gaufrido, & non Othoni ſubſcribit Baronius, ubi ſupra Severinus Rinius in notis ad Remenſe. Illuſtriſſimus Pazzenſis tom. 2. annalium Ciſtercienſium eodem anno cap. 3. ſed non poſſet dici natura divina incarnata, ſi non eſſet immediatè unita humanitati; ergo &c.

732. Reſpondeo diſt. maj. cui propriè convenit primariò & ratione ſui, concedo, ſecundariò ac ratione perſonalitatis, nego maj. & diſt. min. nego conſeq. quia licèt naturæ divinæ conveniat propriè aſſumere, & incarnari, non tamen convenit primariò, & ratione ſui, ſed ſecundariò, & ratione perſonalitas, ut docet Divus Thomas citatus num. 716. unde non manet immediatè unita, ſive ratione ſui, ſed mediatè, ſive ratione perſonalitatis. Quamobrem illa tot, & tanta PP. teſtimonia nihil aliud ſignificant, niſi unionem naturæ divinæ ſecundùm ſubſiſtentiam, vi cujus natura divina verè, & propriè dicitur aſſumere ſecundariò ratione perſonalitatis, non verò primariò ratione ſui. Ad Confirmationem conc. maj. cum tota ſua eruditione collecta ab Adverſariis, & nego min. quia natura divina, eò quòd uniatur humanitati ſecundùm hypoſtaſim, verè, & propriè dicitur incarnata; cæterùm, quia non unitur immediatè ratione ſui, non poteſt dici incarnata, niſi in filio, qua de cauſa ipſum Concilium ab Adverſariis addu-
ctum notanter addit ea Verba, *incarnatam eſſe, ſed in Filio.* Hæc autem licèt ſatis ſint, ut damnaretur articulus ille Gilberti, negantis, hanc propoſitionẽ, natura divina eſt incarnata, nihil referunt ad rem pertinentem, cùm exinde inferri non poſſit, quòd natura divina ſit immediatè unita, ſed mediatè ſolùm ſecundùm hypoſtaſim, quæ eſt doctrina noſtra, & Div. Bernardi expreſſa in ipſo Concilio.

Objicies 5. Natura divina capax eſt uniri, & terminare unionem, & aliquo modo reipſa unitur, & terminat, ut conſtat ex Concil. & Patribus ſuperiùs adductis; ergo immediatè unitur, & terminat. Probatur conſeq. illa formalitas immediatè unitur, & terminat unionem, quæ reipſa terminat, atque inter ipſam, & unionem nihil ſimpliciter mediat; atqui natura divina reipſa terminat unionem, atq; inter ipſam, & unionem nihil ſimpliciter mediat; ſiquidem filiatio cum ſit idem cum natura, & ipſa natura ſimpliciter non facit, quòd inter naturam & unionem quidquam ſimpliciter mediet; ergo &c. Confirmatur 1. Non eſt excogitabilis ratio, cur repugnet unio immediatè terminata ad complexum ex natura, & perſonalitate Verbi; ſed talis unio haberet, quidquid defacto dicunt Concilia, & Patres de unione hypoſtatica, nempe terminatam eſſe ad id, quod eſt proprium filii, & non ad id, quod eſt commune toti Trinitati, atque ſimul eſſe unionem veram, & propriam duarum naturarum; ergo talis eſt defacto unio hypoſtatica. Confirmatur 2. Quamvis naturæ divinæ communi toti Trinitati conveniat identificari cum filio, non convenit toti Trinitati identificari cum filio; ergo quamvis natura divina ſit communis toti Trinitati, ſi ſolùm terminet unionem in complexo ex natura divina & perſonalitate Verbi, non conveniet toti Trinitati terminare unionem.

Reſpondeo diſt. antec. aliquo modo reipſa unitur, & terminat primariò, & ratione ſui, nego; ſecundariò & ratione perſonalitatis, conc. antec. & nego conſeq. Ad probationem diſt. maj. quæ reipſa terminat primariò, & ratione ſui, concedo, ſecundariò & ratione alterius virtualitatis, nego maj. & diſt min. nego conſeq. quia licèt natura non ſit realiter diſtincta à filiatione, eſt tamen prædicatum virtualiter intrinſecè diſtinctum à filiatione, quod ſatis eſt, ut filiatio terminet primariò & ratione ſui unionem, quam natura non terminat primariò & ratione ſui, ſed ſecundariò & ratione filiationis, ut ſæpe diximus cum Div. Thoma num. 716. Ad primam Confirmationem omitto maj. & nego min. quia ea unio poſſibilis non ſatis eſſet, ut illud complexum uniretur duntaxat ſecundùm id, quod eſt proprium filii, & non ſecundùm id, quod eſt commune toti Trinitati, quam quidem tendentiam habet defacto unio hypoſtatica, ut conſtat ex Concilio Toletano, & Auguſtino citatis num. 709.

Quin

Quin potiùs ſi terminaretur ad totum complexum, ſecundùm quod in illo ſunt virtualitates conſtitutivæ illius complexi, terminaretur & ſecundùm peculiarem unius perſonæ, & ſecundùm rationem communem toti Trinitati, ac proinde ratione unius virtualitatis diceretur incarnata una ſola perſona, & ratione alterius dicerentur incarnatæ tres divinæ perſonæ; cùm ergo vi unionis hypoſtaticæ, quæ defactò datur, neutiquam dici poſſint incarnatæ tres divinæ perſonæ, hæc unio hypoſtatica, quæ defactò datur, non eſt talis, qualis eſſet illa unio poſſibilis excogitata ab Adverſariis.

735. Ad ſecundam Confirmationem conc. antec. & nego conſequentiam; quia naturam communem identificari cum Filio non ſtat in ſolis prædicatis naturæ, ſed ſtat in partiali identitate abſoluta ſe tenente ex parte naturæ, quæ eſt communis toti Trinitati, & in partiali identitate ſe tenente ex parte relationum, quæ identitas objectiva non eſt toti Trinitati communis, ac proinde poteſt ſolùm inferri ex ea ratione communis naturæ, quòd ea objectiva partialis identitas ſe tenens ex parte naturæ non ſolùm identificetur cum Filio, ſed etiam cum Patre, & Spiritu Sancto, licèt partialis identitas objectiva ſe tenens ex parte Filiationis non identificetur cum Patre, neque cum Spiritu Sancto: quin potiùs cùm iſta identitas ſit terminatio ad intra, non poteſt eodem modo ſe habere reſpectu relationum realiter diſtinctarum, cum quibus identificatur natura; at verò uniri non eſt denominatio ad intra, ſed ad extra, & quæcunque denominatio ad extra, quæ habetur ratione prædicati communis, eò ipsò convenit toti Trinitati. Sic non poteſt Pater dici omnipotens ab omnipotentia communi, immenſus ab immenſitate, infinitus, & æternus ab infinitate, & æternitate, quin etiam Filius, & Spiritus Sanctus dicantur omnipotens, immenſus, infinitus, æternus, ita ut dici non poſſint tres immenſi, aut æterni, ſed unus infinitus, unus immenſus, & unus æternus, ut habetur in Symbolo Athanaſii; unde ſi in illo complexo ex natura, & perſonalitate uniretur ratione ſui non ſolùm perſonalitas, ſed etiam natura divina communis toti Trinitati, hæc denominatio ad extra ratione naturæ non poſſet convenire ſoli Filio, ſed conveniret etiam Patri, & Spiritui Sancto; ac proinde Pater, & Spiritus Sanctus eſſent defactò incarnati, quod eſt contra Fidem.

736. Objicies 6. contra tertiam aſſertionem: ſi una divina perſona aſſumeret plures humanitates, eò ipsò eſſent plures homines; ſed hoc eſt contra principia noſtra: ergo repugnat, quòd una divina perſona aſſumere poſſit plures humanitates. Probatur maj. Ut multiplicetur homo, ſatis eſt, quòd multiplicetur forma conſtitutiva hominis, nempe humanitas, ſicut ut multiplicentur perſonæ divinæ, ſatis eſt, quòd multiplicetur forma perſonæ, nempe perſonalitas; ſed in eo caſu darentur tres formæ, ſeu tres humanitates; ergo &c. Confirmatur ex Divo Thoma in 3. diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 5. ad 2. ubi ait: *ſi Filius DEI aſſumeret duas humanas naturas, quamvis utraque illarum haberet rationem accidentis in comparatione ad alteram, & ita plures homines, & non unus homo diceretur: ſingularitas enim, & pluralitas termini ſubſtantivi attenditur ſecundùm humanitatem, vel pluralitatem naturæ ſignificatæ per terminum, & non ſecundùm unitatem vel pluralitatem ſuppoſitorum: quamvis enim Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſint tria ſuppoſita, tamen propter unitatem divinæ naturæ, quod ſignificat hoc nomen* Deus, *dicuntur unus Deus*; & artic. 4. ad 6. dicendum: *quod, cùm termini ſubſtantivi ſignificantur, vel conſignificantur pluraliter ex unitate, ſeu pluralitatis formæ ſignificatæ dicerentur tres unus homo, ſi unam naturam humanam aſſumpſiſſent, ſicut propter unam naturam divinam dicuntur unus DEUS, & ſicut dicitur tota Trinitas unus ſolus verus Deus,* ergo &c.

Reſpondeo nego maj. ad probationem nego 737.
maj. quia, ut multiplicetur concretum ſubſtantivum v. g. *homo*, requiruntur duo, nec ſufficit ſolùm unum, juxta impoſitionem hujus nominis *homo*; quod idem eſt de quolibet concreto ſubſtantivo: requiritur enim, quòd multiplicetur ſuppoſitum, & quòd multiplicetur forma hominis, ſive concreti ſubſtantivi, ut dixi cum Divo Thoma num. 122. unde multiplicentur formæ, & multiplicentur ſuppoſita; ſed ſi multiplicentur ſuppoſita, & non multiplicentur formæ, non erunt plures homines; quod idem dicimus de hoc nomine *DEUS*; ideòque licèt in Trinitate dentur plures perſonæ, quia non dantur tamen plures, ſed una ſola forma Deitatis, ſive una ſola indiviſibilis Deitas, exinde non dantur tres, ſed unus ſolus DEUS; at verò concretum adjectivum ut perſona juxta nominis impoſitionem non exigit, niſi multiplicationem adjectivi, ſive perſonalitatis, cùm à perſonalitate veniat tota incommunicabilitas ſuppoſiti alteri ſuppoſito, eáque de cauſa licèt non multiplicetur natura, eò ipò, quòd dentur tres hypoſtaſes, dantur in DEO tres perſonæ. Ad Confirmationem conc. antec. & nego conſeq. quia Div. Thomas, licèt in ea ſententia fuerit exponendo Magiſtrum, at poſtea eam retractavit in Summa Theologica, & oppoſitum docuit, ut conſtat ex ipſius verbis allatis eo num. 722.

Objicies 7. Major eſt unio realis, & ſubſtan- 738.
tialis per Incarnationem, quàm unio intentionalis per viſionem beatam, & quàm unio accidentalis per gratiam; atqui non poteſt una perſona divina videri, ſeu intentionaliter uniri intellectui creato, quin videatur altera, nec poteſt etiam homini per gratiam accidentalem uniri una perſona ſine alia; ergo nec poteſt una incarnari ſine alia, ac proinde non poterit una perſona aſſumere plures humanitates, quin eaſdem aſſumant aliæ perſonæ. Confirmatur

1. In DEO omnia sunt communia, præter esse ingenitum, genitum, & spiratum, ut docet Damascenus lib. 1. de Fide cap. 10. atqui esse incarnatum nihil est horum trium; ergo esse incarnatum est tribus personis commune. Confirmatur 2. Ut docent omnes Theologi cum Augustino in Enchyridio cap. 18. opera ad extra sunt indivisa, & communia toti Trinitati; sed incarnari est opus ad extra; ergo &c.

739. Respondeo dist. maj. major est participatione ejusdem rationis, nego; participatione diversæ rationis, conc. maj. & omissa min. nego consequentiam. Ratio est, quia unio hypostatica solùm terminatur immediatè ad relativum, ac proinde tantùm participat immediatè relativum; cùmque id, quod convenit personæ ratione relativi, non conveniat toti Trinitati; exinde uniri, licèt sit intimior participatio, non convenit toti Trinitati; at verò intuitivè videri convenit DEO ratione primi principii, & ultimi finis, sive ratione prædicati absoluti, uniri etiam homini per gratiam accidentalem convenit quoque ratione naturæ divinæ, quæ est prædicatum absolutum: nam de essentia gratiæ accidentalis est, ut sit participatio divinæ naturæ, cúmque, quod convenit DEO ratione prædicati absoluti, non possit minùs convenire uni personæ, quàm alteri, exinde nulla fieri potest paritas ex visione beatifica, & unione accidentali per gratiam ad substantialem unionem hypostaticam.

740. Ad primam Confirmationem dist. maj. omnia præter illa sunt communia ad intra, conc. ad extra subdistinguo; si DEO conveniant ratione alicujus ex illis tribus, nego; si DEO conveniant ratione prædicati absoluti, conc. maj. & dist. min. nihil est horum trium, neque convenit ratione alicujus ex his tribus, nego, & convenit ratione alicujus ex his tribus, conc. min. & nego consequentiam; quia cùm unumquodque ex his tribus sit peculiare uni personæ, & non commune tribus, id, quod convenit alicui personæ ratione alicujus ex his tribus, non convenit toti Trinitati; unde cùm incarnari conveniat Filio ratione suæ personalitatis, qua genitus est, exinde quoque incarnari non est commune toti Trinitati. Ad secundam Confirmationem dist. maj. opera ad extra sunt communia toti Trinitati in genere causæ efficientis, conc. in genere quasi causæ passivæ, subdistinguo, si conveniant personæ divinæ in ratione prædicati absoluti, conc. ratione prædicati relativi, nego maj. & distincta min. nego conseq. quia in genere causæ quasi passivæ potest provenire ab aliquo relativo, quod non est toti Trinitati commune; ac proinde unito hoc relativo, nempe filiatione, non unitur tota Trinitas; at verò in genere causæ efficientis convenit DEO ratione omnipotentiæ producere ad extra; omnipotentia autem non est prædicatum relativum, sed absolutum, & commune, ac proinde non potest convenire uni personæ aliquid efficere ad extra, quin etiam conveniat alteri personæ.

Objicies 8. Si tres divinæ personæ assumerent unam numerò naturam humanam, possent mutuò prædicari, dicendo: Pater est Filius, & Filius est Pater; sicut modò dicitur: DEUS est homo, & homo est DEUS; sed hoc est absurdum: ergo &c. Confirmatur 1. Si plures personæ unirentur naturæ humanæ, uniretur in persona, ac proinde fieret una tantùm persona; sed repugnat, quòd tres divinæ personæ fiant una tantùm persona; ergo &c. Confirmatur 2. Naturæ divinæ convenit ratione suæ infinitatis, posse terminari pluribus personalitatibus; atqui natura humana non est infinita, sed limitata: ergo non potest terminari pluribus personalitatibus. Confirmatur 3. Si natura creata terminaretur personalitate propria, non posset simul terminari aliena; ergo si terminetur una personalitate aliena, non potest simul terminari altera aliena. Confirm. 4. Una divina personalitas adæquatè explet capacitatem cujuslibet naturæ creatæ, & finitæ in ordine ad reddendam illam subsistentem in alio; ergo non potest in ullo genere causæ pendere simul à pluribus causis totalibus; atqui natura creata haberet effectum formalem subsistentiæ adæquatè per unam subsistentiam totalem; ergo non potest simul terminari subsistentiis trium personarum. Confirmatur 5. ex Anselmo lib. 2. cur Deus homo, ubi ait: *plures enim personæ nequeunt unum, eundémque hominem assumere in unitatem personæ, quare in una tantùm persona hoc fieri necesse est*; ergo &c.

Respondeo nego maj. quia licèt illa, quæ in Trinitate dicuntur de una persona ratione naturæ communis, dicantur de omnibus personis; at verò, quæ conveniunt uni personæ ratione proprietatis personalis, non dicuntur de ulla alia; sic licèt dicatur, Pater est omnipotens, Spiritus Sanctus est omnipotens; at dici non potest, Pater est Filius, Filius est Pater, idcirco si tres personæ divinæ essent verus homo, ea, quæ dicerentur de una persona ratione naturæ humanæ communis, dicerentur de omnibus, ac proinde si Pater ratione naturæ humanæ fuisset passus, & mortuus, etiam Filius diceretur passus, & mortuus; at quæ dicerentur de una persona ratione proprietatis personalis, non dicerentur de altera; unde non diceretur, Pater est Filius, Filius est Pater; quamobrem non esset in forma expositoria iste sillogysmus: *hic homo est Pater; sed Filius est hic homo; ergo Filius est Pater*; defectus quippe, seu fallacia arguendi in eo stat, quia, ut sillogysmus expositorius concludat, medius terminus in altera saltem præmissa debet sumi virtualiter distributivè; in allato autem sillogysmo medius terminus est *hic homo*, & in neutra præmissa sumitur virtualiter distributivè; nam sensus illius majoris: *hic homo est Pater*, non est, *omne, quod est hic homo, est Pater*; in hoc enim sensu major est falsa, & neganda, sed sensus est, *aliquid, quod*

quod eſt hic homo, eſt Pater. Senſus etiam illius minoris: *Filius eſt hic homo:* non eſt, *Filius eſt omne, quod eſt hic homo*, ſed ſolùm eſt: *Filius eſt aliquid, quod eſt hic homo*; ac proinde medius terminus in neutra præmiſſarum diſtribuitur; unde concluſio non procedit, nec ſillogyſmus ille eſt in forma expoſitoria.

743. Ad primam Confirmationem diſt. maj. unirentur in perſona eadem, nego, in diverſa perſona, conc. primam partem, & nego ſecundam partem maj. cum min. & conſeq. quia in eo caſu, cùm perſonalitates eſſent diverſæ, natura uniretur ad ſubſiſtendum non quidem in eadem, ſed in diverſis perſonis; ſic tres perſonalitates divinæ cum una natura divina non conſtituunt unam, ſed tres divinas perſonas; quod deſumitur ex ratione concreti ſubſtantialis adjectivi, ut diximus num. 737. Ad ſecundam Confirmationem diſt. maj. poſſet terminari pluribus perſonalitatibus obedientialiter, nego, naturaliter, conc. maj. & conceſſa min. diſt. conſeq. pluribus perſonalitatibus naturaliter, conc. obedientialiter, nego conſequentiam. Ad tertiam Confirmationem conc. antec. & nego conſequentiam; quia natura creata ratione ſuæ limitationis habet, ut non poſſit ſubſiſtere in alio, quin ex ipſa, & altera fiat aliquid nobilius ſe ſola, ſi ſubſiſteret per creatam ſubſiſtentiam, quæ etiam eſt limitata, ex quo jam non ſiſteret in ſe, ſed in alio nobiliori, ac proinde ſubſiſtentia creata non poteſt aliquid ad ſe ſumere, ut altera natura in ipſa ſubſiſtat; at perſonalitas divina ratione ſuæ infinitæ perfectionis habet, ut non poſſit conſtituere aliquid dignius ſe ipſâ, ideóque nequit impedire, quòd altera perſonalitas æquè digna conſtituat ſuppoſitum æquè dignum; unde eadē natura poteſt obedientialiter terminari ſimul utraq; divina perſonalitate; cùm enim ea natura ex ſe habeat capacitatē obedientialem, qua æquè perfectè terminetur ab altera, ex nullo capite impeditur, ne poſſit ſimul terminari pluribus divinis perſonalitatibus.

744. Ad quartam Confirmationem diſt. antec. explet capacitatem in ordine ad reddendam illam ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ ejuſdem rationis, conc. ſubſiſtentiâ diverſæ rationis, nego antec. & conſequentiam; quia cùm ſubſiſtentiæ divinæ ſint diverſæ rationis; altera enim eſt ingenita, altera genita, & altera ſpirata, non eſt, cur natura humana non retineat capacitatem obedientialem ad illas diverſas rationes ſubſiſtendi in alio, qui ſit vel Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus. Ad quintam Confirm. nego maj. quia, ut ſuppono ex Philoſophia, divinitus poteſt idem effectus procedere à duplici cauſa totali; ſi enim defactò idem effectus Conſecrationis adæquatè pendet à duplici cauſa efficiente morali, caſu, quo duo Sacerdotes in eodem inſtanti abſolvant formam Conſecrationis, cur repugnabit, quòd idem effectus poſſit divinitus pendere adæquatè à duplici cauſa efficienti phyſica, quin potiùs, ſi effectus ſint diverſæ rationis, ut eſſent in caſu noſtro, nulla eſt excogitabilis repugnantia; eò enim ipsò, quòd illæ ſubſiſtentiæ eſſent diverſæ rationis, etiam effectus eſſent diverſæ rationis. Ad ſextam Confirmationem conc. antec. & nego conſequentiam; quia Anſelmus verbis citatis negat, quòd plures perſonæ poſſent aſſumere eundem hominem non utcunque, ſed in unitatem perſonæ, quod verum eſt; nam caſu, quo tres divinæ perſonæ aſſumerent eandem humanitatem, non eſſent una, ſed tres perſonæ, quamvis eſſent unus homo, ſicut defactò ſunt in DEO tres perſonæ, & unus DEUS.

Objicies 9. Natura rationalis unita perſonæ 745.
divinæ debet infra DEUM eſſe caput, & princeps totius mundi; ſed repugnans eſt, & monſtruoſum, ut in mundo dentur duo capita. Reſpondeo diſt. maj. eſſet caput, & princeps totius mundi relatè ad naturas inferioris dignitatis, C. relatè ad naturas exaltatas ad æqualem dignitatem, & perfectionem, nego maj. & diſt. min. eſt repugnans, & monſtruoſum, ut in mundo dentur duo capita ſine legitima authoritate, conc. cum authoritate legitima, nego min. & conſequentiam; quia, ſicut defactò non eſt monſtruoſum, quòd dentur tres perſonæ divinæ habentes eandem authoritatem, & dignitatem, ita tunc non eſſet monſtruoſum, quòd darentur tres humanitates aſſumptæ ab eadem perſona divina, ſiquidem tunc eæ humanitates eſſent exaltatæ ad æqualem dignitatem, & legitimam authoritatem.

* * *

DISPUTATIO XVII.

DE PRÆDEFINITIONE CHRISTI UT REDEMPTORIS.

746. DIſputatio iſta radix eſt plurium controverſiarum, ex quibus pendet deſignatio motivi, ſeu cauſæ finalis Incarnationis: qui enim cenſent, Verbum non aliter aſſumpturum humanitatem, niſi ad redimendum per paſſionem ſuam genus humanum, nec decere DEUM prædefinire Chriſtum ut Redemptorem ante abſolutam prævisionem peccati; exinde colligunt, Chriſtum non fuiſſe à DEO prædefinitum, niſi poſt abſolutam prævisionem peccati; alii verò, qui cenſent, ejusmodi prædefinitionem non dedecere DEUM, quamvis admittant, primum decretum fuiſſe de Chriſto ut Redemptore, tamen conſtanter tenent, prædefini-

definitum ante absolutam prævisionem peccati, & re ipsa fuisse primum opus in divina intentione inter omnia opera DEI; alii verò, quamvis censeant, repugnare illam prædefinitionem, aliâ viâ incedunt, ut doceant, Christum prædefinitum fuisse Redemptorem absolutè post absolutam duntaxat prævisionem peccati, per decretum scilicet executivum: nam per decretum intentivum fuit prædefinitus propter excellentiam mysterii ante absolutâ prævisionem peccati; unde quamvis Adam non peccâsset, Verbum caro factum fuisset. Ut omnia distinctè decidamus, agemus in ista Disputatione de possibilitate, vel impossibilitate ejusmodi prædefinitionis, acturi in sequenti de motivo primario, propter quod Christus prædefinitus fuerit quantùm ad substantiam mysterii.

SECTIO I.

An Christus potuerit prædefiniri ut Redemptor reparativus ante absolutam prævisionem peccati?

747. SUppono 1. dupliciter posse considerari Redemptorem, nempe vel ut reparativum, qui aliquem extrahit à malo jam incurso, vel ut præservativum, qui nempe alium liberat, ne in malum incurrat: ad eum modum, quo, qui hominem redimit à servitute, quam patitur, dicitur Redemptor illius reparativus; qui verò inimicos expellit, qui jamjam illum in servitutem redigebant, vel sine alterius auxilio redegissent, dicitur Redemptor præservativus, de quo Augustinus in Psalmum 85. & Cajetan. in 1. 2. quæst 81. artic. 3. Quæstio igitur ista non est de redemptione præservativa, qua inter omnes creaturas sola Deipara redempta est, sed de redemptione reparativa, ad quam essentialiter præsupponitur peccatum, sive jam contractum, sive jam commissum; & quærimus, an, sicut DEUS potest actus bonos ex prælucentia scientiæ mediæ prædefinire juxta dicta in Tractatu de Deo à num. 908. & 927. & 942. possit etiam prædefinire Christum ut Redemptorem reparativum ante absolutam prævisionem peccati. Prima sententia docet, possibilem esse DEO ejusmodi prædefinitionem, totúmque id componi posse cum directione scientiæ mediæ, vel, ut alii conantur, cum directione scientiæ visionis. Secunda sententia negat, ita Eximius Doctor disput. 5. sect. 3. Vasquez disp. 11. cap. 4. Cardinalis de Lugo disput. 7. sect. 1. aliique complures, quos citat, & sequitur Martinus Perez disput 14. sect. 8.

748. Suppono 2. ex his, quæ dedi à num. 161. de actibus humanis, nempe causas per accidens physicas reddi per se morales, si afficiuntur præceptò, aut intentione, ut ex eis proveniat effectus, vel prohibitione, ne ex illis subsequatur effectus, unde effectus esset saltem voluntarius in causa illis, qui tales causas apponerent, utpote procedens à causis per se in linea morali; unde è converso causa aliqua, quæ alioquin esset per se physica, potest fieri causa per accidens moralis, sive in linea morali, si nempe ex se conducat ad duplicem effectum, & agens habeat hìc, & nunc jus ad unum ex illis effectibus ex tali causa; quo in casu, si tantùm intendat effectum, ad quem habet jus, non verò alterum, ad quem jus non habet, non erit causa moralis per se, sed tantùm per accidens alterius effectus, v. g. Petrus hìc, & nunc habet jus ad irrigandum hortum suum, & prævidet, quòd aqua inevitabiliter profluet in inferiorem vicinum hortum Pauli cum Pauli detrimento; si enim Petrus nunc nequaquam intendit detrimentum Pauli, sed irrigationem horti sui, ad quam hìc, & nunc jus habet, dicitur causa per se moralis irrigationis horti sui, & causa tantùm per accidens detrimenti Pauli. 751.

Ex quo apparet, quàm diversa sint in voluntatis affectu hæc duo: volo eam irrigationem, quamvis prævideam detrimentum Pauli: vel volo eam irrigationem, quia prævideo detrimentum Pauli. Primus quidem affectus non habet pro fine, neque est interpretativa volitio detrimenti Pauli, bene verò secundus; sic quando DEUS dicit: volo conferre Petro hæc auxilia, quamvis videam, illum eis abusurum, & peccaturum, non vult interpretativè peccata Petri, & tamen vellet, si per impossibile diceret: volo ea auxilia conferre Petro, quia peccabit. Propterea in his attendendum est quàm maximè ad finem voluntatis, ut cognoscamus, an formalis volitio unius sit interpretativa volitio alterius: nam qui vult formaliter finem, eò ipsò vult interpretativè media, aut conditiones necessariò ponendas, sine quibus essentialiter repugnaret existentia finis præintenti, non tamen vellet interpretativè alterum effectum, quem non intendit, neque requiritur, ut inevitabiliter ponatur ad finem præintentum: sic quando Petrus honestè vult prædictam irrigationem horti sui, eodem prorsus modo esset contentus, & permaneret ipsius finis, licèt DEUS miraculosè pro sua libertate impediret detrimentum in horto Pauli; atque ex his principiis resolvenda est tota præsens difficultas, & ex dicendis constabit. Quare 752.

Assero cum secunda sententia: Christus non potuit prædefiniri efficaciter, & absolutè Redemptor reparativus ante absolutam prævisionem peccati. Probatur 1. Si Deus prædefiniisset Christum efficaciter, & absolutè, ut Redemptorem reparativum ante absolutam prævisionem peccati, non potuisset ex vi finis intenti seriò optare non dari peccatum; sed hoc repugnat Deo; ergo &c. Probatur major: DEUS efficaciter, & absolutè prædefiniens Christum, ut Redemptorem reparativum, non potest ex vi finis intenti optare seriò, quòd non detur id, sine quo non daretur finis intentus, nempe Redemptor reparativus, sive il-

lud

lud appelletur medium ad finem intentum, sive conditio ponenda sine qua non; atqui sine positione peccati non esset Christus Redemptor reparativus, qui est finis intentus; ergo non posset Deus ex vi finis intenti seriò optare non dari peccatum. Confirmatur 1. nequit quis velle efficaciter finem, & seriò velle non dari conditionem ponendam, sine qua finis non existet, neque potest velle non dari media, sine quibus nequit obtineri finis intentus; ergo non potest DEUS ante absolutam prævisionem peccati efficaciter velle Christum, ut Redemptorem reparativum, & seriò velle, quòd non detur peccatum, quod est vel conditio ponenda sine qua non, vel medium ponendum ad finem Redemptionis reparativæ.

751. Confirmatur 2. Nequit DEUS seriò velle, quòd non detur peccatum, quin velit etiam seriò, quòd non detur id, quod necessariò non dabitur ex non positione peccati; sed ex non positione peccati necessariò non dabitur Christus, ut Redemptor reparativus; ergo necessarium est, ut Deus seriò non vellet Christum, ut Redemptorem reparativum, atqui aliunde seriò vellet Christum, ut Redemptorem reparativum ex vi præcedentis prædefinitionis; ergo seriò vellet, & non vellet Christum, ut Redemptorem reparativum, quod implicatorium est. Confirmatur 3. Ex Exim. Doctore. Redemptio reparativa, prout inferens peccatum sive ut medium, sive ut conditionem ponendam sine qua non, non est bonum amabile à sanctissima voluntate divina, sed Deus non potest amare id, quod relatè ad sanctissimam voluntatem non est bonum amabile; ergo &c. ex quo apparet, quàm magnum sit discrimen inter peccatum jam absolutè prævisum & præsuppositum, ut purum terminum, & inter peccatum non absolutè prævisum, sed potiùs ponendum, ne frustretur finis à DEO efficaciter intentus, juxta ea, quæ diximus num. 749.

752. Respondebis DEUM seriò volentem aliquod objectum ex isto motivo, posse ex altero motivo seriò velle impeditionem ipsius objecti, ut patet in mercatore, qui ex motivo tuendi vitam projicit merces in mare, & simul ex motivo diteſcendi seriò vult servare merces: sic enim se gerit DEUS, qui utpote displicens in peccato vult seriò peccatum non existere, quantum est ex se; cæterùm, quia sub eo auxilio, quod dabit, vel potest dare, videt peccatum exstiturũ, si detur, vult etiam redemptionem reparativam peccati ad auferendum peccatum, quæ duo motiva valde diversa sunt, neque habent inter se incomponibilitatem. Addunt aliqui, id esse etiam verum in nostris principiis, nam aliter non posset conjungi seria prohibitio peccati cum scientia visionis de peccato, nec decretum prædefinitivum Christi, ut Redemptoris reparativi, adhuc post peccatum absolutè prævisum, quandoquidem scientia visionis, & prædefinitio illa connectuntur etiam cum peccato. Verumtamen, hæc responsio planè confundit purum terminum jam præsuppositum, ad quem non tendit voluntatis affectus cum medio, vel conditione non posita, sed ponenda ad finem efficaciter præintentum, ad quem non potest extendi voluntatis affectus, si semel extendatur ad finem prævisè, & efficaciter intentum. Quare

Contrà 1. Et utor ipso exemplo Adversariorum. 753. Ideò quidem mercator, quando projicit merces in mare, retinet quantum ex se affectum serium, & efficacem ad illas, quia nihil ponit pro suo libito ex sua mera determinatione, ex qua sequitur tempestas manens, & impellens illum ad mercium projectionem; atqui Deus eliciens prædefinitionem efficacem Christi, ut Redemptoris reparativi ante peccatum absolutè prævisum, ponit ex sua determinatione, & mero suo libito prædefinitionem essentialiter connexam cum peccato ponendo, quod necessariò ponendum est ad finem prædefinitum; ergo licèt mercator possit habere, quantum ex se, affectum serium ad merces retinendas, non exinde poterit DEUS habere, quantum ex se est, affectum serium ad non positionem peccati. Min. & conseq. tenent. Major verò patet, quia si mercator esset liber ad ponendum aliquid essentialiter connexum cum projectione mercium, nondum absolutè prævisa, sed revera ponenda, si illud ponatur ex hac connexione prævisa, pro mero suo libito poneret id, ex quo ad finem intentum, necessariò subsequeretur projectio mercium, ac proinde non posset componere cum illius positione voluntatem seriam non projectionis mercium; sed hoc modo se haberet Deus in casu nostro, ut ex dictis constat; ergo &c. Contrà 2. Licèt vi prædefinitionis maneat creatura libera ad peccatum, non tollitur exinde, quin Deus haberet in eo casu interpretativè affectum ad peccatum, sicut licèt maneat libera ad bonum, non tollitur, quin Deus ex propria prædefinitione boni habeat interpretativum, & specialem affectum ad bonum, quod præcisè prædefinit: atqui essentialiter repugnat Deo interpretativus affectus ad peccatum; ergo & illa prædefinitio repugnat essentialiter Deo.

Quamobrem nullum manet Adversarii refu- 754. gium in nostris principiis: non quidem in scientia visionis; quia Deus non habet scientiam visionis de peccato pro mero suo libito, sed quia creatura cum decreto, & comprincipiis indifferentibus se determinabit ad peccatum; cùm posset pro libito suo, si vellet, non se determinare ad illud, sed potiùs ad actum bonum, & non de peccato, quamvis ex titulo causæ universalis relinquat creaturam expeditam ad utrumque, ut liberè operetur, quam quidem expeditionem ex nullo titulo tenetur impedire: atque in hoc sensu scientia visionis dicitur libera Deo, quia nempe liberè dat ex titulo causæ universalis comprincipia cre-

aturæ; unde si DEUS sub illis comprincipiis vellet habere scientiam visionis de non peccato, quid mirum, quòd habeat affectum, quantum est ex se, ad carentiam peccati? pariter quando Deus post jam absolutè prævisum peccatum prædefinit Christum, ut Redemptorem reparativum, velle potest, quantum est ex se, quòd creatura non se determinâsset ad peccatum absolutè prævisum, & quòd ita non esset necessaria illa prædefinitio ad liberandam creaturam à peccato, quod revera absolutè poneretur, licèt non poneretur illa prædefinitio. Si autem Deus prædefiniret Christum ut Redemptorem reparativum ante absolutè prævisum peccatum, poneret ex sua sola libera determinatione eam prædefinitionem, quando nihil erat, ex quo ad finem intentum à DEO metaphysicè infertur absoluta existentia peccati, quæ tunc infertur; ergo Deus in hoc casu habere non posset seriam volitionem impeditionis peccati, licèt in aliis à nobis assignatis posset illam habere.

755. Probatur 2. Repugnat essentialiter DEO, non solùm formaliter, sed etiam interpretativè velle peccatum: ille enim actus esset intrinsecè malus, cùm esset volitio offensæ DEI; atqui si Deus prædefiniret Christum, ut Redemptorem reparativum ante peccatum absolutè prævisum, vellet interpretativè peccatum; ergo illa prædefinitio omnino repugnat Deo. Probatur min. qui vult efficaciter finem, vult interpretativè media necessariò ponenda ad consecutionem finis, vel conditionem necessariò ponendam, si aliunde ista non præsupponantur absolutè jam posita, ut constat ex dictis à num. 748. atqui ad finem redemptionis reparativæ requiritur necessariò peccatum, & aliunde peccatum absolutè non præsupponeretur jam positum; ergo Deus prædefiniens Christum ut Redemptorem reparativum ante peccatum absolutè prævisum, vellet eò ipsò interpretativè peccatum.

756. Respondebis volentem efficaciter finem non posse inferri, quòd velit interpretativè media, aut conditionem ponendam sine qua non, si hæc ex sola permissione videantur ab alio certissimè ponenda: cùm autem DEUS videat per scientiam mediam, quòd Adamus poneret peccatum cum sola DEI permissione sub his auxiliis, perperam infertur, quòd velit interpretativè peccatum, licèt efficaciter velit redemptionem reparativam ante absolutam prævisionem peccati.

757. Contrà 1. Nequit DEUS efficaciter velle Redemptionem reparativam, quam cognoscit possibilem ex permissione peccati ponendi, quin eadem volitione Redemptionis reparativæ velit efficaciter, quòd non sit carentia peccati; atqui Deus nequit efficaciter velle, quòd non sit carentia peccati, quin velit interpretativè peccatum; ergo &c. Consr. tenet, & min. patet, quia non potest aliquis efficaciter velle, quòd non existat carentia termini, quin saltem interpretativè velit, ut existat terminus. Major verò probatur: volitio efficax redemptionis reparativæ est interpretativè volitio efficax carentiæ talis redemptionis; sed nolitio efficax carentiæ Redemptionis reparativæ est interpretativè nolitio carentiæ peccati; ergo &c. Probatur min. nolitio efficax carentiæ Redemptionis reparativæ est nolitio efficax illius, quod induceret carentiam finis intenti, sive Redemptionis reparativæ; ergo nolitio efficax carentiæ Redemptionis reparativæ est interpretativè nolitio carentiæ peccati. Contrà 2. Nequit Petrus efficaciter & absolutè velle vitam Pauli, quin saltem interpretativè nolit omnia impedimenta incomponibilia cum vita Pauli, sive ab ipso Petro, sive ab alio ponibilia; ergo nequit Deus absolutè, & efficaciter velle Redemptionem reparativam, quin nolit saltem interpretativè omnia impedimenta incomponibilia cum Redemptione reparativa, sive ab ipso DEO, sive ab alio ponibilia cum redemptione reparativa; sed inter omnia ex impedimentis incomponibilibus cum Redemptione reparativa est non poni peccatum ab Adamo; ergo nequit Deus velle efficaciter & absolutè redemptionem reparativam, quin illa nolitio sit interpretativè saltem nolitio carentiæ peccati ponendi ab Adamo.

Contrà 3. Si Petrus efficaciter volens vitam Pauli solùm nollet impedimenta ad vitam Pauli ponibilia à Petro, & nollet impedimenta ad vitam Pauli ab aliis ponibilia, Petrus non vellet efficaciter, & absolutè vitam Pauli, sed solùm vellet illam, quantum est ex se; ergo si Deus solùm nollet impedimenta Redemptionis ponibilia ab alio, nempe ab Adamo solùm vellet eam Redemptionem, quantum est ex se, non verò efficaciter, & absolutè; ergo si efficaciter & absolutè prædefinit Redemptionem reparativam ante peccatum absolutè prævisum, efficaciter & absolutè vult non existere carentiam peccati, sive ab ipso, sive ab alio ponibilem, ac proinde vult, quòd existat. Confirmatur 4. tum volitio unius objecti est volitio interpretativè alterius, quando volitio unius attento fine volitionis opponitur cum nolitione alterius; sed illa efficax prædefinitio attento fine divinæ voluntatis opponitur cum nolitione efficaci, & absoluta peccati; ergo &c. Contrà 5. Sicut in voluntate datur actus permissivus, qui absolutè nec est volitio, nec nolitio efficax objecti ita in intellectu datur actus apprehensivus, qui nec est affirmatio, nec negatio; atqui in intellectu affirmatio unius objecti non solùm est interpretativè apprehensio, sed potiùs negatio alterius objecti incomponibilis cum isto ex modo tendendi actûs; ergo in voluntate volitio unius objecti non solùm est permissio, sed etiam nolitio alterius objecti incomponibilis cum isto modo tendendi actûs; ac proinde volitio efficax illius Redemptionis reparativæ ante absolutè prævisum peccatum est interpretativè nolitio carentiæ peccati.

Respon-

759. Respondebis argumentum nihil probare, quia nimis probat, quandoquidem probat, de facto non posse Deum velle Redemptionem reparativam, quin eò ipsò velit etiam positivè peccatum, nolitque carentiam peccati: siquidem non potuisset de facto velle Redemptionem reparativam, si non daretur peccatū. Contrà tamen primò, quando peccatum est jam absolutè prævisum, jam agnoscitur pro sua differentia temporis absolutè positum independenter à prædefinitione reparativa; ac proinde se habet, ut purus terminus præsuppositus, circa quem non versatur voluntatis affectus, sed potiùs tendit ad illius destructionem; sic qui morbum patitur, vult medicinam, quin morbum velit, sed vult potiùs destructionem morbi: si verò ante morbum vellet morbum, ut ipsi conferretur medicina, vel efficaciter vellet medicinam, ut reparativam illius morbi, eò ipsò vellet saltem interpretativè morbum; ergo licèt Deus non velit adhuc interpretativè peccatum, quando præsuppositа jam scientia visionis de peccato vult illius reparationem, & destructionem, vellet tamen interpretativè peccatum, si ante illud absolutè prævisum vellet medicinam, ut destructivam illius peccati.

760. Contrà 2. Ex hoc discrimine inter purum terminum, conditionem, aut medium ponendum nulla tenet paritas in affectione actuum voluntatis: sic licèt ego non possim optare, quod Petrus peccet, ut DEUS habeat scientiam visionis de peccato Petri, licèt præsuppositо jam peccato Petri possum amare, & complacere in scientia, quàm de illo peccato habet Deus, cujus ratio est, quia ante prævisionem absolutam attinguntur à voluntate, vel ut conditio sine qua non, vel ut medium ponendum ad consecutionem finis præintenti à voluntate; si autem prævideantur absolutè posita pro sua differentia temporis, tunc purus terminus præsuppositus, atque exinde affectus voluntatis non versatur circa illa, sed eorum destructionem; ergo si Deus ante peccatum absolutè prævisum efficaciter vellet Redemptionem illius reparativam, qui quidem finis haberi non potest, nisi ponatur peccatum, eò ipsò vellet interpretativè peccatum, nec affectus voluntatis posset illud tamen præsuppositivè, ut purum terminum respicere.

761. Probatur 3. Conclusio: Deus non potest amare media inefficacia, & ut conjungenda cum peccato, quin saltem velit interpretativè peccatum; atqui si prædefiniret Christum, ut Redemptorem reparativum ante peccatum absolutè prævisum, amaret media inefficacia, ut inefficacia, & ut conjungenda cum peccato; ergo &c. Major patet, quia in causis finalibus, propter quam unumquodque tale, & illud magis: nempe si amo medicinam amaram propter salutem, magis amo salutem, unde est si media amantur, ut conjungenda cum peccato, magis amabitur peccatum. Probatur min. Deus absolutè, & efficaciter amans Redemptionem reparativam amat media, ut necessaria ad eam Redemptionem; atqui auxilia indifferentia non præcisè ut indifferentia, sed ut inefficacia, & ut conjungenda cum peccato sunt necessaria ad redemptionem reparativam; ergo &c. Major constat ex dictis. Min. verò probatur. Media indifferentia dari possunt, quin detur peccatum, ac proinde quin detur, quod necessariò est ponendum ad talem finem intentum, sive ad Redemptionem reparativam, quæ se habet, ut finis talis prædefinitionis; media autem indifferentia, & inefficacia, & ut conjungenda cum peccato exstare non possunt, quin detur id, quod ponendum est, ut detur finis Redemptionis reparativæ; ergo auxilia indifferentia non præcisè, ut indifferentia, sed potiùs, ut inefficacia, & ut conjungenda cum peccato exstare non possunt, quin detur id, quod ponendum est, ut detur finis redemptionis reparativæ; ergo auxilia indifferentia, non præcisè, ut indifferentia, sed potiùs ut inefficacia, & ut conjungenda cum peccato sunt necessaria ad prædefiniendum redemptionem reparativam ante peccatum absolutè prævisum.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

762. OBjicies 1. Ut Deus prædefiniat redemptionem reparativam ante absolutam prævisionem peccati, sat est, ut velit permittere peccatum, quod per scientiam mediam cognoscitur revera futurum, si talia auxilia conferantur; ergo volitio efficax, & absoluta redemptionis reparativæ ante absolutam prævisionem peccati, non esset volitio interpretativa peccati, ac proinde nullus est titulus, ne concedatur DEO talis divina prædefinitio. Resp. dist. antec. sat est ut velit permittere peccatum, ut necessariò ponendum est ad redemptionem reparativam conc. antec. ut non necessariò ponendum, nego antec. & conseq. quia in eo casu peccatum revera esset vel conditio ponenda vel medium ponendum ad finem Redemptionis reparativæ, cùm autem finis, ut finis amari non possit efficaciter, & absolutè, quin interpretativè amentur, & conditio, & media ponenda ad finem necessaria; exinde illa volitio efficax, & absoluta redemptionis reparativæ ante absolutam prævisionem peccati est interpretativa volitio peccati, quod infallibiliter deberet poni, ut daretur redemptio reparativa; unde sat non esset dare auxilia præcisè, ut indifferentia, atque in eo sensu permittere peccatum, sed requireretur, quòd darentur auxilia, ut conjungenda cum peccato, ac proinde quæ conferrentur per voluntatem saltem interpretativam peccati, & per permissionem, ut necessariam ad finem illius redemptionis, & absolutæ prædefinitionis.

763. Objicies 2. Deo defacto conferente auxilia indifferentia Adamus commisit peccatum, quod sub talibus auxiliis prævisum fuerat per scientiam mediam in statu conditionato, & quod revera prævidebatur exstiturum, si ea auxilia conferrentur Adamo; ergo sicut prævisso jam absolutè peccato futuro posset Deus velle redemptionem reparativam, quin velit interpretativè peccatum, ita etiam ante peccatum absolutè prævisum posset velle redemptionem reparativam, quin velit interpretativè peccatum. Resp. conc. antec. & nego conseq. ut ex num. 760. constat, præsuppositio jam peccato absolutè futuro, decretum efficax de Redemptione reparativa non respicit peccatum, nec ut conditionem ponendam, nec ut medium ponendum ad consecutionem finis intenti, sed ut medium jam positum pro sua differentia temporis, ac proinde peccatum se habet, ut purus terminus præsuppositus, circa quem non tendit voluntatis effectus, sed potiùs intendit peccati destructionem.

764. Decretum verò efficax de redemptione reparativa ante peccatum absolutè prævisum respicit peccatum, vel ut medium vel saltem ut conditionem sine qua non, necessariò ponendam ad obtinendum finem ab ea prædefinitione absolutè, & efficaciter intentum; unde ex ipsa intrinseca tendentia talis actus prædefinitivi, & prædefinitio esset saltem interpretativa volitio peccati; quod enim ultrò concedimus Adversariis, est, quòd decretum indifferens collativum auxilii non sit interpretativa volitio peccati, eò quòd ex ipsius tendentia ad finem illius decreti nequaquam requiratur peccatum ponendum, ut à num. 748. constat; at verò decretum illud prædefinitivum redemptionis reparativæ ante peccatum absolutè prævisum non ita se habet, sed potiùs ex intrinsecis suis requiret ad finem ipsius, ut peccatum poneretur, ac proinde non posset non esse interpretativa volitio peccati.

765. Objicies 3. Non minùs scit Deus per scientiâ mediam, quòd si ponat homines in his vel illis circumstantiis, cum istis principiis indifferentibus, peccabunt, quàm per scientiâ visionis sciat quòd in talibus circumstantiis ita positi peccabunt; sed quia scit per scientiam visionis, quòd in talibus circumstantiis ita positi peccabunt, potest velle efficaciter redemptionem reparativam ab æterno, & postea ponere homines in tempore in illis circumstantiis, quin velit peccatum; ergo pariter, quia scit per scientiam mediam, quòd si ponat homines in talibus circumstantiis, peccabunt, potest ab æterno velle redemptionem reparativam, & pro signo sequenti velle ponere homines in tempore in illis circumstantiis, quin exinde velit peccatum. Respondeo dist maj. non minùs, & eodem modo, nego, & diverso modo, concedo maj. & dist. min. nego conse.

766. Ratio discriminis est, quia scientia visionis, cùm videat peccatum pro sua differentia temporis jam positum, respicit illud duntaxat ut purum terminum, ac proinde prædefinitio directa ab illa scientia visionis non vult media ut inefficacia, sed vult destruere peccatum ortum ex mediis, quæ à creatura facta sunt inefficacia: at verò scientia media non supponit peccatum pro sua differentia temporis jam positum: unde prædefinitio absoluta de redemptione reparativa, quæ ab illa scientia media dirigeretur, ex affectu, & fine suo excluderet peccatum, nec respiceret peccatum ut purum terminum, sed ut medium ponendum ad obtinendum finem prædefinitionis: eàque de causa talis prædefinitio non solùm dirigeretur à scientia media sub auxiliis indifferentibus, quà inefficacibus, & ad finem talis prædefinitionis necessariò ponendis, ex quo fieri non posset, quin talis prædefinitio esset interpretativa volitio peccati.

Objicies 4. Possibilis est in DEO ista volitio ante absolutam prævisionem peccati: quamvis videam per scientiam mediam, hominem peccaturum, si ei conferatur hoc auxilium, nolo ab hac scientia me retrahere, quò minùs conferam hoc auxilium, sed volo illud dare, quamvis homo ille sit peccaturus; atqui ista volitio ante absolutam prævisionem peccati dicit essentialem connexionem cum peccato ponendo; ergo licèt prædefinitio redemptionis reparativæ dicat connexionem cum peccato ponendo, erit etiam DEO possibilis. Confirm. 1. Ante absolutam prævisionem peccati potest dupliciter DEO inefficacia auxilii per scientiam mediam esse prævisa, & in signo posteriori potest Deus velle conferre auxilium, sed conjunctum cum displicentia, & decreto collativo auxilii dicit essentialem connexionem cum peccato ponendo; ergo &c. Confirmatur 2. Ante absolutam prævisionem peccati potest Deus prædefinire potentiam essentialiter connexam cum peccato ponendo; ergo poterit etiam prædefinire redemptionem reparativam. Confirmatur 3. Licèt libertas sit disjunctivè connexa cum peccato ponendo, potest DEUS efficaciter velle libertatem, quin velit disjunctivè peccatum ponendum; ergo poterit etiam efficaciter velle redemptionem reparativam, quin velit peccatum ponendum.

Respondeo dist. maj. possibilis est DEO ista volitio, si ea volitio à DEO ad finem efficaciter intentum sit indifferens, tam ut conjungatur cum scientia de peccato, quàm cum carentia peccati, conc. si ad finem intentum à DEO sit ea volitio inconjungibilis cum carentia peccati, nego maj. & distincta min. nego consequentiam. Ratio est, quia, ut constat à n. 748. quando Deus dicit: nolo me retrahere ab hac scientia: hæc pura nolitio divina se retrahendi non satis est, ut homo constituatur liber ad peccandum, vel non peccandum, sed ulteriùs requiritur, quòd sit volitio conferendi auxilia ad aliquem finem intentum; ea autem volitio non potest respicere finem intentum à DEO, qui quidem finis stare non potest absque eo, quòd ad

ad illum non sit necessariò ponendus; unde finis vi illius volitionis à Deo intentus nequaquam potest esse auxilium *quà* inefficax, sed *qua* potens conjungi cum consensu ex libito voluntatis: quo in casu peccatum non requiretur ut conditio *sine qua non*, vel ut medium ponendum ex fine talis actûs; at verò si Deus per illum actum vellet efficaciter aliquem finem, ad cujus consecutionem ex ipsa ratione talis finis necesse est, ut peccatum absolutè poneretur, jam non respiceret illud auxilium præcisè ut sufficiens, sed potiùs ut inefficax, ac proinde ex ipsa tendentia actûs prædefinitivi esset interpretativa volitio peccati ponendi, quæ essentialiter DEO repugnat; cùm autem ita se haberet prædefinitio efficax de redemptione reparativa ante absolutam prævisionem peccati, ea de causa repugnat DEO talis volitio prædefinitiva.

769. Ad primam Confirmationem conc. maj. & dist. min. dicit essentialem connexionem cum peccato, ut ponendo ad finem intentum ab illa volitione collativa auxilii, nego, ut non ponendo ad finem talis volitionis, conc. min. & nego consequentiam. Ratio est, quia volitio conferendi tunc auxilium non est volitio conferendi auxilium, quia conjunctum cum illa displicentia; illa enim displicentia non movet ad collationem auxilii, sed solùm movet conducentia auxilii, quæ fat est ad illum finem à DEO intentum. Quare Deus non confert auxilium conjunctum cum illo complexo, quod requirebatur, ut ad finem volitionis divinæ necesse esset, ut poneretur peccatum; idcirco cùm illa displicentia non sit titulus, ut DEUS impediatur à conferendo auxilio, quod prævidetur inefficax, si illud non conferat, quin inefficax, sed præcisè, quia utile ad obtinendum consensum, nullum potest arguere in Deo affectum interpretativum ad peccatum, solúmque arguit in creatura abusum talis auxilii contra id, quod Deus intendit, & de quo displicet.

770. Unde ad intelligendum, quisnam actus sit interpretativa volitio peccati, quàm maximè inspicienda est tendentia actûs: nam si actus aliquid velit ut finem non potentem ex natura obtineri, nisi ponatur peccatum, actus ille ex sua tendentia non respiciet peccatum ut purum terminum, sed saltem ut conditionem ponendam *sine qua non*, ac proinde erit interpretativa volitio peccati: si autem respiciat pro fine aliquid, ad cujus positionem ex natura sua necesse sit, ut peccatum ponatur, ex nullo titulo dicetur ille actus volitio purè permissiva, sed potiùs volitio interpretativa peccati: si autem Deus diceret: volo conferre auxilium, quamvis videam, quòd creatura peccabit, finis illius divinæ volitionis nequaquam requirit peccatum; unde tale peccatum poneretur tunc ex abusu voluntatis creatæ contra finem à Deo intentum, quo desiderabat actum bonum, ad quem conducit auxilium collatum.

771. Ad secundam Confirmationem nego antec. quia in eo casu peccatum esset vera conditio ponenda *sine qua non*, vel medium ponendum, ut poneretur pœnitentia, quæ erat finis illius efficacis prædefinitionis, sive objectum ab illa efficaciter volitum, & hoc tantam continet difficultatem, quantam continet prædefinitio redemptionis reparativæ ante absolutam prævisionem peccati, ut constabit. Ad tertiam Confirmationem nego conseq. concedendo antec. quia volitio Dei tendens per se ad libertatem, ita respicit pro fine, sive objecto volito libertatẽ ut eam non conferat ex fine, ut ponatur, sed potiùs, ut evitetur peccatum; unde non potest esse volitio efficax adhuc disjunctiva peccati, sed tantùm permissiva: eo enim ipso, quòd ea volitio non inclinet ad positionem, sed ad omissionem peccati, est causa per se actûs oppositi peccato, ex quo repugnat, ut sit interpretativa volitio peccati; quæ omnia, ut ex dictis constat, facilè inferuntur ex ipsa tendentia volitionis; at verò volitio efficax redemptionis reparativæ ante absolutam prævisionem peccati, cùm ex natura sua inferat peccatum ponendum, ut ponatur finis efficaciter volitus ab illa prædefinitione, nempe redemptio reparativa, quæ ex natura sua non potest poni, nisi ponatur peccatum, ex ipso suo modo tendendi exigit, quòd ponatur peccatum; unde ex una ad alteram volitionem non potest esse paritatis ratio. Ex dictis

772. Fit 1. Non procedere à divina voluntate, sive à fine efficaciter ab illo volito connexionem, quam habet cum peccato, conjunctam ex scientia media peccati futuri sub auxilio A, & ex collatione talis auxilii. Ratio est, quia ablatâ illâ scientiâ aufertur illa connexio, quin exinde auferatur motivum ejusdem affectus divinæ voluntatis, sive finis à DEO intentus; cùm autem scientia media non sit libera DEO, sed creaturæ, & sit objectivè posterior ipsa operatione creata, exinde illa connexio non est libera Deo, sed creaturæ, & cùm aliunde sit consequens, utpote subsequens operationem conditionatam, & nequaquam impediens finem à DEO intentum, nullo modo potest evertere libertatem, nec augere in DEO interpretativam volitionem peccati.

773. Nec obest, quòd decretum collativum auxilii sit liberum DEO, quia illud decretum ex natura sua relatè ad finem ipsius non minùs indifferens est, quàm ipsum auxilium, ideóque ex tendentia finis ipsius est compossibile cum utroque libertatis extremo, & evitabile à voluntate, proindéque Deus per decretum illud præcisè se habet ad peccatum permissivè, ex sua quippe libera determinatione nihil ponit, quod ad finem intentum peccatum exigat, auxiliúmque confert, ut muneri suo causæ universalis satisfaciat: idcirco confert, quod ex nullo titulo impedire tenetur, quæ est ratio, propter quam illa collatio dicitur causa purè per accidens, vel pura occasio peccati; causa autem

per se, actus boni peccato appositi ut de actibus humanis dixi. Fit 2. Deum non posse ita se habere purè permissivè respectu peccati, vi prædefinitionis de redemptione reparativa ante absolutam prævisionem peccati propter rationes superiùs adductas; unde licèt hæc prædefinitio Deo non repugnet ex titulo auferendi libertatem creatam, repugnat tamen ex titulo volitionis interpretativæ peccati: sic prædefinitio actus boni subsequens scientiam mediam non tollit libertatem, & tamen est interpretativa volitio auxilii, qua efficacis, & actus boni ut boni, ut notavi num. 753.

DISPUTATIO XVIII.

DE CAUSA FINALI, SIVE DE MOTIVO DECERNENDI INCARNATIONEM.

774. NOmine causæ finalis solùm venit in præsenti ultimus & præcipuus terminus creatus, quem respicit decretum primarium efficaciter intentivum, & prædefinitivum Christi Domini, & quærimus, an finis iste fuerit Redemptio generis humani, an aliquid aliud? finem enim increatum constat esse ipsum Deum, exillo Proverb. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* Cæterùm ut notat Exim. Doctor disp. 5. sect. 2. unum est, quod ad rem maximè pertinere videtur in hac quæstione, an scilicet hoc Mysterium intentum fuerit à Deo per primam voluntatem, qua hoc universum perfectũ condere decrevit, sicut voluntas, qua creavit universum Angelorum, & hominum, dicitur fuisse per se intenta, an verò solùm quasi per accidens post permissum absolutè peccatum? quod perinde est, ac quærere, an Adamo non peccante venisset Christus ex vi præsentis decreti, vel an ex præsenti decreto deprehendi posset, quod Adamo non peccante venisset Christus per aliud decretum, an autem solùm deprehendi possit adventus Christi ex occasione existentiæ peccati.

SECTIO I.

An Christus fuerit prædefinitus ante absolutam prævisionem peccati?

775. SUppono 1. Ex tractatu de Deo, alia esse in Deo decreta purè intentiva, alia executiva; decretum enim intentivum illud est, quo DEUS efficaciter intendit rem aliquam præscindendo ab illis circumstantiis, sub quibus executioni mandabitur: decretum verò executivum est illud, quo non tantùm vult efficaciter rei subjectum, verùm etiam istas determinatas circumstantias: explicari solet ab aliquibus isto exemplo Deus volens: efficaciter producere Adamum voluit efficaciter illum ponere cum dono impassibilitatis in rerum natura, præscindendo ab eo, quod conservandus, vel non conservandus esset semper cum tali dono: illud enim divinum decretum de Adami productione, erat componibile cum libertate Adami tum ad bene operandum, & ut conservaretur semper in statu innocentiæ, in quo si ita conservaretur esset deinceps impassibilis, vel ut pravè operaretur, & sic amitteret innocentiam, haberétque deinceps corpus passibile, ea de causa relatè ad conservationem hujus doni, illud decretum erat purè intentivum, & præscindens à passibilitate perpetua, & impassibilitate Adami, quæ pertinebat ad decretum secundarium executivum. 778

Cæterùm quia Adamus in rerum natura positus habénsque ea auxilia, quæ habuit cum dono impassibilitatis, revera peccavit, DEUS directus ea scientia visionis de peccato Adami processit ad decretum secundarium executivum, & privavit Adamum dono impassibilitatis, illúmque reliquit in carne passibili. Sic etiam suo modo considerare possumus in præsenti, an Deus per decretum efficax intentivum prædefinierit Christum ante peccatum absolutè prævisum, præscindendo, an habiturus esset carnem passibilem, vel impassibilem, vel an futurus esset, vel non Redemptor reparativus, quamvis præsuppositа scientia visionis de peccato Adami inierit pactum de redemptione reparativa, & per decretum secundarium executivum dederit Christo carnem passibilem? cùm enim in nostra sententia decretum Christi efficax ut Redemptoris reparativi non potuerit esse, nisi post scientiam visionis de peccato absolutè futuro, non aliter possumus inquirere an ante absolutam prævisionem peccati fuerit Christus prædefinitus, nisi per decretum purè intentivum.

Suppono 2. Possibile esse decretum executivum, quòd non tantùm exigat rei circumstantias, sed quòd etiam attingat totam rei substantiam cum suis circumstantiis, quòd explicat Exim. Doctor disput. 5. sect. 4. exemplo sacræ Scripturæ; nam cùm primo Regum 16. Dominus præciperet Samueli, ut iret Bethlem ad ungendum David in Regem, ait Samuel, *quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me.* Respondit Dominus: *vitulum de armento tollas in manu tua, & dices ad immolandum Domino veni*: ubi quidem prima voluntas, & propositum eundi non fuit ortum ex voluntate sacrificandi, sed alia prior ratio præcellis, scilicet unctio David, & nihilominus verè dixit 779.

dixit, se venisse ad sacrificandum, quia etiam propter illam rationem hoc voluit, & ad illam iter suum ordinavit; unde decretum executivum non solùm respexit immolationem, sed etiam ipsam substantiam itineris, quod maximè contingit, quando finis, seu ratio, quæ in executione additur priori intentioni, ita movet animum operantis, ut propter eam solam causam id esset facturus, etiamsi priorem voluntatem, vel intentionem nunquam habuisset: sic enim dicitur de Christo ad Romanos 4. *resurrexit propter justificationem nostram*; cùm tamen prima ratio volendi eam resurrectionem fuerit sine dubio gloria, & exaltatio ipsius Christi. His positis

778. Prima sententia docet, Deum primò decrevisse independenter ab Incarnatione totum rerum ordinem, qui anteceſſit peccatum; secundò prævidisse peccatum; tertiò in ejus remedium reparativum prædefiniſſe Incarnationem. Unde ex vi præsentis decreti Christus non venisset, si Adamus non peccâsset; ita communiter Thomistæ, plurésque nostri. Secunda sententia docet, Christum efficaciter fuisse a Deo intentum, præscindendo à passibilitate, vel impassibilitate pro signo priori ad omnes creaturas. Unde ex vi prælentis decreti intentivi reverâ extitisset, quamvis Adamus non peccâsset, licèt per secundùm decretum executivum decretus fuerit quoad substantiam, & circumstantias passibilitatis; ita plurimi ex nostris cum Eximio Doctore disput. 5. sect. 2. & Scotistæ cum Scoto in 3. dist. 7. quæst. 3. Mens Divi Thomæ valde dubia est, ait Exim. Doctor in Commentar. 3. part. quæst. 1. artic. 3. licèt, ut ipse judico, in oppositam sententiam magis inclinet. In sententia autem Scoti hic decretorum ordo servatur: in primo signo decrevit DEUS Incarnationem propter ejus excellentiam, præscindendo à passibilitate, vel impassibilitate, & humanitatem Christi prædestinavit ad summam gloriam independenter à scientia visionis de peccato Adami: in secundo signo prævidit lapsum Adami futurum: in tertio signo decrevit, ut Christus veniret in carne passibili ad redimendum genus humanum. Cæterùm, quia de ordine decretorum postea nobis agendum est, modò quæstionem istam, ut decidamus

779. Assero 1. cum secunda sententia: Christus prædefinitus fuit per decretum intentivum ante absolutam prævisionem peccati: unde in hoc sensu motivum primarium fuit ipsa excellentia mysterii. Probatur 1. cum Eximio Doctore ex illo Sapient. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*: ubi septuaginta legunt: *Dominus creavit, seu condidit me*; quæ verba de Christo vero homine exponit ingens Patrum multitudo, ut videri potest apud Eximium Doctorem & apud Sallazar in istum locum; etenim Sancti Patres, ut occurrerent Arrianis abutentibus eo loco contra Filii divinitatem, quamvis eorum argumenta aliis solutionibus diluere possent, maluerunt de Christi humanitate, sive de Christo homine locum illum interpretari. Quo præmisso sic formatur argumentum: locus iste ex confessione Patrum accipiendus est de Christo homine, ac proinde Christus ut homo conditus est ab æterno in initio viarum Domini; sed non est conditus secundùm rem; ergo secundùm propositum, & intentionem habitam pro signo priori ad intentionem producendi quamcunque aliam rem.

Confirmatur 1. Per ea verba non significatur 780.
utcunque consilium Dei ab æterno habitum; hoc enim commune est decretis divinis de rebus omnibus, quæ in tempore creantur; cùm omnia divina decreta sint ab æterno, sed significatur à singulari quodã modo præcedere ab æterno, nimirum, quia in ipsa mente Dei primatũ habuit, sive quia exiſtit pro signo priori ad quæcunque decreta de condendis aliis creaturis; ergo &c. Confirmatur 2. ex Paulo ad Colloss. ubi Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, quod secundùm expositionem communem Patrum, & Concilium Sardicense Epist. ad *omnes Fideles*, intelligi debet de Christo ut homine; nam ut DEUS dicitur unigenitus; at primogenitus tantùm dicitur ut homo: concludit tandem Apostolus, *ut sit in omnibus primatum tenens*; ergo juxta Apostolum Christus ut homo est finis, propter quem, & in cujus honorem DEUS omnia creavit, proindéque Christus in intentione divina est prior omnibus creaturis.

Probatur 2. ex Apostolo ad Romanos 8. ubi 781.
Christus dicitur *primogenitus in multis fratribus*: hoc enim non dicitur de æterna generatione, in qua Christus fratres non habuit, nec de generatione temporali secundùm carnem; quia dicitur ad Hebræos 1. *novissimè in diebus istis locutus est in Filio*: Verbum enim factum est caro multò post aliarum creaturarum productionem; ergo tantùm supereſt, ut intelligatur de generatione in Dei prædestinatione, in qua Deus posuit Christum ut principium, & fundamentum omnium electorum; quo in sensu quàm optimè intelligitur illud Apostoli ad Colos. 1. *qui est primogenitus omnis creaturæ*; sed hæc omnia manifestè insinuant, primum decretũ fuisse de productione Christi, nempe in signo priori ad decretum de productione cujuscunque creaturæ; ergo Christus prædefinitus fuit per primarium decretum ante absolutam prævisionem peccati, aut cujuscunque creaturæ. Confirmatur 1. ex Ruperto lib. 13. in Matth. ubi ait: *religiosè est dicendum, reverentérque est audiendum, quia propter istum Filium hominis gloria, & honore coronandum Deus omnia creavit*; quod infert ex illis verbis ad Hebræos 2. *propter quem omnia*; quibus expensis ita concludit; ergo ipse causa est, propter quem creavit omnia. Idem habent Cyrillus lib. 5. Thesauri cap. 8. & Irenæus lib. 3. cap. 33.

Confirmatur ab Eximio Doctore ex illo Ge- 782.
nesis 2. ubi Adamus excitatus à sopore, quem Deus

Deus ipsi immisit, ait: *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, Christum significans, ut docet Divus Thomas 3. part. quæst. 1. artic. 3. ad 5. & 2. 2. quæst. 2. artic. 7. estque communis sententia, ut testantur Eximius Doctor lib. 3. *de opere sex dierum*, cap. 18. & Vasquez 3. part. disput. 12. Ex quo apparet, Adamum tunc habuisse revelationem de Christo venturo, & assentiendo illi per actum Fidei auxisse gratiam in illo statu innocentiæ, quam conservare potuisset non peccando, & permanendo in statu innocentiæ, sed eò ipsò, quòd Adamus in statu innocentiæ habuisset gratiam per Fidem Christi, eámque conservare potuisset pro sua libertate manendo semper in statu innocentiæ, non potest negari, quòd Christus venisset, quamvis Adamus non peccâsset; siquidem actus Fidei divinæ est infallibilis; ergo &c.

783. Assero 2. cum Eximio Doctore, Scoto, pluribúsque tum ex antiquis, tum ex modernis: ex vi præsentis decreti intentivi venisset Christus etiam Adamo non peccante. Probatur 1. Primum decretum intentivum, sive in signo priori ad decretum cujusliber creaturæ fuit decretum intentivum de Christo venturo, ut constat ex testimoniis adductis à num. 779. ac proinde vi illius venisset Christus; sed illud decretum nullam dicebat connexionem cum peccato Adami absolutè futuro; ergo vi illius venisset Christus, licèt Adam non peccâsset. Probatur min. Illud decretum fuit ante absolutam prævisionem peccati, nec ad finem ipsius potuit habere ullam connexionem cum peccato, ut constat à num. 750. si enim ullam talem connexionem haberet cum peccato, vel esset prædefinitio peccati, quæ apud omnes repugnat, vel prædefinitio Christi ut Redemptoris reparativi ante absolutam prævisioné peccati, quæ etiam repugnat à n. 755. ergo illud decretum prædefinitivum Christi nullam talem connexionem habebat absolutam cum peccato absolutè futuro, ac proinde licèt Adam non peccâsset, venisset Christus ex vi hujus decreti præsentis intentivi.

784. Confirmatur ex Paulo ad Colos. 1. ubi de Christo ait: *qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in Cœlis, & in terra visibilia, & invisibilia, sive Throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive, quæ in terris, sive quæ in Cœlis sunt.* Ex quo apparet, primum decretum fuisse de Christo pro priori ad decretum aliarum creaturarum, quarum omnium Christus est caput; ergo Christus vi hujus decreti venisset; quamvis reliquæ creaturæ semper in sanctitate perseverâssent, & Adamus nunquam peccâsset.

Prob. 2. Omnes, & singulæ gratiæ tam dependentes, quàm independentes à peccato collatæ sunt creaturis ex Christi meritis; ergo quando Christus per primum decretum prædefinitus fuit caput omnium rerum creatarum, nondum erant prævisæ absolutæ reliquæ creaturæ, & multò minùs peccatum, quod ad fines Christi Domini neutiquam pertinebat, ac proinde vi hujus decreti procul dubio venisset Christus, licèt Adam non peccâsset, idcirco illud primum decretum non potest dici decretum efficax, & absolutum de Christo ut Redemptore reparativo, sed ad summum quasi conditionatum, ita ut Christus reverâ posset esse Redemptor, si post ipsum creaturæ peccarent, & opus esset redemptione reparativa, quod insinuare videtur Cyrillus Alexandrinus lib. 5. Thesauri cap. 8. dicens: *Creator noster Christum nostræ salutis fundamentum ante mundi initium fundavit, ut si prævaricatione caderemus, in ipso renovaremur.* 785.

Quapropter per illud primum decretum non potuerunt absolutè, & efficaciter prædefiniri omnes gratiæ postea collatæ; nam licèt aliquæ gratiæ omnino sint independentes à nostris meritis, & duntaxat pendeant à meritis Christi; aliæ verò dependent aliquo modo à nostris meritis elicitis cum gratia accepta ex meritis Christi ut Redemptoris reparativi; quæ quidem merita præsupponunt peccatum, ut sunt actus salutares Pœnitentiæ, aliique similes: unde licèt gratiæ unicè pendentes à Christi meritis potuerint absolutè, & efficaciter prædefiniri ante nostra merita; posteriores verò gratiæ peccatum subsequentes non potuerunt ita prædefiniri, sed ad summum quasi conditionatè, nempe si dentur postea nostra merita absolutè prævisa, quæ peccatum præsupponant.

Probatur 3. ex Div. Thoma 1. part. quæst. 99. artic. 1. ubi quærens, an peccato non existente generationes humanæ in statu innocentiæ extitissent? respondet affirmativè per hæc verba: respondeo, *dicendum, quòd in statu innocentiæ fuisset generatio ad multiplicationem humani generis, alioquin peccatum hominis fuisset valde necessarium, ex quo tantum bonum consecutum est*: unde sic formatur argumentum: majus bonum est Incarnatio Verbi, quàm sint humanæ generationes; sed Divus Thomas reputat inconveniens, quòd generationes humanæ solùm futuræ fuissent occasione peccati, & non aliter; ergo potiori jure majus reputandum est inconveniens, quòd Incarnatio Verbi tantùm futura sit occasione peccati, & non aliter, ac proinde censenda est futura, quamquàm Adamus non peccâsset. 786.

Confirmatur ex Augustino lib. 1. de nuptiis cap. 21. ubi postquam in nuptiis duo bona designavit, nempe prolis multiplicationem, vinculum charitatis inter consortes; tertium etiam designat, nempe quòd matrimonium ex

juxta

juxta Apostolum magnum Sacramentum in Christo, & in Ecclesia, quæ bona, ait, futura fuissent, licèt Adamus in statu innocentiæ semper perseverâsset, & tandem concludit per hæc Verba: *quid horum est in nuptiis, unde peccati vinculum transiret in posteros, nempe nihil, & certè his tribus bonis perfectè se haberet bonitas nuptiarum, quibus bonis etiam nunc bona sunt nuptiæ;* atqui non potuissent ea tria bona perseverare, quamvis peccatum non existeret, si verum non esset, quòd ex vi præsentis decreti Christus venisset, quamvis Adamus non peccâsset, ut expendenti constabit; ergo &c.

789. Probatur 4. Si Christus non venisset Adamo non peccante, solùm prædefinitus fuisset post peccatum absolutè prævisum, ac proinde prædefinitio Christi esset solùm propter nostram redemptionem & salutem; sed hoc implicat; ergo &c. Probatur min. si Christus solùm prædefinitus fuisset propter nostram prædestinationem, & salutem, nostra prædefinitio fuisset finis prædestinationis Christi, ac proinde saltem in intentione divina fuissemus prædestinati priùs, quàm Christus: sed hoc revera implicat juxta doctrinam Scripturæ & Patrum superiùs adductam; ergo & illud. Confirmatur 1. Si Christus non venisset Adamo non peccante, Incarnatio esset bonum occasionatum, hoc est non cadens sub primariam Dei intentionem, sed tantùm sub secundariam, nempe posito peccato, ac proinde Christus nec in intentione, neque in executione esset primogenitus omnium creaturarum, neque dici posset, quòd omnes creaturæ per ipsum, & in ipso constarent; sed hoc est contra Apostolum citatum num. 781. ergo &c. Confirmatur 2. congruentissimum est, ut, qui vult finem, priùs finem velit, & deinde ea, quæ sunt ad finem, atque inter ista priùs velit ea, quæ sunt propinquiora fini; atqui Deus vult se ipsum, & gloriam suam, ut finem, cætera autem ut medium, ita tamen, ut Incarnatio inter omnia alia sit propinquior fini, nempe Deo; ergo congruentissimum est, quòd Deus priùs voluerit Incarnationem antè, quàm quidquam aliud voluit extra Deum. Ex dictis

790. Fit 1. Testimonia Scripturæ affirmantia, Christum venisse in remedium peccati, nihil tradere contra nostras assertiones. Ratio est, quia nullibi dicitur in Sacra Scriptura, Christum propter hoc solùm venisse, sed tacitè saltem supponitur, venisse ob excellentiam Mysterii ratione sui maximè amabilis, & expetibilis etiam secluso remedio peccati, & ut in prædestinatione & intentione divina esset primogenitus omnium creaturarum; idcirco Christus extitit primò ac principaliter ratione sui, & per se ipsum est causa finalis hujus Mysterii, omnisque rerum creatarum, & quidem adhuc reduplicativè, ut homo fuit causa primaria infra Deum; qui est finis omnium; unde Apostolus 1. Corinth. 3. ait: *omnia enim vestra sunt, nos autem Christi, Christus autem Dei.*

Unde Christus primò à DEO intentus fuit ratione sui propter excellentiam Mysterii, licèt conditionatè prædefinitus etiam fuerit ratione peccati, nempe ut posset esse Redemptor reparativus, si postea daretur peccatum, ut ait Cyrillus citatus num. 785. sic in sententia Adversariorum Angeli fuerunt prædefiniti à Deo ratione sui, licèt conditionatè fuerint etiam prædefiniti ad custodiam hominum: nempe si homines eorum custodia indigerent. Quamobrem Sacri Scriptores, quando mentionem faciunt de Adventu Christi ob finem redemptionis reparativæ, ideò id faciunt, quia in animo illis erat, sæpe nobis inculcare, quanta passus fuerit Filius Dei pro abolendo peccato, ut gratitudinem nostram ita excitarent, & promoverent ad cavendum imposterum tantum malum. 791.

Fit 2. Ea Patrũ testimonia, in quibus dicitur, quòd Christus non venisset, si non fuisset peccatum intelligenda esse de adventu in carne passibili, ex vi decreti executivi, ita ut non venisset ut medicus, ut passibilis, ut Salutator per sanguinem suum: quòd siquis unicè velit in causam facere peccatum, ut præter hanc causam nulla sit alia adventûs Christi, Christus ipse faciet illum falsum dicere, & secum pugnare; quomodo enim verum esset, quod Augustinus dixit; veniendi nulla causa alia fuit, quàm peccatores salvos facere, si id intelligatur de isto duntaxat decreto executivo, cùm Scripturæ aliam etiam causam assignent. Ait enim Christus Joannis 18. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* & Joan. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant;* Ex quibus apparet, fuisse alias causas adventûs Christi præter remedium peccati. Cæterùm quia plurima sunt testimonia, quæ contra assertiones nostras objici solent, præsertim contra secundam conclusionem, ut omnibus facile responsum demus, ad tres præcipuè classes ea reducemus. Prima classis erit eorum, in quibus dicitur, Incarnationem factam fuisse in remedium peccati. Secunda classis eorum, in quibus significatur, nullam fuisse necessitatem Incarnationis secluso peccato. Tertia eorum, in quibus asseritur, nullam aliam fuisse causam veniendi, nisi peccatores salvos facere. Ut hæc omnia breviter exponamus. 792.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

763. OBjicies 1. Contra primam assertionem: primum motivum, propter quod DEUS voluit Incarnationem, fuit remedium peccati; ergo Christus non fuit prædefinitus ante absolutam permissionem, & prævisionem peccati.

cati. Confirmatur ex Athanasio serm. 3. contra Arianos, ubi agens de nostra indigentia, & necessitate, quam dicit esse anteriorem, & movisse Deum, ut carnem assumeret, subdit: *qua sublata, carnem non induisset;* ergo si Deus non permisisset, & prævidisset absolutè peccatum, non prædefiniviſſet Christum. Resp. nego antec. Ad confirmat. dist. antec. carnem non induisset passibilem, qualem induit ex vi decreti executivi, concedo, non induisset impassibilem ex vi decreti intentivi, nego antec. & conseq. Quando enim Patres dicunt Christum non venturum, nisi existente peccato, intelliguntur de adventu in carne passibili, ut enim accuratè notavit Exim. Doctor disp. 5. sect. 5. ipsum nomen carnis, & sanguinis corruptionem indicat in usu Sacræ Scripturæ, & Patrum; qui sæpe etiam dicunt solùm deficiente peccato, Incarnationem ita necessariam non esse, ut patet ex Greg. lib. 3. moralium cap. 4. & Chrysostomo serm. 6. de passione.

794. Ibidem etiam monet Exim. Doctor, attendendum esse in his testimoniis non solùm ad id, quod pauca verba nudè sumpta sonant, sed ad id, quod in toto contextu orationis intenditur; & ita ex antecedentibus & consequentibus constabit, Patres loqui de toto Mysterio, prout factum est, ut patet ex Leone Papa serm. 3. de Pentecoste; *Si homo in naturæ suæ perfectione, & honore, in quo creatus est, permansisset, neque creator hominum creatura fieret, neque æternus temporalitatem subiret, neque formam in similitudinem carnis peccati assumeret.* Tum etiam ex Augustino lib. 10. de peccatorum meritis cap. 38. *Non fuisset caro Christi in similitudinem carnis peccati, nisi caro fuisset ista peccati;* ubi supponere videtur futuram fuisse carnem Christi, sed non talem, vel saltem illa suppositio nullo modo repugnat Augustini Verbis.

795. Objicies 2. Si homo non peccâsset vel Deus assumpturus fuisset carnem passibilem vel impassibilem; sed neutrum dici potest; ergo Christus non fuit prædefinitus ante absolutam permissionem, seu prævisionem peccati. Probatur min. nam primum dici non potest; quia si homo non peccâsset, alii homines non essent passibiles, ac proinde multò minùs Christus; neque dici potest secundum: nam ex vi præsentis decreti non posset assumere carnem impassibilem: si enim defacto DEUS habuisset tale decretum, sine dubio impletum esset, & Christus veniſſet non quidem in carne passibili, sed in impassibili; ergo &c. Resp. conc. maj. & nego min. Ad probationem nego secundam partem antecedentis; nam Christus assumpsisset tunc carnem impassibilem, quamvis defacto eam non assumpserit, quia ex vi præsentis decreti intentivi, non decrevit Deus, ut Christus nunc, & absolutè à principio esset impassibilis, sed tantùm decrevit ea voluntate antecedenti, ut Adamo non peccante, & Christus & omnes homines, qui nascerentur essent impassibiles. 799.

Idcirco vi decreti intentivi voluit DEUS 79
Christo carnem impassibilem, nisi remedium peccati aliud postulâsset: voluntas enim ant. æquivalet conditionatè, quantum ad istum effectum, & ideò non impleta conditione, potest non habere effectum sine ulla mutatione; ea quippe voluntate voluit Deus efficaciter, & absolutè Incarnationem tantùm, quo ad substantiam Mysterii in hac persona, & in hac natura individua, quod satis fuit, ut videret plura merita, quæ à circumstantiis passibilitatis non dependebant: at modum ejus non definivit, donec peccatum permisit, & prævidit: licèt enim DEUS non velit rem à parte rei, nisi cum omnibus circumstantiis, & modis, quibus futura est: tamen secundùm diversa signa rationis interdum vult priùs rem, quàm modum, quando nempe ab aliquo fine, vel occasione pendet modus, à quo non pendet res secundùm se, & ad explicandam hanc independentiam dicimus unum esse priùs in voluntate divina, quàm aliud, est enim puri in voluntate intentiva, quàm in executiva, quod in nostris principiis identificantib⁹ realiter cum Deo actus liberos, virtualiter intrinsecè inter se distinctos, tota hæc doctrina facilè intelligitur.

Quapropter duplex distinguenda est passibi- 7
tas, & impassibilitas juxta communem sententiam, aliqua quidem radicalis, seu remota alia verò formalis, seu proximà; passibilitas remota, & radicalis stat in natura ex se dependente ab accidentibus, quæ contrarium habent, & pugnant, ut subjectum acquirant, & contrarium expellant, ratione cujus dependentiæ est capax passionis, & subjectum ex se patitur, nisi præveniatur aliquo dono impediente actualem dolorem, & passionem, sicut post resurrectionem præveniuntur Beati, & contingeret etiam in Adami posteris, ut plures essent, si Adamus non peccâsset; passibilitas verò formalis stat in ipsa natura, & pugna accidentium in eodem subjecto sive in carentia doni prævenientis, & impedientis actualem dolorem, & passionem 800.

Pariter etiam impassibilitas radicalis & remota stat in natura, vel substantia exigente habere vel saltem habente aliquam perfectionem, aut donum impediens passionem, & dolorem. Impassibilitas formalis stat in ipsa natura, ut actualiter habente talem perfectionem, vel donum: unde cum dicimus Christum ex vi decreti intentivi prædefinitum esse præscindendo à carne passibili vel impassibili, loquimur de passibilitate, & impassibilitate formali: nam sine earum qualibet potest dari Christus quoad substantiam, non autem loquimur de radicali, & remota; siquidem ratione naturæ humanæ erat remotè passibilis, & ratione subsistentiæ divinæ erat remotè impassibilis; unde ab hac remota impassibilitate, & passibilitate nunquam fuit facta præcisio ex vi decreti intentivi. 801.

Obje-

799. Objicies 3. contra secundam conclusionem ex testimoniis primæ classis, quæ est eorum, in quibus dicitur, Incarnationem factam fuisse in remedium peccati, ut Lucæ 19. *venit Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat*; & 1. ad Timoth. *Christus JESUS venit in mundum peccatores salvos facere*, & in Symbolo *qui propter nos homines, & propter nostrā salutē descendit de Cœlis*; ergo Christus ex vi præsentis decreti intentivi non venisset Adamo non peccante. Resp. conc. antec. & dist. conseq. non venisset in carne formaliter passibili, conc. impassibili, nego consequentiam; quia in illis testimoniis sermo est de adventu Christi ex vi præsentis decreti executivi, ratione cujus venit Christus non quidem impassibilis, sed passibilis: venit quippe ratione decreti executivi ut Redemptor reparativus per passionem, & mortem ipsius: decretum enim executivum, ut suprà diximus, non habet tendentiam quasi conditionatam, sed efficacem, & absolutam, ac proinde ponit rem in actu cum omnibus suis circumstantiis, non ita decretum intentivum, cùm habeat tendentiam quasi conditionatam, vi cujus solùm intenditur positio carnis formaliter passibilis, si subsequatur absoluta prævisio peccati, vel impassibilis, si non subsequatur: unde cùm hæc subsecuta fuerit absq; ulla prorsus mutatione decreti, venit Christus non quidem in carne impassibili; at vi illius decreti intentivi revera venisset in carne impassibili, si non extitisset peccatum, quod satis est, ut dicere debeamus, Christum venturum ex vi præsentis decreti intentivi, quamvis Adamus non

800. peccâsset.

Objic. 4. ex testimoniis secundæ classis, quæ est eorum, in quibus dicitur, nullam fuisse necessitatem Incarnationis, secluso peccatô, ut habent Origines, Athanasius, & alii Patres apud Valentiam; ergo Adamo non peccante Christus non venisset. Confirmatur ex illo antiquo hymno, in quo ad Virginem dicitur: *peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tanto digna Filio*: ergo si peccatum non extitisset, non extitisset Christus. Resp. conc. antec. & nego conseq. quia illa testimonia loquuntur de necessitate condignæ satisfactionis pro peccato per mortem, & Passionem Christi, ac proinde loquuntur de adventu Christi in carne passibili vi decreti executivi; per hoc autē non tollitur, quòd vi decreti intentivi venisset Christus in carne impassibili, si peccatum non extitisset; quòd autem ita venturus esset ex vi decreti intentivi, infertur ex Scripturis à nobis adductis à num. 779. Ex quibus colligitur, Christum intentum esse primogenitum omnis

801. creaturæ; ac proinde prædestinatum esse Filium DEI pro signo priori ad prædestinationem creaturarum.

Ad Confirmationem conc. antec. & nego consequentiam; ratio est duplex: prima quidem, quia ea verba possunt intelligi de Christo ut Redemptore reparativo; secunda ratio est, quia illi versiculi satis sunt, quòd fundetur in opinione probabili, ut possint assumi in sensu Adversariorum; at ex illis non infertur certitudo sententiæ oppositæ, sed sola probabilitas, quod in Literis Apostolicis satis declaravit Sixtus IV. allegatus à Francisco Diago, Alphonso, Fernando, & Ripalda Tom. 3. disput. 1. sect. 6. En Verba Pontificis: *cùm duplex sit opinio Catholicorum Doctorum circa causas præcipuas Incarnationis Verbi divini: altera, quòd si Adam non peccâsset, Dei Filius humanam carnem non assumpsisset; altera, quòd etiam, si non fuisset humana natura in primo parente lapsa, adhuc DEI Filius carnem assumpsisset, & opinio utraque pietati Fidei, auctoritatibus, & rationibus subsistat, cúmque priori opinioni versus illi innitantur, dicimus, quidquid contra prædictos versus attentatum fuit, temerarium, præsumptuosum, & pœnâ dignum præsumptum fuisse, tanquam contra opinionem à Doctoribus Catholicis positam.* Ex quo apparet, non posse nos absque nota temeritatis censurâ inurere sententiam oppositam; exinde autem minimè inferri potest, eam sententiam esse veram, sicut nec Adversarii possunt sententiam nostram censurâ notare, quin exinde cogantur asserere, nostram sententiam esse veram. Idcirco quærimus; quænam sit probabilior, & censemus, nostram valde probabiliorem esse.

Ob. 5. ex testimoniis tertiæ classis, quæ est 802.
eorū, in quibus dicitur, Christum non fuisse venturum in mundū, non fuisse descensurum de Cœlis, neque assumpturū carnem nostram non existente peccato. Sic Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 14. *si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset, & si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus*; & Augustinus Serm. 8. de verbis Domini: *si homo non periisset, Filius hominis non venisset*; & Serm. 9. de verbis Apostoli prope initium: *nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere*; Sanctus Leo Serm. 3. in Pentecost. *si enim homo ad imaginem, & similitudinem DEI factus, in suæ naturæ honore mansisset, nec diabolica fraude deceptus à lege sibi proposita per concupiscentiam deviâsset, Creator mundi creatura non fieret*; ergo Adamo non peccante Christus non venisset.

Respondeo cum Esparza lib. 9. quæst. 17. 803.
ad 3. dist. conseq. non venisset in carne passibili, ut defactò venit, conc. in carne impassibili, nego consequentiam. Ratio est, quia, ut notavit Eximius Doctor suprà citatus n. 744. quamvis ista testimonia secundùm hæc præcisè verba considerata videantur significare, Christum nullo modo venturum, si Adamus non peccâsset; at si considerentur juxta mentem SS. Patrum, attendendo ad antecedentia, & consequentia, invenietur, ea tantùm loqui de adventu Christi in carne passibili, qualiter defactò venit: loquuntur enim de Christo ut Medico

repa-

reparante morbos, & tollente vulnera, per quod satis indicant, se tantùm loqui de adventu Christi, ut defactò contigit. Sic Augustinus, qui præ omnibus expressiùs videtur loqui, postquam in allegato testimonio dixit: *nulla causa fuit veniendi in Christo Domino, nisi peccatores salvos facere*, immediatè subjungit: *tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ*; quo satis ostendit, se loqui de adventu Christi ut Redemptoris reparativi, ut morbos curet, & vulnera tollat; ac proinde loqui de adventu Christi, ut defactò contigit, non verò de adventu Christi, qualis fuisset ex vi decreti intentivi, si Adamus non peccâsset.

804. Addit Rev. P. Thyrsus disput. 21. omnia illa testimonia intelligenda esse de adventu Christi in terras, & consanguinitate nobiscum per assumptionem carnis passibilis descendentis à primo parente, nempe Adamo. Ratio ejus est, quia licèt Adamo non peccante Verbum assumeret naturam creatam, vel humanam, vel Angelicam, non tamen assumeret passibilem, nec descenderet ad conversandum cum hominibus. Quapropter peccatũ quidem fuit causa, vel occasio adventûs Christi; at non fuit causa mysterii secundùm se alio modo efficiendi. Quòd autem hæc duo distinguantur, videtur expressè supponi ab Ecclesia, dum in Lytaniis ita orat: *per Mysterium Sanctæ Incarnationis tuæ, per adventum tuum, per nativitatem tuam*; ne autem dici possit, adventum illum ab Incarnatione & Nativitate distinctum, esse adventum in die Judicii, post hæc omnia subjungit postea Ecclesia *in die Judicii*, quibus precationibus agnoscit Ecclesia tanquam beneficium distinctum à beneficio Incarnationis, quod Christus ad terras venerit, & natus fuerit: unde si Adam non peccâsset, potuisset Deus operari mysterium, quin Christus venisset in terras, aut conversaretur nobiscum; quod attinet ad Irenæum, ab omnibus exponi debet cum aliqua expositione, ne alioquin in absurdum incidamus, dum ait: *si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam Dominus habuisset sanguinem, id est, nisi effusus esset injustè sanguis justorum*; constat enim, Christum ex vi præsentis decreti extiturum, quamvis DEUS efficaciter inspirâsset Tyrannis, ne Justos persequerentur, atque eo modo non effunderetur injustè sanguis Justorum; idcirco si auctoritas Irenæi debet accipi quoad istam secundam partem cum aliqua limitatione, nempe de adventu Christi, ut defactò contigit vi decreti executivi, ita quoad primam partem accipi debet cum eadem limitatione.

805. Objicies 6. ex Divo Thoma 3. part. quæst. 1. artic. 3. ubi ait: *ea enim, quæ ex sola DEI voluntate proveniunt, supra omne debitum creaturæ nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra Scriptura tradantur, per quam divina voluntas nobis innotescit: unde cùm in Sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientiùs dicitur, Incarnationis opus ordinatum esse à DEO in remedium contra peccatum, ita quòd peccato non existente Incarnatio non fuisset, quamvis potentia Dei in homine non limitetur; potuisset enim peccato non existente Deus incarnari*; ergo ex Div. Thoma ex vi præsentis decreti Christus non venisset, si Adamus non peccâsset. Respondeo conc. ant. & dist. conseq. ita ut id à Div. Thoma tantùm assertivè asseratur, nego, ita, ut in id magis inclinet, simúlque utrumque ab ipso problematicè defendatur, conc. conseq. Ratio est, quia Divus Thomas in eo testimonio clarè significat, utramque sententiam esse probabilem, quamvis ipse in sententiam contrariam magis inclinet; quod etiam repetit in 1. ad Timoth. cap. 1. sect. 4. ubi quærit: *si nullus fuisset peccator, nunquid non fuisset incarnatus?* respondet: *hæc quæstio non est magnæ auctoritatis, quia Deus ordinavit fienda, secundùm quod res fiendæ erant, & nescimus, quid ordinasset, si non præscivisset peccatum: nihilominus auctoritates videntur expressè sonare, quod non fuisset incarnatus, si non peccâsset homo, in quam partem ego magis inclino.* Unde indubitabile est, Divum Thomam inclinare magis in sententiam nobis oppositam.

Cæterùm, quia censemus, ex testimoniis Scripturæ, & Patrum à nobis expensis sententiam nostram probabiliùs inferri, in hanc nos magis inclinamus, eámque sustinemus, præsertim, cùm Divus Thomas doceat, hanc sententiam probabiliter sustineri posse, eámque sustineat problematicè, ac defendat solvendo argumenta in 3. sentent. dist. 1. quæst. 1. art. 3. in corp. ubi ait: *alii verò dicunt, quòd cùm per Incarnationem Filii Dei non solùm liberatus à peccato, sed etiam humanæ naturæ exaltatio, & totius universi consummatio facta sit, etiam peccato non existente propter has causas Incarnatio fuisset, & hoc etiam probabiliter sustineri potest.* Postea verò ad argumenta opposita ita respondet; *ad ea verò, quæ in contrarium objiciuntur, patet responderi secundùm aliam opinionem, quòd auctoritates illæ loquuntur de adventu incarnato passibili ad redimendum: Redemptio enim non fuisset, nisi servitus peccati præcessisset, & sic de adventu in carne simpliciter*; si enim Divus Thomas censeret, Patrum testimonia non posse admittere hanc expositionem, neutiquam ita responderet, unde non relinquimus in præsenti Divum Thomam, quantùm ad substantiam opinionis, quam ipse problematicè sustinet, licèt illum relinquamus relatè ad aliqualem inclinationem, quam in alteram partem ostendit.

Objicies 7. Congruum est credere, quòd Filius DEI non fieret caro, nisi exaltandus esset super omnia pura creata, & obtenturus nomen super omne nomen; sed hoc non habuisset Adamo non peccante; ergo non venisset. Probatur min. exaltationem, & nomen super omne nomen assecutus est Christus per mortem ſam

am, juxta illud ad Philippenses 2. *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*; atqui Adamo non peccante Christus non mereretur; ergo Adamo non peccante non obtineret exaltationem, & nomen super omne nomen. Respondeo dist. maj. nisi exaltandus esset exaltatione Redemptionis reparativæ, nego, exaltatione substantiali supremæ dignitatis super omnia creata, conc. maj. & distincta min. nego consequentiam. Ad probationem concessis præmissis dist. eodem modo consequens.

308. Ratio est, quia Christus, quamvis non fuisset Redemptor reparativus, fuisset DEUS homo: ac proinde habuisset supra omnia creata substantialem exaltationem dignitatis, & nominis, quamvis non habuisset exaltationem ut Redemptor reparativus, quod & ipsi Adversarii docent: nam Christus fuit indifferens, ut mereretur, & non mereretur: admisit enim liberè munus fidejussoris pro nobis, ideóque ut habetur Isaiæ 53. *oblatus est, quia ipse voluit*; si enim non voluisset admittere munus fidejussoris pro nobis, neque pro nobis mori, certè habuisset exaltationem substantialem dignitatis, & nominis supra omnia creata, quamvis non habuisset exaltationem Redemptoris reparativi: unde hæc circumstantia necessaria non erat, ut Verbum fieret caro ex vi decreti intentivi. Ex dictis.

309. Fit 1. Christum verè, & propriè fuisse Redemptorem non solùm redimendo nos à peccato originali, sed etiam ab actualibus, sive personalibus, morrémque subiisse ad ea omnia delenda, sive quoad efficaciam, sive quoad sufficientiam. Ratio est, quia ita tradunt Sacræ Scripturæ; sic 1. Joannis 1. *sanguis ejus emundat nos ab omni delicto*; quibus verbis non tantùm originale, sed etiam actualia, sive personalia comprehenduntur. Idem docet Apostolus ad Timoth. 2. *qui dedit semet ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Quamobrem per decretum intrinsecè efficax, & absolutum mansit Christus constitutus Redemptor reparativus, & passibilis ex parte DEI post absolutam prævisionè peccati Adami, non solùm, quatenus erat peccatum ipsius personale, sed etiam, quatenus erat originale respectu aliorum personarum. Ex parte verò Christi mansit ita constitutus Redemptor, quando acceptavit pactum inter ipsum, & Patrem initum, de quo diximus n. 474. & 489. Ratio est, quia, ut docent Scripturæ, & Patres, Christus venit ad reparandum genus humanum peccatô perditum; quam quidem Redemptionem intendebat Pater, si Christus liberè acceptâsset munus fidejussoris; sed Christus munus illud liberè admisit; ergo ex parte Patris in oblatione pacti consistebat, & ex parte Christi in illius acceptatione, ut per decretum intrinsecè efficax, & absolutum permaneret Christus constitutus Redemptor reparativus, & passibilis.

Fit 2. Christum absolutè mansisse constitutum redemptorem, & passibilem, antequam prævideréntur omnia hominum peccata absolutè futura. Ratio est, quia aliqua peccata actualia supponebant jam, Christum constitutum Redemptorem reparativum, & passibilem, ut sunt peccata illorum infidelium, qui nolunt credere DEUM hominem crucifixum esse, & alia similia; idcirco Christus ratione peccati Adami, quatenus originalis, non mansit absolutè passibilis quoad omnes circumstantias, sed solùm quoad substantiam mortis absolutè ex parte Dei, & conditionatè tantùm quoad circumstantias, nempe si homines infligerent illi tormenta Crucis, flagellorum, & similia; & ratio est, quia Judæi infligendo hæc tormenta peccârunt; sed Deus non potuit prædefinire peccata Judæorum, nec Christum ut Redemptorem absolutè reparativum eorum peccatorum ante absolutam eorum prævisionè, ut constat à num. 750. Quomodo hæc omnia non possint in hac providentia componi unico virtualiter indivisibili divinæ voluntatis decreto, constabit à num. 848. 310.

Fit 3. Præcipuum motivum, conditionem, aut terminum creatum, ut Christus maneret absolutè Redemptor reparativus, ex parte Dei fuisse peccatum originale, quod significant tot modi loquendi Scripturarum, & Patrum commendantium penes hoc amorem Dei, & charitatem Christi: unde Christus venisset Redemptor reparativus, & passibilis quoad substantiam post præcisum originale, licèt nulla postmodum fuisset peccata posteriorum actualia: siquidem posito originali, jam verificabatur præcipuum motivum, conditio, aut terminus creatus, quo verificato decretum prævium, quasi conditionatum reddebat Christum absolutè Redemptorem reparativum, & passibilem quo ad substantiam: cæterùm quoad omnes circumstantias non fuit absolutè Redemptor reparativus, & passibilis, usque dum prævisa fuerunt absolutè omnia hominum peccata, aliter prædefinitus fuisset absolutè Redemptor reparativus eorum peccatorum ante absolutam eorum prævisionem, quod repugnat ex dictis à num. 750. Addunt plures, valdè credibile esse, quòd Christus venturus esset passibilis, licèt non esset originale, si tantùm peccata actualia inficerent naturam humanam in omnibus ferè individuis, quod colligi videtur ex ardentissima charitate DEI, qua filium misit ut Redemptorem nostrum reparativum; juxta illud Joan. 3. sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 311.

* * *

DISPUTATIO XIX.

DE ORDINE DECRETORUM.

812. DEcretorum ordo in eo consistit, ut ordinatè disponamus omnia, quæ non modò ad præsentem tractatum, sed etiam ad plures alios Theologiæ tractatus spectant juxta ea, quæ hic tradidimus, & intulimus ex Scriptura, & Patribus; cæterùm quia hæc omnia facilè perturbationem generant, ut aliqua claritate donentur, totum istud opus in tria tantùm signa dividemus, quamvis unumquodque suam etiam claudat subdivisionem. Primùm signum erit eorum quæ ad Christum attinent ante signũ Adami. Secundùm erit eorum, quæ decreta sunt circa Adamum. Tertiùmverò de his, quæ post signum Adami decreta sunt. Juxta nostra principia Christus decretus est propter excellentiam Mysterii, ut caput omnium rerum in signo priori; ita ut fuerit absolutè decretus respectu independentium à peccato, & quasi conditionatè tantùm respectu eorum, quæ à peccato dependent, ut latè constat ex dictis. Constat etiam ex dictis non tantùm esse in Deo decretum executivum efficax & absolutum respiciens omnium rerum substantias, & circumstantias, sed etiam esse decretum intentivum, vi cujus præscinditur à pluribus rerũ circumstantiis, præsertim ab illis, quæ coñexionem habent cum peccato, vel quæ decretæ sunt in pœnam vel ad satisfactionem peccati. Has enim circumstantias non poterat respicere efficaciter, & absolutè decretum Dei intentivum, licèt eas conditionatè respiceret, ut Christus aliquid ageret vel pateretur, casu quo tales circumstantiæ advenirent idcirco decretũ executivum consideratur in signo posteriori, decretum verò intentivum in signo priori: nec officit, quòd priùs aliquid exequamur, ne sit in signo posteriori: nam quod est prius in intentione, solet esse posterius in executione; sic ægrotus priùs intendit sanitatem, postea vult sumere medicinam ad sanitatem obtinendam, quo in casu sanitas, quæ erat prior in intentione, est posterior in executione, & sumptio medicinæ posterior in intentione, est prior in executione; his positis sit.

SECTIO I.

Exponitur Ordo decretorum Dei.

813. ASsero 1. In primo omnium signo, nempe ante Adamum decrevit DEUS producere Christum propter excellentiam Mysterii, præscindendo vi illius decreti, an venturus esset in carne passibili, vel impassibili. Probatur facilè ex dictis, Christus enim fuit à DEO prædefinitus pro signo priori ante omnem creaturam, fuitque à Deo intentus, ut primogenitus omnium creaturarum juxta Scripturas citatas à num. 779. Hoc enim cùm intelligi non possit de Filio Dei tantùm, ut Deus est, cùm in hoc sensu non sit primogenitus, sed unigenitus, intelligi debet de Filio Dei, ut DEUS homo est, quo in sensu habet Fratres, ut loquitur frequenter Christus ore Evangelistarum, ut Matth. 28. *Nunciate Fratribus meis*, & Joannis 2. *vade autem ad Fratres meos, & dic eis, ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum*; ergo decretum intentivum in primo omnium signo fuit circa Christum. Rursus cùm in eo signo nihil daretur connexum cum peccato, à quo pendebat, ut Christus esset passibilis, neque dabatur aliquid connexum cum carentia peccati absolutè prævisi à quo pendebat, ut Christus esset impassibilis, legitimè infertur, quod decretum illud intentivum præscindebat ab eo quod Christus veniret passibilis, vel impassibilis; tandem plura merita Christi, qualia sunt amor Dei super omnia, gratitudo, & alia similia, erant planè indifferentia, ut conjungerentur cum passibilitate, vel impassibilitate ideóque DEUS vi decreti intentivi prævidit plura Christi merita determinatè, & absolutè futura, ex quibus moveri potuit ad plura alia propter Christi merita decernenda: hæc enim omnia absque ulla contradictione reperiuntur in illo primo signo; ergo &c.

Confirmatur. Patres & Doctores communiter intelligunt de sapientia incarnata illa Verba Proverb. 8. *ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret, nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram*, sed hæc intelligi non possunt, quantum ad executionem, & adventum in carne determinatè passibili, vel determinatè impassibili; ergo debent intelligi quantum ad intentionem præscindentem à passibilitate, vel impassibilitate, ac proinde quantum ad merita Christi indifferentia, ut conjungantur cum carne passibili, vel impassibili. subsumo: sed illæ particulæ; *antequam terra fieret*, aliæque similes non possunt intelligi de ordine executivo; ergo debent intelligi de ordine intentivo, ac proinde in primo omnium signo liberorum ad extra decretus est Christus Dominus per decretum intentivum tanquam primogenitus omnium creaturarum.

Ad hunc ordinem ante Adamum pertinet decretum intentivum de producenda Deipara ex meritis Christi prævisis, ex quo facilè deducitur non solùm fuisse immunem à culpa, verùm etiam à debito proximo illam contrahendi, ut docent latè plures Doctores quos affert Nieremberg. in exceptionibus Concil. Tridentini. Ratio est, quia illa Proverb. verba

ba citata numero superiori, non solùm ab Ecclesia accommodantur Christo Domino, verùm etiam Deiparæ: quod etiam faciunt communiter Sancti Patres, nec ullum est absurdum in oppositum, in eo, quòd ante omnes puras creaturas sit à Deo primò intenta Deipara, ut Christi Mater, quæ futura erat passibilis, si Christus foret passibilis; sicuti etiam esset impassibilis, si Christus foret impassibilis; unde in eo signo etiam prævisa fuerunt plura merita B. Virginis, quæ compossibilia erant tum cum carne passibili, tum cum carne impassibili, quòd autem hoc modo facilè componatur non solùm præservatio Deiparæ à peccato originali, verùm etiam à debito illud contrahendi, constat apertè; quia quamvis decretum illud Dei intentivum, quod erat quasi conditionatum, nempe includendi omnes posterorum voluntates in voluntate Adami, si produceretur, non solùm quoad transfusionem justitiæ originalis in posteros, si Adamus perseveraret in innocentia, verùm etiam quoad transfusionem culpæ, si Adamus peccaret; ita fuit constitutum, ut Deipara maneret exclusa ab inclusione ratione electionis factæ in Matrem Christi, tamen subibat periculum, ut includeretur, si electa non esset in matrem: unde sanctus Bernardinus Senensis serm. 51. de B. Virgine cap. 4. ait: *Tu ante omnem creaturam in mente DEI prædestinata fuisti, ut Deum ipsum hominem procrearet;* eo enim ipso, quòd ita maneat exclusa, non habet debitum proximum, sed tantùm habuit periculum inclusionis, manétque verè redempta præservativè ex meritis Christi; cùm enim hæc omnia juxta principia nostra bene componantur, facilè ex illis deducitur, Deiparam non solùm fuisse immunem à culpa originali, sed etiam à debito proximo illam contrahendi.

816. Porrò quòd Deipara Virgo absque labe peccati originalis fuerit concepta, videtur legitimè deduci ex traditione Apostolica; nam Flavius Dexter, qui vixit circa finem 41. Sæculi, in libro, cui titulus *perpetua historia*, cujus quidem meminit S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis, ita habet ad annum 308. num. 9. *Jacobi prædicatione celebratur in Hyspania festum immaculatæ, & illibatæ conceptionis DEI Genetricis MARIÆ.* Et Marcus Maximus Archi-Episcopus. Cæsar Augustanus, qui objit anno 643. floruitque sub Heraclio Imperatore, in hymno de apparatione B. Virginis facta Sancto Jacobo Apostolo, ita canit: *Ostendit se illis hilarem, suóque natalitio Conceptionis aureæ templo manent Encomia. Jacobus Hyspanos docet, & prædicat, præ cæteris ab omni labe liberam, hunc celebrandi jugiter populis iberis diem, qui durat usque hodie.* Similia habent Julianus Toletanus in vita Bernardi Archiepisc. Toletani, Luitprandus, & alii, quos refert Sfrondratus in Innocentia vindicata §. 3. num. 4. cujus etiam Apostolicæ traditionis præclarissimũ exhibet testimonium S. Andreas Apostolus in Epistola Presbyterorum Achaiæ, scripta anno 50. à morte Christi, quamque agnoscunt tanquam legitimum antiquitatis monumentum Sanctus Bernardus serm. 1. de S. Andrea; & Bellarm. de scriptoribus Ecclesiasticis; in hac enim Epistola hæc sunt verba Sancti Andreæ: *sicut primus Adam formatus est ex terra, antequã esset maledicta; ita secundus Adam formatus est ex terra Virgine nunquam maledicta;* id ipsum tenet Ecclesia Græca, ut videri potest in Rituali Sancti Sabæ, qui floruit circa annum 500. Plures etiam censent, hoc etiam contineri in Scriptura, cujus sensus declarandus est ab Ecclesia, quando Mysterium istud proponatur, ut articulus Fidei: est enim præclarus textus apud Ecclesiasticum, qui ita habet: *Fili, adificatio civitatis confirmabit rationem, & super hanc mulier immaculata computabitur.*

Cæterùm quia decretum illud Dei intentivum quasi conditionatum tale erat, ut si in executione Christus veniret in carne passibili, deberet ex pacto inito cum Patre merita sua consummare, & confirmare morte, & passione ex dictis à num. 489. ut Christus in eo signo obtineret vi suorum meritorum ea privilegia Deiparæ, opus erat, ut ordinaret sua merita, & conjungibilitatem ipsorum cum morte, & passione pro casu, quo pactum illud ex adimpletione conditionis ad executionem reduceretur, cúmque ita redactum sit; verum est dicere Deiparam redemptam esse ab originali intuitu meritorum Christi ejus Filii humani generis Redemptoris, ut loquitur Alexander VII. in suo Brevi circa Mysterium conceptionis Deiparæ his Verbis: *sanè vetus est Christi fidelium erga ejus Beatissimam matrem Virginem MARIAM, pietas, sentientium ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse ex speciali Dei gratia, & privilegio intuitu meritorum Christi ejus Filii humani generis Redemptoris à macula peccati originalis præservatam immunem.* Sic etiam Ecclesia in quadam oratione festi conceptionis; *quæsumus, ut qui ex morte ejusdem Filii sui prævisa, eam ab omni labe præservâsti.* Hoc autem privilegium Deiparæ supponendo cum pluribus Patribus Assuerum Regem fuisse figuram Christi, & Reginam Esther fuisse figuram Deiparæ, colligunt etiam multi ex illis Verbis Assueri ad Reginam Esther cap. 15. ubi postquam Assuerus promulgaverat decretum mortis contra omnem prolem Judæorum, ex quorum stirpe erat Esther, dixit ei Assuerus; *ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est;* ubi decretum universale pro omnibus non erat pro Esther, quæ soror, sive uxor Regis erat, ac proinde decretum DEI universale pro omnibus Adami posteris ad incurrendam mortem originalis peccati, licèt esset pro omnibus, non erat pro MARIA, quæ electa fuit, ut esset filia Patris, Mater Filii, 817.

&

& Sponsa Spiritus Sancti: unde in officio Conceptionis approbato à Sixto IV. in Bulla cùm præexcelsa in responsorio septimæ lectionis ita habetur: *omnes moriemini, quia in Adam peccavistis quid habes Esther elevata in populos? ego sum frater tuus, noli metuere non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est:* ex quo deduci videtur, non solùm fuisse Deiparam conceptam absque peccato originali, verùm etiam absque debito proximo illud contrahendi.

818. Quòd enim Deipara non solùm fuerit immunis à peccato originali, sed etiam à debito illud contrahendi, docent plures apud citatum Nieremberg, eò quòd neque fuerit inclusa in pacto inito, cum Adamo neque habuerit debitum, ut includeretur: nam Deipara non debuit dependere à voluntate Adami, ut gratia vel culpa in eam transfunderetur; ideóque fuit à Deo decreta ante Adamum, unde solùm habuit periculum, ut non eligeretur in Matrem Dei, & sic comprehenderetur in pacto, & ut cæteræ creaturæ descendentes ab Adamo contraheret originale: cúmque ex meritis Christi fuerit ab eo periculo præservata, fuit quoque præservativè redempta ab omni actuali, & originali, & certè quòd non sint idem, debitum, & periculum, patet in eo, qui si hac via incedat, habet periculum incidendi in latrones, & tamen non habet obligationem, seu debitum incidendi in latrones. Hoc enim maximum Deiparæ privilegium videtur insinuare Triden. sess. 5. de peccato originali anathematizans illum, qui dixerit, *Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini nocuisse;* & subdit: *declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem;* si enim non comprehenditur in pacto Adami, non habuit debitum peccandi in Adamo, sed tantùm periculum, & quidem si habuisset debitum peccandi in Adamo, eò ipsò inusta esset Deiparæ aliqua ignobilitatis nota, quæ à dignitate, & nobilitate Matris DEI longè distat; ut enim ait Albertus Magnus tractatu de laudibus Beatæ MARIÆ, Beatam Virginem *secundùm omnem dignitatem, & nobilitatis modum fuisse nobilissimam & dignissimam in sumo:* hæc autem nobilitas non patitur debitum incurrendi infamiam peccati: nam ut Imperatores Valentinus, Valens, & Gratianus ad senatum scribentes lege 3. codice de generali abolitione dixerunt: *Indulgentia quos liberat, notat, nec infamiam criminis tollit, sed purè gratiam facit;* Et Marcianus Imperator lege, & servorum de statu hominum L. 1. titulo 5. *Inter ingenuos libertatis quædam nota, & macula manet, utpote ob receptum beneficium illis, à quibus acceperint, & eorum successoribus maximè devinctis;* quibus consonat Claudius Cæsar, qui, ex Suetonio, in ejus vita rogatus, ut quemdam absolveret ab infamia, quam propter delictum contraxerat, respondit: *se ut Principem illum liberare ab infamia, beneficium tamen illud nihil prodesse, ut infamis nunquam fuisset: nulla enim potestate fieri poterat, ut infamiam non contraxisset:* ex quibus apparet, quòd aliquid saltem stigmaticum, & ignominosum remansisset in Maria, si à solo peccato, & non ab infami peccandi necessitate præservata fuisset.

Hanc doctrinam in via Scoti innegabilem esse censet Boivin. 1. parte Theologiæ quadripartitæ Scoti. cap. ultimo de Incarnat. quæst. 2. quia in hac providentia Deus gerit se concedendo abundanter prærogativas Deiparæ, ad eum modum, quo circa Filium suum se gerit: cùm autem Deus circa Filium suum se gerat, concedendo ea, quæ decent, & non repugnant, ex illo Pauli ad Hæbr. 7. *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior Cœlis factus;* ita censendum est, se gerere DEUM cum Deipara; quo argumento convicit Scotus Doctores Parisienses circa puritatem conceptionis Beatæ MARIÆ, dum se argumentabatur: *decet, & non repugnat,* quòd Mater DEI præserveretur à peccato; ergo defacto ab illo præservata fuit. Quod etiam est argumentum Anselmi de Conceptione cap. 18. *Decens erat, ut ea puritate niteret Virgo illa, qua major sub Deo nequit intelligi:* ut autem Deipara tanta puritate sit exornata, nemo est, qui non videat requiri non solùm, ut sit immunis à labe originali, verùm etiam à debito illam contrahendi.

Idcirco dicendum est, Deiparam tantùm fuisse in potentia, ut comprehenderetur in pacto inito cum Adamo, & ac proinde, quòd fuit in potentia, sive in periculo peccandi, juxta dicta num. 518. nunquam tamen habuit peccatum, neque debitum peccandi, nisi debitum, ut in vulgaribus locutionibus evenit, sumptum latè pro periculo. Cæterùm hæc maxima exaltatio Deiparæ, quæ plurimis apparebit incredibilis, mihi videtur expressa Div. Thomæ doctrina: legatur in 2. sententiarum dist. 44. part. 1. art. 3. ubi quærit, *an Beata Virgo fuerit omnium creaturarum purissima, ita ut purior esse non potuerit*, & ita respondet: *puritas attenditur per recessum à contrario, & ideo patet aliquod creatum reperiri, quo nihil purius esse possit in rebus creatis, si nulla contagione peccati infectum sit, & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali immunis fuit, fuit tamen sub Deo, quatenus fuit in potentia ad peccandum.* Tum etiam cap. 3. in Epistolam ad Galatas lect. 6. ut habet antiquissima editio Bibliothecæ Viennensis in Collegio Soc. JESU apud Allobrogas, & editio anni 1529. apud Patres Minimos Tolosæ, & habetur in editione Parisiensi anni 1529. & 1541. & 1590. & in editione Lugdunensi anno 1541. & Venera 1555. & 1590. quamvis in recentioribus editionibus hæc auctoritas omissa sit à quodam

dam Remigio Florentino, ut ait Velasquez de MARIA immaculatè concepta fol. 40. en Divi Thomæ verba: *non inveni mulierem à peccato originali, vel actuali omnino immunem, præter purissimam, & omni laude dignissimam Virginem MARIAM.*

821. Idipsum docet Divus Thomas in Epistola ad Rem. cap. 5. ut habetur in manuscripto codice Bibliothecæ Sfortianæ reperto sub Urban. VIII. & ita habet: *omnes in Adam peccaverunt, excepta Beatissima Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati.* Idem habet in opusc. 4. de Salutatione Angelica, quamvis in ultimis Editionibus omissum sit, sed reperitur in manuscripto Parisiensi in Monasterio Patrum Prædicatorum prope Lovanium, in manuscripto Bibliothecæ Corsendocanæ Canonicorum Regularium prope Turnatum in folio, chartaque pergamena, in manuscripto Bibliothecæ Regiæ Parisiensis num. 690. in manuscripto Monasterii Sancti Martini Lovaniensis Lit. O. num. 7. & in Editione Patrum Franciscanorum Coloniæ, testatúrque P. Petrus de Alva, & Astorga Procurator generalis folio 943. in lib. de Immaculata Conceptione, & nullum à se hactenus visum esse codicem manuscriptum antiquum, in quo non habeatur iste textus Divi Thomæ: *MARIA purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum aliquando incurrit.* Prætermitto alia plura, quæ videri possunt apud Doctores, præsertim apud Ffondratum in innocentia vindicata.

822. Unum autem non omittam, quia ad præsens institutum valde conducit, & narratur à Bernardino de Bustio Serm. 7. de conceptione, & aliis Scriptoribus, nempe Fandino Patavii Episcopo admiranti, quòd Divus Thomas peccatum originale Virgini adscripsisset, apparuisse Angelicum Doctorem, & dixisse: *scias Episcope, quòd solùm respectum habui ad divinum statum, quo Beata Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per Filium suum fuisset præservata, sed Dei Filius Matrem suam ab originali culpa præservavit.* Hæc omnino Vicarius ipsius Episcopi fidelissimè exposuit, asserens, se à præfato Domino Episcopo hanc visionem propriis auribus audivisse. Ita Bernardinus citatus; quòd autem Divus Thomas per ea verba, *contrahere debuerat*, intendat, quòd Deipara fuit in potentia, seu periculo peccandi juxta familiarē modum loquendi, quo qui incidisset in latrones, si ivisset per hanc viam, dicitur debuisse incidere in latrones, constat ex ipso Divo Thoma citato num. 520. ubi tantam puritatem agnoscit in Deipara, ut expresè asserat, eam non fuisse in potentia ad peccandum; fundamenta, quæ desumi solent ex eo, quòd Ecclesia non possit celebrare aliquid, nisi Sanctum; unde cùm Festum Conceptionis Beatæ Virginis celebret, non potest non esse Sancta ista Conceptio; aliáque hujusmodi argumenta libenter omitto; quia vulgaria sunt apud Doctores, & pro re præsenti, quam hucusqe dedimus, abundè sufficiunt.

Ad istud etiam signum ante Adamum post intentionem Deiparæ reducunt alii decretum creandi Angelos ex meritis Christi, illósque ordinandi ad gloriam; unde elegit DEUS Angelos prædestinatos, cum serio tamen desiderio salvandi omnes, qui prædestinati sunt, si per ipsos non staret; atque hoc modo etiam Angeli fuerunt præservativè redempti à Christo relatè ad peccata actualia, ut habet Sanctus Bernardus Serm. 22. in Cantica, *qui erexit hominem lapsum, dedit Sancto Angelo, ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sic hunc à captivitate defendens, & hac ratione fuit æquè utrique Redemptor; solvens illum, & servans istum;* quod etiam respectu medicinæ cognoverunt naturæ lumine præstantissimi Medicorum: sic Hypocrates lib. 5. de morbis popularibus, ait: *si aliquid divinum est in medicina, aut in morbis, quid nisi præcautio,* & Galenus Isagoge de subfiguratione dixit: *ille verò animi habitus, quo medicus vel judicare, vel curare, vel sanitatem custodire potest, meritò pars nobilior medicinæ, & subtilior vocabitur præcautio.* Avicenna lib. 4. Tractatu 4. *& scias, quod si scis præservare ab aliqua ægritudine sive lethali, sive non, pulchrior in medicina teneberis;* quibus consonat Augustinus in Psalmum 85. Ex quo roboratur, quod diximus num. 803. nempe, quòd, quando Augustinus dixit: *tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ;* loquitur de medicina reparativa, & non de præservativa, qua & Angeli, & Deipara redempti fuerunt à Christo, & intenti in signo ante Adamum, ut Bernardus citatus prosequitur his verbis: *liquet ergo Sanctis Angelis, Christum fuisse Redemptionem, sicut justitiam, sicut sapientiam, sicut justificationem &c. sic ergo omne, quod erat Angelis, factus est nobis,* quid? *sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio:* illa quidem verba, *quod erat Angelis, factus est nobis,* planè demonstrant, fuisse Angelos intentos pro signo priori, Adamum verò, & posteros pro posteriori; in eodem signo decrevit Deus revelare Angelis mysterium Incarnationis, præcepitque, ut Christo obedirent, & aliqui visi sunt alacri animo obedientes, alii verò superbè resistentes præcepto; & prævisa absolutè obedientia Sanctorum Angelorum, & inobedientia pravorum, decreta est bonis executio gloriæ, & malis æterna pœna; unde ad hunc ordinem pertinet decretum producendi infernum, & gloriam, sive Cœlum, & terram: ne autem in Cœlo vacuæ manerent sedes, quas DEUS ex se Angelis destinat, illíque pravitate sua perdiderant, voluit Deus, ut homines eas obtinerent, atque exinde ad signum Adami procedimus. 823.

Assero 2. In secundo signo, sive in signo Adami ex meritis Christi decrevit DEUS Adamum, & Evam, eósque prædestinavit, simúlque decrevit ordinare ad gloriam omnes homines producendos, quamquàm pro eo signo non 824.

determinaverit hos homines præ aliis, nam si Adam non peccâsset, aliqui nascerentur, qui nati non sunt, & è converso, ut latè tradit Ruiz de Montoya d. 53. de prædest. s. 4. illi nempe, quos Patres à Deo precib⁹ suis obtinuerunt ex Christi meritis, & passione: quò facit illud Eccles. 7. *honora Patrem tuum, & gemitus Matris tuæ ne obliviscaris, memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis;* ubi, ut bene notat Cardinalis de Lugo disp. 7. sect. 3. non dicitur, *nisi per illos natus non fuisses ex his parentibus*, sed simpliciter dicitur, *natus non fuisses.* Quamobrem si parentes suis precibus impetrant nativitatem hujus hominis, impetrant etiam, quòd existat hic homo. In eo statu Deus præcepit Adamo abstinentiam à pomo, inivítque pactum cum illo de transferenda justitia originali, si præceptum servaret, & de transferendo peccato in posteros, si fuisset inobediens, in hoc tamen pacto non modò Christus, utpote essentialiter, & per naturam impeccabilis, verùm neque MARIA inclusa fuit, ut constat ex dictis à num. 818. nam pro eo signo jam erat prælecta in Matrem, Reginámque hominum, & Angelorum. Rex enim, & Regina hominum, & Angelorum non erant collocandi in Adamo ut in capite, nec à voluntate Adami dependere debuit, quòd MARIA retineret, vel non retineret gratiam.

825. Probatur facilè conclusio: ex vi pacti initi cum Adamo, non esset Adamus potens adimplere pactum, si non esset indifferens ad peccandum, vel non peccandum, neque alii parentes essent indifferentes ad merendum orando, vel non orando, ut DEUS faceret, quòd hic homo in rerum natura existeret, qui independenter ab illa oratione non extitisset, si vi sui decreti non relinqueret indifferentiam, & componibilitatem tum cum oratione, & existentia hominis, tum cum carentia orationis, & exclusione hominis à rerum natura; ergo decretum intentivum in hoc signo Adami tale fuit, quale à nobis exponitur. Confirmatur 1. Adamus in statu innocentiæ habuit gratiam ex meritis Christi jam absolutè prævisi ex vi decreti intentivi, ut constat à num. 782. tum etiam filii, qui ab Adamo processerunt; imò & illi, qui Christum crucifixerunt, habuerunt gratiam ex meritis Christi, qua potuissent evitare peccatum, quod commiserunt crucifigendo Christum: ergo pro eo signo jam erat Christus Dominus vi decreti intentivi prædefinitus, ac proinde signum Adami fuit, ut à nobis exponitur post signum decreti intentivi de Christo.

826. Confirmatur 2. Illa verba Adami Genesis 2. *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, juxta communem sententiam cum Divo Thoma citato num. 782. significant, Christum, sive matrimoniū ipsius cum Ecclesia ejus sponsa; unde Adamus in statu innocentiæ habuit revelationem de Christo venturo, eique assensum præbuit; talis autem assensus, cùm meritorius fuerit, ac proinde sufficiens ad gratiam Adami augendam, elicitus fuit per gratiam habitam ex meritis Christi jam absolutè prævisis, & componibilibus tum cum passibilitate, tum cum impassibilitate; in hac enim providentia nullæ gratiæ concessæ sunt creaturis, nisi ex Christi meritis, juxta illud Joannis 1. *erat lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum &c. & de plenitudine ejus omnes* 825 *accepimus gratiam pro gratia;* quod & ad ipsos Angelos censeo extendendū esse, cùm Christus non solùm sit caput hominum, sed etiam omnium Angelorum, ac proinde non solùm illuminat homines, verùm etiam Angelos, juxta illud ad Colossenses 1. *ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ*; quibus verbis non tantùm comprehenditur Ecclesia militans, verùm etiam triumphans, ut suò locò dicemus: sic etiam Divus Gregorius in cap. 2. lib. Reg. *nullus hominum, neque Angelorum est Sanctus, nisi per Christum*; sed exinde manifestè patet, signum Adami fuisse post signum Christi Domini, ac proinde creaturas omnes procedentes ab Adamo, si aliqua ex singulari quodam privilegio intenta non sit pro priori ad ipsum, ut de Deipara dixi à n. 815. ergo &c.

Quamobrem in hoc signo prævisus est Adamus cum indifferentia ad conservandum donum impassibilitatis, & immortalitatis, aliáque plura ipsi divinitus concessa, si in eo statu innocentiæ perseverarer, vel ad merendam eorum donorum oblationem, si præceptum frangeret, & peccaret. Cæterùm, quia Adamus transgressus est præceptū, ablata sunt illi ea dona superna cum justitia originali, & peccatum ipse 830. us transfundendum est in omnes ejus posteros, exceptis, ut suprà diximus Christo, & Deipara; hinc prævisō absolutè peccato Adami, Deus illum ejecit à Paradyso, decrevit sententiá mortis illius, & posterorum, & Adamus se absque supernis donis agnoscit, intuens nuditatem, & fragilitatem suam; ex quo progressum facimus ad signum post Adamum.

Assero 3. In tertio signo, in quo jam prævisum erat absolutè peccatum Adami, manifestus Christus Redemptor constitutus reparativus, & passibilis, manétque utrinque firmatum pactum inter partem mittentem, & Filium missum. Probatur facilè ex dictis: inter Patrem mittentem, & Filium missum intercessit pactum de redimendo humano genere, peccato Adami infecto, ut constat ex Scripturis adductis à num. 474. & 489. quod clarè videtur etiam insinuâsse Tridentinum sess. 21. cap. 1. his verbis: *is igitur Deus, & Dominus noster semel seipsum in ara Crucis morte intercedente DEO Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur;* sed tale pactum nequit intelligi absolutum pro priori ad absolutam prævisionem peccati Adami; aliter DEUS prædeniviſſet Christum ut Redemptorem reparativum ante absolutam prævisionem peccati, quod DEI sanctitati repugnat, ut constat à n. 750. ergo

ergo hujusmodi pactum non fuit efficax, & absolutum, nisi quando jam fuit prævisum absolutè peccatum Adami, ac proinde ad hoc signum pertinet, quòd Christus efficaciter & absolutè prævisus fuerit constitutus Redemptor reparativus, & passibilis.

829. Quare ad hoc signum, si accipiatur in sensu sententiæ nostræ, pertinet illud, *peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tanto digna filio*, nempe Filio ut Redemptore reparativo, licèt aliter intelligatur in sensu Adversariorum ex n. 801. sic etiam intelligitur, quod dicitur in benedictione Cerei Paschalis: *O necessarium Ade peccatum, quod Christi morte deletum est, O Felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem:* exinde per merita Christi anticipata fuit Incarnatio, & decreta Patriarchis gratia ad merendas circumstantias Incarnationis, quæ tres præcipuè numerantur, nempe generis, loci, ac temporis. Ad eundem ordinem spectat prævisio eorum omniũ hominum, qui præ aliis absolutè futuri sunt, ita, ut aliqui prævideantur absolutè futuri independenter ab oratione Parentũ sive à signo sequenti Christi passionem: alii verò pòst, ut suprà diximus. Postmodum videntur absolutè omniũ merita, & peccata, & prævisa morte prædestinatorum in gratia, simulque finali impœnitentia reproborum decernuntur per decretum executivum bonis æterna gloria, & malis æterna pœna, vi quorum decretorum hæc omnia videntur in executione futura, unumquodque in sua differentia temporis.

830. Addere possumus in laudem Deiparæ cum Cardinali de Lugo disp. 7. sect. 2. num. 14. quòd, sicut Deus dicitur omnia condidisse ex complacentia in uno Christo, & ex meritis illius, ideóque Christus dicitur finis omnium creaturarum, ita cum proportione dici possit, cætera omnia condidisse ex affectu erga Deiparam, & ex ipsius meritis; atque ipsam quodammodo esse finem creaturarum, quo in sensu intelligendus Bernardus serm. de Virgine Maria de Verbis Apocalipsis, qui habetur post sermones de assumptione, ubi de nostra redemptione ait: *& quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est, sed nobis bonum non erat esse hominem solum, congruum magis, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset*, & serm. 3. *in salve*, ubi inquit: *& ut breviter concludam de hac, & ob hanc, & propter hanc omnis Scriptura facta, & propter hanc totus mundus factus est*; unde & Maria stans juxta crucem aliquo modo merebatur opus nostræ salutis juxta Andream Cretensem, qui ait: *omnino tunc erat una Christi & Mariæ voluntas, unumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo, ille in sanguine Crucis, illa in sanguine Cordis.* Consonat Augustinus tom. 6. de sancta Virginitate cap. 6. Mariam appellans Spiritualem filiam Christi, & Matrem spiritualem omnium hominum: en ejus Verba: *Mater quidem Spiritu, non capitis nostri, quod ipse est Salvator, ex quo illa magis spiritualis nata est &c. Sed planè Mater membrorum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt, corpore verò ipsius Mater capitis.* Qui verò aliud majus privilegium credit concessum esse Deiparæ in primo suæ Conceptionis instanti, nempe quòd non fuit solùm concepta in gratia, sed etiam in gloria, seu visione beatifica legat Tridentinũ, & de Sallazar strenuè defendentem hoc privilegium in defensione pro Immaculata Conceptione Virginis argumento 7. cap. 22. §. 4. num. 27. usque ad 69. ex dictis.

831. Fit 1. Non posse decretorum seriem, ut à nobis expositam, unico tantùm decreto constitui, sed necessaria esse plura decreta virtualiter inter se distincta. Ratio est, quia decretum intentivum se solo ex sua intrinseca tendentia est compossibile cum utroque libertatis extremo; decretum enim intentivum Christi non erat connexum cum passibilitate, vel impassibilitate, sed indifferens ad utrumque, & ut diximus, quasi conditionatum, de eo, quòd DEUS efficaciter voliturus erat Christum in executione impassibilem, si Adamus perseveraret in statu Innocentiæ, vel revera passibilem, si Adamus peccaret. Pariter decretum intentivum Adami erat indifferens ad ipsius perseverantiam in gratia, vel ad exclusionem gratiæ per peccatum; at decretum executivum, quo DEUS voluit privare Adamum donis gratiæ, ex sua ipsa tendentia extrinseca absoluta erat connexum cum ea exclusione gratiæ & donorum; sed hæc decreta sunt virtualiter distincta; ergo &c. Tum etiam decretum Christi fuit pro priori ad decretum Adami, & decretum collativum gloriæ prædestinatis fuit pro posteriori indifferens ad decretum applicativum omnipotentiæ ad utrumque: nam decretum collativum gloriæ erat intrinsecè connexum cum collatione gloriæ, & decretum indifferens applicativum omnipotentiæ est indifferens ad collationem gloriæ, vel inflictionem pœnæ.

832. Fit 2. Decretum intentivum, licèt sit quasi conditionatum, & reddatur absolutum posita conditione, aut termino, quem respicit, non ita reddi absolutum, ut ex suis intrinsecis exigat, aut supponat positionem illius conditionis aut termini; at decretum executivum ex suis intrinsecis præsupponit positionem talis conditionis, aut termini; ex quo hæc duo decreta sunt revera virtualiter distincta, ut dicemus à num. 849. Fit 3. Deiparam recitantem orationem dominicam non potuisse in sua particulari persona dicere illa Verba: *dimitte nobis debita nostra*; sic enim implicitè dixisset, dimitte mihi, quòd rectè non fieret, cùm nihil dimittendum haberet: cæterùm quia illa Verba *dimitte nobis* se extendunt ad omnia membra Ecclesiæ, potuit ea dicere ratione totius Ecclesiæ; unde Salmeron tom. 5. tract. 51. ita habet: *hæc oratio communis est totius Ecclesiæ, &*

Pro se tantùm orat nullus, sed pro omnibus ob commune vinculum charitatis, ideò, etsi quis immunis sit à peccato, verè dicit, dimitte nobis debita nostra, quia charitas non facit eum immunem, quæ cuncta bona & mala totius Ecclesiæ facit communia: Christus enim omnia nostra debita in se suscepit, & orabat, dimitte nobis debita nostra: si ergo, qui naturâ purus erat, & in quem peccatum cadere non poterat, sic orabat, cur & non Beata Virgo &c. Juxta illud Apostoli ad Galatas 6. alter alterius onera portate.

SECTIO II.

Solvuntur Oppositа.

833. OBjicies 1. Contra primam assertionem: si Christus Dominus fuisset prædefinitus in signo priori ante omnem creaturam, non fuisset prævisus procedens ab Adamo; sed fuit prævisus procedens ab Adamo utpote originem habens ex Adami posteris; ergo non fuit prædefinitus in signo priori ad signum Adami. Hoc argumentum eodem modo fieri potest circa Deiparam; unde eadem est pro utroque solutio. Respond. igitur dist. majorem non fuisset prævisus procedens ab Adamo vi solius decreti intentivi, sive in signo priori, concedo; vi decreti executivi, sive in signo posteriori, nego maj. & dist min. nego conseq. Ratio est, quia decretum intentivum, ut sæpè diximus, erat indifferens, ut Christus à solo Deo penderet, vel ut penderet à Parentibus, ex quibus progeneraretur, quamvis esset quasi conditionatum, ita nempe, ut, si Adamus produceretur, & peccaret, atque Christus futurus esset Redemptor reparativus, non producendus esset à solo Deo dependens, sed à progenitoribus dependentibus ab Adamo: cúmq; ista conditio ad impleta fuerit, ea de causa per decretum executivum Christus non est positus dependens à solo Deo, sed procedens ab Adami posteris. Addit Bernal. disp. 18. sect. 2. Christum Dominum in vita sua mortali aliquando à solo Deo miraculosè conservatum esse quod saltem inedia ostendit ad 40. dies, & noctes protracta in deserto, aliisque in circumstantiis ibi allatis. Reliqua argumenta, quæ contra hanc assertionem fieri possunt, meliùs solventur responsionibus secundæ assertionis.

834. Objicies 2. Contra secundam assert. ut constat ex Alexand. VII. & Ecclesiæ oratione adducta num. 817. Beata Virgo fuit præservativè redempta ab originali ex meritis passionis Christi; atqui si Adamus fuisset prædefinitus post signum Deiparæ, non potuisset Deipara redimi ex meritis passionis Christi; aliter passio Christi non subsequeretur signum Adami; ergo &c. Respondeo conc. maj. & nego min. quia cùm vi decreti intentivi Beata Virgo fuerit ita decreta, ut DEUS acceptaret merita Christi absolutè prævisa à passione independentia, si Christus futurus non fuisset Redemptor reparativus; si verò futurus fuisset Redemptor reparativus, voluerit, ut ea merita passione & morte Christi consumerentur, & ista conditio adimpleta fuerit, exinde est prorsus indubitabile, quòd Deipara, quamquam vi decreti intentivi decreta fuerit ante signum Adami, tamen vi decreti executivi sit verè præservativè redempta ex meritis passionis Christi; idcirco si Adamus non peccâsset, Deipara fuisset præservata ab originali subverificatione alterius conditionis, sub qua Christus passus non esset; neque fuisset Redemptor reparativus defacto; non autem exiſtit ea conditio, sed altera, sub qua Christus factus est passibilis, & accepravit pactum consummandi sua merita ipsius morte & passione; unde defacto Beata Virgo ita præservativè redempta est ab originali, & etiam sancti Angeli ab actuali peccato, ex num. 823. 837

Objicies 3. Ex Paulo ad Ephesios, ubi de Christo ait: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem Filiorum per JESUM Christum in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ*: modò sic: quando Deus designavit electos ante mundi constitutionem, ut essent Sancti, & præscivit, & prædestinavit illos: atqui juxta à nobis assignatam signorum seriem prior esset constitutio mundi, & productio Adami, & postea electio, & prædestinatio electorum; ergo talis signorum series nequit sustineri. Respondeo conc. maj. & nego min. quia aliud est, quòd constitutio mundi fuerit prius executa, & aliud, quòd fuerit prior electione prædestintaorum. Electio enim prædestinatorum fuit ab æterno, constitutio autem mundi, & productio Adami fuerunt in tempore: unde ex illo Apostoli testimonio male infertur, quòd prior fuerit mundus constitutus, & productus Adamus, quàm fuerint electi illiqui prædestinantur; licèt executio gloriæ detur multò post mundi constitutionem, & Adami productionem. Quamobrem in hoc argumento magna intercedit æquivocatio, vi cujus non distinguitur decretum executivum ab intentivo, neque executio ab intentione. Videatur Card. de Lugo disput. 7. de Incarnatione sect. 2. 838

Objicies 4. Juxta illa Verba Genesis 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, habuit Adamus, ut suprà diximus, revelationem de Christo venturo; ergo vi illius revelationis cognovit Adamus, quòd ex ipso processurus erat Christus; ac proinde illa revelatio erat pro signo posteriori ad signum Adami: unde Adamus non fuit prædefinitus pro posteriori, sed pro priori ad signum Christi. Respondeo conc. antec. & nego conseq. quia ut suprà diximus, ea revelatio fuit de Christo præscindente à carne passibili, vel impassibili & 839.

& cùm non fuerit pro posteriori, sed pro priori ad signũ Adami, non potuit vi illius revelationis Adamus cognoscere Christum passibilem, vel ab ipso Adamo processurum: illa enim gratia ab Adamo acquisita ex assensu fidei præstito tali revelationi potuit ab Adamo liberè conservari; unde fuit gratia componibilis cum conservatione statûs innocentiæ: cùm autem status innocentiæ non argueret Christum passibilem, neque ab Adamo procedentem, exinde vi illius revelationis non potuit Adam cognoscere Christum passibilem ab ipso procedentem.

837. Objicies 5. Juxta seriem à nobis constitutam in hoc secundo signo Adami, vi decreti producendi Adamum, nondum videret DEUS determinatè, sed indeterminatè aliquos ipsius posteros absolutè futuros, proindéque Deus non eos decerneret absolutè, sed ad summum quasi conditionatè; sed hujusmodi cognitio, & voluntas decernens repugnat DEO; ergo series hujus signi ut à nobis constituta repugnat DEO. Probatur min. Illa divina cognitio, & voluntas tendens ad indeterminatum præfert confusionem DEO repugnantem; ergo &c. Respondeo conc. maj. & nego min. Ad probationem nego antec. ratio est, quia Deus perscientiam simplicis intelligentiæ omnia clarè, & distinctè cognoscit, quin in eo signo verum sit dicere, quòd res potiùs erunt, quàm non erunt; cùm illud non sit contingentium, sed necessariorum; unde si non adsit signum contingentium includens determinatam contingentium veritatem, vel in ipsis, vel in causis, nondum sunt contingentia ut talia cognoscibilia; cùm in eo casu nec in se, nec in alio sint cognoscibilia.

838. Cùm autem ex vi decreti intentivi de producendo Adamo nondum adsit connexio cum his determinatè potiùs, quàm cùm aliis, neque decretum DEI producendi hos potiùs, quàm alios, nondum possunt cognosci absolutè futuri, nec in se, nec in alio, licèt possint disjunctivè cognosci vi illius decreti quasi conditionati, nempe, quòd hi producentur, si Parentes casu, quo Christus passibilis sit, erunt per Christi passionem, & merita, vel non producentur, si non erunt: ex quo, cùm Deus agnoscat in eo signo, quidquid est cognoscibile, & modo, quo est cognoscibile, eodémque pacto decernat, nulla est prorsus confusio, aut obscuritas in eo signo, neque ullus defectus, qui Deo repugnet; nam obscuritas, & confusio exinde procedit, quòd non detur cognitio cognoscens omnia, quomodo cognoscibilia sunt, neque volitio à tali volitione regulata; unde velle disjunctivè pro signo, pro quo datur indifferentia ad utrumque, nullatenus DEO repugnat.

839. Hæc adeò certa sunt, inquiunt Cardinalis de Lugo disput. 7. sect. 3. & Aldrete disp. 18. sect. 3. ut omnes ita fateri teneantur: duplex enim est volitio præcisiva; altera, qua dico: volo aliquem equum tuum, non propositis ex parte objecti hoc vel illo distinctè, vel sub ratione equi tui: altera propositis distinctè tribus equis, quos habes, peto unum ex illis disjunctim; quamvis ergo primus modus repugnaret Deo propter disjunctionem confusam; secundus modus, qui disjunctionem confusam, & imperfectam non habet, nequaquam repugnat. Sic DEUS petebat in Lege veteri par turturum, aut duos pullos columbarum, disjunctim quidem, sed non confusè, aut imperfectè: sic Deus distinctè prævidens posteros omnes possibiles, potuit independenter ab ulla conditione velle istos determinatè, alios verò non ita, sed sub aliqua conditione creaturæ libera; unde sicut Deus videns nostram potentiam indifferentem ad amandum, & non amandum, non videt pro illo signo determinatè existentiam amoris, nec determinatè carentiam amoris, sed extiturum amorem, vel carentiam amoris, quoniam existere unum ex illis est necessarium, existere verò hoc in particulari est liberum, & contingens; sic dicendum est de Adami posteris modo explicato. Videantur Herice disp. 23. de prædestinatione cap. 2. & Eximius Doctor Tom. 1. in 3. part. disp. 5. sect. 5. & disp. 11. sect. 2. Quod idem dicendum est de decreto intentivo Christi præscindente ab ejus passibilitate, vel impassibilitate.

840. Ob. 6. Ex hac nostra doctrina sequeretur, non peccâsse aliquos Adami posteros, quando peccavit Adamus; tunc quando adimpletur conditio, & manent determinatè absolutè futuri; sed hoc dici non potest: ergo &c. Respondeo dist. maj. non peccâsse, id est non extitisse tunc physicè totum illud, quod requiritur, ut posteri dicantur contrahere peccatum originale, conc. non extitisse formam moralem, qua inficiuntur, si existant, nego maj. & distincta minore nego conseq. Ratio est, quia nemo contrahit peccatum, nisi quando existit; unde cùm illi posteri non sint prævisi absolutè existere, nisi adimpleta conditione subsequenti signum Adami, exinde non sunt prævisi absolutè contrahentes peccatum originale, nisi in signo subsequente signum Adami. Cæterùm cùm essent jam quasi conditionatè inclusi in Adamo tanquam in capite, ut peccatum ad ipsos transfunderetur, casu, quo Adamus peccâsset, & ipsi producerentur, jam erat alligata omnium eorum posterorum voluntas voluntati Adami, ut casu, quo adimpleretur conditio, & ipsi producerentur, transfunderetur in ipsos justitia originalis, si Adam in justitia perseverâsset, vel peccatum Adami, si peccâsset; idcirco statim atque peccavit Adam, extitit tota ea forma moralis, qua postea infecti sunt.

841. Objicies 7. contra tertiam assertionem: Christus Dominus ante tertium istud signum subsequens signum Adami, jam habebat naturam passibilem; ergo non fuit constitutus passibilis in isto tertio signo; aliter intentus fuisset præscindendo ab assumptione naturæ humanæ, vel Angelicæ, quod dici non potest. Respondeo, dist. antec. habet naturam passibilem radi-

caliter, conc. formaliter, nego antec. & consequentiam. Ratio est, quia, ut dixi à num. 797. natura humana passibilis radicaliter est ipsa natura capax patiendi; cùm autem primum decretum intentivum fuerit de assumptione naturæ humanæ, nunquam præscindebat à passibilitate radicali; at passibilitas formalis stat in ea natura capaci patiendi, & exclusione dotis impassibilitatis, qualem procul dubio habent Beati: cúmque vi decreti intentivi præscinderetur à collatione, vel exclusione talis doni, ea de causa præscindebatur à passibilitate, vel impassibilitate formali. Cæterùm, quia decretum illud intentivum erat quasi conditionatum, de eo, quòd Christus admissurus erat formalem passibilitatem, statímque constitueretur Redemptor hominum reparativus; ideo in hoc tertio signo, in quo constitutus est Redemptor hominum reparativus, habuit hanc passibilitatem formalem, eámque habuit Christus *D*ominus vi decreti executivi respicientis substantiam cum omnibus rei circumstantiis.

842. Objicies 8. instando simul solutionem: ex hac doctrina sequeretur, quòd Christus initio vitæ habuerit impassibilitatem formalem, qua postea privatus sit acquirendo formalem passibilitatem; sed hoc dici non potest; ergo Adamus ex vi decreti intentivi habuit in statu innocentiæ impassibilitatem formalem, qua postea privatus est in signo subsequente peccatum; ergo Christus etiam habuisset impassibilitatem formalem pro signo priori, qua postea privaretur in signo posteriori Respondeo nego maj. ad probationem omitto antec. & nego consequentiam; quia decretum Adami non fuit decretum præscindens ab eo, quòd Adamus produceretur, vel non produceretur in statu innocentiæ, sed fuit decretum producendi Adamum in statu innocentiæ cum omnibus donis propriis illius status; unde si unum ex illis donis supponatur fuisse formalem impassibilitatem, eam habuit Adamus ex vi decreti sui intentivi. Quamobrem in hac hypothesi decretum illud intentivum Adami non præscindebat à prima collatione, sed à conservatione impassibilitatis; quam amissurus erat, si præceptum transgrederetrr, ideóque ex libertate, qua poterat transgredi, vel non transgredi præceptum, poterat quoque id ponere, à quo pendebat, ut conservaret, vel non conservaret impassibilitatem; at decretum intentivum Christi *D*omini non fuit de producendo efficaciter Christũ cum impassibilitate, sed producendo cum formali impassibilitate, casu, quo non veniret Redemptor hominum reparativus; cúmque ita venerit Christus, productus est non quidem cum impassibilitate, sed cum passibilitate formali.

843. Objicies 9. instando iterum solutionem: decretum intentivum Christi non potuit præscindere à passibilitate formali; ergo vi illius Christus productus est cum passibilitate formali. Probatur antec. Passibilitas formalis naturæ humanæ est proprietas, seu ratio necessariò consecuta ad humanitatem, & ideo inter signum, & instans naturæ, pro quo intelligitur existere passibilitas; nullum mediat instans rationis, pro quo natura liberè operetur: signa enim, seu instantia rerum necessariarum priora sunt signis, & instantibus rerum liberarum; atqui decretum intentivum de Christi productione fuit de assumptione naturæ humanæ; ergo in eodem signo fuit de assumptione passibilitatis formalis. Confirmatur. Ideo non potuit Christi humanitas mereri unionem hypostaticam per actus naturâ tantùm priores ipsa unione, quia unio cum propria subsistentia est quid necessariò consequens humanitatem, eáque de causa spectat ad signum necessariorum; at unio ad subsistentiam Verbi, quæ locò propriæ subsistentiæ substituitur in eodem signo, non potest esse in signo sequenti, quia pertinet ad necessaria; ergo inter signa necessariorum nequit interponi signum liberorum; ac proinde Christus nunquam potuit esse intentus absque passibilitate formali. Hoc argumentum, quod difficile censet Bernal disp. 59. sect. 1. est valdè debile, quod in Beatis omnes solvere tenentur, atque in ipso Adamo, si in statu innocentiæ habuit formalem impassibilitatem. Quare 846.

Respondeo nego antec. ad probationem dist. maj. necessariò consecuta necessitate metaphysica, nego, necessitate purè physica, conc. maj. & dist. min. fuit de assumptione naturæ humanæ absque dote impassibilitatis proveniente à D E O authore supra naturam, ne impediretur passibilitas formalis, nego, præscindendo à collatione, vel exclusione talis dotis, conc. min. & nego consequentiam. Ad Confirmationem nego antec. nam humanitas Christi ideo non potuit mereri illam unionem hypostaticam, quia subsistentia non solùm exigitur physicè à natura substantiali, sed metaphysicè, cùm sit modus substantialis essendi, ut constat à num. 603. sine quo, vel ejus supplemento substantiali nequit natura esse proximè operativa, neque potest sine illa divinitus existere, ad eum modum, quo sine aliqua ubicatione existere non potest: hoc autem dici non potest de passibilitate formali, cùm certum sit eam non exigi metaphysicè à natura; etenim natura humana corporis glorioſi habuit in vita passibilitatem formalem, quam in patria non retinet, sed potiùs retinet formalem impassibilitatem; unde formalis passibilitas non exigitur à natura humana metaphysicè, sed tantùm physicè. 847.

Quamobrem proprietates, quæ ex natura rei dimanant à natura, solùm dicuntur esse propriori signo naturaliter ante operationem liberam, si præcedat decretum divinum non impediendi naturalem exigentiam naturæ, quia sine natura instructa est omnibus suis proprietatibus naturalibus ante ullam liberam ipsius operationem: at si præcedat decretũ Dei de condenda natura præscindendo ab eo, quòd posita aliqua li-

bera

bera naturæ operatione conferatur, vel propellatur naturalis proprietas, in eo caſu ſignum liberorum erit pro priori ad ſignum collationis, vel excluſionis naturalis illius proprietatis, ut ex terminis patet; cùm autem decretum Dei intentivum circa Chriſtum ejusdem fuerit; ſiquidem decernebatur formalis impaſſibilitas, caſu, quo Adamus liberè perſeveraret in ſtatu innocentiæ, & paſſibilitatis formalis, caſu quo Adamus liberè peccaret: exinde negari non poteſt, quòd illud ſignum liberorum, in quo conſtitutus fuit Adamus liber ad peccandum, & non peccandum, fuit pro prori ad ſignum, in quo decreta fuit Chriſto paſſibilitas formalis.

846. Objicies 10. Decretum intentivum Chriſti fuit quaſi conditionatum, ut ipſe redempturus fuiſſet totum genus humanum, ſi iſtud collocaretur in Adamo ut in capite, & ipſe peccaret, atque ab ipſo totum genus humanum inficeretur; ergo totum genus humanum eodem modo pendebat à Chriſto Redemptore; atqui plures hominum à Chriſto Domino pendebant determinatè in Adamo determinatione præcedente ſignum Paſſionis Chriſti; ergo omnes ita præcedebant, nullúsque hominum fuit prædefinitus pro ſigno poſteriori ad Paſſionem Chriſti, ac proinde hac ſaltem parte rejicienda eſt ſeries decretorum neceſſaria. Reſp. conc. ant. & diſt. conſeq. eodem modo pendebant, id eſt nullus hominum producendus erat niſi ex meritis eodem modo applicatis, nego conſeq. niſi ex meritis Chriſti Domini, C. quia, ut ſuprà dixi, aliqualiter fuerunt applicata merita Chriſti independenter à Parentum Oratione reſpiciente Chriſtum jam paſſum, aliqualiter verò non ita, ſed dependenter à tali Oratione Parentum. Quare merita Chriſti non fuerunt eodem modo applicata pro omnium hominum productione; unde Sanctus Franciſcus de Paula, & alii, quos Parentum Orationes impetrârunt à Chriſto per merita Paſſionis ipſius jam exercitè habuerunt applicata merita Chriſti diverſo modo, ac alii, qui antea jam erant prædefiniti abſolutè. Videantur Cardin. de Lugo diſp. 1. à n. 28. Aldrete diſp. 9. ſect. 1. & Rev. P. Thyrſus Tom. 3. diſp. 1. ſect. 5. ex quibus omnibus conceſſa min. ſubjuncta ratio conſequitur; quia eò ipsò, quòd licèt omnes penderent à meritis Chriſti, non tamen eodem modo applicatis, ſed applicationibus pertinentibus ad diverſa ſigna, poterunt aliqui videri abſolutè futuri in uno ſigno, in quo nondum alteri videbantur abſolutè futuri, ſed in altero ſigno.

847. Objicies 11. inſtando ſimul ſolutionem: ſi unus hominum naſceretur vi Orationis Parentum pendentis à Chriſti Paſſione jam exercita, verè innumeri dici poſſent ita nati eſſe; ſiquidem ex illo uno oritur poſtea copioſa ſoboles, ut ex uno Iſaac miraculosè genito habuit Abraham copioſam multitudinem poſterorum, qui omnes Chriſti meritis adſcribendi erunt; ſed hoc non ita contingit in humano genere; ergo &c. Reſpondeo nego maj. quia licèt generatio poſterorum eſſet ex meritis Chriſti in radice, non tamen formaliaer; nam poſtquam ſemel merita Chriſti ita applicata impetrârunt generationem unius, non eſt neceſſe, ut ita iterum applicentur ad generationem cæterorum, qui ex ipſo naſcuntur; ad hoc enim ſufficit natura ſine ullo novo miraculo; aliter Adverſarii, qui ita arguunt, dicere cogerentur, omne frumentum, quod habemus, & omne vinum eſſe non tantùm in radice, ſed ſpecialiter, & formaliter ex Chriſti meritis miraculosè applicatis; quia uno anno ex meritis Chriſti ita applicatis pluit, & ex frumento illius anni habemus ſemen ad omnes annos ſubſequentes.

848. Objicies 12. Tota ſeries decretorum à nobis expoſita fieri quàm optimè poteſt unico virtualiter indiviſibili divinæ voluntatis decreto; ergo abſque neceſſitate diſtinguimus diverſa ſigna, & decreta virtualiter diſtincta. Probatur antec. Decretum intentivum Chriſti quaſi conditionatum, ſimúlque regulatum ab infinita, & clariſſima ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua DEUS clarè, & diſtinctè cognoſcebat ſingula poſſibilia, ſimúlque intendebat, ut ex meritis Chriſti producerentur reliquæ creaturæ, & quòd poſitis his, vel illis conditionibus fierent ea, quæ facta ſunt, & quod poſitis aliis conditionibus fierent alia, quæ facta fuiſſent; hæc enim perfectio decernendi negari non debet decreto Dei intentivo ab illa infinita, & clariſſima DEI ſcientia regulato: ſed exinde ſufficiens fuit unicum iſtud decretum intentivum indiviſibile ad totam, & integram ſeriem à nobis expoſitam; ergo &c. Probatur min. Decretum intentivum quaſi conditionatum cum impleta conditione, vel quaſi conditione manet abſolutum; ergo vi hujus decreti poſitis conditionibus ſequerentur abſolutè ea omnia, quæ facta ſunt, ac proinde hoc indiviſibile decretum ſufficiens fuit.

849. Reſpondeo nego antec. ad probationem diſt. maj. & quod poſitis his conditionibs &c. ita ut eſſet efficax decretum, vi cujus apponerentur, vel non apponerentur tales conditiones, aut potentia proxima ad illas nego maj. vi cujus non ita apponerentur conc. maj. & diſt. min. nego conſeq. Ad probationem concedo antec. & nego conſeq. quia ſi una ex conditionibus eſt, quòd ea poſita eliciatur pro ſigno ſequenti alterum decretum, malè infertur, quod primum intentivum ſufficiat, & non requiratur aliud decretum; cùm autem ita ſe habuerit illud decretum intentivum, ipſiſſima ejusdem decreti tendentia arguit, quòd non ſit ſufficiens illud tantùm decretum ad totam ſeriem à nobis expoſitam, licèt permittamus tendentiam decreti, quaſi conditionalis ab Adverſariis intentam; quòd autem ita ſe habuerit illud decretum intentivum, conſtat ex eo, quòd ratione ſui non habuerit connexionem cum Chriſti meritis; aliter cùm eſſet inevitabile ab anima Chriſti, non potuiſſet manere libera ad merendum, & non merendum; idcirco

circo illud decretum intentivum erat decretum de eliciendo decreto, quo Deus efficaciter amaret Christi merita à passione dependentia, si ea ponerentur ex talibus meritis efficaciter vellet ea omnia, quæ propter ipsa efficaciter voluit secundùm ordinem à nobis expositum; decreta enim Dei efficacia, quæ absolutè vocantur efficacia in hac providentia non tantùm sunt efficacia extrinsecè, qualis esset efficacia illius decreti, quasi conditionati adimpleta conditione, sed sunt efficacia intrinsecè, ut plura ex illis subsequantur scientiam mediam, cum qua connectuntur, ac proinde sunt virtualiter distincta.

850. Quod autem plura sint in Deo decreta, non tantùm extrinsecè, sed intrinsecè efficacia, est certa Theologorum sententia cum Augustino, & Thoma juxta illud Apostoli ad Ephesios 1. *Qui prædestinavit vos in adoptionem filiorum per JESUM Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ;* quod quidem propositum explicatur à Patribus & Theologis de decreto intrinsecè efficaci impotente ex suis intrinsecis esse sine objecto, & conditione, quam respicit; quod etiam indicavit sanctus Leo Papa serm. 2. de nativitate, ubi ait: *Opus fuit dilectissimi secreti dispensatione Concilij, ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non potest sua benignitate privari, primam pietatis suæ dispensationem Sacramenta occultatione compleret, & homo Diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam contra DEI propositum non periret*, & serm. 7. de passione: *neque ulla poterat ratione turbari, quod ante æterna sæcula, & misericorditer erat dispositum, & incommunicabiliter præfinitum;* decretum autem intentivum potest ex intrinsecis suis esse absque conditione, sub qua decrevit impassibilitatem Christo, & Adamo & absque peccato Adami, sub quo decrevit redemptionem reparativam; quod idem est de aliis decretis allatis à num. 827. & hæc decreta sunt reipsa virtualiter distincta: videatur Exim. Doctor in opusculis lib. 3. deauxiliis divinæ gratiæ c. 17.

851. Opportunè quæres pro coronide tandem, quid respondendum sit ad aliquas auctoritates Div. Thomæ aliorúmque Patrum, quæ contra immunitarem Deiparæ militare videntur; dicendum enim est, quòd si modò viderent legem Ecclesiæ de celebrando festo Conceptionis Deiparæ, ipsísque notuissent monumenta antiquitatis de traditione Apostolica & exceptio Tridentini, nihil aliud dixissent, nisi quod nos dicimus de Immaculata Deiparæ Conceptione, ut testatur Antistius; ut jam olim sanctus Ludovicus Beltrand. tempore suo dicebat: *Omnes antiqui Patres si modò viverent, dicerent scriberéntque id quod nos sentimus de Immaculata Virginis Conceptione;* siquidem S. Thomas pro regula certissima ponit 3. part. quæst. 2. art. 1. *Ecclesiam non celebrare festum, nisi pro aliquo sancto;* ex qua infert Beatam Virginem natam esse sine peccato originali, quia videlicet Ecclesia ejus nativitatem celebrat. Quod etiam tradit 2. 2. quæst. 9. art. 1. ad 3. accepitque hanc regulam à Divo Bernardo in Epistola ad Lugdunen. Idcirco Joan à sancto Thoma nobil. Thomist. in 1. partem disput. 2. de doctrina S. Thomæ art. 2. ait: *postquam Ecclesia Romana celebrat festum Conceptionis* 853
loquendo in vi doctrinæ Div. Thomæ, oportet vice versa de his sententiis censere, & sic Div. Thomas censeret. Quod idem fateri tenebitur Cajetanus, si consequenter loquatur patrono argumenti inductus: nam cùm Div. Thomas 2. 2. quæst. 46. art. 7. ad 3. docet, *Clericus etiamsi se defendendo, interficiendo aliquem irregularis est, quamvis non intendat interficere, sed se ipsum defendere.* Cajet. ad Clem. ad hunc loc. valdè bene advertit in responsione ad 3. in eodem articulo: *considera, quod materia est juris positivi irregularitas, & novo jure in Clement. unica de homicidio statutum est, ut is, qui aliter mortem evitare non valens suum occidit invasorem irregularis non est, quæ lex, si tempore Auctoris extitisset hoc Auctori non scripsisset.*

Hæc enim responsio applicari debet inpræsenti ad quemcunque antiquum Auctorem, qui contra Deiparæ immunitatem scripserit, & dicendo, quæ lex Ecclesiæ de celebranda Virginis Conceptione si tempore Auctoris extitisset, non scripsisset hoc Author; tum etiam: quæ traditio Apostolica, & exceptio Tridentini, si tempore Auctoris ei innotuisset, non scripsisset id Author: qua una solutione facilè te expedies ab omnibus, quæ possunt ex Patribus excogitari in oppositum. Argumenta verò, quæ contendunt, Deiparam non potuisse redimi, si non incurrisset peccatum, dissolvuntur æquè facilè, dicendo non potuisse redimi redemptione reparativa, benè verò præservativa. Sic Augustinus in illud suprà Psalmum 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, in 854
disserit. *Eruisti dixit, quia liberavit a talibus peccatis, per quæ possent deduci ad tormenta inferni inferioris; quemadmodum, si medicus videat imminentem tibi ægritudinem, forte ex aliquo labore, & dicat parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis utere, nam si non feceris ægrotabis: tu si feceris, & salvus fueris; vellet dicis medico, liberâsti me ab ægritudine, non in qua jam eras, sed in qua futurus eras.* Quod etiam prævidit Cajet. & ad suorum Thomistarum instructionem scriptum reliquit cap. 2. quæst. 81. art. 3. his Verbis; *neque enim solum redemptione eget actualiter captivum, sed etiam obnoxius captivitatis, & hæc tu bene nota Thomista ne nimio Zelo, non secundùm scientiam accensus erronea dicas, quæ erronea non sunt, cum de Beatissima Virginis Conceptione disputas aut prædicas.*

* * *

DISPU-

DISPUTATIO XX.

DE INTELLECTU, ET VOLUNTATE CHRISTI DOMINI.

853. COnstat contra Monothelitas, dari in Christo Domino duas voluntates, & duas volitiones, humanam scilicet, & divinam. De divina voluntate, quæ realiter identificatur cum volitione divina, agitur in materia de voluntate Dei. Ad hunc verò tractatum spectat agere de voluntate creata Christi. Nota tamen, quod si Honorius 1. Pontifex in duabus suis Epistolis ad Sergium dixit: *unam voluntatem fatemur Domini nostri JESU Christi*; ideò hoc dixit, quia intellexit nomine unius voluntatis, habuisse Christum unum velle cum voluntate divina, hoc est semper efficaciter voluisse voluntate humana, quod DEUS efficaciter volebat voluntate divina; & qui hunc volendi ordinem servant, adhuc inter homines dicuntur esse unius voluntatis. Videatur Bernal disp. 50. per totam, ubi Honorium eruditè liberat à calumnia. Præterea Honorius nunquam dixit, unam tantùm esse voluntatem in Christo; eò enim ipsò, quòd sint duæ, verum est dicere, quòd est una, si non dicatur esse unam tantùm. Imò Severinus Binius tomo 3. Conciliorum in notis supra Concilium Romanum ait: acta synodalia sexti Concilii in his præsertim, quæ de Honorio Pontifice attestantur, Schismaticorum Græcorum impostura ubique depravata esse; unde hæc loca ab Hæreticis opposita nullam vim habere possunt. Agatho verò Papa post annum Domini 673. (hoc enim anno Pontificatum adeptus erat, Honorius verò anno 622.) ut omnem errorem Monothelitarum exterminaret, declaravit, in Christo duas esse voluntates, & duas volitiones, & ex ipso sexta generalis synodus, ut constabit à num. 851.

SECTIO I.

De intellectu, & voluntate Christi, ejúsque concordia cum voluntate divina:

854. ASsero 1. In Christo sunt duo intellectus, & duæ voluntates cum actibus, sive operationibus distinctis. Hæc Conclusio est de fide, utpote definita in 6. synodo, ut videbimus numerò sequenti, tum etiam in Concilio Florentino, & Lateranensi. Probatur facilè: in Christo Domino sunt duæ naturæ cum suis rationalibus proprietatibus, humana nempe, & divina, ac integræ quidem in ratione naturæ, ut constat à num. 608. & 641. atqui naturæ humanæ, & naturæ divinæ debentur intellectus, & voluntates distinctæ, tum etiam distinctæ intellectiones, & volitiones; ergo &c. Confirmatur 1. Anima Christi Domini intelligebat, & volebat, aliter non potuisset mereri, neque acceptare liberè præceptum Patris; sed non potest intelligere, & velle per intellectionem, aut volitionem increatam, aut per increatum intellectum, & voluntatem, ut constabit, quando agemus de scientia Beata; ergo intelligebat, & volebat per intellectum & intellectionem, & per voluntatem, & volitiones creatas, quod idem dicendum est suo modo de natura divina Christi Domini, cui debentur intellectus, & intellectio, voluntas, & volitio increatæ, cùm Deus non possit velle, & intelligere per virtutem & actus creatos, sed increatos; sed exinde apparet, quòd in Christo Domino sunt duo intellectus, & duæ voluntates cum actibus seu operationibus distinctis; ergo &c. Confirmatur 2. voluntas creata arguit intellectum creatum: sed in Christo Domino erat voluntas creata cum suis operationibus, seu actibus distincta à divina; ergo & erat intellectus creatus cum suis actibus distinctus ab intellectu divino. Probatur min. ex Matthæi 26. ubi Christus Patrem alloquens ait: *non sicut ego volo, sed sicut tu*: quibus Verbis ostenduntur voluntates, & volitiones distinctæ: ergo &c.

855. Assero 2. humana Christi voluntas nunquam fuit divinæ voluntati contraria. Probatur; quia id definitum est à 6. synodo generali actione 4. contra Monothelitas his Verbis: cum duas autem naturas, duásque naturales voluntates, & duas operationes confitemur in uno Domino nostro JESU Christo, non contrarias eas, nec adversas ad alterutrum dicimus, sicut à via veritatis errantes Apostolicam traditionem accusant: absit hæc impietas à fidelium cordibus. Confirmatur 1. ratione: si aliquando voluntas humana Christi contraria fuisset voluntati divinæ, maximè fuisset, quando Christus Passioni proximus dixit: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste; cùm aliunde haberet præceptum moriendi: sed tunc voluntas humana Christi non fuit contraria voluntati divinæ; ergo nunquam. Probatur voluntas humana Christi, qua mortem fugiebat, erat inefficax, & non absoluta, ut constat ex illis Verbis: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat; & volitio divina erat efficax; atqui volitio inefficax, & non absoluta, neque prohibita, non est contraria volitioni efficaci mortis; ergo &c. Probatur min. voluntas Dei efficax habebat hunc sensum: volo efficaciter, ut humanitas moriatur; & volitio inefficax Christi habebat istum: si possem mortem evitare sine contraventione ad voluntatem divinam, vellem non mori; & huic

adjungebat aliam mortis volitionem efficacem, *verumtamen non mea &c.* Quæ reddebat hunc sensum: volo efficaciter mori, quando divina voluntas vult, ut moriar: sed isti actus non contrariantur inter se, cùm optimè simul non solùm in distinctis subsțantiis, verùm etiam in eadem Christi Domini voluntate componantur, nec alter in alterius consortio sit prohibitus.

856. Confirmat. 2. Exemplo mercatoris, qui projicit merces in mare causâ alleviandi navigium, ut sic vitam conservet, quam alioquin certissimè amitteret; hic enim ad instar volitionum Christi duas habet simul volitiones; altera est conservandi, & retinendi merces, propter quam facit, quantum potest, ad eas conservandas, & quia nihil utilius occurrit ipsi, quàm orare DEUM, id facit quàm enixissimè potest; altera volitio est non moriendi in ea tempestate, & hæc secunda est appretiativè fortior, & absolutè efficax, & declaratur hoc modo: volo quantum in me fuerit, non mori in hac tempestate: unde prior illa volitio retinendi merces non erat absoluta, & efficax, cùm per illam non diceret; volo efficaciter merces non projicere; vult enim efficaciter illas projicere, & defacto projicit; ideóque solùm dicit: vellem eas non projicere, & licèt hæc volitio in ordine ad aliquod medium, scilicet orandi DEUM efficax sit, in ordine tamen ad non projectionem inefficax est, nec in illis volitionibus reperitur illa contrarietas, nec repugnantia, ne simul sint in eadem mercatoris voluntate, cùm altera in alterius consortio non sit prohibita; ergo neque sunt contrariæ, licèt reperiantur in diversis voluntatibus, nempe in divina, & humana. Confirmatur 3. Illa secunda mercatoris volitio erat ista: volo non mori in hac tempestate, altera: volo projicere merces, ne moriar, vellem non projicere, sed evadere absque illarum projectione; quæ quidem volitiones contrariæ non sunt, neque in linea physica, neque in linea morali, cùm altera in alterius consortio non prohibeatur; unde absque ulla repugnantia reperiuntur in eadem voluntate; sed similes fuerunt illæ volitiones in Christo, ut constat ex numero superiori; ergo &c. & ex hoc manet solutum argumentum Adversariorum, quod contra hanc doctrinam ipsi objicere conantur.

857. Assero 3. Neque de potentia absoluta voluntas humana Christi potuit aliquid efficaciter velle contra efficacem voluntatem divinam. Omissis variis discurrendi modis apud Cardinalem de Lugo disput. 2. Probatur facilè conclusio: quia quidquid DEUS vult circa Christum, pertinet ad statum Christi, ac proinde cognoscitur à Christo: atqui Christus cognoscens aliquid esse juxta efficacem, & omnino absolutam voluntatem Dei, non potest contra illud ire; ergo &c. Confirmatur: vel Christus cognosceret esse contrarium absolutæ Dei voluntati suum actum, vel non? si primum; ergo peccabat, quod impium est: si secundum; ergo nullo modo potest humana voluntas Christi contraria esse divinæ. Quomodo autem esset liber, si non posset operari contra id, quod Deus absolute vellet? infra constabit.

Objicies 1. contra primam assertionem: voluntas est domina sui actûs: sed in Christo non poterat voluntas creata esse domina sui actûs, eò quòd teneretur sequi nutum, & motum voluntatis divinæ: ergo non fuit in Christo voluntas creata, ac proinde neque intellectus creatus. Confirmatur. Honorius I. dixit, esse in Christo unam voluntatem: ergo non sunt duæ. Respondeo dist. maj. est domina sui actûs relatè ad actum liberum, conc. ad actum necessarium, nego maj. & distincta min. nego consequentiam; quia relatè ad actum liberum poterat Christus agere unum ex duobus contradictoriis, quin contraveniret voluntati DEI, utrumque relinquenti Christi beneplacito. Ad Confirm. dist. ant. esse unam voluntatem tantùm, nego, esse reverâ unam sine exclusione alterius, quamvis non habeant difformitatem in volendo, conc. antec. & nego consequentiam; quia dicere in hoc sensu, quòd est in Christo una voluntas, non est excludere alteram, sed tantùm excluditur difformitas inter unam, & alteram. Quare autem Verbum non possit supplere in humanitate rationem intellectûs creati, aut creatæ voluntatis, diximus suprà, quia nempe humanitas intelligit sua intellectione, & vult sua volitione; & non potest intelligere, & velle intellectione, & volitione increata, sed creata, ac proinde forma humanitatis non solùm perficit, sed etiam perficitur, & est pars, quod Verbo repugnat. Videantur Divus Thomas num. 589. & plura Scripturæ testimonia à num. 246.

Objicies 2. contra secundam assertionem: Marci 7. dicitur: *Christum aliquando voluisse latere, & non potuisse*; unde sic formatur argumentum: hæc Christi voluntas, qua latere voluit, & non potuit, fuit humana; ergo fuit contraria voluntati divinæ. Probatur conseq. Ex eo, quòd Christus latere non potuerit, legitimè infertur, quòd DEUS habebat voluntatem efficacem, ne Christus lateret, ergo si DEO nolente humana Christi voluntas latere voluit, fuit contraria divinæ voluntati. Respondent aliqui, humanam voluntatem Christi non fuisse divinæ contrariam, quia Deus habebat duas volitiones, unam efficacem, qua volebat Christum non latere, & alteram inefficacem, qua volebat latere adhibitis mediis naturalibus; & Christum habuisse etiam alias duas similes volitiones, alteram, qua latere noluit efficaciter, & alteram, qua voluit inefficaciter adhibitis mediis naturalibus, quibus positis latere non potuit; unde voluntas humana Christi omnino fuit divinæ conformis. Cæterùm hæc responsio non placet, quia ex illo Marci testimonio probat Agatho Papa, dari in Christo duas voluntates: atqui si in DEO fuisset

fuisset actus inefficax, quo nollet Christum latere, & actus efficax, quo vellet latere, non posset probari, dari duas voluntates in Christo: ergo non habuit DEUS illum actum inefficacem simul cum efficaci. Quare

860. Respondeo, DEUM voluisse efficaciter, Christum non latere, & Christum voluisse etiam efficaciter non latere, & rursus voluisse etiam inefficaciter latere, ad quod applicuit media naturalia, quæ in illis circumstantiis se se offerebant; ex quo optimè probatur, dari duas voluntates in Christo, quia Christus applicans media, quæ potentiæ naturali se se offerebant in illis circumstantiis, non potuit latere, ac proinde hæc non erat voluntas divina, quia hæc applicando media, quæ DEUS in illis circumstantiis cognoscebat, & applicare poterat, finem suum consequeretur, & Christus potuisset latere; ideóque illa voluntas Christi fuit humana; sed quia fuit inefficax, & illa inefficax volitio non erat à DEO prohibita, non fuit contraria divinæ voluntati efficaci, ut constat à num. 855. Hinc fit, voluntatem humanam efficacem, & absolutam Christi semper adimpletã fuisse ex speciali Dei providentia ex directione saltem scientiæ mediæ regulata; voluntas verò inefficax Christi non semper fuit impleta, ut ex dictis constat, neque hoc est absurdum; nam neque volitio divina inefficax consequitur omnes suos effectus particulares, ut patet in ista: volo omnes homines salvos fieri.

861. Objicies 3. contra tertiam assertionem: si voluntas creata Christi non posset esse de potentia absoluta divinæ voluntati contraria, non fuisset libera in Christo, ex Augustino definiente liberum arbitrium, esse potestatem eligendi bonum, & malum; atqui fuit libera in Christo: ergo &c. Respondeo nego maj. quia posse eligere bonum, & malum, est proprium liberi arbitrii potentis peccare, & in hoc sensu loquitur Augustinus: id autem non convenit libero arbitrio impotenti peccare; quale erat liberum Christi arbitrium, & patet etiam in Deo, qui liber est, & peccare non potest: sed de his statim.

SECTIO II.

De Impeccabilitate Christi Domini.

862. ASsero 1. Voluntas humana Christi peccare non potuit in sensu composito unionis hypostaticæ. Probatur 1. ratione nostra fundamentali: neque anima, neque voluntas, neque Christi humanitas est proximè potens operari, nisi completa sit subsistentiâ, qua subsistat, & ultimò compleatur in linea substantiali, ut sit proximè expedita ad agendum, ut constat à num. 592. ideóque actiones naturæ incompletæ sunt actiones naturæ subsistentis vel in alio, vel per partialem suam subsistentiam, & actiones naturæ completæ sunt actiones suppositorum, ut constat à num. 602. unde cùm anima, voluntas, & humanitas Christi nullam unquam aliam subsistentiam neque in ictu oculi habuerint, nisi subsistentiam Verbi, ut constat ex sexta Synodo generali citata num. 696. nunquam fuit proximè potens elicere actionem aliquam, quæ non esset actio divini Verbi; atqui essentialiter repugnat peccatum Verbo divino, cùm DEUS sit essentialiter impeccabilis: ergo humana Christi voluntas peccare non potuit in sensu composito unionis hypostaticæ. Confirmatur 1. Si posset peccare, vel id esset præscindendo à complemento habito per Verbi subsistentiam, vel non præscindendo: sed nullo modo peccare potest; nam si præscindatur à subsistentia, eo ipso præscinditur à virture proximè operativa; si non præscindatur, eo ipso actio illa erit actio Dei, Deóque imputata, ac proinde non poterit esse peccaminosa; ergo &c. 863.

Probatur 2. ex aliorum principiis: vel peccaret de potentia ordinaria, vel absoluta: sed nullo modo potest: ergo &c. Min. quoad primam partem est certa apud ferè omnes, quia humanitas propter unionem hypostaticam perfectiùs sanctificatur à sanctitate divina, vel à gratia habituali intensissima, quàm sanctificentur puri homines à gratia habituali: sed in puris hominibus nequit gratia naturaliter conjungi cum peccato: ergo neque humanitas Christi in sensu composito unionis hypostaticæ: quoad secundam partem probatur: Persona divina nequit habere peccatum: sed si humanitas Christi in sensu composito unionis hypostaticæ haberet peccatum, personæ divinæ attribueretur peccatum; ergo &. Probatur min. ratione communicationis idiomatum: si humanitas patitur, tota persona divina dicitur pati; ergo si humanitas peccaret, tota persona divina diceretur peccare.

Assero 2. Humanitas Christi peccare non 864.
potuit destruendo unionem hypostaticam per peccatum. Probatur 1. Si humanitas Christi unita Verbo peccaret, licèt per peccatum destrueretur unio, DEUS etiam peccaret, ut constat à num. 862. sed DEUS peccare non potest; ergo nec humanitas Christi unita Verbo, esto per peccatum destruenda foret unio. Confirmatur. Specialiùs attinet ad Verbum cura, & regimen humanitatis subsistentis in ipso, quàm ad Dominum cura servi, ad maritum cura, & regimen uxoris, ad Patrem cura, & regimen filii; cùm humanitas Christi non aliter fuerit proximè operativa, nisi ut subsistens in supposito divino, quod in creatis dici non potest de filio respectu patris, de uxore respectu mariti, nec de servo respectu Domini: sed peccata, quæ ob defectum curæ, & regiminis committunt servi, uxores, & filii, imputantur Domino, marito, & patri: ergo peccata, quæ committeret humanitas Christi, imputarentur DEO. Confirmatur 2. Licèt per peccatum

tum v. g. intemperantiæ filius desineret esse filius, si ob negligentiam paternæ curæ filius committeret tale peccatum, quo desineret esse filius, illud peccatum filii etiam imputaretur Patri; ergo licèt per peccatum v. g. intemperantiæ humanitas Christi amitteret unionem cum Verbo, illud peccatum imputaretur etiam Verbo.

865. Probatur 2. Ab aliis: non repugnat gratia Dei, qua humanitas ita reddatur impeccabilis, ut non possit committere peccatum, quo gratiam illam amittat: sed nulla gratia Dei potest sanctificare humanitatem perfectiùs, quàm ipsa sanctitas divina: ergo media unione hypostatica, ita sanctificatur humanitas Christi à sanctitate divina, ut non possit committere peccatum, quo divinam sanctitatem, & unionem hypostaticam amittat: maj. certa apparet, sin autem, assignent Adversarii repugnantiam, quare Deus non habeat potentiam, ut id efficiat. Min. verò probatur; sanctitas increata Dei, utpote simpliciter infinita continet eminenter omnem rationem, & perfectionem sanctitatis possibilis; ergo & continet perfectionem illius gratiæ, qua redderetur humanitas ita impeccabilis: atqui humanitas Christi media unione hypostatica sanctificatur à sanctitate increata; ergo etiam redditur ab illa impeccabilis, ut non possit committere peccatum, quo unionem hypostaticam, & sanctitatem illam amittat.

866. Objicies 1. Contra primam Assertionem: humanitas Christi ex præcisa unione cum Verbo non est perfectior, quàm sine illa: sed sine illa posset naturaliter peccare; ergo & cum illa. Confirmatur: licèt subsistentia Verbi sit immortalis, non reddit humanitatem immortalem; ergo licèt sit impeccabilis, non reddit humanitatem impeccabilem. Respondeo retorqueo argumentum: humanitas non est perfectior cum illa unione, qua sine illa: atqui sine illa non habebat jus ad gloriam; ergo nec cum illa. Deinde dist. maj. non est perfectior perfectione habita per identitatem conc. perfectione habita per substantialem unionem nego maj. & concessa min. nego conseq. Ad Confirmat. retorqueo argumentum; licèt subsistentia sit immortalis, non reddit humanitatem immortalem; ergo licèt sit subsistentia, non reddit humanitatem subsistentem. Resp. deinde nego conseq. quia impeccabilitas provenit ab illa perfectione, ratione cujus actiones humanitatis sunt actiones DEI, ac proinde non possunt esse peccaminosæ; cúmque hoc sit munus subsistentiæ, ea de causa ratione divinæ subsistentiæ manet humanitas impeccabilis, non tamen exinde manet immortalis, quia mortalitas in natura assumpta non repugnat DEO, cùm non sit malum morale, sed purè physicum; unde potest DEUS in natura assumpta velle efficaciter mortem, & non potest velle efficaciter peccatum: velle quippe efficaciter mortem in natura assumpta est exercitium dominii, quod Deo non repugnat; velle autem efficaciter peccatum est exercitium iniquitatis; quod repugnat Deo. Præterea attributum divinæ sanctitatis non est purè determinativum ad intra, ac proinde potest denominare humanitatem sanctam, & impeccabiliem; at verò attributum divinum immortalitatis est prædicatum purè determinativum ad intra; ac proinde non potest denominare humanitatem, ut fusè dicemus disputatione sequenti.

Objicies 2. Contra secundam assertionem: tota repugnantia, quæ datur in Christo Domino ad peccandum, est, ne sanctitas divina conjungatur cum peccato: sed si per peccatum humanitatis destrueretur unio hypostatica, non conjungeretur cum peccato; ergo de potentia absoluta potest humanitas peccare destruendo unionem hypostaticam. Resp. 1. nego min. quia si humanitas peccaret, sanctitas divina non contineret omnem perfectionem, & rationem formalem sanctitatis, nec sanctificaret eminenter humanitatem, & quantum humanitas sanctificari posset. Cæterùm, ne contendamus de voce, respondeo 2. dist. maj. ne conjungatur cum peccato in humanitate, cum qua maneret unita ne: cum peccato, quod Deo imputaretur ratione peccantis humanitatis, conc. maj. & dist. min. nego conseq. quia licèt supponamus, in eo casu destruendam unionem hypostaticam, ac proinde Deum non mansurum unitum humanitati eo peccato infectæ; attamen manente illa sine unione, maneret Deus cum peccato, quod ipsi imputaretur propter peccatum illius humanitatis, cujus Deus specialem curam gerebat, & in quo humanitas subsistebat; unde cùm actiones sint suppositorum, illud peccatum humanitatis esset peccatum Dei. Ex dictis

Fit 1. Humanitatem Christi solùm habere potentiam remotam ad peccandum, non autem proximam. Fit 2. Humanitatem peccatoris in instanti, in quo remitteretur peccatum, manere assumptibilem à Verbo, quia tunc Verbum non fuisset specialis causa peccati, ante unionem ab illa humanitate comissi; nec in illa assumptione reperitur indecentia, sed potiùs summa Dei misericordia. Fit 3. Humanitatem peccatoris non posse assumi retento peccato. Ratio est primò, quia sanctitas divina est essentialiter incomponibilis cum peccato in eodem supposito. Secundò, quia DEUS in instanti assumptionis esset specialis causa conservativa illius peccati contra suæ sanctitatis exigentiam, & contra curam, & regimen illius humanitatis, quam in eo instanti assumptionis jam haberet substantialiter unitam sibi secundùm substantiam, ac proinde tum peccatum imputaretur ipsi DEO.

* * *

SECTIO

SECTIO III.

De concordia libertatis Christi cum ejus impeccabilitate.

869. HÆc est præcipua hujus disputationis difficultas. Ratio dubitandi est, quia Christus non potuit habere libertatem contrarietatis in ordine ad ponendam actionem bonam, vel malam: unde solùm potest illi concedi libertas contradictionis ad ponendam actionem bonam, vel ad illam non ponendam: atqui in observandis præceptis Dei adhuc non potuit habere istam libertatem cum sui impeccabilitate; siquidem Christus fuit impeccabilis per naturam; ergo nullam habuit libertatem. Probatur min. posito præcepto divino moriendi, Christus non potuit non mori; ergo nec potuit habere libertatem contradictionis. Ant. prob. si Christus non moreretur, peccaret transgrediendo præceptum Dei: sed non potuit peccare; ergo non potuit non mori. Hæc est tota difficultas, pro qua solvenda variæ sunt Authorum sententiæ.

870. Respondent 1. Aliqui Thomistæ, Christum fuisse liberum, quia poterat non mori in sensu diviso præcepti, si nempe, ut ipsi se explicant, Deus illum divideret à præcepto; licèt in sensu composito præcepti non posset non mori. Contrà tamen; præceptum moriendi in sententia Thomistarum omnino independens erat à voluntate Christi, non minùs, quàm physica præmotio, & illo posito ita necessariò mors ponenda erat, ut si non poneretur, nec Christus esset Christus, nec DEUS esset Deus; ergo posito illo præcepto Christus nullam libertatem habuit proximam ad non moriendum. Probatur conseq. in primis per vos non habuit libertatem in sensu composito præcepti, deinde neque in sensu diviso; ergo nullam. Probatur 2. pars antec. ut haberet libertatem proximam in sensu diviso, requirebatur, quòd Christus posset pro libito suo se dividere à præcepto; sicut ego, quando sedeo, sum liber ad ambulandum, quia pro libito meo possum me dividere à sessione; sed Christus per vos non poterat pro libito suo se dividere à præcepto, utpote omnino independente à voluntate Christi; ergo posito præcepto moriendi non habuit Christus libertatem proximam in sensu diviso ad non moriendum.

871. Respondent alii 2. Christum fuisse liberum, quia unio hypostatica, non immutabat in Christi Domini humanitate naturalem modum operandi, & exinde absque læsione libertatis præceptum illud fuisse impositum ex directione scientiæ mediæ; cùm enim illa humanitas, si non haberet unionem hypostaticam, esset libera ad adimplendum vel non adimplendum præceptum; ita etiam erat libera, posita unione hypostatica. Contrà tamen: unio hypostatica immutat in Christo Domino intrinsecum modum operandi proximum; ergo non potuit hoc modo retinere libertatem; Probatur conseq. licèt humanitas sine unione hypostatica, & cum propria subsistentia esset proximè libera, & expedita ad actum peccaminosum, atcum unione hypostatica non esset proximè libera, & expedita ad actum peccaminosum, cùm essentialiter reddat Christum impeccabilem, ut constat à num. 863. Confirmatur 1. licèt humanitas Christi, si non haberet unionem hypostaticam, posset transgredi præceptum committendo peccatum; at id non potest in consortio unionis; ergo in humanitate Christi in ordine ad peccandum ratione unionis hypostaticæ immutatur intrinsecus, & proximus modus operandi. Confirmatur 2. hypothesis scientiæ mediæ est proximè expedita, & indifferens ad utrumque; atqui humanitas Christi nunquam prævisa est proximè expedita, & indifferens ad peccatum, & carentiam peccati, ut constat à num. 862. ergo non potuit ex parte hypothesis scientiæ mediæ prævideri expedita ad peccandum, neque ex eo titulo potuit imponi præceptum ex directione scientiæ mediæ.

872. Respondent alii 3. Adhuc posito præcepto fuisse Christum liberum, quia potuit liberè acceptare mortem in ordine ad istud vel illud motivum, pro hoc, vel alio tempore, licèt absolutè non posset Passionem, Crucem, & mortem evadere. Contrà tamen: si Christus solùm fuisset liber, quatenus poterat mortem acceptare ex hoc vel illo motivo, hoc, vel illo tempore, solùm fuisset liber quoad circumstantias mortis: atqui Christus non solùm fuit liber quoad circumstantias, sed etiam quoad substantiam mortis per passionem, & crucem, ut constat ex pluribus Scripturæ locis, præsertim ad Philipenses 2. *factus est pro nobis obediens usque ad mortem*; Isaiæ 3. *oblatus est, quia ipse voluit*: & Joannis 10. *nemo tollet animam meam à me, sed ego ponam eam à me ipso*; in quibus insinuatur obedientia, & libertas quoad substantiam mortis per passionem, & crucem; quod non ita contingit in Martyribus, qui liberè subeunt Martyrium; nam ad tale Martyrium non requiritur, quòd possint absolutè fugere mortem; sunt enim mortales, & aliquando morituri sunt, quamvis Martyrium non subirent; unde sat illis est, quod ex motivo, & propter motivum Religionis occidantur, illique mortem ex tali motivo libenter pro Christo acceptent; jmò Martyrium potest esse absque libertate, ut patet in parvulis: Christus autem quoad substantiam mortis fuit liber, ut ex allatis testimoniis constat; ergo &c.

873. Respondent alii 4. Christum fuisse liberum posito præcepto, quia præceptum illud non fuit strictum, sed latum; cùm non obligaret Christum sub præcepto adhuc leviſſimo, vel imperfectione morali; unde potuit absolutè non mori. Contrà tamen 1. Christus Dominus

nus volendo mortem fuit verè, & propriè obediens, ut constat ex Paulo ad Philippenses 2. *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quod repetit ad Romanos 5. & testantur omnes Scripturæ; unde Bernardus ait: Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam; atqui vera, & propria obedientia præsupponit verum & proprium præceptum, obligans quidem vel sub gravi, vel sub levi, vel saltem sub imperfectione morali; ergo &c. Prob. min. objectum obedientiæ est conformitas cum voluntate superioris, ut à non superiori distinguitur; atqui superior solùm differt à non superiore in voluntate obligante, quæ propriè præceptum est; velle enim & consulere fieri potest ab æquali, cujus etiam voluntati, & consilio potest alter ipsi æqualis conformari: idcirco obedientia est vera submissio debita in linea morali, ita, ut transgressio sit vera inobedientia, & peccatum, si præceptum obliget sub culpa gravi, vel levi, aut saltem erit moralis imperfectio, si præceptum obliget tantùm sub pœna, ut obligare solent constitutiones, & Regulæ aliquarum Religionum; siquidem in linea morali non est alia obligatio, nisi vel sub culpa, vel sub pœna, id est vel peccato, vel sub imperfectione morali; ergo &c. Quare cùm aliqui Patres, ut Chrysostomus, Cyrillus, Anselmus, & alii dicunt, Patrem consuluisse Christi mortem, non exinde negant præceptum, sed addunt, illud consilium habitum fuisse à Christo loco præcepti, quia habitum est, ut revera erat continens vim præcepti; eò enim ipsò, quòd sit præceptum, est etiam consilium, licèt non è contra; sicut eò ipsò, quòd aliquis est homo, est animal, licèt aliàs possit esse animal, quin sit homo, ut patet in Leone; cùm enim Patres omnes agnoscant in Christo rigorosam obedientiam, agnoscunt etiam rigorosum præceptum; unde nulla tenet paritas ad intensissimam amicitiam, ad quam in linea morali non obligamur; ideóque, qui eam non habet, non exinde est inimicus; id enim dici non potest de obedientia, quia cùm ad ipsam obligemur, necesse est, ut ejus omissio in sensu composito præcepti sit inobedientia.

874. Contrà 2. Præcepta absolutis verbis imposita sunt præcepta rigorosa, ac proinde obligantia sub peccato, vel saltem sub imperfectione morali; præceptum enim constringit subditum in linea morali, quod fieri nequit, nisi constringatur sub culpa vel pœna; unde erit inobediens, qui in sensu composito præcepti rem præceptam omittit, vel præceptum transgreditur: sed tale fuit præceptum Christo impositum; ergo &c. Min. patet ex loco citato ad Philipp. 2. tum & Joannis 10. *Hoc mandatum dedit mihi Pater*, & 11. *sicut & ego Patris mei præcepta servavi*; & ad Romanos 1. *per unius obedientiam justi constituuntur multi.* Maj. verò probatur: præceptum in eo distinguitur à consilio purè tali, quòd consilium præcisè docet rem meliorem, ut is, qui docetur, si velit, illam sine obligatione faciendi faciat; at verò præceptum rem proponit, ut superior consequatur rem fieri ab illo, cui præcipit; ergo &c.

Respondeo igitur, Christum adhuc posito præcepto fuisse liberum, quia erat liber ad acceptandum præceptum, ut censent Cabrera, Prudentius, & alii, vel si mavis, ad petendam, & obtinendam dispensationem præcepti, ut docent plures cum Card. de Lugo disp. 61. sect. 8. Quare Christus Dominus erat absolutè liber, ut moreretur, vel non, sine transgressione præcepti; illud enim decretum, quo Deus decrevit mortem Christi, servavit ordinem, quem communiter servant omnia decreta, nempe obligandi, dum non revocentur; hæc enim conditio non est necesse, quòd exprimatur per decretum, cùm jam includatur in ipso decreto, & decretum non reflectat supra indispensabilitatem, ut optimè notat Emin. de Lugo loco supra citato, ubi fatetur, hanc doctrinam se didicisse ab Eximio Doctore. 87

Cæterùm: ut doctrina ista in ipso fonte clarior appareat, en verba Eximii Doctoris lib. 9. de legibus cap. 9. Quòd si pro illo tempore dispensari potest ab ipso Deo, ideò est, quia decretum constituendi legem pro aliquo tempore non includit decretum non dispensandi in illa; nam si fingamus, cum hac reflexione esse positam, consequenter esset lex talis pro tali tempore, & in sensu composito indispensabilis, & cum proportione posset fingi omnino immutabilis; secluſa autem tali suppositione, & quasi reflexione, ac simpliciter loquendo lex etiam divina mutabilis esse potest, ac revocari, unde fit, quòd si DEUS in instanti A imposuisset præceptum, ut Christus moreretur in eodem instanti, illud decretum non esset revocabile, cum in eodem instanti non possit simul dari, & non dari, decretum obligans; solùm ergo fuit impositum præceptum Christo Domino obligans illum ad moriendum pro aliquo tempore, quandiu non revocaretur.

Probatur assertio nostra quoad primam partem, nempe Christum fuisse liberum ad acceptandum præceptum de morte subeunda, & hanc libertatem satis ipsi fuisse, ut liberè moreretur; nam illud præceptum earenus fuit Christo impositum, quatenus est fidejussor noster, Redemptórque reparativus, & passibilis, & pro hoc casu Pater voluit, & præcepit, ut Christi merita consummarentur ipsius passione, ac morte; neque aliter Christus erat obligatus ad moriendum, vel redimendum nos, ut constat à num. 480. atqui Christus Dominus fuit plenè liber ad acceptandum pactum fidejussoris nostri, ac proinde ad acceptandum præceptum inclusum in eo pacto, ut constat à n. 474. & num. 489. ergo eadem libertate qua 879.
poterat Christus non acceptare pactum, po-
terat

terat non acceptare præceptum, & mortem, ac proinde erat liber ad non moriendum. Confirmatur 1. Ex eo, quòd creatura ſit libera ad impediendam prædefinitionem, eſt quoque libera ad actum prædefinitum: ergo ex eo, quòd Chriſtus fuerit liber ad non acceptandum præceptum de morte ſubeunda, erat quoque liber ad mortem præceptam. Confirmatur 2. Quia, ut colligitur ex Angelico 3. parte quæſt. 10. artic. 6. in corp. & ad 2. *Chriſtus in inſtanti mortis ſuæ non meruit; ſiquidem ſtatus viæ ſumptus pro conjunctione animæ ad corpus paſſibile eſt conditio neceſſaria ex divina ordinatione poſt ſignum naturæ lapſæ ad merendum ſibi, & aliis, quæ quidem conditio unionis animæ ad corpus paſſibile non datur in inſtanti mortis, in quo datur ſeparatio; unde relatè ad mortem, ad vulnus lateris, & alia ſubſequentia mortem, eatenus meruit Chriſtus, quatenus ut viator, & caput merendi ea liberè acceptavit*: ergo &c.

878. Probatur jam eadem aſſertio quoad ſecundam partem: ſi enim præceptum moriendi Chriſto impoſitum, eſſet diſpenſabile, & Chriſtus haberet facultatem ad petendam, & obtinendam diſpenſationem præcepti, adhuc manebat in Chriſto libertas conſequens præceptum obligans, qua poterat ſe expedire, & divedere à præcepto, & non mori: ſed illud præceptum tale fuit defactò; ergo &c. Probatur min. quia id indicavit Chriſtus Matthæi 26. corrigens ignorantiam Petri, qui videbatur ſentire, Chriſtum non potuiſſe evitare Paſſionem, & Crucem ſibi deſtinatam; ſic enim ait Chriſtus ad Petrum: *an putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum*; docuit enim Chriſtus per hæc verba, poſſe ſe poſt impoſitum præceptum impedire Paſſionem, & mortem, ac proinde quidquid ad hoc opus eſſet; ergo poterat petere, & impetrare ablationem præcepti; ſiquidem ſtante præcepto non poterat impetrare ejus violationem; & hìc clarè loquitur Chriſtus de poteſtate humanitatis, cùm dicat, ſe poſſe impedire rogando Patrem, quod non divinitati, ſed humanitati competit; atque in hoc ſenſu dixit Chriſtus Joannis 10. *nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo*; in eodem ſenſu accipitur illud Iſaiæ 53. *oblatus eſt, quia ipſe voluit*; hæc enim expoſitio, cùm valde conſentanea ſit his Scripturæ teſtimoniis, & in Chriſti laudem redundet, non eſt, cur Chriſto denegetur, ex dictis num. 819. ergo &c. Ex quo apparet, Chriſtum Dominum non uno tantùm, ſed duplici titulo fuiſſe liberum ad mortem præceptam.

SECTIO IV.

Solvuntur Oppoſita.

879. OBjicies 1. ex Gonnet contra primam partem aſſertionis: obedientia Chriſti fuit perfectiſſima: ſed perfectior eſt obedientia, quo præceptum minùs pendet à ſubditi voluntate; ergo Chriſtus non fuit liber ad acceptandum, vel non acceptandum præceptum. Confirmatur 1. Charitas DEI erga homines ex eo maximè commendatur ad Romanos 8. *quia proprio Filio ſuo non pepercit, ſed tradidit illum pro nobis omnibus*: ſed ſi Chriſtus fuiſſet liber ad acceptandum præceptum, non ita commendaretur charitas Dei, ſed potiùs Chriſti, qui ſibi ipſi non pepercit, ſed potiùs acceptavit præceptum: ergo &c. Confirmatur 2. Chriſtus non fuit liber in obſervatione præceptorum naturalium ex libertate ad ea non acceptanda; ergo neque fuit ita liber in morte ſubeunda. Reſpondeo conc. maj. & nego min. quia perfectio obedientiæ non ſtat in eo, quòd præceptum pendeat, vel non pendeat quantùm ad acceptationem, à voluntate ſubditi, ſed in eo, quòd ſubditus, dum eſt præceptò ligatus, ſe conformet perfectiſſimè cum voluntate ſuperioris; cúmque Chriſtus perfectiſſimè ſe conformaverit, exercuit procul dubio perfectiſſimè obedientiam. Sic fuit perfectiſſimè Redemptor, licèt dependerit à Chriſti Domini voluntate mereri nobis, vel non mereri redemptionem.

Ad primam Confirmationem conc. maj. & 880.
nego min. ſi enim Adverſarius dubitare non poteſt, imò ut Catholicus concedere tenetur, quòd charitas Dei non impedivit charitatem Chriſti erga nos, verum erit dicere, & quòd DEUS Filio ſuo non pepercerit, & quòd Chriſtus ſibi ipſi non pepercerit ex dilectione, & charitate erga nos: & utrumque perſpicuè apparet juxta noſtram ſententiam, quod non ita facilè poterunt explicare Adverſarii juxta eorum principia, aut in quo ſenſu, prout ad præſens attinet, verificetur de Chriſto Domino illud Pauli ad Hebræos 12. *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contempta*, ut dicemus n. 885. Ad ſecundam Confirmationem retorqueo argumentum: DEUS non erat liber ad diſpenſandum in præceptis naturalibus; ergo neque in præcepto ſubeundi mortem. Reſp. deinde nego conſequentiam; quia, cùm præcepta naturalia non ſint diſpenſabilia, libertas Chriſti in eorum adimpletione non pendebat à poteſtate obtinendi diſpenſationem; quia tamen poterant adimpleri ex hoc, vel illo motivo, majori, vel minori intenſione, erat Chriſtus Dominus liber ad ea hoc, vel illo modo adimplenda; at præcepta poſitiva, quale eſt hoc præceptum moriendi Chriſto impoſitum, ſunt à DEO liberè diſpenſabilia, ideóque non repugnat Chriſto Domino poteſtas, & facultas ad obtinendam eorum diſpenſationem; imò potiùs, cùm hoc ſit congruum, & conſentaneum Scripturis à nobis ſuperiùs adductis, non eſt, cur denegari debeat Chriſto Domino facultas ad acceptandum tale præceptum; unde dici oportet vi hujus maximæ prærogativæ, & excellentiæ, fuiſſe Chriſtum liberum ad ſubeundam mortem præceptam.

Obji-

881. Objicies 2. contra secundam partem assertionis: ex hac nostra doctrina sequitur, Christum non meruisse per voluntatem adimplendi præceptum, sed per voluntatem non petendi dispensationem; ergo non est tenenda. Respondeo, nego antec. quia Christus eatenus non vult dispensationem, quatenus vult formaliter mortem præceptam; licèt enim posset formaliter nolle dispensationem, quin vellet formaliter mortem, ut contendunt aliqui, nihilominus tamen potest etiam eodem actu velle mortem, & nolle dispensationem præcepti; sicut licèt unus actus possit esse apprehensio unius objecti, quin sit judicium, potest nihilominus esse formaliter apprehensio respectu unius, & judicium respectu alterius. Quare idem etiam actus potest formaliter esse volitio respectu mortis, & nolitio respectu dispensationis; secundò, quia illud est quoad substantiam liberum, quod potest poni, vel non poni pro libito agentis. Cùm autem & dispensatio præcepti, & mors possint absolutè poni, vel non poni pro libito Christi, utraque fuit quoad substantiam libera Christo.

882. Objicies 3. instando solutionem: in instanti, in quo Christus peteret dispensationem, supponeretur pro priori naturæ præceptum: sed præsuppositio sic præcepto non poterat impetrari dispensatio; ergo Christus in nullo instanti fuit liber ad impetrandam dispensationem. Confirmatur 1. Si Christus obediisset in ultimo instanti, non potuisset consequi dispensationem præcepti; ergo juxta nostram responsionem non fuisset liber. Confirmatur 2. In præceptis naturalibus, v. g. non mentiendi non poterat dari dispensatio; ergo Christus non fuisset liber in ipsorum observatione. Respondeo nego maj. quia pro priori naturæ supponebatur DEUS potens dispensare, & Christus potens petere dispensationem, & impetrare, vel non petere, & sic non impetrare, sicut evenit in legibus humanis, ac proinde, licèt in instanti A fuisset præceptum, in instanti B potuisset esse dispensatio, qua posita jam Christus maneret liber ab obligatione moriendi.

883. Ad primam confirmationem nego antec. quia si in ultimo instanti pro signo priori illi instantis Christus impetrâsset dispensationem, non manebat in illo instanti præceptum obligans, ac proinde in illo ultimo instanti Christus liberè omnino mortuus fuisset. Ad secundam Confirmationem dist. conseq. non fuisset liber in ipsorum observatione quoad substantiam, conc. quoad circumstantias intentionis, motivi, intensionis &c. nego consequentiam, ut constat à num. 880. unde magis liber fuit in impletione præcepti moriendi; quia cum meruerit moriendo, vel acceptando mortem, liberè etiam quoad ipsam substantiam mortis, ut constat ex dictis, fuit liber non solùm quoad circumstantias, sed etiam quoad substantiam ipsam mortis. Idémque esto de aliis similibus præceptis.

Objicies 4. Christus, ut nos fatemur, quoad præcepta naturalia solùm habuit libertatem quoad circumstantias; sed præceptum moriendi pro hominibus pertinebat in Christo ad præceptum naturale charitatis; ergo &c. Confirmatur. Christus est impeccabilis; ergo ratione præcepti non potuit obligari sub peccato. Resp. conc. maj. & nego min. quia Christus independenter à pacto liberè inito, & à præcepto incluso in eo pacto, non obligabatur ex charitate ad dandam vitam pro nobis, ut constat à num. 480. Ad Confirm. conc. antec. & dist. conseq. sub peccato, quod absolutè posset committere, conc. quod committeret, si per impossibile transgrederetur præceptum, nego consequentiam: sic dicimus, quòd DEUS, licet 886
non possit peccare, tamen peccaret, si per impossibile mentiretur, aut non adimpleret Fidem semel ab ipso datam; unde vi illius præcepti bene infertur, quòd non possit simul componi in Christo utpote impeccabili omissio mortis cum præcepto moriendi; atque iste revera est effectus, quem præceptum illud operabatur in Christo, sicut pater in fidelitate DEI; nam si DEUS promisit producere Petrum, non potest simul componi omissio productionis cum 887
illa promissione.

Objicies 5. Si Christus esset liber ad petendam, & obtinendam dispensationem præcepti, non dixisset Matth. 26. *Pater mi si possibile est, transeat à me Calix iste*: sed potiùs dixisset: *volo, quòd transeat; siquidem hoc mihi possibile est, & pendens à mea voluntate*: sed non omisit hoc secundo modo, sed primo illo modo: ergo &c. Confirmatur. Perfectius erat implere præceptum, quàm petere ejus dispensationem: atqui Christus erat necessitatus ad actus magis perfectos; ergo etiam ad non petendam dispensationem; ac proinde non fuit liber ad petendam, & obtinendam dispensationem præcepti. Respondeo nego maj. quia licèt Christus posset petere, & obtinere dispensationem præcepti, eámque obtinuisset, adhuc maneret captivum, & absque redemptione reparativa genus humanum; siquidem Pater non aliter 888.
volebat admittere Christi satisfactionem, & merita pro redemptione hominis lapsi, nisi morte sua consummarentur, ut constat à num. 489. Christus autem propter maximam ipsius erga nos charitatem efficaciter volebat esse Redemptor noster reparativus, modò, quo Pater volebat admittere redemptionem, ideóque noluit petere dispensationem præcepti, quod significavit Paulus ad Hebræos 12. *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta*; & Isaias 13. *oblatus est, quia ipse voluit*; unde non obstante libertate ad obtinendam dispensationem illius præcepti, rectissimè dixit: *Pater mi, si possibile est &c.* Ad Confirmationem omitto maj. & dist. min. ad actum perfectum præ imperfecto, conc. præ minùs perfecto, nego min. & consequentiam; nam aliud est, actum esse minùs perfectum, & aliud, esse positivè imper-

imperfectum. Christus enim non poterat efficere actum positivè imperfectum, poterat tamen minùs perfectum; quia, quando faciebat actum valde intensum, poterat pro libito suo facere minùs intensum; imò quando faciebat actum bonum, poterat illum non efficere, licèt tunc non posset actum bonum omittere ad faciendum malum, sed vel ad faciendum actum indifferentem ex natura sua, si iste nullam in Christo dicat implicantiam, vel ad purè omittendum, si possibilis sit pura omissio libera, vel ad alium actum minùs intensum, aut in alia specie virtutis magis, vel minùs perfecta: unum enim ex his requiritur ad salvandam in Christo Domino libertatem.

886. Cæterùm hìc notat Cardinalis de Lugo sect. 10. num. 134. ratione unionis, & visionis beatificæ fuisse Christum necessitatum moraliter ad actum magis perfectum præ minùs perfecto, manente tamen potentia physica proxima ad minùs perfectum; ad eum quippe modum, quo nos sine speciali gratia DEI sumus moraliter necessitati ad committendum per longum tempus aliquod veniale, manente tamen potentia physica proxima ad illud non committendum; aliter non haberemus libertatem ad peccandum; ille enim perfectior modus operandi est valde consentaneus Christo Domino; nec refert, quòd non admittatur in Deo talis moralis necessitas, quia actus DEI independenter ab objecto extrinseco per suam essentiam sunt essentialiter infiniti, & intrinsecè laudabiles, secus autem actus creati Animæ Christi.

***

DISPUTATIO XXI.

DE GRATIA CHRISTI DOMINI SUBSTANTIALI.

887. CHristum Dominum ab ipso conceptionis exordio fuisse Sanctum, adeò certum est, ut à nemine vertatur in dubium; imò Martinus Perez disp. 17. sect. 1. probat, esse de fide ex variis Scripturæ testimoniis, quæ ibi congerit. Quod igitur inter Theologos controvertitur, solum est, per quam gratiam sanctificetur Anima Christi Domini, an scilicet per increatam, & substantialem, an verò per creatam, & accidentalem. Nunc agemus de sanctitate Christi Domini substantiali, acturi Disputatione sequenti de ipsius sanctitate accidentali.

SECTIO I.

An Christi Domini humanitas sanctificetur per sanctitatem substantialem increatam?

888. QUæstio ista variè exagitatur à Theologis; cùm enim sanctitas substantialis increata juxta communem sententiam multiplex sit, nempe natura divina, omniáque prædicata absoluta, & relativa, de his omnibus disputandum est; tum etiam de unione hypostatica, quæ licèt sit creatura, substantialis tamen sanctitas est. Cæterùm, antequam ad particularia descendamus, oportet primò inquirere, an per aliquam sanctitatem increatam sanctificetur humanitas Christi Domini? & deinde, quænam sit hæc sanctitas increata? Circa primum docuerunt plures antiqui apud Aldrete disput. 45. sect. 1. humanitatem Christi Domini non sanctificari sanctitate increata; idémque propugnant communiter Scotistæ, quos citat, & sequitur Bartholomæus Durandus disput. 10. quæst. 1. Oppositum autem tenent communiter Thomistæ, & Nostri cum Exim. Doctore disp. 18. sect. 1. & Vasquez disput. 41. cap. 3. Cum quibus

Assero 1. Christi humanitas verè sanctificatur per sanctitatem increatam. 889. Probatur 1. ex illis Scripturæ testimoniis, in quibus Christus Dominus unctus dicitur, ut in Psal. 44. Isaiæ 8. Danielis 9. & Lucæ 4. per quam unctionem intelligunt SS. Patres excellentiorem humanitatis sanctificationem, quàm per solam gratiam habitualem. Imò Concilium Francofordiense in Epistola ad Episcopos Hispaniæ hanc specialem Christi Domini excellentiam desumit ab ipsa divinitate, prout humanitatem sanctificat: inquit enim Concilium, *JESUM Christum fuisse naturâ unctum, alios autem gratiâ:* unde sic arguo; atqui alios ungi gratiâ, est sanctificari gratiâ; ergo Christum ungi naturâ divinâ, est sanctificari naturâ divinâ, sive divinitate. Confirmatur. Apud Patres idem est esse unctum, ac esse sanctum; unde in Scriptura Justi & Sancti vocantur Christi, quod idem est, ac uncti. Sic Psalmo 10. *nolite tangere Christos meos*; sed Christi humanitas est substantialiter uncta à divinitate, ut constat ex Nazianzeno Orat. 36. ubi ait: *Christus dicitur propter divinitatem; eâ enim uncta est humanitas:* ergo &c.

Respondebis 1. ex Scotistis ea Scripturæ, & 890. Patrum testimonia intelligenda esse de humanitate substantialiter uncta in ordine ad cultum Latriæ; secus autem in ordine ad vitam æternam, seu sanctificationem. Contrà tamen 1. Humanitas puræ creaturæ per gratiam sibi accidentaliter unitam non solùm ungitur in ordine ad cultum puræ creaturæ debitum, sed etiam in ordine ad vitam æternam, & sanctificationem; ergo humanitas Christi Domini per gratiam

tiam sibi substantialiter unitam non solùm ungetur in ordine ad cultum sibi debitum, sed etiam in ordine ad vitam æternam, & sanctificationem. Contrà 2. Non minùs potens est gratia substantialis increata ad communicandum effectum sanctificationis humanitati sibi unitæ, quàm potens sit gratia accidentalis creata: sed apud Adversarios gratia accidentalis creata comunicat istum effectum accidentalem; ergo & gratia substantialis increata communicabit illum effectum substantialem. Contrà 3. Gratia substantialis non minùs est potens ad reddendam humanitatem excellentem, quàm Sanctam: sed per vos vi unionis reddit humanitatem excellentem; ergo & Sanctam.

891. Respondebis 2. ex aliquibus Recentioribus, nullam personam divinam posse communicare effectum ullum creaturæ formaliter, & *ut quo*, ac proinde solùm posse communicare effectum toti compositò; ad eum modum, quo, ut plures tenent, personalitas Verbi non potest reddere subsistentem humanitatem, sed totum compositum, neque potest supplere defectum subsistentiæ propriæ humanitatis, sed solùm constituere suppositum, nempe Verbum, in quo subsistat humanitas. Pariter inquiunt: gratia habitualis nequit reddere formaliter, & *ut quo* humanitatem Sanctam, sed solùm constituit suppositum Sanctum, nempe Verbum, in quo per gratiam accidentalem sanctificatur humanitas. Cæterùm hæc responsio sibi ipsi contradicit; quomodo enim humanitas non subsistit per subsistentiam Verbi, si, ut ipsi fatentur, subsistit in Verbo?

892. Contrà deinde 1. quia hæc responsio contraria est Nazianzeno citato num. 889. ubi dicit, quòd divinitas est unctio humanitatis; hoc enim est formaliter denominare humanitatem sanctam, ut ibi diximus; ergo &c. Contrà 2. Licèt humanitas non sit capax denominationis *personæ*, quia non est sui juris, neque subsistit in se, sed in Verbo, nihilominus verè, & propriè subsistit per subsistentiam Verbi, ut constat à num. 613. ergo licèt humanitas non sit persona Verbi, nihilominus verè, & propriè sanctificatur à sanctitate Verbi.

893. Contrà 3. Humanitas Christi ratione sanctitatis increatæ sibi intrinsecè unitæ non minùs habet formaliter jus ad gloriam, quàm anima Divi Petri ratione sanctitatis accidentalis sibi intrinsecè unitæ; atqui ex eo, quòd anima Divi Petri habeat formaliter tale jus à sanctitate accidentali, ab ea formaliter sanctificatur, ut diximus à num. 118. de gratia sanctificante; ergo ex eo, quòd humanitas Christi Domini habeat tale jus à sanctitate increata, ab ea formaliter sanctificabitur. Contrà 4. Non repugnat perfectio divina tribuens formaliter denominationem creaturæ, imò & Christi humanitati; subsistentia enim divina, licèt non denominet humanitatem suppositum, denominat illam subsistentem, ut constat ex num. 613. Sic albedo non constituit subjectum, sed concretum album, & denominat subjectum album, & dealbatum: ergo pariter sanctitas divina licèt non constituat humanitatem in ratione personæ Sanctæ, denominabit tamen humanitatem sanctam, & sanctificatam.

Probatur 2. ratione: Sanctitas creata creaturam rationalem sanctificans, nihil est aliud apud Adversarios, quàm radix virtutum supernarum, ratione cujus creatura est pura à peccato, & grata DEO amore amicitiæ, sive ut aliis terminis explicari solet, est perfectio collativa juris ad gloriam; atqui humanitas Christi Domini id habet à sanctitate increata sibi physicè unita: ergo verè sanctificatur per sanctitatem increatam. Probatur min. Sanctitas increata essentialiter est incompossibilis cum peccato; radix omnium supernaturalium donorum, capax afferendi amicitiam, & conferendi jus ad gloriam creaturæ, cui unitur: sed physicè unitur humanitati capaci, & expeditæ ad istas denominationes; ergo id habet humanitas Christi à sanctitate increata sibi physicè unita. Confirmatur 1. quia gratia habitualis est participatio divinæ naturæ, secúmque affert omnia ea munera, quæ sanctificat animam, cui accidentaliter unitur: sed sanctitas increata identificatur cum natura divina; ergo perfectiùs sanctificabit humanitatem Christi, cui intrinsecè, & substantialiter unitur. 890.

Confirmatur 2. Christus Dominus independenter à gratia habituali est filius DEI non adoptivus, sed naturalis, aut proprius; sed filius adoptivus verè sanctificatur à sanctitate creata; ergo filius naturalis, & proprius perfectiùs sanctificabitur à sanctitate increata. Confirmatur 3. ab aliis: actus meritorii Christi Domini sunt valoris simpliciter infiniti; sed hunc valorem non acciperent, si humanitas non sanctificaretur à sanctitate increata: ergo sanctificatur ab illa. Probatur min. Ille infinitus valor advenire nequit actibus meritoris Christi à sanctitate creata; aliter reperiri posset in merito puræ creaturæ, & hæc posset satisfacere de condigno pro peccato lethali, quod falsum est, ut constat à num. 276. ergo ex eo provenit, quòd humanitas Christi sanctificetur à sanctitate increata. 891.

Hæc confirmatio displicet Cardinali de Lugo disp. 16. quia non quidquid sufficit ad dignificanda opera, sufficiens quoque existimatur ad sanctificandam naturam, sic humanitas, inquit, hypostaticè unita supposito Michaëlis non sanctificaretur à Michaëlis sanctitate; & tamen ejus opera ab ejusdem Michaëlis dignitate dignificarentur, sed contra Lugonem insurgunt Aldrete, Bernal, Martinus Perez disp. 16. l. 4. quos videre potes, nobis enim non licet omnium sensum examinare, ne in re adeò recepta, magis, quàm par est, tempus impendamus; satis est pro nunc scire eam Lugonis suppositionem esse falsam, ut constat à n. 62.

Assero 2. cum Exim. Doctore, de Lugo, Ad-

drete, Arriaga, & aliis, quos citat, & sequitur Bernal disp. 29. sect. 2. contra Vasquez, Turrianum, Wadingum, & alios: personalitas verbi, ut virtualiter distincta à natura, sanctificat Christi Domini humanitatem. Probatur 1. ex Angelico 3. parte quæst. 6. art. 6. in corpore dicente: gratia enim unionis est ipsum esse personale, quod gratis divinitus datur humanæ naturæ in persona Verbi: & quæst. 8. art. 1. *6. sed contrà.* Secundùm gratiam personalem est caput nostrum: ex quibus sic arguo: esse personale, & gratia personalis convenit Verbo specialiter propter personalitatem: sed sanctificatio humanitatis Christi Domini provenit ab illa perfectione Verbi personali; ergo specialiter provenit à personalitate.

898. Probatur 2. Personalitas Verbi, ut virtualiter distincta à Deitate est sanctitas formalis; ergo ut sic distincta formaliter sanctificat humanitatem. Conseq. tenet, quia humanitas non minùs est capax sanctificationis, quàm subsistentiæ; atqui personalitas Verbi, quia ut virtualiter distincta à Deitate est subsistentia, reddit humanitatem, cui unitur, subsistentem; ergo, quia ut ita distincta est sanctitas, reddet etiam humanitatem, cui unitur, sanctam. Antec. verò probatur sanctitas ex Div. Dyonisio cap. 12. de divinis nominibus, cui subscribunt omnes Theologi, est ab omni scelere libera, omnino perfecta, & ex omni parte immaculata puritas: sed hæc omnia conveniunt personalitati divinæ propter oppositionem cum peccato adhuc levissimo, & propter rectitudinem universalem contentam in illis verbis *omnino perfecta*, quæ ratione illius debetur humanitati Christi Domini; ergo personalitas ut à Deitate distincta est formaliter sanctitas.

899. Confirmatur 1. Personalitas verbi, ut virtualiter distincta à Deitate est filiatio naturalis Dei, & constituit Christum Filium Dei naturalem: sed nequit ita constituere filium, quin reddat Christum etiam quà hominem gratum Deo, dignúmque amore amicitiæ, & ei conferat jus ad hæreditatem, quæ sunt munia propria gratiæ sanctificantis humanitatem; ergo personalitas verbi, ut virtualiter distincta à Deitate sanctificat Christi Domini humanitatem. Confirmatur 2. Perfectior est participatio divinæ naturæ per realem identitatem, quàm per assimilationem: sed gratia habitualis, quia participat naturam divinam per assimilationem, sanctificat hominem; ergo quia personalitas Verbi participat naturam divinam per realem identitatem, quæ non tollitur ratione distinctionis virtualis, perfectius sanctificabit humanitatem. Confirmatur 3. Personalitas in se est digna adoratione Latriæ, & & ponit humanitatem in gradu superno conjunctiori, & digno adoratione, quàm gratia habitualis; ergo perfectiori modo etiam sanctificat humanitatem, quàm eam sanctificet gratia habitualis.

Assero 3. Cum communi Doctorum contra Lorca, Petrum Hurtado, & alios: divinitas ut virtualiter distincta à personalitate sanctificat humanitatem. Probatur 1. Ex pluribus Conciliis, & Patribus allatis à Bernal disp. 29. sect. 1. docentibus, humanitatem Christi esse deificatum à Deitate, sic 6. Synodus Generalis art. 17. & Florentin. sess. ult. in instructione Armenorum, hoc de Christo Domino decernunt: *quemadmodum enim sanctissima atque Immaculata animata ejus caro deificata non est perempta*; unde sic arguo: nequit humanitas Christi Domini deificari Deitate, quin ratione Deitatis fiat incomponibilis cum quocumque peccato, & quin fiat objectum amicitiæ divinæ, acquiratque jus ad hæreditatem, & dona superna: sed hoc, ut constat à num. 894. formaliter est sanctificari Deitate; ergo sanctificatur Deitate. Probatur 2. His omnibus rationibus, quas adduximus à num. 889. & 897. 900.

Assero 4. Unio hypostatica est sanctitas formalis humanitatis non solùm, ut quo, seu ut vinculum sanctitatis increatæ, sed etiam, ut quod, seu ut vera sanctitas substantialis creata sanctificans animam. Ita Aldrete, Amicus, & Bernal suprà citatus, ubi pro hac sententia sect. 4. affert Eximium Doctorem. Probatur 1. Ratione fundamentali: unioni hypostaticæ utpote intrinsecè constitutivæ Christi Domini concedenda est omnis ea perfectio, quæ neque Principiis Fidei, aut Theologiæ, neque rectæ rationi contrarietur, sed quàm optimè potest cum his omnibus componi; atqui neque Principis Fidei, neque Theologiæ opponitur, quòd sit sanctitas formalis ut quod humanitatis: imò cum his omnibus rectè componitur, ut expendenti constabit; ergo &c. 901.

Confirmatur 1. non repugnat: quòd eadem perfectio se habeat in uno genere ut quo, & in altero ut quod, sic in Christi humanitate unio naturalis inter corpus, & animam se habet ut quo respectu animæ, & corporis, & se habet ut quod relatè ad unionem partialem hypostaticam, qua unitur Verbo, ut constat à num. 510. ergo neque repugnat, quòd unio hypostatica se habeat ut quò respectu sanctitatis increatæ, & se habeat ut quod tanquam sanctitas substantialis creata. Confirmatur 2. si daretur gratia habitualis, quæ reipsa absque modo distincto exigeret uniri animæ, esset sanctitas ut quod, quamvis ut vinculum se haberet ut quo; ergo potiori jure unio hypostatica se haberet ut quod in diverso genere ab eo, in quo se habet ut quo; atque exinde fine ulla repugnantia potest esse sanctitas humanitatis. 902.

Probatur 2. Unio hypostatica est in se supernaturalis longè perfectior gratia habituali, major conjunctio cum Deo, ac proinde profectior naturæ divinæ participatio, sicq; afferens formaliter jus ad hæreditatem Dei, ut radix virtutum in sua humanitate; ergo est forma 903.

sanctificans ut quod. Confirmatur 1. nulla est ratio, ne concedatur unioni hypostaticæ ea perfectio, ut se habeat in ordine ad sanctificandum sanctitate formali creata, sicut se habet visio beata in ordine ad beatificandum beatitudine formali creata: sed visio se habet formaliter ut quod; ergo &c. Confirmatur 2. Unio hypostatica non est purum vinculum participationis naturæ divinæ ethycè sumptæ, sed est immediata participatio naturæ divinæ & vinculum ipsius naturæ; sed immediata participatio naturæ divinæ ethycè sumptæ est sanctitas formalis; ergo &c. Confirmatur 3. Perfectiùs conjungitur humanitas cum Deo, & intelligitur cum jure ad gloriam ex præcisa ratione unionis hypostaticæ substantialis, quàm ratione gratiæ habitualis: sed quia ita conjungitur humanitas cum Deo per gratiam accidentalem, sanctificatur ab illa; ergo &c. Confirmatur 4. Quia ut videri potest apud Amicum: Patres non rarò tribuunt rationem sanctificandi ipsi unioni hypostaticæ substantiali; ergo &c.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

904. OBjicies 1. Contra primam assertionem: si Verbum divinum assumpsisset naturam irrationalem non illam sanctificaret: ergo licèt assumpserit humanitatem, non illam sanctificabit. Resp. retorqueo argumentum: si gratia habitualis reciperetur in natura irrationali, non sanctificaret illam; ergo si recipiatur in humanitate, non sanctificabit humanitatem. Respondeo deinde nego conseq. quia forma solùm communicat suum effectum subjecto capaci, & expedito; cùm autem natura irrationalis non sit capax sanctificationis, eò quòd sit incapax rationis, amicitiæ divinæ, & juris ad gloriam; humanitas verò sit capax, exinde sanctificatur humanitas assumpta à sanctitate divina, licèt sanctificari non posset natura irrationalis, quamvis à divina sanctitate assumeretur.

905. Objicies 2. Sanctitas increata nequit sanctificare humanitatem finitè; infinita enim forma non potest dare effectum formalem, nisi in finitum; deinde neque potest sanctificare humanitatem infinitè; subjecto enim essentialiter finito nequit convenire per formam aliquam, contradictorium ejus, quod est sibi essentiale: ergo sanctitas increata nullo modo potest sanctificare humanitatē. Resp. retorqueo argumentum: subsistentia verbi, utpote infinita nequit facere humanitatem subsistentem finitè; deinde neque id efficere potest infinitè, cùm humanitas sit essentialiter finita; ergo nullo modo potest reddere humanitatem subsistentem. Respondeo: deinde dist. antec. quoad primam partem, nequit sanctificare finitè ex parte formæ, conc. nequit sanctificare finitè humanitatem ex parte modi nego antec. & conseq. &c.

Ratio est, quia sanctitas eatenus sanctificat ex parte modi, quatenus communicatur sanctificato; cùm autem sanctitas increata licèt secundùm se simpliciter infinita, non se communicet humanitati simpliciter infinitè, sed finitè, media unione hypostatica creata, ideò non valet sanctificare humanitatem simpliciter infinitè, sed finitè duntaxat ex parte modi; tum quia sanctitas simpliciter infinita ea est, quâ major alia esse non potest; cùm ergo major sit sanctificatio substantialis per identitatem, quàm per unionem; exinde non potest humanitas sanctificari à sanctitate substantiali simpliciter infinitè, cùm non possit identificari realiter cum illa; unde diversimodè communicatur humanitati quàm Christo; nam humanitati communicatur persona Verbi per unionem, Christo verò per identitatem, pariter etiam dignitas Verbi licèt communicetur operationi creatæ per unionem moralem, communicatur tamen per identitatem merito Christi, ut diximus à num. 412.

Nec tenet paritas ab accidentibus, quæ vi unionis conferunt subjecto sibi connaturali totam eam perfectionem, quam habent: nam cum sanctitas substantialis substantia sit, non est unicè gratia alterius, sed est primò, & per se gratia sui; unde vi unionis non potest dare alteri tantam perfectionem, quantam in se habet per identitatem, sic anima rationalis non reddit vi unionis materiam primam tam perfectam, quam est in se ipsa perfecta anima rationalis, quod potiori jure debet dici de Deo, qui est unicè gratia sui & non ordinatur ex natura sua ad perficiendum alium; idcirco non potest ratione unionis reddere humanitatem tam perfectam, quàm est in se perfecta divina sanctitas, vel ipse Deus cum ea sanctitate identificatus; at verò accidentia utpote entia entiā non existunt gratia sui, sed ordinantur ad perficiendum aliud, & sunt meræ perfectiones alterius; unde eò ipsò, quòd sint intrinsecè in alio tanquam in subjecto sibi connaturali, communicant illi totam perfectionem suam & denominationem; nam ad hoc ipsum sunt instituta; quin potiùs magis videntur plerumque perficere accidentia transitivè subjectum, quàm perficiant intrinsecè se ipsa; nam visio beata multò magis videtur perficere transitivè hominem, vel Angelum, cùm reddat illum beatum, quàm perficiat intransitivè se ipsam, cum ipsa visio non sit beata, aut videns DEUM; nec de constitutivo substantiali videntis Deum; sic etiam gratia accidentalis reddit hominem sanctum, & Dei amicum, quin tamen ipsa sit particeps amicitiæ cum Deo.

Objicies 3. Effectus formalis proprius unius formæ non potest præstari per aliam formā diversæ speciei: sed sanctificatio humanæ naturæ est effectus formalis proprius gratiæ habitu alis, ut

ut conſtat ex Trid. ſeſs. 6. c. 7. ergo per nullam aliam formam, neque per ſanctitatem increatam præſtari poteſt ea ſanctificatio. Reſp. retorqueo argumentum: reddere ſubſiſtentem humanam naturâ eſt effectus formalis ſubſiſtentiæ creatæ: ſed effectus formalis unius formæ non poteſt præſtari à forma diverſæ ſpeciei: ergo nequit natura humana reddi ſubſiſtens à ſubſiſtentia increata. Reſpondeo deinde conc. maj. & diſt. min. ſanctificatio accidentalis formæ creatæ conc. ſanctificatio ſubſtantialis ſanctitatis increatæ nego min. & diſt. conſ. nequit præſtari ſanctificatio formæ creatæ conc. formæ increatæ nego conſeq. unde licèt non communicetur ea ſanctitas ordinis inferioris, communicatur tamen formaliter humanitati ratione Verbi divini alia ſanctitas ordinis ſuperioris; ſanctificatio enim eſt effectus genericus; ideóque hæc ſanctificatio in particulari poteſt provenire ab hac forma ſingulari, & alia particularis ſanctificatio ab alia forma ſingulari.

909. Objicies 4. Si humanitas ratione unionis ad Verbum redderetur ſancta ſanctitate propria Verbi, ſimiliter redderetur immenſa immenſitate, æterna æternitate, omnipotens omnipotentia, intelligens intellectione Verbi, & ſic de reliquis attributis divinis: ſed hoc eſt falſum, & contra fidem docentem, Chriſti humanitatem neque æternam eſſe, neque ubique: ergo humanitas ratione unionis ſanctificari non poteſt à ſanctitate propria verbi: hoc argumentum exinde eſt non parum difficile, quia de prædicatis divinis, quæ ſupra captũ luminis naturæ ſunt, tenemur reddere rationem; ſed tenentur etiam reſpondere Adverſarii. Retorqueo igitur argumentum, ſi humanitas ratione unionis ſubſiſteret ſubſiſtentia Verbi, aut redderetur excellens excellentia Verbi, redderetur etiam immenſa immenſitate Verbi &c. Sed non redditur immenſa ab immenſitate Verbi &c. ergo neque ſubſiſtens à ſubſiſtentia Verbi, neque excellens ab excellentia Verbi. Reſp. deinde nego maj. quia humanitas eſt capax iſtius, & non illarum denominationum vi unionis cum illis prædicatis divinis, quæ illud tantùm ſubjectum capax reſpiciunt, quod poteſt cum illis identificari; & certè humanitas non poteſt identificari cum prædicatis divinis; illa quippe divina prædicata ſunt prædeterminationes ad intra, ſecus autem ſanctitas; ideóque poteſt etiam ad extra denominare humanitatem ſanctam, licèt non poſſit æternitas denominare humanitatem æternam.

910. Ratio fundamentalis eſt, quia prædicata divina alia ſunt puræ determinationes ad determinandum ad intra, quæ proinde non aliud reſpiciunt ſubjectum capax, niſi quod cum illis prædicatis divinis poteſt identificari: talia ſunt omnipotentia, aſeitas, & his ſimilia, quod naturæ lumine conſtat; alia verò non ſunt puræ determinationes ad intra, ſed etiam denominare poſſunt ad extra; ideóque denominant ſubjectum realiter ab illis diſtinctum, ſic ex Concilio Hyſpalenſi, & Damaſceno cit. num. 609. & communi Theologorum conſenſu ſcimus, à ſubſiſtentia Verbi divini reddi Chriſti Domini humanitatem ſubſiſtentem; ſic etiam naturali ratione ſcimus, ab excellentia Verbi reddi humanitatem excellentem; unde ex aliquibus prædicatis non tenet paritas ad alia; ſicut in creatis hoc argumentum nullum eſſet: unio materiæ primæ cum forma A nequit deſtructa forma A unite materiam cum forma B; ergo neque poterit materia deſtructâ formâ A uniri cum forma B; argumentum quidem nullum eſt, quia unio eſt pura determinatio ad unienda ſua extrema, nempe materiam, & formam A; materia verò non eſt pura determinatio, ut uniatur cum forma A.

Quæres tamen unde poſſimus inferre in divinis prædicata, quæ ſint puræ determinationes ad intra, quæ poſſint etiam ad extra denominare. Reſpondeo aliqua inferenda eſſe ſolùm ex principiis fidei, alia etiam ratione naturali; ex principiis enim fidei ſcimus, immenſitatem, impaſſibilitatem, immortalitatem, immutabilitatem non reddere humanitatem Chriſti, cum qua uniuntur, immenſam, impaſſibilem, immutabilem &c. Unde arguimus, ea prædicata eſſe puras denominationes ad intra, quia ſi poſſent media unione participari à creata natura, participarentur à Chriſti Domini humanitate; cùm nulla militet ratio pro alia, quæ non pro iſta; idem fide, & ratione ſcimus de omnipotentia, & aſeitate, ratione quidem noſcimus, non poſſe creaturam ab omnipotentia Dei denominari omnipotentem, quia de ratione omnipotentiæ eſt, quòd ad omnia producibilia ſe extendat; id, quod eſſentialiter repugnat creaturæ, cùm ſaltem ſe ipſam producere nequeat, & eſſentialiter ſit ab alio. Deinde nequit denominari æterna ab æternitate, quia de ratione æternitatis divinæ eſt extendere durationem, pro qua ipſa non fuerit; & creatura poſt plures durationes, pro quibus non exſtitit, poteſt uniri in tempore æternitati, ut fide conſtat. 912a

Deinde nequit denominari immenſa ab immenſitate, quia de ratione immenſitatis eſt omnia loca replere, & creatura, ut conſtat etiam ex fide, poteſt uniri immenſitati divinæ in uno loco, & non in alio. Deinde nequit denominari intelligens ab intellectione divina, quia intellectio debet eſſe immanens ex parte ſui, ut denominet principium ſuum intelligens, & intellectio divina nunquam petit manere intrinſecè in intellectu creato, neque ab illo poteſt produci. Deinde neque poteſt creatura ab aſeitate denominari ens à ſe, quia eſſet, & non eſſet creatura, neque ab incauſabilitate ens incauſabile, ut per ſe patet, quia creatura eſſentialiter eſt ens ab alio; & ex his colligitur, quòd neque poſſit denominari ab impaſſibilitate impaſſibilis, neque ab immortalitate im-

moralis &c. licèt possit denominari à subsistentia subsistens, & ab excellentia excellens; novimus præterea etiam ex fide, subsistentiam divinam non esse puram determinationem ad intra, cùm in linea subsistendi compleat humanitatem. Idem esto de excellentia DEI, quæ Christi humanitatem reddit excellentem, dignamque adoratione Latriæ. Id ipsum etiam intendimus, de ratione sanctitatis inferri ex Scriptura, Patribus, & Conciliis, ex dictis n. 889. Cæterùm dato, sed non concesso, quòd inde non inferretur, adhuc maneret firmissima responsio.

913. Ratio est, quia in casu dubii, an scilicet aliquod prædicatum divinum sit pura determinatio ad intra, vel capax denominandi etiam ad extra, sicut non licet arguere sic: aliquod prædicatum divinum non est purè determinativum ad intra: ergo neque istud. Pariter non licet arguere sic: aliquod prædicatum divinum est purè determinativum ad intra: ergo etiam istud; unde paritate contempta unicè confugiendum est ad rationem: cùm ergo probetur, sanctitatem denominare etiam ad extra, cùm sit imponibilitas cum peccato, & participatio per identitatem naturæ divinæ, afferens jus ad hæreditatem, quæ sunt munia gratiæ sanctificantis humanitatē, legitimè infertur, non esse purè determinationem ad intra; & hinc argumentum propositum num 909. nullius est roboris, quia immensitas, omnipotentia &c. sunt puræ determinationes ad intra, non autem sanctitas, ut satis constat ex dictis.

914. Objicies 5. Contra secundam assertionem: personalitas Verbi, ut virtualiter distincta à Deitate, non est formaliter sanctitas: ergo nequit sanctificare humanitatem. Probatur antec. 1. si esset sanctitas, tres relationes essent tres sanctitates, ac proinde Pater, Filius, & Spiritus Sanctus essent tres sancti substantivè, sicut sunt tres personæ: sed hoc est absurdum, & contra Augustinum cap. 8. de Trinit. dicentem: *bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus Sanctus, nec tres boni, sed unus est bonus*: ergo personalitas non est sanctitas formalis. Secundò personalitas non est participatio divinæ naturæ, ut virtualiter à natura distinguitur: ergo non est formaliter Sanctitas. Tertiò licèt attributa DEI essentialia identificentur cum essentia, non sunt formaliter sanctitas; aliàs sanctitas non esset in DEO speciale attributum: ergo licèt personalitas Verbi identificetur cum natura divina, non erit formaliter sanctitas. Quartò, si personalitas Verbi esset sanctitas, non minùs faceret naturam divinam Sanctam, quàm subsistentem: sed hoc est falsum; ergo & illud. Quintò, sanctitas creata est participatio divinæ sanctitatis: sed non est participatio divinæ personalitatis, aliàs quælibet subsistentia creata esset sanctitas; ergo personalitas non est sanctitas. Sextò, sanctitas est perfectio: sed personalitas non est perfectio; ergo &c. Septimò personalitas non est filiatio naturalis humanitatis: ergo nec ejus sanctitas.

Resp. nego antec. ad primam probationem. 913
respondent aliqui distinguendo maj. essent tres sanctitates denominantes naturam divinam sanctam, nego, non denominantes, conc. maj. & nego min. cum conseq. Ratio eorum est, quia natura divina ratione sui est per essentiam sanctitas perfectissima, & simpliciter infinita, cùm illi conveniat ratione sui, quidquid requiritur ad rationem sanctitatis, & eminenter contineat ut radix naturalis quamcunque aliam sanctitatem; ut enim denominaretur sancta, debebat excludere hæc munia sanctitatis; sic una forma rationalis non potest informari ab altera. Sic gratia habitualis non denominat Christum Filium adoptivum, quia filiatio adoptiva dicit exclusionem filiationis naturalis, quæ exclusio non reperitur in Christo; denominat tamen humanitatem sanctam, quia humanitas, in qua recipitur, non est per essentiam sancta; & hinc est, quòd in Trinitate non dentur tres sancti, sicut dantur tres personæ, quia tres personalitates possunt denominare naturam divinam; cùm natura divina formaliter in se & ratione sui non habeat munia personalitatis; at verò tres sanctitates relativæ non possunt denominare naturam sanctam, quia formaliter ratione sui est infinita sanctitas; ex quo dissolvi possunt reliquæ probationes, quidquid tamen sit de ista solutione. 913

Respondeo ipse ad primam probationem, dicendo, nullum esse inconveniens, admittere in Deo tres sanctitates relativas, sicut admittuntur tres bonitates, & tres veritates relativæ, inde tamen non sequitur, dari in trinitate tres sanctos, quia sanctum substantiale est concretum substantivè sumptum, quod ad sui multiplicationem requirit non solùm multiplicationem sanctitatis, sed etiam multiplicationem naturæ sanctificatæ, ut constat à num. 722. & 737. cùm autem in Trinitate solùm detur una essentia, sive una natura sancta, solùm dabitur unus sanctus; quod, velint, nolint, tenentur fateri Adversarii, contendentes, Christi Domini humanitatem sanctificari per sanctitatem, increatam absolutam, licèt non sanctificetur per sanctitatem relativam, quia tunc haberet sanctitatem increatam, & sanctitatem creatam, quin ea natura humana sanctificata duplici sanctitate constituat duos sanctos. Sic quamvis paternitas, filiatio, & spiratio passiva sint æternæ, non denominant tres æternos, sed unum æternum, quia respiciunt unam tantùm naturam divinam, ut constat ex symbolo Athanasii; *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus, non tamen tres æterni, sed unus æternus; sicut non tres immensi, sed unus increatus, & unus immensus.* 914 920.

Ad secundam probationem: nego ante. quia personalitas ratione distinctionis virtualis non amittit, sed includit realem identitatem cum natura

natura divina; unde est perfectissima Deitatis per identitatem participatio. Ad tertiam dist. antec. non sunt sanctitates morales, seu rectitudo formalis voluntatis divinæ in genere moris, transeat, non sunt sanctitas physica incompossibilis cum peccato &c. nego antec. & cons. Ratio est, quia licèt illa formalis rectitudo voluntatis divinæ diceretur speciale attributum sanctitatis moralis, reliqua tamen attributa dicuntur sanctitas physica; sicque distinguunt plures Doctores unam sanctitatem ab altera. Dixi *transeat*, quia sanctitas in divinis est prædicatum transcendentale, conveniens ratione sui cuicunque perfectioni divinæ potiori jure, quàm ratione sui conveniat gratiæ accidentali, cùm quæcunque perfectio sit nobilior divinæ naturæ participatio, utpote habens naturam divinam per identitatem.

918. Ad quartam probationem dist. maj. non minùs faceret naturam divinam Sanctam, quàm subsistentem, & eodem modo, nego, & diverso modo, omitto maj. & dist. pariter min. nego consequentiam; hæc etenim diversitas stat in eo, quòd natura realiter, & virtualiter est in se sanctitas; at verò non est realiter, & virtualiter subsistentia; unde diverso modo sanctificaretur à personalitate tanquam à sanctitate physica. Videatur Bernal disput. 29. sect. 2. num. 39. Ad quintam dist. maj. sanctitas creata est participatio divinæ sanctitatis in omnibus prædicatis, nego, in prædicatis incompossibilitatis cum peccato, disponendi ad rectè operandum, ac asserendi jus ad amicitiam, & possessionem Dei, conc. maj. & dist. min. nego cons. Unde cùm subsistentia creata non participet hæc prædicata, non erit sanctitas.

919. Ad sextam probationem nego min. ex num. 623. sexta enim Synodus generalis act. 18. apertè dicit: *Trinitatem verò propter subsistentiarum perfectionem*, nec inde Pater est perfectior Filiò, quia perfectio paternitatis compensatur perfectione filiationis, & quia natura divina continet eminenter omnem perfectionem simpliciter infinitè, & cùm hæc eadem sit in tribus personis, erunt tres personæ æquè perfectæ, ut constat ex num. 455. videri quoque potest Cardinalis de Lugo disp. 2. de Incarnat. sect. 1. à num. 79. Ad septimam probationem nego consequentiam; quia denominatio filii naturalis cadit supra totum suppositum, & cùm humanitas non sit totum suppositum, est incapax hujus denominationis; at denominatio sanctificati cadere potest supra solam humanitatem, imò & supra solam animam rationalem, quæ per gratiam verè dicitur sancta, & amica DEI; unde paritas nulla est.

920. Objicies 6. contra tertiam assertionem: sanctitas *ut quod* est participatio *ut quod* divinæ naturæ; sed unio hypostatica non est participatio *ut quod* naturæ divinæ; ergo non est sanctitas *ut quod*. Probatur min. Unio hypostatica solùm est participatio divinæ naturæ, prout unit naturam divinam cum humanitate, sed prout unit, non se habet respectu naturæ divinæ *ut quod*, sed *ut quo*; ergo non est participatio divinæ naturæ *ut quod*, sed *ut quo*. Confirm. 1. Actio productiva unionis hypostaticæ licèt pendeat à solo Deo, non est sanctitas *ut quod*; ergo neque unio hypostatica. Prob. conf. Ideo illa actio, licèt à solo DEO dependeat, non est sanctitas *ut quod*, quia solùm est participatio naturæ divinæ, prout terminus ab ea actione productus participat naturam divinam, & sic solùm se habet *ut quo*: sed id ipsum apparet in unione hypostatica; ergo &c. Confirmatur 2. Unio albedinis non est participatio albedinis *ut quod*, neque unio formæ est formalis participatio formæ *ut quod*; aliter unio albedinis esset albedo, & unio formæ esset forma: ergo neque unio naturæ divinæ erit participatio formalis *ut quod* naturæ divinæ. Confirmatur 3. Unio sanctitatis accidentalis non est sanctitas *ut quod*; ergo neque unio sanctitatis substantialis erit sanctitas *ut quod*.

Respondeo nego maj. Ad probationem nego maj. quia in unione hypostatica reperitur iste duplex conceptus, nimirum & conceptus unionis, & immediatæ participationis, qui quidem in aliis rebus reperiuntur distincti, ut patet in gratia habituali, & unione ipsius: cùm enim unio hypostatica sit ens perfectissimum inter omnia entia supernaturalia, quid mirum, quòd claudat in se ipsa istos duos conceptus; sic in bruto invenitur animal distinctum realiter à rationali, & in homine utpote perfectiore reperitur animal identificatum realiter cum ipso rationali. Ad primam confirmationem conc. antec. & nego consequentiam; ad probationem nego min. quia ea actio non est de intrinseca perfectione constitutiva Christi Domini, ac proinde non est, cur ei conferatur major perfectio, quàm ea, quæ requiritur, ut sit determinatio ad producendum; unio verò hypostatica est de entitativa perfectione constitutiva Christi Domini, ac proinde congruentius est adstruere, esse talem perfectionem, utpote ipsi consentaneam, & ex nullo capite repugnantem, ut constat ex dictis. 921.

Ad secundam, & tertiam Confirmationem conc. antec. & nego consequentiam propter eandem rationem; non sunt enim multiplicandæ virtutes in rebus absque necessitate; cùm ergo non sit ulla necessitas ad attribuendam actioni dealbativæ (idem suo modo de reliquis) nec ipsius unioni virtutem formalem dealbandi, exinde dicimus, non convenire hujusmodi modis virtutem formalem dealbandi; econtra contingit in unione hypostatica; in qua licèt non daretur necessitas metaphysica, aut physica, daretur tamen necessitas optimæ congruentiæ, ut constat ex dictis. Addunt aliqui, vim dealbandi esse disgregativam visûs, quod non convenit modis: at formam sanctificantem esse immediatam participationem divinæ naturæ, quod non convenit unioni gratiæ habitualis, cùm gratia habitualis non sit divina natura, ac 922.

proin-

proinde unio illius gratiæ non erit participatio divinæ naturæ, sed participatio participationis naturæ divinæ; unio verò hypostatica est immediata participatio naturæ divinæ, subindéque est formalis sanctitas. Vide, si placet, alia etiam apud Bernal loco suprà citato.

923. Objicies 7. Si Verbum uniretur naturæ irrationali, ea unio hypostatica non esset sanctitas; ergo quando unitum fuit humanitati Christi Domini, ea unio hypostatica non erat sanctitas. Retorqueo argumentum: si Verbum uniretur naturæ irrationali, non sanctificaret illam; ergo quando unitum fuit humanitati, non sanctificavit humanitatem. Respondeo deinde, conc. antec. & nego consequentiam, quia de ratione sanctitatis creatæ est, quòd ex intrinseca natura sua exigat sanctificare, & conferre jus ad gloriam, sive quod idem est, denominare Sanctum subjectum sibi connaturale, quod nempe sibi connaturaliter exigit, præsertim, si defectus iste non habeat nobilius compensativum: quævis enim forma creata, ut à partium enumeratione perspicuum fier, ita postulat denominare subjectum sibi connaturale; cùm autem non conveniat unioni naturæ irrationalis exigere naturam irrationalem ad denominandam illam Sanctam, exinde talis unio non esset sanctitas, neque unio hypostatica est defactò sanctitas, nisi quatenus est unio naturæ rationalis: idcirco ad tollendam omnem æquivocationem dixi in assertione: est sanctitas sanctificans animam.

DISPUTATIO XXII.

DE GRATIA CHRISTI DOMINI HABITUALI.

924. COncors est omnium ferè Theologorum sententia, quòd nempe detur gratia accidentalis, seu habitualis in humanitate Christi Domini non minùs, quàm in puris hominibus justis. Quare inquit Bernal disput. 30. num. 1. id sine temeritate negari non posse; imò plures cum Eximio Doctore disput. 18. sect. 2. censent, id esse de Fide, in qua tamen Fidei certitudine non omnes conveniunt, ut videri potest apud Vasquez disput. 41. cap. 1. & apud Cardinalem de Lugo disput. 16. num. 902. judicant tamen omnes, quidquid sit de Fidei certitudine, tenendum esse ut omnino certum, dari in Christi humanitate gratiam habitualem propter communem Theologorum authoritatem, sed disconveniunt in assignando fine, propter quem Christo confertur. Qui tenent cum Bellarmino, & Bernal in Tract. de justificat. gratiam habitualem identificari cum habitu charitatis, dicunt, collatam fuisse Christo Domino gratiam habitualem, ut compleret animam Christi tanquam principium magis proportionatum ad eliciendos actus charitatis. Qui verò cum probabiliore sententia tenent, distingui ab habitu charitatis, & esse quasi naturam in ordine superno radicantē virtutes, docent etiam, conferri gratiam habitualem humanitati, ut habeat naturam in ordine superno, cui Justi, qui sunt membra viva Christi, assimilentur, & conformentur juxta illud Pauli ad Romanos 8. *quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imagini Filii sui*: unde ex connaturalitate talis gratiæ habet Christus principium intrinsecum ad operandum in ordine superno actus virtutum. Ex quo fit contra aliquos Thomistas, non collatam fuisse, ut opera Christi essent condignè satisfactoria pro peccato, quia dignitas gratiæ est ordinis valde inferioris ad magnitudinem lethalis offensæ, proindéque non valet æqualiter dignificare opera Christi, ut sint condigna satisfactio pro illis offensis, ut constat à num. 276. & 301.

SECTIO I.

An, & qua gratia habituali sanctificetur Christi Domini humanitas?

SUppono 1. Gratiam habitualem non posse facere Christum intensivè magis Sanctum, cùm per sanctitatem increatam sit simpliciter infinitè Sanctus. Suppono 2. hanc rationem non militare pro humanitate Christi Domini; quia licèt Christus à Sanctitate substantiali sit simpliciter infinitè Sanctus, non ideo humanitas est simpliciter infinitè sancta, ut constat à num. 906. & ratio est, quia Christus habet per identitatem sanctitatem increatam simpliciter infinitam; humanitas verò non habet per identitatem, sed duntaxat per unionem illam sanctitatem; nihilominus sanctitas substantialis increata eminenter continet sanctificationem cujusque gratiæ creatæ. Quare præcipuum est, ut hæc detur in Christi humanitate, sit ille, quem assignavimus num. superiori.

Suppono 3. cum omnibus Theologis refert Bernal disput. 30. sect. 2. gratiam habitualem collatam fuisse humanitati Christi Domini in primo instanti Incarnationis. Ratio est, quia Patres apertè negant, unctum fuisse Christum unctione interna Spiritûs Sancti in Jordane, vel Tabor, sed quando Verbum Caro factum est, ut loquitur Augustinus lib. 15. de Trinitate, aliisque apud Granado Tractatu 7. disput. 1. Poterit etiam id suaderi ratione; quia gratia accidentalis collata fuit humanitati Christi Domini ratione dignitatis Verbi incarnati: atqui illum dignitatem habuit humanitas Christi per unionem in primo Incarnationis instanti; ergo & gratiam

gratiam habitualem. An autem illam etiam habuerit ex meritis prioritate naturæ antecedentibus, infrà constabit, cùm agemus de Christi merito in ordine ad se.

927. Suppono 4. cum communi contra Granadum, gratiam habitualem productam fuisse à solo DEO per omnipotentiam. Ratio est, quia nullum est positivum fundamentum ad concedendum unioni hypostaticæ, aut alteri causæ creatæ influxum physicum activum in gratiam habitualem Christi: deinde non est consentaneum principiis Theologicis, talem influxum concedere personalitati Verbi, cùm opera ad extra sint toti Trinitati communia; ille autem specialis influxus non esset communis toti Trinitati. Unde gratia habitualis Christi producta fuit per omnipotentiam à solo DEO. Videatur Exim. Doct. disp. 18. s. 2. His positis

928. Assero 1. cum communi apud Aldrete disp. 49. sect. 6. Humanitas Christi Domini sanctificatur etiam per sanctitatem accidentalem. Probatur 1. ex illo Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me*; quæ verba de se dicta exponit Christus Lucæ 4. & juxta communem expositionem reddunt hunc sensum, nempe ideo Spiritum Sanctum esse in anima Christi per gratiam habitualem, quia ipse vi unionis hypostaticæ unctus est gratiâ increatâ; ergo &c. Confirmatur 1. ex Ambrosio lib. de Spiritu Sancto, ubi hæc habet: *quem natum de Spiritu Sancto confitemini, quia negare non potestis, renasci negatis? magna insipientia est, ut, quod singulare est hominum, confiteamini; quod commune est hominum, denegetis:* quasi diceret, non negatis, Christum esse Deum, quod proprium illius est, quia nimis clarè hoc docet Scriptura, negatis autem, esse renatum per gratiam habitualem, quod est commune cum aliis Justis: hæc magna insipientia est; tum etiam ex Bernardo Homilia 4. *Super missus est*, qui ad illa verba, *quod ex te nascetur Sanctum*, sic habet: *singulariter sanctum fuit, quidquid Virgo concepit, & per Spiritûs sanctificationem, & Verbi assumptionem.* Ubi distinguit sanctificationem à Verbo habitam vi hypostaticæ unionis à sanctificatione habita vi gratiæ habitualis per Spiritûs sanctificationem; ergo &c. Confirmatur 2. Anima Christi operabatur actus supernaturales mediò principiò intrinsecò, id est, mediis habitibus, qui sunt potentiæ intrinsecæ ordinis supernaturalis, & radicantur in gratia habituali, quæ est quasi natura in ordine superno: non enim est congruum, ut Justi, qui sunt membra Christi, ornentur hac natura ordinis superni, & potentis in illa radicari ad agendum supernè, & quòd Christus, qui est illorum caput, privetur isto ornamento; cùm enim sit speciale caput & hominum, & Angelorum justorum, congruum est, ut habeat naturam aliquam, cui ista membra viva assimilentur; hæc autem non est natura divina, quia neque Angeli, neque puri homines habent naturam divinam, neque est natura humana, quia Angeli naturam humanam non habent; unde ejusmodi natura esse non potest, nisi grâtia habitualis, quæ in omnibus Justis reperitur, & ad quam obtinendam ordinat Christus suos influxus circa viatores omnes, quorum est caput; ergo hæc gratia habitualis concedenda est Christo Domino.

929. Probatur 2. Sanctitas accidentalis est capax denominandi Sanctam humanitatem, & humanitas est capax, ut denominetur sancta à sanctitate accidentali, ut patet in puris hominibus; sanctificatio enim tendit ad naturam; sed hæc capacitas non amittitur ratione sanctificationis substantialis; ergo accidentalis sanctitas unita humanitati Christi Domini sanctificat humanitatem. Maj. & conseq. tenent; min. verò probatur: Sanctificatio accidentalis non imbibit carentiam sanctificationis substantialis habitæ per unionem; ergo illa capacitas non amittitur ratione illius sanctificationis substantialis. Probatur antec. Munus sanctificationis accidentalis, nimirum fieri incompossibilè cum peccato &c. non opponitur muneri sanctificationis substantialis per unionem, quæ etiam affert incompossibilitatem cum peccato; ergo sanctificatio accidentalis non imbibit eam carentiam sanctificationis substantialis.

930. Confirmatur. Capacitas, quam habet materia prima, ut compleatur per formam accidentalem, non opponitur capacitati, quam habet, ut simul compleatur per formam substantialem; ergo capacitas, quam habet humanitas Christi Domini, ut sanctificetur per sanctitatem accidentalem, non opponitur cum capacitate, quam habet, ut simul sanctificetur per sanctitatem substantialem. Probatur conseq. Ideo non opponuntur illæ capacitates materiæ primæ, quia munus formæ accidentalis, quod est disponere ad constitutionem compositi, non opponitur cum munere formæ substantialis, quod est constituere compositum; sed munus sanctitatis substantialis, quod est excludere peccatum ab humanitate, cui unitur, non opponitur cum munere sanctitatis accidentalis, quod est etiam excludere peccatum; ergo &c.

931. Respondebis ex Wadingo, humanitatem Christi Domini non sanctificari à sanctitate accidentali, quia capacitas humanitatis omnino expletur per sanctitatem increatam substantialem. Contrà tamen. Licèt humanitas expleatur, ut non possit fieri intrinsecè magis sancta, non tamen expletur, ut non possit sanctificari ex novo titulo, & ex sanctitate alterius lineæ; ergo licèt non fiat intensivè magis sancta per sanctitatem accidentalè, fiet tamen per illam sancta novo titulo. Prob. conseq. Licèt Petrus habens jus absolutum, & metaphysicè certum ad aliquam hæreditatem, non possit habere ad illam majus jus, potest nihilominus ad eam habere jus novo titulo: ergo pariter in sanctificatione humanitatis. Confirm. 1. Licèt intellectus ex lumine Fidei cognoscat certitudine metaphysica existentiam DEI, potest nihilominus titulo

rationis naturalis simul cognoscere eandem existentiam; imò licèt per aliquam rationem naturalem evidentem cognoscat DEI existentiam, potest ulteriùs illam cognoscere per aliam, & aliam rationem; ergo licèt humanitas Christi Domini non possit perfectiùs sanctificari, quàm per sanctitatem increatam substantialem, poterit adhuc novo titulo sanctificari per sanctitatem accidentalem. Confirmatur 2. ex communi Adversariorum: possunt tres divinæ personæ assumere eandem humanitatem, ut constat à num. 719. quo in casu capacitas humanitatis in ratione subsistendi, licèt expleretur per unam subsistentiam divinam ad subsistendum in ea linea, non ita expleretur, ut non possit simul subsistere per subsistentiam alterius lineæ; ergo idem dicendum est in casu nostro.

932. Assero 2. Gratia habitualis concessa Christo Domino, licèt fuerit maxima omnium inter productas, & producendas, non tamen fuit infinita. Hæc conclusio unum supponit, quod constabit num. 935. & alterum asserit, quo probatur 1. Gratia habitualis Christi Domini est qualitas creata; atqui repugnat qualitas creata infinita; etenim, ut ex Philophia suppono, infinitum categorematicum creatæ perfectionis sive in numero, sive in quantitate, sive in intensione, est chymæra, & metaphysicè repugans essentiæ rei creatæ, ut num. sequenti constabit; ergo &c. Confirmatur ex Divo Thoma 3. part. quæst. 7. artic. 11. ubi ait: *gratia habitualis Christi secundùm quod est quoddã ens, necesse est, quòd sit ens finitum; est enim in anima Christi, sicut in subjecto; anima autem Christi est creatura quædam habens capacitatem finitam; unde esse gratiæ cùm non excedat suum subjectum, non potest esse infinitum*; quibus verbis dupliciter probat Divus Thomas, gratiam habitualem Christi esse finitam. Primò quidem, quia est ens creatum; secundò, quia recipitur in subjecto creato, ac proinde finito: ergo &c.

933. Probatur 2. Ens creatum, & ens limitatum ita sunt mutuò convertibilia, ut non possit esse creatum, si est infinitum in aliqua linea, nec possit esse infinitum in ulla linea, si est creatum; ergo gratia habitualis Christi utpote creata nequit esse infinita. Probatur antec. Si ens creatum, & ens limitatum non ita essent mutuò convertibilia, nulla esset assignabilis ratio, cur repugnaret essentialiter creatura, quæ metaphysica necessitate exigeret produci à DEO ab æterno, quamvis capax esset, ut à DEO destrueretur in tempore: sed talis creatura essentialiter repugnat; aliter producta fuisset à DEO ab æterno contra id, quod docet Fides, qua novimus omnia esse producta in tempore; ergo &c. Probatur maj. quia homo, equus, musca, aut lapis, licèt supponerentur metaphysica necessitate exigentes produci à DEO ab æterno, non exinde haberent infinitatem in omni linea, cùm non essent à se, sed ab alio, à quo & fierent, & postea destrui possent, neque ex hac hypothesi excogitari posset in illis alia infinitas, nisi in una linea durationis categorematicè infinitæ; ergo si infinitudo categorematica in una tantùm linea non esset essentialiter repugnans prædicatis creaturæ, nulla esset assignabilis ratio, cur essentialiter repugnaret creatura, de qua agimus.

Ex hac quippe ratione valde Theologica optimè explicantur, & conferuntur rationes Philosophicæ, quibus probamus, in philosophia repugnare categorematicum infinitum creatum in actu; quia nempe contineret aliquam lineam infinitudinis actu identificatam cum perfectione creata, quod est chymæra; etenim si esset actu infinitum in numero, & multitudine, posset dici: hoc aggregatum est infinitum, proindéque identificat sibi infinitudinem categorematicam in aliqua linea; quod idem est de quocunque alio infinito, sive in intensione, extensione, aut duratione, quod dici non potest de infinito syncàtegorematico, cùm nunquam possit identificare sibi actu infinitudinem, ut constat ex ipsa essentia infiniti syncategorematici; idcirco gratia habitualis Christi Domini humanitatis non potuit esse infinita, sed finita, cujus mensura non quidem ex parte dignitatis personæ, sed ex parte gratiæ determinata est ab ipso DEO; unde sicut præmia categorimaticè finita actu concessa Christo Domino, & effectus categorematicè finiti ab infinita virtute omnipotentiæ actu producti, & producendi debent destinari à voluntate divina, juxta dicta n. 487. sic etiam destinata est gratia habitualis finita, quæ Christo Domino collata fuit.

Quòd autem hæc gratia habitualis concessa animæ Christi Domini fuerit maxima omnium inter productas, & producendas, ut supponebat conclusio, suadetur facilè, quia gratia habitualis, quæ juxta destinationem præsentis providentiæ unicuique conceditur, est major, vel minor juxta majorem, vel minorem dignitatem, & præstantius munus, ad quod unusquisque à Deo eligitur; cúmque dignitas Christi sit infinita absque ulla mensura, & Christus sit caput omnium hominum, & Angelorum, quorum dignitas mensuram habet, exinde gratia habitualis concessa Christo Domino dicitur collata absque mensura, id est, absque mensura dignitatis Christi; aliis verò collata dicitur juxta majorem, vel minorem supernaturalem mensuram eorum; ex quo fit, quòd cùm dignitas Christi sit major dignitate omnium simul hominum, & Angelorum, gratia etiam habitualis Christo collata sit major, quàm tota gratia collata omnibus simul hominibus, & Angelis, ut optimè arguit Eximius Doctor disput. 22. sect. 2.

Idcirco non tantùm ex gratia unionis, sed etiam ex gratia habituali præfulget Christus tantò melior vel ipsis Angelis, quantùm inferre licet ex majore ipsius dignitate; quo in sensu intelligitur Paulus ad Hebræos 1. dicens: *tanto melio-*

melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit: cui enim dixit aliquando Angelorum Filius meus es tu, ego hodie genui te? unde Hieronymus in cap. 11. Isaiæ: *quia in ipso complacuit omnem plenitudinem Divinitatis habitare corporaliter nequaquã per partes, ut in cæteris Sanctis, sed juxta Evangelium, quod hebræo sermone conscriptum legunt Nazarei: descendit super eum omnis fons Domini;* & Cyrillus lib. 1. in Joannem cap. 17. *alii Sancti habuerunt quædam gratiæ munera, Christus amplam, & totam hæreditatem: DEUS enim destinavit gratiam habitualem Christo Domino non quidem ad mensuram suæ dignitatis immensurabilis, sed ad congruitatem suæ dignitatis infinitæ; aliis verò datur ad mensuram donationis Christi,* ex illo Pauli ad Ephesios 4. *unicuique nostrùm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.*

937. Unde in Christo Domino nulla potest excogitari mensura gratiæ habitualis relatè ad personæ dignitatem, sed tantùm relatè ad ipsam gratiam concessam, quæ subinde est mensura gratiæ supra omnes alias simul gratias creaturis concessas; quò respexit Divus Thomas 3. part. quæst. 7. artic. 10 in corp. ubi ait: *sicut aliarum formarum est ex divina sapientia determinata propria mensura, ita & gratiæ* secundùm illud Sapientiæ 11. *omnia in numero, & pondere, & mensura disposuisti; mensura autem uniuscujusque formæ præsigitur per comparationem ad suum finem, sicut non est gravitas major, quàm gravitas terræ, quia non potest esse inferior locus locò terræ: finis autem gratiæ est unio creaturæ rationalis ad Deum; non potest autem esse, nec intelligi major unio creaturæ rationalis ad DEUM, quàm quæ est in Persona, & ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ;* & Gregorius lib. 18. Moral. cap. 14. *nullus Sanctorum quibuslibet virtutibus plenus, existat tamen nigredine mundi collectus, aquarii ei potest, de quo scriptum est, quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI.*

938. Propterea, quando Christus Joannis 1. dicitur gratiâ plenus, modo valde diverso dicitur plenus, quàm Deipara, aut alii Sancti dicantur pleni gratiâ, ut bene exponit Toletus annotat. 47. & in cap. 1. Lucæ annotat. 104. nam alii dicuntur pleni non solùm juxta mensuram gratiæ habitualis, verùm etiam juxta mensuram supernaturalis dignitatis ipsorum; Christus verò non potest dici habituali gratia plenus juxta propriam ipsius dignitatem, sed juxta congruentiam à DEO providentissimè destinatam supra gratiam habitualem respondentem omnium simul creaturarum dignitati; unde humanitas Christi Domini habuit supernaturales habitus intensissimos ad eliciendos actus intensissimos meritorios supra intensionem omnium actuum creaturarum, qui cum dignitate Verbi, qua condignificabantur, constituebant meritum simpliciter infinitum, & condignum omni præmiò, ut constat à num. 427. quo ex titulo dicitur ab aliquibus gratia habitualis in Christo extrinsecè infinita, quatenus scilicet est radix habituum ad rectè operandum, & constituendum meritum cum dignitate personæ; proindéque, cùm illud meritum sit intrinsecè infinitum, & gratia habitualis poterit in hoc sensu dici extrinsecè infinita; quod perinde est, ac non dari ad mensuram dignitatis finitæ, sed ad congruentiam dignitatis infinitæ; cúmque totum hoc conveniat gratiæ habituali Christi, potest exinde dici entitativè, & in ratione qualitatis revera finita, atque in ratione gratiæ infinita.

Iste modus loquendi, cùm nihil aliud significet, nisi quod hucusque diximus, & maximè deceat dignitatem Christi Domini, non est, cur sub data explicatione reprobetur, præsertim cùm ita videatur loqui Divus Thomas 3. p. quæst. 7. artic. 11 his verbis: *alio modo potest considerari gratia secundùm propriam rationem gratiæ, & sic gratia Christi potest dici infinita, eò quòd non limitatur, quia scilicet habet, quidquid potest pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei secundùm aliquam certam mensuram; id, quod ad rationem gratiæ pertinet, eò quòd secundùm propositum DEI, cujus est gratiam mensurare, gratia confertur animæ Christi, sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura* secundùm illud Ephesiorum 1. *gratificavit nos in dilecto Filio suo; sicut si dicatur, lucem solis esse infinitam, non quidem secundùm suum esse, sed secundùm rationem lucis, quia habet, quidquid ad rationem lucis pertinere potest.* 939.

Atque ex his facilè percipitur, quomodo fuerit in Christo gratiæ plenitudo; fuit enim plenitudo gratiæ non solùm substantialis, verùm etiam habitualis, quia habuit summam supra omnem simul gratiam aliis creaturis concessam, aut concedendam, & quia illam habuit à primo suæ conceptionis instanti, ut constat ex num. 923. & ratio ulterior est, quia merita à Christo elicita in primo suæ conceptionis instanti, utpote simpliciter infinita fuerunt tanti valoris, quanti omnia ejus merita simul sumpta; dignitas enim personæ non potuit crescere, cùm à primo instanti verum fuerit dicere de Christo: DEUS est homo, & homo est DEUS, quæ est omnium maxima dignitas; idcirco licèt Deus pro libito suo potuisset minorem, aut majorem gratiam destinare; at destinavit in primo instanti, quantam in hac providentia habiturus erat Christus, proindéque non habuit decursu temporis majorem gratiam habitualem; unde Bernar. Serm. 2. *supermissus est*, ita egregiè discurrit: *sive igitur latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans Doctores in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profectò fuit plenus Spiritu Sancto, nec fuit hora in quacunque ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, aliquid minueretur, vel aliquid adjiceretur, sed à principio perfectus est, à* 940.

principio, inquam, plenus fuit Spiritu sapientiæ, & intellectus, Spiritu consilii, & fortitudinis, Spiritu scientiæ, & pietatis, & Spiritu timoris Domini; quomodo autem dicatur Lucæ 20. *JESUS proficiebat sapientiâ, ætate, & gratia*, constabit à num. 959.

941. Porro in laudem Deiparæ possumus ex his etiam inferre, quòd, licèt habuerit gratiæ mensuram & relatè ad gratiam, & relatè ad ipsius dignitatem, quæ erat pura creatura, ideóque non erat infinita, sed absolutè finita: at quia dignitas Matris Dei est major dignitate omniũ simul hominum, & Angelorũ, exinde gratia collata Deiparæ fuit major, quàm gratia omnium hominum, & Angelorum collectivè sumpta, ut latè probat Eximius Doctor Tom. 2. in 3. part. disput. 18. sect. 4. quocirca Bernardus Homil. 3. *super missus est*, sic ratiocinatur: *legimus in actibus Apostolorum, Stephanum plenum gratiâ, & Apostolos fuisse repletos Spiritu Sancto, sed longè dissimiliter à MARIA, alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in materia; nec illi conceperunt de Spiritu Sancto, quomodo Maria*; & Divus Thomas 3. part. quæst. 7. artic. 10. ad 1. *Beata Virgo dicta est plena gratiâ non ex parte ipsius gratiæ, quia non habuit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ, sed dicitur fuisse plena gratiâ per comparationem ad ipsam, quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem electa erat à DEO, ut esset scilicet Mater unigeniti ejus, & similiter Stephanus dicitur plenus gratiâ, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc, ut esset idoneus minister, & testis DEI, ad quod erat electus, & idem dicendum de aliis; harum tamen plenitudinum una est plenior alterâ, secundùm quod aliquis est divinitus præordinatus ad altiorem, vel inferiorem statum*; quasi diceret, licèt vasa magna, & parva sint plena, multò magis requiritur ad plenitudinem vasis magni, quàm parvi.

942. Assero 3. cum pluribus Nostris, aliisque Thomistis, quos sequitur Gonnetus disput. 12. artic. 1. num. 27. gratia habitualis Christi Domini fuit ejusdem speciei cum nostra. Probatur 1. Christus Dominus est sicut vitis, & omnes Justi, qui simpliciter sunt ejus membra viva, sunt sicuti palmites, juxta illud Joannis 15. *ego sum vitis, vos palmites*; unde sicut vitis, & palmites sunt ejusdem naturæ, ita etiam sunt ejusdem naturæ Christus, & Justi juxta expositionem Augustini Tractatu 8. in Joannem, ubi ait: *iste locus Evangelicus fratres, ubi se dicit Dominus vitem, & Discipulos suos palmites, secundum hoc dicit, quòd est caput Ecclesiæ, nósque membra ejus, mediator Dei & hominum Christus JESUS: unius quippe naturæ sunt vitis, & palmites*; & quamvis relatè ad homines bene intelligatur specifica unitas naturæ propter naturam humanam, quæ in Christo, & in nobis est ejusdem speciei, ut ibi exponit Augustinus; at relatè ad Sanctos Angelos non potest unitas naturæ intelligi propter naturam humanam; siquidem Angeli naturam humanam non habent; Christus autem etiam est caput Sanctorum Angelorum, illique sunt membra simpliciter viva Christi, ut constabit à num. 972. & tradit ipse Augustinus in Psalmum 36. concione 3. his verbis: *caput nostrum Christus est, capitis illius membra nos sumus; nunquid soli nos? omnes qui ab initio fuerunt justi, adjunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum*; unde ad plenam hujus textus intelligentiam oportet, ut alia sit in Christo natura, sive quasi natura specifica communis omnibus ejus membris vivis, nempe & Sanctissimis hominibus, & Angelis, vi cujus membra vera sint Christo similia; hæc autem non potest esse natura substantialis; non quidem divina, cùm neque homines, neque Angeli habeant naturam divinam; non humana, cùm Angeli non habeant naturam humanam: propterea solùm potest esse natura accidentalis ordinis gratiæ, sive gratia habitualis, quæ est quasi natura in ordine supremo; ergo gratia habitualis Christi Domini est ejusdem speciei cum Angelorum gratia, & cum nostra.

Probatur 2. Neque homines, neque Angeli sunt exemplar Christi, neque sunt intenti pro signo priori ad Christum, ut Christus esset similis illis, sed è converso Christus est exemplar hominum, & Angelorum, fuitque intentus pro signo priori ante Angelos, & homines, ut esset in linea morali caput mysticum omnium hominum, & Angelorum, ut constat à num. 779. & 813. & infertur ex Paulo ad Ephesios 1. *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*; & ad Colossenses 2. *estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis*; caput autem mysticum, & morale non debet conformari cum membris, quamvis simpliciter vivis, sed potiùs ea membra debent assimilari suo capiti, ex illo Pauli ad Romanos 8. *quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui*: sed non est alia forma, qua juxta ordinationem præsentis providentiæ melius possint assimilari, nisi gratia habitualis, quæ est vita simpliciter animæ: ergo gratia habitualis in Christo, & in nobis est ejusdem speciei. Confirmatur 1. Demus, quòd excogitentur gratiæ habituales specie distinctæ tum magis, tum minùs perfectæ, videtur excogitari posse alia, quæ sit incomponibilis etiam cum venialibus, altera etiã cum morali imperfectione; alia quæ sit immissibilis in specie, reddárq; naturam impeccabilem, vel quæ sit radix perfectiorũ, & perfectiorum habituum syncategorimaticè in infinitum juxta munus gratiæ magis, & magis perfectæ, & è converso relatè ad minùs perfectam, altera excogitari potest, quæ in patria exigat lumen gloriæ, cui debeatur intuitiva visio solius essentiæ divinæ, & amor ab illa dependens, quæ ei debeatur visio intuitiva personalitatum, licèt totum hoc debeatur lumini, quod exigit in patria hæc gratia, quæ defactò datur; potest quæ

que excogitari altera gratia, cui non debeatur visio intuitiva, sed quidditativa, aut abstractiva in æternum minùs, & minùs perfecta, quæ certè & ratione perfectionis, & ratione terminationis, & ratione statûs valde excederet Beatitudinem purè naturalem, quæ corresponderе potest naturæ integræ. Quibus pro nunc permissis

944. Sic efformatur argumentum: licèt essent possibiles gratiæ perfectiores syncategorematicè in infinitum; tum etiam aliæ minùs perfectæ, quàm gratia, quæ defactò datur, attineret tamen ad omnipotentiam divinam eligere illam, quæ concedenda esset animæ Christi juxta dicta num. 934. quæ quidem in ordine ad radicandos habitus, seu potentias supernas sit quasi natura in ordine superno; ergo ex eo, quòd juxta Evangelium, & expositionem Augustini adductam num. 942. DEUS in hac providentia voluerit Christum se habentem ut caput influens in viva membra Ecclesiæ, cum specifica similitudine in natura, modô, quo substantia vitis respectu palmitum, voluit dare Christo gratiam ejusdem speciei cum illa, quam collaturus erat reliquis Justis, qui sunt membra Ecclesiæ simpliciter viva. Confirmatur 2. Quòd Christus habeat gratiam habitualem ejusdem speciei cum nostra, non repugnat unioni hypostaticæ, visioni beatificæ, vel statui, aut muneri Christi Domini, capitis scilicet, Pontificis, & reparatoris nostri; atqui in his, quæ eam repugnantiam non habent, voluit Christus, ut illi similes essemus, atque ita voluit manere similis nobis, ut colligitur ex Paulo ad Hebræos 2. *debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad DEUM, ut propitiaret delicta populi*: ergo voluit, quòd Justi haberent gratiam, sive naturam in ordine superno ejusdem speciei cum gratia Christi.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

945. OBjicies 1. contra primam assertionem ex Wadingo: humanitas Christi Domini sanctificatur per gratiam substantialem omni perfectione, qua potest sanctificari; ergo non sanctificatur per sanctitatem accidentalem. Confirmatur. Si quis sit per obligationem infinitam obligatus, non potest magis obligari; ergo si humanitas sit sanctificata per sanctitatem substantialem infinitam, non poterit per sanctitatem accidentalem sanctificari. Respondeo dist. antec. omni perfectione, qua potest sanctificari formaliter in sua linea, & eminenter in altera, conc. formaliter in sua linea, & formaliter etiam in altera, nego antec. & consequentiam; nam quoties una linea ita continet eminenter, & infinitè alteram, ut non opponatur cum ratione formali alterius, solùm infertur, quòd non sit major perfectio, continere alteram lineam formaliter, quàm continere illam eminenter, ut constat à num. 455. at nequaquam infertur, quòd non possit utramque simul continere; sic natura divina in Patre continet eminenter paternitatem, & quia paternitas non opponitur cum natura divina, Pater continet simul naturam, & paternitatem. Idem ergo dicendum est de gratia substantiali, & accidentali humanitatis Christi Domini in ordine ad sanctificandum, cùm non sint effectus oppositi relatè ad humanitatem duo illi effectus sanctificationis, licèt admitti non possint in ordine ad reddendum Christum Filium DEI naturalem, & adoptivum, quia isti sunt effectus oppositi.

Quippe ad denominationem filii naturalis 946.
requiritur natura propria, & non extranea, & ad denominationem filii adoptivi requiritur natura extranea, & non propria, sive quæ jam sit emancipata. Sic apud Adversarios casu, quo tres divinæ personæ assumerent eandem numerò humanitatem, quamvis illa humanitas subsisteret per subsistentiam patris simpliciter infinitam, non impediretur, ut simul subsisteret per subsistentiam alterius rationis, æquè infinitam, nempe per subsistentiam Filii, aut Spiritûs Sancti, ut constat à num. 719. quia isti effectus non sunt oppositi relatè ad naturam assumptam, licèt componi non posset, quòd Pater esset Filius, aut Spiritus Sanctus; quia istæ denominationes sunt inter se relativè oppositæ, ut constat à num. 719. Ad Confirmationem dist. antec. non potest magis obligari, id est, non potest obligari per obligationem alterius rationis, quæ non contineatur eminenter in prima, conc. quæ non contineatur eminenter, & formaliter, nego antec. & consequentiam, ut constat ex dictis. Sic DEUS, quamvis obligetur per obligationem infinitam simplicis promissionis, aut summæ veritatis, potest etiam obligari per obligationem alterius rationis simpliciter infinitam, nempe juramenti, juxta illud Psalmi 109. *juravit Dominus, & non pœnitebit eum*, & Psalmi 131. *juravit Dominus David veritatem.*

Objicies 2. instando solutionem: si humani- 947.
tas Christi sanctificaretur per sanctitatem substantialem, & accidentalem, esset magis Sancta, quàm Verbum sanctificatum duntaxat per sanctitatem substantialem: sed hoc dici non potest; ergo &c. Respondeo nego maj. quia eò ipsò, quòd sanctitas substantialis increata sit simpliciter infinita, continet eminentia perfectissima quamcunque aliam sanctitatem; unde à nulla alia sive conjunctim, sive seorsim potest reddi sancta humanitas magis, quàm ab ista; ad eum modum, quo tres simul personæ divinæ non possunt esse magis Sanctæ, aut magis perfectæ, quàm una sola persona, ut constat à num. 455. & 919. Unde solùm potest dici etiam sanctificata novô titulô formali sanctitatis alterius rationis. Quin potiùs Verbum divinum sanctificatur à sanctitate substantiali increata

per identitatem; humanitas verò sanctificatur à sanctitate substantiali, & accidentali duntaxat per unionem, ex quo humanitas nequit ullo modo esse tam sancta, quàm sanctum est Verbum divinum, ut constat à num. 906.

948. Objicies 3. Si in Christo ut homine esset gratia habitualis, qua sanctificaretur humanitas, sequeretur, quòd Christus ut homo esset Filius DEI adoptivus; siquidem gratia habitualis est filiatio DEI adoptiva, ut infertur ex Scriptura ad Roman. 8. *accepistis Spiritum adoptionis*, ad Ephesios 1. *prædestinavit nos in adoptionem filiorum*; unde Tridentinum sess. 6. cap. de gratia habituali, qua homo justificatur, esse ait, *translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei*: sed Christus dici non potest Filius DEI adoptivus; ergo non habet gratiam habitualem; ac proinde humanitas Christi non sanctificatur à gratia habituali. Respondeo nego sequel. maj. quia ad denominationem filii adoptivi, ut suprà diximus, & infrà fusiùs dicemus, requiritur natura extranea, & non propria; sicut requiritur natura non constituens cum natura adoptantis unum per se, quod naturaliter exigat possessionem adoptantis. Qua de causa Spiritus Sanctus, licèt non sit filius naturalis, est incapax adoptari in filium; quia nempe constituit unum per se subsistens cum eadem natura Patris, & Filii, quod naturaliter exigit possessionem Patris, & Filii; cúmque natura humana Christi non sit DEO extranea, sed propria, & constituat unum per se subsistens, quod naturaliter exigit possessionem Patris; exinde est incapax hujus denominationis filii adoptivi; forma enim non potest communicare suum effectum formalem, nisi subjecto capaci, & expedito ad talem denominationem, non vero subjecto ad eam denominationem impedito; sicut qualitas dolorifera, licèt uniretur Beato in patria, non posset illum denominare dolentem, quia ad istum effectum dolendi est impeditus donò impassibilitatis; quin potiùs adoptio, ut docet Divus Thomas 3. part. q. 23. artic. 4. ad 3. tantùm respicit personam: persona autem Filii naturalis DEI nequit adoptari in Filium.

949. Objicies 4. Eminentialis continentia alicujus formæ impedit in subjecto capacitatem ad denominationem formalem convenientem tali formæ; sic Sol, quia est calidus eminenter, nequit esse calidus formaliter; atqui sanctificatio substantialis continet eminenter sanctificationem accidentalem; ergo humanitas Christi sanctificatur à sanctitate divina substantialiter, nequit à gratia habituali sanctificari accidentaliter. 3. dist. maj. ex præciso conceptu eminentialis continentiæ, nego, ex conceptu speciali continentiæ oppositæ effectui formali talis formæ, conc. maj. & dist. min. continet eminenter eminentiâ oppositâ effectui formali sanctificationis, nego, non oppositâ, conc. min. & nego consequentiam. Ratio est, quia si ex præciso conceptu continentiæ eminentialis excluderetur denominatio etiam formalis, nunquam possent simul componi eminentialis, & formalis continentia; cùm autem sæpe simul componantur, ut constat à num. 948. si aliquando non componantur, id non provenit ex præciso conceptu eminentialis continentiæ, sed ex aliquo conceptu peculiari talis continentiæ; in præsenti autem talis conceptus peculiaris non datur, ut constat ex testimoniis, & rationibus superiùs adductis, ex quibus erimus, 952
humanitatem Christi & sanctificari gratia substantiali, & gratia accidentali; unde Sol non est incapax caloris formalis ex solo conceptu continentiæ eminentialis, sed quia juxta communem sententiam est naturaliter incorruptibilis, subindéque incapax suscipiendi denominationem qualitatis alterativæ, nempe calidi.

Objicies 5. Si humanitas Christi sanctificaretur gratia accidentali, ita fuisset sanctificata à primo creationis instanti, quod significaretur unctione Spiritûs Sancti supra unctionem habitam per naturam divinam: sed non fuit ita sanctificata à primo creationis instanti; ergo &c. Probatur min. Divus Hieronymus Isaiæ 7. docet, Prophetiam de Christo ungendo Spiritu Domini impletam esse in Baptismo, cùm Spiritus Sanctus in Christum descendit columbæ specie; siquidem ipse Dominus Lucæ 4. statim à Baptismo ingressus Synagogam, & interpretatus de se illud Isaiæ, *Spiritus Domini super me, eò quòd unxit me*, subjunxit: *hodiè impleta est hæc prophetia*; ergo non fuit unctus, aut sanctificatus gratia habituali à primo creationis instanti. Respondeo conc. maj. & nego min. ad probationem dist. antec. impletam esse in Baptismo quoad externam declarationem, & significationem internæ sanctitatis membrorum, conc. quoad internam Christi unctionem, & sanctificationem, nego antec. & consequentiam. Ratio est, quia, ut bene interpretatur Toletus in cap. 1. Joannis annotat. 71. ea verba Prophetæ non solùm significabant internam Christi sanctitatem, sed ejus etiam sanctitatis declarationem eo die factam, ac proinde eo die impleta fuit hæc prophetia. 953.

Ex his autem non infertur, quòd Christi humanitas non fuerit internè sanctificata ea sanctitate à primo creationis instanti, ut bene notârunt Rupertus lib. 1. de operibus Spiritûs S. cap. 20. dicens: *non ut esset Christus, id est, non ut tunc primùm ungeretur, qui in primordio suæ conceptionis plenarie fuerat unctus, sed ut manifestaretur in Israël, quòd esset Christus; ideo circo super unctum venit unctio ejus, venit visibili specie super Christum ipse Spiritus Sanctus*; & Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 26. *Dominus ipse JESUS Spiritum Sanctum non solùm dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo, propterea dictus est plenus gratiæ*; & manifestiùs de illo scriptum est in Actibus Apostolorum: *quoniam unxit eum Deus Spiritu Sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significa-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ficatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia, nec sanè tunc unctus est Christus Spiritu Sancto, quando super eum baptizatum veluti columba descendit &c. sed ista mystica, & invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum DEI Caro factum est, id est, quando humana natura sine ullis præcedentibus bonorum operum meritis DEI Verbo est in utero Virginis copulata, ita, ut cum illo fieret una persona.

Objicies 6. contra secundam assertionem: 952. Christus habuit gratiam habitualem sine mensura, juxta illud Joannis 3. *non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio*; atqui gratia habitualis sine mensura est summa, & intensivè infinita: ergo gratia Christi habitualis est intensivè infinita. Confirmatur 1. Gratiæ habituali Christi convenit ex conjunctione cum Verbo posse mereri aliis majorem, & majorem gratiam sine fine; ergo est infinita. Confirmatur 2. Calori, qui est instrumentum ignis, convenit ex conjunctione cum igne producere tantum calorem, quantum potest producere ignis; ergo gratiæ habituali Christi ex conjunctione cum Verbo convenit posse producere tantam gratiam habitualem, quantam posset Verbum, ac proinde infinitam. Confirmatur 3. Si gratia habitualis Christi esset intensivè infinita, sequeretur, quòd Christus potuit esse DEO magis gratus; siquidem potuisset habere majorem gratiam; sed hoc manifestè repugnat dignitati Christi; ergo &c. Confirmatur 4. Si gratia habitualis Christi esset intensivè finita, purus homo posset habere tantam habitualis gratiæ intensionem, quantam habet Christus: sed hoc dedecet dignitatem Christi, & excedit limites puri hominis; ergo &c. Confirmatur 5. Gratia habitualis, cùm sit accidens, licèt esset infinita, non esset DEUS; ergo esset creatura, ac proinde non repugnans.

953. Respondeo dist. maj. sine mensura relatè ad dignitatem personæ, conc. relatè ad qualitatem gratiæ, nego maj. & distincta min. nego consequentiam. Ratio est, quia cùm dignitas personæ Christi sit simpliciter infinita, non potest ex parte sui habere mensuram; sicut omnipotentia ex parte sui non potest habere mensuram, quia est simpliciter infinita: unde sicut omnipotentiæ non repugnat, quòd designetur à voluntate divina terminus ab ipsa producendus; ita non repugnat dignitati Christi, quòd à voluntate divina designetur gratia habitualis ipsi concedenda: idcirco ea verba Joannis intelliguntur de natura divina illimitata, quam DEUS ab æterno dedit Filio per identitatem, quámque in tempore dedit humanitati per unionem, vi cujus verum est dicere: homo est Deus, & DEUS est homo, & Filius DEI est æqualis DEO; unde ad ea verba Glossa interlinearis ait, ut tantus sit Filius, quantus Pater, quod solùm de Christo ut DEO verificari potest; nam secundùm humanitatem minoratus est paulò minùs ab Angelis. Ad primam Confirmationem dist. antec. convenit ex virtute dignificativa gratiæ habitualis, nego, ex virtute divini Verbi condignificativa operationis elicitæ à gratia habituali, quæ operatio cum infinita dignitate Verbi constituit meritum Christi, conc. antec. & nego consequentiam, ut constat à num. 412.

Ad secundam Confirmationem omitto ant. 954. quod falsum est; nam ignis potest producere illum calorem, qui est ignis instrumentum; calor verò non potest se ipsum producere, & nego consequentiam; quia juxta hanc sententiam, quam permittimus, calor exigit ex suis intrinsecis ignem, in quo sit tanquam principium *quod*, cujus est instrumentum, & tota virtus agendi; at gratia habitualis, ut constat à num. 98. non exigit ex intrinsecis suis Verbum, in quo sit tanquam in principio *quod*, neque dici potest relatè ad Verbum tota virtus agendi; siquidem hæc convenit Verbo ratione omnipotentiæ. Ad tertiam Confirmationem nego sequelam; quia gratia increata substantialis continet perfectissimâ eminentiâ totam perfectionem gratiæ habitualis: unde Christus à gratia habituali dici non potest magis gratus DEO, sed gratus novo formali titulo præcontento eminenter in gratia Verbi substantiali simpliciter infinita, ut diximus num. 947. Ad quartam Confirmationem dist. maj. posset in hac providentia, negò, de potentia absoluta in altera providentia, conc. maj. & dist. min. nego consequentiam, ut constat à num. 935. Quare in altera providentia etiam posset DEUS designare humanitati Christi majorem gratiæ habitualis intensionem, quam modò designavit, ut in hac perfectione staret etiam excessus inter caput morale, & membra. Ad quintam Confirmationem conc. antec. & nego consequentiam; quia chymæra neque DEUS est, neque creatura, cúmque illa gratia, ut constat ex n. 933. esset chymæra, exinde neque esset Deus, neque creatura. Ex his autem

Objicies 7. contra id, quod in secunda asser- 955. tione supponimus: Christus in hac providentia est caput morale omnium hominum, & Angelorum, ac proinde retinet proportionem requisitam inter caput, & membra; atqui caput non debet esse majus, sed potiùs minus, quàm omnia simul membra; esset quippe monstruosum caput grandius, quàm totum reliquum corpus; ergo neque debet habere majorem, sed potiùs minorem gratiam habitualem, quàm omnia simul membra. Confirmatur 1. Christus habuit totam suam gratiam habitualem à primo instanti Incarnationis Verbi; sed in primo instanti non habuit actum magis intensum supra intensionem actuum creaturarum omnium; ergo neque gratiam intensam supra intensionem gratiæ omnium creaturarum. Confirmatur 2. Non datur gratia habitualis major illâ, quæ satis est ad plenitudinem; sed Deipara, Stephanus, & Apostoli habuerunt gratiam, quæ satis est ad plenitudinem; siquidem fuerunt pleni gratiâ; ergo gratia habitualis

Christi

Christi non fuit major, quàm gratia Justorum omnium.

956. Respondeo conc. maj. & dist. min. quàm omnia membra simul, si sit caput physicum, conc. si sit caput morale, nego min. & conseq. Ratio est, quia analogia inter caput morale, & physicum, licèt sit penes aliqua, non est penes omnia; est enim penes aliqua: nam ut ait Augustinus Epist. ad Dardenum, stat hæc similitudo inter Christum, & membra quoad influxum, qui à capite derivatur in membra, & quoad eminentiam ejus supra alia membra, & quia sicut in capite sunt omnes sensus, ita & in Christo fuerunt omnes gratiæ; deficit tamen similitudo in hoc, quòd, quia in naturalibus, præsertim in viventibus, caput est etiam membrum, recipitque influxum ab aliis membris, à quibus sustinetur, ideóque ut sit proportionatum, habere debet minorem quantitatem molis, quàm totum corpus; at Christus ita est caput nostrum morale, ut non sit membrum nostrum, neque à nobis sustentatur, neque à nobis accipit influxum, sed tantùm confert, ita, ut de plenitudine ejus omnes recipiamus. Ad hanc autem prærogativam conferendi, & non recipiendi influxum à membris non obest, sed potiùs prodest, quòd caput sit majoris dignitatis supra dignitatem omnium simul membrorum; unde penes hoc apparet manifestum discrimen.

957. Ad primam Confirmationem conc. maj. & nego min. quia ardentissima Christi charitas erga DEUM saltem beatifica, & necessaria subsecuta ad lumen gloriæ, & scientiam per se infusam, jam à primo conceptionis instanti fuit ad mensuram habituum per se infusorum correspondentium intensioni gratiæ habituali; quin potiùs, cùm Christus fuerit moraliter necessitatus ad perfectissimè operandum, ut diximus n. 886. non est, cur debeamus negare, quòd Christus adhuc in ordine naturali ita perfectissimè operatus fuerit ardentissimum actum charitatis æqualem intensioni naturalium virtutum: unde cùm intensio earum virtutum fuerit supra intensionem cujuscunque alterius repertæ in creaturis simul sumptis; ita & intensio sui actus fuit supra intensionem actuum aliarum creaturarum. Cæterùm data, & non concessa min. nego consequentiam; quia opera Christi ratione suæ limitationis non limitant meritum; nam defectus cujusque intensionis satis, superque compensatur ab infinita dignitate personæ, quæ cum operatione minùs intensa constituit meritum simpliciter infinitum non minùs, quàm cum operatione magis intensa, ut constat à num. 412. unde licèt permittatur actus minùs intensus, adhuc gratia habitualis retineret in Christo totam suam intensionem; idcirco præscindendo ab ista actûs intensione, dixit optimè Divus Thomas 3. part. quæst. 35. artic. 4. *Christus in primo instanti suæ conceptionis accepit non solùm tantam gratiam, quantam comprehensores habent, sed etiam omnibus comprehensoribus majorem.*

Ad secundam Confirmationem dist. maj. quæ satis est ad actualem plenitudinem Christi, conc. ad actualem plenitudinem alterius minoris Christô, nego maj. & concessa min. nego consequentiam; quia eo ipso, quòd alii sint minores, gratia habitualis sufficiens ad eorum plenitudinem est in hac providentia valde minor, quàm gratia requisita ad plenitudinem Christi Domini, ut bene notavit Origenes Homilia 29. in Lucam: *quando legis in Evangelio JESUS autem plenus Spiritu Sancto reversus est; & in Actibus Apostolorum, ubi dicitur, quòd repleti fuerunt Spiritu Sancto, vide, ne æquales putes esse Apostolos Salvatori, sed & JESUM, & Apostolos, & alium quemlibet Sanctorum plenos Spiritu Sancto agnosce secundùm mensuram vasculi sui, & quomodo v. g. si volueris dicere, hæc vasa plena sunt vinô, & oleô, non statim judicas, quòd æquali mensura plena sint; siquidem aliud sextarium capere potest, aliud urnam, aliud amphoram; eodem modo & JESUS, & Paulus pleni erant Spiritu Sancto, sed multò vas Pauli minus erat vase JESU, & tamen erat secundùm mensuram utrumque completum*; quod idem docent Sanctus Bernardus, & Sanctus Thomas citati num. 941.

Objicies 8. Si Christus à primo instanti conceptionis habuisset totam eam intensionem habitualis gratiæ, non acquisivisset decursu temporis majorem gratiam: sed acquisivit majorem gratiam, juxta illud Lucæ 2. *JESUS autem proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud DEUM, & homines*; ergo &c. Confirmatur. Eodem modo dicitur Christus profecisse in gratia, quo in ætate, & sapientia: sed verè profecit in ætate, & non solùm in operibus ætati proportionatis, & in habitibus sapientiæ exercitio actuum acquisitis juxta Divum Thomam 3. part. quæst. 9. artic. 4. ergo profecit etiam in gratia habituali.

Respondeo dist. non acquisivisset majorem gratiam, sumptâ gratiâ pro corporis pulchritudine juxta phrasin Scripturæ, vel pro bono opere à gratia habituali elicito, quod ex doctrina Scripturæ à Patribus cum Augustino vocatur gratia, nego, sumptâ gratiâ pro habituali forma sanctificante, conc. maj. & distincta min. nego consequentiam. Ratio est, quia gratia aliquando sumitur pro corporis pulchritudine juxta illud Proverbiorum 31. *fallax est gratia, & vana pulchritudo*; quo in sensu cùm puer JESUS apud DEUM, & homines pulchrior corpore, atque in dies speciosior apparuit, & delectus ex millibus; exinde etiam in hac gratia profecit. Præterea, cùm opera omnia à gratia elicita verè etiam dicantur gratia, imò juxta Augustinum cap. 11. de corrept. & gratia lum. ea gratia, quæ vocatur auxilium, sive adjutorium, quo & puer JESUS in dies nova, & nova gratiæ opera eliceret, hoc modo etiam coram DEO, & hominibus profecit. Eodem proculdu

prorsus modo dicitur in sapientia profeciſſe, quatenus opera à sapientia elicita juxta Scripturæ phraſin vocantur etiam sapientia, ut Paralippomenon 9. & 3. Reg. 10. quo in sensu Lucæ 11. de Regina Saba dicitur: *venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis;* id est, audire verba profata ex sapientia Salomonis; ex his autem minimè infertur, quòd Christus decursu temporis creverit in gratia habituali sanctificante, aut in habitu sapientiæ, sed in cognitione experimentali, ut dicemus à num. 1028. cùm enim Christus ab initio suæ conceptionis fuerit beatus, & qui sunt in statu beatifico, neque in gratia sanctificante, neque in habitu sapientiæ crescant, minimè congruit dignitati Christi, quòd in his decursu temporis creverit.

961. Ad Confirmationem retorqueo argumentum: eodem modo dicitur profeciſſe in gratia, & sapientia, quàm in ætate: sed ad proficiendum in ætate necesse non est quidquam rationabiliter agere, ut patet in dormientibus, qui, dum dormiunt, in ætate proficiunt: ergo necesse non est rationabiliter aliquid agere ad proficiendum in gratia, & sapientia. Resp. deinde dist. maj. eodem modo, id est, intelligendo similitudinem quoad aliqua, conc. quoad omnia, nego maj. & concessa prima, atque data secunda parte min. nego consequentiam; quia progressus in ætate fit correspondendo pluribus & pluribus transeuntibus temporis durationibus, & hoc modo etiam profecit in gratia, & sapientia eliciendo plures & plures actus transeuntes gratiæ, & sapientiæ; unde penes hoc jam datur similitudo; at non exinde datur penes alia; nam progressus in ætate relatè ad corporis augmentum illius, qui simul est beatus, & viator, non obest statui beatifico, nec minuit naturales animæ perfectiones; progressus verò in sapientia, & gratia sanctificante non convenit existenti in termino statûs beatifici, quæ est perfectio Christo non deneganda; unde penes hoc non erat similitudo inter intrinsecum quantitatis incrementum ætate acquisitum, & intrinsecum incrementum sapientiæ, & gratiæ sanctificantis.

962. Objicies 9. contra tertiam assertionem: gratia, quæ potest augeri, distinguitur specie ab illa, quæ non potest augeri; sed licèt gratia nostra possit augeri, at gratia habitualis Christi non potest augeri: ergo gratia habitualis Christi distinguitur specie à nostra. Probatur min. Singulis qualitatibus datur certus terminus augmenti, ultra quem augeri nequeunt: ergo & dari debet gratia habitualis Christi, quæ summa fuit. Confirmatur ex Divo Thoma in 3. dist. 13. quæst. 1. artic. 2. quæstiunculâ 2. ad 2. ubi de Christi humanitate ait: *omne, quod pertinet ad perfectionem gratiæ, collatum ei fuit,* & 3. part. quæst. 7. artic. 9. ubi docet, *gratiam fuisse plenam in Christo:* ergo &c. Respondeo omissa maj. quæ falsa est, nego min. ad probationem dist. antec. singulis qualitatibus naturalibus, quæ radicantur, & respiciunt exigentiam potentiæ naturalis limitatæ, omitto, singulis qualitatibus, quæ respiciunt potentiam obedientialem, nego antec. & consequentiam; nam qualitates naturales, quæ respiciunt exigentiam potentiæ naturalis limitatæ, commensurantur ad mensuram potentiæ habentis terminum magnitudinis, ac proinde possunt habere naturalem terminum magnitudinis, supra quem crescere, & augeri naturaliter non possunt; at verò qualitates supernaturales, quæ respiciunt potentiam obedientialem, commensurantur ad mensuram omnipotentiæ potentis producere magis, & magis syncategorematicè in infinitum, unde supernaturaliter possunt magis, & magis augeri syncaregorematicè in infinitum; ideóque nequit ipsis assignari terminus magnitudinis, supra quem augeri non possint.

Ad Confirmationem conc. ant. & nego con- 963.
sequentiam; quia in his testimoniis Divus Thomas loquitur de perfectione gratiæ habitualis Christi, & de incremento ipsius juxta divinam destinationem ipsius præsentis providentiæ, non verò juxta proportionem dignitatis Christi cum majori gratia habituali, quam Deus potuisset illi destinare in alia providentia, & secundùm aliam divinam ordinationem; quod clarè docet Divus Thomas hac 3. part. quæst. 2. art. 4. ad 3. ubi ait: *dicendum, quod sicut supra dictum est de gratia, non potest esse major gratia Christi per respectum ad unionem Verbi, ideo etiam dicendum est de perfectione divinæ visionis, licet absolutè considerando possit esse aliquis gradus sublimior secundùm infinitatem divinæ potentiæ;* & artic. 12. *virtus divina potest facere aliquid majus, & melius, quàm sit habitualis gratia Christi,* & 2. 2. quæst. 24. artic 7. in corp. *ipsa charitas secundùm rationem propriam speciei terminum augmenti non habet: est enim participatio quædam divinæ charitatis; similiter etiam causa agens charitatem est infinitæ virtutis, scilicet DEUS; & similiter etiam ex parte subjecti terminus præfigi non potest, quia semper charitate crescente superexcrescit habitus ad hujusmodi augmentum.*

* * *

DISPUTATIO XXIII.

DE GRATIA CAPITALI CHRISTI DOMINI.

964. GRatia capitalis illa dicitur, ratione cujus Christus Dominus influit ut caput in membra juxta indigentiam membrorum; cæterùm inter hoc caput mysticum, & caput naturale, inter plura alia, de quibus diximus n. 956. est hoc magnum discrimen, nempe quòd caput

caput naturale non habet vim progignendi sibi membrum, sed tantùm conservandi, & vitaliter movendi per continuum influxum vitalium spirituum, subindéque amittit rationem, & munus capitis respectu membri aridi, vel abscissi; at Christus ut caput mysticum non solùm habet virtutem conservandi, & vitaliter movendi motu vitæ supernaturalis membra sibi actu conjuncta per gratiam habitualem, quæ, cùm tollat mortem animæ, sive peccatum mortale, exinde est, & dicitur vita animæ, eíque tribuit jus ad vitam æternam. Idcirco licèt Christus sit speciale caput Justorum, ut diximus num. 942. est etiam aliquo modo caput omnium viatorum, quatenus pro omnibus confert auxilia, quibus possint ad vitam æternam pervenire, & convivere Christo capiti media gratia sanctificante. Unde est perfectissimum caput omnium Justorum, est etiam, licèt non tam perfectè, caput omnium fidelium peccatorũ eodem cultu communicantium, cùm isti omnes sint membra Ecclesiæ, ut diximus à num. 314. & 315. de Fide; tandem est etiam caput, licèt minus perfectum, omnium viatorum infidelium, sive eorum, qui sunt extra Ecclesiam, cùm ad eos omnes extendat Christus suos influxus, ut etiam ad Ecclesiam, & ad vitam animæ possint pervenire, quò respexit Alexander VIII. inter triginta unam propositiones damnans quartam, quæ sic habebat: *dedit semetipsum pro nobis oblationem DEO nostro, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus;* & secundam: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à JESU Christo influxum, adeóque hic rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficientem.* Ex quo fit, Christum non esse caput damnatorum, quia illi nullum habent, nec sunt habituri à Christo influxum quo ad Ecclesiam, & ad vitam animæ pervenire possint; siquidem in Inferno nulla est redemptio. Agimus igitur de Christo capite respectu viatorum, & quærimus, à qua gratia habeat Christus munus capitis, & an hoc munus illi conveniat ratione humanitatis, vel ratione Divinitatis, aut ratione utriusque, vel quomodo ratio capitis possit convenire Christo relatè ad Angelos.

SECTIO I.

Quomodo conveniat Christo Domino munus, & ratio Capitis?

965. Assero 1. Christus est caput viatorum, ut DEUS homo, ac proinde non solùm habet munus capitis secundùm gratiam solùm accidentalem, aut secundùm gratiam solùm substantialem, sed secundùm utramque. Probatur 1. Christus est caput viatorum, quatenus est omnium Redemptor aut præservativus, aut recuperativus per sua merita, & satisfactionem, juxta illud Pauli 1. ad Timoth. 4. *qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium,* quibus verbis ostenditur, quòd, licèt Christus sit Salvator maximè fidelium, absolutè tamen non est tantùm Salvator fidelium, sed etiam omnium, ut etiam constat ex Alexandro VIII. cit. num. superiori; atqui non solùm ut Deus, neque solùm ut homo, sed ut DEUS homo, neque secundùm gratiam solam accidentalem, aut solam substantialem, sed secundùm utramque simul est omniũ Redemptor; etenim neque ut Deus solùm poterat mereri condignè, & satisfacere, neq; ut purus homo, sed poterat condignè mereri, & satisfacere, ut constat à n. 2[illegible] ubi inter alios SS. PP. Leo Papa expresè ait: *nisi esset verus Deus, non afferret remedium, nisi esset verus homo, non præberet exemplum;* & Basil. *redimet homo, non homo nudus, sed homo Deus JESUS Christus;* quia &c. ut ibi ipse &c.

Probatur 2. Ex triplici titulo convenit Christo analogia capitis. Primo ex primatu, & nobilitate. Sic Christus est nobilior, & primogenitus ante omnem creaturam. Secundo ex perfectione, quia caput est perfectius, utpote habens in se omnem gratiæ plenitudinem. Tertio ex influxu, quia capitis est gubernare, & influere in alia membra: ita Christus gubernatione, & influxu fovet, & communicat virtutem membris, quæ omnia inferuntur ex Paulo ad Coloss. 1. ubi de Christo ait: *& ipse est caput corporis Ecclesiæ*: & reddens rationem subdit: *qui est principium, primogenitus ex mortuis*; ecce primam capitis proprietatem, scilicet primatum, *quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*, ecce secundam ejus prærogativam, nimirum perfectionem, *& per eum reconciliare omnia*, quæ est tertia capitis prærogativa, & proprietas, virtus scilicet, & influxus in cætera membra: ex hoc enim conveniunt Christo, ut est DEUS homo, & secundùm gratiam simul accidentalem, & substantialem; siquidem ab accidentali principia intrinseca habet, quibus eliciat operationem meritoriam, & satisfactoriam, ut constat à num. 924. & à gratia substantiali habet formalem condignificationem, ex qua operatione consurgit meritum, & satisfactio Christi, ut constat à num. 412. ergo &c.

Assero 2. Christus est caput non solùm omnium viatorum, aut eorum, qui in Purgatorio detinentur, sed etiam Beatorum, non tamen est secundùm eundem, sed secundùm diversos gradus. Probatur 1. ex Divo Thoma 3. part. quæst. 8. artic. 3. in corp. ubi ait: *Christus est caput omnium hominum, sed secundùm diversos gradus; primò enim ut principaliter est caput eorum, qui sibi uniuntur actu per gloriam; secundò eorum, qui uniuntur sibi per charitatem; tertiò eorum, qui actu uniuntur sibi per fidem; quartò verò eorum, qui uniuntur sibi in potentia ordinem producta ad actum, quæ tamen in actum reducenda est secundùm divinam prædestinationem; quintò vero eorum, qui sibi in potentia uniti sunt, quæ nunquam reducetur ad actum, sc.*

cut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt prædestinati, qui tamen in hoc sæculo decedentes totaliter esse desinunt membra Christi, quo casu nec sunt in potentia, ut Christo uniantur. Quibus verbis clarè traditur, & explicatur nostra conclusio, & formatur ratio, quam jam subjungo.

968. Probatur 2. propositio: illa sunt membra Christi, quæ gaudent Christi influxu, quo vel retinent, vel obtinere possunt vitam æternam; atqui influxus ipse, licèt ad omnes viatores extendatur juxta illud Joannis 1. ubi de Christo dicitur: *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quatenus omnibus viatoribus adultis auxilia confert pro ipsis, tum etiam & ipsis pro parvulis, ut ait Prosper lib. 3. de vocatione Gentium cap. 17. *in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia salutaris illuxit, quibus tamen illa necessaria mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur*; & cap. 23. ubi de parvulis, *non irreligiosè arbitror credi, quòd isti paucorum diverum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impertita nationibus, qua utique, si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur:* & licèt extendatur ad purgantes, & Beatos, cùm isti ratione influxûs à Christo accepti, & perseverantis in eorũ gratia, quæ ubique duratura est per totam æternitatem, vi cujus nunquã sejungendi sunt à Christo capite, nihilominus influxus ille non est secundùm eundem, sed secundùm diversos gradus, ut ex terminis patet; siquidem aliquibus confertur purè sufficiens, aliis verò efficax, aliquibus valde remotum, aliis minùs, alteri jus proximum ad salutem; ergo &c.

969. Confirmatur, & explicatur hæc propositio: licèt Christus omnium hominum sit caput, ejúsque influxus extendatur non solùm ad omnes, qui sunt intra Ecclesiam, sive membra Ecclesiæ, verúm etiam ad illos, qui sunt extra Ecclesiam, & fieri possunt membra Ecclesiæ, quatenus possunt obtinere Fidem in Christum, eodémque societatis cultu communicare cum aliis membris, cùm ea Fides sit forma membrorum Ecclesiæ, quæ non sunt in patria; scilicet beatitudo, aut lumen gloriæ est forma membrorum Ecclesiæ triumphantis, ut diximus n. 314. & 325. at in hoc ipso apparet manifestum discrimen dictorum graduum relucentium in influxu membrorum Ecclesiæ relatè ad caput mysticum, nempe Christum; siquidem illi viatores, qui carent Fide, non sunt actu intra Ecclesiam, nec membra actualia Ecclesiæ, nec actu unita Christo per formam membrorum, quæ est Fides, sed solùm habent influxum, quo possunt fieri membra, qua conditione non dicuntur membra Christi in actu, sed in potentia; alii verò dicuntur actu membra Christi magis, vel minùs perfecta, ut distinctè explicat Divus Thomas citatûs num. 967. cùm aliqui magis perfectè uniantur Christo capiti per gloriam, quàm alii per solam gratiam sanctificantem, at & alii magis perfectè per gratiam sanctificantẽ, quàm alii per solam Fidem; imò respectu viatorum, qui carent Fide, licèt Christus sit caput actu influens, non est caput actu unitum forma membrorum, ut ex dictis constat; ergo &c.

Assero 3. Christus Dominus est & caput SS. Angelorum: dixi in assertione *caput Sanctorum Angelorum*; quia Angeli, qui peccaverunt, sunt damnati in Inferno; unde licèt Christus fuerit eorum caput, dum erant in statu viæ, eísque meruit gratiam, & auxilia, quibus perseverare poterant, si voluissent, ut constat ex dictis à n. 823. modò tamen jam non est eorũ caput mysticum, quia nullum omnino eis confert auxilium in ordine ad vitam æternam; unde licèt eorum caput non sit, est tamen Sanctorum Angelorum. Probatur 1. Ecclesia D E I adæquatè sumpta ex militante, & triumphante constituta, complectitur omnes fideles eodem cultu communicantes, & filios D E I adoptivos; subindéque Sancti Angeli, cùm verè sint filii D E I adoptivi, & Beati, verè pertinent ad D E I Ecclesiam, ut in Tractatu de Fide diximus loco cit. num. superiori, atqui Christus Dominus est caput totius Ecclesiæ, ut constat ex Apostolo ad Ephesios 1. ubi de Christo ait: *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*; ergo Christus Dominus est etiam caput Sanctorum Angelorum. 970.

Probatur 2. Christus Dominus est caput eorum omnium, quibus confert auxilia, quibus possunt ad vitam æternam pervenire, & eorum, qui eam per totam æternitatem obtinent ex meritis Christi Domini, sive ratione influxûs, quem in Christo ut capite acceperunt, cum quo in ea æterna Beatitudine erunt semper uniti; sed Christus Dominus non tantùm contulit eos influxus hominibus, sed etiam Sanctis Angelis, qui ex meritis elicitis vi eorum auxiliorum manebunt semper in æterna redemptione uniti Christo capiti; ergo &c. Probatur ex Apostolo ad Colessenses 2. *in Christo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs, & potestatis*; sic & ad Ephesios 1. de Christo dicitur: *suscitans eum à mortuis, & constituens eum ad dexteram suam in excelsis supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus*; unde Augustinus in Psalm. 38. *caput unicum Christus est; capitis illius membra nos sumus, nunquid soli nos? omnes, qui ab initio fuerunt justi, adjunctis legionibus, & exercitibus Angelorum, ut illa vera unitas fiat sub uno Rege, & una Provincia, vel uno Imperatore*; sic & Divus Thomas 3. part. quæst. 8. artic. 4. in corp. *non solùm est caput hominum, sed etiam Angelorum*; unde ex Matth. 4. legitur, quòd *accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* 971.

972. Assero 4. Christus Dominus non solùm est caput Angelorum Beatorum relatè ad gloriam eorum accidentalem, sed etiam relatè ad gratiã, & gloriam eorum essentialem. Ita communiter unà cum Eximio Doctore, & aliqui Thomistæ cum Godoy contra alios, quos sequitur Gonnet disp. 4. artic. 4. Probatur 1. Gratia essentialis Angelorum, ut ipsi Adversarii docent, est sicut in nobis, nempe ea, quæ dicitur formalis participatio naturæ divinæ, qua sanctificamur; gratia verò accidentalis est illuminatio intellectûs Angelici de rebus ad nostram redemptionem pertinentibus, atque adeò de mysterio Incarnationis DEI, quæ idcirco in illis fit, ut cooperentur DEO tanquam ejus ministri in negotio salutis humanæ; item gloria in Angelis essentialis est sicut in hominibus visio beata, & intuitiva divinæ essentiæ; accidentalis verò est gaudium illud, quod de rebus à se gestis in ministerio nostræ salutis percipiunt; atqui Christus Dominus non solùm meruit Angelis illam gratiam, & gloriam accidentalem, sed etiam illam gratiam, & gloriam essentialem; ergo &c. Prob. min. Christus Dominus in primo omnium signo prædefinitus est, ut ex ejus meritis haberent omnes creaturæ auxilia, quibus possent obtinere gratiam, & gloriam, ut constat à num. 823. & docet expresse Div. Gregorius in cap. 2. lib. 1. Regum, dicens: *nullus hominum, neque Angelorum est Sanctus, nisi per Christum*; ergo &c.

973. Probatur 2. Sancti Angeli vi Sanctitatis ipsorum pervenerunt ad DEUM, quo fruuntur per totam æternitatem; atqui non pervenerunt ad DEUM, nisi per Christum, ut docet ipse Christus Joannis 14. *nemo venit ad Patrem, nisi per me*; ergo Sancti Angeli habuerunt illam gratiam, & gloriam essentialem ex Christi meritis, ac proinde Christus Dominus fuit eorum caput non solùm relatè ad gratiam, & gloriam illorum accidentalem, sed etiam ad essentialem. Confirmatur ex Apostolo ad Colossenses 1. ubi asserit: *Christum pacificare per sanguinem Crucis suæ sive quæ in terris, sive quæ in Cœlis sunt*; unde Apocal. 2. de Angelis, qui vicerunt Diabolum, dicitur: *vicerunt eum per sanguinem Agni*; sic etiam ad Romanos 5. Apostolus loquens de gratia habita ex meritis Christi ait: *si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia DEI, & donum in gratia unius hominis JESU Christi in plures abundavit*. Quibus verbis expresse docet, quòd gratia essentialis habita ex meritis Christi se extendat ad plures, quàm se extenderit peccatum Adami; sed peccatum Adami se extendit ad omnes omnino puros homines (præter unam Deiparam) ergo gratia essentialis habita per merita Christi non solùm se extendit ad homines, sed etiam ad plures, nempe ad Angelos.

974. Probatur 3. ex Apostolo ad Hebræos 2. *decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia facta sunt, qui multos filios in gratiam reduxerat, authorem salutis eorum per Passionem consummari*; ubi loquitur de Christo, & supponit, ipsum ante Passionem multos in gratiam adduxisse; sed isti non fuerunt homines; siquidem, antequam Christus pateretur, nullus hominum intravit in Cœlum; ergo fuerunt Angeli, unde Christus gratiam, & gloriam essentialem promeruit Angelis. Confirmatur 1. ex Bernardo Serm. 22. in Cantica: *qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur; sic illum de captivitate eruens, sic hunc à captivitate defendens, & hac ratione fuit aque utrique Redemptor, solvens illum, & servans istum*; quæ verba expresse significant, gratiam, & gloriam essentialem esse datam Angelis propter merita Christi; subjungit postea ipse Bernardus: *sic ergo omne, quod erat Angelis, sanctus est nobis, quid? sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio*; ubi per illa verba, *quod erat Angelis, factus est nobis*, significat juxta textum Apostoli hìc à nobis adductum, Angelos priùs habuisse gratiam, & gloriam essentialem ex Christi meritis, eámque habuisse postea homines; ergo &c. Confirmatur 2. Illa gloria essentialis Angelorum, quæ fuit præmium correspondens actui Fidei, quem Angeli adhuc viatores habuerunt circa Christum venturum, descendebat ex meritis Christi Domini; ergo non solùm meruit Angelis gratiam, & gloriam accidentalem, verùm etiam essentialem.

Respondet Gonnet num. 103. quòd, quamvis actus ille Fidei consideratus secundùm suam substantiam, & quatenus erat actus Fidei aliorum mysteriorum Trinitatis fuerit meritorius præmii essentialis, prout tamen ordinabatur ad Christum, neque fuerit meritorius præmii, nisi accidentalis, quia ad Christum ordinabatur tanquam ad consummationem gratiæ. Contrà 1. Angeli per illum actum crediderunt fide divina in Christum Dominum; ergo prout actus ille erat actus divinæ fidei circa Christum, fuit meritorius gloriæ essentialis. Contrà 2. Articulus fidei, quem credimus actu divinæ fidei, non attingitur accidentaliter, sed essentialiter à tali actu; tendentia quippe actûs in objectum, non est accidentalis actui, sed essentialis; ergo Mysterium Incarnationis, quod Angeli fide divina crediderunt, non attingebatur accidentaliter, sed essentialiter ab illo actu divinæ fidei, ac proinde viliùs meruerunt Angeli gloriam non tantùm accidentalem, sed etiam essentialem.

Contrà 3. ex Divo Thoma in cap. 1. Joannis lect. 10. ubi exponens illa verba, *de plenitudine ejus nos omnes accipimus*, ita differit: *scilicet omnes Apostoli, & Patriarchæ, & Prophetæ, & Justi, qui fuerunt, sunt, & erunt: & etiam omnes Angeli*; & infrà subjungit, *plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum in omnibus intellectualibus creaturis*; hinc se extendit ad omnes gratias, & non nisi contra expressam D. Thomæ doctrinam asserit Gonnettus, quòd se extendat tantùm ad Angelorum gratiam, & gloriam accidentalem, & non

non ad essentialem. Contrà 4. ex ipso Divo Thoma 3. part. quæst. 7. artic. 9. in corp. ubi docet, virtutem gratiæ Christi se extendere ad omnes operationes, & effectus gratiæ; quia Christus est primum, & universale in genere habentium gratiam; sicut Sol est universalis causa in genere rerum inferiorum; quæ doctrina vera non esset, nisi virtus gratiæ Christi se extenderet ad gratiam, & gloriam essentialem Angelorum: ergo &c.

977. Contrà 5. ex Hieronymo in cap. 1. ad Ephesios, ubi de Angelis ait: *quòd absque peccato nullus sit, & sidera ipsa non sint munda coram DEO, omnisque creatura paveat Creatoris adventum; unde & Crux Salvatoris non solùm ea, quæ in terra, sed etiam, quæ in Cœlis erunt, purgâsse perhibetur;* quæ verba, cùm non possint intelligi de peccato, quod Sancti Angeli commiserunt, neque de purgatione, & medicina reparativa, superest, quòd intelligatur de peccato, quod commisissent, si habita gratia ex Christi meritis non fuissent præservati, ac proinde si non habuissent eam medicinam præservativam, non fuissent innocentes; ad eum modum, quo Salmeron tit. 13. in Epist. ad Paulum disput. 48. in 6. argumento docet, parvulos absque Baptismo decedentes fuisse à Christo præservativè redemptos à peccatis personalibus, in quæ incidissent; si rapti non essent, cum eo tamen discrimine, quòd ea præservatio non sit sufficiens, ut vitam æternam habeant; at præservatio Angelorum, cùm fuerit meritoria de condigno vitæ æternæ, procul dubio conducebat ad vitam æternam. Ex dictis

978. Fit 1. Christum respectu damnatorum non esse caput morale, sed tantùm dici caput per excellentiam, & dominationem. Ratio est, quia respectu damnatorum nullum præbet influxum, neque parat media, quibus possint ad vitam æternam pervenire, non est caput morale ipsorum, & quia eos judicaturus est, & sententiam æternæ damnationis circa illos laturus, procul dubio est caput eorum per excellentiam, & dominationem; ad eum modum, quo relatè ad creaturas irrationales homo non dicitur caput mysticum, & morale, sed DEUS, & Princeps; Rex enim non dicitur caput arborum, & lapidum, sed DEUS; cæterùm respectu Beatorum, qui fuerunt, sunt, & erunt, dicitur verè, & expressè caput mysticum, & morale, idque ex eo patet, quia quæcunque eorum beatitudo habita est ex meritis Christi, qui est unicum meritoriũ caput perpetuum, & universale omnium tum ex parte temporis, tum locorũ, & personarum. Prælati, & Pontifex non sunt ita caput, cùm non possint de condigno mereri nobis juxta nostram indigentiam.

979. Fit 2. omnes quidem Beatos, tam homines, quàm Angelos pervenisse ad DEUM per Christum Dominum non solùm relatè ad gratiam, gloriámque accidentalem, sed etiam essentialem. Nec dici potest, quòd Angeli pervenerunt ad DEUM tanquam per Christum ut Deum; homines verò per Christum ut hominem. Ratio est, quia Scripturæ, & Patres loquuntur de accessu ad DEUM per Christum merentem; Christus autem non merebatur tantùm ut Deus, sed ut Deushomo, & quidem testimonia Scripturæ, & PP. à nobis adducta satis, supérque ostendunt, omnes Beatos venisse ad DEUM per merita Christi, eósque omnes fuisse à Christo redempros vel præservativè, vel reparativè; quo in sensu vocatur universale principium totius redemptionis, & respectu hominis lapsi, & respectu Angeli, qui lapsus non est, ut loquitur Bernardus citatus num. 974.

Fit 3. Christum non posse dici membrum 980.
Ecclesiæ, sed solùm caput; ratio est, quia Christus nullum penitus recipit influxum à corpore Ecclesiæ, ut vi illius ad gratiam, & gloriam suam perveniat; membrum autem dici non potest, nisi talem influxum recipiat ab aliquo commembro, vel à capite illius corporis; unde inter caput naturale, & caput mysticum Christũ est hoc grande discrimen, quòd nempe caput naturale pendet à reliquis membris in vita, & operatione, recipitque ab ipsis influxum, & copiam spirituum vitalium. Christus autem nullo ex supra dictis pendebat à membris, vel à toto corpore Ecclesiæ; idcirco non potest dici membrum Ecclesiæ.

Quare illud testimonium Pauli 1. Corinth. 981.
vos autem estis corpus Christi, & membra de membro, significat, quòd omnes fideles sunt corpus Ecclesiæ, cujus caput est Christus, ac proinde sunt omnes membra hujus corporis, cujus quilibet fidelis est una pars; unde Corinthii velut pars hujus corporis, erant membra de membro copulativè sumptis, nempe de corpore, in quo unumquodque membrum dicitur membrum alterius membri, ut exponit ipse Apostolus ad Romanos 12. *multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra;* ex quibus Christus ampliùs dicitur caput, quàm cor Ecclesiæ, ut bene explicat D. Thomas 3. part. quæst. 7. artic. 1. ad 3. *caput habet manifestam eminentiam respectu cæterorum extremorum membrorum; cor autem habet occultam quamdam influentiam, & ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat, & nutrit; capiti verò comparatur Christus secundùm triplicem naturam, secundùm quam homo hominibus præfertur.*

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

OBjicies 1. contra primam assertionem: de 982.
Christo ut homine dicitur ad Ephesios 1. *omnia subjecit sub pedibus ejus*: unde Divus Thomas lect. 8. *est ergo sensus, quòd omnia creata non solùm subjecit Pater Christo, in quantum est DEUS, cui ab æterno omnia sunt subjecta,*

jecta, sed etiam humanitati ejus: ergo de Christo secundùm humanitatem loquitur Paulus, cùm docet, illum esse caput Ecclesiæ. Confirmatur. Humanitati Christi conveniunt ea omnia, quæ requiruntur ad rationem capitis mysticè; ergo Christus non quidem ut DEUS, sed secundùm humanitatem est caput. Resp. conc. ant. dist conseq. de Christo secundùm humanitatem relatè ad virtutem immediatè operativam actûs creati, conc. relatè ad virtutem condignificativam constituentem vim ex operatione meritorũ Christi, quo indigebamus, nego consequentiam. Ad Confirmationem dist. eodem modo antec. & nego consequentiam; quia Christus Dominus est caput Ecclesiæ, & potest influere juxta indigentiam membrorum; cùm autem non possit hoc modo influere secundùm humanitatem duntaxat, nisi ut DEUS homo, ut etiam ipsi Adversarii sui immemores fatentur, quando agunt de necessitate Incarnationis, nimirum redemptione; exinde Christus dici non potest caput Ecclesiæ secundùm humanitatem duntaxat, sed ut DEUS homo.

983. Objicies 2. contra secundam assertionem: Christus non est caput eorum, qui non sunt membra Ecclesiæ; sed plures viatorum, utpote carentes Fide, & communicatione in eodem cultu, non sunt membra Ecclesiæ; ergo Christus non est caput omnium viatorum. Confirmatur 1. Peccatores non sunt membra Ecclesiæ, ut colligitur ex Cypriano Epist. ad Mag. ex August. lib. 1. contra Petilianum cap. ult. aliisque Patribus, & ex illo Cantic. 4. ubi Ecclesia vocatur rosa pulchra, & sine macula; ergo &c. Confirmatur 2. Peccatores sunt membra Babylonicæ civitatis, cujus caput est Diabolus, ut ait Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 28. *sicut amor DEI usque ad contemptum sui ædificat Civitatem Jerusalem, ita mortui usque ad contemptũ Dei ædificant civitatem Babylonis:* ergo peccatores non sunt membra Ecclesiæ, ac proinde Christus non est eorum caput. Confirmatur 3. Membrum corporis vivi vivit vitâ totius; sed peccatores non vivunt vitâ gratiæ, qua vivit Ecclesia; ergo non sunt membra Ecclesiæ. Confirmatur 4. Membra alicujus corporis non sunt contraria ad invicem; sed Justi, & peccatores inter se contrariantur ex illo Ecclesiast. 33. *contra malum bonum est, & contra mortem vita, sic contra virum justum peccator;* ergo peccator non est membrum Ecclesiæ.

984. Respondeo dist. maj. non est caput actu, conc. in potentia, nego maj. & nego min. cum consequentia; nam dum homines retinent fidem, & unionem, in eodem valore sunt vera Ecclesiæ membra, ut constat ex Tractatu de Fide à num. 314. unde respectu istorum Christus est caput in actu, licèt respectu infidelium sit tantùm caput in potentia, ut diximus num. 969. Ad primam Confirmationem dist. antec. non sunt membra Ecclesiæ sumptâ Ecclesiâ strictè pro congregatione Justorum, conc. sumptâ Ecclesiâ in tota sua rigorosa significatione; nego antec. & consequentiam; quia ea testimonia adducta ab Adversariis loquuntur non quidem de Ecclesia considerata in tota sua rigorosa, & universali significatione, sed restrictè sumpta pro congregatione Justorum. Ad secundam Confirmationem conc. antec. & nego conseq. quia idem secundùm diversos terminos potest esse Civis duarum civitatum, quia vel in duabus domicilium habet, vel quia in duabus adscriptus est tanquam earum Civis; atqui ita contigit in peccatore fideli; nam ratione culpæ est membrum Diaboli, & Civis Babylonis; ratione verò Fidei, & communionis in eodem cultu est membrum Christi, & Ecclesiæ, ac Civis Jerosolymæ, non tamen servit utrique, sed Diabolo, in cujus servitute teneatur se subtrahere, ut Christo serviat, & solius Jerosolymæ Civis sit.

Ad tertiam Confirmationem dist. maj. vivit vitâ perfectâ totius, nego, perfectâ, vel imperfectâ, omitto maj. & distincta min. nego consequentiam; nam in viatoribus duplex supernaturalis vita consideratur, altera quasi incohata, quæ est Fides, altera verò perfecta, quæ est sanctitas; unde licèt peccatores non vivant hac vita perfecta totius, vivunt tamen alterâ vitâ imperfectâ, quæ cum communicatione in eodem cultu satis est ad membrum Ecclesiæ constituendum. Ad quartam Confirmationem dist. maj. non sunt contraria ad invicem relatè ad constitutivum requisitum ad rationem membri, conc. relatè ad alia non requisita ad tale constitutivum, nego maj. & dist. min. nego consequentiam. Ratio est, quia corpus & membrum mysticum in eo distinguitur à membro physico naturali, quòd membra simpliciter mortua in corpore mystico possint vivificari à capite suo, & retinere vitam imperfectam, qua possint ad perfectam pervenire; unde licèt in eo statu non concordent in gratia, & charitate, sed potiùs discordent cum aliis membris, nihilominus retinent, quidquid requiritur ad rationem membri, ac proinde sub hac ratione non contrariantur. Omitto alia argumenta, quæ contra istam assertionem fieri possunt, quæ proposita, & resoluta habes in Tractatu de Fide.

Objicies 3. contra tertiam assertionem: Christus non redemit Angelos; ergo non est caput mysticum Angelorum. Confirmatur. Inter caput, & membrum debet esse proportio; sed inter Christum, & Angelos nulla est proportio, cùm nullam habeant convenientiam in natura; ergo &c. Respondeo dist. antec. non redemit Angelos à peccato originali, conc. quia, cùm Angelus non nascatur ex altero, non est capax contrahendi peccatum ex primo Angelo lapso, à quo nascatur; non redemit Angelos à peccato actuali, subdist. redemptione reparativa, conc. præservativa, nego antec. & consequentiam; quia Christus meruit Angelis gratiam, qua non stat. relaberentur in peccata actualia, in quo stat. redemptio

demptio ista præservativa, ut suprà diximus de Deipara; quæ est etiam expressa doctrina D. Bernardi cit. num. 974. Ad Confirmationem dist. maj. debet esse proportio in omnibus, nego; aliter neque hominum esset caput: siquidem nobiscum non conformatur in omnibus, in aliquibus, conc. maj. & dist. min. nego consequentiam; quia Christus jam habet conformitatem cum Angelis repertam inter merentem, & capacem, cui applicetur meritum vitæ æternæ; quandoquidem Christus verè est merens, & Angeli verè recipiunt ab illo influxum relatè ad vitam æternam.

987. Objicies 4. Christus non est sponsus Angelorum; atqui caput membrorum mysticum dicitur etiam sponsus membrorum; ergo Christus non est caput Angelorum, nec Angeli sunt membra Christi. Respondeo nego maj. quia Angeli non minùs, quàm homines habent gratiam, & charitatem, quæ est vinculum perfectionis, & conjunctionis Angelorum cum Christo, sicque Angeli, & Christus sunt duo in uno spiritu, sicut in Sacramento matrimonii sponsus, & sponsa sunt duo in carne una, quamquàm verò relatè ad homines magis expresè appareat ratio sponsi, cùm non solùm conveniant cum Christo in uno spiritu, sed etiam in una carne; at simpliciter loquendo satis est convenientia in uno spiritu ad spiritualem desponsationem, quod significavit Divus Thomas in 4. dist. 49. quæst. 4 artic. 4. *convenientia, quæ est inter DEUM, & Angelos, magis sufficit ad rationem capitis, quàm ad rationem sponsi*; quibus verbis satis indicat, aliqua ratione ad utrumque sufficere; & clariùs Bernardus Serm. 27. in Cantic. *cùm haberet sponsus inhærentem sibi à principio multitudinem Angelorum, placuit ei & de hominibus convocare Ecclesiam, atque uniri illi, quæ de Cœlo est, ut sit sponsa una, & sponsus unus*; quibus verbis assertionem nostram tradit, & ordinem decretorum; ita, ut in signo priori ad signum Adami fuerint prædefiniti Angeli ex meritis Christi, ut dixi à num. 923.

988. Objicies 5. contra quartam assertionem: Angelus pastores alloquens post Christi Nativitatem, dixit Lucæ 2. *evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator*; atqui si natus fuisset Angelis, & illis meruisset gratiam, & gloriam essentialem, non solùm dixisset, *natus est vobis*, sed etiam addidisset *nobis*; ergo Christus non meruit gratiam, & gloriam essentialem Angelis. Confirmatur 1. Christus sub nomine Pastoris ait, se reliquisse in deserto nonaginta novem oves, & quæsivisse unam, quæ perierat; quod ita intelligunt Ambrosius, Gregorius, & Beda, nempe ut reliquerit novè Choros Angelorum, & quæsiverit hominem; ergo solùm meruit gratiam, & gloriam essentialem hominibus, & non Angelis. Confirmatur 2. Ut constat ex Epist. ad Hebræos cap. 1. illi, quibus gratiam, & gloriam essentialem Christus meruit, vocantur Fratres Christi; sed ut ex eodem loco constat, solùm vocantur Fratres Christi, qui communicaverunt carni, & sanguini; quod quidem Angelis utpote purè spiritualibus convenire nequit; ergo &c.

Respondeo concessa maj. nego min. quia An- 989.
gelus præcipuè intendebat repræsentare pastoribus utilitatem ipsis supervenientem ex Christi Nativitate, ad quem finem opus non erat exponere utilitatem Angelis advenientem, imò valde miror hoc argumentum Gonneti, quia sic probat contra se, Christum nullam Angelis utilitatem attulisse, neque gratiæ, neque gloriæ accidentalis, cùm in illis verbis nullam prorsus utilitatem Angelorum Angelus exposuerit. Ad primam Confirmationem dico, ibi Christum loqui de merito in ordine ad omnes, qui non potuerant Cœlum intrare ex DEI decreto, nisi posita Passione Christi in executione; quod quidem decretum non comprehendebat Angelos, sed homines quantumvis Sanctissimos, ac proinde in eo sensu excellentiori utrosque quæsivit, ut utrisque gratiam, & gloriam essentialem promereret. Ad secundam Confirmationem conc. maj. & nego min. quia communicatio carnis, & sanguinis non solùm est habere carnem, & sanguinem, quod certè non convenit Angelis, sed etiam est participare ex meritis Christi carnem, & sanguinem habentis, quæ quidem participatio quàm optimè convenit Angelis.

Objicies 6. Decretum de conferenda gratia, 990.
& gloria essentiali ex meritis Christi, pendebat à prævisione absoluta peccati Adami; sed ante illam prævisionem jam erant Angeli prædestinati ad gratiam, & gloriam essentialem; ergo &c. Confirmatur 1. Christus solùm meruit gratiam, & gloriam essentialem illis, pro quibus mortuus est; sed pro Angelis mortuus non est, ut docet Augustinus Enchyrid. cap. 63. *proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus ipsum dedit, non enim pro Angelis mortuus est Christus*; ergo &c. Confirmatur 2. Ut docet Divus Thomas, Christus ut homo non est judicaturus Angelos; ergo neque meruit ipsis gratiam, & gloriam essentialem.

Respondeo nego maj. etiamsi Adam non pec- 991.
cásset, Christus tamen meruisset ex vi præsentis decreti intentivi, ac proinde in illo priori signo plura prævisa sunt merita independentia à Passione Christi, ut constat à n. 759. & 813. unde vi illorum promeruit gratiam, & gloriam essentialem Angelis; verum quidem est, quòd in illo signo priori obtulit Christus sua merita, ut Matri, & Angelis conferrentur gratia, & gloria essentialis, ea conditione, ut si Christ⁹ postea pateretur, ipsius merita consummanda forent morte, & Passione illius, sin autem pro illis præmiis Angelis, & Deiparæ collatis per merita à Passione independentia oblaturus esset Patri pretium æquale, & superabundans.

Quo in sensu loquitur Bernardus sæpe à nobis adductus Serm. 21. super Cant. ubi ait: *Angelos fuisse redemptos Sanguine Christi non à pec-* 992.

cato

cato, quod commiserunt, sed ab eo, quod possent committere; & Serm. 22. *qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur, sic illum de captivitate eruens: sic hunc à captivitate defendens, & hac ratione fuit æquè utrique Redemptor, solvens illum, & servans istum*; unde Christus non eodem modo mortuus est pro Angelis, & Matre sua, quo pro hominibus; nam Matri, & Angelis profuissent merita Christi, etiamsi mortuus non fuisset; nobis autem, non ita profuissent, cùm reparatio humani generis decreta fuerit post Adami peccatum absolutè prævisum, ut diximus num. 828. unde à DEO acceptata fuerunt solùm in hunc finem merita Christi à Passione dependentia. Ex quibus

993. Ad primam Confirmat. dist. maj. pro quibus mortuus est ex necessitate simpliciter, nego, sive ex necessitate, sive ex hypothesi, quòd pateretur pro hominibus, conc. maj. & distincta min. nego consequentiam. Ex quo patet, in quo sensu loquatur Augustinus. Ad secundam Confirmationem dist. eodem modo antec. ut homo ex necessitate passibilis, conc. non passibilis ex necessitate, nego antec. & conseq. quia Christus judicaturus est omnes illos, quibus gratiam, & gloriam essentialem promeruit, imò & illos, quibus promeruit auxilia, quibus potuissent ad gratiam, & gloriam pervenire; cúmque ea non promeruerit Angelis ut passibilis ex necessitate, non judicaturus est Angelos ex necessitate; in quo apparet grande discrimen inter modum merendi pro Angelis, & pro hominibus lapsis; & quamquàm Div. Thomas in contrarium inclinaret, non exinde rejiceret doctrinam nostram quoad substantiam, ut ostendimus num. 806.

* * *

TRACTA-

TRACTATUS
DE
SACRAMENTIS IN GENERE.

1. DIfficilem Provinciam aggredimur, dum de Sacramentis in genere disputamus. Plura sanè continet Tractatus iste, etsi speciosa, planè difficillima, quibus plenè solutis ad reliquos de Sacramentis in particulari Tractatus via aperietur. Quapropter exinde incipiendum, ut ad reliqua progrediamur, prætermissis alienis à re nostra præclusionibus; quinque significationes habet valde diversas hoc nomen *Sacramentum*. Primò apud Authores linguæ Latinæ significat certam pecuniæ summam, quam teste Varrone lib. 4. de lingua Latina litigantes apud Pontificem deponebant, & sua victori pars exinde restituebatur. Pars verò ejus, qui causâ cadebat, applicabatur ærario publico, & quia in loco Sacro servabatur, Sacramentum appellari consuevit. Secundò apud eosdem significat juramentum, sive rem juramentò significata tam; sic pro rem juramentò firmare, vulgò dicebatur, Sacramentò se constringere. Tertiò apud Scriptores Canonicos significat rem occultam; sic Sapientiæ 2. *nescierunt Sacramenta DEI*, Tobiæ 2. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*; ad Ephesios 1. *ut notum faceret Sacramentum voluntatis suæ*. Qua ratione Sacramentum Latinis est Sacrum secretum, & Regis mysterium. Quartò apud eosdem significat signum rei Sacræ, ut ad Ephesios 5. de conjugio Adæ cum Eva, eò quòd conjunctionem creaturæ Ecclesia significaret, inquit Paulus: *Sacramentum hoc magnum est*. Quintò ex communi usu Ecclesiæ, Conciliorum, Sanctorum Patrum, & Doctorum Catholicorum significant signa quædam specialia, & sensibilia, & specialem gratiam significantia, aut continentia, & suscipientium sacrificativa; quo in sensu apud Theologos in præsenti accipitur.

***

DISPUTATIO I.
DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA SACRAMENTORUM.

2. PLures quæstiones instituunt nostri temporis Recentiores ad investigandam metaphysicam essentiam Sacramenti *ut sic*, non absque acri hinc inde dissertatione. Præcipuum autem eorum dissidium eo innititur, ut aliqui in definitione Sacramenti comprehendi velint Sacramenta simul nova, & antiqua, aliis econtra renuentibus. Non desunt, qui judicent, totam concertationem devolvi ad dissidium de voce juxta principia, quæ unusquisque jacit ad stabiliendam naturam Sacramenti. At, ni fallor, quæstio est de re magni momenti, ut in decursu disputationis facilè apparebit.

SECTIO I.

An ratio constitutiva Sacramenti æquè conveniat novis, & antiquis?

3. PRima sententia affirmat: ita plures cum Cardinali de Lugo dispur. 1. sect. 9. num. 3. Secunda negat: ita plures Recentiores cum Magistro in. 4. dist. 1. & Hugone Victorino lib. 1. de Sacrament. part. 9. cap. 1. Assero cum secunda sententia: Sacramenta antiqua non erant verè, & propriè Sacramenta, ac proinde in ratione Sacramenti nova, & vetera nequeunt univocè convenire.

Probatur 1. conclusio. Sacramenta antiqua 4.
solùm significabant gratiam dandam per Passionem Christi: eam autem gratiam non causabant; sed de ratione veri, & proprii Sacramenti est, gratiam causare; ergo &c. Consequentia tenet, & maj. est certa, & definita à Florentino in Decreto Eugenii IV. per hæc verba: *Ecclesiasticorum Sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tàm præsentium, quàm futurorum faciliori doctrinâ sub hac brevissimâ redigimus formula: novæ legis septem sunt Sacramenta, quæ multùm differunt à Sacramentis antiquæ legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per Passionem Christi dandam esse figurabant; hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt;* unde tota devolvitur difficultas ad probationem minoris.

Probatur igitur min. præclaris testimo- 5.
niis Cathechismi Romani editi jussu Pij V. ex decreto Concilii Tridentini, ibi enim titulò de

Sacramentis dicitur: *Latini Doctores signa quædam sensibus subjecta, quæ gratiam, quam efficiunt, simul declarant etiam, ac veluti ante oculos ponunt, Sacramenta commodè appellari posse existimabunt:* tum sub eodem titulo: *Sacramenta enim ex genere earum rerum esse, quibus salus, & justitia comparatur, dubitare nemo potest*; tum titulo de matrimonio, gratiam quoque hoc Sacramento significari, & tribui, in quo maximè ratio Sacramenti inest; ergo de ratione veri, & proprii Sacramenti est, gratiam causare. Confirmatur ex Paulo ad Galatas 4. ubi antiqua Sacramenta infirma, & egena elementa vocat; ergo non sunt verè, & propriè Sacramenta.

6. Probatur 2. ex Divo Thoma in 4. dist. 1. artic. 1. dicente: *Sacramentum non dividitur per Sacramenta veteris, & novæ legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes, ut sanum in habens sanitatem, & significans eam*; quod ferè reddit in 3. part. quæst. 60. artic. 1. ergo &c. Confirmatur 1. ex Concilio Florentino citato num. 4. ubi Pontifex declarans verbum Sacramentorum novæ legis, docet, non esse sicut antiqua, quæ non causabant gratiam; ergo satis clarè insinuat Pontifex Summus de ratione veri, & proprii Sacramenti esse, causare gratiam. Confirmatur 2. Nam voces ab Ecclesia institutæ non debent pro cujuscunque libito explicari, sed ex ore Pontificum, Conciliorum, & Patrum significatio veri, & proprii Sacramenti, ut ex dictis constat, est significatio signi causantis gratiam; ergo &c.

7. Objicies 1. ex Cardinali de Lugo: Sacramenta antiquæ legis appellantur simpliciter Sacramenta ex Conciliis, & Patribus; ergo sunt verè, & propriè Sacramenta. Respondeo nego antec. quia quando agunt de illis Sacramentis sive in textu, sive in contextu, semper ea nominant Sacramenta *vetera*, quod idem additamentum limitans est, & significans Sacramenta, quæ non causant gratiam, ac proinde quæ non sunt simpliciter, sive verè, & propriè Sacramenta, quod clarissimè docuit Div. Thomas in 4. dist. 1. artic. 1. ad 5. ita scribens: *Sacramentum autem simpliciter est, quod causat sanctitatem; quod autem significat tantùm, non est Sacramentum, nisi secundùm quid.*

8. Objicies ex aliis: Religio univocè dicitur de nova, & antiqua; ergo etiam Sacramentum de novis, & antiquis. Confirmatur 1. Sacrificia legis novæ, & veteris univocè conveniunt; ergo & Sacramenta. Confirmatur 2. Sacramenta nova, & antiqua in pluribus univocè conveniunt; ergo utraque sunt univoca, ac proinde verè, & propriè Sacramenta. Retorqueo argumentum: religio univocè dicitur de nova, & antiqua; ergo & Baptismus, & sic de aliis. Respondeo deinde conc. antec. & nego consequentiam; quia quod simpliciter significatur per hoc nomen *religio*, nimirum virtus respiciens DEI cultum, sive Ecclesia offerens cultum DEO, verè, & propriè convenit novæ, & antiquæ. Cæterùm quod significatur simpliciter per hoc nomen *Sacramentum*, nempe signum sensibile causativum gratiæ, non convenit verè, & propriè Sacramentis antiquis, ut ex dictis constat. Exinde

Ad primam Confirmationem nego consequentiam propter eandem rationem; nam sacrificium quia tale ad summum est actio rei cujusquam destructiva per publicam authoritatem instituta ad colendum DEUM ut Authorem vitæ, & mortis, quæ ratio propriissima, atqueadeò univocè convenit, & requiritur in novo, & veteri sacrificio. Ratio autem significata per verum, & proprium Sacramentum non ita convenit novis, & antiquis. Ad secundam Confirmationem retorqueo argumentum: canis cælestis, & terrestris in pluribus conveniunt univocè; ergo & in ratione canis. Respondeo deinde dist. consequens, sunt univoca in iis, in quibus univocè conveniunt, conc. in ratione Sacramenti nego consequentiam. Ex dictis

Fit 1. Sacramenta antiqua non distinguì à ceremoniis veteris legis, sive naturalis, sive scriptæ; quia ceremoniæ non erant vera, & propria Sacramenta, sed quia antiqua Sacramenta ex divina institutione suo usu sanctificabant suscipientem, significabant gratiam dandam per Passionem Christi, & simul erant gratiæ signum modò, quo dicemus. Videatur D. Thom. quæst. unculâ 1. cit in fine Corp. & q. 3. & 4. ad 1.

Fit 2. Sacramenta non dividi univocè in Sacramenta nova, & antiqua, bene verò in Sacramenta vivorum, & mortuorum. Sacramenta vivorum sunt, quæ ex primæva sui institutione ordinantur ad augmentum gratiæ, eò quòd prærequirant gratiam, vel existimationem illius in suscipiente; qualia sunt Sacramenta Confirmationis, Evchatistiæ, Ordinis, extremæ Unctionis, & Matrimonii. Sacramenta mortuorum, quæ ex primæva institutione ordinantur ad causandam primam gratiam, ita, ut ad suum effectum causandum non præsupponant gratiam in suscipiente, neque requirant, quòd suscipiens existimet, se esse in gratia. Reliqua, quæ hìc objici possent, dissolvemus sectione sequenti, præcipuè à numero 19.

SECTIO II.

Definitur Sacramentum.

PLures inveniuntur apud Authores definitiones Sacramentorum. Prima est Magistri sententiarum, *signum rei Sacræ, vel invisibilis gratiæ visibilis forma.* Secunda Divi Thomæ 3. part. quæst. 6. artic. 2. *signum rei Sacræ, in quantum est sanctificans homines.* Tertia Eximii Doctoris, *Sacra, & sensibilis ceremonia hominem aliquo modo sanctificans.* Quarta Gratiadi, *signum sensibile stabili aliqua lege institutum, ut conferat aliquam sanctificationem externam &, significet internam.* Quinta Cardinalis de Lugo, *ceremonia sensibilis, quæ sive ex*

sanctificando subjectum significat gratiam internam, cujus est causa.

13. Sexta Francisci bonæ Spei, *rei Sacræ, & occultæ homines formaliter sacrantis in ipso usu, vel sui susceptione signum sensibile, Sacrum, practicum, & à DEO institutum pro tota, & toto tempore, quo durat Ecclesia.* Septima Patris Elparzæ, *signum sanctificationis symbolicum practicum à DEO pro hominibus institutum.* Quomodo explicandæ sint aliquæ ex his definitionibus, ut veræ appareant, & quomodo alteræ impugnandæ, constabit ex explicatione definitionis nostræ, quam modò subjicio.

14. Sacramentum novæ legis ita definio: *signum sensibile ex opere operato collativum sanctificantis gratiæ cuicunque obicem non ponenti à Christo stabiliter institutum.* Signum sensibile est genus conveniens aliis signis sensibilibus, quæ Sacramenta non sunt; *ex opere operato collativum sanctificantis gratiæ*, est partialis differentia, qua Sacramenta novæ legis à Sacramentis antiquis distinguuntur, simúlque ab humana institutione vocum, ut videbimus num. 18. Dicitur *cuicunque obicem non ponenti*, quo explicatur institutio non quidem pro una, vel altera religione, sed pro toto mundo, simúlque, qualis sit virtus causativa gratiæ. Dicitur *à Christo stabiliter institutum*, quo differunt Sacramenta nostra ab aliis, quæ à Christo Domino, & à solo DEO possunt institui transeunter; institutio enim, ut infrà ostendemus, est de Sacramenti constitutivo, sicut voluntas hominum est de constitutivo formali signi ad placitum; nec ulteriùs immoror: perfecta etenim semel definitione facilè est agnoscere, plura verba ex iis in uno sensu posse esse genus, & differentiam in alio, ut apparet in aliis definitionibus; sic in in hac hominis definitione *animal rationale*, rationale est genus respectu Angeli, & *animal* differentia; sic in nostra definitione, signum sensibile, stabiliter institutum, potest esse genus conveniens aliis.

15. Probatur rectitudo definitionis; quia in prædicta definitione explicatur per adductũ genus, & differentiam, quidquid primariò, & adæquatè constituit naturam Sacramentorum novæ legis; ergo est recta definitio. Probatur antec. ex Conciliorum, & Patrum sæpe repetita doctrina nobis constat, Sacramenta esse signa sensibilia ex opere operato collativa sanctificantis gratiæ; sive quod idem est, independenter à merito operantis conferre gratiam, esse instituta lege stabili à Christo Domino ad conferendam gratiam obicem non ponenti; sed hæc omnia comprehendit nostra definitio per genus, & differentiam, quibus à Conciliis, & Sanctis Patribus Sacramenta explicantur; ergo &c.

16. Confirmatur ex Tridentino sess. 7. Can. 1. dicente: *si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à JESU Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, aut pauciora, quàm septem, Anathema sit*; & Can. 6. *si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, Anathema sit*; & Can. 8. *si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, Anathema sit.* Quibus Tridentini definitionibus clarè apparet, quænam sit essentia Sacramentorum novæ legis; sed hæc omnia comprehendit nostra definitio: ergo &c.

Objicies 1. Sacramentum debet esse symbolicum: sed hoc non explicatur in nostra definitione: ergo &c. Probatur maj. ex Augustino Epist. 23. dicente: *Sacramenta quandam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt Sacramenta, quam si non haberent, omnino Sacramenta non essent*: ergo &c. Respondeo cum Arriaga disput. 1. sect. 7. dist. maj. debet esse symbolicum, id est, debet significare ex Christi Domini institutione, conc. aliter, nego maj. & distincta min. nego consequentiam. Ad probationem conc. antec. in sensu Augustini, & nego consequentiam; nam Augustinus loquitur de similitudine ex Christi Domini institutione, id est, de significatione ad placitũ cum gratia, quam significat Sacramentum, ita, ut sensus sit: si verba illa: *ego te absolvo &c.* non significarent ex Christi Domini institutione gratiam, & absolutionem à peccatis, non essent Sacramenta; idem esto in aliis Sacramentis. Exinde autem malè infertur, requiri ad rationem constitutivam Sacramenti aliam similitudinem symbolicam. 17.

Objicies 2. instando simul nostram solutionem: verba absolutionis Sacramentalis, *ego te absolvo à peccatis*, significant ex hominum impositione remissionem peccatorum, ac proinde gratiam, per quam peccata remittuntur: ergo non opus est, quòd significent gratiam ex institutione Christi, & impositione divina. Retorqueo argumentum: hæc vox *Sacramentum* significat Sacramentum ex impositione humana; ergo non significat gratiam Sacramentalem ex institutione divina. Respondebis, ex impositione humana significare fallibiliter, & non ex opere operato gratiam; secus autem ex institutione divina. Cæterùm exinde respondeo in forma ad argumentũ dist. ant. significant remissionem, & gratiam fallibiliter, & absque connexione cum gratia, conc. ex opere operato, seu infallibiliter, nego antec. & conseq. nam ex sola institutione divina significant infallibiliter connexionem cum gratia. 18.

Objicies 3. Quidquid explicatur in definitione nostra ex Christi Domini institutione, habebant Sacramenta antiqua ex institutione Dei; sed illa non erant verè, & simpliciter Sacramenta: ergo in nostra definitione non explicatur ratio veri, & simpliciter Sacramenti; min. & conseq. renent; maj. probatur: circumcisio in lege veteri erat signum sensibile ex se infallibiliter collativum gratiæ à Deo pro illius legis tempore stabiliter institutum. Probatur antec. Circumcisio in lege veteri causabat gratiam ad delendum peccatum originale ex DEI institutione; ergo erat signum sensibile ex se infallibiliter collativum gratiæ ex DEI institutione 19.

tione. Idem argumentum fit in signo destinato à DEO ad remedium originalis in lege naturæ, quod, ut plures volunt, perseverabat in lege scripta pro fœminis; idémque fieri potest sumpto fundamento ab aliis antiquæ legis signis. Plures solutiones excogitaverunt Authores, quæ mihi non placent. Quapropter

20. Respondeo nego maj. ad probationem nego antecedens. Ad ultimam probationem nego antec. Circumcisio enim neque physicè, neque moraliter causabat gratiam; sed erat signum à voluntate divina præfixum, & destinatum, quo posito DEUS gratiam causabat; nostra autem Sacramenta, ut infrà videbimus, non ita se habent, sunt etenim signum ex se movens DEUM ad gratiam conferendam, ac proindè causant moraliter gratiam. Explico solutionem exemplò clarissimò: si Dominus præcipiat servo, ut interficiat Petrum, sanè mandatum Domini erit causa moralis homicidii patrati à servo, quia iste ex Domini mandato motus est ad perpetrandum homicidium; si autem idem Dominus diceret servo, ut, quoties horologium insonuerit, daret eleemosynam pauperi, tunc pulsus horologii non esset causa moralis dandi eleemosynam; quia non movetur à pulsu horologii; sed isto posito movetur à præcepto Domini, qui pro merò suo libito hoc signum præfixit servo, potens aliud, vel nullum præfigere.

21. Quapropter sicut in eo casu horologium esset signum eleemosynæ, & non causa moralis illius, ita in lege antiqua circumcisio erat signum gratiæ, & non causa moralis illius; nostra autem Sacramenta & sunt signum, & causa gratiæ. Tota hæc nostra solutio clarè constat ex Concilii Florentini definitione posita num. 4. & clarius constabit infrà, quando explicabimus, quomodo nostra Sacramenta causent gratiam.

22. Objicies 4. Sacramentum Evchariſtiæ permanere potest, quin sit sensibile: ergo non est de ratione Sacrmenti à Christo instituti, quòd sit sensibile. Probatur antec. Si Hostia consecrata in minutissimas particulas, & insensibiles dividatur, in quavis illarum conservabitur Corpus Christi Domini; ergo potest permanere Sacramentum Evchariſtiæ, quin sit sensibile. Antec. probatur ex Tridentino sess. 13. Can. 3. dicente: *si quis negaverit in venerabili Sacramento Evchariſtia sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, Anathema sit.* Similiter & loquitur Florentinum in decreto Eugenii. Plures excogitârunt Authores solutiones. Pater Arriaga disput. 3. de Evchariſtia sect. 5. judicat, mansurum ibi Corpus Christi, sed non perseveraturum Sacramentum adæquatè, sed tantùm denominativè. Cardinalis de Lugo disp. 4. sect. 6. judicat, manere Sacramentum; quia illæ partes ex se essent sensibiles, sicut objectum, dum abest lux, aut applicatio omnipotentiæ ad producendam speciem, adhuc ex se est visibile. Cæterùm clariùs, & veriùs

Respondeo cum pluribus Authoribus, quos refert, & sequitur Pater Henao disput. 3. de Evchariſtia sect. 2. nego antec. Ad probationem nego antec. ad probationem conc. antec. & nego consequentiam; quia Tridentinum loquitur de divisione partium sensibilium, quæ quidem est divisio Sacramentalis; loquitur enim; ut ex textu apparet, de divisione, quæ fit in ipso Sacramento, ac proindè de divisione in partes sensibiles. Hæc solutio videtur Eximio Doctori rationi conformior disput. 43. sect. 3.

Roboratur etiam nostra solutio ex Tridentino sess. 13. cap. 3. dicente: *commune hoc est Sanctissimæ Evchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei Sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem*; ubi ad Sacramentum requirit Tridentinum absque dubio signum sensibile; imò P. Vasquez disp. 171. num. 12. doctrinam nostram confirmare nititur philosophica ratione, quia si particula esset adeò minutissima, ut à nullo etiam acutissimo sensu percipi posset, non adæquaret minimum naturale requisitum ad formam panis, & sic non maneret in ea Corpus Christi. Cæterùm non indigemus hac Philosophia, quandoquidem habemus pro nostra solutione gravissimam confirmationem ex Tridentino. Ex dictis

Fit 1. non esse de essentia Sacramenti conferri ab homine, ac proinde non opus esse hanc addere in definitione particulam; ratio est, quia, ut ex historiis constat, aliquando Sacramentum Baptismi, & fortasse plura alia Sacramenta ex dispensatione divina collata sunt ab Angelo, imò conferri ab hoc, vel illo Ministro, pertinet ad causam extremam, non autem ad essentiam Sacramenti. Fit 2. sumptionem Evchariſtiæ non esse Sacramentum, sed est applicatio ad usum Sacramenti. Fit 3. illuminationem cæcorum à Christo factam, generationem, si in statu innocentiæ contigisset, lectionem Sacrorum librorum, & sic de millenis aliis, non esse Sacramenta, cùm ratio constitutiva Sacramenti nullatenus ipsis conveniat, ut patet ex dictis. Fit 4. illa verba Christi Domini ad Magdalenam, & Paralyticum: *remittuntur tibi peccata tua*, non fuisse Sacramentum, quia non constituit illa Christus in signum sensibile ex opere operato causativum gratiæ ad ea peccata delenda, ita, ut volunt Barradas, Sylveira, & alii expositores, illa verba solùm significârunt remissionem alio modo factam, quam per verba.

Ob eandem rationem lavatio pedum Apostolorum ante Cœnam non fuit Sacramentum, quia instituta fuit ad humilitatis exemplum, non quidem ad conferendam gratiam ex opere operato, & licèt ex opere operantis excitando actus humilitatis, & compunctionis meruerit Apostolis, ut plures Sancti Patres insinuare videntur, remissionem aliquorum venialium, hoc satis non erat ad Sacramentum; re-

nebat-

nebantur autem Apostoli se submittere præcepto Christi, ne propter peccatum inobedientiæ amitterent gratiam, quod significari satis videtur per illa Christi Domini verba ad Petrum: *si non lavero te, non habebis partem mecum*; idem esto de linguis igneis descendentibus in die Pentecostes super capita Apostolorum, cùm illæ non essent institutæ à Christo, ut ex opere operato conferrent gratiam Apostolis; sed erant signum adventûs Spiritûs Sancti, qui gratiam conferebat ad eum modum, quo de circumcisione diximus à num. 20.

27. Fit 5. non posse efformari argumentum efficax contra doctrinam nostram ex insufflatione Christi Domini ad Apostolos; cùm illis dixit Joannis 20. *accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur illis &c.* quia illa verba pertinebant ad verum Sacramentum Ordinis Sacerdotalis, per quod completum fuit Sacerdotium Apostolorum quoad potestatem absolvendi à pecatis, quam post Resurrectionem acceperunt Apostoli: etenim in ultima Cœna solùm acceperunt potestatem consecrandi, neque exinde immutatur ab Ecclesia materia & forma Sacramentorum, quam constituit Christus Dominus; nam pro se instituit aliquod determinatum; pro cæteris autem instituit partim determinatum, partim determinandum ab Ecclesia, vel Apostolis. Sic Christus ordinavit Apostolos in Sacerdotes tradendo illis panem, & vinum consecratum, cùm tamen ipsi Apostoli, & modò Episcopi non ordinent, nisi tradendo panem, & vinum nondum consecratum. Fit ultimò, aliqua auxilia gratiæ collata in Sacramentis esse quasi proprietatem Sacramentorum.

DISPUTATIO II.

DE MATERIA, ET FORMA SACRAMENTORUM.

28. DUplex est materia, alia proxima, & alia remota. Proxima est, ex qua Sacramentum intrinsecè constituitur, ut ablutio in Baptismate, unctio in extrema Unctione. Remota est, quæ non constituit Sacramentum, sed solùm est materia, circa quam, vel in qua fit materia proxima, ut aqua in Baptismo, oleum in unctione, peccata pœnitentis in Sacramento Pœnitentiæ; materia, & forma dicuntur etiam res, & verba: etenim nomine rerum in præsenti intelligimus rem indifferentiæ, & minùs determinatam ad aliquem specialem effectum constituendum; nomine autem formæ rem determinatam, & determinativam alterius compartis in ordine ad eundem effectum, licèt eadem res sub diversis conceptibus possit esse materia, & forma, ut omnibus notum ex Philosophia suppono; exinde res dicuntur, quæ communiter aliud habent munus, & usum, quàm significare, qualis est absolutio, unctio, traditio libri: nomine autem verborum intelligimus sonos regulariter ex ore hominum prolatos, & institutos ad aliquid significandum, qui non habent alium usum, quàm significare, quod formaliter præstant verba; virtualiter, & æquivalenter nutus, & alia signa, quæ aliquando verborum locò substituuntur.

SECTIO I.

An Sacramenta coalescant ex rebus, & verbis tanquam materia, & forma?

29. ASsero 1. cum ferè omnibus Doctoribus contra Durandum: omnia Sacramenta Ecclesiæ constant rebus, & verbis formalibus, præter matrimonium, quod aliquando constare potest verbis virtualibus. Probatur 1. ex Florentino loco citato num. 4. ubi, postquam enumeravit septem Ecclesiæ Sacramenta, addit: *hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum, si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.*

30. Postquam autem Concilium sex prioribus Sacramentis assignavit propria, & determinata verba absque ulla restrictione, de matrimonio specialiter subdit: *causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*: quibus in verbis apertè supponit, quandoque fieri posse absque verbis formalibus, nempe per quodlibet signum consensûs interni: v. g. per nutus, qui dicuntur virtualiter verba, ut habet perpetua traditio, & constans usus Ecclesiæ, quod quidem firmissimum est, & validissimum argumentum.

31. Ratio autem discriminis inter matrimonium, & cætera Sacramenta est, quia Christus instituens matrimonium in Sacramentum, reliquit illud in esse contractûs humani, non mutans ejus naturam, sed solùm superaddens infallibiliter gratiæ significationem; cùm autem contractus humanus validè celebretur inter homines per nutus, licèt regulariter fiat per verba, exinde matrimonium quandoque celebrari potest per nutus, quamvis regulariter fiat per verba formalia; at verò reliqua Sacramenta primò fuerunt à Christo instituta in signa gratiæ, quæ voluit esse clarissima, & perfectissima, ac proinde constare rebus, & verbis formalibus, quæ clariora sunt, quàm verba virtualia, & æquivalentia.

32. Probatur 2. ex usu constituto Ecclesiæ in confectione Sacramentorum res, & verba adhibentis; ergo negari non potest, Sacramenta constare rebus, & verbis. Confirmatur ex communi consensu Patrum, & Doctorum veritatem istam comprobantium pluribus Scripturæ testimoniis: de Baptismo enim ait Christus Matth. 28. *baptizantes eos in Nomine Patris &c.* ad Ephesios 1. *mundans cor lavacrô aquæ in verbo vitæ*, ubi ablutio, & verba staruuntur; de Evchariſtia constat ex eo, quòd Christus Dominus Matth. 26. adhibuerit panem, & vinum, & verba consecratoria protulerit; de extrema Unctione Jacobi 1. *unguentes cum oleo in Nomine Domini, & Oratio Fidei alleviabit infirmum*, ubi unctio, & Oratio ponitur, & sic de aliis; ergo &c. Ex dictis

33. Fit, ad omnia Sacramenta requiri res ut materiam, & verba ut formam, ut constat ex testimonio Florentini num. 29. Ratio horum est, quia res in præsenti, ut constat ex num. 28. significant rem determinabilem, & forma rem determinantem; atqui res sunt determinabiles, & formâ determinat: ergo res se habet ut materia, & verba ut forma. Maj. & consequentia tenent; min. probatur inductione: nam ablutio in Baptismo est indifferens ad munditiem corporis, & refrigerationem; in Confirmatione, & extrema Unctione Unctio est indifferens ad curationem, vel mollificationem; in Ordinatione traditio libri, Patenæ, vel Calicis indifferens est ad custodiam, venditionem, aut possessionem; in Sacramento Pœnitentiæ contritio, & confessio indifferentes sunt ad humiliationem, vel obedientiam; in Evchariſtia species panis, & vini indifferentes sunt ad levandam famem, vel sitim; in matrimonio promissio absque acceptatione indifferens est, ut fiat contractus, vel non; atqui hæc omnia per verba determinantur ad Sacramentum; ergo &c.

34. Assero 2. cum Eximio Doctore, Granado, Lugo, Arriaga, Dicastillo, & aliis contra Bernal, & plures ab ipso citatos: omnia Sacramenta novæ legis intrinsecè constituuntur rebus, & verbis, cuique respondentibus. Prob. Concilium Florentinum, ut constat ex num. 29. ait, omnia Sacramenta novæ legis perfici rebus ut materiâ, & verbis ut formâ; sed materia, & forma intrinsecè componunt, & constituunt res, quarum verè sunt materia, & forma; ergo &c. Confirmatur enervando contrariorum responsionem: quando Florentinum ait, omnia Sacramenta perfici rebus ut materiâ, agit de materia constituente sex alia Sacramenta; ergo & de constituente Sacramentum Pœnitentiæ; tum etiam, quando ait, perfici cum verbis ut formâ, intelligitur de forma constitutiva sex aliorum Sacramentorum; ergo etiam de forma constitutiva Evchariſtiæ. Probatur consequentia; quia Concilium nullam facit inter hoc, & illud Sacramentum discretionem præter assignatam num. 3. qua de causa diximus in assertione *verbis cuique respondentibus*; ergo &c.

Respondent 1. Adversarii, Sacramentum Evchariſtiæ constare intrinsecè rebus, non autem verbis; quia est Sacramentum permanens, & durat, donec species non corrumpantur: verba autem non durant, ac proinde nequeunt hoc Sacramentum intrinsecè constituere. Contrà tamen 1. Sacramentum Evchariſtiæ est permanens, non quidem in omni genere, sed in genere permanentiæ signi ad placitum; atqui ad permanentiam signi ad placitum necesse non est, quòd duret physicè forma; sed satis est, quòd perseveret moraliter, & duret physicè eadem materia, quæ ut permanens instituta est, ad eum modum, quo in Evchariſtia durant species permanentes; ergo nulla est responsio. Consequentia tenet, & maj. patet ex dictis; min. probatur ex eo, quòd ramus sit signum ad placitum vini venalis, & ut sit signum permanens, necesse non est, quòd duret physicè voluntas hominum, qua intrinsecè, & formaliter institutum fuit; sed satis est, quòd perseveret moraliter, & duret physicè ramus, qui est materia permanens ab hominibus instituta; ergo &c. Confirmatur. Sacramentum Evchariſtiæ durat per modum cibi, & potûs, licèt non duret physicè, neque se habeat ut cibus, vel ut potus institutio Christi; ergo idem dici debet de verbis Ministri. Exinde

Contrà 2. Non minùs constituuntur species Sacramentales Evchariſtiæ in esse signi permanentis ex institutione Christi Domini, quam ex verbis, sive forma consecrationis; atqui Sacramentum Evchariſtiæ est permanens, licèt duret solùm moraliter, & non physicè institutio Christi Domini; ergo etiam erit permanens, licèt solùm duret moraliter, & non physicè forma consecrationis. Contrà 3. Christus Dominus aliquid sensibile instituit in Sacramentum Evchariſtiæ, quo significaretur Christi Corpus ibi sub speciebus existens; sed hoc solùm possunt esse species Sacramentales, & sensibiles, & permanentes, se habentes tanquam materia, & verba consecrationis, se habentia tanquam forma; ergo &c. Probatur min. quia species absque verbis consecrationis non significant, Christi Corpus ibi existere; ergo &c.

Respondent 2. Adversarii, verba consecrationis esse solùm formam in fieri, & extrinsecam, non autem in facto esse, & intrinsecam, neque aliam fuisse mentem Concilii Florentini assignantis pro materia panem, & vinum, quæ quidem non est materia intrinseca, sed extrema Sacramenti Evchariſtiæ. Contrà tamen 1. Quando Florentinum loquitur de forma aliorum Sacramentorum, non assignavit extrinsecam, sed intrinsecam; ergo etiam quando loquitur de forma Sacramenti Evchariſtiæ, utpote nullam apponens restrictionem: aliter de eo tacuisset, quod incredibile est. Secundò materia apud omnes Philosophos duplex est, intrin-

intrinseca una, extrinseca altera, qua cognita facilè assignatur intrinseca, ac proinde mirum non est, Concilium assignâsse materiam extrinsecam, cùm exinde & intrinsecam, & extrinsecam agnosceremus: sed hæc ratio non probat, assignâsse formam extrinsecam; ergo &c. Probatur min. Forma constitutiva alicujus concreti nunquam est extrinseca, licèt enim extrinseca sit comparti, est intrinseca concreto, sic in hoc concreto *visum*, *visio* est intrinseca concreto.

38. Respondent alii, Sacramentum matrimonii non indigere rebus, & verbis, sed solis rebus, aut solis verbis, aut nutibus mutuum consensum significantibus, ac proinde non constitui omnia Sacramenta intrinsecè rebus, & verbis. Contrà tamen, sive dicas juxta varias sententias videndas in Tractatu de Matrimonio, corpora contrahentium esse materiam, & verba formam, sive dicas, mutuum consensum significatum per verba, aut nutus esse materiam, & formam sub diverso respectu, nimirum quatenus sunt traditio, esse materiam, & quatenus sunt acceptio, esse formam, semper matrimonium eget rebus, & verbis, sive formalibus, sive æquivalentibus, ipsum intrinsecè constituentibus; aliter explicari non posset definitio Florentini.

39. Respondent alii, Sacramentum Pœnitentiæ solùm constitui intrinsecè verbis Absolutionis, ut vult Scotus, licèt dicat, actus pœnitentis indispensabiliter etiá requiri, vel solùm constitui intrinsecè actibus pœnitentis, nimirum dolore, confessione, & satisfactione, ut vult Sotus, licèt dicat, absolutionè requiri tanquam extrinsecum complementum, ac proinde non constare rebus, & verbis. Contrà tamen, Tridentinum sess. 14. cap. 3. ita loquitur: *docet præterea Sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis, positam esse, ego te absolvo*; & subjungit: *sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio*; & Can. 4. *si quis negaverit ad integram, & perfectam remissionem peccatorum requiri tres actus in pœnitente, quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, Anathema sit.*

40. Modò sic arguo: de absolutione inquit Tridentinum, non solùm esse formam Sacramenti Pœnitentiæ, sed etiam in ea stare præcipuam Sacramenti vim; atqui vis Sacramenti, quæ est ejus activitas in ordine ad conferendam gratiam, & remittenda peccata, non est præcisè sita in parte extrinseca, sed in intrinseca constitutiva Sacramenti; ergo absolutio est de intrinseco constitutivo *Sacramenti*; deinde cùm Concilium docet, actus pœnitentis esse quasi partes, & ly *quasi* quandoque significet similitudinem, & extrinseceitatem, quandoque intrinseceitatem, imò & identitatem, ut Joannis 1. quando de Christo dicitur, *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre*; ea propter inferri debet ex contextu, aut aliis testimoniis, an actus pœnitentis sint partes intrinsecæ, vel extrinsecæ? atqui ex his infertur, esse partes intrinsecas; ergo &c. Prob. min. 1. ex Catechismo Romano sub titulo de Pœnitent. dicente de actibus pœnitentis: *neque vero hi actus quasi materia à Sancta Synodo appellantur, quia veræ materiæ ratione non habent, sed quia ejus generis materia non sit, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, & Chrisma in Confirmatione*; ergo &c.

Probatur 3. eadem min. si Concilium ibi non loqueretur de partibus intrinsecis, non solùm doceret, actus pœnitentis esse partes, sed etiam ipsa peccata, Baptismum pœnitentis, & Ordinem Ministri, tum etiam fidem, & spem veniæ, quæ omnia sunt requisita, & dispositiones materiæ; ergo nomine partis intelligunt ibi Concilia partes intrinsecas, & constitutivas: ea de causa concludit Tridentinum citatum n. 39. eas vocando absolutè partes; unde Bellarminus lib. 1. de pœnitentia post citata Concilia ait id ita esse certum, ut jam in dubium revocari non possit. Confirmatur. Sacramentum istud institutum fuit per modum judicii, ubi adesset accusatio, & remissio, sive actus pœnitentis, & absolutio Ministri, quod totum elevatum fuit ad causandam gratiam; sed complexum ex actibus pœnitentis, & absolutione Ministri ex utrisque intrinsecè coalescit tanquam ex partibus. Vide num. 50. 41.

Assero 3. Divina institutio est forma intrinseca constitutiva Sacramenti in esse talis, & aggregatum ex rebus, & verbis, est materia respectu hujus institutionis. Probatur, & declaratur simul conclusio: duplex datur compositio in Sacramentis, altera ex rebus, & verbis: v. g. ex absolutione, & verbis, ex unctione, & verbis, ex traditione libri, vel patenæ, & in hac compositione res sunt materia, & verba forma, ut ex Conciliis, & rationibus hucusq; diximus. Cæterùm quia hæc composita accidentalia instituta sunt à Christo in signa infallibilia gratiæ, resultat alia secunda compositio ex talibus compositis tanquam materia, & ex Christi institutione tanquam forma. 42.

Ratio est, quia in quolibet signo ad placitum significatio in actu primo, sive institutio est forma constitutiva in esse signi, & res assumpta, sive instituta ad significandum est materia, & subjectum illius; atqui *Sacramenta* sunt signum ad placitum gratiæ; ergo institutio eorum erit forma intrinseca, & id, quod assumptum, & institutum est ad significandam gratiam erit materia: subsumo; atqui compositum ex rebus, & verbis est institutum ad significandam gratiam; ergo compositum ex rebus, & verbis erit materia respectu institutionis; sic ramus constat suâ materiâ, & formâ, & quando instituitur in signum vini venalis à voluntate hominum, illud compositum ex materia, & forma, dicitur materia respectu voluntatis humanæ instituentis illud in signum. Ex dictis 43.

Fit

44. Fit, Florentinum, & alia Concilia, quando assignant verba pro forma *Sacramentorum*, loqui de *Sacramentis* in prima compositione; ratio est, quia opus erat hanc in singulis *Sacramentis* singillatim declarare, ut sciremus, in quo consisteret quodlibet *Sacramentum*, & quomodo *Sacramenta* differant inter se. De forma autem ratione compositionis satis constat, dum dicitur generaliter, omnia *Sacramenta* esse à Christo Domino instituta ad significandam, & causandam gratiam, ut constat ex Tridentino citato num. 16. Quænam autem partes in quolibet *Sacramento* sint essentiales, quænam autem integrales, constabit ex iis, quæ in singulorum Tractatibus tradentur.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

45. OBjicies 1. contra primam assertionem: *Sacramentum* Pœnitentiæ solùm perficitur verbis, nempe confessione pœnitentis, & absolutione; ergo non constat rebus, & verbis. Respondeo nego antec. quia constat etiam dolore pœnitentis; imò confessio, licèt verbis fiat, intelligitur sub nomine rerum in præsenti, cùm à verbis Ministri, nempe absolutione determinetur. Quapropter sola verba Ministri veniunt sub significatione verborum, reliqua sub significatione rerum ex dictis num. 28. Sic cognitio ut cognita per aliam cognitionem dicitur concursus objectivus, & non formalis.

46. Objicies 2. præcipuè contra secundam assertionem: Concilium Florentinum in Decreto Eugenii de Eucharistia dicit: *forma hujus Sacramenti sunt verba Sacerdotis, quibus hoc conficitur Sacramentum*; ergo sunt causa efficiens, & non intrinsecè constitutiva. Confirmatur. Sacramentum Eucharistiæ significat, & causat gratiam sacramentalem; atqui verba, cùm non dirigantur ad suscipientem; sed ad Corpus Christi præsens sub speciebus, non causant gratiam sacramentalem; ergo non sunt de constitutivo Sacramenti. Respondeo nego conseq. quia forma causans compartem, licèt dicatur causa effectiva compartis, est causa constitutiva, & intrinseca totius: sic anima causans nutritionem, est forma hujus compositi *nutritum*, & causa compartis: imò Concilium per ly *conficere* non intelligit physicè producere, sed perficere, ut constat ex num. 29. Ad Confirmationem conc. maj. & dist. min. non causant gratiam sacramentalē, secundùm quod significant, & habent ex institutione hominum, conc. ex institutione Christi, nego min. & conseq. nam ex institutione Christi forma & materia Sacramenti habent id, quòd possint causare gratiam, ut constat ex n. 40.

47. Objicies 3. Sacramentum Eucharistiæ manet integrum transactis verbis; ergo verba non sunt de intrinseco illius constitutivo. Confirmatur. Verba consecrationis non existunt; quando fideles sumunt Sacramentum; ergo non causant moraliter gratiam, ac proinde non constituunt Sacramentum. Hoc argumentum cum sua Confirmatione retorqueri potest in Christi institutione, ut constat ex num. 36. Deinde respondeo dist. antec. manet integrum integritate requisita ad permanentiam signi ad placitum, conc. integritate requisita ad compositum ex unione physica, nego antec. & consequentiam; nam integritatem requisitam ad permanentiam signi ad placitum habet id Sacramentum post verba transacta, ut constat à num. 35. Ad Confirmationem conc. antec. & nego consequentiam; nam ad causandum materialiter sufficit, quòd moveant ad sui cognitionem; cognitio autem non potest solùm attingere verba actualia, sed etiam præterita: sic licèt nos videamus Hostiam, si non sciamus, esse consecratam, non veniemus in cognitionē præsentiæ Christi, neque gratiæ concrendæ, benè verò, si sciamus, esse consecratam.

Objicies 4. Sacramentum Eucharistiæ institutum est per modum cibi, & potûs; sed verba neque sunt cibus, neque potus; ergo neque sunt de intrinseco constitutivo Sacramenti. Confirmatur pluribus Sanctorum Patrum testimoniis, in quibus Eucharistia dicitur Caro, & Sanguis Christi; sed verba non sunt caro, neque sanguis; ergo Sacramantum Eucharistiæ non constituitur intrinsecè per verba. Retorqueo argumentum in institutione Christi Domini. Respondeo deinde dist. maj. secundùm quod dicit pro materia permanente, conc. secundùm quod dicit pro forma, nego maj. & distincta min. nego consequentiam ex dictis num. superiori. Ad Confirmationem dist. maj. dicitur caro, & sanguis explicando id, de quo erat controversia Patrum, conc. explicando quidquid constituit intrinsecè Sacramentum, nego maj. & concessa min. nego consequentiam; quia Sancti Patres in illis testimoniis agebant contra Hæreticos negantes, corpus, & sanguinem Christi esse in Eucharistia. Asserebant ergo, quod Hæretici negabant, relictis speciebus, & verbis, quæ nota sunt, & de quibus tunc non erat difficultas.

Objicies 5. ex Soto: Sacramentum Pœnitentiæ est, & dicitur Sacramentum Pœnitentiæ; atqui absolutio Sacerdotis pertinens ad verba non est pœnitentiæ actus; ergo non est de constitutivo Sacramenti, ac proinde constabit solummodo rebus. Confirmatur. Tridentinum sess. 14. Can. 4. solùm enumerat tres partes hujus Sacramenti, nimirum tres actus pœnitentis; ergo absolutio non est ejus pars, aliter daretur quarta pars contra Tridentinum. Respondeo conc. maj. & dist. min. non est actus pœnitentiæ, id est pœnitentis, conc. Sacramenti Pœnitentiæ, nego maj. & conseq. quia Sacramentum Pœnitentiæ propter actus pœnitentis, quos includit ut materiam, includit etiam remissionem pœnitentis ut formam, ut constet

constat ex Tridentino citato num. 30. Ad Confirmationem dist. antec. secundùm quod se habet ex parte materiæ, conc. ex parte materiæ, conc. ex parte formæ, nego antec. & consequentiam; quia in hoc nihil aliud addimus ultra, quod expressè docet Tridentinum.

50. Objicies 6. ex Scoto: tota significatio effectûs Sacramenti Pœnitentiæ, scilicet remissionis peccatorum, est in sola absolutione; ergo in illa sola consistit tota essentia hujus Sacramenti. Confirmatur 1. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est ad significandam, & causandam remissionem peccati; atqui actus pœnitentis non significant remissionem, eámque significat sola forma; ergo actus pœnitentis non constituunt Sacramentum Pœnitentiæ, sed sola forma. Confirmatur 2. In aliis judiciis sola Judicis sententia significat, & causat absolutionem, & condemnationem rei; ergo etiam in judicio Sacramenti Pœnitentiæ. Respondeo dist. antec. tota significatio desumpta ex institutione hominum, conc. ex institutione Christi, nego antec. & consequentiam; quia, licèt sola verba absolutionis ex institutione, quam habent ab hominibus, significent remissionem, est adeò varia, & egena significatio, ut eandem habeant verba, etsi proferantur à laico; ex institutione autem Christi Domini non solùm verba, sed totum Sacramentum significant, & causant remissionem. Quapropter Tridentinum citatum num. 39. non dixit, adesse totam vim in absolutione, sed præcipuam, ut forma sit pars præcipua, & minùs præcipua pertineat ad materiam. Vide num. sequenti, & num. 53.

51. Ad primam Confirmationem conc. maj. & dist. primam min. partem, actus pœnitentis non significant remissionem ex institutione hominum, conc. ex institutione Christi, nego, & dist. è converso secundâ partem: eam significat sola forma significatione desumpta ab institutione hominum, conc. ab institutione Christi, nego min. & consequentiam. Ad secundam Confirmationem conc. antec. & nego conseq. quia in aliis judiciis solùm datur significatio humana: in Sacramento verò pœnitentiæ præter significationem desumptam à voluntate hominum est alia ex institutione Christi, quæ omnibus Sacramenti partibus convenit, cùm toti Sacramento imposita sit, cui dedit Christus vim causandi, quod significat; dedit autem diversimodè (quod valde notandum est) nam Sacerdoti dedit tanquam Judici, & procuratori personæ offensæ, secus autem reo, qua de causa, licèt ab utriusque actibus proveniat remissio, solus Sacerdos dicitur remittere, cùm solus ille concurrat ut Judex, & procurator personæ offensæ, & hæc est ratio, ob quam Tridentinum dixit, sitam esse in absolutione præcipuam vim hujus Sacramenti, ex qua doctrina facilis aderit solutio objectioni subsequenti.

52. Objicies 6. Si actus pœnitentis constitueret intrinsecè Sacramentum, & causaret gratiam remissivam peccati, non solùm Sacerdos esset Minister Sacramenti Pœnitentiæ, sed etiam ipse pœnitens, quod dici non potest. Probatur antec. Ideo Sacerdos est Minister, quia efficit absolutionem, quæ est pars intrinseca causativa gratiæ, & remissionis peccati; atqui pœnitens efficit suos actus, qui sunt pars intrinseca causativa gratiæ, & remissionis peccati: ergo &c. Confirm. 1. Ideo uterque contrahens in Sacramento matrimonii est Minister illius Sacramenti, quia uterque præstat suum consensum, qui est pars illius Sacramenti; atqui si actus pœnitentis essent pars intrinseca Sacramenti Pœnitentiæ, non solùm Sacerdos, sed etiam pœnitens efficeret suam partem constitutivam Sacramenti; ergo non solùm Sacerdos, sed & pœnitens esset Minister hujus Sacramenti. Confirmatur 2. Si actus pœnitentis essent pars intrinseca Sacramenti pœnitentiæ causativa gratiæ, & remissionis peccati, non solùm Sacerdos, sed etiam pœnitens haberet potestatem Clavium, & utrique dictum esset: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* ergo uterque esset Minister.

Respondeo, nego antec. ad probationem dist. 53.
maj. quia efficit absolutionem, quæ præcisè est pars, nego, quæ est forma, conc. maj. & dist. min. nego consequentiam; quia actus pœnitentis non sunt forma, sed materia, solúmque dicitur Minister, faciens concretum Sacramenti, qui nomine Christi formam efficit. Sic in Sacramento Ordinis materia non stat solùm in traditione Calicis v. g. quæ fit ab Episcopo, sed etiam in acceptione, quæ fit ab illo, qui ordinatur, & tamen, quia solus Episcopus conficit formam, solus Episcopus dicitur Minister illius Sacramenti; sic etiam in artefactis naturalibus non dicitur conficere mensam, qui producit lignum, sed qui in ligno conficit formam mensæ; imò ut quis dicatur Minister Sacramenti, non solùm debet conficere partem aliquam, sed etiam debet concurrere nomine Christi secundùm eam specialem rationem, quæ Sacramento competit. In nostro autem casu Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuit per modum judicii; cùm autem solus Sacerdos concurrat ut Judex ex Christi institutione, solus Sacerdos concurrit ut Minister. Hinc

Ad primam Confirmationem dist. maj. quia 54.
uterque præstat suum concursum conficiendo formam secundùm specialem illam Sacramenti rationem, conc. aliter, nego maj. & distincta min. nego consequentiam; quia forma Sacramenti matrimonii sunt verba formalia, aut æquivalentia, quæ à contrahentibus conficiuntur. Imò istud Sacramentum institutum fuit per modum veri contractûs, & soli contrahentes contractum illum verum efficiunt, ac proinde soli contrahentes sunt Ministri illius Sacramenti; hoc autem non invenitur in pœnitente respectu Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde nequit esse ejus Minister, ut constat ex num. superiori.

55. Ad secundam Confirmationem nego antec. quia illa Christi Domini verba solummodò dicta sunt ad illum, qui nomine personæ offensæ remittit, & concurrit ut Judex, quod non convenit pœnitenti, sed Sacerdoti. Sic licèt DEUS, & homo concurrant efficienter ad producendam visionem, solus homo denominatur videns per illam; secus autem Deus; quia denominatio videntis ultra concursum effectivum addit concurrere immanenter, quod non convenit DEO, sed homini. Pariter in nostro casu ad denominationem Ministri in judicio remittentis non sufficit concurrere effectivè ad remissionem peccati, sed necesse est, quòd concurrat ut Judex, quod pœnitenti non convenit, sed Sacerdoti.

56. Objicies ultimò. Partes Sacramenti Pœnitentiæ debent esse sensibiles, cùm Sacramentum definiatur *signum sensibile*; atqui contritio utpote interna, & spiritualis non est sensibilis; ergo non est pars hujus Sactamenti. Respondeo conc. maj. & nego min. quia quævis res cum alia concurrens fieri potest sensibilis vel per se, vel vel per aliam ipsam comitantem. Sic in Evcharistia Corpus Christi fit sensibile per verba consecrationis, ad eúmque modum dolor in pœnitentia fit sensibilis per confessionem humilem, & devotam.

57. Quòd autem non detur Sacramentum, si confessio sit simulata, parùm refert; nam tunc illud morale signum maneret apud homines, licèt non daretur Sacramentum ex defectu veri constitutivi; sicut casu, quo simulata essent verba consecrationis, non daretur Sacramentum Evcharistiæ ex defectu illius veri constitutivi, licèt maneret illud morale signum sensibile apud homines. Idem esto in Sacramento Pœnitentiæ, si absolutio esset simulata; ad infallibilem namque connexionem cum gratia non sufficit illud signum, nisi constituat Sacramentum modo, quo à Christo Domino institutum est; à tali enim constitutione provenit infallibilis connexio cum gratia, ut sæpè diximus.

SECTIO III.

Quomodo Christus Dominus determinaverit materiam, & formam Sacramentorum?

58. Assero 1. Christus Dominus determinavit quoad substantiam materiam, & formam omnium Sacramentorum. Probatur 1. Determinare quoad substantiam stat in eo, quòd nulla sit materia, & forma Sacramentorum, quæ non comprehendatur sub significatione institutionis Christi Domini, nimirum sive determinando ista verba, & res præ illis, sive determinando hæc, vel illa, relinquendo alteri puram materialem electionem, dummodo formalis electio à Christo proveniat; sed sic se habet materia, & forma omnium Sacramentorum. Probatur min. Materia, & forma omnium Sacramentorum, ut ex dictis constat, habent essentialem connexionem cum gratia, quam conferunt ex opere operato obicem non ponenti; sed si non comprehenderentur sub significatione institutionis Christi Domini, non possent habere illam connexionem cum gratia; &c. Maj. & consequentia tenent; min. autem patet, quia neque homo, neque Angelus, neque Ecclesia possunt materiis, & formis eam conferre connexionem; ergo &c.

Probatur 1. ex Tridentino citato num. 16. ubi definit, omnia novæ Legis Sacramenta institutа esse à Christo Domino; ergo institutum, & determinatum fuit à Christo Domino quoad substantiam Sacramentum constitutivum; sed istud Sacramentum constitutivum sunt materia, & forma; ergo &c. Confirmatur ex eodem Tridentino sess. 21. cap. 2. definiens, *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati magis expedire judicaret.* Ex quibus verbis clarè patet, non posse Ecclesiam determinare, neque immutare substantialem materiam, & formam Sacramentorum; sed nulla assignabilis est alia ratio, nisi quia Christus Dominus ea substantialiter determinavit. Confirmatur ex perpetua Ecclesiæ traditione ab Apostolis derivata, atque unanimi consensu Patrum; ergo &c.

Assero 2. Christus Dominus non determinavit æquali restrictione materiam, & formam omnium Sacramentorum. Probatur 1. de rebus, sive materia; quia in Baptismo determinavit ablutionem aquæ naturalis aptæ ad abluendum, quæ quidem vocari solet species infima; in Confessione, & extrema Unctione, res in genere, sive specie subalterna, nimirum Unctionem ex oleo olivarum, quarum plures species esse supponunt Authores; in Evcharistia determinavit res partim quoad genus, nempe panem ex tritico, & vinum ex uvis, quarum plures etiam species assignant Theologi, & partim quoad individuum, nempe Corpus Christi.

In Sacramento Pœnitentiæ determinavit dolorem, cujus plures dantur species, videlicet attritio, & contritio, tum etiam confessionem peccatorum, quæ potest esse multiplex species, ut per verba, per nutus, per scripturam; similiter in matrimonio plures sunt species consensuum, & plures species manifestationis mutui consensus, ut verbis, scriptis, nutibus; tandem in Sacramento Ordinis determinavit materiam in genere latiori, nimirum quodliber signum proportionatum potestati, quæ confertur per talem Ordinem; sed in hoc stat, quòd non determinaverit æquali restrictione materiam omnium Sacramentorum; ergo &c.

Probatur 2. de verbis, sive forma: quia in sex prioribus Sacramentis determinavit verba for-

malia; in matrimonio aut formalia, aut virtualia, deinde in nullo Sacramento determinavit idioma verborum, qualitatem soni, aut syllabarum numerum. Insuper in sex prioribus determinavit formam verborum secundùm communem, & usitatam significationem, in qua debet proferri à Ministro, & non in alio sensu; licèt enim Minister Baptismi cum circumstantibus conveniret, ut per verbum *audio* significaret *baptizo*: & diceret: ego te audio in nomine Patris &c. non baptizaret, quia non sumeret vocem *audio* secundùm communem usum; in matrimonio autem non determinavit verba, aut nutus secundùm communem usum, sed secundùm communem, vel privatum significativum consensûs interni; discrimen inter matrimonium, & alia Sacramenta assignavimus num. 31. ex quo matrimonium, sicut alii contractus humani, fieri potest per quælibet signa manifestativa utriusque consensus; sed in hoc stat, quòd non determinaverit Christus Dominus formam omnium Sacramentorum æquali restrictione; ergo &c.

63. Assero 3. contra Hæreticos: Christus Dominus non determinavit verba ut concionatoria, sed ut consecratoria, & ritualia pro forma Sacramentorum. Probatur 1. Verba consecratoria, & ritualia sunt ea, quæ instituta sunt ad significandam, & causandam gratiam adhibenda ritu à Christo Domino instituto. Concionatoria autem sunt, quæ assumuntur ad instruendos fideles; sed verba, quæ sunt forma Sacramentorum, instituta fuêre à Christo ad significandam, & causandam gratiam adhibita ritu à Christo Domino instituto; ergo &. Probatur min. ex Florentino in institutione Armenorum, ubi pro Sacramentorum formis assignat verba consecratoria, & ritualia, & non concionatoria: verba autem, utpote ut forma pertinent ad substantiam; sed ut constat ex Tridentino citato num. 59. Ecclesia circa Sacramenta nihil immutare potest quoad substantialia; ergo certum est, à Christo Domino instituta, & determinata fuisse verba consecratoria, & ritualia. Confirmatur ex perpetua traditione Ecclesiæ, & Conciliorum, tum ex Patribus videndis apud Bellarminum lib. 1. de Sacramentis cap. 19. ubi Dionysius verba Sacramentorum appellat invocationes consecratorias; ergo &c.

64. Probatur 2. quia Christus Dominus Matth. ultimo formam Baptismi assignans ait: *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii &c.* & præcipit observari hanc formam; tum etiam Luc. 22. conficiens Sacramentum Evchariſtiæ præcepit Apostolis facere, quod ipse fecit, sed Christus Dominus verba consecratoria adhibuit dicens: *hoc est Corpus meum*; ergo &c. quòd autem idem suo modo contigerit in aliis Sacramentis, quamvis de omnibus ex Scriptura non constet, constat ex perpetua Ecclesiæ traditione ab Apostolis derivata, atque unanimi Patrum sensu; ergo &c. Confirmatur. Parvuli validè in Ecclesia baptizantur, ut vel ipsi Hæretici fatentur, sed non sunt capaces intelligendi verba concionatoria: ergo &c.

65. Respondent Lutherani, parvulos, dum baptizantur, habere usum rationis, & fidem actualem; ô mira responsio! quis non rideat adultos, qui sic respondent, amisisse simul cum fide vel rationem, vel saltem rationis usum: cæterùm hæc responsa, licèt à novatoribus excitata, vetustatem redolent, eaque usi sunt antiquissimi Hæretici, quos falsè S. Augustinus deridet Ep. 57. ad Dardanum, eósque hoc dilemate evidentissimè convincit, sic contra responsionem insurgens: pueri, dum baptizantur, plorant, & Baptismum, quantùm possunt, recusant, vel ergo tunc rationis usum habent, vel non? si non habent, non credunt; si habent, peccant mortaliter, nec in Baptismo deponunt culpam originalem, sed admittunt actualem, nec Baptismum recipiunt validè, utpote inviti, & ratione utentes; ergo responsio illa evidenter est nulla. Ex dictis

66. Fit 1. materiam, & formam Sacramentorum adhibendas esse ritu à Christo Domino instituto; unde si in Baptismo v. g. alter ablueret, & alter verba proferret, non conficeretur Sacramentum. Fit 2. ad conficiendum Sacramentum nullam immiscendam esse moralem interruptionem verborum inter se, neque cum materia; nam in eo casu non haberet unionem moralem requisitam ad concretum morale, quale est Sacramentum à Christo institutum; quænam autem discontinuatio censenda sit moralis interruptio, solùm deduci potest ex prudentum judicio, ex quo designari solet major, aut minor attentâ naturâ Sacramentorum, eáque de causa major intercapedo requiri semper solet in Sacramentis Pœnitentiæ, & matrimonii, quàm in aliis ad tollendam moralem unionem partium, vel quia non requiritur materia physicè præsens, cùm sufficiat dolor, & contractus moraliter perseverantes, vel quia in contractibus, & judiciis humanis æqualis aut major partium interruptio non obstat.

67. Notat tamen accuratè Gobat Tractatu 1. de Sacramentis in genere sect. 2. num. 28. & 39. & Tractatu 2. de Baptismo casu 13. reg. 4. & 5. & 10. repetenda esse sub conditione Sacramenta Baptismi, Ordinis, & Confirmationis, si probabile sit, non fuisse ritè confecta, ut debeant evitari inconvenientia, quæ exinde possent oriri, imò Minister peccaret lethaliter ita conficiendo Sacramentum, vide à num. 72. Fit 3. mutationem substantialem materiæ, & formæ Sacramentorum inducere nullitatem Sacramenti, mutationem verò purè accidentalem non impedire Sacramenti valorem, si tamen materiæ parvitas non excuset, esse ex genere suo peccatum mortale contra religionem, cùm sit contra præceptum Ecclesiæ ex motivo religionis præcipientis. Unde qui in Hostiæ consecratione liberè, & advertenter omitteret particulam *enim*, peccaret mortaliter, quantum-

vis conficeret Sacramentum, ob rationem à nobis assignatam.

68. Fit 4. tunc dari substantialem materiæ mutationem, quando tanta est, ut juxta communem acceptionem, & existimationem hominum distinguatur morali specie ab ea, quam Christus requisivit, ideóque diverso nomine appellatur; tunc verò reputari accidentalem, quando non datur talis distinctio, sive una materia distinguatur specie physica ab alia, sive non: identitas enim, aut diversitas substantialis non tam attenditur juxta speciem, aut diversitatem physicam, quàm moralem. Hinc licèt vinum unius Regionis fortasse distinguatur specie physica ab alio, vel album à rubro, non tamen distinguitur specie morali à Christo instituta, ideóque substantialiter comprehenduntur sub institutione Christi Domini; econtra autem licèt panis fortasse non differat specie physica à massa farinæ adhuc cruda, differt tamen specie morali, sive substantiali in ordine ad consecrationem, ac proinde nequit validè consecrari.

69. Fit 5. mutationem formæ tunc existimandam substantialem, quando mutatur ejus sensus, sive quando verba non retinent eundem sensum, quem verba à Christo instituta, tunc autem existimandam mutationem accidentalem, quando idem sensus remanet. Ratio est, quia verba in Sacramentis non operantur secundùm unum syllabarum, & verborum, sed secundùm sensum. Hinc rectè Cardinalis de Lugo, & Bernal, mutationem in Sacramentis essentialem tunc contingere dicunt, quando mutatur aliquid à Christo determinatum; accidentalem verò, quando mutatur aliquid non à Christo, sed ab Ecclesia determinatum. Ratio est, quia Christus determinavit, solúsque determinare potuit Sacramentorum substantiam; Ecclesia verò, licèt non possit Sacramentorum essentias alterare, ut constat ex num. 59. potest plura præcipere circa eorum ritum, & confectionem. Unde mutatio contra institutionem Christi erit substantialis, contra determinationem Ecclesiæ accidentalis, acproinde quandoque Sacerdos poterit conficere Sacramentum validè, sed illicitè.

70. Fit 6. mutationem verborum cum animo introducendi errorem, videlicet nolendo significare, neque facere, quod significat, & facit Ecclesia, esse mutationem substantialem; mutationem verò verborum ex ignorantia Linguæ Latinæ, aut balbutiei, qua ita proferuntur verba, ut significationem, quam apud homines habent, & à Christo instituta, apud audientes retineant, esse accidentalem. Qua de causa Zacharias Papa cap. *retulerunt* de consecrat. dist. 4. consultus, an valeret Baptismus collatus sub hac forma: *in nomine patria, & filia, & Spiritûs Sancta.* Respondit valere, si Minister eâ formâ usus fuit ob ignorantiam Romanæ locutionis, non introducens errorem, aut hæresim.

Ratio autem Theologica ex dictis est, quia, si proferrentur à perito Linguæ Latinæ, significarent personas Trinitatis tanquam fœminas, quod intendere, esset velle hæresim introducere, ac proinde specie morali distinguerentur ea verba à verbis à Christo institutis; si verò cum recta intentione ab ignaro Linguæ Latinæ, aut balbutiente proferantur, significant procul dubio Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ac proinde non distinguuntur specie morali à verbis à Christo institutis, ex quibus bene perpensis quàm plurimi decidi possunt casus particulares. Videatur Esparza quæst. 6.

Fit 7. in confectione Sacramentorum esse peccatum lethale, uti materiâ, & formâ probabilibus, quando adsunt certæ; quia enim in re adeò gravi tutò operari potest, & nihilominus se exponit periculo frustrandi Sacramentum, irrationabiliter operatur, ac proinde adhuc præscindendo ab omni lege positiva, mortaliter peccat, nec opus est in his ulteriùs immorari, quandoquidem ab Innocentio XI. damnata fuit ista propositio: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi*; quando autem non datur materia certa in casu necessitatis, sed solùm probabilis, & probabilior, judico, Parochum ex contractu, & reliquos ex charitate teneri adhibere utramque, apponendo, v. g. primò probabiliorem, & quia fortasse illa non est tanta, apponendo postea sub conditione minùs probabilem, quæ forsan erit vera, & propria materia.

SECTIO IV.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. contra primam assertionem: Baptismus tempore Apostolorum validè ministrabatur nomine solius JESU Christi, sed nunc non potest validè ministrari, nisi sub nomine totius Trinitatis: ergo forma Baptismi substantialiter mutata est ab ea, quam instituit Christus Dominus. Probatur maj. ex Act. 2. ubi dicitur: *baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum*; & cap. 8. *nomine JESU Christi baptizabantur viri, ac mulieres*; ergo &c. Confirmatur. Nicolaus Papa cap. *A quodam Judæo*, de consecrat. dist. 4. declarat, fuisse validum Baptismum datum in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi, redditque hanc rationem lib. de Spiritu Sancto, cap. 3. *qui benedicitur in Christo, in Patre, & Spiritu Sancto benedicitur, quia unum est nomen, una potestas*; & iterum infrà: *qui Christum nominat, & dicit Filium, qui unctus est, & Patrem, à quo unctus est, & Spiritum Sanctum, quo unctus est, & quem sensum approbat ex doctrina S. Ambro-*

si

si Beda in cap. 10. Actor. S. Bernard. Epist. 340. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacrament. part. 6. cap. 2. Magister in 4. dist. 3. Adrianus quæst. 2. de Baptismo, & alii; ergo &c.

74. Respondet 1. Divus Thomas 3. part. quæst. 66. artic. 6. ad 1. & cum ipso plures Thomistæ concessis præmissis negando consequentiam; quia illa forma Baptismi comprehendebatur institutione Christi Domini concessa Apostolis in primitiva Ecclesia ad baptizandum in nomine Christi, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis, & Gentibus, honorabile redderetur, per quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabaturi n Baptismo; & ex hac doctrina explicat Divus Thomas mentem Ambrosii non aliam fuisse, nisi significare convenientiam, ut ita factum fuerit tempore Apostolorum, eandémque fuisse Nicolai Papæ mentem; imò Nicolaus solùm definivit, Baptismum datum à Judæo retinente professionem Judaicam, fuisse validum, de quo solùm consultus fuerat ab Ungaris: deinde superaddit ut privatus Doctor ex auctoritate Ambrosii, qua utitur, valere Baptismum datum in nomine Christi; ad hunc enim modum sunt plura in decretis Conciliorũ, & Pontificum definientium id tantùm, de quo præcipuè, ac directè quærebatur, non verò alia, de quibus obiter incidit sermo. Sic in septima Synodo generali approbata fuit conclusio, quæ dicebat, Angelos depingi posse, non verò, quæ prò illa conclusione afferebatur ratio, ut tradunt Doctores in Tractatu de Angelis.

75. Quidquid autem fuerit de illo tempore primitivo, verum est, modò non valere Baptismum, nisi sub expressione trium personarum, ut constat ex Zacharia Papa Cap. *in Synodo* de consecrat. dist. 4. *si lotus in fonte Baptismatis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti baptizatus*; tum etiam ex Pelagio Papa Cap. *si reverâ* & Cap. *multi sunt*, eadem dist. definiente, *Baptismum datum in nomine Christi, vel in nomine Domini tantùm, nullum esse.* Cæterùm mihi probabilior apparet responsio aliorum Doctorum, quos sequitur Esparza lib. 10. de Baptis. quæst. 40. Cum quibus

76. Respondeo nego maj. ad probationem conc. antec. & nego consequentiam; quia in illis testimoniis non negatur, adhibitam esse expressionem trium personarum, sed dicitur, baptizari homines in nomine Christi, ut denoretur, baptizari non quidem Baptismo Joannis, sed Baptismo instituto à Christo, cui aggregabantur tanquam capiti, & à quo eam potestatem Apostoli acceperant. Baptismus autem pro Apostolis, & pro omnibus à Christo institutus fuit sub expressione Trinitatis, ut constat ex verbis Christi ad Apostolos Matth. 28. *euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Quapropter baptizari nomine Christi, idem erat ac baptizari Baptismo à Christo instituto. Ad Confirmationem respondeo, Pontificiam illam definitionem non fuisse contra explicationem nostram ex dictis num. 74. reliqua autem testimonia ad exemplum Divi Thomæ benignè interpretanda sunt.

77. Veritas autem doctrinæ nostræ constat ex ipso Actor. lib. cap. 19. ubi Paulus inveniens aliquos, qui dicebant, se esse baptizatos, aut Discipulos, interrogavit eos, *si Spiritum Sanctum accepistis*, respondentibus illis, *sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus*, interrogavit iterum Paulus, *in quo ergo baptizati estis?* quæ verba aperte significant, non potuisse eos ritè baptizari absque expressione Spiritûs Sancti: responderunt, *in Joannis Baptismate*; & post aliqua addit textus: *his auditis baptizati sunt in nomine Domini JESU.* Unde baptizari in nomine JESU idem erat, ac baptizari Baptismo à Christo JESU instituto; aliter non bene inferretur à Paulo expressio Spiritûs Sancti ratione Baptismi.

78. Objicies 2. Materia, & forma Sacramenti Ordinis non est eadem in Ecclesia Latina, & in Ecclesia Græca; ergo Christus non determinavit quoad substantiam materiam, & formam omnium Sacramentorum. Probatur antec. Episcopi Latini ordinant Presbyteros tradendo patenam cum Hostia, & Calicem cum vino cum hac verborum forma: *accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia &c.* Episcopi verò Græci ordinant Presbyteros sola manuum impositione absque traditione patenæ, & Calicis cum hac verborum forma: *gratia, quæ semper infirma sanat &c.* ergo &c. Retorqueo argumentum: aliqui ad consecrandum adhibent vinum album, alii rubrum, alteri ad Sacramentum Pœnitentiæ adhibent attritionem, alteri contritionem; ergo Christus Dominus non determinavit quoad substantiam materias horum Sacramentorum.

79. Respondeo deinde dist. antec. non est eadem materialiter, conc. formaliter, nego antec. & consequentiam. Ad probationem conc. antec. & nego consequentiam; quia identitas formalis stat in eo, quòd quævis ex his materiis, & formis comprehendatur sub significatione institutionis Christi Domini, ac proinde quòd determinata sit quoad substantiam à Christo Domino, licèt sint in se materialiter diversæ, ut patet in exemplis retorsionis; determinatio autem purè materialis in materia, & forma Sacramenti Ordinis relicta est Ecclesiæ, quæ illam pro Græcis solis, & istam constituit pro solis Latinis. Unde Latini non possunt illud conficere Sacramentum ritu Græco, neque Græci ritu Latino, cùm non possint illud conficere absque signo sensibili à Christo instituto, & ab Ecclesia pro illis determinato.

80. Objicies 3. Sacramentum Confirmationis tempore Apostolorum ministrabatur per solam manuum impositionem, ut constat ex Act. Apostolorum cap. 8. & 19. & Patribus ea testi-

monia in hunc sensum explicantibus, sed modò adhibetur Chrisma, id est mixtum ex oleo, & balsamo, ut testatur Eugenius IV. in Decreto Unionis dicens: *locò impositionis manuum Apostolorum dari nunc in Ecclesia Confirmationem, id est, unctionem Chrismatis*; ergo mutata est materia hujus Sacramenti. Resp. concessis præmissis, nego consequentiam; quia in præsenti mutari materiam absolutè dictum, significat, dari materiam modò, quæ à Christo non fuit instituta, quod falsissimum est; Christus enim ad tempus dedit Apostolis potestatem, ut vel Chrismate, vel manuum impositione pro temporis opportunitate uterentur, donec Ecclesia bene esset per Orbem fundata, quod clarè constat ex eo, quòd Apostoli quandoque utebantur Chrismate, ut testantur Dionysius, aliique Patres apud Suarezium disput. 33. sect. 1. & Bellarmin. cap. 9. de Confirmatione; quandoque verò manuum impositione, ut constat ex testimoniis allatis; cùm autem utramque materiam ex illis instituerit Christus pro eo tempore, non distinguebantur specie morali, sed duntaxat purè materiali.

81. Objic. 4. Ante Tridentinum solus consensus contrahentium erat materia valida Sacramenti matrimonii sine præsentia Parochi, & testium; sed post Tridentinum non est materia valida sine præsentia Parochi, & testium; ergo Tridentinum mutavit materiam distinctam ab ea, quam Christus determinavit. Respondeo, concessis præmissis nego consequentiam; quia Christus instituit pro materia hujus Sacramenti contractum humanum validum; hæc enim institutio semper est eadem, neque enim Ecclesia potest facere, quòd contractus humanus validus non sit materia hujus Sacramenti; cum quo tamen bene stat, quòd Ecclesia possit requirere has, vel illas conditiones, ut contractus sit validus, sicuti sit in aliis contractibus; consensus ergo mutuus ante Tridentinum erat validus contractus absque præsentia Parochi, & testium; nunc autem absque eorum præsentia non est validus. Unde si absque præsentia Parochi, & testium contrahatur matrimonium, contractus est nullus, ac proinde nullum Sacramentum. Sic, qui vinum mutat in acetum, efficit, quòd non possit consecrari, quod antea poterat consecrari, non quidem mutandò materiam Sacramenti, aut mutandò unum pro alio, sed destruendò ibi materiam Sacramenti. Cæterùm hæc omnia argumenta, si bene perpendantur, potiùs confirmant secundam nostram assertionem, quam primam impugnent.

82. Objicies 5. contra secundam assertionem: si non determinâsset Christus omnia Sacramenta æquali restrictione, sed solùm quoad substantiam, mutatio materiæ secundùm accidens non officeret valori Sacramenti: sed mutatio secundùm accidens officit valori Sacramenti; ergo &c. Probatur min. Aqua congelata solùm differt secundùm accidens ab aqua naturali liquida; sed aqua congelata non est sufficiens ad valorem Baptismi; ergo &c. Confirmatur 1. Valor Sacramenti pendet ab institutione Christi promittentis gratiam conferendam à Sacramentis, si apponatur ista materia, & ista forma: atqui promittens liberatur à promissione, si non ponatur vel minima pars conditionis, sub qua facta fuit promissio; ergo si non ponatur vel minima, sive accidentalis pars materiæ, & formæ, non ponetur valor Sacramenti. Confirmatur 2. Nulla potest esse mutatio minor in forma Sacramentorum, quàm mutatio unius litteræ; sed mutatio unius litteræ officit valori Sacramenti, ut pater in forma Baptismi, si locò *Patris* ponatur *Matris*, & in forma absolutionis, si pro *te* dicatur *me*; ergo &c.

Respondeo ex dictis à num. 68. dist. maj. secundùm accidens in existimatione morali, conc. in esse purè physico, nego maj. & distincta min. nego consequentiam. Ad probat. dist. maj. solùm differt secundùm accidens purè physicum, transeat; secundùm accidens in existimatione morali, nego maj. & concessa min. nego consequentiam; nam aqua naturaliter est materia remota Baptismi, prout est apta ad ablutionem, quæ quidem ablutio est materia proxima, & nemo prudentum dubitare potest, valde distingui in ordine ad ablutionem aquam liquidam à congelata.

Ad primam Confirmationem conc. maj. & dist. min. si illa minima conditio pertineat ad substantiam rei, quatenus intentæ à promittere, conc. si non pertineat ad substantiam rei, nego min. & consequentiam; cùm autem possit manere tota substantia materiæ, & formæ prout institutæ sunt à Christo Domino, etsi deficiant aliqua accidentia, ut constat ex num. 70. ex definitione Zachariæ Papæ, exinde constituet Sacramenta, etsi accidentia illa desint. Ad secundam Confirmationem dist. maj. nulla potest esse mutatio minor, sumpta mutatione syllabæ purè physicè, conc. in existimatione morali, nego maj. & dist. min. nego consequentiam; quia illæ mutationes ab Adversariis allatæ, & ab una litera provenientes valde diversæ sunt in existimatione morali, cùm in uno sensu significetur Pater, in altero mater, in alio Minister, in altero pœnitens, quæ item significationes valdè diversæ sunt in existimatione Prudentum.

Objicies 6. contra tertiam assertionem: Diabolus præscribit magis certa verba, quibus fieri incantationes perficiunt; ergo mysteria divina non debent certis ritibus, & verbis perfici. Respondeo conc. antec. & nego consequentiam; quia Diabolus ea præscribit, ut homines attrahat, sibique submittat, & à DEO avertat, quod perversissimum est; Christus autem ea præscribit, ut homines ad DEUM attrahat, quod *Sanctum* est; unde argumentum istud potiùs ostendit cæcitatem Hæreticorum sic argumentium, quàm vel minimam difficultatem.

Objic.

86. Objicies 7. Matthæi ultimo dixit Christus Apostolis: *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. &c. docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis*; atqui in iisdem verbis excipit Christus doctrinam, & instructionem; ergo verba Baptismi sunt doctrinalia, & concionatoria. Respondeo dist. min. excipit Christus doctrinam, & instructionem per verba, quæ sunt forma Baptismi, nego, per alia, sive antecedentia, sive subsequentia Baptismum, conc. min. & nego consequentiam. Ratio est, quia, cùm adulti, qui accedunt ad Baptismum, debeant cathechizari, & parvuli post Baptismum, quando capaces fuerint, debeant instrui rebus Fidei; & præceptis divinis, id ita faciendum permonet Christus; at quòd id fiat per verba Baptismi, nullatenus docet, imò contrarium, ut ex ipsis verbis manifestè patet, cùm non præcipiat, Apostolos docere verba, sed docere mandata, nullumque sit mandatum, ut homines discant verba Baptismi, & multò minùs, quòd ea discant, dum baptizantur.

87. Objicies 8. Hieronymus exponens illa verba ad Ephesios 5. *mundans eam lavacrô aquæ in verbo vitæ*, per verbum *vitæ* intelligit verbum *doctrinæ*, seu *concionis*; ergo verba formæ Baptismi sunt concionatoria. Confirmatur ex Augustino Tractatu 80. in Joannem, ubi explicans verba illa Christi: *jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*, ait: *unde ista tanta virtus aquæ: ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur; nam in ipso verbo aliud est sonus transiens, & aliud virtus manens, hoc est, verbum Fidei, quod prædicamus:* ergo tota virtus verborum Baptismi stat in eo, quòd excitent ad Fidem, & credantur, ac proinde continent sensum concionatorium, & consecratorium.

88. Respondeo dist. antec. intelligit in sensu tropologico, conc. in sensu litterali, nego antec. & consequentiam; nam locus illa in sensu literali intelligitur de forma Baptismi per verba consecratoria, ut exponunt Patres, quorum longum sensum afferunt Bellarminus, & Vasquez; in sensu autem tropologico accomodatur ad mores; quo in sensu Hieronymus ibidem ait, se ipsum loqui, sicque applicat singulis hominibus, quorum animas vocat viros, & corpora uxores, & respiciens ad illa verba Apostoli: *viri diligite uxores vestras*, uniuscujusque animam hortabatur, ut corpus suum diligat, & verbo doctrinæ à peccatis emunder. Ad Confirmationem nego consequentiam; quia Augustinus per illa verba non significat, verbum operari, quia creditur à suscipiente Sacramentum, sed quia ut à Fide creditur, elevatur verbum consecratoriè operans, ait enim in ipso textu, *in aqua verbum mundat, detrahit verbum, & quid aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Ex dictis

89. Fit 1. Sacramentum esse concretum accidentale constitutum ex materia, & forma, unde adjectivè, materialiter, & specificativè sumptum, ut communiter accipiuntur concreta accidentalia, dicet materiam in recto, & formam in obliquo. Ratio est, quia concreta accidentalia ita sumpta id dicunt in recto, per quod multiplicantur; sed multiplicantur ad multiplicationem materiæ; ergo &c. Unde tot erunt Sacramenta specie distincta, quot materiæ specie distinctæ. Ex dictis autem à num. 42. constat, formam Sacramenti adæquatè talis in esse Sacramenti esse Christi Domini institutionem; materiam verò esse aggregatum ex rebus, & verbis; quapropter cùm istiusmodi aggregata, utpote habentia septem formas consecratorias specie distinctas, sint septem specie distincta, exinde clarè deducitur, esse septem Sacramenta. Corroboratur illatio nostra exemplis clarissimis: si plures albedines essent in uno subjecto, diceretur unum album, &, si una albedo esset in pluribus, dicerentur plura alba. Pariter: si plures artes essent in eodem homine, diceretur unus artifex; si autem eadem ars esset in pluribus hominibus, dicerentur plures artifices; sed non ob aliam causam, nisi ob rationem à nobis assignatam; ergo &c.

90. Si autem concreta accidentalia non sumantur in hac communi acceptione, sed potiùs reduplicativè, aut objectivè, aliter discurrendum esset; nam reduplicativè, attendenda esset natura reduplicationis, quæ à libito reduplicantium quandoque dependet; sic album ut album significare solet albedinem; econtra in istis locutionibus: objectum ut cognitum terminat cognitionem, bonum ut cognitum terminat amorem, non solent reduplicare supra formam, sed supra materiam, nam per illum modum loquendi non solet significari cognitionem cognosci, aut cognitionem amari, sed cognosci objectum prout repræsentatum per cognitionem, & bonitatem amari prout à cognitione repræsentatam, tunc, si sumantur objectivè, significare solent utrumque in recto: sic dicitur *album est concretum, album est aggregatum*: qua de causa, si aliquæ ex his locutionibus sint obscuræ, distinguendæ sunt, ut innotescat sensus, in quo concedantur, vel negentur, & quæstiones de puro nomine, quæ inutiles, & perniciosæ sunt, deregantur, & extirpentur.

91. Fit 2. contra Scotum, & Vasquez: Sacramenta non constitui de rebus rationis; ratio est, quia, ut constat ex Florentino citato num. 4. & Tridentino num. 16. *Sacramenta* realiter causant gratiam; sed quod constituitur per ens rationis, nequit realiter causare gratiam; ergo &c. Confirmatur. *Sacramentum*, etsi possit sumi duplex ex num. 42. nimirum vel in prima compositione dicente res tanquam materiam, & verba tanquam formam, vel in secunda compositione dicente aggregatum ex rebus, & verbis tanquam materia, & institutionem Christi Domini tanquam formam, non includit quidquam

quam fictum, sed omnino reale, & realiter denominans: etenim res esse existentes physicè, aut moraliter, & formam proferri, materiam esse institutam, & voluntatem Christi esse formam instituentem, non est quid fictum, sed reale; ergo &c.

92. Quapropter unio partium in hujusmodi concretis, cùm non sit intrinseca, sed extrinseca comparti, consistens in forma determinante denominationem, non potest esse quid fictum, sed reale; sic vitalis visio est forma, & determinatio ad concretum visum, cognitio vitalis est forma, & determinatio ad concretum cognitum, & sic de cæteris; ergo nihil invenitur, quod sit fictum in constitutione Sacramenti, ac proinde neque quod sit ens rationis, nisi volueris cum Esparza vocare ens rationis improprium denominationem illam provenientem à forma extrinsecè denominante compartem, de quo non curamus, cùm, ut ipse fatetur, talis denominatio sit vere realis propter rationes à nobis propositas, & duntaxat impropriè vocetur ens rationis.

93. Fit 3. Si Sacramenta considerentur tam quoad essentiam, quàm quoad effectus, continere tria. Primum significat rem Sacram, & non significatur. Secundum significatur, & non significat. Tertium significat, & significatur; quod significat, & non significatur, vocatur à Theologis in hac latissima acceptione Sacramentum; secundùm quod significatur, & non significat, vocatur res tantùm; quod significat, & significatur, vocatur res, & Sacramentum simul. Quapropter cùm gratia sit res Sacra significata per omnia Sacramenta, & ipsa intra Sacramentum non significet aliam rem Sacram, vocatur in omnibus Sacramentis res tantùm, in Baptismo, Confirmatione, & Ordine imprimentibus characterem, materia, & forma, cùm non significentur ab aliis, & aliunde significent gratiam, & characterem, dicuntur Sacramentum tantùm. Character, qui significatur à materia, & forma, & se ipso significat gratiam, dicitur res, & Sacramentum simul; in Eucharistia species, & verba, quæ non significantur per aliud, & significant Corpus Christi, & gratiam, dicuntur Sacramentum tantùm, Corpus Christi significatum per species, & verba, & aliunde significans gratiam, dicitur res, & Sacramentum simul.

In Matrimonio verba contrahentium, quæ non significantur per aliud, & significant consensum internum, & gratiam, vocantur Sacramentum tantùm, consensus internus, & vinculum indissolubile dicitur res, & Sacramentum simul, quia significatur per verba, & significat gratiam. In Sacramento Pœnitentiæ verba absolutionis, cùm significent gratiam, & non significentur per aliud, vocantur Sacramentum tantùm; dolor autem internus ab ipsis significatus, & significans gratiam, vocatur res, & Sacramentum simul. Tandem in Sacramento Extremæ Unctionis, verba, quæ significant unctionem, & gratiam, & non significantur, dicuntur Sacramentum tantùm; Unctio, quæ significat gratiam, & significatur à verbis, dicitur res, & Sacramentum simul. Exinde si hæc bene inspiciantur, in eodem Sacramento possunt inveniri plura, quorum quodlibet sit res, & Sacramentum simul, ut bene notavit Bernal disput. 5. sect. 4. num. 56. Cæterùm non est ut plus immoremur circa acceptionem Sacramenti adeò latissimam.

***

DISPUTATIO III.

DE INTENTIONE MINISTRI, ET AUCTORE SACRAMENTORUM.

95. Ministri Sacramentorum de lege ordinaria sunt soli homines viatores, qui, ut validè conficiant Sacramentum, ea omnia debent apponere, quæ ex Christi Domini institutione ad valorem Sacramenti requiruntur. Non requiri Fidem in Ministro definitum est à Concilio Nicæno, Lateranensi, & tandem à Tridentino sess. 7. cap. 4. de Baptismo per hæc verba: *si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, Anathema sit*, Ex quo fit, neque requiri Sanctitatem aut probitatem in Ministro ad valorem Sacramenti. Ratio est, quia Sacramenta non habent virtutem ex Fide, aut meritis Ministrorum, sed ex Passione, meritis, & Christi impetratione, neque conferunt gratiam ex opere operantis, sed ex opere operato; requiritur autem in Ministro ad valorem Sacramenti intentio faciendi, quod facit Ecclesia, ut constat ex Florentino citato num. 29. & Tridentino sess. 7. Can. 11. dicente: *si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, Anathema sit.* Exinde gravissima exoritur controversia, pro cujus decisione sit

SECTIO I.

An intentio Ministri sit de essentiali Sacramenti constitutivo?

NOn est quæstio de intentione proferendi verba, quæ sunt forma Baptismi, v. g. absolu-

absolutionis &c. illa enim intentio constituit eos prolatos sonos in esse verborum, & secundùm eam, quam habet significationem ab hominibus; verbum enim, ut cum Philosophis accipitur in præsenti, est sonus ab ore animalis prolatus cum intentione aliquid significandi, ac proinde constituit formam in esse formæ, & in esse humanæ significationis, quam Christus instituit in Sacramentum; præsuppositâ ergo illa intentione quærimus modò, an intentio Ministri faciendi, quod facit Ecclesia, distincta ab intentione requisita ad constituenda verba secundùm humanam suam significationem sit de essentiali constitutivo Sacramenti. Prima sententia affirmat, ita Cardinalis de Lugo, qui primus de hac re cœpit dubitare, Arriaga, Bernal, Esparza, & plures R. R. Secunda sententia negat; ita videntur supponere omnes antiqui usque ad Card. de Lugo, plurésq; post ipsum R. R.

97. Pro resolutione, & clariori veræ sententiæ probatione suppono 1. cum omnibus, duo esse constitutivorum genera valde diversa. Primum est constitutivum purè consistens in physica rerum natura. Secundum est constitutivum rei purè ad placitum. Sic in ramo assumpto ex voluntate hominum ad significandum vinum venale consideramus constitutivum rami, & constitutivũ signi; constitutivum rami stat in materia, & forma rami utriusque unione, constituentibus purè ex physica rerum natura; constitutivum autè signi stat in ramo tanquam in materia, & voluntate hominum tanquam forma instituente eo modo, quo vult instituere, & non aliter, ideòque instituente ad placitum.

98. Suppono 2. modum tendendi volitionis esse identificatum cum ipsa volitione: volitio enim ex se ipsa habet, & non ab extrinseco tendere, & instituere hoc modo, & non tendere, neque instituere alio modo; unde eo ipso suo modo tendendi potest sibi præfigere aliquos terminos, ita, ut ea voluntas se ipsa velit instituere ipsam materiam, & formam in tale signum, quando apponatur ille terminus, quem sibi præfixit voluntas, & se ipsa nolit instituere talem materiam, & formam, quando ille terminus non apponatur; quapropter deficiente termino illa voluntas, non quidem per terminum, sed per ipsam erit nolitio instituendi, & quando apponatur terminus, illa voluntas non quidem per terminum, sed per ipsam erit volitio instituendi, cùm per se ipsam, & non per terminum habeat suum modũ tendendi; imò cùm non sit voluntas instituendi terminũ illum, sed hanc materiam, & formã in signum, terminus ille neque erit de constitutivo signi, neque de constitutivo voluntatis volentis, aut nolentis constituere. Hæc omnia manifestè constabunt à num. 118.

99. Explico modò doctrinam nostram exemplis tum in Philosophia, tum in Theologia clarissimis: ramus appensus ad januam constituitur apud Philosophos insignũ vini venalis per voluntatem hominum ita instituentium; ramus exinde, dum erat in agro, non erat signum vini venalis; dum appenditur ad januam, est signum vini venalis: janua autem non constituitur ab hominibus in signum, sed est purus terminus, quem præfixit sibi illa voluntas hominum, quæ ex suo modo tendendi non vult constituere januam in signum, sed ramum, quando appendatur ad januam, & ex suo modo tendendi non vult constituere ramum in signum, quando non appendatur ad januam: quapropter janua non est de constitutivo signi, sed purus terminus, quem præfixit sibi illa voluntas, ut ramus instituatur in signum. Eodem modo philosophari potest in omnibus signis ad placitum.

100. Hoc ipsum manifestè apparet in Theologia: voluntas enim Christi instituit in Sacramentum Pœnitentiæ, v. g. actus pœnitentis, & absolutionem Ministri, sed non semper, nisi quando pœnitens est baptizatus, & habet intentionem recipiendi Sacramentum; & qui profert verba absolutionis, est Sacerdos, & habet jurisdictionem: Baptismus autem, & intentio pœnitentis character Sacerdotalis Ministri; sexus virilis, & jurisdictio non sunt de constitutivo Sacramenti, sed sunt termini, quos sibi præfigit voluntas Christi, ita ut ex suo modo tendendi sit volitio instituendi per se ipsam hanc materiam, & formam, & non aliud in Sacramentum pœnitentis, quando dentur illi termini, & sit per se ipsam nolitio instituendi, quando illi termini non dentur: sic se habet in Sacramento matrimonii præsentia Parochi, & testium, imò & carentia alterius actualis matrimonii, idemque suo modo discurrendum in aliis Sacramentis.

101. Ratio autem horum omnium, ut diximus, est, quia voluntas, cùm sit potentia libera volens, cùm vult, prout vult, & quando vult, potest sibi liberè constituere, & præfigere aliquos terminos; ita, ut non sit voluntas volens, aut nolens instituere quamcunque materiam, & formam, sed sit volens instituere per se ipsam, & velit esse institutio illius materiæ, & formæ, quæ coëxistunt terminis, quos ipsa sibi præfigit, & non sit voluntas, quæ per se ipsam sit institutio illius materiæ, & formæ, quæ non coëxistunt terminis, quos ipsa sibi præfigit: sicut enim volitioni existenti physicè assignantur termini physici, qui præfigi debent, ut existat physicè, sic etiam volitioni per se ipsam volenti instituere, quando dentur isti termini, & per se ipsam nolenti instituere, quando non dentur isti termini, assignandi sunt termini liberè appositi, ut liberè instituat, vel non instituat. Unde sicut illi termini physici non sunt de constitutivo volitionis physicæ, ita illi termini appositi liberè non sunt de constitutivo volitionis volentis instituere liberè. V. n. 111. his positis

102. Assero cum secunda sententia: intentio Ministri faciendi, quod facit Ecclesia, prout contradistincta ab intentione requisita ad constituenda verba secundùm humanam significationem, non est de essentiali constitutivo Sacramenti. Probatur 1. Sacramenta constituuntur

ex rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma in prima sua compositione, ut constat ex Florentino citato num. 29. in secunda autem compositione constituuntur ex rebus, & verbis tanquam materia, & ex Christi Domini institutione tanquam forma, ut constat ex Tridentino citato num. 16. & ex his, quæ diximus n. 42. atqui intentio Ministri neque est materia, neque forma; ergo non est de essentiali constitutivo Sacramenti. Maj. & min. tenent; consequentia patet, quia concreta ad placitum, quale est Sacramentum, nihil aliud includunt de essentiali constitutivo præter materiam, & formam; ergo &c.

103. Probatur 2. expendendo verba Florentini, quæ sic habent: *hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Modò sic: eodem modo requirit Florentinum intentionem illam, ac personam Ministri; atqui persona Ministri non est de constitutivo Sacramenti, sed purus terminus, quem voluntas Christi Domini sibi præfixit, ita nimirum, ut posita persona virili, Baptismo, Ordine, jurisdictione, & sic de reliquis puris terminis voluntas Christi per se ipsam esset volens instituere, non quidem eos puros terminos, sed materiam, & formam in Sacramentum, & deficientibus illis puris terminis se ipsa esset voluntas non instituendi illam materiam, & formam in Sacramentum: ergo intentio illa Ministri est purus terminus, quem sibi præfixit voluntas Christi, & neutiquam est de constitutivo Sacramenti.

104. Respondebis 1. cum Bernal, intentionem Ministri esse unionem nectentem significationem Sacramentalem materiæ, & formæ institutæ cum institutione Christi Domini, ac proinde esse de constitutivo Sacramenti *ut quo*. Contrà tamen 1. Institutio Christi Domini non unitur cum materia instituta per aliquid à à se distinctum, sed per se ipsam; ergo illa intentio nullo modo potest dici Sacramenti unio. Probatur antec. Materia instituta ad placitum, utpote non intrinsecè, sed extrinsecè solùm unita cum forma instituta, ab illo denominatur unitâ, à quo verè, & formaliter denominatur instituta, ut patet in omnibus signis ad placitum: ramus enim non denominatur extrinsecè unitus cum voluntate hominum instituente per aliquid à volunrate instituente distinctum, sed per ipsam voluntatem instituentem manet institutus, & denominatus; atqui materia Sacramenti non denominatur verè, & formaliter instituta ab institutione Ministri, sed à voluntate Christi instituente; ergo &c. Contrà 2. Florentinum non minùs requirit personam Ministri, quàm intentionem, sed persona Ministri non est unio Sacramenti, sed purus terminus; ergo neque intentio erit unio Sacramenti, sed purus terminus. Contrà 3. Non minùs requiritur in adulto suscipiente Sacramentum intentio suscipiendi, quàm in Ministro efficiente intentio efficiendi; sed intentio suscipiendi non est unio, neque de constitutivo Sacramenti, sed purus terminus; ergo neque intenti efficiendi.

Respondebis 2. cum Cardinali de Lugo, illam intentionem Ministri non posse excludi à constitutivo essentiali Sacramenti, cùm ipsa deficiente deficiat Sacramentum; etsi cætera maneant: id enim, quo ita deficiente deficit constitutivum, est de essentia constitutivi, ut ex ipsa ratione constitutivi clarissimè apparet, & ex inductione per omnia constitutiva. Contrà tamen 1. Deficiente intentione non deficit Sacramentum formaliter, sed solùm illativè; atqui constitutivum rei est illud, quo deficiente deficit, non quidem illativè, sed formaliter constitutivum; ergo &c. Consequentia tenet, & min. patet; quia deficere unum, non quidem formaliter, sed illativè ex defectu alterius, non est esse alterum, sed connecti cum altero; sic deficiente D E O deficeret homo, quin Deus sit de constitutivo hominis. Maj. autem probatur: deficiente intentione, etiamsi apponatur materia, & forma, deficit Christi voluntas illas instituens; sed illa voluntas instituens est de formali Sacramenti constitutivo, cùm sit de formali constitutivo signi ad placitum: ergo deficiente intentione non deficit Sacramentum formaliter, sed tantùm deficit illativè. Min. & consequetia tenent; major autem patet, quia voluntas Christi per se ipsam est voluntas instituendi, quando datur intentio, & per se ipsam est voluntas non instituendi, quando non datur intentio; ergo deficiente intentione deficit Christi voluntas instituens illam materiâ, & formam.

Contrà 2. Licèt deficiat Sacramentum Pœnitentiæ (idem suo modo de aliis Sacramentis) si verba absolutionis proferrentur à fœmina, à laico, à puro Subdiacono, à Diacono, & à non Sacerdote, neque sexus virilis, neque ordo, neque character Sacerdotalis est de constitutivo Sacramenti Pœnitentiæ, sed non ob aliâ rationem nisi ob rationem à nobis assignatâ, nimirum, quia cùm illi sint puri termini, quos sibi præfixit voluntas Christi ut instituens, deficientibus illis deficit voluntas Christi instituens illa materiâ, & formam; ergo licèt deficiente intentione Ministri, quæ, ut ex dictis constat, est purus terminus, quem sibi præfixit voluntas Christi, ut instituens deficiat Sacramentum, perperam exinde infertur, intentionem Ministri esse de essentiali constitutivo Sacramenti. Conseq. tenet, & antec. patet, quia solùm debet assignari pro constitutivo Sacramenti Pœnitentiæ id, quod constat esse Sacramentum ex institutione Christi Domini, sed ex institutione Christi Domini sola materia, & forma in prima compositione, & istud aggregatum cum institutione Christi in secunda compositione sunt Sacramentum, neutiquam autem puri termini, ut ex Florentino, & Tridentino citatis constat; ergo &c.

Respon-

107. Respondebis 3. ex doctissimo Magistro, intentionem Ministri, & reliquos terminos à nobis assignatos non esse de constitutivo essentiali Sacramenti, sumpto *Sacramento* absolutè, & sine reduplicatione; benè verò, si Sacramentum sumatur reduplicativè supra toram denominationem, & actualem Sacramenti. Contrà tamen 1. Sacramentum absolutè, & sine reduplicatione sumptum, vel est Sacramentum adæquatum, vel inadæquatum? sic enim excusamus ambages verborum: si primum; ergo Sacramentum includens ea omnia, quæ dixi pro adæquato constitutivo, non includit intentionem; ergo intentio non est de essentiali Sacramenti constitutivo.

108. Si secundum; ergo Sacramentum adæquatè sumptum in esse Sacramenti includit intentionem Ministri, & ea omnia, quæ requiruntur, ut materia, & forma denominentur institutæ ab institutione Christi, ac proinde Sacramentum Pœnitentiæ adæquatè sumptum constitueretur ex Sacramento Baptismi, & ex Sacramento Ordinis; sed hoc dici non potest; ergo &c. Probatur min. Si Sacramentum Pœnitentiæ constitueretur ex Sacramento Baptismi, & ex Sacramento Ordinis, quando prædicatur objectivè, sive ut concretum, esset verum dicere: Sacramentum Pœnitentiæ est Sacramentum Ordinis, est Sacramentum Baptismi &c. sicut quando concretum *album* prædicatur objectivè, est verum dicere, album est subjectum, albedo, & unio, ac proinde Sacramentum Pœnitentiæ non distingueretur realiter adæquatè à Sacramento Baptismi, neque à Sacramento Ordinis, neque essent instituta in Ecclesia DEI septem Sacramenta adæquatè distincta; quod non bene consonat cum definitione Florentini posita num. 4. & cum definitione Tridentini posita n. 16. ergo &c.

109. Contrà 2. Quidquid est de constitutivo Sacramenti realiter, & adæquatè sumpti in esse Sacramenti, est significativum, & causativum gratiæ; sed Sacramentum Pœnitentiæ adæquatè sumptum in esse *Sacramenti* non potest significare, & causare gratiam modò, quo significat, & causat *Sacramentum* Baptismi; ergo Sacramentum Pœnitentiæ realiter adæquatè sumptum in esse *Sacramenti* non potest constitui per *Sacramentum* Baptismi. Consequentia tenet, & min. patet; quia *Sacramentum* Baptismi significat, & causat per se gratiam remissivam peccati originalis, quod præstare nequit *Sacramentum* Pœnitentiæ. Maj. verò probatur; quia *Sacramentum* realiter adæquatè sumptum dicit solùm id, quod à Christo institutum est in *Sacramentum*, & ipsam Christi institutionem; etenim quod à Christo Domino instituturn non est in *Sacramentum*, nequit constituere *Sacramentum*; sed totum hoc aggregatum est significativum, & causativum gratiæ; ergo &c. Contra 3. quia ex responsione Adversariorum fieret, *Sacramentum* Baptismi, & Ordinis duplici modo quoad substantiam distincto instituta esse à Christo Domino, quod doctrinæ Conciliorum repugnat. Contrà 4. quia solùm constituit Sacramentum adæquatè sumptum secundùm toram suam denominationem, & actualitatem institutio Christi, & id, quod institutum est in Sacramentum; sed, ut constat ex Conciliis, quod est institutum, est sola materia, & forma, secus puri termini; quod autem est institutio, est solus actus voluntatis Christi; ergo illi puri termini nequeunt constituere *Sacramentum*.

Probatur 3. nostra conclusio, & simul impugnantur omnes Adversariorum responsiones: si propter aliquam rationem intentio Ministri esset pars essentialis constitutiva Sacramenti, maximè, quia requiritur, ut detur *Sacramentum*, & ea deficiente *Sacramentum* deficit; sed ista ratio est nulla, imò est contra doctrinam Conciliorum: ergo &c. Probatur min. Ut detur Sacramentum Pœnitentiæ, quo justificetur impius, est necessaria Fides: absque Fide enim sinquit elici supernus dolor requisitus ad *Sacramentum* Pœnitentiæ, quo justificetur impius, ut ex *Scriptura*, & Conciliis docent Theologi in Tractatu de Justificatione; sic ad Hebræos 11. *sine Fide impossibile est placere DEO, credere enim oportet accedentem ad DEUM*; Joannis 1. *dedit eis DEUS potestatem filios Dei fieri his, qui credunt.* Sic Tridentinum sess. 6. Cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere DEO, & ad filiorum ejus consortium pervenire*: atqui Fides non est pars constitutiva *Sacramenti* Pœnitentiæ; ergo &c. Probatur min. ex Tridentino sess. 14. Cap. 3. ubi, postquam enumeravit tanquam partes *Sacramenti* Pœnitentiæ contritionem, confessionem, & satisfactionem, addit: *hæc de partibus, & effectu hujus Sacramenti Sancta Synodus tradens, simul eorum sententiam damnat, qui Pœnitentiæ partes incussos conscientiæ terrores, & Fidem esse contendunt*; ergo &c. Ex dictis 110.

Fit 1. posse dari purum terminum requisitum, ut detur *Sacramentum*, quin sit pars constitutiva Sacramenti, ut constat ex definitione Tridentini num. superiori. Fit 2. Deficiente intentione Ministri faciendi, quod facit Ecclesia, deficere institutionem hujus materiæ, & formæ, quæ sine tali intentione apponantur, ut manifestè patet ex ipsa institutionis tendentia explicata n. 98. Fit 3. in suppositione impossibili, quòd maneret hæc institutio materiæ, & formæ, deficiente intentione, supponi etiam, manere *Sacramentum*, cùm Sacramentum nihil aliud sit, quàm materia, & forma, illarumque institutio; at in tali casu volitio institutiva Christi supponeretur mendax, cùm supponatur ab Adversariis instituere deficiente intentione, & aliunde dicat, se nolle instituere deficiente intentione. Sic in casu, quo supponeretur manere cognitionem DEI, quæ cognoscit, non repugnare, Petrum existere à parte rei. 111.

rei, & simul supponeretur, Petrum à parte rei repugnare, necessariò sequeretur ex tali suppositione, manere cognitionem DEI falsam, sive ut meliùs explicem, sequeretur, manere cognitionem DEI veram, & falsam: esset vera, quia cognitio divina ex intrinsecis suis arguit objectum ita se habere, ut ab ipsa dicitur, ac proinde ex intrinsecis suis est vera, & cùm aliunde supponatur falsa, est simul vera, & falsa. Pariter volitio institutiva Christi ex intrinsecis suis est verax, & instituit, ut vult, & cùm aliunde supponatur instituere aliter, ac vult, supponeretur simul verax, & mendax; ex qua doctrina omnes Adversariorum objectiones facilè corruunt.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

112. OBjicies 1. ex Florentino citato num. 29. intentio Ministri perficit Sacramentum, ergo intentio Ministri est de constitutivo Sacramenti. Retorqueo argumentum in persona Ministri; deinde Resp. N. consequentiam, quia substantia perficitur per accidentia, materia per formam, potentia per suos actus, anima per gratiam; & tamen accidentia non sunt de constitutivo substantiæ, neque forma est de constitutivo materiæ, neque actus potentiæ, neque gratia animæ. Imò perfici sumitur in præsenti à Florentino pro eodem, ac per ipsum fieri, loquitur enim in illo textu de causis intrinsecis, & extrinsecis. Unde illa, per quæ fit Sacramentum constitutivè, erunt de intrinseco constitutivo Sacramenti, v.g. materia & forma; illa verò, per quæ extrinsecè fit Sacramentum, non erunt de intrinseco illius constitutivo, cùm autem persona Ministri, ejusque intentio faciendi, quod facit Ecclesia, se habent ex parte causæ effectivæ, vel ut causa, vel ut purus terminus, ut ex dota sect. præcedenti constat, nequeunt esse de intrinseco & essentiali constitutivo Sacramenti.

113. Objicies 2. Intentio Ministri est unio nectens significationem Sacramentalem cum sonis verborum, ergo licèt non sit de constitutivo Sacramenti tanquam pars, erit de constitutivo Sacramenti tanquam unio partium. Probatur ant. locutio humana, illa scilicet quâquis profert secundùm significationem impositam ab hominibus, est compositum ex sonis tanquam ex materia, ex significatione imposita ab hominibus tanquam forma, & ex voluntate significandi, quod homines volunt, tanquam unione nectente hominum significationem cum sonis, ergo in locutione Sacramentali etiam intentio Ministri proferendi verba secundùm significationem impositam à Christo erit unio nectens eam significationem cum sonis. Patet consequentia, quia non solùm locutio humana est de constitutivo Sacramenti, sed etiam ut Sacramentalis, ac proinde quidquid constituit locutionem in esse Sacramentalis, erit de constitutivo Sacramenti.

Resp. N. antec. quia institutio tam hominum, quàm Christi per se ipsam unitur sonis & rei institutæ absque alia superaddita unione, ut constat ex num. 104. sic institutio rami in signum vini, per se ipsam unitur & in format ramum absque ulla alia unione nectente significationem impositam ab hominibus cum ramo; si enim institutio & significatio unitur sonis solùm extrinsecè, absque ullo fundamento apponeretur unio superaddita, quod dici nequit in præsenti; intentio ergò Ministri solùm habet pro munere imperare exercitium rerum, & verborum pertinentium ad Sacramentum ad significandum, quod Christus instituit, & quod facit Ecclesia; nam licèt illa possent imperari per aliud imperium, Christus tamen noluit imperari res & verba nisi sub tali imperio, quo Minister operetur tanquam persona Christi, & ex intentione faciendi, quod facit Christus.

Objicies 3. Promissio. v. g. dandi centum Ecclesiæ, si obtineas salutem, est conditionata, & redditur absoluta per positionem conditionis, & in esse absolutè obligantis constituitur per ipsam salutem; sed voluntas Christi instituens materiam & formam in Sacramentum est conditionata ratione intentionis Ministri; ergo constituitur in esse institutionis absolutæ, & in ratione absolutè instituentis per intentionem Ministri; ergo sicut institutio absoluta est de ratione Sacramenti constitutiva, ita intentio Ministri erit de ratione Sacramenti constitutiva. Maj. & conseq. tenent; min. probatur. Institutio non præstat suum effectum, neque instituit materiam, & formam in Sacramentum, nisi sub conditione, quòd detur intentio; ergo est conditionata ratione intentionis, ac proinde per solam intentionem redditur absoluta. Hoc argumentum patitur retorsionem in omnibus aliis puris terminis.

Respondent aliqui 1. concedendo totum primum syllogismum, & negando secundam consequentiam; quia licèt institutio Christi sit conditionata, & reddatur absoluta per purificationem conditionis, nimirum per positionem intentionis Ministri, non constituit Sacramentum id, quo redditur absoluta, sed id, quod absolutum redditur; cùm autem id, quod redditur absolutum, sit institutio Christi, & non Ministri intentio, solùm constituit Sacramentum institutio Christi, & non intentio Ministri; ad hunc modum, quo, si quis absolveret per hæc verba: si fueris baptizatus, ego te absolvo à peccatis tuis: si potieris usu rationis, ego te absolvo à peccatis tuis; licèt illa absolutio redderetur absoluta per Baptismum, aut per usum rationis, neque Baptismus, neque usus rationis constitueret Sacramentum Pœnitentiæ, sed solùm forma verbalis absolutionis à Ministro pro-

lata

lata, quæ per Baptismum, aut usum rationis redderetur absoluta.

117. Ratio est, quia illa institutio solùm constituit Sacramentum, secundùm quod includit pro virtute elevante, sicut absolutio verbalis solùm, secundùm quid includit pro re elevata; & quia absolutio verablis pro re elevata non includit Sacramentum Baptismi, neque rationis usum, neque alias conditiones, sed formam prolatam à Ministro; ideo illa sola forma constituit Sacramentum. Pariter institutio Christi, quia pro virtute elevante non includit intentionem Ministri, sed solam Christi volitionem; eapropter sola volitio Christi, & non intentio Ministri erit de constitutivo Sacramenti. Hæc solutio ita stabilita sufficiens est pro re præsenti ad argumenti solutionem. Cæterùm quia plura continet aliis Theologiæ principiis, & quasi fundamentis parùm consentanea, & meJudice minùs vera, & solida; imò, & quæ doctrina in Tract. de votis à Theologis tradità perturbat, oportet distinguere conditionata ab absolutis, & explicare, in quo consistat promissio absoluta, & conditionata, ne ut conditionata admittantur, quæ reverà sunt absoluta, ut bene notavit Thomas Sanchez Tom. 3. de matrimonio disp. 10. à num. 4. Ex cujus doctrina

118. Respondeo dist. maj. est conditionata, cùm ly *si* retinet vim suæ significationis in animo promittentis, conc. cùm ly *si* retinet significationem hujus adverbii *quando*, nego maj. & consequentiam. Ad probationem nego antec. institutio enim Christi non retinet suum effectū, neque instituit posita intentione ut conditione, sed ut puro termino, quæ duo valde diversa sunt, ideóque neque est conditionata, neque in ratione absolutæ completur per intentionem; sicut enim leo æquivalet homini in ordine ad sentiendum, & non in ordine ad discurrendum, ita purus terminus æquivalet conditioni volitionis in ordine ad arguendum, non ponendum effectum ex vi illius volitionis deficiente puro termino; sicut conditio arguit non ponendum effectum ex vi suæ volitionis deficiente conditione; non autem æquivalet conditioni purus terminus in ordine ad complendam in esse absolutæ volitionem, quæ erat conditionata; volitio enim ex eo præcisè, quod ex suo modo tendendi affigat sibi aliquid ut purum terminum, & non ut conditionem, jam est absoluta.

119. Ratio autem magni discriminis, & valde notandi inter conditionem, & purum terminum, ut optimè explicat Thomas Sanchez loco citato num. 17. stat in eo, quòd volitio conditionata directè fertur in conditionem propter bonitatem illius, quam optabat consequi, aut malitiam, quam intendit vitare, non autem fertur directè in rem promissam; volitio autem, quæ sibi apponit purum terminum, non fertur indirectè in rem promissam, & directè in purum terminum, sed ex affectu suo directè fertur in rem promissam, ideóque non est conditionata, sed absoluta. Explicatur exemplis perspicuis, & ab omnibus admittendis. Si ægrotus ita voveat: ingrediar Religionem, si salutem obtineam; illa volitio directè fertur in amorem salutis, quam desiderat, & indirectè in Religionem; ac proinde consecutio salutis est vera conditio, & affectus in Religionem non est absolutus, sed suspenditur, quoad usque obtineatur salus; eapropter votum illud vocatur conditionatum, & quasi imperfecta conventio: dabo, si des, v. g. dabo me DEO in Religione, si DEUS mihi det salutem.

120. Volitio autem, quæ non affigit sibi conditionem, sed purum terminum, non fertur indirectè, sed directè in rem promissam, v. g. voveo ingredi in religionem, quando adveniat dies crastina, vel quando adveniat Provincialis, aut Generalis porens me admittere, quapropter etsi sit sententia probabilis, posse Episcopos dispensare in votis conditionalibus, v. g. voveo ingredi in religionem, si salutem obtineam, non est probabile, posse dispensare in voto absoluto castitatis, ac proinde si quis diceret: voveo ingredi in religionem, quando salutem obtineam, si particula *quando* correspondeat in suo rigore in affectu promittentis, ita ut consecutio salutis non sit rigorosa conditio, sed purus terminus, certum est votum illud non posse dispensari ab Episcopo, solúmque posse dispensari à Summo Pontifice. Pariter illi, qui Privilegia habent ad commutanda vota conditionalia, commutare possunt ea, quibus apponitur rigorosa conditio, secùs ea, quæ solùm appositum habent purum terminum, ex quibus clarè patet, institutionem Christi non esse conditionatam, sed absolutam, & intentionem, utpote purum terminum non constituentem institutionem, neque rem institutam, se habere ab extrinseco. Vide plura apud citatum Sanchez.

121. Objicies 4. Id quo præcisè ablato, aufertur denominatio & actualitas Sacramenti, vel est tota denominatio, & actualitas, vel est pars illius constitutiva, sed præcisè ablatâ intentione illa Ministri, aufertur denominatio & actualitas Sacramenti, ergo illa intentio Ministri vel est tota denominatio & actualitas Sacramenti, vel pars illius constitutiva; cùm autem constet, non esse totum Sacramentum, necessarium est fateri, esse partem illius constitutivam. Probatur maj. Id, quo præcisè ablato aufertur denominatio, & actualitas Sacramenti est quid, quod auffertur formaliter ex vi hypothesis; sed formaliter ex vi hypothesis aufertur denominatio, & actualitas Sacramenti: ergo id, quo præcisè ablato aufertur denominatio, & actualitas Sacramenti, est ipsa denominatio, & actualitas Sacramenti; atqui non potest esse ipsa denominatio, & actualitas Sacramenti, nisi vel sit tota denominatio, & actualitas, vel ejusdem constitutiva aliqua pars; ergo &c. Hoc argumentum, quod ita extollunt ejus Auctores, ut per regulas summulisticas ad demonstratio-

strationem usque velint deduci rationibus insolubilibus armatum, exarmatum jam apparet, si principia nostra juxta regulas omnes, & summulisticas, & syllogisticas perpendantur. Cæterùm, ut procedamus in forma

122. Respondeo dist. maj. id, quo præcisè ablato aufertur denominatio formaliter, conc. id, quo præcisè ablato aufertur denominatio arguitivè, nego maj. & dist. min. præcisè ablata intentione illa Ministri aufertur denominatio, & actualitas Sacramenti formaliter, nego, arguitivè, conc. min. & nego consequentiam. Ad probationem dist. eodem modo præmissas, & nego consequentiam. Ratio est, quia ablata intentione Ministri circa hanc materiam, & formam, aufertur institutio Christi, cùm nulla Christi sit institutio hujus materiæ, & formæ, nisi quando datur intentio: institutio enim Christi est de essentia Sacramenti, ac proinde illa deficiente, deficit Sacramentum formaliter; cùm autem ex defectu intentionis arguatur defectus institutionis, deficiente intentione, deficiet Sacramentum arguitivè; exinde autem malè, & contra omnes regulas summulisticas inferretur, intentionem esse de essentia Sacramenti; sicut malè inferretur, duo metaphysicè connexa esse idem, Petrus enim connectitur cum DEO, & non est DEUS; actio connectitur cum termino, & non est terminus, unio hypostatica connectitur cum Verbo, & humanitate, & neque est Verbum, neque humanitas. Quapropter deficiente DEO (idem suo modo de aliis) deficeret Petrus non quidem formaliter, cùm DEUS non sit de constitutivo Petri. Cæterùm quia Petrus metaphysicè connectitur cum DEO, ex defectu DEI argueretur defectus Petri, ideóque ex defectu DEI Petrus deficeret arguitivè.

123. Objicies 5. instando simul solutionem: nunc datur institutio Christi in actu primo circa hanc materiam, & formam, quæ possunt apponi; atqui, si apponantur, secluſa sola intentione Ministri non constituunt Sacramentum; si autem apponantur simul cum ea intentione, *Sacramentum constituunt*; ergo illa intentio est de essentiali constitutivo Sacramenti. Resp. dist. maj. datur institutio in actu primo circa illam materiam, & formam, quando apponantur cum intentione, conc. quando apponantur sine intentione, nego maj. & concessa min. nego consequentiam; quia, cùm institutio cujusvis materiæ, & formæ Sacramentalis ex intrinseco suo modo tendendi arguat essentialiter intentionem tanquam terminum sibi præfixum, implicat ex ipsis terminis, dari institutionem sive in primo actu, sive in actu secundo præscindentem ab intentione; sicut implicat, dari materiam, & formam comprehensam sub significatione institutionis Christi Domini præscindendo ab intentione, quam metaphysicè exigit ipsa institutio. Quapropter solùm arguitur, dari connexionem intentionis cum institutione cujusvis materiæ, & formæ, ac proinde deficiente intentione deficere Sacramentum; arguitivè quidem ex defectu intentionis, formaliter verò ex defectu institutionis, ut constat ex num. superiori.

Objicies 6. instando iterum solutionem: si per impossibile maneret ista materia, & forma cum hac sui institutione, deficiente intentione non maneret Sacramentum; ergo ex defectu intentionis deficeret formaliter Sacramentum, ac proinde intentio est de formali constitutivo Sacramenti. Probatur antec. Illa volitio Christi dicit, se nolle instituere hanc materiam, & formam deficiente intentione; sed dicente Christi Domini volitione, se nolle instituere hanc materiam, & formam, non manet Sacramentum; ergo &c. Respondeo nego antec. ad probationem dist. maj. dicit, & ex suppositione Adversariorum operatur, ut dicit, nego, operatur aliter, ac dicit, conc. maj. & dist. min. nego consequentiam: etenim, si Adversarii supponunt manere institutionem hujus materiæ, & formæ, deficiente intentione in illo casu impossibili, pariter supponunt, manere Sacramentum in illo casu impossibili, ac proinde supponunt, illam volitionem effectivè velle instituere, licèt dicat, se nolle instituere; aliter non esset institutio illius materiæ, & formæ, ut Adversarii supponunt. Unde ex ipsa falsa Adversariorum suppositione fieret, illam volitionem Christi fore mendacem, ut notavi num. 111. Ex quo optimè infertur, repugnare suppositionem, & ex defectu intentionis necessariò inferri defectum institutionis, quod potiùs probat, quàm impugnat nostram assertionem. Ex dictis,

Fit 1. contra Catherinum in opusc. de intentione Ministri, Sylvestrum, Paludanum, & alios Catholicos, non sufficere in Ministro ad valorem Sacramenti intentionem faciendi seriò res externas, v. g. abluere puerum, & proferre verba Baptismi, sed ulteriùs requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, sive quod fecit Christus, quod faciunt alii boni Sacerdotes, vel saltem, quòd intendat fungi suo munere, quæ omnes intentiones æquivalenter sunt idem. Ratio est, quia id convincunt testimonia Florentini, & Tridentini posita num. 57. tum quia Tridentinum sess. 14. Can. 6. definit: *non dari Sacramentum Pœnitentiæ, si Sacerdos animus seriò agendi, & verè absolvendi desit.* Ubi manifestè contradistinguit intentionem agendi seriò ab intentione requisita ad verè absolvendum. Pariter Florentinum in Decreto Eugenii ait, quemlibet, etiam Paganum baptizare validè, dummodo servet formam Ecclesiæ, additque, & intendat facere, quod facit Ecclesia; tum quia aliàs Sacerdos seriò legens verba consecrationis appositio pane in mensa, verè consecraret, licèt non haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia; quod manifestè absurdum est; ergo &c. Fit 2. contra Hæreticos, ob eas dem rationes non sufficere solam intentionem faciendi jocosè res externas, tum quia id

id definitum est à Tridentino, & à Leone X. in speciali Bulla contra Lutherum; ergo &c.

126. Fit 3. Non posse desumi argumentum contra nostram doctrinam ex Augustino lib. 7. de Baptismo. cap. 53. quando dicit contra Donatistas valiturum Baptisma quamvis fallaciter & simulatè collatum: ubi dubitat, an etiam valeat, quamvis omnia in eo fuerint mimicè peracta. Ratio est, quia ita proponit suum dubium Augustinus, ut simul addat, se libenter auditurum sententias Patrum aliquid circa hoc in Conc. definientium. En Augustini verba circa hæc omnia dubia, *sed nobis tutum est, in eâ non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali concilio cœptæ, nullo plenario Concilio tractatæ sunt. Id etiam sit curæ secura vocis asserere, quod in gubernatione Domini DEI nostri, & Salvatoris JEsu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Cum etiam id jam habeamus definitum, potius nobis favet, quàm officiat Augustinus; quando autem ait Tract. 5. in Joannem, se non timere Ministrum ebrium in susceptione Baptismi, legendum est ebriosum, ut in correctis Exemplaribus habetur. Docet & quidem bene Augustinus, mores pravos Baptizantis non obstare valori Baptismi. Eodem modo interpretari potest D. Thomas in 4. dist. 6. Quæst. 1. Artic. 1. quæstiuncul. 1. ad 2. & 3. parte. Quæst. 64. Artic. 8. ad 2. dicens defectum intentionis Ministri suppleri vel à Christo, vel ab Ecclesia, vel à fide suscipientis; tunc enim non adhuc exstabant Conciliorum, & Pontificum definitiones, quas nunc habemus; cæterum Cajetanus, & Sot. cum aliis ita explicant D. Thomam, ut in sensum nostrum non improbabiliter afferat.

127. Fit 4. Baptismum in joco, sive cum voluntate ludendi collatum, non quidam jocosè & fictè, sed cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, esse validum: sic Baptismus ab Athanasio adhuc puero pueris in ludo collatus approbatus fuit ab Alexandro Patriarcha Alexandrino. Idemque refertur de alio puero Judæo in ludo ab aliis pueris Baptizato, quem Baptismum ratum habuit Ecclesia Constantinopolitana. Ratio est, quia examinatis Baptizantibus inventum est, habuisse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; si etiam Baptizanti nondum pervenerant ad usum rationis, opus non erat eos examinare, cùm illi non indigeant ulla dispositione; si autem ad usum rationis pervenerint, examinandos esse, dubium non est; hac de causa dubitant plures, an Baptismus S. Genesii in Theatro collatus fuerit validus? unusquisque etiam juxta sua principia facile respondet Luthero, hunc casum Catholicis objicienti; ego etiam validum fuisse, non dubito.

128. Ratio est, quia Ado Trajectensis, qui primus hanc hystoriam scripsisse censetur in Martyrologio 8. Calend. sept. narrat mimum illum nomine Genesium coram Diocletiano Imperatore Christianorum mysteria irridere volentem se finxisse ægrotum, & ut talem Baptismum postulâsse, imperatoremque accersisse Presbyterum, cum exorcista, qui illum Baptizaret; sed cum à Presbytero interrogaretur, quid vellet, tunc Genesius miraculosè conversus, depositâ simulatione, respondit seriò, se gratiam Christi petere, & Baptismum, idcirco ritè à Presbytero illo Baptizatus est, ac proinde validum fuit Baptisma, imò hæc omnia ita se habuisse probavit eventus, nam Genesius pro defensione Christianæ fidei, quam susceperat in Baptismo, constantissimè mortem subiit.

129. Fit 5. Sacramenta solùm esse signa practicâ gratiæ, & operari ex opere operato, sive ut Medicamenta animæ, sive includentia promissionem Christi, quando fiunt ut à Christo instituta; secus autem, quando ita non fiunt, quia tunc neque eam virtutem continent, neque sunt Sacramenta, neque operatur Minister, ut causa instrumentalis Christi Domini. Unde nulla tenet paritas ex aliis judiciis, contractibus aut conditionibus, quæ similes terminos sibi non affingunt, ut causa instrumentalis operetur, & ut detur signum ad placitum juxta instituentis voluntatem.

130. Fit 6. Episcopos protestantes antequam ordines conferant, se nolle ordinare excommunicatos, aut non habentes facultatem à suis superioribus, aut carentes vero titulo, non ordinare ex vi illius voluntatis eos, qui occultè tales accedunt; sed ex vi alterius voluntatis, quam habent, quando singuli accedunt, qua absque ulla exceptione volunt ordinare singulos accedentes, sicque revocant aliam universalem voluntatem, eaque ratione ordinatur validè, qui tales occultè accedunt, licèt ipso jure suspensi maneant à suscepti ordinis exercitio.

131. Fit 7. Hæreticum volentem facere quod facit Ecclesia, valide Baptizare, licèt enim intendat facere, quod sua Ecclesia facit, v. g. Genevensis, ideo id intendit, quia falsò judicat Ecclesiam Genevensem esse Ecclesiam Christi, eámque facere, quod fecit Christus. Quapropter ea volitio æquivalet voluntati faciendi quod Christus fecit; quæ volitio sufficiens est ad valorem Sacramenti. Quandoque autem, ex sua culpabili ignorantia hæreticus habere potest duas volitiones contrarias, quas contrarias esse non agnoscit, v. g. nolo facere, quod facit Ecclesia Romana, & volo facere, quod facit vera Ecclesia Christi; & tunc si prævaleat volitio faciendi, quod facit vera Ecclesia Christi, validè conficitur Sacramentum. Hanc autem in omnibus hæreticis prævalere præsumendum est; nam ut ipsi fatentur, magis æstimant voluntatem Christi, quam suam, idemque de mysteriis fidei suo modo dicendum; secus contingeret, si aliquis tenacissimè diceret: volo facere, quod fecit Christus, nisi id sit, quod facit Ecclesia Romana; nam illa intentio, ut per se patet, non esset sufficiens ad valo-

valorem Sacramenti. Ex qua doctrina facilè unusquisque inferre potest, quæcunque ad hanc illationem spectare possunt.

131. Fit 8. objectum intentionis Ministri, saltem implicitum esse aggregatum ex rebus, & verbis tanquam materia, & institutione Christi tanquam forma. Ratio est, quia Minister per illam intentionem vel explicitè, vel saltem implicitè vult conficere Sacramentum; atqui Sacramentum, ut ex dictis satis constat, est aggregatum ex rebus, & verbis tanquam materia, & institutione Christi tanquam forma; ergo &c. Exinde patet, eam intentionem esse efficacem effectivè respectu unius, nimirum respectu illius, quod Minister tenetur conficere, v. g, ablutionem, & formam verbalem in Baptismo, cùm ex motivo talis intentionis moveatur efficaciter Minister ad ea efficienda; & esse efficacem affectivè respectu institutionis Christi, cùm affectivè velit eam denominare aggregatum ex rebus, & verbis. In eodem sensu erit affectiva respectu compartis, quæ à Ministro non pendeat in cæteris Sacramentis, v. g. in Pœnitentia respectu actûs pœnitentis, cùm velit ex eis rebus, & verbis constitui aggregatum à volitione Christi denominandum; quo in sensu operatur nomine Christi, cùm non nomine proprio, sed nomine Christi possit conficere Sacramentum, sive formam determinantem materiam ad constituendum aggregatum à Christi institutione denominandum.

SECTIO III.

Reliqua de intentione, & Ministro.

132. Circa primam Sectionis partem assero 1. cum omnibus Theologis, ad valorem Sacramentorum non sufficit intentio purè habitualis; bene verò formalis, aut virtualis. Probatur 1. ex Concilio Tridentino citato num. 95. necessaria est illa intentio, qua verum sit dicere, Ministrum legitimum Sacramentorum, sive humano modo operantem conficere Sacramentum ex intentione illud faciendi; vel quod idem est, faciendi, quod facit Ecclesia; sed ad hoc non sufficit intentio purè habitualis; bene verò formalis, aut virtualis; ergo &c. Maj. & consequentia tenent; min. probatur: intentio habitualis est illa, quæ præcessit, & non est retractata, neque habet ullum sui effectum moralem conducentem ad finem in homine, qui ut sui compos operatur; formalis verò est illa, quæ efficaciter actu vult finem; virtualis autem, quæ, licèt præcesserit, relinquit in homine, qui ut sui compos operatur, effectum moralem conducentem ad finem, ratione cujus efficaciter ponitur finis; sed ex ipsis terminis notum est, Sacramentum rationabiliter posse poni ex vi intentionis actualis efficaciter volentis Sacramentum, aut ex vi intentionis, quæ reliquit effectum moralem, ratione cujus Sacramentum efficaciter ponitur; secus autem ex vi intentionis, quæ neque per se, neque per sui effectum moralem actu conducit ad Sacramenti positionem; ergo &c.

Probatur 2. Licèt Sacramentorum confectio sit admodum sacrata, est tamen ex Christi institutione, juxta omnium Theologorum consensum actio accomodata ad moralem agendi modum inter homines, atque adeò non plus voluntarii postulans, quàm actus moralis, & humanus; sed licèt ad actum moralem, & humanum non sufficiat voluntas habitualis, sufficit non solùm actualis, verùm etiam virtualis; ergo &c. Probatur min. Voluntatem actualem ejusdem rei retinere absque cessatione ulla, quin diversio ad alia interrumpat, præsertim diutiùs, res est difficillima, & vix, aut ne vix quidem moraliter possibilis, ac proinde ad actiones verè morales, & humanas non requirenda; ergo sufficit non solùm actualis, verùm etiam virtualis voluntas; & ratio magni mihi momenti est, præsertim, dum video omnes Theologos ea nitentes. Confirmatur: quia, ut expendenti constabit, hic est communissimus agendi modus moralis inter homines, tam in Sacris, quàm in non Sacris; actiones enim liberæ hìc, & nunc procedentes à voluntate præterita cum illa constituunt unum totum morale, ut in Tractatu de actibus humanis docent Theologi; ergo &c. Ex dictis

Fit 1. cum Divo Thoma, Eximio Doctore, Arriaga, & aliis contra *Salas*, Oviedo, & plures Recentiores, non requiri actualem intentionem adhuc remissam, & impotentem supra se reflectere, qualem volunt in pulsante ordinatè lyram, ex qua ordinetur ad finem effectum intentionis præteritæ, ut intentio præterita virtualis maneat in suo effectu. Ratio est, quia eadem potest esse intentio formalis finis, electio, & executio mediorum; Sic Petrus lapide volens ferire Joannem, ex eadem intentione moveri potest ad accipiendum, & projiciendum lapidem in Joannem: tunc enim intentio formalis percutiendi Joannem est causa qualitatis loco-motivæ, qua lapis fertur, usquedum evanescat impulsus ille continuatus, & cessent motus lapidis projecti per totum illud spatium; cùm autem intentio, utpote actus vitalis solùm duret per unicum instans, qualitas autem, & motus ab intentione dependentes durent per plura spatia, manifestum est, posse durare effectus intentionis in ordine ad finem absque ulla actuali intentione finis, quod non evenit in pulsante lyram, cùm motus unius digiti non ducat ad motum ordinatum alterius. Qua de causa in homine, qui ut sui compos operatur, qualis esse debet Minister Sacramentorum, ut ejus operatio sit moralis, juxta Tridentini definitionem positam num. 125. ex qua requiritur in Ministro animus seriò agendi, intentio illa virtualiter in suo effectu durat absque ulla intentione actuali dirigente effectum illum ad finem.

Fit

135. Fit 2. deficientibus effectibus à præterita intentione pendentibus, opus esse nova intentione ordinante eas actiones externas ad finem præintentum, quæ intentio, si sit formalis volitio finis, pendebit intrinsecè à fine; si verò non sit formalis, sed solùm virtualis volitio finis, pendens ab intentione præterita, quatenus elicitur, ne ea præterita intentio frustretur, pendebit saltem extrinsecè à fine; ad eum modum, quo docent plures in Philosophia conclusionem reflectentem supra præmissas pendere intrinsecè à præmissis; conclusionem verò non reflectentem, sed elicitam ex motione præmissarum pendere à præmissis extrinsecè: quomodolibet autem res se habeat, de quo in præsenti non curamus, satis est ea intentio in homine, qui ut sui compos operatur, usque dum ponitur effectus, ut possit manere volitio virtualis finis in illis effectibus, quin maneat volitio actualis.

136. Etenim, licèt ad permanentiam virtualem volitionis præteritæ non sufficiat, quod homo operetur ut sui compos, sive quod effectus sit moralis, neque præcisè sufficiat, quod maneant effectus pendentes ab ea intentione, qui quidam manere possunt in ebrio, amente, & dormiente, in quo non manet virtualis volitio, cum effectus moralis non maneat, sufficit autem utraque simul formalitas in effectu, ut maneat volitio virtualis, quæ per hanc utramque formalitatem constituitur, nimirum per effectum moralem à præterita intentione pendentem: sicut concretum cognitum constituitur per objectum & cognitionem, sic etiam ut detur homo, non sufficit sola formalitas animalis, neque sola formalitas rationalis, sufficit autem utraque formalitas animalis, & rationalis ex quibus dissolvuntur, quæcunque possent in contrarium opponi. Hæc insinuâsse sufficiet, quæ pertinent ad Tract. de actibus humanis.

137. Fit 3. Non sufficere ad valorem Sacramenti intentionem interpretativam & indirectam. Ratio est, quia intentio interpretativa est illa, qua quis apponit materiam & formam Sacramentorum sine actuali, formali, aut virtuali voluntate conficiendi Sacramentum, quia nescit, an sit Sacramentum, nec fieri ab Ecclesia illas actiones, ita tamen est animo dispositus, ut si illi proponeretur, eas actiones esse Sacramentum, aut institutas esse à Christo, vel ab Ecclesia fieri, ita profectò vellet eas, intentio verò indirecta est illa, qua quis vult causam, ex qua, cùm non est sibi compos, prodit effectus, v. g. si quis consuetudine edoctus sciret se in ebrietate lavaturum infantem, & prolaturum verba Baptismi, & ex hac intentione se inebriaret itaque hujusmodi intentiones non sunt voluntates morales requisitæ ad Sacramentum, neque ad constituendum cum effectu actionem moralem, seu quæ essent si unus sciret, & alter esset sui compos, quando ex recta intentione, operatur; ergo ejusmodi intentiones non sufficiunt ad valorem Sacramenti.

138. Fit 4. Intentionem Ministri semper debere esse ad materiam, circa quam, & personam determinatam. Ratio est, quia cum actio procedat ex intentione, non debet actio ferri ad unum & intentio ad aliud, sed supra eandem omnino rem. Qua de causa in omnibus *Sacramentis* datur aliquid, per quod significantur materia, & persona circa quam aliquando determinatè: sic in matrimonio consensus fertur ad determinatam personam, & in reliquis *Sacramentis* apponitur pronomen demonstrativum, ut *te absolvo*, *te* Baptizo, *hoc* est Corpus meum, per *hanc* Sanctam unctionem indulgeat tibi DEUS, &c. non tantum autem est discrimen inter matrimonium & reliqua Sacramenta, nam in matrimonio, cum sit contractus onerosus, potest contrahens detrahere intentionem ad hanc numero personam sibi notam & intentam, ita ut si sit alia; nolit contrahere, sicut fieri potest in aliis contractibus. In reliquis verò Sacramentis id ut plurimum non licet, nisi in casu quo prudenter & verè moraliter certo timeret Minister, ne persona aliqua supponeretur baptizanda, ordinanda, absolvenda &c. quam Baptizare, ordinare aut absolvere non expediret; ideóque debet Minister regulariter dirigere & determinare intentionem ad materiam & personas præsentes Sacramenti capaces, quæcunque illæ sint; aliter exponeret Sacramentum nullitati, & sæpè privaret personam Sacramento sine necessitate, si forte non esset, quam ille existimat. Exinde

139. Si quis absolvat Petrum, putans esse Joannem, aut pronuncier verba consecrationis supra duas hostias, putans esse unam, validè consecrat has, & absolvit illum, nisi ita determinet suam intentionem, ut intendat non absolvere illum, nisi sit Petrus, nec hanc materiam consecrare, nisi sit una hostia, quod vix unquam contingit, cum omnes, ut debent, intendant absolvere personam & consecrare materiam, quam habent præsentem. Unde si auditis duobus pœnitentibus, confessarius diceret, ego te absolvo, non intendens utrumque absolvere, sed unum aut alterum indeterminatè, neutrum absolveret; & similitet si habens duas hostias præsentes non determinaret intentionem ad utramque, sed vellet unam indeterminatè consecrare, neutra maneret consecrata. Propter eandem rationem nequit suspendere in futurum absolutionem, v. g. ex nunc pro crastina die te absolvo, si cras restituas; potest tamen apponere sibi aliquos puros terminos, ut constat ex num. 116. quos alii conditiones vocant, v. g. casu quo sis Baptizatus, ego te absolvo, & sic in aliis, quando datur causa legitima ad ita operandum.

140. Circa 2. *Sectionis* partem assero 2. Minister conficiens in peccato lethali Sacramentum, sive ad id sit specialiter consecrat?, sive non; sive solemniter, sive absque solemnitate operetur, per se liquidò Sacramentum conficit validè, sed illicitè. Ita plures cum Vasquez Tom. 3.

in 3. partem disp. 136. ca. 3. probatur prima pars, nimirum conficere validè Sacramentum, quia ita definitum est à Tridentino citato num. 95. tum etiam Sess. 7. Can. 12. dicente: *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacrrmentum: anathema sit*; Ergo &c. confirmatur ex Patribus: Augustinus enim Tract. 5. in Joannem circa medium habet: *Quid ibi facit malus Minister, ubi bonus est Dominus quidvè impedit malitiosus præco, ubi benevolus est Judex.* Tum etiam Chrysost. Hom. 85. in Joannem: *Nihil nobis deperiret, etiamsi Sacramenta ab indignis suscipiamus.* Idem habet Cathechismus Tridentini Tit. de Sacramentis; ergo &c.

141. Probatur secunda pars contra Scotistas, & plures Canonistas, nimirum peccare Ministrum conficientem Sacramentum in statu peccati mortalis, licèt ad id non sit specialiter consecratus: ostenditur 1. quia Tomo 3. Conciliorum in Rescriptis Nicolai I. Papæ Tit. 11. num. 5. loquendo de malis Sacramentorum Ministris hæc habentur: *quoniam mali bona administrando se tantummodo ladunt*; in quibus verbis ratio patet, propter quam peccati rei declarantur Ministri conficientes Sacramenta in lethali desumitur ex ipsa Sacramentorum bonitate, quam malè tractant: Sancta enim Sanctè, & religiosè tractanda sunt, ut refert Theologorum axioma; & habet Cathechismus Tridentinus Tit. de Sacramentis: atqui eadem est bonitas, & Sanctitas Sacramentorum, sive Minister sit consecratus, sive non, sive solenniter; sive absque solennitate ministrer; ergo &c.

142. Probatur 2. Sacramenta ex institutione sua continent in se merita, & Sanguinem Christi Domini, quæ auctoritate, & nomine Christi Minister dispensat ad sanctificationem animarum, ut latè constabit à num. 193. sed ex ipso naturæ lumine indecens, & irreligiosum est, Ministrum peccato mortali infectum ea adeò Sanctissima munera obire; ergo &c. Confirmatur ex Augustino Tom. 7. lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 10. post medium dicente: *omnia Sacramenta, cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus*; atqui non solùm sunt Sacramenta, quæ conficiuntur ab iis, qui sunt specialiter consecrati, aut ab iis, qui solenniter ministrant, sed etiam, quæ ab aliis conficiuntur, qui non sunt specialiter consecrati, neque solenniter ministrant: ergo per se loquendo illicitè faciunt. Dixi in assertione *per se loquendo*: quia per accidens ratione invincibilis ignorantiæ suæ conscientiæ, aut ratione urgentis necessitatis suscipientis advertentiam, potest quandoque Minister excusari à culpa formali, licèt ad se sanctificandum contritionis actum non eliciat, ad quem tenetur in confectione omnium Sacramentorum; imò ad celebrandum Missæ Sacrificium, cùm debeat communicare, tenetur ex speciali præcepto præmittere confessionem, vel si fortè non possit, debet conari, quantùm possit, contritionem elicere, & post Missam quamprimùm confiteri, ut definit Tridentinum sess. 13. cap. 7. Ex dictis

Fit 1. esse peccatum lethale, conficere Sacramentum cum conscientia peccati mortalis. Ratio est, quia actio illa est prohibita, ut constat à num. 140. & circa materiam adeò gravem importantem gravem indecentiam, ut lumine naturæ constat; atqui actio prohibita circa materiam gravem, & gravem importantem indecentiam; est peccatum mortale; ergo &c. Confirmatur 1. ex Cathechismo Tridentini Tit. de Sacramentis longè post medium, ubi loquendo de Pastoribus, aliisque Sacramentorum Ministris hæc habet: *neque enim Pastores, aliive Sacramentorum Ministri, cùm hæc audiunt, satis sibi esse arbitrentur; meminisse autem semper debent, Sacramenta divinam quandam virtutem, quæ illis inest; nunquam amittere; at verò impurè eam ministrantibus æternam perniciem, & mortem afferre*; atqui æternam perniciem, & mortem duntaxat afferre potest peccatum mortale; ergo omnes Sacramentorum Ministri conficientes Sacramenta in peccato mortali peccant mortaliter, ac proinde sive consecrati, sive non consecrati, sive solenniter, sive absque solennitate ministrent, peccabunt lethaliter. Confirmatur 2. ex Divo Thoma 3. part. quæst. 64. artic. 6. in Corp. dicente: *non est dubium, quin mali exhibentes sit Ministros DEI, & Ecclesiæ in administratione Sacramentorum peccent, & quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam DEI, & contaminationem Sacramentorum quantùm est ex parte ipsius peccatoris* (licèt Sacramenta secundùm se ipsa incontaminabilia sint) *consequens est, quòd tale peccatum ex genere suo sit mortale.*

Fit 2. contrahentes matrimonium in statu peccati mortalis duplex committere peccatum, unum, quia in peccato recipiunt Sacramentum, alterum, quia in peccato conficiunt, & ministrant illud. Fit 3. de illis, qui non conficiunt Sacramentum, servata proportione discurrendum esse pensata deformitate actionis. Qua de causa Authores communiter judicant, Sacerdotem, aut Diaconum dispensantem Eucharistiam in lethali, peccare lethaliter, etsi non committat tot peccata, quot Hostias distribuit; cùm actiones illæ tendant ad unum efficiendum convivium, quod alii negant. Imò plures Authores judicant, Confessarium audientem confessiones in statu peccati lethalis, non solùm peccare, dum absolvit, verùm etiam dum audit confessionem, & pœnitentiam imponit, cùm adeò indecenter concurrat ad rem Sanctissimam; quod non ita evenit in Pontifice, aut Episcopis indulgentias pœnarum temporalium remissivas concedentibus.

Alii

145. Alii extendunt ad Diaconum, & Subdiaconum solenniter exercentes officium sui Ordinis in peccato lethali; sed in hoc communiter dissentiunt Authores. Ratio est, quia testimonia à contrariis allata loquuntur solùm de peccatis publicis illorum Ministrorum generantibus scandalum, & actio illa per se non videtur habere, unde desumat malitiam gravem; aliter peccarent graviter exercentes in lethali sua officia Sacra, v. g. Acolytus, Exorcista, Ostiarius, Lector, & quivis Minister in confectione Sacramentali, ut sunt confectio Chrysmatis, benedictio Olei infirmorum, consecratio Templorum, benedictio Abbatum, vestium Sacerdotalium, aquæ Lustralis, Cinerum, Palmarum, Nuptiarum, & his similia, quod Adversarii communiter negant; quia in his non conficitur Sacramentum, neque confertur per has actiones aliis gratia, neque in judicio prudentum concipitur ulla irreverentia gravis, licèt magna sit inter leves: ex quibus inferri potest resolutio aliorum quàm plurium casuum particularium.

146. Objicies 1. contra primam assertionem: ad applicandum pro Petro Sacrificium Missæ sufficit intentio habitualis, & non requiritur actualis, aut virtualis; ergo ad conficiendum Sacramentum. Respondet 1. Vasquez neg. antec. nam qui pro altero applicat Sacrificium, illud pro eo offert, & ad offerendum requiritur saltem virtualis intentio; hæc autem solutio displicet, quia non offert exercendo officium sacrificantis, aliter non posset offerre ante Sacrum, quod Vasquez, & omnes negant, sed offert, quatenus Petro donat illam satisfactionem, & declarat suam voluntatem: declaratio autem fieri potest modò, & obtinere suum effectum, quando solùm manet habitualiter, etsi, quando operatur, non sit moralis operatio; imò licèt, qui donavit, sit tunc ebrius, aut dormiens, ut in millenis exemplis perspicuum est: sic declaratio testamentaria habet suum effectum mortuo homine, quin in ordine ad effectum sit tunc ulla operatio moralis illius. Quapropter cum Eximio Doctore, Arriaga, Lugo, Enao, & aliis respondeo conc. antec. & nego consequentiam; quia in confectione Sacramentorum intentio Ministri concurrit ut operatio moralis, ex doctrina Tridentini citati num. 125. juxta expositionem omnium Theologorum, ac proinde debet manere saltem in aliquo suo effectu in homine, qui operatur ut sui compos; applicatio verò Missæ non ita concurrit, sed ut pura donatio, ad quam non requiritur operatio moralis, ut constat ex dictis, quando prodiit in effectum.

147. Objicies 2. In suscipiente Baptismum sufficit intentio habitualis suscipiendi; ergo etiam in conficiente Sacramentum sufficiet intentio habitualis conficiendi. Antec. examinandum est à nobis infrà, quando agemus de dispositionibus requisitis in suscipiente Sacramentum. Pro nunc autem permisso ant. resp. neg. conseq. quia suscipiens ut suscipiens præcisè Sacramentum, nullam partem Sacramenti conficit, ac proinde ex hoc capite non est titulus, ex quo debebat habere actualem, aut virtualem intentionem; conficiens verò partem saltem conficere debet ex intentione morali, ut constat ex num. superiori ex doctrina Tridentini, & Theologorum, ad quam moralem intentionem requiritur saltem virtualis intentio. Dixi *ut suscipiens*: quia, si ille, qui suscipit Sacramentum, efficiat etiam partem illius, ut contingit in Sacramento Pœnitentiæ, & matrimonii, debet habere virtualem saltem intentionem. Cæterùm quoad Sacramentum matrimonii notandum est, posse fieri per Procuratorem, sicut & alii contractus humani fiunt, ac proinde requiritur in contrahente saltem intentio virtualis ad instituendum Procuratorem, & in isto ad operandum nomine alterius, sicut fieri solet in aliis contractibus humanis, quin ex Sacramento matrimonii desumi possit paritas ad alia Sacramenta num. 31.

Objicies 3. S. Thomas 3. part. quæst. 64. artic. 8. ad 3. ait: *licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti*; ergo ad conficiendum Sacramentum non requiritur intentio actualis, aut virtualis, sed sufficit habitualis. Respondeo, nego consequentiam, quia, ut fatentur Cajetanus, & Interpretes Divi Thomæ, in eo textu *habituale* pro *virtuali* ex usu antiquorum, apud quos hæc vox *habitualis* erat generica, comprehendens quamcunque volitionem præteritam, non retractatam, sive perseveraret moraliter in effectu, sive non, & ex contextu contrahit illam Divus Thomas ad intentionem, quam nunc Theologi vocant virtualem contradistinctam à purè habituali. 148.

Objicies 4. contra secundam assertionem: Ecclesiast. 24. dicitur *ab immundo, quis mundabitur*? & infrà, *qui baptizatur à mortuo, quid proderit lavatio ejus*? ergo Minister mortuus, sive existens in peccato mortali, nequit conficere validè Sacramentum. Confirmatur 1. Joannis 20. Christus conferens Apostolis potestatem remittendi peccata, dixit: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* ergo in remittente peccatum requiritur Spiritus S. sed istum non habet, neque infidelis, neque peccator; ergo non possunt validè conficere Sacramentum, quo peccatum remittitur. Confirmatur 2. Stephanus Papa symoniacè Ordinatos à Formoso Prædecessore suo jussit de novo ordinari; ergo censuit, eos non fuisse validè ordinatos ob sacrilegium in eorum Ordinatione admissum. Respondeo, nego consequentiam quia Ecclesiasticus loquitur ibi de eo, qui propria sua virtute mundat, quam immundus non habet: Minister autem Sacramentorum non mundat virtute sua, sed virtute Christi. Alterum verò testimonium de Baptismo non venit ad rem, quia ibi non agitur de Baptismo nostro, sed 149.

de purificatione ab immunditia legali, quæ in lege antiqua oriebatur à contactu mortui.

150. Ad primam Confirmationem dist. conseq. requiritur Spiritus Sanctus ut inhabitans per gratiam in Ministro, nego: ut consequens potestatem remittendi peccata juxta Christi institutionem, conc. consequentiam, & dist. eodem modo min. subsumpta, nego: conseq. etenim *Spiritus Sanctus*, ut docetur in Tractatu de Trinitate, utpote verus DEUS, in omnibus est per præsentiam, in Justis per gratiam, & in Ministris Sacramentorum peccato infectis, non quidem per gratiam, sed per potestatem ad remittenda peccata; neque Minister Sacramentorum est quilibet homo, sed qui à Christo sunt instituti, ut definit Tridentinum sess. 7. Can. 10. de Sacramentis. Ad secundam Confirmationem nego consequentiam: nam Stephanus id facere potuit, quia habebat grave fundamentum ad judicandum, Formosum habuisse intentionem prævalentem peculiarem, quando singulos ordinabat, non ordinandi illos, si erant Symoniaci; quod ipse formosus potuit declarare, vel potuit id facere ex aliquorum illius temporis peculiari opinione, quam falsam omnino esse, constat jam ex Conciliorum definitionibus suprà traditis; Stephanus autem nullatenus definivit, ita esse faciendum.

151. Objicies 5. Novissimè ex Boivin *Scotista*, nullum est jus positivum expressum, neque implicitum ex consensu Doctorum, in quo tanquam peccati rei damnentur, qui absque solemnitate Ministrant Sacramenta, & qui non sunt consecrati ad illa conficienda; ergo non est peccatum ita Ministrare. Resp. N. antec. quia id satis constat ex Nicolao I. citato num. 140. & ex Cathechismo Tridentini idipsum confirmante num. 143. imò etsi nullum esset jus expressum positivum, ipso naturæ lumine possemus idipsum inferre, attentâ rei gravitate, ob rationes supra datas, modo quo id intulit Augustinus citatus num. 141. quando autem adhuc prædicta Pontificis, & Catechismi testimonia non exstabant, & D. Thomas citatus num. 143.

SECTIO IV.

De Auctore Sacramentorum.

152. COnstat ex Trid. citato num. 16. Christum Dominum esse auctorem omnium Sacramentorum novæ legis, & quidem immediatum: nam licèt in definitione Tridentini ea particula *immediatè* non apponatur, attamen in communi usu loquendi solùm dicitur quis instituere, quæ immediatè, & per se ipsum instituit, non autem, quæ auctoritate ab ipso accepta instituunt alii: sic Christus non dicitur instituisse Sacramentalia, licèt dederit Ecclesiæ potestatem ea instituendi; & in republica Christiana, non dicitur Pontifex, Rex, aut Generalis religionis instituere, quæ potestate ab illis accepta instituunt Legati, Gubernatores aut Provinciales. Imò definitio Tridentini intelligenda est de Christo ut homine quoad eliciendam volitionis institutionis, etsi ad illam dignificandam concurrerit personæ dignitas. Videatur D. Thoma 3. pa. quæst. 64. Art. 4. in corpore. De Christo enim ut Deo, nullus est ambigendi locus, siquidèm Deus est præcipua, & primaria causa *Sacramentorum* secundùm primariam auctoritatis potestatem.

Qua de causa Concil. Tridentinum contra aliquos dubitantes: an Sacramentum extremæ unctionis fuerit immediatè à D. Jacobo institutum, definivit Sess. 14. Ca. 1. fuisse à Christo institutum, & à D. Jacobo promulgatum. Singulorum autem Sacramentorum institutio vel explicitè, vel implicitè habetur in Scriptura. Baptismi, Eucharistiæ, & extremæ unctionis, ut constat ex num. 32. & 64. confirmationis Matt. 19. oblati sunt ei parvuli, ut eis manus imponeret; pœnitentiæ Joannis 20. quorum remiseritis peccata &c. ordinis ibidem quoad potestatem absolvendi ex dictis num. 27. quoad potestatem verò consecrandi Lucæ 22. hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Matrimonii denique Matth. 19. quod DEUS conjunxit, homo non separet.

Quibus in locis ea, quæ perspicuè instituta patent, non solùm instituta, verùm, & declarata nobis fuerunt à Christo. Quæ verò implicitè indicantur instituta, explicata nobis fuerunt ab Apostolis, & ad nos per Apostolicam traditionem derivata, sic Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 9. loquens de Sacramentis novæ legis respectivè ad antiqua hæc habet; quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina. Difficultas autem, quæ hic exagitari soler à Theologis, ea est, an puræ creaturæ communicari potuerit, vel instrumentalis, vel minùs principalis, sive delegata potestas instituendi Sacramenta?

Prima Sententia docet puræ creaturæ communicari posse potestatem determinandi, & designandi signa Sacramentalia jam à Deo antecedenter sub disjunctione instituta, non tamen instituendi *Sacramenta*, seu præbendi efficaciam conferendi gratiam; ita *Scotus*, Gabriel, Durandus, & Vasq. disp. 133. Ca. 2. eo innixi, quia instituere, est rem aliquam inchoare, & ab initio statuere, quod præstare non valet pura creatura per quamcunque potestatem à Deo acceptam respectu *Sacramentorum*, ut semper præcederet decretum DEI committendi, & delegandi talem facultatem creaturæ, à quo decreto exordium, & initium sumerent S[illegible]menta; aliter ait *Scotus*, creaturam dere[illegible] Dominio Dei. Secunda sententia affirma[illegible] Exi-

Eximius Doctor, Meratius, Konick, Lugo, Ariaga, & plures alii cum D. Thom. quæst. 64. 3. parte Art. 4. in Corpore.

156. Assero cum secunda Sententia: communicari potest puræ creaturæ delegata potestas instituendi Sacramenta. Probatur 1. DEUS potest communicare puræ creaturæ potestatem instituendi signa sensibilia collativa gratiæ dependenter à præcedenti decreto DEI, à quo tanquàm à principio exordium sumat talis institutio; sed talis verè esset delegata potestas instituendi Sacramenta; ergo &c. causa tenet, & maj. patet, quia signa ab homine instituta elevari possunt à DEO ad causandam physicè gratiam; ac proinde si DEUS puræ creaturæ promitteret, se id facturum suppositâ illa DEI promissione, posset illa pura creatura instituere signa collativa gratiæ. Tum etiam potest DEUS relinquere in manu puræ creaturæ, applicare cuicunque vellet, & modis quibus vellet, merita Christi, quæ infiniti valoris sunt, & condigna cujuscunque proemij possibilis; quo casu ea signa sensibilia constituentia cum meritis Christi aggregatum morale ex DEI beneplacito, esset causa moralis gratiæ; ergo communicari potest puræ creaturæ delegata potestas instituendi talia signa.

157. Min. verò primi Syllogismi, in qua præcipua inest apud Adversarios difficultas. Probatur: Fundatores religionum velle dicuntur instituisse earum regulas & ceremonias; atqui ea potestas communicata fuit illis à Summo Pontifice, à quo ea institutio sumpsit exordium; ergo licèt illa potestas communicata puræ creaturæ sumeret exordium à præcedente DEI decreto, adhuc esset delegata potestas instituendi Sacramenta. Confirmatur ad homines, præcipuè contra Vasquez, qui disp. 135. fusè probare conatur, non posse dici Christum instituisse ea, quæ ex Christi commissione instituit Ecclesia, ac proinde non Christum, sed Ecclesiam verè & propriè dici instituisse ceremonias: atqui ea potestas sumpsit exordium à voluntate Christi dandi talem potestatem Ecclesiæ; ergo, &c.

158. Probatur 2. Ratione: instituere idem est, ac de novo aliquid stabilire; atqui pura creatura potest de novo stabilire signa sensibilia collativa gratiæ, vel physicè vel moraliter ex dictis num. 156. non quidem per potestatem ipsi connaturalem, sed à Christo vel DEO ei communicatam ex influxu meritorum Christi, cujus instrumentum esset ea pura creatura; ergo &c. Probatur min. ea pura creatura posset accipere tantam gratiæ plenitudinem, ut efficeret opera valde meritoria, quæ dignificarentur multò magis à meritis Christi ipsi applicatis; quo in sensu esset verum Christi instrumentum, & Sacramentorum causa: sed pura creatura ita instructa gratia, ut Christi instrumentum, posset stabilire de novo ea signa modo explicato; ergo &c.

159. Confirmatur ex D. Thom. 3. part. quæst. 64. art. 4. dicente: *Christus in Sacramentis habuit duplicem potestatem: unam auctoritatis, quæ competit ei secundùm quod DEUS, & talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec Divina essentia. Aliam potestatem habet excellentiæ, quæ competit ei, secundùm quod homo, & talem potestatem potuit Ministris communicare, dando scilicet eis tanquam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operetur ad Sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur Sacramenta, & ut ipsi possent Sacramenta instituere.* Et infra concludit, *potest enim instrumentum conjunctum quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere*, sicut manus baculo; quæ verba, ut exponenti patebit totam nostram Doctrinam continent; ergo &c. Ex dictis

160. Fit 1. Eam creaturam fore causam eorum Sacramentorum instrumentalem, vel ad summum minus principalem, quàm Christum nostrorum Sacramentorum. Ratio est quia Christus Dominus instituit Sacramenta, quæ ex virtute meritorum ipsius habent vim causativam gratiæ; illa autem pura creatura ex solis suis meritis non posset dare Sacramentis vim causativam gratiæ, sed vel conjunctim cum meritis Christi ex promissione facta, & ex voluntate creaturæ applicanda, vel non applicanda tali signo, ut dicemus num. sequenti, quo se ostenderet Christi instrumentum: Sic enim esset causa instrumentalis respectivè ad Christum, & causa minus principalis respectivè ad Sacramenta; sicut Legati, & Gubernatores dici solent, causæ instrumentales respectu Pontificum, & Regum, communicantium illis eam potestatem ad stabiliendas leges, & causa minus principalis respectu legum. Quapropter ut evitemus quæstionem de nomine, vocamus eam creaturam causam, sive instrumentalem, sive minùs principalem; vel esset causa minùs principalis signorum, quæ elevarentur ad causandam physicè instrumentaliter gratiam. Fit 2. Ea Sacramenta valde distincta fore à Sacramentis legis antiquæ ex dictis à num. 20. Fit 3. Illam puram creaturam nullo modo derogare Dominio DEI, cùm omnia illius penderent à Dominio DEI, sicut facultas delegati pendet à delegante; quo ruit alterum Scoti fundamentum.

161. Fit 4. Puram determinationem materialem ad signum neque in Pontifice, neque in Ecclesia, posse deservire ad instituendum Sacramentum, cùm ea pura determinatio materialis non conferat virtutem, neque efficaciam causativam gratiæ illi signo, neque ad hoc dederit DEUS Ecclesiæ hanc potestatem, sicut daret illi creaturæ. Ad eum modum, quo si Episcopus præciperet alicui sub excommunicatione, ut faceret, quod illi Petrus præciperet, tunc non dat Petro facultatem præcipiendi sub excommunicatione: potest enim subire hoc munus Petrus Laicus incapax jurisdictio-

nis Ecclesiasticæ, sed ipse Episcopus tunc imponit excommunicationem subdito non facienti, quod Petrus designaverit; hujusmodi autem gravis est facultas, quam Pontifex, & Ecclesia habent ad materialiter determinandam materiam, & formam Sacramentorum. Alio modo se habet Episcopus, quando confert alicui facultatem præcipiendi sub excommunicatione: tunc enim non solùm potest talis delegatus designare materiam præcepti, sed etiam imponere censuram, quæ adhuc non erat imposita, cujusmodi autem gravis esset facultas, quam ad instituenda Sacramenta haberet illa pura creatura, de qua loquimur, ut constat ex dictis. Videatur Cardinalis de Lugo disput. 7. sect. 2. Vide infrà num. 217.

162. Objicies contra totam hujus Sectionis doctrinam: Sanctus Cyprianus lib. de ablutione pedum non longè ab initio loquens de Eucharistia sic ait: *Summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor, in cæteris homines & Spiritum Sanctum habere Doctorem*; ergo neque Christus Dominus fuit Author omnium Sacramentorum, neque repugnat pura creatura, quæ sit causa æquè principalis aliorum Sacramentorum. Respondeo 1. nego suppositum antecedentis: nam ut notat Bellarminus lib. de Scriptoribus, Ecclesiasticis liber ille de ablutione pedum non est S. Cypriani, sed cujusdam ignoti. Respondeo 2. permisso antec. nego consequentiam: nam ly *in cæteris* non refertur ad alia Sacramenta, sed ad cæremonias, & ritus accidentales, qui observantur in confectione Sacramenti Corporis, & Sanguinis Christi; etenim non solùm ex Florentino, & Tridentino, & ex constanti ab Apostolis traditione, verùm etiam ex ipsa Sacra Scriptura clarè constat, Sacramentum Baptismi institutum fuisse à Christo Domino Matthæi 28. ac proinde ly *in cæteris* neque à Divo Cypriano, neque ab ullo Auctore Catholico referri valet ad cæremonias Sacramenta.

DISPUTATIO IV.

DE VIRTUTE, EFFECTU SACRAMENTORUM, ET DISPOSITIONE SUSCIPIENTIS.

163. SAcramenta causare gratiam ex opere operato, constat ex num. 16. licèt non accederet quis ad Sacramentum cum dispositione contritionis, quæ in Justo meretur gratiam de condigno, gratia, quæ in præmium contritionis daretur, non esset gratia, quæ ex opere operato Sacramento correspondet; hæc enim confertur independenter ab eo, quòd actio Ministri, aut suscipientis sit, vel non sit meritoria, sive quod idé est, independenter à merito operantis. Quapropter Sacramenta, quæ Christus Dominus Apostolis contulit, causârunt gratiam ex meritis Christi ab illa actione independentibus, ita, ut eandem ex operato causarent gratiam, licèt illa actio Christi meritoria non esset: sic etiam ille, qui accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ cum contritione, quæ utpote pars Sacramenti Pœnitentiæ causat ex opere operato gratiam, recipit gratiam ex opere operato vi contritionis ut partis Sacramenti distinctam ab illa, quam accipit vi contritionis ut meritoriæ. Cæterùm, cùm Sacramenta causent ex opere operato ad modum causæ necessariæ, conferunt etiam majorem, vel minorem, juxta dispositionem subjecti: sic ignis majorem calorem causat in subjecto magis disposito, & approximato, licèt ista dispositio, & approximatio non habeant virtutem producendi calorem, ut constabit ex num. 201. Quapropter, quando dispositio est causa meritoria gratiæ, duo habet distincta munera valde notanda, alterum disponendi subjectum in ordine ad Sacramentum, sive ad causam necessariam gratiæ ex opere operato; alterum movendi DEUM ad conferendam gratiam subjecto ex opere operantis. Ex quo principio facilè dissolves omnia argumenta Hæreticorum intendentium, gratiam conferri ex Fide, aliisque dispositionibus, non autem virtute Sacramentorum: confertur enim ex Fide, & aliis dispositionibus meritoriè, si sint actus supernaturales liberi gratia habituali formati, à Sacramentis autè confertur coactivè ex opere operato, ut ex progressu Disputationis latè constabit.

SECTIO I.

An Sacramenta causent physicè gratiam?

CElebérrima est hac tempestate in Scholis ista controversia, pro cujus decisione suppono 1. ex Libris Physicorum, causam efficientem duplicem esse, alteram physicam, alteram moralem. Causa efficiens physica est illa, quæ immediatè exequitur actionem, per quam effectus producitur, & à qua actio immediatè oritur. Causa efficiens moralis dicitur illa, quæ quia est saltem absolutè prævisa independenter ab effectu, movet per sui allicientiam causam physicam ad effectus productionem; sic causant consilium, mandatum, preces, minæ, merita, & alia hujusmodi, & per hanc formalitatem distinguitur causa moralis efficiens à causa morali non efficienti, v. g. finali, & aliis similibus: nam causa finalis movet ad positionem effectûs, ut ponatur causa; sic salus movet ad ponenda remedia, quibus obtineatur salus. Quapropter movet, ut sit, & dicitur causa pu-

te moralis, sive non efficiens; illa verò, quæ movet, quia est, dicitur causa moralis efficiens.

165. Suppono 2. causam moralem efficientem esse duplicem, unam principalem, quæ valorem, & æstimationem accipit ab ipsa persona, à qua ponitur actio; alteram instrumentalem, quæ valorem, & æstimationem, quam habet, non accipit à dignitate personæ, à qua ponitur actio, sed à dignitate illius, nomine cujus ponitur, & cum eis constituit totum morale. Suppono 3. ubi est periculum erroris, prohibitum esse accipere in re dogmatica verba aliter, ac sumpta sunt à Sanctis Patribus: sic etenim habet sexta Synodus generalis sess. 12. *omnino necesse est, non solùm secundùm sensum sequi Sanctorum Patrum dogmata, sed eisdem vocibus uti cum iis, nihilque penitus innovari.* Quapropter licèt generans producat dispositiones moventes DEUM ad productionem animæ rationalis, dici non potest absolutè causare animam: quia Sancti Patres, & omnes Catholici negant hanc locutionem contra eos, qui erroneè dicebant, animam produci à generante, ne exinde errorem arripiant alteri. His positis

166. Sentiunt omnes Theologi, nec dissentit Doctor Eximius, ut ei falsò imponit Gonnetus, omnia Sacramenta causare moraliter gratiam, ut infrà constabit. Modò quærimus, an etiam gratiam physicè causent? Prima sententia affirmat; ita communiter Thomistæ, Granadus, Meratius, Dicastillo, Esparza, & alii. Secunda negat, ita S. Bonaventura, & plures, quos sequitur Vasquez disput. 132. cap. 2. & 5. Conich, Caspar Hurtado, Lugo, Arriaga, plurésq; alii, quibus accedit Platelius, afferens plura D. Thomæ testimonia, utrique parti faventia.

167. Assero cum secunda sententia, Sacramenta non causant physicè gratiam. Probatur 1. plura Sacramenta causant gratiam, quando jam non existunt, sic Baptismus cum obice susceptus, ablato obice post longum tempus, causat gratiam; atqui Sacramenta, quæ physicè non existunt, non possunt physicè causare gratiam; ergo Sactamenta non causant physicè gratiam. Respondent Adversarii, Sacramenta quæ causant dum physicè existunt, causare physicè; quæ verò causant, dum physicè non existunt, causare moraliter. Mira responsio! velem scire ab Adversariis, ex quo textu scripturæ, ex quo testimonio Conciliorum aut SS. Patrum hanc differentiam inferant, & ubinam inveniant Christum Dominum dedisse unis Sacramentis hanc virtutem ad causandum, & alteris alteram. Imò exinde

168. Contra 1. Sacramenta non habent aliam virtutem ad causandam gratiam, nisi quam dedit illis Christus Dominus: sive quam invenimus in Scripturis Conciliis & SS. Patribus; atqui in Scripturis Conciliis, & SS. Patribus exprimitur virtus Sacramentorum ad causandam gratiam, quin in ordine ad causandum apponatur ulla differentia inter Sacramenta, quæ causant, dum non existunt, & quæ causant, dum existunt; ergo eodem modo, ac proindè non physicè sed moraliter utraque causant. Maj. & consequentia tenent; Min. patet ex Testimoniis Scripturæ citatis à num. 153. ex Florentino. Citato num. 4. ex Trid. num. 16. ex Pontificibus, & SS. Patribus citatis à num. 140. ergo &c. Contra secundo Augustinus lib. 3. de Bapt. c. 3. proponens virtutem Baptismi causantis, dum non existit, nullam differentiam apponit, sic enim habet: *Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerit, non ut jam dimissa non retineantur, neque ut ille Baptismus quasi alienus, aut alius improbetur, aut alter tradatur, sed ut idem ipse qui propter discordiam operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.* Pariter author Sermonis de Passione Christi apud Cyprianum dicens: *Licèt indigni sint, qui accipiunt; Sacramentorum tamen reverentia, & propinquiorem ad Deum parat accessum, & ubi redierint ad cor constat absolutionis donum, & redit effectus munerum; ergo &c.*

Probatur 2. Conclusio, & enervatur Adversariorum responsio: si facta absolutione in Baptismo nondum finita sit formæ verbalis prolatio, absolutio prætetita non potest physicè causare gratiam, quando causat gratiam Sacramentum; atqui iisdem verbis, & eodem modo tribuitur in Scriptura absolutioni effectus gratiæ, quotiescunque detur Sacramentum expeditum; ergo Sacramenta non causant physicè gratiam. Maj. & conseq. tenet; Min. patet, quia virtus Baptismi habetur in Scriptura in iis verbis Christi Domini Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI*, quod definivit Tridentinum Sess. 7. Can. 2. de Baptismo per hæc verba: *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri JEsu Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. ad Metaphoram aliquam detorserit: anathema sit.* Sed in illis Scripturæ verbis nulla apponitur, differentia ad causandam inter absolutionem, quæ causat dum non existit, atque causat dum existit. Confirmatur Sacramenta novæ legis eo modo causant gratiam, quo illam ex institutione Christi Domini significant: atqui ea significatio utpote ad placitum Christi Domini non est physica, sed moralis; ergo 169.

Probatur 3. Sacramenta, quæ causant, dum physicè non existunt, non causant physicè gratiam, ut Adversarii fatentur; atqui Sacramenta semper causant adæquatè, dum adæquatè, & physicè non existunt; ergo &c. Probatur min. Sacramenta utpote constituta ex rebus, & verbis, non existunt simul physicè, & adæquatè, sed successivè: possunt enim priùs existere physicè res, & postea verba, vel econtra; imò non est appositum Sacramentum, usque 170.

dum

dum proferatur ultimum verbum formæ; atqui quando profertur ultimum verbum formæ, jam non existunt physicè verba priùs prolata, sed exiterunt; ergo Sacramenta semper adæquatè causant, dum physicè adæquatè non existunt. Confirmatur 1. Ultimum verbum formæ verbalis constituit adæquatè formam, nisi simul cum verbis præcedentibus; atqui aggregatum ex illo ultimo verbo, & præcedentibus non est aggregatum physicum, sed morale; ergo &c. Confirmatur 2. Existere physicè unam partem aggregati successivi, non est existere physicè totum aggregatum successivum; atqui totum aggregatum successivum causat gratiam, cùm totum sit à Christo Domino institutum ad eam causandam; ergo non causat physicè, sed moraliter gratiam. Confirmatur 3. Eatenus causat ea ultima pars, quatenus causant partes præcedentes, cum quibus constituit adæquatam formam, & virtutem causandi, sed partes præcedentes non causant physicè, sed moraliter; ergo ea ultima pars non causat physicè, sed moraliter.

171. Respondent Adversarii, licèt non existant omnes Sacramenti partes, sed ultimum duntaxat indivisibile, istud physicè producere gratiam, & ratione istius denominari physicè producentes illas omnes Sacramenti partes, quæ jam præcesserunt, & modò non existant: sic totus globus denominatur tangens planum ratione unius indivisibilis tangentis, & totus exercitus denominatur devastans arcem, licèt paucæ cohortes illam devastent, ex eo, quod nisi alii milites existerent, ipsi arcem non devastâssent: cùm autem istud indivisibile Sacramenti existens non causaret gratiam, nisi aliæ partes extitissent, ex eo, quòd istud indivisibile causet physicè gratiam, omnes illæ partes, quæ exiterunt, denominantur physicè causantes gratiam. Hæc responsio nullam reddit solutionem nostris argumentis: supponit enim, illud ultimum indivisibile causare physicè gratiam; cùm autem eam physicè non causet, ut ex nostris argumentis constat, nulla redditur argumentis nostris solutio ex hac responsione, quin imò eadem responsio falsa est, & contra Adversarios pugnat. Exinde

172. Contrà 1. & exempla Adversariorum contra ipsos pugnare sic ostendo: si DEUS destrueret omnes partes poli propter indivisibile tangens planum, non denominarentur reliquæ partes tangentes ratione hujus indivisibilitatis: tum etiam, si una cohors devastaret arcem, quando periêrunt alii milites, qui nihil operati fuerant in arcis devastatione, neque devastatoribus physicè coëxtiterant, milites, qui periêrant, non denominarentur devastantes arcem ratione istius cohortis illam devastantis; atqui, quando istud ultimum indivisibile causaret physicè gratiam, jam periêrant reliquæ partes, quæ nihil operatæ fuerunt in productione physica gratiæ, neque quæ extiterunt physicè cum hoc ultimo indidisibili; ergo &c. Contrà 2. Reliquæ partes, quæ præcesserunt, neque existunt physicè, neque uniuntur physicè, sed solùm moraliter cum hoc indivisibili physicè existente, & causante; ergo ratione illius non possunt denominari physicè, sed solùm moraliter causantes. Contrà 3. Causare denominativè non est physicè, sed denominativè tantùm influere; ergo ex ipsa responsione Adversariorum Sacramentum adæquatè sumptum non influit physicè in gratiam; atqui Sacramentum adæquatè sumptum institutum, & elevatum fuit à Christo Domino ad gratiam causandam: ergo non fuit institutum, & elevatum ad causandam physicè gratiam.

Contrà 4. Quòd ultimum indivisibile causet gratiam per respectum ad partes præcedentes, provenit ab ordinatione divina nolente causare gratiam per ultimum indivisibile, nisi cæteræ partes præcesserint; sed hoc non sufficit, ut cæteræ partes Sacramenti, quæ jam physicè non existunt, dicantur physicè causare gratiam; ergo &c. Probatur min. Licèt ex ordinatione divina voluntas posterorum esset in voluntate Adami, tum quia, quando peccavit Adamus, posteri physicè non existebant, sed solùm moraliter; non peccaverunt physicè, sed solùm moraliter; similiter, licèt DEUS non contulerit gratiam antiquis Patribus, nisi ex prævisione meritorum Christi, tum quia merita Christi non existebant physicè, sed moraliter, non causârunt gratiam physicè, sed moraliter; ergo licèt ex ordinatione divina non causet gratiam ultimum indivsibile, nisi præcesserint aliæ partes; tum quia cæteræ partes non existunt physicè, sed moraliter, quando istud ultimum indivisibile causat, non est sufficiens, ut cæteræ partes dicantur causare physicè, sed solùm moraliter.

Respondet Gonnettus, Contenson, & alii Thomistæ, Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, quæ imprimunt Characterem, aut quando non existunt, posse physicè producere gratiam medio Charactere ab ipsis relicto, sicut mortuo generante producitur proles per virtutem à se relictam in semine. Contrà tamen 1. Gratia, utpote natura in ordine supremo, & primus omnium Sacramentorum effectus, ut constabit num. 201. nequit à Charactere naturaliter produci, sed ad summum posset produci à Charactere per elevationem instrumentaliter, ut etiam ipsi Adversarii fatentur; atqui, ut causa, quæ non existit, causet media virtute à se relicta, requiritur, quòd virtus relicta naturaliter causet effectum; ergo &c. Probatur min. evidenter, & interrogo Adversarios: vitis, quæ producit vinum, ejusque accidentia, quare non producit gratiam, quæ ab ipsis Adversariis producitur ab ipsis accidentibus? nulla sanè est alia ratio, nisi quia accidentia producta à vite, non producunt apud ipsos naturaliter gratiam, sed solùm instrumentaliter per elevationem; ergo ut causa, quæ non existit, causet media virtute à se relicta, requisi-

requiritur, quòd virtus relicta causet effectum naturaliter. Confirmatur. Causa, quæ non existit, eatenus causare dicitur per virtutem à se relictam, quatenus relinquit virtutē sui in ordine ad causandum effectum, cui virtuti, quatenus à se relictæ debetur effectus; atqui ea virtus talis non est, si non causet naturaliter effectum; ergo &c. Exinde explodituꝛ responsio Esparzæ dicentis, *Sacramenta*, quæ non existunt, causare mediis speciebus à se relictis, & infertur, gratiam non esse effectum Characteris, solúmque dici Characterem habere suum effectum, quando habet gratiam, quatenus habet effectum primarium suæ causæ. Vide numerum 202.

175. Contrà 2. *Sacramenta* non producunt physicè Characterem; ergo neque possunt producere physicè gratiam medio Charactere. Consequentia tenet, & antec. probatur eisdem rationibus, quibus probamus, Sacramenta non posse physicè causare gratiā, quæ sic instauro: Sacramenta solùm possunt causare aut gratiam, aut Characterem modo, quo sunt instituta à Christo in ratione Sacramenti; atqui ultimum solùm indivisibile formæ verbalis non est Sacramentum à Christo institutum, sed aggregatum ex illo, & reliquis jam transactis; ergo illud solùm ultimum indivisibile nequit causare aut gratiam, aut Characterem, nisi aggregatum ex illo, & reliquis rebus, & verbis jam transactis; atqui illud aggregatum non existit physicè, sed solùm moraliter: ergo nequit causare aut gratiam, aut Characterem physicè, sed solùm moraliter. Contrà 3. quia apud Adversarios plura Sacramenta, quæ Characterem non imprimunt, causant gratiam, dum non existunt; ergo nullus est recursus ad Characterem. Neque dicas cum Gonner, & Contenson, ea Sacramenta solùm causare moraliter gratiam: nam exinde corruit omnis influxus physicus ab ipsis excogitatus, ut constat à num. 167.

176. Probatur 4. nostra conclusio: Sacramenta solùm causant gratiam, movendo DEUM, ut eam Spiritus Sanctus ex motivo Sacramentorum producat; sed hoc non est causare physicè, nisi solùm moraliter gratiam; ergo &c. Probatur maj. ex Augustino Epist. 23. ad Bonifacium dicente: *aqua exhibens extrinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus S. operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem Christo*; & Hieronymo in cap. 4. Isaiæ dicente: *ex hoc discimus, quòd homo tantùm aquam tribuat: DEUS autem Spiritum Sanctum*; & Cypriano Serm. de Baptis. Christi dicente: *remissio peccatorum sive per Baptismum, sive per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti est, & ipsi soli; cujus efficientiæ privilegium manet: verborum solennitas, & Sacri invocatio Nominis, & signa institutionibus Apostolicis Sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum; rem verò Sacramenti Spiritus Sanctus format, & efficit*; ex Ambrosio lib. 1. de Sacrament. cap. 5. *aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio; aqua opus est, operatio Spiritûs Sancti est*; ergo &c. Ex dictis

177. Fit 1. ex testimoniis Sanctorum Patrum n. superiori adductis, non solùm negari Sacramentis influxum physicum principalem, verùm etiam instrumentalem in gratia; aliter non bene dicerent Sancti Patres, illam physicam efficientiam non esse à Sacramentis, sed á DEO: sic ex eo, quòd gratia producat actus supernos ut causa principalis, & voluntas ut causa elevata instrumentalis, hæc propositio: *voluntas nostra nihil agit, sed sola gratia DEI*, damnatur in Tridentino sess. 6. can. 4. Fit 2. argumenta nostra militare contra Adversarios, sive dicant, Sacramenta physicè producere gratiam per potentiam obedientialem sibi intrinsecam, sive per virtutem transeuntem sibi inhærentem, & à Deo impressam. Ratio est, quia quilibet ex his modis pugnat contra doctrinam Sanctorum Patrum à nobis traditam; tum quia nullo ex his modis possunt causare physicè Sacramenta, quæ causant, dum non existunt, neque Sacramenta, quæ causant, quando existit eorum ultimum indivisibile, sive ultima pars, ut constat ex dictis; ergo &c.

SECTIO II.

Solvuntur Oppositæ.

178. OBjicies 1. Scriptura, Concilia, & Patres passim docent Sacramenta conferre, causare, tribuere, & continere gratiam, nos lavare, mundare, & regenerare, & liberare à peccatis; sed hæc munera solùm possunt intelligi de influxu physico, & non de morali; ergo &c. Confirmatur 1. Verba Scripturæ intelligenda sunt, ut sonant; atqui ista munera ut sonant, significant causalitatem physicam, & non moralem; ergo &c. Confirmatur 2. Nomen analogum absolutè prolatum sumitur à Philosophis pro nobiliori significato; sed nobilius significatum causæ est influxus physicus, & non moralis; ergo &c. Tertiò Sacramenta dicuntur à Conciliis absolutè & sine addito limitante, causa gratiæ; sed sola causa physica, & non causa moralis, potest dici absolutè & sine addito limitante causa; ergo &c. Probatur min. generans producens in materia dispositiones ad animam rationalem, movet DEUM, ut animam rationalem producat, ac proinde est causa moralis productionis animæ; atqui nequit dici absolutè, & sine addito limitante hominem causare animam; ergo &c. Miror Adversarios ita fidenter arguere contra nos, quandoquidem argumentum ipsi contra ipsos solvunt, eosque in testes invoco, & quæro ab illis, an Sacramenta, quæ causant, dum non existunt, adimpleant ea munera, quæ ex Scriptura, Conciliis & Patribus in argumento afferuntur; Respondent Adversarii, ea adimplere, dum gratiam moraliter causant, per quam ea omnia munera adimplentur. Si ergo ea adim-

plentur per Sacramenta; quæ solùm causant moraliter; quis non mirabitur eos ipsos, qui fatentur ea munera adimpleri per solum influxum moralem, intendere simul, non adimpleri, nisi per influxum physicum? quidquid autem de hoc sit, ipse hucusque duo contradictoria vera non agnovit; quapropter in forma Resp. con. maj. & N. min. nam ea munera adimplentur per gratiam, quæ à peccatis mundat, hominemque reddit filium adoptivum DEI, sicque regenerat DEO: cùm autem eandem gratiam conferant Sacramenta, quæ causant moraliter, quam conferrent Sacramenta, quæ causarent physicè, non minùs adimplentur ea munera per Sacramenta causantia moraliter, quã adimplerentur per Sacramenta causantia physicè, sic eodem modo adimpleret munus sublevandi miseriam pauperis, si per se ipsum daret nummos pauperi, ac si Minister ejus daret ex Imperio Regis; imò ea verba, quæ alioquin duplicem possunt habere sensum, sive physicum, sive moralem, in nostro casu solùm intelligi possunt de influxu morali, ut constat ex tota sect. præcedenti.

179. Ratio ulterior est, quia quando verba duplicem possunt habere sensum, alterum Philosophicum, alterum juxta humanum modum loquendi, utroque modo sumi possunt verè, & propriè, si nullum sit periculum in ulla ex his acceptionibus, ex dictis num. 165. ad Theologum autem spectat inspicere circa subjectam materiam, quomodo sumi debeant in re dogmatica, & in eo sensu sunt accipienda; causa autem absque addito limitante & absolutè dicta in sensu Philosophico significat causam physicam; dicta verò absolutè juxta humanum modum loquendi significat causam moralem: sic David verè & proprie dicitur occidisse Uriam, ex eo quòd fuerit causa moralis istius occisionis, ut habetur 2. Regum 12. *Uriam percussisti gladio, & interfecisti eum gladio filiorum Amon.* Cùm autem Sacramenta omnia absque ullo inter hoc & illa discrimine dicantur à Scripturis, Conciliis, & Patribus causa gratiæ, & id nequeat intelligi de causa physica, intelligi debet verè propriè de causa morali, quandóque velint, nolint, fateri tenentur Adversarii ex n. superiori. Sic Scriptura, Concilia & PP. absolutè, & absque addito limitante docent, Christum per suum sanguinem, & passionem nos sanctificare & mundare à peccatis, eleemosynam extinguere peccata, hominem per fidem justificari, Sanctos operari miracula, & peccatores causare suam damnationem, & pœnam, quæ omnia etiam apud adversarios intelligentur de causa juxta humanum modum loquendi, ac proinde de causa morali, ob rationem à nobis assignatam.

180. Ad 1. Confirm. dist. min. ut sonant apud Philosophos solùm N. juxta humanum etiam modum loquendi Con. maj: & dist. min. N. consequentiam; Ad secundam Confirm. eodem modo dist. maj. Ad tertiam conc. maj. dist. min. & non causa moralis, quando adest periculum erroris in ea usurpatione, conã quando non adest N. min. & consequentiam. Ad probat. N. consequentiam, quia in ea locutione adesset periculum erroris; in materia verò Sacramentorum aliter res se habet, ut constat ex dictis. Addit Arriaga, virtutem à generante relictam non movere per modum Consilii, suasionis &c. Sed per modum dispositionis purè physicæ, unde illa motio in genere dispositivo pertinet ad genus physicum; cùm autem in genere physico homo non sit causa animæ, nequit exinde dici causa animæ, secus autem se habet motio causæ moralis, ut ex dictis constat. Addo ipse, quandóque negari etiam puræ causæ physicæ rationem causæ, si juxta contextum sumatur pro causa scientificè operante, & tali causæ non imputetur effectus, utpote elicitus absque ea scientia. Sic 2. Machab. cap. 7. *nescio, qualiter in utero meo apparuistis, neque enim ego Spiritum & animam donavi vobis, & vitam.* Cùm autem ibi Mater negetur causa unionis, ratione cujus datur vita, ut optimè notavit Card. de Lugo, solùm negatur causa physica scientifica; unde si causa absolutè dicta ex contextu sumatur cum alio addito, negabitur talis ratio causæ illi, quæ additum non participet; sic etiam si sumatur in sensu erroris periculum continente, negatur ille sensus absolutè dictus, & solùm sensus verus cum explicatione admittendus.

Objicies 2. Ex SS. P. P. Sanctus Leo Serm. 5. de Nativitate dicit: *virtutem Altissimi, qua fecit, ut Maria pareret Salvatorem, facit quoque ut aqua regenerat credentem.* D. Cyrillus lib. 2. in Joannem cap. 42. *Sicut aqua igne calefacta, postea efficit calorem, sic etiam aqua Spiritûs S. operatione elevata abluit Baptizatum;* Divus Augustinus Tractatu 80. in Joannem: *tanta est virtus aqua, ut corpus tangat, & cor abluat;* Sanctus Thomas 3. part. quæst. 62. art. 1. *effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectum non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis, & hoc modo Sacramenta novæ legis gratiam causant;* & in pluribus aliis locis vocat etiam Sacramenta causam instrumentalem gratiæ habentia majorem virtutem, quàm alias causæ, quæ solùm moraliter operantur; atqui ista testimonia non possunt intelligi absque physica causalitate Sacramentorum in gratia, cùm MARIA physicè concurrerit ad formandum Christum, aqua calefacta ad producendum calorem, securis ad faciendum lectum, & sic de reliquis ergo &c.

Respondeo nego min. hæc etenim omnia intelligi debent de causa morali, neque possunt intelligi de influxu physico ob rationes traditas tota sectione 1. quod velint, nolint, fateri tenentur Adversarii, cùm ea testimonia non solùm comprehendant Sacramenta causantia, dum existunt, sed etiam ea, quæ causant, dum non existunt, ac proinde, quæ solùm causant per influxum moralem; si enim illa Sacramenta participant totam eam similitudinem, & comparationem

gionem cum solo influxu morali, ut Adversarii fatentur, manifestum est, non majorem requiri influxum supra influxum moralem ad notam eam similitudinem, & comparationem participatam. Ratio autem à priori pro nobis, & pro Adversariis ea est, quam dedimus n. 178. tum etiam, quia similitudo, & comparatio differt ab identitate ex eo, quòd identitas sit in ordine ad omnia. Similitudo verò, & comparatio solùm sint in ordine ad aliqua; exinde prout ad Sacramentorum positionem requiritur, quòd ponantur entitates physicæ rerum, & verborũ, quæ sunt instrumenta gratiæ, qua regeneramur, abluitur cor per virtutẽ acceptam à principali agente, nempe Christo ut instituente, & DEO ut producente ex motivo Sacramentorum physicè gratiam, datur convenientia, quam intendunt Sancti Patres, cùm non haberent minorem connexionem cum suis effectibus istæ causæ morales, quàm illæ causæ physicæ; quod erat unicum Sanctorum Patrum intentum.

183. Exinde etiam disconveniunt, quia Deipara, aqua calefacta, & instrumenta artificis causant physicè suos effectus; Sacramenta verò non causant physicè, sed moraliter gratiam; imò distinguuntur ab aliis causis moralibus, quia illæ non causant tanta nobilitate, virtute, perfectione, & infallibili connexione cum effectu, ac Sacramenta; neque aliter explicari potest ea similitudo Scripturæ dicentis: *sicut aqua extinguit ignem, ita eleëmosyna extinguit peccatum*, cùm aqua extinguat physicè, & eleëmosyna moraliter: differunt autem, quia causa moralis perfectissima habet infallibilem cum effectu connexionem, quam non habent causæ purè physicæ, neque causæ morales minùs nobiles. Ex quo inferes, quàm debile sit fundamentum Gonneti ad probandum ex Divo Thoma, Sacramenta causare physicè gratiam; quia Divus Thomas in 4. dist. 10. dicit: quòd sermo Christi plus valet, quàm sermo Ecclesiæ, unde si sermo Ecclesiæ causabat moraliter, sermo Christi (inquit Gonnetus) causabit physicè: pessima quidem illatio; nam licèt sermo uterque causaret moraliter, sermo Christi erat perfectior ob majorem dignitatem in causando, & ob infallibilem ratione illius connexionem cum effectu.

184. Objicies 3. Scriptura Sacra non solùm dicit, DEUM conferre gratiam per Sacramenta: sic ad Titum 3. *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per JESUM Christum Salvatorem nostrum*: sed ad hoc requiritur causalitas physica Sacramentorum; ergo &c. Probatur min. neque gratia, neque alius effectus causæ moralis confertur à causa officiente per causam moralem, sed solùm dici potest causam moralem conferre per causam physicam: sic qui ex Consilio aut mandato alterius occidit hominem, non dicitur occidere per consulentem, aut præcipientem; imò causæ morales, nimirum consulens aut præcipiens dicuntur occidere per exequentem, qui est causa physicâ occisionis; ergo &c. Confirmatur 1. quando per instrumentum morale v. g. Scripturam astringitur aliquis ad solvendum debitum, non dicitur solvere per instrumentum, sed solus creditor dici potest astringere debitorem per instrumentum; ergo &c. Confirmatur 2. Licèt merita nostra sint causa moralis gloriæ, DEUS qui gloriam confert, non dicitur conferre per merita, sed propter merita; ergo &c. hoc argumentum tenentur etiam solvere adversarii in Sacramentis, quæ causant, dum non existunt.

Resp. conc. maj. & N. min. ad probat. dist. 185. antec. per causam moralem, quando hæc est instrumentum causæ efficientis, N. quando non est instrumentum, Con. antec. & N. conseq. enim particula *per* denotat rationem instrumenti, cùm autem Sacramenta sint instrumenta moralia Dei, optime dicitur, Deum conferre gratiã per Sacramenta: consulens autem & mandans econtra se habent, cùm ipsi sint causa principalis, & exequens sit causa instrumentalis; ac proinde bene dicuntur occidere per exequentem, & non econtra. Ad primam Confir. Can. antec. & N. conseq. quia Chyrographum seu Scriptura illa non est instrumentum, medio quo alter solvit, ideóque non dicitur solvere per Scripturam; dicitur autem per Scripturam obligari, eò quòd sit instrumentum, medio quo obligatur à creditore. Ad secundam Confirm. N. antec. DEUS enim dici potest conferre nobis gloriam, & per merita, & propter merita: sic passim dicimus, DEUM nobis conferre gratiam, & gloriam per merita Christi Domini, & rogamus ut per Christum, per ejusque mortem & passionem nobis conferat varia beneficia.

Objicitur 4. Si Sacramenta non causarent 186. physicè gratiam, non essent causa instrumentalis, sed principalis gratiæ; ergo &c. Probatur antec. causa instrumentalis moralis ab alia principali morali debet elevari; sed nulla apparet in Sacramentis; ergo &c. Confirmatur, DEUS est causa physica gratiæ; ergo ut Sacramenta sint instrumenta illius, debent esse instrumentum physicum, sin autem erunt causa moralis principalis. Retorqueo argumentum in *Sacramentis*, quæ causant, dum non existunt: Resp. deinde quoad Sacramenta instituta N. antec. ad probat. N. antec. sufficit enim, quòd causa instrumentalis moralis talis sit respectu DEI causantis physicè per illa, tanquam per instrumenta ipsum moventia, quibus DEUS eam ipsis dedit virtutem: sic DEUS facit miracula per *Sanctos*, eorúmque preces tanquam per instrumenta moralia, quin detur alia causa moralis principalis elevans. Imò si ad causam instrumentalem moralem liberè permitteremus necessariam esse causam moralem principalem, ne-

que hoc deficit *Sacramentis* institutis, quæ tanquam à causa morali principali accipiunt à voluntate Christi instituente, ejusque meritis, & passione, ut ipsius nomine fiant, & moveant DEUM ad gratiam conferendam, ut latè constabit sect. seq.

187. Objicies 5. Si Sacerdos dicens: ego te absolvo à peccatis, non causaret physicè gratiam remissivam peccatorum, non verificaretur, *Sacerdotem* absolvere, sed solum DEUM loquente Sacerdote; ergo admittenda est causalitas physica. Hoc argumentum eandem patitur retorsionem in sententia Adversariorum. Respondeo deinde nego antec. quia, ut Sacerdos absolvat, sufficit, quòd media absolutione causet moraliter gratiam remissivam peccati, sicut verè dicitur absolvere à vinculo excommunicationis, & interdicti, quamvis non producat aliquid physicum per absolutionem, neque censura sit quid physicum, sed morale: sic etiam dicitur absolvere à reatu pœnæ æternæ, & tamen id non operatur physicè, sed moraliter movendo DEUM ad condonationem pœnæ æternæ. Ex dictis

188. Fit 1. diversimodè operari nostra Sacramenta, quàm verba maleficorum, quia illa non sunt causa moralis, sed purus terminus, quo posito dæmon operatur; imò non habent ex se infallibilem connexionem cum effectu, sicut Sacramenta cum gratia. Idem esto de nummismate Regis, ratione cujus dantur & merces, & sæculares dignitates, cùm non contineat infallibilem connexionem cum effectu, & intercedat pene infinita distantia in ratione valoris. Fit 2. DEUM acceptando merita Christi, & Sacramenta ut instituta, & nomine Christi facta, quæ secundùm res, & verba instrumentum sunt, acceptare illa ut sui instrumenta moralia: ea de causa Div. Thomas 3. part. quæst. 62. artic. 5. dixit, causam principalem gratiæ nobis collatæ per Sacramenta esse DEUM, & ad ipsum comparari humanitatem Christi Domini tanquam instrumentum conjunctum, & *Sacramentum* tanquam instrumentum separatum, ut tamen humanitas Christi solùm sit causa moralis gratiæ nobis collatæ per merita suæ Passionis.

SECTIO III.

Quomodo Sacramenta sint causa moralis gratiæ?

189. FAtentur omnes, Sacramenta esse causam moralem gratiæ, & non purum terminum, aut puram conditionem, quâ positâ DEUS gratiam conferat; cæterum in probatione, & explicatione hujus veritatis ita obscurè procedunt plures auctores, ut vix eorum sensus aut mens percipi possit: nec diffiteor rem esse explicatu difficilem, nisi principia, in quibus intellectus quiescat, apponantur. Pro majori igitur claritate, & explicatione nostræ sententiæ suppono primò ex dictis à num. 20. causam moralem, prout à puro termino conditionatam, esse illam, quæ media sui cognitione concurrit, quatenus in se habet vim moventem, & allicientem ad productionē effectus, ita ut causa physica intuitu illius operetur: sic merita Christi sunt causa gratiæ, quam DEUS producit, & nobis confert. Suppono secundòex tractatu de merito, actionem externam formaliter determinari impetratoriā ab actu interno, quo procedit, sive à quo imperatur, cùm ex actu interno imperante, & re imperata constituatur unum totum morale impetratorium.

Suppono 3. Impetrationem, quæ in modo movendi æquivalet orationi seu intercessioni, distingi à merito, quatenus nemo actu meretur per actionem, quæ non procedat à voluntate constituta in statu merendi; potest autem actu impetrari per actum procedentem à voluntate, quæ constituta non est in statu capaci merendi; Sic orationes Sanctorum, & animarum purgatorii quotidie nobis impetrant varia beneficia, sicut & ipse Christus ad dexteram Patris sedens advocatus noster interpellat pro nobis, & impetrat beneficia, quin sit in statu merendi. Imò actio externa non auget meritum, benè verò impetrationem, eámque formaliter constituit, ut eleemosyna, jejunium, & cætera bona opera; neque unus actus meritorius, v. g. charitatis, quam nunc exerceo, significatur in ratione meriti ab aliis actibus meritoriis; quia ut DEUS proemier hunc actum de condigno, non inspicit bonitatem, aut dignitatem aliorum actuum, sed hujus solius: est enim meritum quasi emptio præmii, pro qua non considerantur aliæ priores emptiones. Cæterum in ratione impetrationis aliter res se habet: impetratio enim accipit valorem non à sola voluntate orandi, sed etiam ab omnibus aliis servitiis, obsequiis, & meritis precedentibus. Ratio est, quia facilius exauditur, qui est gratior personæ, quam orat, & quo majora ei exhibuit obsequia, ut ex ipsis terminis notum est.

Quapropter licèt actus imperatus non constituat meritum cum imperante, nisi in linea actus imperantis, & licèt actus, quo Christus Dominus voluit instituere Sacramenta, esset post resurrectionem suam, vel post actus, quibus in primo suæ conceptionis instanti acceptavit Patris mandatum, passionem & mortem, & consequenter nostra Sacramenta, quæ ut videbimus, sunt actiones ab illo actu instituente imperatæ, non haberent ullum valorem à voluntate moriendi in ratione meriti, haberent quidem & maximum in ratione impetrationis, ratione illius voluntatis moriendi, passionis, & mortis, & constituerent cum illa voluntate Christi totum morale impetratorium Summi valoris, & in se concinerent valorem impetratorium Sanguinis Christi: cum autem hujusmodi imperium tendat, ut actus ordinentur ad constituendum Sacramentum, & non solùm possint constituere Sacramentum actus,

actus, qui à Christo physicè procedunt; sed etiam, qui ab ipso procedunt moraliter ex vi suæ ordinationis, institutionis, & Imperii; ea de causa, qui personam Christi gerentes apponunt hujusmodi actus, sive Sacramentum in prima sui compositione, ordinant nomine Christi illud totum, ut cum institutione Christi faciat opus morale impetratorium. Vide num. 211. & D. Thom. num. 199.

Suppono 4. Actiones substituti operantis nomine principalis esse moraliter actiones prin- 192.
cipalis, ideóque substitutus est instrumentum, ejúsque operatio fit instrumentaliter: constituit autem cum Imperio sui principalis totum morale impetratorium in ordine solùm ad eos fines à principali intentos, & ad quos fuit delegatus: hic enim, ut constat ex jure, & illustrat Thomas Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 21. num. 9. non habet facultatem ultra sibi commissam ex vi suæ delegationis, ac proinde actiones illius in ordine ad illos fines moraliter erunt actiones principalis, & ab istius voluntate bona vel mala, actus delegati ut delegati erunt boni vel mali, & æqualis æstimationis moralis Geometricè ac actus principalis: sic matrimonium per procuratorem contractum tam validum est, ac si immediate ab ipsis Sponsis contraheretur, & Suffragia in electionibus per procuratores data tanti valent, ac si à principalibus darentur, licèt quo ad alios respectus detur inæqualitas: sic plutis æstimatur, quod Rex per se ipsum obsequia, & submissionem præstet Pontifici, quàm per procuratorem, eaque de causa sunt moraliter idem geometricè actiones substituti cum actionibus principalis, non Arithmeticè. His positis,

193. Assero cum de Lugo, Ariaga, & pluribus Recentioribus, nostra Sacramenta sunt causa moralis gratiæ, quatenus actiones Sacramentales Ministri moraliter sunt actiones Christi, cum voluntate Christi Sacramentorum institutrice constituentes totum morale impetratorium, continens valorem Sanguinis, Passionis, mortis, operum & meritorum Christi Domini: Probatur 1. Minister eliciens actiones Sacramentales est substitutus Christi, ac proinde elicit illas, ut Christi delegatus, & ex Imperio voluntatis institutricis Sacramentorum, cum qua constituunt totum morale impetratorium, atqui actiones substituti & delegati Christi Domini sunt actiones morales ipsius Christi, & concretum ex illis & voluntate Christi constitutum continet valorem Sanguinis, Passionis, mortis, operum & meritorum Christi Domini; ergo &c. conseq. tenet, & min. patet ex dictis à num. 190. maj. verò probatur ex D. Paulo 1. Corinth. 4. dicente: *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum DEI*, quæ Verba de Substituto in confectione Sacramentorum operante nomine Christi intelligenda sunt, ut explicat Augustinus Tract. 5. & 6. in Joannem, lib. 3. contra Cresconium cap. 8. lib. 1. contra literas Pertiliani cap. 7. & lib. 3. ca. 8. 49. & 55. & lib. 5. de Bapt. ca. 14. cui subscribunt omnes Theologi; ergo &c.

Confirmatur ex Catechismo Tridentini tit. 194.
de Sacramentis dicente: *Hi quidem Ministri, quoniam in sacra illa functione non suam, sed Christi personam gerunt, ea re fit, ut sive boni, sive mali sint, modo ea forma & materia utantur, quam ex Christi instituto semper Ecclesia Catholica servavit, idque facere proponant, quod Ecclesia in ea administratione facit, verè Sacramenta conficiant, & conferant: ita ut gratiæ fructum nulla res impedire possit, nisi qui ea suscipiunt se ipsos tanto bono fraudare, & Spiritui S. velint obsistere.* Ex quo Ministri Sacramentorum, non sui, sed Christi personam gerunt; atqui non gerere personam sui, sed Christi in confectione Sacramentorum, est operari ut substituti Christi, cum iste sit peculiaris modus operandi delegati, qui non sui, sed principalis personam gerit, ut ex ipsis terminis patet; ergo &c.

Probatur 2. Non possunt confici Sacramenta, 195.
nisi ut à Christo Domino instituta, sed ita instituta sunt à Christo Domino, ut Minister conficiens Sacramenta non ferat personam sui, sed Christi modo à nobis in assertione explicata; ergo &c. min. in quo est difficultas, probatur Testimoniis Script. Concil. & Patrum: etenim de Sacramento Baptismi Joannis 1. dicitur de Christo: *Hic est, qui Baptizat in Spiritu S.* quod non solùm intelligitur de Baptismo immediatè collato à Christo, sed etiam à Ministris, eò quòd Christus instituerit Sacramenta, quorum ipse est principalis, & Minister delegatus: sic Augustinus Tract. 5. in Joannem prope finem: *quos enim Baptizavit Joannes, Joannes Baptizavit, quos autem Baptizavit Judas, Christus Baptizavit. Sic ergo quos Baptizavit ebriosus, quos Baptizavit homicida, quos Baptizavit adulter, si Baptisma Christi erat, Christus Baptizavit*; ergo &c. Ratio autem est, quia Sacramentum à Christo institutum confert ex opere operato gratiam, sed concretum ex rebus, & verbis factum nomine Ministri saltem apponente formam ad constituendum cum materia illud totum, non posset conferre gratiam ex opere operato, nisi factum nomine Christi; ergo &c.

Confirmatur. Dum Florentinum citatum 196.
num. 4. loquitur de Ministro Sacramenti Eucharistiæ, ita habet: *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*, & Trid. sess. 27. can. 2. *una enim, eadémque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio.* Quæ de causa dicit: *hoc est Corpus meum*; ob eandem rationem, quando conficit Sacramentum Pœnitentiæ, dicit: *ego te absolvo*, non gerit personam sui, sed Christi: sic Tridentinum sess. 14. can. 5. *Dominus noster JESUS Christus è terris ascensurus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tanquam præsides, & Judices.* Pariter in Confirmatione dicit Episcopus: *signo te*

signò Crucis, & confirmo tè Chrismate salutis; quo satis ostenditur loqui non quidem suo, sed Christi nomine: sic etiam, quando conferens Sacramentum Ordinis dicit: *accipe potestatem offerendi sacrificium, accipe Spiritum Sanctum*, gerit etiam personam Christi.

197. Tum etiam, quando Sacerdos conficiens Sacramentum extremæ Unctionis confert per Unctionem, & verba ex opere operato gratiam, non ita eveniret in hac providentia, si nomine suo ea faceret; neque Sacerdos eliciens formam verbalem ad constituendum totum cum actibus pœnitentis, neque qui contrahunt matrimonium, possent in hac providentia ordinare illos actus ad constituendum Sacramentum causativum gratiæ ex opere operato, si ea ordinatio ab ipsis fieret nomine suo, & non quatenus operantur nomine Christi, qui, licèt non sit causa physica, est tamen causa moralis illorum actuum, ac proinde, si ea ordinatio à contrahentibus fiat nomine Christi, quàm optimè erit causativa gratiæ. Sic etiam Sacerdos in Sacramento Pœnitentiæ solam formam eliciens nomine Christi constituit totum illud, ut Christi delegatus, prout constabit num. 211. atqui omnia Sacramenta causant ex opere operato gratiam, ex Tridentino citato num. 16. ergo non fiunt à Ministro operante nomine suo, sed nomine Christi.

198. Probatur 3. conclusio ratione in Theologia gravissima: juxta nostra principia non solùm intelligi quàm optimè possunt locutiones Scripturæ, Conciliorum, Patrum, & Theologorum, non ita præstari potest juxta alia principia, verùm etiam ex iis possunt desumi argumenta ad nostram sententiam roborandam, & ad alias impugnandas; ergo &c. Probatur antec. In nostris principiis, cùm ex actionibus Sacramentalibus, quæ moraliter sunt actiones Christi Domini, & ex institutione Christi constituatur totum morale impetratorium, quòd in ratione valoris impetratorii continet valorem meritorum, operum, Sanguinis, & Passionis Christi, facilè intelligitur, quod dicitur in Scriptura Rom. 6. *quicunque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus*: item quod dicunt Patres, & Theologi, nimirum Sacramenta esse quasi bursas plenas meritorum, scilicet Christi, seu vasa gratiæ, vel ut loquitur Florentinum, continentia, & conferentia gratiam, quæ quidem testimonia absque causalitate morali, & absque constitutivo concreti moralis impetratorii à nobis explicati ægrè intelligi possent, ut patet; ergo &c.

199. Confirmatur, ut constabit expendenti, solùm juxta nostra principia potest intelligi celeberrimum illud testimonium Augustini Tract. 120. in Joannem de Christo dicentis: *Unus militum lancea latus ejus aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Ecclesiæ Sacramenta manaverunt.* Etenim cum totus valor Sanguinis Christi pro nobis effusi Sacramenta constituat in esse impetratorio, optimè dici potest prodiisse Sacramenta ex latere, ex quo prodiit ille Sanguis, qui fuit totius effusionis complementum: sic Catechismus Tridentini titulo de Sacramentis: *Sacramenta novæ legis ex Christi latere manantia, gratiam, quam significant, Christi Sanguinis virtute operantur.* Imò in D. Thoma de Verbis consecrationis loquente 3. part. quæst. 78. art. 4. per opportunam invenies totius doctrinæ naturæ confirmationem, dum ait: *cùm enim hæc Verba ex persona Christi proferantur, ex ejus mandato consequuntur virtutem instrumentalem à Christo*, & quæst. 62. art. 4. ad 1. *sicut in ipsa voce sensibili est quædam vis Spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit à conceptione mentis, & hoc modo vis Spiritualis est in Sacramentis, in quantum ordinantur à DEO ad effectum Spiritualem*; ergo &c. Ex dictis

Fit 1. Sacramenta causare gratiam in eodem instanti; in quo adest ultimum, & essentiale eorum constitutivum, si non sit obex in recipiente, Ratio est quia operantur ad modum causæ necessariæ, quæ ubi datur completa virtus absque impedimento suum effectum operatur; atqui in instanti à nobis assignato ita se habent Sacramenta; ergo &c. Unde si quando datur validum Sacramentum, detur obex, Sacramentum operabitur suum effectum in eodem instanti, in quo obex aufferatur. Quanta autem gratiæ magnitudo aut intensio conferatur, nobis non constat, cùm hoc neque à Scriptura, neque à Conciliis definitum sit, & à voluntate Christi instituentis, & Spiritûs S. gratiam conferentis dependeat; congruum autem videtur, Sacramenta perfectiora, ac proinde Eucharistiam præ omnibus perfectissimum, utpote Christum ipsum continens, majorem gratiam conferre cæteris paribus; æqualia verò æqualem, nisi in uno subjecto majorem, quàm in alio dispositionem inveniant: etenim in subjecto magis disposito majorem conferunt ex opere operato, ex dictis num. 163.

Hæc illatio insinuata videtur à Tridentino sess. 6. can. 7. ubi, postquam dixit, *Baptismum esse causam instrumentalem justificationis*, addit: *justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem, & cooperationem*: etenim, si Sacramentum non causaret majorem gratiam ex opere operato in subjecto magis disposito, eam non conferret Spiritus Sanctus ex vi Sacramenti, sed ex vi dispositionis, quod cum citatis Tridentini verbis, ejúsque contextu non bene consonat. Imò Cardinalis de Lugo, Platelius, & alii cum Sancto Thoma 3. part. quæst. 79. artic. 7. ad 2. Idem dicunt de Sacrificio Missæ; etsi, ut bene notat Arriaga cum Eximio Doctore in his, quæ à sola voluntate Christi dependent, non teneat paritas ex unis ad alia; preces autem, quæ interveniunt in administratione, & ritu Missæ, docet Divus

Divus

Divus Thomas 3. part. quæſt. 64. artic. 1. ad 2. Miſſam melioris Sacerdotis magis fructuoſam eſſe: non ita evenit in ſatisfactione, quam unus pro alio offert, quæ cùm ex opere operantis ſit determinati valoris, non confert majorem magis diſpoſito.

202. Fit 2. Ex primario, & metaphyſico Sacramenti conceptu, ſcilicet collativo gratiæ ſanctificantis, ſive juſtificantis, rectè inferri primarium Sacramenti effectum eſſe gratiam juſtificantem, ut habet Catechiſmus Tridentini Tit. de Sacramentis; ac proinde, ut ibi habetur, character, qui in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine confertur, eſt effectus ſecundarius, ſicut virtutes ſupernaturales gratiam comitantes ipſiq; debitæ, quæ ipſius gratiæ ſanctificantis proprietates dicuntur; imò & plures gratiæ actuales, quæ ad finem Sacramentorum ſuo tempore conceduntur, juxta communem Theologorum, v. g. per Baptiſmum ad dignè ſuſcipienda reliqua Sacramenta; per Confirmationem ad fidem internè retinendam, eandémque exteriùs conſtanter profitendam coram tyranno; per Euchariſtiam ad fovendum devotionis, & charitatis fervorem, quo nutritur vita ſpiritualis, & ad fœnandos concupiſcentiæ, iræ, luxuriæ, & invidiæ motus; per pœnitentiam ad plenius deteſtanda, cavenda peccata, & ſatisfaciendum pro jam commiſſis, & ad pacem, & ſerenitatem conſequendam, juxta doctrinam Tridentini ſeſs. 14. can. 3. per extremam Unctionem ad ſuperandas tentationes in articulo mortis occurrentes, ad firmiùs, & faciliùs ſpem in DEO collocandam, mortis incommoda, & moleſtias ſuſtinendas, & ad ſalutem corporis, ſi expediat, recuperandam; per Ordinem ad ritè Sacramenta miniſtranda, & alia ſuſcepti Ordinis munia obeunda; per matrimonium ad ſervandam fidem conjungalem, fovendam charitatem inter conjugatos, & ad Sanctam liberorum educationem.

203. Ratio eſt, quia ad iſtos fines rite obtinendos neceſſaria eſt gratia actualis, & etiam habitus virtutum cum illa concurrentes, cùm autem gratia habitualis, ſive ſanctificans, quæ per Sacramenta confertur, ſit natura in ordine ſuperno, ut in Tract. de Juſtificatione docent Theologi, fundat jus ad comprincipia neceſſaria ad finem Sacramenti, in quo confertur; ſic noſtri, & Thomiſtæ, uno, vel altero dempto, cum D. Thoma 3. part. quæſt. 62. artic. 2. in Corpore dicente: *ſicut igitur virtutes, & dona addunt ſuper gratiam communiter dictam quandam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia Sacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam, & ſuper virtutes, & dona quoddam divinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem*: licèt enim gratia ſanctificans extra Sacramentum habeat etiam jus ad gratias actuales, intra Sacramentum autem habet ad interiores, cùm id congruentiſſimum ſit nobiliſſimis illis Sacramentorum finibus; aliqui judicant, gratiam ex natura ſua in Sacramento fundare illud jus, & extra Sacramentum fundare ad auxilia minùs intenſa, quia cùm ſit natura, fundat jus ad comprincipia ſecundùm ſtatum ſuum; ſic gratia in via fundat jus ad habitum Fidei, qui eſt proprius viæ, & in patria fundat jus ad habitus luminis gloriæ, qui eſt proprius patriæ.

Communior autem ſententia cum Eximio Doctore diſput. 7. ſect. 2. Vaſquez diſput. 13. ſect. 3. Lugo diſput 4. ſect. 3. pluribúsque aliis tum modernis, tum antiquis, docet, eſſe jus morale ex promiſſione divina conferendi ex vi Sacramentorum, & gratiæ ſanctificantis ſuo tempore ea auxilia ſpecialia, ac proinde deficiente gratia ſanctificante, non conferri ea auxilia ex hoc titulo, licèt aliunde conferri poſſint ex divina voluntate; ſicut gratia Sacramentalis quæ confertur in Sacramento, poſſet etiam conferri à Deo extra Sacramentum. Quapropter gratia Sacramentalis ſolùm diſtinguitur à gratia extra Sacramentali, quia illa confertur ex vi Sacramenti cum Jure morali ad talia auxilia ex vi promiſſionis factæ à DEO; ſecus iſta. Jus autem illud non eſt, ut auxilia conferantur infallibiliter, ſed ſub conditione, quod non amittatur gratia continens jus ad illa, & ſe ſe offerat occaſio, pro qua talia auxilia ſunt neceſſaria. Verùm neque hoc poſſumus certò decidere, cùm ſit res de facto, & nulla exſtet Conciliorum definitio; quamobrem non ultra in his immoramur. 204.

SECTIO IV.

Solvuntur Oppoſita.

OBjicies 1. in lege veteri etiam operabantur nomine DEI aut Chriſti venturi, qui conficiebant Sacramenta, ſed illorum actiones Sacramentales neque erant cauſa moralis gratiæ, neque conſtituebant totum morale impetratorium cum actionibus DEI, aut Chriſti, neque conſtituebant vera Sacramenta; ergo quòd Miniſtri eliciant actiones Sacramentales in lege gratiæ gerentes perſonam Chriſti ſufficiens non eſt, ut noſtra Sacramenta ſint cauſa moralis gratiæ, ut conſtituant totum morale impetratorium cum inſtitutione Chriſti, neque ut conficiant vera Sacramenta. Reſp. N. antec. eſt enim & contra rationem naturalem, & contra Scripturam aſſerere, Sacerdotes legis veteris geſſiſſe perſonam DEI aut Chriſti in confectione ſuorum Sacramentorum. Ratio eſt, quia neque in Script. Conc. aut Patribus eſt ullum fundamentum ad id aſſerendum, ſed ad oppoſitum, cum ea Sacramenta dicantur fuiſſe vacua infirma, & egena elementa, ut conſtat ex num. 5. Imò cum illa Sacramenta tenderent ad cultum Dei, & Deus non poſſit, ut ex ratione naturali conſtat, ſe ipſum colere, & adorare, cùm ſibi ſubjectionem habere non poſſit, nequit inſtituere Miniſtros, qui ipſum nomine ipſius colant, & adorent, 205.

ac

ac proinde ad hoc munus non potuit constituere Ministros legis antiquæ ut DEI personam gerentes in confectione illorum Sacramentorum; sic Rex non potest constituere delegatos, qui sibi nomine ipsius promittant obedientiam.

206. Neque constituit illos delegatos nomine Christi, propter eandem Scripturæ rationem adductam num. superiori, tum quia ut benè expendit Ariaga, ita infertur ex Paulo ad Hebr. 7. de lege antiqua dicente: *Alij quidem plures facti sunt Sacerdotes idcircò, quòd morte prohiberentur permanere.* De Christo autem ait: *hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium*: Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, qui non habet necessitatem quotidie prius pro suis delictis hostias offerre: si enim Sacerdotes antiqui gererent personam Christi, nulla esset differentia, quam Paulus assignat inter utramque legem; nam in utraque lege Sacerdos principalis esset idem Christus, delegati verò in utraque lege essent plures, & haberent necessitatem orandi pro suis delictis, & morte prohiberenter permanere. Unde ut differentia à Paulo assignata vera sit, dicendum est, Sacerdotem principalem in nostra lege offerentem esse Christum, qui non habet necessitatem orandi pro suis delictis, & sic manere eundem Sacerdotem, licèt successivè moriantur substituti; secus autem in lege veteri; imò licèt illi antiqui Sacerdotes operarentur nomine suæ Ecclesiæ, non inde conficerent vera Sacramenta, cùm Ecclesia non habet potestatē ad conferendam illis signis virtutem, & connexionem cum gratia.

207. Objicies 2. Si actio Sacramentalis Ministri procederet ex malo fine, aut omitteret debitas circumstantias contra præceptum Ecclesiæ, esset mala; ergo actio Sacramentalis non fit à Ministro gerente personam Christi. Resp. dist. antec. esset mala respectu Ministri, & ut procedit à Ministro, C. respectu Christi, & ut procedit à Christo, N. antec. & conseq. Ratio est quia cùm actio externa imperata sumat bonitatem aut malitiam extrinsecè ab actu interno imperante, potest esse respectu diversarum personarum bona, & mala, si ab una procedat per actum bonum, & ab alia per actum malum; quod in omni actione excercita per Ministrum contingere potest: Sic quando Dominus ex recta intentione præcipit famulo, ut det eleemosynam, & famulus dat illam ex fine alliciendi pauperem ad peccatum, eleemosyna pro ut procedit à famulo, est mala, pro ut verò, procedit à Domino, est bona, & meritoria; pariter ergo in nostro casu, sic etiam passio ipsa externa Christi Christo Domino erat bona, Judæis verò infligentibus erat mala.

208. Objicies 3. Ex Conc. PP. & Theologis: Sacramenta habent valorem, & dignitatem ad gratiam ex passione & Christi morte; atqui talem valorem non habent ex eo, quòd illæ actiones fiant à Ministro nomine Christi, & constituant cum voluntate Christi concretum morale impetratorium; ergo &c. Probatur min. volitio, qua Christus instituit Sacramenta, non erat volitio acceptandi passionem, & mortem: plura enim Sacramenta post resurrectionem suam instituit, mortem autem acceperat in primo suæ conceptionis instanti; sed ex eo, quòd non esset volitio acceptandi passionē, & mortem, concretum morale constitutum ex actione illa Ministri, & volitione Christi non contineret valorem passionis, & mortis; ergo &c. Probatur min. concretum constitutum ex actione externa & volitione solùm continet valorem juxta motivum, & tendentiam volitionis; ergo si illa volitio non tendebat in Passionē, & mortem, concretum illud non continebit valorem Passionis, & mortis. Hoc argumentum multùm premit eos, qui in Tractatu de Incarnatione ita separant motiva actuum Christi Domini, & in præsenti per valorem duntaxat actus meritorii quæstionem decidunt; juxta nostra verò principia nullius est roboris. Quapropter

Respondeo conc. maj. & nego min. ad probationem permitto maj. & dist. min. non contineret valorem Passionis, & mortis in genere meritorio actūs, permitto; in genere impetratorio, nego min. & consequentiam. Ad probationem dist. eodem modo antec. & nego consequentiam. Ratio est, quia, ut constat ex num. 191. concretum morale ea actione impetratoria, & volitione imperante non solùm accipit valorem in ratione impetrationis à tendentia intrinseca, & meritoria actus imperantis, sed etiam ab omnibus meritis prævis, & operibus obsequiosis. Unde ex eo, quòd Christus Dominus in primo suæ conceptionis instanti elicuerit actum adeò obsequiosum DEO, acceptando Passionem, & mortem, quod via concretum morale meritorium postmodum ab ipso elicitum, accipit valorem in esse impetratorio ab illo actu, & merito prævio, ac proinde à merito Passionis, & mortis. Quapropter licèt Christus applicuerit nobis merita suæ Passionis, & mortis ad merendum nobis omnes gratias, & singula beneficia, opus non est, quòd actus, per quem ea merita à Christo postea applicantur, sit in eo genere meritorius, ut constituat veram causam moralem, & valorem impetratorium ab ipso desumat. Quin imò & ex alio capite habet illum valorem in genere meritorio, ut constabit in Tractatu de Incarnatione eapropter permisi modò maj.

Objicies 4. si corpora contrahentium sint materia Sacramenti matrimonii, ut plures defendunt, Ministri illius Sacramenti, nimirum contrahentes non apponent materiam, sed solam formam; tum etiam in Sacramento Pœnitentiæ Minister, qui est Sacerdos, non apponit materiam, sed formam; ergo sola forma erit in illis Sacramentis actio Sacramentalis facta nomine Christi, ac proinde illa sola, & non materia erit causa moralis gratiæ. Respondeo dist. antec.

antec. sed solam formam nomine suo, & absque ordinatione ad materiam, nego; nomine Christi, & cum ordinatione ad materiam, ex Christi institutione, conc. antec. & nego consequentiam. Ratio est, quia Christus Dominus noluit dare soli formæ connexionem cum gratia, sed aggregato ex forma, & materia, ac proinde Minister nomine Christi apponit formam ad constituendum illud aggregatum cum materia. Quapropter aggregatum ex forma, & materia constituitur à Ministro nomine Christi ex vi institutionis Christi Domini; quod satis est, ut totum illud dicatur actio Sacramentalis facta nomine Christi.

211. Solutio doctrinæ nostræ adeò certa est, ut non solùm juxta principia Theologica suprà posita, verùm etiam juxta principia Philosophica ab omnibus debeat admitti. Ratio est, quia unio illius aggregati, utpote extrinseca consistit in forma ex dictis num. 104. & 114. Unde sicut ille, qui nomine suo apponit unionem constitutivam totius, apponit totum, ut patet in generante hominem, qui non generat materiam primam, neque animam rationalem, sed solam unionem, ex hac ratione dicitur generare hominem. Pariter, qui nomine Christi apponit unionem, qua constituitur aggregatum ex rebus, & verbis, apponit nomine Christi totum aggregatum, ideóque totum aggregatum dicitur actio Sacramentalis facta nomine Christi, & constituit cum Christi institutione concretum morale impetratorium causativum gratiæ: sic licèt aqua naturalis abluens non fiat à Ministro, causat moraliter gratiam in Sacramento Baptismi, ut constat ex num. 169. non ex alio titulo, nisi ob rationem à nobis assignatam; idémque suo modo in materia reliquorum Sacramentorum perspicuum apparet.

212. Objicies 5. instando simul ex parte solutionem: forma Sacramenti matrimonii, sive contractus utriusque contrahentis non potest fieri à Ministro nomine Christi: ergo assertio nostra est nulla. Probatur antec. Solùm possunt fieri à Ministro nomine Christi illæ actiones, quas per se ipsum posset facere ipse Christus; atqui ipse Christus non potest facere per se ipsum contractum utriusque contrahentis matrimonium; ergo &c. Respondeo, nego antec. ad probationem dist. maj. quas per se ipsum potest facere ut causa physica, vel ut causa moralis condignificativa, conc. ut causa purè physica, nego maj. & dist. min. nego conseq.

213. Ratio est, quia, ut Petrus operetur nomine alterius tanquam sui principalis, sufficit, quòd actio, quæ physicè procedit à Petro, procedat moraliter à principali, eam ad suum finem ordinante, & condignificante: sic actio, quæ procedit à Legato nomine Regis, non habet suũ valorem ex eo, quòd posset physicè à Rege procedere, sed ex eo, quòd hìc, & nunc procedat moraliter à Rege eam imperante, & condignificante in ordine ad finem suum: licèt enim Rex omnino impotens esset se physicè movere, adhuc poterat constituere Petrum, qui nomine suo interviret Pontifici in deambulatione. actus autem contrahentium matrimonium nullam ex se habent connexionem cum gratia, neque ordinationem ad Sacramentum; bene verò prout moraliter procedunt á Christo Domino instituente eos actus in Sacramentum, sicque contrahentes sunt causa instrumentalis Christi, operantes nomine Christi, & Christus est causa moralis principalis illorum actuum; quin imó & Christus Dominus, si vellet, posset etiam physicè concurrere ad eos actus physicè producendos, quod non ita potest Rex in ordine ad actus sui delegati: verùm hæc potentia neque ad rationem principalis, neque ad rationem substituti requiritur.

214. Objicies 6. Si Sacramenta essent causa moralis gratiæ, prout à nobis explicatur, essent impetrationes, & quotiescunque darentur Sacramenta, Christus impetraret pro nobis; sed hoc est falsum; ergo &c.. Probatur min. In morte Christi perfectissimè consummatum est Christi meritum, ejusque satisfactio, & Redemptionis opus; ergo nunc nulla jam exstat Sacramentorum, & Christi impetratio. Confirmatur. Qui habet omnem potestatem, non interpellat, ut impetret; sed Christo ascendenti in Cœlum data est omnis potestas, ut constat ex Matthæi 28. *data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra*; ergo &c. Non possum non mirari, quando video ista à quodam doctissimo Recentiore deduci non modò tanquam illationem, seu tanquam fructum suæ conclusionis, ex qua radice oriatur hic fructus, tu cogita ex responsione. Resp. conc. maj. & nego min. Ad probationem conc. antec. & nego conseq. quia, licèt consummatum fuerit meritum, & satisfactio, atque inde Christus jam non mereatur, neque satisfaciat; fuit liberum Christo Domino sua merita, & satisfactionem applicare impetrando, cui voluit, & modo quo voluit, sicque applicuit per Sacramenta. Ad confirmationem dist. maj. si habet talem potestatem sine facultate ad impetrandum, conc. si habet illam cum facultate ad impetrandum, nego maj. & dist. min. nego conseq. quia Christus Dominus habuit eam potestatem communicatam à Patre, ut posset applicare sua merita, & satisfactionem ad impetrandum, quod voluerit, cui voluerit & modo, quo voluerit, eámque applicuit in Sacramentorum institutione ad impetrandum per Sacramenta.

215. Doctrina solutionis nostræ adeò certa est, ait P. Surez disp. 45. de Incarnatione sect. 2. ut indubitata sit apud Catholicos, tum ex Scriptura, Conciliis, & Patribus clarè constat: licèt enim dubium sit apud Theologos, an Christus Dominus nunc impetret in Cœlo per orationem formalem; dubium non est, impetrare saltem æquivalenter, nimirum per sua merita, & satisfactionem, sive orationem æquivalentem; sic Paulus ad Hebr. 7. de Christo ait: *sempiternum habet Sacerdotium, ut & salvare in perpetuum*

petuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis; & cap. 9. *JESUS introibit in ipsum Cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*; cap. 12. *accessistis ad novi Testamenti mediatorem JESUM & Sanguinis aspersionem melius loquente, quam Abel*; & cap. 8. ad Rom. *Deus, qui justificat, quis est, qui contemnet? Christus JESUS, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*; tum etiam 1. Joannis 2. *filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed etsi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Vide alia plura Concilii Francofordiensis, & Sanctorum Patrum testimonia apud Eximium Doctorem loco suprà citato.

216. Objicies 7. Juxta nostram doctrinam Christus Dominus instituens Sacramenta fecit pactum cum Patre suo, ut posito Sacramento daret gratiam: atqui Pater æternus pacto sive petitioni Christi statim annuit; ergo licèt pactum illud fuerit per modum impetrationis, petitio externa, quæ fit per Sacramenta, non est causa gratiæ, sed tantum purus terminus aut conditio. Min. est certa. Maj. constat ex nostris principiis; conseq. probatur: si Petrus amicum suum ita rogaret: quæso, ut quandocunque misero famulum, des illi pro me mille aureos; & amicus statim annueret, sanè Adventus, & petitio famuli non posset dici causa moralis illorum mille aureorum, sed purus terminus aut conditio; atqui idipsum evenit in nostro casu; ergo &c. Resp. 1. N. maj. plures Doctores quos citat, & sequitur Esparsa quæst. 43. de Incarn. & aliquos citat, & sequitur Godoi disp. 36. qui judicant merita Christi non potuisse à DEO non acceptari independenter à pacto; neque responsionem tanquam inauditam damnavit, nili qui auctores istos non legit; eos autem ipse in tract. de Incarn. variis rationibus impugno, quapropter modò, Resp. secundò dist. maj. ut daret gratiam ex vi illius petitionis nudè sumptæ N. ex vi illius actionis Sacramentalis, quæ fieret à Ministro gerente personam Christi, & cum illa petitione seu institutione constituente concretum morale impetratorium, con. maj. & dist. min. N. conseq. ad probat. dist. eodem modo præmissas, & N. conseq.

217. Ratio est quia dupliciter considerari potest illud pactū: sic Petrus poterat rogare amicum, cui plura obsequia præstiterat, ut absque attentione ulla ad meritum peritionis servi ratione præcisè suæ amicitiæ, & præstitorum erga amicum obsequiorum conferret servo, quando peteret, mille aureos, & in eo eventu petitio servi non esset causa moralis illorum mille aureorum, sed tantum purus terminus aut conditio. Aliter poterat Petrus amico dicere: constituo servum nomine meo, ut sibi petat mille aureos, ita ut petitio illa non fiat à servo nomine servi, sed nomine meo, & meam personam gerente, sicque ita sit mea moraliter, ut cum hac meæ voluntatis institutione constituat erga te totum morale impetratorium; & acceptatum quidem hoc pacto ab amico, arbitrari minimè potest, petitionem servi non se habere jam ut purum terminum, sed ut causam moralem in donum mille aureorum. Cùm autem Christus, ut ex dictis latè constat, hoc modo constituerit Sacramentorum Ministros erga DEUM actiones Sacramentales conficientes, exinde clarè patet, actiones illorum Sacramentales non esse purum terminum, sed veram causam moralem.

Objicies 8. Si actiones Sacramentales fierent à Ministro gerente personam Christi, essent causæ principales gratiæ; sed hoc esset contra Tridentinum sess. 6. ca. 7. definiens, Baptismum esse causam instrumentalem gratiæ; ergo &c. Resp. N. maj. quia illæ actiones dicuntur instrumentales, quæ non accipiunt valorem à persona, à qua fiunt, sed ab illa, cujus nomine fiunt, ut constat ex num. 165. cùm autem ita se habeant actiones Sacramentales factæ à Ministro, exinde clare fit, esse causas tales per instrumentales. Quapropter Sacramentum adæquatè sumptum in secunda compositione exposita num. 42. erit aggregatum ex causa instrumentali, & principali gratiæ, nempe ex actione Ministri condignificata à Christo Domino, vel ejus volitione instituente ejúsque meritis: sic Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali: *Si quis negat ipsum Christi JEsu meritum per Baptismum in forma Ecclesiæ ritè collatum tam adultis, quam parvulis applicari, anathema sit*, qua Doctrina, quæ communis est huic, & reliquis Sacramentis, ut in peculiari cujusque tract. constabit, nostra principia maximè stabiliuntur.

SECTIO V.

De Charactere Sacramentali.

DE Charactere intelligunt Sancti Patres apud Bellarm. lib. 2. à cap. 18. per traditionem ab initio Ecclesiæ acceptam aliqua Scripturæ loca, videlicet 2. Corinth. 1. *qui unxit nos DEUS, & signavit nos, deditque pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ad Ephes. 1. *in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis, qui est pignus hæreditatis.* Ad Ephes. 4. *nolite contristare Spiritum Sanctum DEI, in quo signati estis in diem redemptionis*; definitur etiam expresse à Florent. in decreto unionis, & à Trident. sess. 7. de Sacram. cap. 9. dicente: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordinatione, non imprimi Characterem in anima, hoc est, signum quoddam Spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Ex qua definitione inferunt Theologi cœtera 4. Sacramenta, nimirum pœnitentiam, Eucharistiam, Extremam

tremam unctionem, & Matrimonium, quæ juxta Christi præsentem institutionem iterari possunt, non imprimere Characterem, non quidem quia iterari non possunt, imprimunt hæc & non alia; sic enim hæc benedictio calicis, & chrysmatis iterari non possunt, & tamen Characterem non imprimunt; sed quia ut sentiunt omnes Theologi, si aliquod Sacramentum ex his, quæ iterari possunt, imprimeret Characterem, non ita maneret expedita definitio Tridentini; unde in hac providentia ea Sacramenta imprimunt Characterem, quæ iterari non possunt; ea autem quæ possunt iterari, non imprimunt.

220. Ratio à priori cur illa 3. Sacramenta, & non 4. reliqua imprimant characterem, nulla est alia nisi voluntas Christi, qui ita voluit, ut nobis ex perpetua Ecclesiæ traditione in supra positis Scripturæ testimoniis fundata, & Conciliorum definitionibus constat. Unde colliges, quam ineptè dixerint Kemnitius, & alii Hæretici, primum characteris inventorem fuisse Innocentium III. Capit. *Majores* parag. ultimo de Baptismo; ibi enim refertur sententia eorum, qui dicebant eos, qui inviti Baptizantur, recipere tantum characterem; ergo supponebant Doctores tanquam certum in Baptismo imprimi characterem, neque de hoc in allegato textu dubitabant, sed solùm, an imprimeretur character, quando Baptismus per violentiam suscipiebatur. Hoc autem singulare signum peculiariter est novæ legi concessum; nam in lege veteri homines non interius in anima & Spiritualiter, sed exteriùs in carne corporali signo circumcisionis notabantur, per quam à cæteris gentibus distinguentur. Hinc Chrysost. Homil. 2. in Epist. ad Ephes. *Obsignati sunt Israelitæ, sed circumcisione quasi pecudes.*

221. Congruentia autem quam assignant Theologi, ut Baptismus Confirmatio, & Ordo characterem imprimant, fundatur in eo, quòd Christus ad modum militantis regni in militia Spirituali Ecclesiam suam instituerit, ac proinde congruum est, quòd suscipientibus imprimant Spiritualiter notam, qua distinguantur à reliquis, ea Sacramenta, quæ notanter distinguunt familiam comparatione ad Dominum; sicut evenit in familia regis temporalis ratione muneris, quo subditus designatur ad peculiaria officia, vel obsequia; sic olim milites notabantur charactere impresso, ut discernerentur ab aliis: sic Magistratus, sic famuli Regis peculiaribus signis discernuntur. Imò in exercitu bene ordinato datur distinctio totius exercitus ab aliis, distinctio equitum à peditibus, & denique ducum à cæteris; sic per characterem Baptismi distinguitur Ecclesiæ exercitus ab exercitu Diaboli; per characterem confirmationis distinguntur destinati ad certamen Sirituale contra fidei persecutores à communi populo; denique cùm ordinati ad ministrandum Sacramenta deputentur, ut sint Duces in populo, per characterem ordinis distinguuntur Duces à cæteris.

Reliqua autem 4. Sacramenta non designant suscipientem, neque deputant tanquam singularem Ministrum, & famulum in exercitu & militia Christi, sed conferunt gratiam Sacramentalem ad aliquas necessitates peculiares ipsius, nimirum gratiam reconciliationis in Sacramento pœnitentiæ, ut mundetur à peccatis; in Eucharistia, ut nutriatur, & crescat Spiritualiter; in Extrema unctione, ut purgetur à reliquiis peccatorum, & ne succumbat Diabolo in ultimo agone tentanti; denique in matrimonio ad bene portanda onera conjugii; imò plures cum Cardinali de Lugo disp. 6. sect. 6. à num. 14. defendunt, matrimonium adhuc mortuo conjuge, non reiterabile, si characterem imprimeret: character enim manet ita impressus in anima, & indelebilis, ut maneat in Beatis, Animabus Purgatorii, & damnatis; in illis quidem ad gloriam, in damnatis ad vituperium. Unde si Sacerdos mortuus resurgeret, non egebat nova Ordinatione, sicut egeret novo contractu, si resurgeret conjux mortuus. Exinde 222.

Character juxta Trid. definitionem traditam num. 219. idem est ac signum spirituale indelebile in anima Christiana impressum. Ratio est, quia Confirmatio, & Ordo supponunt Baptismum; per Baptismum autem anima Christiana redditur, ac proinde characteres, qui per hæc Sacramenta conferuntur, imprimuntur in anima Christiana; utrum autem character habeat ex natura sua, significare animam Christianam, & simul ea munia, quæ præsefert Sacramentum, per quod confertur, vel an ea significet ex voluntate divina? non conveniunt Doctores; nostra autem resolutio constabit ex his, quæ dicemus in Tractatu de gratia Justificante: etenim pro re præsenti, sive ex natura sua, sive ex voluntate DEI illa significet, sat est ad distinguendas eas distinctas militum cohortes in exercitu DEI; sicut sat est in humanis ad distinguendas classes militum superiorum ab inferioribus, quòd eorum insignia ex voluntate Principis eam diversitatē significent; superest autem modò difficultas à Theologis in præsenti exagitata, an scilicet character sit qualitas physica, vel aliquid purè morale, & extrinsecum? Durandus docet, characterem non esse quid physicum, & intrinsecum, sed morale, & extrinsecum; sicut Doctoratus, & prima tonsura. Scotus autem judicat, esse relationem rationis. 223.

Assero cum communi Theologorum: character Sacramentalis est qualitas physica animæ inhærens. Probatur 1. ex Tridentino citato num. 219. character est signum spirituale, & indelibile impressum in anima: sed quod ita imprimitur in anima, non est sola denominatio relativa, neque aliquid purè morale, & extrinsecum: ineptè quidem diceretur, Doctoratum imprimere signum indelebile, quo Doctor ab aliis 224.

liis discernatur; ergo est aliquid physicum. Subsumo: atqui non est substantia, cùm inhæreat animæ; non quantitas, cùm hæc sit materialis; non actio, aut passio, cùm istæ sint transeuntes, vel in ordine ad alium terminum; non ubi, quando, situs, aut habitus, cùm anima reddatur formaliter præsens, aut cum hac, aut illa figura, & dispositione correspondens loco ratione characteris; ergo est qualitas. Confir. Hæretici, quos damnat Tridentinum, definiens naturam characteris, non negabant relationes, aut denominationes extrinsecas, quibus suscipientes Sacramentum denominantur à Sacramento suscepto, sed negabant qualitatem intrinsecam, & physicam animæ inhærentem; ergo character ex Tridentino est qualitas physica, & intrinseca animæ inhærens.

225. Probatur 2. ex Tridentino citato: sola tria Sacramenta, Baptismi scilicet, Confirmationis, & Ordinis imprimunt characterem; atqui non solùm ista tria, sed potiùs omnia Sacramenta secum afferunt denominationem moralem, & relationem extrinsecam: ergo ex mente Tridentini character Sacramentalis stare non potest in sola denominatione morali ex relatione extrinseca. Confirmatur. Per extremam Unctionem æger denominatur, & roboratur ad tentationes vincendas; per matrimonium ad piè prolem educandam; pariterque suo modo denominantur suscipientes in ordine ad alios effectus morales per alia Sacramenta, quæ omnia afferunt jus morale ad specialia auxilia, ac proinde præferunt relationem, & denominationem realem extrinsecam; atqui reliqua Sacramenta non imprimunt characterem; ergo &c. Ex his præoccupantur rationes, quibus Vasquez disput. 184. cap. 2. etsi impugnet istam Durandi sententiam, conatur tamen illam ab omni censura vindicare. Cæterùm Eximius Doctor disput. 11. sect. 2. ait, jam sine errore in fide sustineri non posse; & Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 19. dicit, vix distingui ab hæresi hujus temporis.

226. Probatur 3. Non minùs est verè inhærens character Sacramentalis, quàm gratia habitualis; nec minùs potest inhærentia intelligi verè, & propriè, & absque analogia de charactere, quàm de gratia juxta expositionem Theologorum ex Sacra Scriptura, & Patribus acceptam; atqui ex eo, quòd in hoc sensu Tridentinum sess. 6. can. 11. doceat, gratiam habitualem inhærere animæ, apud Adversarios, & apud omnes Catholicos non est sola denominatio extrinseca, sed vera qualitas physica: ergo etiam character Sacramentalis ob identitatem rationis erit vera qualitas physica; quo argumento præoccupatur objectio Adversariorum posita num. 231. Confirmatur. Tridentinum sess. 6. cap. 7. explicans, quomodo gratia habitualis non sit pura denominatio extrinseca, ait: *non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus justitiam in nobis recipientes*; atqui etiam anima recipit characterem, qui in ea imprimitur; ergo &c. Ratio autem horum omnium est, quia Scriptura, & Concilia intelligenda sunt in sensu vero, & proprio, quando ita possunt intelligi, nec tunc possunt intelligi in analogico; sed ita possunt intelligi in præsenti de charactere, ut patet ex consensu Theologorum; ergo &c. Ex his

Fit 1. characterem non esse accidens modale, 229
sed entitativum; ratio est, quia ens modale consistit in puro exercitio suæ potentiæ, v. g. unio in exercitio uniendi, actio in exercitio agendi, & sic de reliquis; ac proinde ens modale est modus adhuc divinitus inseparabilis a re, cujus est modus; atqui negare non possumus absque urgenti fundamento, quale in præsenti non est, potentiam DEI ad separandum characterem à subjecto, cùm ad perfectissimum Dei dominium pertineat disponere de singulis creaturis vel simul, vel seorsim, prout voluerit, quæ est unica ratio, propter quam ex Philosophis, & Theologis alia plura entia, quæ concipi possunt entitativa, ponuntur in ente, & non 230
in modo; ergo &c. Fit 2. characterem immediatè subjectari in anima. Ratio est, quia confertur non quidem ut comprincipium formale, cùm non sit qualitas operativa, sed ut fignaculum animæ, cùm sit qualitas significativa vel ex natura sua per connexionem cum Sacramentis, à quibus confertur in eodem instanti, in quo adest ultimum, & essentiale Sacramenti constitutivum, licèt suscipiens sit in culpa lethali, vel saltem significat ex voluntate DEI determinante, ut per talia Sacramenta conferatur, & significet animam taliter constitutam; significat autem DEO, Angelis, & Beatis, tum etiam damnatis cognoscentibus, ut plures volunt, characterem saltem per cognitionem abstractivam naturalem cum illo inconexam ad majorem damnati ignominiam; unde causa materialis est anima; DEUS efficiens physica; & Sacramentum efficiens morali; finalis specialis famulatus Christi; formalis nulla, cùm ipse sit forma accidentalis animæ. 231

Fit 3. Characterem esse capacem intensionis. Ratio est, quia intensibilitas est de conceptu qualitatis physicæ, quæ perfectio nullo ex capite repugnat characteri; neque inde infertur, posse unum dici magis ordinatum, quàm alterum, nam istæ denominationes non proveniunt à charactere, sed à Sacramentis, quæ in omnibus sunt æqualia; nam homo non Baptizatur per characterem, sed per Baptismum, & sic de reliquis Sacramentis. Exinde character confertur æqualiter omnibus, cùm imprimatur vi Sacramenti, & non juxta dispositionem suscipientis. Quapropter si Sacramentum sit validum, & informe, non confertur gratia, bene verò character, quem aliqui reducunt ad primam speciem qualitatis ex quatuor ab Aristotele assignatis, nimirum dispositione, & habitu, potentia, & impotentia, passione, & patibili qualitate, forma & figura; alii ad secundam, alteri ad tertiam, & alii denique ad quartam.

tam. Neque desunt qui judicent ad nullam ex illis reducendum, asserentes Aristotelem non agnovisse omnes species qualitatis, nec potentiam DEI esse reducendam ad Aristotelis divisiones, sicut nec aliorum Philosophorum. Cæterùm ex nostris principiis

229. Fit 4. Characterem constitui propriùs sub tertia specie qualitatis, & reductivè sub aliis, prout aliquid de illis participat. Ratio est, quia tertia species, nempe passibilis qualitas, non est productiva, nec receptiva, sed primo, & per se perficit subjectum in ordine ad se, illud ornando, & non in ordine ad operandum, in eóque diu perseverat, ut patet in qualitate patibili corporea, v. g. calore nativo, quæ diu manet in subjecto, & non perficit illud in ordine ad operandum, sed in ordine ad se ornando illud; atqui character perseverat indelebiliter in subjecto perficiendo illud, non quidem in ordine ad operandum, sed in ordine ad se; ergo &c.

230. Rursus quatenùs character est qualitas permanens, bene afficiens subjectum suum, revocari potest ad primam; nempe habitum, & dispositionem. Quatenus est signum quod cognitum à DEO & Angelis movet ad cautandum aliquos actus, quibus illi hominibus favent, reduci potest ad secundam nempe potentiam, quo in sensu intelligendus est D. Thomas quæst. 65. art. 2. dicens: reducendum ad secundam speciem qualitatis, licèt propriè sub illa non sit; quatenùs denique est pulchritudo animæ, sigillum, & quasi figura Spiritualis illius potest reduci ad quartam nempe formam, & figuram, in quibus non potest esse quæstio, nisi de nomine.

231. Objicies 1. Ex durando. Licèt à Conciliis peccatum dicatur inesse parvulis, non intelligitur à Theologis de inhæsione physica, sed morali; pariter in similibus, licèt prætor dicatur recipere potestatem, non intelligitur de receptione physica, sed morali, & sic de aliis similibus: ergo licèt character dicatur inhærere animæ, non debet intelligi de inhæsione physica, sed morali, ac proinde character non debet constitui in qualitate physica, sed in denominatione morali. Resp. nego consequentiam: quia in suprapositis exemplis, cùm peccatum habituale non sit quid physicum in anima, sed morale, ut docent Theologi, neque Prælatura inducat in prætore aliquid physicum, sed morale, ut ex terminis constat, ea Verba non possunt intelligi de inhæsione aut receptione physica, sed morali; in charactere autem dispar est ratio, nam nullum est inconveniens in eo, quòd asseratur esse qualitatem physicam; & aliunde sit principium firmum apud Theologos ex dictis num. 226. non posse absque urgenti fundamento explicari Verba Conciliorum in sensu translatitio, & analogico; ac proinde inhæsio characteris adstrui debet physica.

232. Objicies 2. Pro Scoto. Character est in genere signi; sed signum constituitur per relationem prædicamentalem ad rem significatam; ergo &c. Confirmatur per characterem Baptismi, v. g. refertur Baptizatus ut servus ad Christum tanquam ad Dominum; atqui relatio servi ad Dominum est prædicamentalis; ergo &c. Resp. Con. maj. & nego min. quia plura sunt signa transcendentalia, v. g. actio respectu termini, unio respectu extremorum, & sic de aliis, & relatio transcendentis non constituitur per prædicamentalem, tum quia relatio prædicamentalis stat in fundamento, & termino, vel saltem apud Scotistas in ratione fundandi, cùm autem character Baptismi, v. g. stare non possit in Baptizato, & Christo tanquam in fundamento & termino, neque in Sacramento tanquam in ratione fundandi, aliter omnia Sacramenta ut per se patet, cùm habeant hanc relationem, imprimerent characterem, exinde stare debet in aliquo physico impresso in anima illam relationem in his tribus Sacramentis fundante, unde argumentum istud potius militat contra Adversarium. Ad Confirmationem dist. maj. refertur tanquam per fundamentum pure morale, nego maj. & permissa min. nego consequentiam: quia si character est physicum fundamentum, quo Baptizatus refertur ad Christum, jam character stat in aliquo physico. Dixi tamen permitto maj. & min. in sensu arguentis, quia si character est relatio transcendentalis, ut plures defendunt, utraque illa propositio falsa est.

233. Objicies 3. Gratia habitualis est perfectior charactere; atqui non est physicè indelebilis; ergo neque character est physicè indelebilis. Confirmatur 1. Calix consecratus, & Ecclesia amittunt consecrationem statim, atque destruuntur; ergo etiam homo amittit characterem statim, atque moritur. Confirmatur 2. Habitus Fidei non manet in Beatis, neque damnatis, ex eo, quòd nequeat deservire ad aliquos actus Fidei tunc eliciendos; atqui neque character deservit ad aliquod munus in Beatis, neque damnatis; ergo &c. Respondeo concessis præmissis, nego consequentiam; quia character non habet contrarium, quo adveniente destruatur; at verò gratia habitualis habet contrarium, ut ex Fide constat, nempe peccatum lethale, quo adveniente destruitur.

234. Ad primam Confirmationem conc. antec. & nego conseq. quia destructo Calice, vel Ecclesia destruitur subjectum consecrationis, quod est totum illud artificiale Calicis, vel Ecclesiæ; at verò pereunte homine non deficit subjectum characteris, quod, ut constat ex Tridentino, est anima immortalis. Ad secundam Confirmationem permitto suppositum maj. & nego min. Ratio est, quia habitus Fidei datur ad operandum, ideóque cùm operatio Fidei secundùm communem sententiam non componatur cum visione beata, eapropter

juxta istam sententiam non manet in Cœlo habitus Fidei ; at verò character non datur ad operandum, sed in signum officii accepti, quod ad gloriam pertinet Beatorum, & ad confusionem damnatorum.

SECTIO VI.

Quænam dispositio requiratur ad suscipiendum Sacramentum?

235. SOlos homines viatores esse capaces Sacramentorum ex vi præsentis institutionis, non autem Angelos, Beatos, damnatos, neque animas in Purgatorio detentas, certum est apud omnes. Ratio est, quia Christus instituit Sacramenta ad remissionem peccati, vel augmentum gratiæ, aliósque peculiares cujusque Sacramenti fines ex dictis num. 202. sed ista in hac providentia solùm conveniunt hominibus viatoribus; ergo &c. Quapropter neque est quæstio de parvulis, aut perpetuò amentibus, qui rationis usum nunquâ habuerunt, ideóq; penes hoc parvulis comparantur, ut habet Ecclesiæ praxis, & declarat Catechismus Tridentini n. 240. Ratio est, quia nulla ex parte ipsorum necessaria est dispositio, ut ipsi recipiant Sacramenta, quorum sunt capaces, nimirum Baptismum, & Confirmationem, quæ illis licitè conferri possunt : conferebatur etiam alicubi pueris olim Eucharistia, nunc autem id prohibitum est ab Ecclesia.

236. De Sacramento autem Ordinis communiter docent Doctores cum Divo Thoma in Supplemento quæst. 39. artic. 2. posse Episcopum validè illis conferre, sed illicitè hoc Sacramentum; incapaces verò sunt pœnitentiæ, & matrimonii, quæ essentialiter constituuntur per actus liberos suscipientis; tum etiam extremæ Unctionis, quæ conferri solùm validè potest iis, qui, quando habuerunt usum rationis, de quibus aliquando dubitari potest, an deliquerint, ut patet ex ejus forma, *indulgeat tibi Deus &c.* Quæritur modò, quid requiratur ex parte suscipientis ad fructum, & ad valorem Sacramenti.

237. Assero 1. Ad fructum sanctificantis gratiæ per Sacramentum requiruntur ex parte adulti suscipientis plures dispositiones ; aliquæ sub gravi, aliquæ sub levi. Probatur, & explicatur simul conclusio : ex parte intellectûs requiritur Fides, ut per Sacramentum justificetur impius ex dictis num. 110. tum etiam ad Sacramenta mortuorum recipienda requiritur sub gravi dolor supernaturalis de peccatis commissis, & propositum servandi legem DEI, ac proinde remotio peccati in ipsa susceptione Sacramenti : adultus autem cum solo originali ad Baptismum accedens non eget dolore, cùm nullum peccatum propria voluntate commiserit ; bene verò fide, & proposito, servandi legem DEI, & intentione suscipiendi Sacramentum.

Ad Sacramenta verò vivorum requiritur contritio, vel confessio in peccatore sub gravi, & ad recipiendam Evchariſtiam non sufficit attritio non modò existimata, quæ, ut defendunt plures, sufficit ad fructum reliquorum ex Sacramentis vivorum ; verùm neque perfecta, sed requiritur confessio juxta Tridentinum sess. 13. cap. 7. & can. 11. Unde licèt vere justificatus per contritionem non egeat dolore ad recipiendam Evchariſtiam, ut sit in statu gratiæ, quam jam habet ; eget tamen dolore ex præcepto, quo tenetur ad præmittendam confessionem ; si autem post ultimam validam, & fructuosam confessionem nullum lethale commiserit, satis est, si habuerit intentionem recipiendi Sacramentum, & ejus gratiam, ut Sacramentum humano modo recipiat, nec irreverentiam gravem committat ; ac sub levi tenetur ad alias dispositiones attentionis, reverentiæ &c. de quibus in Tractatu de Evchariſtia ; idémque suo modo de aliis Sacramentis ; atqui ex his clare constat, ad fructum sanctificantis gratiæ per Sacramentum requiri ex parte adulti suscipientis aliquas dispositiones sub gravi, & alias sub levi ; ergo &c.

Assero 2. Ad purè recipienda validè Sacramenta, quæ consistunt in usu, si cætera adsint requiritur, & sufficit intentio illam recipiendi saltem habitualis, modo explicato num. 250. Probatur 1. ex Capit. *Majores* de Baptismo, para : *item quæritur*, ubi Innocentius III. ita decernit : *ille verò, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec effectum recipit Sacramenti. Quia plus est, expressè contradicere, quam minimè consentire.* Quod quidem argumentum est de majori ad minus, quasi diceret : qui nunquam consentit, nec rem, nec effectum Sacramenti recipit : ergo multò minus ea recipit, qui receptioni eorum contradicit. Confirmatur ex Concil. Carthagin. 3. cap. 24. cujus Verba etsi à diversis diversimode referantur, attamen ut habentur in Summa Conciliorum Caranzam. & de Consecrat. dist. 4. cap. ægrotantes, hæc sunt : ægrotantes si pro se respondere non possunt, ut voluntatis eorum testimonium sui dixerint, Baptizentur ; similiter, & de pœnitentibus agendum est. Tum ex Conc. Arausiano 1. apud eundem Caranzam cap. 10. & apud alios cap. 12. ubi hæc habentur : *Sæpè obmutescens (pro ut statutum est) Baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu ;* arqui in prædictis testimoniis supponitur non valere Sacramentum absque voluntate præterita, quæ saltem sit habitualis ; ergo &c.

Probatur 2. Ex Catechismo Tridentini tit. de Baptismo, ubi de amentibus, & furiosis hæc habet : *Cùm autem in vitæ discrimine versantur, si antequam furere inciperent, ejus voluntatis significationem dederunt, ablui sunt ; si minus à Baptismi administratione abstinu-*

stinendum est. Idémque judicium de dormientibus fieri debet. Quod si in mentis potestate nunquam fuerunt, ita ut nullum rationis usum habuerint, eos in fide Ecclesiæ, non secus ac pueros, qui ratione carent, Baptizandos esse, Ecclesiæ auctoritas, & consuetudo satis declarat. Ergo ad valorem Baptismi (& propter identitatem rationis ad valorem reliquorum Sacramentorum) requiritur ea voluntas saltem habitualis in adulto suscipiente. Imò si adulti non habeant dispositiones à nobis explicatas num. 237. etsi suscipiant validum Sacramentum, non recipient gratiam sanctificantem; sic enim prosequitur Catechismi textus loco citato; *verùm propter Baptismi voluntatem fides etiam eâ ratione qua de voluntate dictum est ad consequendam Sacramenti gratiam maxime necessaria est.*

241. Probatur 3. Ratione, Sacramenta novæ legis ex se afferunt gratiam suscipienti, ut ex sæpè dictis satis constat, tum etiam suscipiens contrahit aliqua onera Sacramenti cujusque propria, simúlque favorem DEI recipit: atqui DEUS in hac providentia nequit adultis conferre gratiam, neque quòd ipsi contrahant ea specialia onera, aut favorem suscipiant ex vi Sacramentorum, absque illorum voluntate; ergo non instituit Sacramenta, ut conferrentur validè adultis absque illorum voluntate. Exinde intelliges alia verba ejusdem Catechismi, qui postquam dixit, absque dispositionibus non recipi gratiam Sacramenti, ita prosequitur, *etsi quoad Sacramentum pertinet perfectam ejus rationem sine ulla dubitatione consequentur, si modo cum ritè Baptizatur, in animo habeat id accipere, quod à S. Ecclesia administratur.* Ex dictis

242. Fit 1. Quando ille qui Sacramentum recipit, non solùm susciput, sed etiam conficit Sacramentum, sive suos actus constitutivos Sacramenti, ut evenit in matrimonio, & pœnitentia, egere intentione saltem virtuali, à qua actus illi procedant ex dictis à num. 132. ea autem intentio non requiritur ex titulo purè recipiendi Sacramentum, ac proinde nullum ex hac parte efformari potest argumentum contra nostram conclusionem, in qua de purè suscipiente sermo est. Imò si conjux, aut pœnitens postquàm ritè elicuerunt actus suos, habere pœnitent intentionem solùm habitualem suscipiendi Sacramentum, sat erat ad Sacramenti valorem. Fit 2. Conclusionem non extendi ad Eucharistiam. Ratio est quia Sacramentum Eucharistiæ non consistit in usu, ac proinde ante susceptionem jam est adæquatum Sacramentum, unde ad illius valorem non indiget intentione susscipientis, licèt istud pluribus indigeat dispositionibus ad Sacramenti fructum susciendum. Ex dictis

243. Fit 3. Cum Doctoribus omnibus contra Glossam in caput valoris de Baptismo, non sufficere ad valorem Sacramenti, quòd susciens ore dicat, se consentire, si corde dissentiat. Ratio est, quia tunc non habet intentionem habitualem. Fit 4. Contra Cajet. non sufficere ad valorem Sacramenti, quòd susciens nunquam habuerit voluntatem contrariam, si aliunde nunquam habuit voluntatem susciendi Sacramentum; ratio est, quia absque voluntate præcedente susciendi Sacrementum nequit consistere ejus valor ex testimoniis à nobis adductis. Fit 5. Sufficere intentionè coactam, & metu gravi extortâ ad recipienda Sacramenta, uno excepto matrimonio, ut Sacramentum sit validum. Ratio est quia talis coactio respectu matrimonii est jure Ecclesiastico impedimentum dirimens; secus autem respectu aliorum Sacramentorum, ad quorum valorem sufficit voluntas efficax susciendi Sacramentum, quæ cum metu gravi componi potest, ut patet in mercatore efficaciter volente projicere, & projiciente merces in mare ob metum tempestatis, quas projicere nollet ablato eo metu. Quapropter illa voluntas est simpliciter voluntaria; licèt secundùm quid sit in voluntate, ut latè dixi in Tractatu de actibus humanis.

Objicies 1. contra utramque conclusionem: nullarequiritur dispositio, neque intentio in parvulis, neque ad valorem, neque ad fructum Sacramenti; ergo neque in adultis. Probatur consq. Sacramentum, quod confertur parvulis, est idem, ac Sacramentum, quod adultis confertur; ergo si non requirit eam dispositionem, & intentionem in parvulis, neque illam requirit in adultis. Respondeo conc. antec. & nego consequentiam. Ad probationem dist. antec. est idem cum iisdem terminis præfixis in parvulis, & in adultis, nego, cum terminis præfixis in adultis, quos sibi non præfigit in parvulis, conc. antec. & nego consq. Ratio est, quia nunquam datur Sacramentum validum, si deficiant termini à Christi institutione sibi præfixi, licèt illi termini non sint de constitutivo Sacramenti, ut constat ex dictis intentione Ministri à num. 97. cùm autem ex Conciliis nobis constat, institutionem Christi habere sibi præfixos aliquos terminos, ut Sacramentum validè conferatur adultis, quos non habet, ut conferatur parvulis juxta doctrinam in nostris probationibus allatam; ea de causa, licèt Sacramentum constitutivè sit idem, non dabitur validè in adultis absque illis terminis, sine quibus datur in parvulis. 244.

Objicies 2. contra secundam conclusionem: Cap. *de Judæis* dist. 45. Judæi, qui coacti fuerant ad Baptismum susciendum, dicuntur obligati ad servandam legem Christianam, quamvis prohibeatur, ne deinceps inviti baptrizentur: ergo ut Baptismus sit validus, sufficit, quòd baptizandus exteriùs non contradicat, quamvis contradicat interiùs. Respondeo N. consequentiam, quia in eo textu agitur de Judæis, qui metu coacti verè habuerunt animum internum susciendi Sacramentum; non autem de iis, qui receperunt Baptismum interiùs omnino dissentientes. 244.

Obji-

246. Objicies 3. ex Augustino Tractatu 26. in Joannem dicente: *accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest, nisi volens*: ergo ex Augustino non requiritur interna voluntas ad validè suscipiendum Sacramentum. Respondeo, nego consequentiam, de Sacramento consistente in usu: etenim qui sic arguunt, vel non legerunt Augustinum, vel intelligere noluerunt, in illo quidem textu loquitur Augustinus de Sacramento Evchariſtiæ, quod, cùm non consistat in usu ante susceptionem, jam est validum Sacramentum. Legatur integrè, & non dimidiatus textus, qui sic habet: *intrare quisquam Ecclesiam potest nolens; accedere potest ad Altare nolens, accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest, nisi volens*; neque contra nos militat Augustinus lib. 7. de Baptismo contra Anabaptistas cap. 25. ex dictis num. 126.

247. Objicies 4. ex cap. *majores* de Baptis. ubi dicitur: *tunc ergo characterè Sacramentaliter imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*: ergo Baptismus est validus, si non detur voluntas contraria, quamvis non adsit positivus consensus. Respondeo, nego consequentiam, quia per illa ultima verba, *cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*, intelligitur etiam obex retractans voluntatem præhabitam suscipiendi Sacramentum; quod manifestè patet ex verbis immediatè ipsum textum præcedentibus, in quibus dicit: *dormientes, & amentes, quando in eo statu baptizantur, characterem Baptismi susciperè, si priùs cathechumini extitissent*; ergo propositum Baptismi habuissent; ex quibus clarè apparet, requiri ad valorem Sacramenti voluntatem saltem habitualem.

248. Objicies 5. Concilium Florentinum citatum num. 39. tria tantùm requirit ad valorem Sacramenti, videlicet materiam, formam, & intentionem Ministri, nulla facta mentione requisita ex parte suscipientis; ergo hæc non requiritur. Respondeo dist. conseq. non requiritur ad omnia Sacramenta, conc. ad Sacramenta in adultis, quæ consistunt in usu, nego consequentiam. Ratio est, quia ibi Florentinum tantùm enumerat ea, quæ generaliter, & in omni casu requiruntur, qualis non est intentio suscipientis, ut patet in Baptismo parvulorum, & in confectione Evchariſtiæ. Unde intentio suscipientis solùm requiritur in casu conclusionis nostræ.

249. Objicies 6. S. Thomas in quartum dist. 6. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. dicit sufficere, ut adulti carentes usu rationis percipiant Sacramentum Baptismi, si eis non insit habitu contraria voluntas; ergo non requiritur voluntas adhuc habitualis in suscipiente. Resp. nego conseq. quia ibi S. Thomas loquitur de adultis, qui stante usu rationis habuerunt voluntatem suscipiendi Baptismum, quod pluribus in locis satis explicat, sic 3. part. quæst. 68. artic. 7. ait: *si adulto deesset intentio recipiendi Baptismum, esset rebaptizandus*; & artic. 12. ubi ait, quòd amentes, si nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eis apparuerit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi.

Objicies 7. Ex usu Fidelium, & praxi Ecclesiæ conferri solet extrema Unctio moribundis, sensibus, & ratione destitutis, quamvis hoc Sacramentum nunquam perierint; ergo ad validam susceptionem Sacramenti necessitas non est intentio adhuc habitualis ex parte suscipientis. Respondeo, nego consequentiam; quia ea praxis Ecclesiæ, & usus Fidelium fundatur in eo, quòd tales moribundi merito præsumuntur antea habuisse saltem implicitè, vel confusè voluntatem suscipiendi hoc Sacramentum, nullatenus retractatam: ipsa enim voluntas vivendi, & moriendi in Ecclesia more Christiano est voluntas, ut ille, qui sic vixit, Ecclesiæ Sacramentis juvetur debito tempore, & maximè tantæ necessitatis; ad voluntatè habitualem, ut cum pluribus explicat Espara q. 33. artic. 6. sufficit præterita voluntas, sive actualis, sive virtualis non retractata, qualem adesse in talibus moribundis prudenter dubitare non possumus.

Objicies 8. instando simul nostram conclusionem: si doctrina à nobis tradita num. superiori vera esset, posset etiam exhiberi absolutio Sacramentalis homini moribundo, licèt nulla signa doloris exhibuerit, nec absolutionem proximè petierit; sed hoc dici non potest; ergo &c. Probatur maj. Sicut voluntas vivendi in Ecclesia, & moriendi more Christiano est voluntas implicita suscipiendi extremam Unctionem, ita etiam ex potiori jure debet præsumi voluntas suscipiendi absolutionem, utpote magis necessariam; atqui, ùt tali moribundo conferri absolutio, non requiritur, quòd absolutè confiteatur, sed satis est, quòd ostendat voluntatè confitendi, ut tenet communis sententia approbata in Catechismo Tridentini; ergo &c.

Respondent 1. aliqui Authores concedendo maj. quo tota vis argumenti evanescit. Hanc opinionem constanter defendunt Bonagratia Franciscanus in Summula quæstionum regalium, extendens suam opinionem etiam ad casum, quo ille moribundus laborat infamiâ malæ vitæ; Sanctus Antoninus, Gregorius XV. cùm esset Archi-Episcopus Bononiensis, Bellegatius in Manuali Regularium Tractatu 5. §. 1. & alii quàm plures apud ipsos. Quapropter licèt hæc sententia speculativè loquendo falsa sit apud me, in praxi tamen ratione tantæ necessitatis impertiendæ est absolutio sub conditione, quòd subjectum sit dispositum, quia sic forte succurri potest proximi necessitati, & evitatur injuria Sacramenti. Cæterùm absolutè, & speculativè loquendo sententiam istam falsam existimo, nec ullam video connexionem cum his, quæ hucusque diximus. Eapropter

Respondeo 2. nego maj. ad probationem dist. maj. debet præsumi voluntas suscipiendi absolutionem cum omnibus requisitis ad valorem Sacramenti, nego, absque illis, conc. maj. & dist.

dist. min. nego consequentiam. Ratio est, quia voluntas confitendi, & obtinendi absolutionem per mores Christianos, & vitam ante actam in Ecclesia DEI, non est sufficiens accusatio, quæ requiritur pro materia hujus Sacramenti, quod, cùm sit judicium essentialiter, constat accusatione, & absolutione; accusatio autem sufficiens ad hoc Sacramentum debet esse talis, ut fiat post peccatum, ex qua homo se confiteatur reum peccati, quæque incompossibilis sit cum peccato, qua parte debet esse dolorosa, & dolorem internum significare; at verò voluntas recipiendi *Sacramenta* externè significata per vitam Christianam nec est post peccatum, nec significat hominem alicujus peccati reum, nec ullum dolorem verum, & efficacem, imò componi potest cum actuali peccato, ac proinde sufficiens non est ad valorem *Sacramenti* Pœnitentiæ.

254. Objicies 9. Qui *Sacramentum* recipit, se habet ut patiens; atqui intentio non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis; ergo &c. Respondeo dist. maj. se habet ut patiens purè physicum, nego, ut patiens voluntarium, conc. maj. & dist. min. nego consequentiam; nam qui *Sacramentum* recipit, admittit voluntariè onera cujusque Sacramenti propria simul, & valorem, ad quæ voluntariè suscipienda necessaria est suscipientis intentio. Ex dictis

255. Fit 1. non sufficere intentionem recipiendi actiones *Sacramentales* entitativè sumptas, sed requiri intentionem recipiendi eas ut Sacramentum. Quapropter si quis videns alium volentem baptizare, & infundentem aquam proferendo verba Baptismi, licèt potens resistere non resistat, non ex eo præcisè manebit baptizatus propter voluntatem indirectam, quam habet recipiendi ablutionem aquæ; nisi præterea superaddat voluntatem recipiendi *Sacramentum*. Pariter, si prævideat alium volentem ipsum baptizare, si dormiat, aut se inebriet, tunc ipsum baptizabit; non propterea manebit baptizatus, quia in eo casu sola lotio, aut ablutio secundùm se sumpta potest esse ibi voluntaria, & volita indirectè in ebrietate, & somno, non autem susceptio Sacramenti; hæc enim non potest esse effectus ebrietatis, & somni, quantumvis ablutio potest esse effectus indirectè volitus in tali ebrietate. Fit 2. non sufficere intentionem suspendentem suum effectum volendi absolutè ad tempus post Sacramentum susceptum, modo, quo de intentione Ministri dictum est à n. 159.

DISPUTATIO V.

RELIQUA DE SACRAMENTIS IN GENERE.

256. AGunt in præsenti aliqui recentiores de reviviscentia Sacramentorum ad causandam gratiam; cæterùm præcipuæ quæstiones, ex quibus principia desumenda, sunt ad alia Sacramenta explicanda, pertinent ad tract. de Bapt. ea de causa quæstionem istam illationibus eam comitantibus resolvemus in tract. de Bapt. Supersunt modo plures difficultates tum circa Sacramentorum causalitatem, tum circa ipsorum administrationem, quas in præsenti decidere opus est, ne omnino intactas cum pluribus relinquamus.

SECTIO I.

An omnia Sacramenta possint causare primam gratiam?

257. CErtum est Sacramenta mortuorum, nimirum Baptismum, & pœnitentiam causare posse primam gratiam, quia ad hoc sunt instituta; neque exigunt, quod subjectum illa recipiens sit in statu gratiæ. Quapropter difficultas est de solis Sacramentis vivorum, nomine autem primæ gratiæ intelligimus in præsenti illam, quæ offertur subjecto non habenti gratiam, ac proinde quæ juxta hanc providentiam peccatum expellit, cùm in hac providentia nemo careat gratia, nisi ratione peccati, & inimicitiæ cum DEO. Unde secunda gratia vocatur illa, quæ in subjecto, in quo recipitur, supponit jam aliam gratiam; eam autem secundam gratiam causari posse per Sacramenta mortuorum constat ex Trid. citato num. 16. ubi dicit, Sacramenta novæ legis causare gratiam obicem non ponenti; atqui adultus qui cum contritione perfecta accedit ad Baptismum, & gratiam habet, non ponit obicem Baptismo; & justus, qui accedit ad pœnitentiam cum omnibus actibus ad Sacramentum requisitis, non ponit obicem secundæ gratiæ; ergo ista Sacramenta causare possunt in illis secundam gratiam. Quapropter, ut videas, tota difficultas devolvitur ad Sacramenta vivorum, pro cujus clariori decisione.

258. Suppono 1. Cùm Eximio Doctore disp. 63. de Evch. sect. 2. certum esse apud Theologos, nullum peccatum lethale commissum remitti in præsenti providentia in adulto absque dolore superno, vel contritionis, vel saltem attritionis cadente in omnia peccata commissa. Ratio est, quia pœnitentia de peccato commisso est necessaria ad remissionem peccati, ut ex script. clarè constat: sic Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Actor. 2. *pœnitemini, & Baptizetur unusquisque vestrum.* Augustl. lib. de vera & falsa pœnitentia,

cap. 18. *Baptismus sine pœnitentia nunquam profuit ei, qui peccavit spontanèe* : & lib. de pœnitentiæ medicina ca. 2. *Omnis, qui voluntatis suæ factus est arbiter, cùm accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum veteris vitæ pœniteat, novam inchoare non potest*, & infrà: *ab hac pœnitentia soli, qui Baptizantur pueri, immunes sunt*, hæc autem pœnitentia, cùm sit aversio à peccato, & conversio ad DEUM, utilis ad salutem, debet esse vel dolor supernæ contritionis, vel saltem attritionis, sive, quod idem est, contritio præscindens à perfecta, & imperfecta.

259. Suppono 2. Certum etiam esse apud omnes Theologos, peccatum mortale esse, suscipere aliquem Sacramenta vivorum cum cognitione sui peccati mortalis, nisi aliquando ignorantia invincibilis excuset. Ratio est, quia ita instruimur praxi Ecclesiæ docentis, suscepturum ea Sacramenta debere accedere absque conscientia peccati mortalis, imò & consensu omnium fidelium, qui ex Apostolorum Doctrina creditur derivatus; tum quia ut rectè expendit Eximius Doct. ex eo, quòd Sancta sanctè tractanda sint, inferimus Ministrum conficientem Sacramenta in lethali peccare lethaliter, idque infert Catechismus Tridentini citatus num. 143. atqui non minùs decet suscipientem accedere absque conscientia peccati mortalis ad Sacramenta vivorum; ergo &c. hinc

260. Suppono 3. Sacramenta mortuorum esse illa, ad quæ quis licitè potest accedere cum conscientia peccati mortalis, eáque de causa dicuntur exprimæva sua institutione tendere ad remissionem peccati mortalis; Sacramenta verò vivorum esse illa, ad quæ scienter nullus potest licitè accedere cum conscientia peccati mortalis, eáque de causa dicuntur ex primævâ sua institutione tendere, non quidem ad remissionem peccati, sed ad augmentum gratiæ; quapropter cùm Sacramenta nullam aliam possint conferre gratiam, nisi ex virtute, quam habent ex Christi institutione, Sacramenta mortuorum ex Christi institutione conferunt peccatori primam gratiam, & justo accedenti in gratia augmentum gratiæ; Sacramenta etiam vivorum si aliquando conferre possint primam gratiam, dicendum est ex Christi institutione conferre augmentum gratiæ justo, & primam gratiam aliquando peccatori.

261. Unde Sacramenta nunquam conferre possunt per accidens gratiam, prout littera *accidens* significat illam non conferre ex Christi institutione: dicuntur autem Sacramenta mortuorum per se conferre primam gratiam, qua remittitur peccatum mortale, quia ex Christi institutione conferunt gratiâ, quamvis accedens ad illa cognoscat se esse in mortali, simúlque, si adimpleat dispositiones à Christo requisitas ad ea Sacramenta suscipienda; Sacramenta autem vivorum, cùm non possint conferre primam gratiam, nisi quando quis per accidens ignorat, se esse in mortali, aut alias dispositiones requisitas sub præcepto, à cujus transgressione impotabili per invincibilem accidentalem ignorantiam excusatur; eo in sensu, qui quidem est sensus Theologicus, dicuntur per accidens causare primam gratiam, licèt in sensu Grammaticali dicantur causare per se, id est, per virtutem suam, sive Christi institutionem, per quam constituuntur; quæ maximè nota, nam insinistra intelligentia hujus locutionis causandi per se, & per accidens, fundant Adversarii ferè omnia sua argumenta. His positis

Prima sententia docet, Sacramenta vivorum nunquam posse causare primam gratiam, licèt suscipiens accedat ad ea Sacramenta bonâ fide, & cum attritione omnium suorum peccatorum judicans ex ignorantia invincibili, se esse contritum, vel non requiri contritionem perfectam ad dignam susceptionem Sacramenti, vel saltem se esse in gratia, quando reverà non est. Ita Alensis, *S.* Bonaventura, quos refert, & sequitur Vasquez disput. 205. cap. 4. cui subscribunt Basilius Legionensis, Hurtado, Cardinalis de Lugo, Dicastillo, & Recentiores. *Secunda* sententia tenet, in casu proposito posse causare primam gratiam. Ita *S.* Thomas 3. part. quæst. 79. artic. 3. & in 4. dist. 3. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. 2. Paludanus, Richardus, *Scotus*, Halensis, S. Antoninus, Bellarminus, & plures alii, quos citat, & sequitur Eximius Doctore disput. 63. de Eucharistia sect. 1. quibus adhærent Valentia, Coninck, Diana, Arriaga, Platelius, Combatt, aliique quàm plures.

Assero cum secunda sententia: *Sacramenta* vivorum possunt aliquando conferre primam gratiam. Probatur 1. conclusio: omnia Sacramenta novæ Legis causant ex Christi institutione gratiam non ponentibus obicem, ut definit Tridentinum citatum num. 16. atqui peccator accedens ad Sacramenta vivorum cum dispositionibus assignatis num. superiori, sicque cum bona fide, & accidentali circumstantia, peccati inculpabiliter obliti, aut alia similí, non apponit obicem gratiæ; ergo &c. probatur min. Inprimis non ponit obicem ratione peccati actualis, cùm in tali casu nullum actuale committat; deinde neque ratione peccati habitualis, cùm peccatum habituale solùm ut obex, quando deficit dispositio ad formam, per quam illud expellitur, & remittitur; in casu autem casu apponitur à suscipiente Sacramentum attritio generalis superna, quæ utpote vera peccari retractatio, est dispositio ad gratiam Sacramentalem, per quam expelletur, & remitetur habituale; ergo &c. Confirmatur partitate omnium formarum: quæ dum habent in subjecto dispositiones ad sui introductionem requisitas, introducuntur expellendo formam contrariam, ac proinde ista non est obex, ne alteram introducatur in tali casu; ergo &c.

Respondebis 1. *Sacramenta* causare gratiam non ponentibus obicem, neque habere virtu-

tem ex Christi institutione ad eam causandam, quando adest obex: cùm autem peccatum habituale, licèt non sit obex respectu Sacramentorum mortuorum, obex sit respectu Sacramentorum vivorum; ea de causa Sacramenta vivorum non possunt causare gratiam, quando in suscipiente adest peccatum habituale, neque talem virtutem habent ex Christi institutione, aliter essent Sacramenta mortuorum. Quapropter non tenet paritas ex aliis formis procedentibus à causis, quæ habent virtutem ad eas producendas, quamvis forma contraria in subjecto præcedat.

865. Contrà tamen 1. Peccatum habituale non est obex ex Christi institutione respectu Sacramentorum vivorum, nisi quatenus accedens cum notitia sui peccati, peccat ex dictis num. 259. ac proinde non potest accedere cum vera attritione detestativa peccati, quæ est necessaria dispositio ad gratiam, per quam expellatur habituale ex num. 258. sin autem assignet Adversarius, ex quo textu colligi possit alia Christi institutio; atqui in nostro casu suscipiens accedit inculpabiliter absque ulla notitia sui peccati habitualis, & cum vera attritione generali, quæ est dispositio ad gratiam, per quam remittitur habituale; imò ex hoc perspicuè distinguntur Sacramenta vivorum, & mortuorum, ut constat ex num. 261. ergo &c.

866. Contrà 2. Licèt Sacramentum Pœnitentiæ, quod est Sacramentum mortuorum, institutum sit ad acusandam per se gratiam, & remissionem peccati confessi, nihilominus potest per accidens, & indirectè remittere peccatum non confessum, quando scilicet suscipiens invinciliter immemor peccati commissi, illud non confitetur; vel quando confitetur unum peccatum, & ob justam causam silet alia, quæ non tenetur aperire; ergo licèt Sacramenta vivorum sint instituta ad causandam per se gratiam in subjecto grato, nihilominus per accidens poterunt causare gratiam in pectore. Probatur conseq. Ideo Sacramentum Pœnitentiæ causat gratiam remittentem per accidens, & indirectè peccatum non confessum, quia ratione illius accidentalis circumstantiæ, vel oblivionis, vel justæ excusationis ab aperiendo peccato non impeditur suscipiens ad eliciendam attritionem generalem suorum peccatorum, qua disponitur ad gratiam per Sacramentum imcompossibilem cum omni peccato mortali; atqui eadem ratio militat respectu accedentis in nostro casu ad Sacramenta vivorum, ut constat ex num superiori; ergo &c.

867. Respondebis 2. Per Sacramentum pœnitentiæ remitti per accidens, & in directè illa peccata, quia illi adest Sacramentum pœnitentiæ in re susceptum, in nostro autem casu, non datur Sacramentum pœnitentiæ in re, neque in voto, cùm non detur contritio, sed attritio, & ut constat ex Tridentino, peccatum hominis Baptizati remitti non potest, nisi per Sacramentum pœnitentiæ in re vel in voto.

Contrà tamen primò, in nostro casu jam datur Sacramentum pœnitentiæ in voto; ergo nulla est responsio. Probatur antec. in nostro casu datur attritio generalis superna, sed ista est votum Sacramenti pœnitentiæ; ergo &c. Probatur min. in casu peccati obliti, aut justè non manifestati, non datur Sacramentum pœnitentiæ in re talis peccati: peccatum enim in confessione omissum non est materia, circa quam versatur pœnitentiæ Sacramentum, quod tunc conficitur, cùm non sit materia talis confessionis; etenim confessio homicidii v. g. nec directè, nec indirectè, nec formaliter, nec virtualiter, nec clarè, nec confusè est manifestatio aut accusatio perjurii, ac proinde respectu talis peccati obliti, aut non manifestati solùm datur pœnitentia in voto; atque quando pœnitens accedit cum attritione, pœnitentia in voto nihil aliud est respectu talis peccati, nisi attritio; ergo &c.

Contra 2. à priori: contritio, ut cum omnibus fatentur Adversarii, est pœnitentia in voto; ergo etiam attritio. 868.
Probatur consequentia: ideo contritio est pœnitentia in voto, sive votum Sacramenti pœnitentiæ, quia vel formaliter, vel virtualiter est propositum adimplendi omnia præcepta, & cùm unum ex præceptis sit præceptum confitendi peccatum commissum, est etiam propositum confitendi peccatum commissum: atqui etiam attritio generalis sive ex motivo generali, est propositum sive formale sive virtuale adimplendi omnia præcepta ac proinde confitendi peccatum commissum post Baptismum; ergo &c. maj. & conseq. tenent, min. autem patet, quia ille, qui peccata detestatur ob turpitudinem peccati, vel ne pœnarum inferni debitum habeat, virtualiter habet propositum confitendi, quando esset peccatum non confiteri, vel quando ex omissione confessionis inferni pœnas mereretur; sed talis detestationis actus est attritio ex motivo generali, ut per se patet; ergo &c. unde ea attritio simul cum Sacramentis vivorum conjungetur cum gratia, & charitate ad eum modum, quo attritio respectu peccati omissi ex num. superiori in Sacramento pœnitentiæ; eaque de causa dici solet hominem in eo casu virtute Sacramenti ex attrito fieri habitualiter contritum, sive amicum DEI per gratiam.

Probatur 2. Conclusio, Sacramentum extremæ unctionis, quando suscipitur ab homine peccatore, qui confiteri non potuit, nec elicuit contritionem, sed solam attritionem generalem, vel non est confessus, quia judicabat se esse in gratia, tunc causat primam gratiam, & remittit peccatum habituale: atqui est Sacramentum vivorum; ergo non est contra rationem Sacramenti vivorum causare aliquando primam gratiam. Probatur maj. de suscipiente hoc Sacramentum Jacobi 5. dicitur, *etsi in peccatis sit, remittentur ei*, tum etiam in forma hujus Sacramenti ita exprimitur: indulgeat tibi Deus, quidquid per visum deli- 869.

quisti; ergo in tali casu causare potest primam gratiam.

270. Respondent aliqui 1. istud Sacramentum nunquam causare primam gratiam, sed solam remissionem venialium, neque quidquam aliud significari per testimonia num. sup. à nobis adducta. Contra tamen primo, Verba D. Jacobi sunt generalia: *etsi in peccatis sint, dimittentur eis*, ac proinde non solùm se extendunt ad venialia, sed etiam ad mortalia, ut bene infert D. Thomas citatus num. 295. ergo malè limitantur ad venialia. Secundò illa conditio, *etsi in peccatis sit*, planè indicat agi de mortalibus, cùm de venialibus non sit dubium septies in die cadere justum; ergo &c. 3. peccator non solùm delinquit committendo venialia, sed etiam committendo mortalia: atqui verba formæ exprimunt, quidquid peccator deliquit; ergo &c. 4. Ex usu Ecclesiæ confertur extrema unctio iis etiam moribundis, de quibus constat mortaliter peccâsse, & confiteri non potuisse; ergo ex sensu Ecclesiæ per hoc Sacramentum remittuntur mortalia. 5. hæc responsio non bene consonare videtur Tridentino se. 14. can. 2. dicenti: *si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessâsse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit*; ergo &c.

271. Respondent alii 2. Sacramentum extremæ unctionis posse causare aliquando primam gratiam, quia ad eam causandam institutum fuit à Christo, ut constat ex testimoniis adductis, secus autem reliqua Sacramenta vivorum, cùm de tali institutione non constet. Contrà tamen primò, eodem modo quo ex prædictis testimoniis constat suscipientem hoc Sacramentum cum attritione generali, posse aliquando recipere primam gratiam, constat etiam peccatum habituale, quando peccator cum bona fide, & generali attritione accedit, non esse obicem, præcisè quia recipit Sacramentum, quod ex Christi institutione est Sacramentum vivorum; atqui ex eo quòd in tali casu peccatum habituale non sit obex, omnia Sacramenta vivorum causant ex Christi institutione primam gratiam, cùm constet ex Trid. citato omnia Sacramenta causare gratiam obicem non ponenti; ergo &c. Contrà 2. stat bene quòd Sacramentum extremæ unctionis sit per se Sacramentum vivorum, & causet per accidens aliquando primam gratiam; ergo Sacramenta confirmationis, Eucharistiæ; Ordinis, & matrimonii esse per se Sacramenta vivorum, non est impedimentum, ne valeant causare per accidens primam gratiam.

272. Respondebis cum Card. de Lugo, militare specialem rationem pro Sacramento Eucharistiæ; quia institutum est à Christo Domino per modum cibi, & cibus neque per se, neque per accidens prodest mortuis, sed vivis, ac proinde qui est in peccato mortali, nunquam potest vi hujus Sacramenti gratiam recipere. Contrà tamen 1. quia ut optimè expendit eximius Doctor disp. 63. se. 1. par. ult. Sacramentum istud non institutum est ad modum cibi materialis, qui convertitur in substantiam alti, à quo vitam accipit, sed ad modum cibi vitalis dantis vitam: sic Christus Joannis 6. *Panis enim DEI est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo; ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi; qui manducat me, & ipse vivet propter me*: homo autem propter peccatum mortale non est ita mortuus, ut non possit aliquem actum vitæ exercere, & manducare cibum, non tantum corporaliter, & materialiter, sed etiam aliquomodo Spiritualiter, suscipiendo illum devotione, reverentia, generali attritione, sive dispositione debita; ergo ratio Adversariorum nulla est, imò & contra ipsos pugnat.

Contrà 2. Licèt Sacramentum Eucharistiæ institutum sit à Christo per modum cibi, & potûs ad causandum per se augmentum gratiæ, sive gratiam in justo, ad remittendum venialia, & præservandum à mortalibus ex doctrina Tridentini sess. 13. cap. 2. & can. 11. & ex Catechismo Tridentini sub hoc Tit. non repugnat, quòd ex motivo secundario institutum sit ad causandum per accidens primam gratiam, imò plures, & gravissimi Doctores judicant, hanc nostram doctrinam supponi à Tridentino sess. 13. can. 5. dicente: *si quis dixerit, vel præcipuum fructum S. Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, Anathema sit.* Quibus in verbis supponi videtur, remissionem peccatorum non esse solum, neque præcipuum Eucharistiæ fructum, ac proinde esse fructum minùs præcipuum; vel saltem iste sensus contrarius non est Tridentino; sed hoc non habet, quatenus institutum sit hoc Sacramentum ad causandam per se remissionem peccati, cùm sit Sacramentum vivorum; ergo hoc habet, quatenus per accidens potest peccatum remittere.

Contrà 3. ad hominem: Sacramentum extremæ Unctionis, ut fatetur Cardinalis de Lugo disput. 12. de Eucharistia sect. 1. num. 16. licèt institutum sit ad causandam per se solùm secundam gratiam, non repugnat, quòd etiam institutum sit ad causandam defactò per accidens primam gratiam: etenim, quòd institutum sit ad causandum uno modo per se, non impedit, ne institutum sit ad causandum alio modo per accidens; ergo idem dicere tenetur de Sacramento Eucharistiæ. Probatur consq. Sacramentum Eucharistiæ habet summam vim ad æternam gloriam comparandam ex Christi institutione, ut constat ex Catechismo Tridentini sub hoc Tit. dicente: *postremò, ut uno verbo omnes hujus Sacramenti utilitates, & beneficia comprehendantur, dicendum est, Sacra Eucharistiæ summam vim esse ad æternam gloriam comparandam*; atqui, licèt summa illa vis

in

non possit intelligi, nisi de Sacramento exercente suam vim in subjecto disposito, ac proinde in subjecto disposito ad Sacramenta vivorum, debet intelligi in subjecto ita disposito operari plus, quàm quodvis aliud Sacramentum vivorum; ergo si aliquod Sacramentum vivorum, v. g. extrema Unctio, potest in subjecto ita disposito remittere per accidens peccatum, id ipsum præstare quoque potest Evcharistia; neque dicas, extremam Unctionem esse Sacramentum mortuorum; hoc enim malè audiret in Theologia; cùm nemo possit licitè sciens, & volens accedere cum conscientia peccati lethalis ad extremam Unctionem, ex eo præcisè, quòd sit Sacramentum vivorum.

275. Contrà 4. Per Evcharistiam remitti peccata, est doctrina Sanctorum Patrum, quam, cùm non doceant de remissione per se, debemus intelligere per accidens. Probatur antec. ex Cyrillo Alexandrino lib. 4. in Joannem, qui, ut probet, Carnem Domini manducatam in hoc Sacramento suscitare mortuos, & dare vitam specialem, docet, voluisse Christum fidem hujus rei priùs facere, suscitando mortuos tactu carnis, ut in Naim, & apud Principem Synagogæ. Sic Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. ait *Corpus Domini in hoc Sacramento habere vim, ut omnem immunditiam, & spurcitiam abstergat;* Sanctus Ignatius Epist. 14. ad Ephesios: *frangentes panem, quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitámque in DEO concilians JESUM Christum, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala;* sic etiam loquuntur Justinus Martyr in responsione ad quæstiones Christianas propositas in responsione ad 44. Chrysostomus, Augustinus, Cyprianus, & alii apud Eximium Doctorem loco suprà citato; ergo &c.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

276. OBjicies 1. Si Sacramenta vivorum causarent aliquando primam gratiam, causarent illam per se, & non per accidens; atqui non possunt illam per se causare; ergo &c. Probatur maj. causarent gratiam ex Christi institutione; sed hoc est illam per se causare; ergo &c. Confirmatur 1. Ut Sacramenta causarent per accidens primam gratiam, & remissionem peccati, opus erat, ut causarent per se aliquem effectum, cui per accidens adveniret prima gratia, & remissio peccati; sed nullum causant effectum per se, cui per accidens adveniat prima gratia, & remissio peccati; ergo causarent per se primam gratiam, & remissionem peccati. Confirmatur 2. Ideo Sacramenta mortuorum causant per se primam gratiam, & remissionem peccati, quia ex Christi institutione causant gratiam in circumstantiis, in quibus prævidit Christus remittendum esse peccatum: atqui id ipsum haberent Sacramenta vivorum; ergo &c. Argumentum istud Achylles est Adversariorum; verùm si vim aliquam habet, contra ipsos pugnat, non autem contra principia nostra. Quapropter

Retorqueo argumentum 1. peccata inculpabiliter omissa in confessione valida remittuntur in Sacramento pœnitentiæ ex Christi institutione; ergo Sacramentum pœnitentiæ per se, & non per accidens remittit illa peccata. 2. quando Baptismus fictè susceptus reviviscit per Sacramentum pœnitentiæ, gratia accepta vi Sacramenti Baptismi ex Christi institutione remittit peccata post Baptismum commissa; ergo Sacramentum Baptismi per se, & non per accidens remittit peccata post Baptismum commissa. 3. quando Sacramentum extremæ unctionis causat in sententia Adversariorum primam gratiam, qua peccatum remittitur, illam causat ex Christi institutione; ergo Sacramentum extremæ unctionis per se, & non per accidens causat primam gratiam, & remissionem peccati. 277.

Resp. deinde dist. maj. causarent per se in sensu grammaticali, Con. in sensu Theologico, nego maj. & dist. min. nego consequentiam. Ad probationem dist. maj. ex Christi institutione, concurrentibus omnibus circumstantiis, quæ deberent concurrere, si homo esset suæ obligationis, & conscientiæ conscius, nego; deficientibus inculpabiliter aliquibus ex accidentali oblivione aut ignorantia, Con. maj. & dist. min. hoc est per se causare in sensu grammaticali, Con. in sensu Theologico, nego min. & conseq. quæ omnia constant ex dictis num. 261. 278.

Ad 1. Confirmationem nego maj. quia licèt ita causare sit causare per accidens, non est unicus modus, ut in sensu Theologio causetur per accidens, cùm dentur alii multi modi causandi per accidens, ut patet ex retorsionibus, & ex assignata à nobis explicatione; sic quando datur leo, datur animal, sed non est necesse, ut detur animal, quòd detur leo, cùm aliter, & aliter possit dari animal, quin leo detur, v. g. si detur canis, equus, homo, &c. Ad 2. Confirmationem nego maj. quia Sacramenta mortuorum non ex eo præcisè causant per se primam gratiam, & remissionem peccati, sed quia ut constat ex dictis, eam causant, quamvis homino accedat ad illa Sacramenta cum omnibus requisitis, & conscientia sui peccati, non omittens ex causa quantumvis inculpabili, sed adimplens ea omnia, ad quæ tenetur ex vi Sacramenti. 279.

Objicies 2. Effectus Sacramentorum ex opere operato affirmari nequit à nobis, nisi ex Script. Conciliis, & traditione Ecclesiæ, aut Patribus innotescat: sed non innotescit virtus in Sacramentis vivorum ad causandã per accidens primam gratiam; ergo &c. Confirm. 1. Sacramenta ex Trid. sess. 7. can. 6. causant gratiam, quam significant; atqui Sacramenta vivorum non significant primam gratiam, sed secundam; ergo &c. Probatur min. ex Flor. in decreto Eugenii 280.

IV. dicente: *per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem, & roborati nutrimur divina Eucharistiæ alimonia*; atqui per ista Verba non significatur prima gratia, sed secunda; ergo &c. Confirm. 2. ex Catech. Tridentini tit. de Euch. dicente: *verùm quod dicitur ex Eucharistia, gratiam tribui, pastores admoneant oportet, ita intelligendum non esse perinde, ac necesse non sit, ut qui reipsa hoc Sacramentum utiliter percepturus est, gratiam antea adeptus fuerit. Constat enim quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest, ita etiam animæ, quæ Spiritu non vivit, sacra mysteria non prodesse: ac propterea panis, & vini speciem habent, ut significetur, non quidem revocandæ ad vitam animæ, sed in vita conservandæ causa institutæ esse*; ergo Sacramenta vivorum nunquam possunt causare primam gratiam.

281. Resp. dist. maj. nisi innotescat probabiliter con. omnino certò, nego maj. & dist. min. nego conseq. Sacramenta enim vivorum hanc habere virtutem probabilissimè inferimus ex Concil. & PP. ut constat ex nostris probationibus, imò cùm ita probabiliter innotescat, negare non debemus eam virtutem, cùm aliunde sciamus Sacramenta esse organa gratiæ, mirabilémque virtutem continere. Ad 1. Confirmat. dist. maj. causant gratiam, quam significant ex Christi institutione, con. ex impositione hominum, nego maj. & dist. min. nego conseq. contractus enim matrimonii, & verba contrahentium, idemque suo modo de aliis Sacramentis, non significant gratiam ex impositione hominum, & tamen eam significant, & causant ex Christi institutione. Ad prob. concessis præmiss. nego conseq. quia Concil. Florentinum. In eo testimonio solùm explicat aliquos Sacramentorum effectus, neque causalitatem per accidens, de qua disputamus, quod manifestè patet ex ipso textu, nam ibi Sacramenti pœnitentiæ virtus per hæc Verba explicatur: *quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam Spiritualiter sanamur.* Qui quidem est effectus per se Sacramenti pœnitentiæ, ultra quem habet alium effectum causandi gratiam, licèt pœnitens peccatum non habeat, ut constat ex Tridentino, & omnes fatentur, tum etiam quia ibi ordo, & matrimonium explicantur per hæc verba: per ordinem verò Ecclesia gubernatur, & multiplicatur Spiritualiter: per matrimonium corporaliter augetur, & tamen propter hos effectus habent effectus gratiæ sanctificantis, & alios.

282. Ad secundam Confirmationem conc. antec. & nego consequentiam; quia Catechismus in prædicto textu solùm explicat institutionem Christi ad causandum per se, quam Pastores tradere debent fidelibus, ut sciant dispositiones, ad quas tenentur, ut recipiant Eucharistiam, quod perspicuè patet ex ipso textu, & verbis illis: *Pastores admoneant oportet*, & dubium esse non potest, Eucharistiam institutam non esse ad causandam gratiam in illis, qui ita instructi sunt & nihilominus suscipiunt illam cum conscientia peccati mortalis: tales enim judicium sibi manducant, & bibunt. In nostro autem casu certum est apud Adversarios, & apud omnes, suscipientem ea bona fide, & generali contritione Eucharistiam, non peccare, ac proinde neque judicium sibi manducare, & bibere; unde Catechismus non loquitur de nostro casu, quod manifestè agnoviissent Adversarii, si legissent verba ejusdem Catechismi immediate subsequentia, quæ sic habent: *verùm hoc ideo dictum est, quoniam prima etiam gratia, quam omnes præditos esse oportet, antequam Sacram Eucharistiam ore contingere audeant, ne judicium sibi manducent, & bibant, nemini tribuitur, nisi hoc ipsum Sacramentum desiderio, & voto percipiant.* Vide à num: 290. & 197.

Quapropter, quando aliquis cum vero desiderio, & voto in executione, quin judicium sibi manducet, & bibat, accedit ad Eucharistiam, potest ex doctrina Catechismi recipere primam gratiam, qui quidem est ipsissimus noster casus, & causalitas Sacramenti per accidens. Unde ex hoc ipso textu probant plures nostram sententiam, quam iterum indicavit infrà verbis à nobis adductis num. 274. ab iisque postea subjunctis, quæ sic habent: *deinde veri Fideles intelligant, quemadmodum si optimè affecti, & præparato animo Eucharistiam aliquis sumat amplissimis cœlestis gratiæ muneribus ornatur, ita contra si imparatus accipiat, non solùm nihil sed maxima etiam incommoda, & detrimenta eum accipere*; quæ testimonia exponere tenentur Adversarii, eorúmque vero sensu explicato agnoscent nullatenus militare contra nos.

Objicies 3. Qui gravatur conscientia peccati mortalis, suámque obligationem agnoscit, tenetur elicere contritionem, antequam accedat ad Sacramenta vivorum, imò tenetur præmittere confessionem, antequam accedat ad Eucharistiam, si adsit copia Confessarii, ut constat ex Tridentino sess. 13. can. 11. ergo si accedit absque contritione in re ad Sacramenta vivorum, nunquam recipit fructum Sacramenti. Confirmatur. Ex eo, quòd teneatur præmittere saltem attritionem, qui accedit ad Sacramentam mortuorum, si in re non habeat attritionem, non recipit fructum Sacramenti, quamvis habeat attritionem in existimatione: ergo qui accedit ad Sacramenta vivorum, non recipiet fructum Sacramenti, si solùm habeat attritionem, & non habeat contritionem in re, licèt illam habeat in existimatione.

Respondeo dist. antec. tenetur elicere contritionem, quæ talis sit in re, vel existimatione, conc. quæ in re necessaria sit, nego antec. & consequentiam. Ratio est, quia cùm sit præceptum, ne accedat ad Sacramenta vivorum ille, qui se gravatum agnoscit culpa mortali, debet priùs ita se disponere, ut prudenter judicet, se esse in gratia, & sic debet præmittere vel

vel confeſſionem, quam prudenter judicet validam, vel actum, quem prudenter judicet eſſe contritionis: hoc autem neceſſarium eſt, ut ille prudenter exiſtimet, ſe eſſe in gratia, ſuámque adimpleat obligationem, ne peccatum committat accedens ad Sacramenta vivorum conſcius ſuæ obligationis; imò ſi contingere poſſet, quòd aliquis prudenter judicaret, ſe non habere contritionem, poſt lethale commiſſum, quando illam in re habet, & cum hac prudenti perſuaſione, quòd eſt in lethali, accedere ad Sacramenta vivorum, peccaret lethaliter; cùm autem ſimul cum peccato actuali non poſſit habere gratiam, qui ita accederet ad Sacramenta, neque in inſtanti receptionis haberet veram diſpoſitionem.

286. Quando autem prudenter judicat, ſe habere contritionem, aliter evenit, licèt in re contritionem non habeat, nec peccat accedens ad Sacramenta, excepto uno Euchariſtiæ Sacramento, quando adeſt copia Confeſſarii ex ſingulari præcepto. Unde ſi cætera Sacramenta adſint, recipiet gratiam ex vi Sacramenti: neque tenetur ad omnia media, quibus poteſt conſequi gratiam, ſed ad illud, quo prudenter judicet, ſe gratiam conſecutum eſſe; aliter peccator, qui prudenter judicat, ſe per validam confeſſionem recepiſſe gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, teneretur ad aliam confeſſionem, ut majorem haberet ſecuritatem vel ratione diſpoſitionis à ſe requiſitæ, vel poteſtatis, aut intentionis in abſolvente; quod aſſerere manifeſtum eſſet abſurdum. Reliqua, quæ conducere debent ad praxin in his, & aliis diſpoſitionibus tam ex parte miniſtrantis, quàm recipientis Sacramentum, conſtabunt Sectione ſequenti. Hinc

287. Ad Confirmationem diſt. antec. ex eo, quòd teneatur præcisè ex præcepto, nego, ex eo, quòd contritio præſcindens á perfecta, & imperfecta ſit diſpoſitio neceſſaria in adultis ex lege DEI ad gratiam recipiendam, ex dictis num. 258. conc. antec. & nego conſeq. Etenim contritio ut præſcindens á perfecta, & imperfecta dicit vel contritionem in re, vel attritionem in re; cùm autem iſta diſpoſitio neceſſaria ſit ex DEI ordinatione, ut infundatur gratia in adultis, prout etiam definit Tridentinum ſeſs. 14. dicens: *fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius;* ea de cauſa adultus, qui attritionem ſaltem non habet in re, non poteſt recipere gratiam; contritio verò perfecta non requiritur in accedente ad Sacramenta vivorum, ut medium neceſſarium ad recipiendam gratiam, ut conſtat à num. 263. ſed ut non peccet in ſuſceptione Sacramenti; cùm autem ad non peccandum in illorum ſuſceptione ſufficiant contritio exiſtimata, vel attritio in re cum Sacramento Pœnitentiæ, quod prudenter validum exiſtimatur, licèt in re validum non eſſet; ea de cauſa contingere poteſt, quòd ſuſcipiens recipiat gratiam, quamvis non habeat contritionem in re, ſed contritionem exiſtimatam, quæ in re eſſet attritio.

Objicies 4. Si aliquod Sacramentum vivorum cauſare poſſet *primam gratiam maximè Euchariſtia, cùm ſit omnium nobiliſſimum, etenim Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit*, in quo divitias ſui erga omnes amoris velut effudit, ut habet Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. ſed Euchariſtia nunquam poteſt cauſare primam gratiam; ergo neque ullum ex aliis Sacramentis vivorum. Probatur min. Trid. in eo textu maximè incumbit in laudanda, & extollenda Euchariſtiæ virtute, eámque explicat dicens eſſe: *tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur*, quin nullatenus exprimat virtutem cauſativam primæ gratiæ: atqui ſi talem virtutem haberet, eam ibi Trid. exprimeret, cùm ad bonum encomiaſten pertineat, non tacere, quod eſt majus, nempe remiſſionem mortalis, quando dicit, quod eſt minus, nempe augmentum gratiæ; ergo &c. 288.

Confirmatur validè, ut inquiunt Adverſarii ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. dicente de Euchariſtia. *Quoad uſum autem rectè, & ſapienter Patres noſtri tres rationes hoc S. Sacramentum accipiendi diſtinxerunt, quosdam enim docuerunt Sacramentaliter duntaxat id ſumere ut peccatores.* Modo ſic: peccatores Sacramentaliter duntaxat ſumere, idem eſt, ac ſumere ſine fructu; atqui peccator ille bonæ fidei in noſtro caſu adductus peccator eſt; ergo ſumit Sacramentum abſque fructu, ac proindè non recipit per accidens primam gratiam. 289.

Reſp. con. maj. & nego min. ad probat. diſt. maj. in laudanda, & extollenda Euchariſtiæ virtute ad cauſandum per ſe, Con. ad cauſandum per accidens, nego maj. & diſt. min. ſi talem virtutem haberet ad cauſandum per ſe, Con. ad cauſandum per accidens, nego min. & conſeq. de ratione enim accurati laudatoris non eſt extra chorum ſaltare, ſed proferre, & dirigere encomia in ordine ad finem. Quod autem Tridentini finis in teſtimonio ab Adverſariis adducto fuerit explicare cauſalitatem per ſe Euchariſtiæ; eſt plusquàm evidens; ſi Trid. ejuſque Catech. legantur: in ea etenim ſeſſ. 13. non ſolùm laudat Tridentinum, extollit, & profert encomia Euchariſtiæ cap. 2. ut ſupponere videntur Adverſarii, ſed per 7. integra, & ordinata cap. ut legenti conſtabit, quæ omnia præmittit, ut poſtea cap. ult. & octavo inſtruat fideles, iisque declaret ea diſpoſitione, & puritate ſe præparare teneri; *ut veſtem nuptialem induti, ad divinam hanc menſam accedant*, ne ſicut peccatores, ita Sacramentaliter duntaxat communicent; ut judicium ſibi manducent, & bibant, ut Catechiſmus explicat, in quo procul dubio ſtat cauſalitas Sacramenti per ſe: cauſalitatem autem per accidens jam explicuerat ſeſſ. 6. can. 6. dum dixit, omnia 290.

Sacra-

Sacramenta causare gratiam non ponentibus obicem, imò idipsum supponere iterum videtur infrà in illa ipsa sess. 13. can. 5. ex dictis num. 273. hinc

291. Ad Confirmationem dist. maj. idem est ac sumere sine fructu, in sensu Tridentini, nego sine fructu & cum peccato, con. maj. & dist. min. est peccator ponens obicem gratiæ, nego; non ponens obicem Con. min. & nego conseq. Itaque Adversarii ad suum gustum interpretari videntur Tridentini sensum, quod non licèt, cùm enim ibi agat de causalitate per se, agit de peccatore, qui cum conscientia peccati mortalis gravatus, peccat suscipiendo Eucharistiam; quod sub hoc tit. ita perspicuè explicat Catechismus Tridentini, ut nulla habeatur ambigendi ratio: en ejus verba: rectè igitur, & sapienter majores nostri, ut in Trid. Synodo legimus, tres hujus Sacramenti sumendi rationes distinxerunt; alii enim Sacramentum tantùm accipiunt ut peccatores, qui sacra mysteria impuro ore, & corde accipere non verentur, quos Apostolus ait indignè manducare, & bibere Corpus Domini. De his D. Augustinus ita scribit: *qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio non manducat Spiritualiter ejus carnem, licèt carnaliter, & visibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis & Sanguinis, qui itaque hoc modo affecti sacra mysteria accipiunt, non solùm ex his nullum capiunt fructum, sed ipso Apostolo teste judicium sibi manducant, & bibunt.* Ex quibus vel ipsi Adversarii fateri coguntur, Tridentini sensum non adversari conclusioni nostræ, cùm & ipsi fateantur in casu naturæ conclusionis peccatorem illum suscipiendo Eucharistiam non peccare; ut quid ergo afferunt Tridentinum contra nos?

292. Objicies 5. Ex D. Thoma 3. part. quæst. 72. art. 7. ad 2. dicente: *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequetur remissionem peccatorum.* Modo sic: eodem modo consequetur gratiam per Sacramentum confirmationis (de quo ibi est sermo) peccator adultus accedens sine fictione, sive bona fide cum contritione ac consequetur, qui cum attritione accedit immemor sui peccati; atqui iste non consequetur primam gratiam habitualem, sed auxilia gratiæ, quibus disponatur ad consequendam remissionem peccati; ergo neque consequitur primam gratiam habitualem ille, qui bona fide accedit cum attritione.

293. Confirmatur 1. verbis Divi Thomæ quæst. 79. artic. 3. de Eucharistia dicentis: *forte enim primò non fuit sufficienter contritus, sed devotè, & reverenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati:* ex quo sic formatur argumentum ex Divo Thoma: solùm datur per hoc Sacramentum gratia, quæ contritionem perficiat, sed ista est gratia auxilians, & non remissiva peccati; ergo &c. Confirmatur 2. ex responsione ad 3. ubi hæc habentur: *ad 3. dicendum, quòd gratia est sufficiens causa remissionis peccati mortalis, non tamen actu remittit peccatum mortale, nisi cùm primùm datur peccatori; sic autem non datur in hoc Sacramento, unde ratio non sequitur:* ergo ex vi gratiæ susceptæ per Eucharistiam nunquam remittitur peccatum mortale. Miror valde, similia Divi Thomæ testimonia objici contra nos, quandoquidem in illis doctrina nostra manifestè continetur. Quapropter

Respondeo, conc. textu Divi Thomæ, nego maj. nam ibi S. Thomas loquitur de illo, qui 29
omnino immemor sui peccati accederet cum sola attritione, vel si peccatum haberet, accederet cum contritione existimata, quæ revera esset attritio, in quibus casibus, cùm non haberet obicem, reciperet gratiam, qua peccata remitterentur. Unde ex hoc textu roboratur valde nostra doctrina, neque ibi de auxiliis gratiæ, ad quæ Adversarii confugiunt, vel minimum verbum habet. Ad primam Confirmationem conc. maj. & nego min. nam gratia, quæ contritionem perficiat juxta phrasim Divi Thomæ, Interpretum, & Theologorum, est gratia sanctificans per Sacramentum susceptum, qua homo ex attrito formaliter, fit contritus habitualiter, quod quidem munus longè abest à gratia auxiliante. Ad secundam Confirmationem nego consequentiam; nam ibi loquitur de gratia per se causata à Sacramento Eucharistiæ, & de peccatore accedente cum conscientia peccati mortalis; quòd, ut quisque cognoscat, sufficiet legere objectiones, quas ibi dissolvit D. Thomas, cum quo jam diximus, Sacramentum Eucharistiæ nunquam causare per se in sensu Theologico primam gratiam, & remissionem peccati; eam autem causare per accidens, diximus, & dicimus cum ipso Divo Thoma, de cujus mente in hoc puncto dubitare non licet. 29

Legatur Div. Thomas in 4. dist. 23. quæst. 1. artic. 1. de extrema Unctione loquendo ita habet: *quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideò ex consequenti, si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel venniale quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis;* sicuti etiam de Eucharistia, & Confirmatione suprà dictum est. Et ideò etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: *si in peccatis sit, dimittuntur ei quoad culpam, non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit, sed semper remittit quoad debilitatem pradictam, quam quidam reliquias peccati dicunt,* quo nihil clariùs adduci potest. Ex dictis 29

Fit 1. illum, qui accederet ad Sacramenta vivorum cum inculpabili oblivione sui peccati mortalis, & judicaret se esse in gratia, non peccare suscipiendo Sacramentum; ipsum tamen non recepturum gratiam, qua remittatur mortale

tale, nisi habeat saltem attritionem ex dictis n. 258. Fit 2. esse peccatum mortale per se loquendo, accedere ad Sacramenta vivorum cum conscientia peccati mortalis. Fit 3. cum Eximio Doctore, illum, qui probabili fide, & ignorantia putaret, sufficere ad dignam Evchariſtiæ sumptionem attritionem cognitam, & sic accederet, consecuturum primam gratiam per hoc Sacramentum. Ratio est, quia illa ignorantia excusaret à peccato, & simul cum attritione non haberet obicem ad gratiam Sacramenti, cúmque Sacramentum conferat gratiam subjecto disposito, sive obicem non ponenti, homo in eo casu dispositus reciperet gratiam.

297. Fit 4. Sacramenta vivorum dici non posse Grammaticaliter Sacramenta mortuorum. Ratio est, quia, quòd Sacramenta sint vivorum, vel mortuorum, non est denominatio desumpta à sensu Grammaticali, sed à sensu Theologico. Fit 5. attritionem generalem esse votum omnium Sacramentorum, ad quæ quis obligatur; sic cum Sacramento Pœnitentiæ sufficit attritio ad consequendam primam gratiam, quæ sine voto Evchariſtiæ obtineri non potest ex Catechismo Tridentini citato num. 282. ac proinde talis attritio est votum illius Sacramenti, quando obligat ex dictis num. 268.

SECTIO III.

De requisitis ad licitam Sacramenti administrationem.

298. PLures opiniones leguntur apud Authores circa administrationem Sacramentorum, quæ ad praxin jam deduci non possunt post 65. propositiones ab Innocentio XI. damnatas 3. Martii 1679. non paucæ ex illis pertinent ad peculiares Theologiæ Tractatus, quas suo loco explicabimus. Duæ autem sunt, quæ spectant ad Tractatum de Sacramentis in genere, quas hic pro munere tenemur exponere, ne illicitè, & invalidè Sacramenta ministrentur. Una ex illis est ordine prima, quæ sic habet: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi vetet id lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Altera est vigesimanona, quam explicabimus, postquam his tribus Sectionibus istam primam propositionem exposuerimus. Pro majori claritate

299. Suppono 1. Non esse idem opinionem tutiorem, & probabiliorem; quandoque enim opinio probabilior est minùs tuta, simúlque præscribit, & asserit valorem Sacramenti: opinio autem minùs probabilis est magis tuta, & negat valorem Sacramenti; unde ex vi decreti, & in illius sensu tenemur omittere opinionem probabiliorē circa valorem Sacramenti, quando minùs probabilis est tutior; opinio autem tutior dicitur illa, quæ non exponit Sacramentum frustrationi, cùm probabiliter asserit, Sacramentum non esse validum: minùs tuta dicitur illa, quæ exponit Sacramentum frustrationi, dum probabiliter asserit validum esse tale Sacramentum. Quapropter opinio tutior non est, quæ formaliter respicit praxin, sed à cujus veritate praxis dependet.

Suppono 2. Prædictam damnationem non extendi ad usum urgentissimæ necessitatis, in quo ex charitatis præcepto tenemur succurrere proximo meliori modo, quo possimus, neque potest opinio tutior ad praxin deduci, tunc tenemur uti minùs tutâ sub conditione ex dictis n. 72. & 252. v. g. si infans est moribundus, nec inveniatur aqua naturalis, bene verò lixivium, debet baptizari in lixivio sub conditione, ut si fortè sit materia *Sacramenti*, possit consequi vitam æternam. Ratio est, quia ita colligitur ex illis verbis damnatæ propositionis *relicta tutiore*; in illo enim casu urgentis necessitatis, cùm impossibile sit eligi tutiorem, quæ est de Baptismo cum aqua naturali, non relinquitur tutior: solùm enim dicimur relinquere, quæ poteramus adhibere, neque in illo casu sit ulla irreverentia *Sacramento*, cùm ipsa urgens necessitas præseferat jus ad administrandum sub conditione, & ubi datur jus ad ita administrandum, irreverentia deficit: sic loqui Sacerdotem in Ecclesia intra divina officia irreverentia est, si tamen necessitas urgeat, ut postulet aliquid necessarium ad *Sacrificium*, omnino cessat irreverentia. 300.

Suppono 3. Non contineri sub damnatione illius propositionis electionem opinionis minùs tutæ, quæ non versatur circa valorem Sacramenti, sed solùm circa modum illud administrandi: unde si Laicus conferret Baptismum in necessitate ductus opinione Scotistarum, & aliorum tradita num. 141. quæ asserit, illum licitè posse baptizare, licèt sit in statu peccati mortalis, quamvis ea opinio esset minùs probabilis, & minùs tuta, non ideo esset contrà prædictam damnationem illam ad praxin deducere. Suppono 4. Opiniones probabiles alias esse probabiles practicè, quæ hic, & nunc deduci possunt ad praxin; alias probabiles solùm speculativè, quæ, licèt fortasse sint veræ, hic, & nunc deduci non possunt ad praxin, vel quia minùs tutæ, vel quia prohibitæ, vel ex alio capite. Suppono 5. Propositiones aliquas dici damnatas formaliter, quia damnantur expresè, ut extant; alias verò dici damnatas virtualiter, quia, licèt formaliter non damnentur, ut extant, attamen ex falsitate propositionis damnatæ infertur legitimè aliarum falsitas. His positis 301.

Assero 1. *Sub* damnatione hujus primæ propositionis continetur ea opinio, quæ extra casum necessitatis exponit frustrationi Sacramentum. Probatur 1. Idem est dicere, non posse nos extra casum necessitatis, ut monui n. 300. 302.

uti opinione minùs tuta circa valorem Sacramenti, ac dicere, nos uti debere tutâ in ordine ad valorem, quando conficimus Sacramentum; sed exinde debemus uti opinione, qua non frustretur Sacramentum extra casum necessitatis; ergo &c. Confirmatur. Ex frustratione Sacramenti extra casum necessitatis sequitur 1°, Fideles defraudari fructu Sacramenti, ad quem jus habent ex Christi ordinatione; sed illicitum est, eo fructu Fideles defraudari ratione opinionis minùs tutæ, cùm illicitum sit ex vi hujus damnationis, uti opinione minùs tuta in ordine ad valorem, quo ablato non possum Sacramenti fructum requirere; ergo ex posita damnatione damnata manet quævis talis opinio minùs tuta; sed talis est, quæcunque exponit frustrationi Sacramentum extra casum necessitatis; ergo &c.

803. Respondeo 2. adducendo simul rationem, quam referat Doct. Eximius, ex qua apparet ista damnatio hujus propositionis: sic enim arguit: qui conficit Sacramentum ductus opinione probabili relicta tutiore, operatur contra reverentiam Sacramento debitam, & mortaliter peccat; sed illicitum est ita operari; ergo illicitum est extra casum necessitatis operari cum periculo frustrandi Sacramentum, ac proinde quævis opinio, quæ illud consuleret, sub hac damnatione comprehenderetur. Prob. maj. Qui absque necessitate se exponit periculo conficiendi Sacramentum irritum, mortaliter peccat contra reverentiam *S*acramento debitam; atqui utens opinione probabili relicta tutiore absque necessitate in nostro casu ita se gerit; ergo &c. Probatur maj. In moralibus perinde est aliquid facere, & exponere se periculo faciendi; sed apud Adversarios est peccatum mortale contra reverentiam *S*acramento debitam, facere absque necessitate Sacramentum irritum; ergo & se exponere. Confirmatur. Ex tenore damnationis saltem esset peccatum ita operari, quatenus se exponit periculo defraudandi suscipientem fructu, ad quem jus habet ex institutione: ergo eo ipso est peccatum contra reverentiam debitam institutioni, ac proinde debitam *S*acramento.

804. Respondebis cum aliquibus Recentioribus, ex tenore damnationis nullatenus inferri, peccare mortaliter utentem in conferendis Sacramentis opinione probabili relicta tutiore; tum quia ly *tantùm* propositionis damnatæ positum inter *probabili*, & *utendum* dubium est, an cadat supra *probabili*, an supra utendum; tum, quia ille, qui probabiliter operatur, prudenter operatur, & qui operatur prudenter, graviter non peccat; solùm ergo peccabit venialiter non operando tutiori modo; cùm autem operari venialiter sit illicitum, operari eo modo illicitum est, neque aliud docemur ex vi propositionis damnatæ, ut ex illius verbis apparet. Quapropter cùm damnationes sint odiosæ, restringendæ sunt juxta tritam illam regulam Juris: *odia sunt restringenda*, atque proinde nullatenus deducitur ex illa damnatione peccatum graviter, qui conferens Sacramenta utatur opinione probabili relictâ tutiori. Hæc responsio multa continet, quæ non solùm displicent, sed quæ neque mihi præseferunt vel umbram probabilitatis: imò immutat sensum absolutum, & præcipuum propositionis, suprà quodcunque cadat ly *tantùm*. Quapropter

Contrà 1. qui imprudenter operatur in re gravi obstringente conscientiam, graviter peccat, ut notum est apud omnes: atqui utens opinione probabili in conferendis Sacramentis, relicta tutiore, imprudenter operatur in re gravi obstringente conscientiam; ergo graviter peccat. Probatur min. periculum frustrandi Sacramentum est res gravis, & insuper operari cum eo periculo frustrationis prohibitum est ab Innocentio XI. præcepto obstringente conscientiam, ut constat ex tenore decreti, in quo prohibitio proponitur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, in virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione divini judicii, quæ evidenter inducunt obligationem conscientiæ; atqui conficiens Sacramenta, eatenùs in re gravi obstringente conscientiam operatur illicitè cum periculo frustrandi valorem Sacramentorum, quatenus utitur opinione probabili relictâ tutiore; ergo utens opinione probabili in conferendis Sacramentis, relicta tutiore, imprudenter operatur in re gravi obstringente conscientiam.

Cont. 2. Si conferens Sacramenta operaretur prudenter ductus opinione probabili relictâ tutiore, non peccaret ullo modo, neque mortaliter, neq; venialiter, atque adeò licitè operaretur, ut defendebant olim Medina, & Alanus ante istam pontificiam condemnationem; atqui post Pontificiam condemnationem certum omnino est, ut fatentur Adversarii, illum operari illicitè; ergo non operatur prudenter, ac proinde ex capite operandi prudenter nequit excusari a culpa lethali.

Cont. 3. Damnatio hujus propositionis non est odiosa, sed favorabilis; ergo perperam restringitur ex illa regula juris ab Adversariis. Probatur antec. ex damnatione hujus propositionis docemur, quomodo debeamus nos gerere ad utilitatem nostram in confectione Sacramentorum, ita ut ex vi propositionis non limitetur, sed declaretur, & stabiliatur utilitas; illa enim propositio non est perniciosa in praxi, quia prohibetur, sed potiùs prohibetur, quia in praxi est perniciosa, ut constat ex tenore decreti dicentis. Idem Sanctissimus Dominus noster re postea maturè considerata statuit, & decrevit pro nunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas esse damnandas, & prohibendas sicut eas damnat, & prohibet; atqui declaratio propositionis conducens ad utilitatem nostram non est odiosa, sed favorabilis; ergo &c.

Alle-

308. Assero 2. Licèt non damnetur expressè, & formaliter, illicitum esse suscipienti uti opinione probabili quo ad valorem Sacramenti, relicta tutiore, damnatur tamen virtualiter. Probatur 1. propositio virtualiter damnata est illa, quæ licèt formaliter, & expressè non contineatur in damnatione, nihilominùs ejus falsitas legitimè infertur ex falsitate propositionis damnatæ, ut constat ex num. 301. atqui licèt non contineatur formaliter, & expressè in hac prima propositione damnata, illicitum esse suscipienti uti opinione probabili quo ad valorem Sacramenti, relicta tutiore, cùm damnata propositio loquatur de conferente, & non de suscipiente; attamen ex falsitate propositionis damnatæ infertur legitimè falsitas hujus propositionis: *licitum est suscipienti uti opinione probabili quo ad valorem Sacramenti, relicta tutiore;* ergo &c. Probatur min. in propositione damnata tota damnationis ratio stat in eo, quod dicatur licitum, exponere absque urgente necessitate frustrationi Sacramentum; sed hæc ratio æque militat in suscipiente, & conferente, si eadem opinione utantur; ergo &c.

309. Respondebis ex supra citatis recentioribus non militare eandem rationem, quia conferens Sacramenta non potest cedere securitati, & fructui Sacramenti, cùm Sacramentum non sit institutum ad fructum conficientis sed ad fructum suscipientis; suscipiens verò ob hanc rationem potiùs, quàm conficiens potest cedere, ut patet in elicientia doloris requisiti ad Sacramentum pœnitentiæ, quem potest elicere, vel attritionis, vel contritionis, ante vel post confessionem pro libito suo. Contrà tamen 1. non potest fidelis velle licitè suscipere Sacramentum, & simul nolle illud modo, quo Christus instituit: hoc enim ut per se patet, gravissimum peccatum esset; atqui Christus Dominus ita instituit Sacramentum, ut nullam reliquerit fidelibus facultatem ad licitè renunciandum, vel non renunciandum fructui Sacramenti; ergo &c. Probatur min. suscipiens Sacramenta non potest pro libito suo licitè renunciare gratiæ, quam ex opere operato Sacramenta conferunt; imò si non adhibeat requisita ad participandum fructum Sacramenti, peccat contra Christi institutionem applicantem Sacramenta ad modum causæ necessariæ, ut communicent fidelibus fructum suæ passionis; ergo &c.

310. Contrà 2. Et simul ostenditur ea maxima æquivocatio, qua Adversarii laborant: licèt quando fidelis non tenetur ad Sacramentum suscipiendum, v. g. Evchariſtiam, possit licitè non suscipere, sicque se privaret fructu, quem acquirere posset per Evchariſtiæ Sacramentum; attamen si velit Evchariſtiam suscipere, non potest velle suscipere illam contra Christi institutionem, sicque velle non potest renunciare gratiæ, quam ex opere operato Evchariſtia confert; ideóque, ut alia omittam, valor Sacramenti distingitur à valore temporali humano, qui solùm fit volenti acceptare; & ab utilitate accepta, quam suscipiens potest applicare huic, vel alteri; gratiam autem per Sacramentum acceptam non potest suscipiens alteri applicare pro libito suo; ergo non potest licitè fidelis velle suscipere Sacramentum, simúlque velle uti jure ad cedendum fructui Sacramenti.

311. Contrà 3. Licèt Minister Sacramenti, qui hic & nunc non tenetur conficere Sacramentum, possit licitè illud non conficere, licèt fidelis privetur fructu Sacramenti, quod volebat recipere; attamen non potest hic & nunc velle conficere Sacramentum, simúlque nolle, quod conferatur fructus, quem confert Sacramentum, quin talis volitio injuriosa sit Christi institutioni; ergo licèt fidelis non teneatur hic & nunc recipere Sacramentum, & sic privetur fructu Sacramenti; non tamen potest velle hic & nunc recipere Sacramentum, simúlque nolle, quòd ipsi conferatur fructus Sacramenti, quin talis volitio injuriosa sit Christi institutioni. Contrà 4. quia ut constat ex dictis, & constabit ex dicendis, non potest fidelis velle *Sacramentum* pœnitentiæ, simúlque nolle dolorem certò sufficientem ad valorem Sacramenti; ergo exemplum Adversariorum in responsione adductum est extra rem præsentem.

312. Probatur 2. Conclusio præcipuè ad homines contra supra citatos recentiores: non solùm est peccatum mortale uti opinione probabili in ordine ad valorem, in confectione Sacramenti Baptismi, ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis, relicta tutiore, sed etiam est peccatum mortale, uti ea opinione in susceptione illorum Sacramentorum, ut in suis scriptis Adversarii fatentur; ergo non solùm est illicitum, uti ea opinione in confectione aliorum Sacramentorum, sed etiam in illorum susceptione. Probatur conseq. nullus gravior, & deformior effectus excogitari potest, quàm deformitas in periculo frustrandi Sacramentum; sed tali deformitati, & periculo non solùm se exponeret conficiens, sed etiam suscipiens Sacramentum, si tali uteretur opinione; ergo &c. ex quo unico fundamento præoccupatæ manent responsiones, quas isti recentiores excogitárant, & exceptiones, quæ non ita regularem redderent damnationem. Ex dictis,

313. Fit 1. Circa Sacramentum Baptismi manere extra casum necessitatis damnatas in praxi illas omnes sententias, contendentes validè administrare in aqua, quæ non certò constat esse naturalem, v. g. in aqua ex sale resoluta, ex herbis expressa, in lixivio, jusculo cocto, & sic de aliis; tum sententias contendentes sufficere pro forma verba, quæ certò non constat esse sufficientia, v. g. baptizetur Petrus à DEO in nomine Patris &c. ego te Baptizo in nomine Christi, vel in nomine genitoris geniti, & procedentis ab utroque, cùm tutiores sint sententiæ oppositæ, & versentur

circa valorem. Pariter respectivè ad subjectum Baptismi manent ob eandem rationem damnatæ extra casum necessitatis opiniones illorum, qui contendunt, validum esse Baptismum factum in infantis pelle secundina circumdati capillis, digito, aut alia parte Corporis minima.

314. Fit 2. Circa Sacramentum Confirmationis, non licere extra casum necessitatis illud ministrare solo oleo Olivarum ab Episcopo benedicto, cùm tutior sit sententia docens, materiam remotam hujus Sacramenti esse chrisma necessariò compositum ex oleo Olivarum, & Balsamo ab Episcopo benedictum. Fit 3. Circa Sacramentum Evchariſtiæ, non licere conficere Evchariſtiam in pura avena, amilo, quamvis aliqui doceant hæc non differre speciè à tritico, ob eandem rationem non licèt illam conficere in vino congelato, neque proferendo ea sola verba: *Hic est Calix Sanguinis mei*: nam plures cum D. Thom. docent reliqua omnia verba esse essentialia, & aliundè ista est sententia tutior; verum quidem est, auctores docentes formam essentialem continere in 5. illis verbis prioribus, simul addere esse peccatum mortale reliqua omittere, propter perpetuam consuetudinem, & traditionem Ecclesiæ de obligatione proferendi reliqua omnia verba in Calicis consecratione; modò autem ex vi damnationis hujus primæ propositionis constat, illicitum etiam esse ob periculum frustrandi Sacramentum.

315. Fit 4. Circa Sacramentum pœnitentiæ illicitum esse uti opinione probabili relicta tutiore in ordine ad valorem Sacramenti; ac proinde cùm ab auctoribus assignentur actus pœnitentis, qui certò sunt sufficientes ad valorem Sacramenti, & alii, qui solùm probabiliter sufficientes sunt: tum etiam verba, quæ solùm sunt sufficientia probabiliter ad absolutionem, & alia, quæ certò sufficientia sunt. Denique jurisdictio certò sufficiens; & alia solùm probabiliter sufficiens, ut detur valor Sacramenti; in his omnibus, ut ex dictis constat, illicitum est, ex tenore decreti, uti sententia probabili relicta tutiore. Scio recentiores aliquos aliter sentire circa jurisdictionem; cæterùm si sensus propositionis damnatæ accuratè introspiciatur, perperam ipsi tale discrimen assignant, cùm damnata propositio generalis sit in ordine ad valorem, & ex defectu jurisdictionis deficiat valor Sacramenti, ut constat ex Trid. sess. 14. cap. 7. dicente: *persuasum semper in Ecclesia DEI fuit, & verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

316. Quando autem ille, qui habet jurisdictionem probabilem, acquirit certam ex circumstantiis, tunc certò potest operari cum ea jurisdictione, v. g. quando intervenit error communis cum titulo putativo à legitimo superiore collato; vel quando consuetudo certam facit jurisdictionem illi, qui gaudet verè probabili: etenim cùm consuetudo habeat vim legis, ea consuetudine quasi lege Ecclesia potens supplere supplet jurisdictionem. Videatur Cardinas cap. 6. art. 6. & 10. ex quo validè absolvi potest excommunicatus bona fide accedens in casu urgentissimæ necessitatis, vel in casu quo non est adeo urgens necessitas, quando per ipsum excommunicatum non stat, quo minùs absolvatur, & jam satisfecit, vel est omnino impotens satisfacere, idque fieri potest absque scandalo: nam in eo casu, inquit Cardinas, habetur ab Ecclesia jurisdictio certa; & pariter, quando fidelis absolvitur ab excommunicato tolerato.

Quapropter ex vi præsentis damnationis non manent damnatæ illæ sententiæ probabiles, quæ conveniunt in designando ea, quæ certò requiruntur ad valorem Sacramenti, etsi disconveniant in his, quæ suscipiens debet apponere, ut Sacramentum licitè recipiat, vel Minister, ut licitè conficiat, ex dictis num. 31. Exindè assignant plures in tract. de pœnitentia rationem, ob quam non tenetur quis ad confitendas circumstantias aggravantes intra eandem speciem, neque ad manifestanda iterum ea peccata, quæ manifesta jam fuerunt in confessione valida, neque ad repetendas confessiones, quæ ex ignorantia, vel inadvertentia invincibili hujus decreti fiunt, vel quæ antè decretum sunt factæ sequendo opinionem probabilem minùs tutam, de quo dicemus in tract. de pœnit.

Fit 5. Circa Sacramentum extremæ Unctionis non esse jam sententiam practicè probabilem extra casum necessitatis, posse chrisma esse materiam hujus Sacramenti, cùm tutior sit, quæ ex Florentino, & Tridentino affirmat esse oleum ab Episcopo benedictum. Idem esto de sententia affirmante, validum esse istud Sacramentum facta unctione in uno sensu, cùm tutior sit, quæ docet, debere ungi omnia organa quinque sensuum. Ex hoc autem non manet damnata sententia docens, posse fieri plures additiones olei non benedicti in exigua quantitate, infundendo scilicet æqualem quantitatem minimæ illi, quæ ex vase pleno olei benedicti extrahitur, licèt eadem in totius anni decursu resultaret major pars olei non benedicti; quia quæcunque illa exigua pars addita benedicta manet ex conjunctione cum tota illa materia benedicta præcedenti, ut circa dubium Illustrissimi Archi-Episcopi Hispalensis declaravit Romæ 29. Sept. 1682. generalis congregatio Sancti officii habita in conventu S. MARIÆ super Minervam.

Fit 6. Circa Sacramentum Ordinis non minere practicè probabiles illas sententias quæ excludunt à materia consecrationis Episcopalis aliquas actiones, quæ ex aliis sententiis probabilibus necessariæ sunt ad valorem, Varietatem

tatem sententiarum circa præsentem controversiam invenies apud Dianam p. 12. tract. 1. resolutione 12. Pariter non manet practicè probabilis sententia docens non requiri in ordine sacro tactum physicum materiæ remotæ, sed sufficere tactum moralem. Exinde autem damnata non manet sententia docens valere consecrationem Episcopi factam ab uno duntaxat Episcopo ex dispensatione Romani Pontificis: nam talis opinio ex praxi primorum Pontificum certa habetur, eamque ad praxin reduxêre Gregor. Magnus, Greg. III. Pius V. & tandem roboravit Alexander VII. Neque damnata manet sententia docens cum Granado, non debere iterari Diaconatum, Subdiaconatū, aut minores ordines juxta probabilem opinionem collatos, etsi peccaverit, qui ita suscepit; debere tamen iterari sub conditione Presbyteratum collatum opinione minùs tuta ad obvianda inconvenientia, quæ ex defectu valoris talis Sacramenti subsequentur in Presbytero, & non in aliis.

320. Fit 7. Circa Sacramentum matrimonii, illicitum esse contrahere matrimonium cum opinione tantùm probabili de valore, relicta tutiore; neque sufficere, quòd detur purè probabilitas de carentia impedimenti dirimentis in quæstione facti, quando datur probabilitas de impedimento. Rem enim ita existere, vel non existere, non desumitur à probabilitate, aut ignorantia invincibili, sed ab existentia rei, vel non existentia. Unde si Petrus eliciens actum affirmativum illius rei, elicit actum verum, Petrus eliciens actum purè affirmativum ejusdem rei, elicit pariter actum verum. In quæstione autem juris facultas, ut aliquis opus inculpabiliter faciat, desumitur à judicio prudenti; cùm autem unus possit habere judicium prudens de eo, quòd hæc res sibi liceat, & alter, quòd non liceat, si ambo eandem rem facerent, unus peccaret, & alter non peccaret. Undè in quæstione facti requiritur certitudo facti, modo, quo dicemus esse in praxi Ecclesiæ obligare conjuges, ut stent valori contractûs à num. 322.

321. Ex his docent plures, valorem matrimonii fieri omnino certum ex variis capitibus, quando adest vera probabilitas juris circa talem valorem in his, quæ pendent à jure humano Ecclesiastico, cùm id persuadeat Ecclesiastica consuetudo approbans matrimonia facta cum opinione probabili de carentia impedimenti dirimentis contra aliam sententiā probabilem de impedimento, ut constat ex definitionibus sacræ Rotæ respectu merus reverentialis, Parochi invitè assistentis, testis non specialiter interrogati, & sic de aliis. Videbis apud Cardinas cap. 8. art. 4. in quo invenies roborationem ex Urbano VIII. & quia causa matrimonialis apud Sacros Canones est favorabilis. Etenim licèt Ecclesia possit in his impedimentis dispensare, ut matrimonia fiant, non tamen declarare, quòd jam facta essent valida, nisi verum esset, quòd non adsit impedimentum ab Ecclesia positum, quando ex opinione verè probabili sit ille contractus; vel quod in eo casu verè manet ab Ecclesia dispensatum impedimentum ad contrahendum validè matrimonium.

322. Circa impedimenta verò in quæstione juris divini aut naturalis, ex communi Theologorum, & jurisprudentum doctrina infert art. 10. citatus Cardinas, certum esse, habere Ecclesiam potestatem in dubio speculativo invincibili ad decernendum validum esse matrimonium; tum ratione talis dubitationis, tum ratione opinionis verè probabilis. Ratio fundamentalis est, quia sicut contractus similes continentur intra Sphœram jurisdictionis reipublicæ sæcularis, ita contractus matrimoniales continentur intra sphœram reipublicæ Ecclesiasticæ: atque in casu dubii invincibilis aut opinionis verè probabilis, quando datur dubium positivum ortum ex varietate opinionum vere probabilium, illudque speculativum, & invincibile, per quod dubitatur, an actio sit licita an illicita, etiamsi dubitatio procedat de jure naturali, dum materia contenta sit intra sphœram suæ jurisdictionis, habet respublica sæcularis potestatem ad decernendum valorem contractûs, sive quod idem est, ad obligationem imponendam utrique contrahenti standi contractui; ergò eandem potestatem habet Ecclesia respectu contractûs matrimonialis, cùm sit materia intrà sphœram suam contenta.

323. Quòd quidem ex eo certius appareat, quatenus consuetudine rationabili præscriptum est, decidere dubia, & lites de valore matrimonii in Ecclesia juxta opiniones verè probabiles, & receptas. Sicque decidit Urbanus VIII. in consultatione circa matrimonia infidelium, qui conversi ad fidem baptizantur, proposito dubio circa impedimenta jure divino naturali inducta, nempè an matrimonia eorum infidelium essent valida, an invalida; an possent accipere quemlibet ex pluribus uxorem ex Baptizatis cum ipso, an primam? & tamen Urbanus respondit teste Cardinas, matrimonia contrahenda regulariter debere per opiniones verè probabiles, favorabiliores eis barbaris. Unde talis opinio verè probabilis, cum illis circumstantiis manet certa, sicque opinio verè probabilis, ut superior præcipiat ex jure Superioris, manet certa ad præcipiendum, & in subdito manet certum debitum, ut obediat, ac proinde certè potest Ecclesia tales controversias decidere. Huc spectat, quod dixerat August. lib. 22. contra Faustum cap. 75. & refertur cap. *qui culpatur* 23. quæst. 1. ubi docet, debere subditum obedire, quando non est certum id, quod præcipitur, esse peccatum: Sic enim ait: *Cùm ergo vir justus, si forte sub Rege Domino sacrilego militet, rectè possit illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem servans, cui quod jubetur, vel non esse contra DEI præ-*

præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortàsse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.

324. Quò respexêre *S.* Bernardus de præcepto, & dispensatione cap. 12. super illa verba regulæ S. Benedicti : Obedientia, quæ majoribus præbetur, DEO exhibetur, ita differens: *quamobrem quidquid vice DEI præcipit homo, quod non sit tamen certum, displicere DEO, aut secùs omnino accipiendum est, quàm si præcipiat DEUS.* Et infrà : *ipsum proinde, quem pro DEO habemus, tanquam DEUM in his, quæ apertè non sunt contra DEUM, audire debemus.* Et *S.* Patriarcha noster Ignatius in Epist. de obedientia, & in constitutionibus eadem sæpè repetens. Idipsum confirmat eximius Doctor secunda secundæ tract. 2. disp. 13. de Bello sect. 6. quia in illis circumstantiis tutiùs est obedire, & in dubiis tutior pars est eligenda; quapropter cùm non teneatur subditus obedire, nisi certa sit potestas in superiore ad imperandum, in illis circumstantiis certa est superioris potestas, ac proinde, & potestas Ecclesiæ ad decidendos casus matrimoniales in quæst. juris, sive divini, sive naturalis.

325. Propter eandem rationem, & Ecclesiæ consuetudinem manet in Episcopis certa potestas ad dispensandum in casu necessitatis in impedimento dirimente. Tum etiam matrimonium contractum coram Parocho, & testibus, si inveniatur esse nullum propter impedimentum dirimens omnino occultum, & sine periculo publicitatis, potest revalidari solo mutuo consensu, & sine Parocho, & testibus, ut apud Paulum Leonem constat in praxi ad literas majoris pœnitentiariæ. Cæterùm extra casum necessitatis revalidari sic non potest; quòd si alter conjux sit insçius nullitatis, cognitio enim nullitatis sufficit in communi, si alter conjux dicat : volo ex nunc, si non consisteret inter nos matrimonium, denuo contrahere; altero respondente: *Volo*, manet verus contractus; vide alios multos satis expeditos contrahendi modos apud Thomam Sanchez; nunc autem debemus dissolvere fundamenta Adversariorum, quæ multa sunt, pro quibus sit

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

326. Objicies 1. Contrà 1. affert: ex recentioribus: damnatio hujus propositionis est odiosa, ac proinde expositio illius restringi debet; sed ex eo quod restringi debeat expositio, male extenditur à nobis ad omnes illas opiniones probabiles assignatas circa materias, & formas singulorum Sacramentorum; ergo &c. Probatur maj. non minùs est de essentia legis, tendere ad bonum illorum, quos obligat, ut docent Juristæ, & Theologi videndi apud eximium Doctor lib. 5. de legibus. cap. 2. quàm sit de natura hujus damnationis tendere ad bonum fidelium, sed quamvis lex tendat ad bonum, debet interpretari strictè tanquam odiosa, ut Theologi, & Juristæ docent, videndi apud Franciscum de Sandial. lib. 1. selectarum cap. 12. ergo &c. Confirmatur. Lex non dicitur odiosa, quia legislator odio prosequatur subditos per legem, sed quia lex præcidium affert subditis, & molestiam, ut explicat Barbosa de axiomatibus juris usu frequentioribus Axiomate 166. sed idem affert præfecta damnatio respectu propositionum, quas prohibet; ergo &c.

Resp. N. maj. ad prob. dist. maj. non minus & eodem modo, nego, diverso modo, con. maj. & dist. min. nego conseq. Ratio discriminis est, quia damnatio hujus propositionis non solum tendit ad bonum commune Ecclesiæ, sed etiam ad bonum uniuscujusque particulare, ut constat à num. 305. & tunc interpretari debet ut favorabilis; lex autem civilis aut Ecclesiastica pœnalis aut onerosa licèt tendat ad bonum commune, non ita tendit ad bonum particulare, & ex hoc cap. restringitur ejus interpretatio à Doctoribus; quod satis indicavit idem sapienter in ipso textu adducto contrarios, qui ita habet : *Quia ut inquit Isidorus, lex esse nullo privata commodo, sed pro communi utilitate omnium conscripta, & licèt actus humani sint in particularibus, tamen illa particularia referri possunt ad bonum commune, non quidem communitate generis, vel speciei, sed communitate causæ finalis.* In nostro autem casu aliter res se habet, cùm evidenter tendat in bonum cujuscunque individui, quo in casu omnes conveniunt interpretandam ut favorabilem.

Non ita contingit in fundamento, quod assumunt tanquam certum Adversarii, cùm plures, & quidem gravissimi Doctores doceant, adhuc ipsam legem interpretandam ut favorabilem, quando extensio fit in favorem Reipublicæ, sic Bartolus in lege dicit, *quod licet lex pœnalis, & odiosa extra proprium significatum nullatenus extendatur, ut in regula : odia sunt restringenda; tamen ubi extensio tendit in favorem reipublicæ, ita ipsam debemus extendere, sicut legem favorabilem;* ex qua doctrina gravissimi Doctores judicant dispositionem Cap. si quis suadente, esse favorabilem, & extendendam. Videant Adversarii, quam debile sit contra nos illorum fundamentum. Hinc ad Confirmationem dist. maj. tædium, & molestiam redundantem in bonum particulare, nego in bonum commune, transeat maj. & dist. min. nego consequentiam, ut constat ex dictis.

Objicies 2. Sæpè potest Minister extra casum necessitatis uti opinione probabili circa valorem alicujus Sacramenti, per quem exponatur Sacramentum frustrationi; ergo non est illicita

ſilicium generaliter uti opinione probabili relictâ tutiore, in ordine ad omnia Sacramenta. Probatur antec. Sacerdos poteſt abſolvere pœnitentem habens opinionem duntaxat probabilem de recta pœnitentis diſpoſitione, ſive de vera contrione aut attritione, ſine qua non exſtat valor Sacramenti; ergo &c. Argumentum iſtud, ſi bene expendatur, non minùs militat contra Pontificiam damnationem, quàm contra aſſertionem noſtram. Reſp. igitur nego antec. ad prob. diſt. antec. habens opinionem duntaxat probabilem requiſitam ad valorem *Sacramenti*, nego; ad licitè conficiendum, con. antec. & nego conſeq. Ratio eſt, quia *Sacerdos* abſolvens in ordine ad valorem Sacramenti pœnitentiæ debet ex parte ſui apponere, cùm intentione faciendi quod facit Eccleſia, verba, quæ pro abſolutione certa ſint, & non tantum probabilia.

330. Cæterùm cùm non poſſit ea verba licitè apponere, niſi prudenter judicet, pœnitentem eſſe bene diſpoſitum ad abſolutionem, requiritur, quòd habeat judicium prudens de tali diſpoſitione ad licitè proferendam abſolutionem: ſi tamen haberet judicium imprudens, vel ob vincibilem ignorantiam, vel ob aliam culpam ſuam, & nihilominùs abſolutionem proferret cum intentione abſolvendi, ſtante pœnitente rectè diſpoſito, certò daretur validum Sacramentum: ſed ipſe illicitè adminiſtrabat. Ex quo evidenter apparet, judicium illud prudens non requiri ad valorem, ſed ad conficiendum licitè Sacramentum; aliter neque pœnitens poſſet confiteri, quamvis eliceret actus ex parte ſui requiſitos ad valorem *Sacramenti* ob metum vanum, ne fortè Sacerdos diſtractus non haberet intentionem abſolvendi, & fruſtraretur Sacramentum, ad quod vitandum eſſet tutius non confiteri, quod aſſerere monſtruoſitas eſſet; imò licèt pœnitens bene diſpoſitus judicans invincibiliter confeſſarium non habere jurisdictionem, quando verè habet, ſimúlque poſſe licitè, & validè absque jurisdictione abſolvere, & ſic accederet ad illud, maneret abſolutus; quomodo ergo requirerentur talia judicia ad valorem, videatur Thomas Sanch. l. 1. ſumm. cap. 9.

331. Objicies 3. Ex praxi, & conſuetudine totius Eccleſiæ, confeſſarii abſolvunt pœnitentes cum opinione practicè, & verè probabili circa jurisdictionem: atqui jurisdictio requiritur ad valorem Sacramenti, ut conſtat ex Trid. citato num. 315. ergo damnatio hujus propoſitionis non ſe extendit ad uſum opinionis probabilis circa jurisdictionem. Confirmatur ex Eximio Doctor tom. 4. in 3. partem diſp. 27. ſect. 5. dicente, eſſe probabile, Eccleſiam dare jurisdictionem habenti probabilem, quem plures Doctores ſequuntur; ergo jurisdictione ſolùm probabili poteſt Sacerdos conferre abſolutionem. Reſp. diſt. maj. cum opinione practicè probabili, quæ ex circumſtantiis maneat certa, con. quæ ſolùm manet probabilis, nego maj. & con. min. nego conſeq. Ad confirmationem diſt. antec. eſſe probabile ſolùm, ſumpta opinione ſeorſim à conſuetudine, con. in conſortio conſuetudinis, nego antec. & conſequent. nam ſimul cum talibus circumſtantiis ea opinio eſt certa: licèt enim Eximius Doctor dicat, eſſe opinionem probabilem, non dicit eſſe probabilem conſuetudinem, imò illam tradit indubitabilem per hæc verba: *confirmatur, inquit, ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine, quæ eſt ſufficiens ſignum jurisdictionis* (ut ſupra dictum eſt) *eſt enim univerſalis Eccleſiæ uſus, ut Sacerdotes ſecurè utantur hujusmodi jurisdictione* (nempe verè probabili) *in adminiſtratione hujus Sacramenti.* Quapropter opinio verè, & practicè probabilis ex tali conſuetudine redditur certa.

Ratio eſt, quia, quando datur opinio de jurisdictione verè probabilis apud Doctores, de cujus probabilitate non dubitatur inter *Sapientes*, & ſupradicta Eccleſiæ conſuetudo, talis opinio in praxi manet certa: in tali enim caſu dimanat à conſuetudine tanquam à lege Eccleſiaſtica jurisdictio, ut conſtat ex Cap. *cùm contingat de foro compet.* ubi ſic ſtatuitur: *niſi fortè his, quibus delinquentes ipſi deſerviunt, ex indulgentia, vel conſuetudine ſpeciali jurisdictionem hujusmodi valeant ſibi vendicare;* ubi Gloſſa notat, *quòd conſuetudo dat jurisdictionem*; tum ex Cap. *Romana de ſententia excommunicationis in 6.* ubi probibens quibusdam jurisdictionem abſolvendi à cenſuris, ſubjungit Pontifex: *ſalva contraria ſuper hoc conſuetudine, ſi quam habent*; tum ex Cap. *duo ſimul de officio Ordinarii*, ubi dicitur: *cùm ſit in Canonibus definitum, Primates, vel Patriarchas nihil juris præ cæteris habere, niſi quantùm Sacri Canones concedunt, vel priſca illis conſuetudo contulit ab antiquo*; tum ex Tridentino ſeſs. 22. in Decreto de Reformatione Cap. 3. dicente: *quòd ſi aliqui ex prædictis dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis de jure, ſeu conſuetudine jurisdictio, adminiſtratio, vel officium non competat &c.* Ex quibus patet, jurisdictionem habere ex conſuetudine. 332.

Objicies 4. Inſtando ſimul ſolutionem: licitè, & validè poteſt Confeſſarius abſolvere excommunicatum majori excommunicatione in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis, deficiente copia Superioris; atqui in eo caſu ſolùm habet Confeſſarius jurisdictionem probabilem, cùm talem jurisdictionem negent plures, & doctiſſimi Doctores cum Vaſquez Tom. 3. in 3. part. Tract. de excommunicat. dub. 4. ergo &c. Confirmatur ex Cap. fin. *de Clerico excommunicato*, ubi loquens de Clerico celebrante cum excommunicatione minori, ait Pontifex: *peccat autem conferendo Euchariſtica Sacramenta, ſed ab eo collata, virtutis non carent effectu, cùm non videatur à collatione, ſed à participatione Sacramentorum, qua in ſola conſiſtit perceptione remo-* 333.

tâ

tus. Modò sic: verbum illud *remotus* non potest significare solùm probibitionē, quam etiam habet excommunicatus minore excommunicatione; ergo significat ablationem jurisdictionis à Confessario, ut absolvat excommunicatum majori excommunicatione.

834. Respondeo conc. maj. & nego min. quia licèt opinio nostra secundùm se spectata sit probabilis, in illis circumstantiis urgentissimæ necessitatis redditur certa, ut clarè constat ex Rubrica Missalis de defectibus dispositionis animæ sic statuendo: *si recordetur, se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito tenendi absolutionem: ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere*; ex quo infertur, quòd si excommunicatus inceperit Missam, & ante consecrationem recordatus fuerit excommunicationis, posse progredi, si timetur scandalum, ac proinde in casu urgentis necessitatis cessare talem Ecclesiæ pœnam, sive legem excommunicationis, quæ tollat facultatem ad celebrandum, vel jurisdictionem ad absolvendum, cùm ubique eadem ratio militet: etenim non minùs prohibitus est excommunicatus prosequi Missam, cùm recordatur excommunicationis ante consecrationem, quàm recipere Sacramentum Pœnitentiæ: hoc autem non obstante, ut constat ex prædicta Ecclesiæ declaratione, quando urget necessitas orta ex timore scandali, potest Missam prosequi: ergo pariter, quando urget talis, vel similis necessitas, potest Sacramentum Pœnitentiæ recipere, nec illa lex extra casum necessitatis prohibens extenditur ad casum necessitatis. Hinc ad confirmationem dist. antec. non potest extra casum necessitatis, aut similis justi tituli, conc. in casu necessitatis, nego antec. & consequentiam, ut constat ex dictis.

835. Objicies 5. In casu necessitatis non est illicitum contrahere matrimonium cum sola Episcopi dispensatione circa impedimentum dirimens: sed ista solùm est opinio probabilis, & minùs tuta, cùm contrariam defendunt plures Theologi; ergo &c. Confirmatur. Licèt sit probabile circa quæstionem facti, nulla est certitudo, ut dispenset Episcopus; ergo neque erit certitudo, licèt sit probabile circa quæstionem juris. Respondeo conc. maj. & dist. min. solùm est probabilis præscindendo à consuetudine, conc. simul cum consuetudine, nego min. & consequentiam; quia in consortio talis consuetudinis manet certa ex num. 332. Quòd autem in casu detur talis consuetudo, testantur Eximius Doctor lib. 6. de legibus cap. 14. Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio disput. 40. Castropalao Tom. 5. disput. 4. Revellus, Basilius, Vasquez, Caspar Hurtado, Salas, plurésque alii: tum etiā Pyrrhus Corradus in praxi dispensationum Apostolicarum lib. 8. c. 4. addens Cardinalem Protonotarium tunc Sixti V. facto priùs verbo cum Summo Pontifice, rescripsisse cuidam Episcopo consulenti, licuisse sibi, ut præstiterat, in hujusmodi casu dispensare. Ad confirmationem conc. antec. & nego consequentiam; quia nullum est principium, ex quo maneat certa opinio in quæstione facti, bene verò in quæstione juris ex consuetudine. Videatur Cardenas cap. 8. artic. 12. num. 629.

Objicies 6. Conjuges, qui sunt Ministri Sacramenti matrimonii, possunt licitè ministrare illud ex sententia verè probabili; ergo damnatio hujus propositionis non se extendit ad Ministros omnium Sacramentorum. Resp. dist. antec. ex sententia verè probabili, quæ ex circumstantiis manet certa, con. quæ solùm probabilis manet, nego antec. & consequentiam. Ratio est, quia cum ex jure, & consuetudine præscripta in Ecclesia maneant certa quo ad valorem matrimonia, quæ celebrantur ex sententia vere probabili, ut constat à num. 322. ea opinio probabilis in circumstantiis talis consuetudinis redditur certa, ac proinde nullatenus exponitur frustrationi Sacramentum, neque iste casus sub hac damnatione comprehenditur, ut intendit Magister Ocs talis consuetudinis oblitus. Ex quo

Objicies 7. Si matrimonium celebrari posset ex opinione verè probabili, possent conjuges etiam post longam cohabitationem ex probabilitate contrariæ opinionis recedere à matrimonio, v. g. si consanguinei contraxissent cum dispensatione, circa cujus valorem sunt opiniones utrinque verè probabiles; ergo non ita possunt contrahere, ac proinde talis opinio subjecta manet damnationi. Resp. nego antec. quia cùm talis opinio sit certa ex circumstantiis, ut constat ex num. superiori, matrimonium manet indissolubile, ac proinde postea non possunt conjuges à contractu recedere, imò ex ipsa natura indissolubilitatis matrimonii ita strictè se obligant conjuges ad permanendum in matrimonio, ut cedant juri probabilitatis, qua se possint tueri contra eius permanentiam, etenim ex vi illius contractu se obligant, quantùm possunt in ordine ad valorem, cùm autem possint cedere juri contrario, quod dabat probabilitas, illi juri cedunt ex vi talis contractûs; insuper ex potestate Ecclesiæ manet indissolubile, cùm in illis casibus imponat conjugibus obligationem standi contractui matrimoniali, quod idem est, ac decernere talem contractum esse certò validum.

Objicies 8. Consanguinei in gradu duplicato non admittuntur ad matrimonium in tribunali Ecclesiastico, si obtineant dispensationem, tacendo circumstantiam gradus duplicati; atqui est sententia probabilis, valere dispensationem, licèt taceant illam circumstantiam; ergo opinio probabilis quoad valorem matrimonii ex nulla circumstantia redditur certa, ac proinde ita ministrare subjacet damnationi. Resp. con. maj. & dist. min. est sententia vere probabilis, nego probabilitatis dubiæ, con. min. & nego conseq. illa enim opinio commu-

niter

niret rejicitur à Doctoribus tanquam dubiæ probabilitatis quoad praxin, ac proinde non poteſt manere certa ex conſuetudine. Neque dici poteſt verè probabilis, cùm eam rejiciat Sacra Romana Rota, ſequens oppoſitam, ut patet ex ejus noviſſimis deciſionibus Volum. 3. lib. 1. deciſ. 117. num. 2. & lib. 1. deciſ. 70. num. 1. & ſic perpetuo judicet; unde conſuetudo contra talem opinionem militat: *etenim rerum ſimiliter judicatarum auctoritas vim legis obtinere debet*, juxta legem *non imperatur ff.* de legibus, ſicque oppoſita opinio manet ex circumſtantiis certa; unde non eſt locus ad judicandum ex vi alterius opinionis in favorem matrimonii.

339. Objicies 9. Contra ſecundam aſſert: ex Magiſtro Ozes, & Recentioribus: minùs ſtricta eſt obligatio recipientis, quàm Miniſtri in ordine ad conſulendum valori Sacramenti, ſicque requiritur in Miniſtro intentio virtualis, ſecùs in ſuſcipiente; ergo licèt illa damnatio comprehendat Miniſtrum, non debet extendi ad recipientem. Reſp. con. antec. & nego conſequentiam propter rationes datas à num. 308. neque fundamentum Adverſariorum dignum eſt tantis viris pro re adeò gravi, cùm nihil aliud contineat, quàm *Summuliſtarum* Sophiſma; quid enim refert, quòd ſit major obligatio in Miniſtro, quàm in ſuſcipiente, quando uterque deficit in re gravi? exinde enim ſolùm infertur, utrumque peccare mortaliter, licèt ſit majus peccatum Miniſtri. Sic obligatio Religioſi major eſt, quàm hominis ſæcularis ad obſervationem caſtitatis; exinde autem peſſimè, & contra fidei regulas deduceretur, ſolum Religioſum peccaturum graviter tranſgrediendo præceptum caſtitatis, ſecùs autem ſæcularem: uterque enim graviter peccat, licèt minùs peccet ſæcularis. Pariter in noſtro caſu.

340. Objicies 10. Licitè poteſt pœnitens recipere Sacramentum Pœnitentiæ, licèt non eliciat contritionem, ſed attritionem; atqui non eſt certum, ſed ſolùm probabile, ſufficere attritionem; ergo &c. Probatur min. Non ſufficere attritionem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, ſed requiri aliquam dilectionem DEI ſuper omnia, eſt ſententia plurium Doctorum Lovanienſium, circa quam magna exorta fuit controverſia tum Lovanii, tum in aliis Galliæ Academiis, adeò, ut Alexander VII. Decretum expedierit datum 5. Maij 1660. in quo præcipit, ne ullus audeat Theologicâ cenſurâ inurere, aut contumeliâ, vel injuriâ afficere opinionem affirmativam, aut negativam; ergo ex decreto Pontificio relinquitur illa ſententia in ſtatu merè probabili.

341. Reſpondeo conc. maj. diſt. min. non eſt certũ certitudine autentica, conc. certitudine privata Theologica, nego min. & conſequentiam; & eodem modo reſpondeo ad probationẽ. Ratio eſt, quia ad licitam Sacramentorum adminiſtrationem, & ſuſceptionem non requiritur certitudo authentica, ſed ſat eſt certitudo Theologica privata: cúmque certum ſit certitudine Theologica privata, quòd ſufficiat attritio generalis ſuperna, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ, & ex his, quæ latè diximus Tractatu de Pœnitent. virtut. Exinde licitè accedit pœnitens ad Sacramentum pœnitentiæ cum attritione generali ſuperna. Vidè ibi fusè hæc omnia à num. 444.

SECTIO V.

De ſimulata Sacramentorum adminiſtratione.

ALtera ex 65. damnatis propoſitionibus, ordine 29. ſic habet: *urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.* 342. Pro cujus explicatione ſuppono cum Eximio Doctor lib. 9. de legibus cap. 17. duplicem eſſe ſimulationem, alteram formalem, alteram materialem. Formalis eſt, quando per ſigna externa cum intentione decipiendi manifeſtatur aliis aliter, ac eſt in mente. Materialis eſt, quæ apponit ſigna externa factorum, vel rerum, per quæ præter intentionem aliqui decipi ſolent; ac licèt ex ſe indifferentia ſint ad plura ſignificanda, reſpiciunt tamen, quando apponuntur, objectum, aut circumſtantiam vitioſam, quæ non poteſt excuſari à culpa reſpectivè ad finem ſimulatum: ſic Catholicus, qui ſimulat ſe Judæum, aut Lutheranum, nullatenus excuſatur à culpa, licèt non id faciat ſimulatione formuli, aut ex intentione decipiendi, ſed ex alia diverſa ratione.

Si autem reſpiceret circumſtantiam omnino indifferentem, quæ nihil vitii contineret, & ex ſe poſſet provenire à cauſa *A.* vel *B.* qui cum jure ſuo, & recto animo eam poneret ex cauſa *A.* permittens omnino deceptionem, quam alii habere poſſent judicantes, procedere à cauſa *B.* non eſſet ſimulatio, de qua loquimur, ſed fictio manifeſtationis æquivocæ, quæ non eſt mendacium in opere, ſicuti neq; in verbis eſt mendaciũ loqui per æquivocum abſq; intentione decipiendi, quando quis habet jus ad ita loquendum, licèt permittat deceptionem, quam alii forſàn habebunt adducentes ſenſum rei in aliam ſignificationem. Sic Chriſtus Dominus coram duobus diſcipulis accedentibus ad Emaus Lucæ 24. *ſe finxit longiùs ire*, per quod ſignificabat, vel ipſum in mente diſcipulorum abſentem eſſe ab illis, ut explicat Gregor. Hom. 23. in Evangelio dicens: *nihil ſimplex veritas per duplicitatem fecit, ſed ſe talem eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente*; vel ut alii explicant, ſignificabat ſuum ad cœlum iter, & diſcipuli præter intentionem Chriſti intelligentes viam materialem decipiebantur. 343.

Propter hanc rationem Interpretes excuſant à peccato Joſue, quando cap. 8. præcepit militibus fugam, ut commodiorem habe- 344.

rent occasionem debellandi hostem, quâ simulavit metum sensu explicato; nam fuga potest procedere à diversis causis, nempe à timore, vel à desiderio habendi commodiorem occasionem pugnandi, & inimici Josove judicantes fugam ex timore processisse, decepti sunt; undè discurrendum est suo modo de manifestatione æquivoca facta per opera, ac de manifestatione æquivoca facta per verba, & tunc quando datur jus ad ita manifestandum, non est peccatum permittere deceptionem aliorum, sic decepti sunt Judæi, quando Christus dixit Joa. 2. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: quia judicabant Christum loqui de templo materiali, at ut inquit Evangelista, ille autem dicebat de templo corporis sui; quapropter iste modus dicendi alienus est à simulatione prohibita, sive formali, sive materiali, de qua loquimur.

345. Præsens igitur difficultas est, quid prohibeatur per istam condemnationem? an sola simulatio formalis, an etiam propria simulatio materialis, quæ scilicet respicit modo explicato objectum aut circumstantiam viciosam? an sit particularis, vel an generalis se extendens ad simulationem in quocunque Sacramento? cæterùm ad pleniorem nostrarum assert: intelligentiam, maximo opere meminisse oportet doctrinæ traditæ à num. 21. & 88. ubi exposui magnum discrimen inter matrimonium, & reliqua Sacramenta. Ex quo docent Doctores in tract. de matr. rationem contractûs, & rationem Sacramenti esse in matrimonio res diversas, ita ut ex communi Theologorum matrimonia infidelium vera sint in ratione contractûs, licèt non in ratione Sacramenti, unde intentio contrahentium potest de facto ferri in contractū, quin feratur in rationem Sacramenti, quo in casu matrimonium non erit Sacramentum defectu intentionis; imò inter fideles sub tali intentione prævalente, non esset verum in ratione contractûs, cùm inter istos, utpote manentes sub Ecclesiæ jurisdictione, inseparabiles sint hæ duæ rationes contractus, & Sacramenti ex Christi institutione, ut probat Thomas Sanchez lib. 2. de matr. disp. 10. & latè promovet contra aliquos Theologos Esparza videndus tomo 2. lib. 10. à quæst. 114.

346. Quapropter cum contractus validus sit de essentia Sacramenti matrimonii ex dictis num. 34. 28. & 81. & plura sint, quæ pro jure suo potest contrahens apponere, ut contractus suus sit validus, quæ in aliis Sacramentis non militant, ex dictis num. 138. contrahentes jus habent ad plura, ad quæ jus non habent Ministri aliorum Sacramentorum. Imò ex dictis num. 243. soli matrimonio est peculiare inter reliqua Sacramenta, invalidum esse, si fiat ex gravi metu injustè incusso ad matrimonium extorquendum, cùm tunc invalidus sit contractus: in eo enim casu saltem jure Ecclesiastico contractus est irritus, & sic contrahens utens tali jure in illius favorem concesso, ferre posset intentionem in contractum per verba æquivoca, sciens competere sibi jus ad faciendum contractum nullum, ut vitet illud malum grave imminens, quin ullatenus ferret intentionem in Sacramentum, quo in casu non simularet Sacramentum, sed assumeret manifestationem contractus æquivocam, ne adesset materia, vel forma Sacramenti; cùm autem in aliis Sacramentis non deficiat neque materia neque forma præcisè ratione metus, non reperitur tale jus in Ministris aliorum Sacramentorum, videatur Thomas Sanch. lib. 1. de matr. disp. 11. & Henriquez lib. 11. cap. 9. Castropholao tom. 4. disp. 2. pu. 12. Koninck disp. 28. dub. 3. his præmissis

Assero 1. Ex vi damnationis hujus 29. propositionis damnatur non solùm simulatio formalis, verùm etiam quævis propria simulatio materialis in administratione Sacramentorum. Probatur 1. Ratio propter quam ea 29. propositio damnatur, est, quia continet irreverentiam respectu Sacramentorum, quatenùs simulare Sacram operationem Sacramentalem est illudere DEO; atqui non solùm affert irreverentiam, & illusionem simulatio formalis, sed etiam materialis; ergo ex vi hujus damnationis non solùm manet damnata simulatio formalis, verùm etiam materialis. Causa tenet, & maj. patet ex cap. de homine de celebratione missarum, ubi Innocent. III. refert casum per hæc verba: quæsiviſtis quid de incauto Presbytero videtur, qui cùm sciat se in mortali crimine constitutum, missarum solemnia, quæ non potest propter necessitatem quemlibet intermittere, propter sui facinoris conscientiam dubitat celebrare; peractis que cæteris circumstantiis Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis, quibus conficitur Corpus Christi, panem & vinum tantummodo purè sumit, ita credens per id, quod prætendit populo satisfacere, ut per hoc, quod intendit, Deum non debeat provocare.

Ad quem casum ita respondet Pontifex; cùm ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ vera sunt periculis graviora, licèt is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerit irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui sic franc-lenter illud præsumpserit simulare, cùm ille in solius misericordis DEI manum incidat; ille verò non solùm DEO (cui non vereatur illudere) sed populo, quem decipit, se adstringat. Ex quo clarè patet, simulare Sacramentum, idem esse ex ore Pontificis, ac illudere DEO, cúmque damnatio facta à Pontifice Successore intelligenda sit consentaneè ad damnationem factam à Prædecessore, damnatio ista facta ab Innocentio XI intelligenda est facta ex ratione assignata ab Innocentio III. Undè sola minor propositio primi syllogismi indiget probatione.

Prob. igitur min. quia non solùm simulatio formalis, sed etiam materialis solo naturæ lumine dissona apparet: etenim qui videntibus aliis thus coram idolo projicit in thuribulo, non excusatur à peccato, quamvis fiat sola simulatione materiali, non modò propter scandalum, sed

sed etiam, quia est cultus externus idoli; ergo qui simulat Sacramentum, licèt fiat simulatione materiali, non excusatur à peccato irreverentiæ, & illusionis. probatur conseq. Non minùs debetur in sua linea reverentia Sacramento, quàm sit in debitus in sua linea cultus idolo; sed quia ita est indebitus cultus idolo, simulatio materialis cultûs est peccatum, quia offertur idolo reverentia indebita; ergo quia ita debetur reverentia Sacramento, simulatio materialis Sacramenti est peccatum, quia negatur Sacramento reverentia, quæ debetur. Confir. 1. Reverentia rei non Sacræ, & irreverentia rei Sacræ in sua linea æquo jure proportionantur: atqui reverentia rei non Sacræ nó excusatur à peccato, licèt fiat per simulationem materialē; ergo irreverentia rei Sacræ non excusatur à peccato, licèt fiat per simulationem materialem. Confir. 2. Si quis in missa, dum elevatur Hostia, ex motivo propriæ commoditatis, ac proinde ex simulatione sola materiali omissionis cultûs nollet apperire caput, sed illud ostenderet galero opertum, non excusaretur à peccato illusionis, & irreverentiæ; ergo simulatio materialis non excusat à peccato illius irreverentiæ.

350. Respondebis ex suprà citatis Recentioribus; ex vi præsentis damnationis nullatenus damnari, saltem sub gravi, externam administrationem Sacramenti, si metus sit urgentissimus, v. g. mortis, vel infamiæ, dummodo absit religionis, aut Sacramenti contemptus: etenim cùm damnatio solùm comprehendat metum urgentem, perperàm extenderetur ad urgentissimum; in eo enim casu exteriores circumstantiæ darent novam verbis significationem; sicuti in amphibologiis contingit; unde ita operari non esset fingere, aut simulare Sacramenti administrationem, sed potiùs dissimulare, & occultare. Contrà tamen 1. Nulla est causa, quæ illusionem Dei excuset à peccato; atqui ex Innocentio III. citato num. 348. quæcunque Sacramenti simulatio, ex quacunque causa procedat, est illusio DEI; ergo &c. Probatur min. In suprà citato textu illa simulatio Sacramenti est illusio DEI, *etsi fiat propter necessitatem quamlibet*, quæ sunt verba formalia ipsius textus, sive ut ibi exponit Glossa, *quamlibet*, id est, *aliquam, quæcunque illa sit*; ergo &c.

351. Contrà 2. Propositio ista damnata, utpote indefinita, si sumatur rigorosè juxta Summulistas æquivalet universali, nimirum *omnis metus gravis &c.* si autem restrictè sumatur, ut ex principiis Theologicis sumi potest à reo, ne appareret damnatus, æquivalet particulari vagæ, nimirum *aliquis metus gravis &c.* cùm aliquis metus gravis sit metus gravis; atqui Pontifex, ne ullus excusationem habeat, damnat eam, ut jacet, ut constat ex num. 307. ergo damnat eam propositionem non solùm sumptam ut universalem, sed etiam acceptam ut particularem. Subsumo: atqui, ut ita maneat damnata ea propositio, damnatio debet intelligi ut universalis ad omnem metum se extendens; eo-

dem modo, ac si Pontifex declarateē, ac diceret: *nullus metus gravis est justa causa &c.* ergo malè excipiunt Adversarii metum urgentissimum, cùm iste præcipuè inter alios sit metus gravis. Hinc apparet, quàm conforme sit istud Innocentii XI. cum illo Innocentio III. Decreto, quod notare debuissent Adversarii. Exinde

Probatur 2. conclusio, & simul impugnantur omnes Adversariorum responsiones: ista propositio damnatur, ut jacet, testante Pontifice, ac proinde damnatur in sensu, quem habet juxta communem modum loquendi; atqui nomine *simulationis* in communi modo loquendi non solùm venit simulatio formalis, sed etiam materialis; ergo &c. Probatur min. Authores, qui concedunt, vel negant, licitam esse simulationem in administratione Sacramenti, ut utramque comprehendant, non distinguunt inter simulationem formalem, & materialem, sed indistinctè de omni simulatione loquuntur; ergo simulatio absolutè dicta, absque ulla opposita distinctione, comprehendit in communi modo loquendi simulationem formalem, & materialem. Confirmatur. Si aliquis Sacerdos diceret verba consecrationis supra panem intentione solùm gloriandi de recta verborum pronunciatione, apud omnes prudentes damnaretur de simulatione Sacramenti; atqui illa esset simulatio materialis; ergo nomine simulationis apud omnes prudentes venit in communi modo loquendi simulatio materialis. 352

Probatur 3. Qui per simulationem sive formalem, sive materialem simulat administrationem Sacramenti, fingit se dispensare merita Christi, quando illa reverà non dispensat; sed hoc, ut naturæ lumine notum apparet, est illudere Christo, ac proinde comprehensum manet sub pontificia damnatione; ergo &c. Confirmatur. Sicut se habet in verbis amphibologia, quæ profertur per terminum æquivocum significantem plura ut plura, ita se habet simulatio materialis in factis, & rebus, quæ per signa externa significant res diversas; sed amphibologia materialis per terminum æquivocum comprehendentem objectum malum, v. g. blasphemiam, non excusatur à peccato contra religionem; ergo neque simulatio materialis Sacramenti excusabit à peccato contra reverentiam debitam Sacramento. Probatur min. Hæc assertio, *ita est per vitam Dei*, ab omnibus Doctoribus numeratur inter blasphemias, quia comprehendit significationem vitæ DEI defectibilis, quasi diceretur: *deficiat vita Dei, si hoc non est ita*; quin valeat excusatio, quòd licèt comprehendat istum sensum, possit accipi in alio sensu, sub quo vita DEI non significetur ut defectibilis, & qui profert ea verba, significet ex sua institutione istum sensum, & non illum: ergo &c. 353

Assero 2. Ex vi hujus damnationis damnatur virtualiter simulatio propria, sive formalis, sive materialis susceptionis Sacramenti. Probatur 1. Simulatio propria, sive formalis, sive mate- 354

materialis susceptionis Sacramenti illicita infertur ex vi propositionis damnatæ; sed in hoc consistit, quòd talis simulatio sit virtualiter damnata; ergo &c. Consequentia tenet, & min. patet ex num. 301. & 308. Probatur igitur maj. Ideo damnatur ea simulatio respectu Ministri, quia ita simulans illudit DEO, & irreverentiam committit ex eo, quòd simulat dari verum Sacramentum à Christo institutum, quando non datur, ut constat à num. 348. sed etiam, qui simulat suscipere Sacramentum, quando non suscipit, simulat dari verum Sacramentum à Christo institutum, quando non datur, ac proinde illudit DEO, & irreverentiam committit; ergo &c.

355. Respondebis, non esse illicitum respectu suscipientis ita simulare, tum quia in suscipiente non est tanta obligatio, quanta in Ministro; tum quia Minister non potest cedere fructui Sacramenti, bene verò suscipiens. Contrà tamen 1. Ratio, propter quam datur illusio Dei, & irreverentia Sacramenti, non solùm militat in Ministro, sed etiam in suscipiente, ut constat ex num superiori; sed exinde clarè deducitur, illicitam esse talem simulationem non solùm respectu Ministri, sed etiam respectu suscipientis, licèt obligatio sit major respectu Ministri, ut constat ex num. 339. Ex quo satis, supérque impugnata manet talis responsio; ergo &c. Contrà 2. Quia sicut Minister non habet jus ad conferendum Sacramentum, & simul non conferendum fructum *Sacramenti*, ita suscipiens non habet jus ad suscipiendum *Sacramentum*, & simul cedendum fructui Sacramenti, ut constat à num. 309. ubi impugnata manet ista responsio, & aperta simul Adversariorum æquivocario; ergo &c.

356. Probatur 2. conclusio: non solùm est mendax illa simulatio respectu Ministri, sed etiam est mendax respectu suscipientis: ergo non solùm manet damnata formaliter respectu Ministri, verùm etiam à fortiori manet virtualiter damnata respectu suscipientis. Conseq. tenet; quia ex tali mendacio, & ex re adeò gravi oritur illa irreverentia, & illusio DEI. Probatur antec. Non solùm per simulationem ex parte Ministri, sed etiam per simulationem ex parte suscipientis datur vitiosa apparentia objecti aliter, ac est in mente: in eo enim consistit simulatio propria, sive formalis, sive materialis, ut constat ex num. 342. atqui vitiosa apparenria objecti aljter, ac est in mente, sive verbo, sive opere fiat, induit malitiam mendacii; ergo &c. Probatur min. ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 111. artic. 1. in Corp. dicente: *non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocunque alio facto, ut supra habitum est.* Unde cùm omne mendacium sit peccatum, ut suprà dictum est, consequens est etiam, quòd omnis simulatio est peccatum; ergo &c.

357. Confirmatur 1. Simulatio propria *Sacramenti* excusari nequit ab hypochrysi contra rem adeò Sanctam, sive à Ministro, sive à suscipiente fiat; sed hypochrisis circa Sanctitatem illicita est, ut constat tot & tantis invectivis Christi Domini, & Sanctorum patrum contra hypocritas; ergo simulatio propria Sacramenti, sive à Ministro, sive à suscipiente fiat, illicita est. Confirmatur 2. ex Hieronymo dicente: *simulata Sanctitas duplex est iniquitas*; & ex Crysologo Serm. 7. *simulator virtutis virtutes obtruncat mucrone virtutum*; ergo &c. Confirmarur 3. Ideo Eleazarus 2. Machab. 6. noluit comedere carnes sibi prohibitas, ut putabatur ab amicis in circumstantiis, in quibus simularetur comestio carnis suillæ sibi prohibitæ, quia ea circumstantia reddebat illicitam comestionem, & ut ipse ajebat: *etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam*; atqui circumstantia simulationis reladi Sanctæ, reddit illam operis, vel facti manifestationem illicitam, ut ex dictis constat; ergo non solùm respectu Ministri, sed etiam respectu suscipientis manet illa simulatio prohibita. Opiniones, quæ circa hanc materiam ab Auctoribus hinc inde controvertebantur, pertinent ad Tractatum de Evchariſtia, Pœnitent. & Matrim. Quas, ut clarè resolvas: ex dictis

Fit 1. Circa Sacramentum Evchariſtiæ et vi hujus damnationis damnatam manere sententiam illorum, qui dicebant, licitam esse in aliquibus casibus simulatam administrationem Evchariſtiæ: docebant enim, licitum esse dare Hostiam non consecratam pro consecrata homini constituto in articulo mortis ad vitandum scandalum, si nulla esset Hostia consecrata; hæc enim opinio expresse manet damnata, ut ex dictis constat. Imò Eximius Doctor Tom. 3. in 3. part. disput. 67. sect. 4. jam olim dixerat, opinionem illam esse improbabilem, & intolerabilem. Exinde manet etiam damnata opinio illorum, quos loco citato refert, & improbat Eximius Doctor, & P. Moya Tom. 1. Select. Tractatu 4. quæst. 2. dicentium, quòd si conventio fieret inter Sacerdotem, & peccatorem, liceret ministrari peccatori Hostiam non consecratam, ne reus fieret Corporis Domini, si indignè reciperet; constat enim ex dictis, peccaturum in eo casu & Ministrum, & suscipientem. Neque potest aliquis non suscipiens licitè simulare, se suscipere Evchariſtiam, neque licèt Ministro talem cum eo facere conventionem.

Propter eandem rationem manet virtualiter damnata sententia illorum, qui dicebant, licitum esse Sacerdoti proferre sine intentione consecrandi verba consecrationis supra rorum panem, qui esset expositus vendicioni in platea Civitatis sub hypothesi, quòd Hæreticus minaretur mortem *Sacerdoti*, nisi panem illum consecrarer. Ratio est, quia licèt iste casus non sit de administratione, sed de confectione Sacramenti, ac proinde ex vi hujus damnationis non damnetur formaliter: attamen cum in isto casu detur illusio DEI, ut constat à n. 343. inde

militat in illo eadem ratio, propter quam hæc vigesimanona propositio damnatur, ac proinde ille casus manet damnatus virtualiter; neque posset tunc Sacerdos ex intentione decipiendi Hæreticum proferre alia verba, cùm illa simulatio esset mendax, & æquivaleret huic expressioni: *iste panis jam est consecratus*: imò non video, quomodo in ea hypothesi quævis simulatio non esset formalis, vel virtualis contemptus religionis, unde semper esset illicita.

360. Fit 2. Circa Sacramentum pœnitentiæ, subjacere huic damnationi sententiam illorum, qui dicebant, licere Sacerdoti proferre supra pœnitentem verba absolutionis absque intentione absolvendi, quando in magno concursu pœnitentium, qui circumstant, agnosceret confessarius pœnitentem esse male dispositum quia non vult deserere occasionem proximæ peccandi, aut non habet propositum non peccandi de cætero. Ratio est, quia ex vi hujus damnationis prohibetur simulatio in administratione cujusvis Sacramenti, cùm autem si proferrentur verba absolutionis, esset propria Sacramenti simulatio, casus iste clarè manet prohibitus. Neque Adversariorum fundamentum desumptum ex obligatione confessarii, ne violent sigillū, confert jus ad hanc simulationem, ut constat à num. 373. quia ad servandum sigillum non est necesse proferre verba absolutionis, cùm adsint alii plurimi modi servandi sigillum, nimirum si ex hoc jure, & ex obligatione sua dicat Sacerdos alia verba absque intentione decipiendi, nimirum; *ego neutiquam te absolvo*; ita ut ly *neutiquam* dicatur sub obscurè, ne intelligatur à circumstantibus, *vel ego te absolvo à censuris in quantum possum*, *& indiges*, eodem modo sub obscurè proferendo ly *à censuris*, vel obmurmurando dicens: *Pater noster &c.* modo quo verba neutiquam percipiantur. Cum autem his omnibus, & aliis excogitabilibus modis servari possit sigillum, illicitè simularetur Sacramentum.

361. Quapropter si aliquis ut tractaret negotium, accederet ad confessarium cum propria simulatione Sacramenti, nimirum cum intentione, ut circumstantes existimarent illum Sacramentaliter confiteri, irrogaret injuriam Sacramento, non solùm hominibus, sed DEO illuderet, & se opere mendacem ostenderet ex dictis à num. 354. imò si fieret ex intentione provocandi confessarium ad illicita protextu Sacramenti, gravius esset peccatum, ut per se liquet; si autem ad confessarium accederet absque intentione decipiendi alios, v. g. ad consulendum scrupulum, tractandum negotium pium, vel indifferens, etsi flexis genibus accederet, non exinde simularet Sacramentum, neque incurreret istam damnationem, nam ex eo, quòd istæ actiones sint ex se indifferentes, & sit valde usitatum eas exercere ex quocunque fine ex numeratis, non habent circumstantiam vitiosam, qua constituatur Sacramenti simulatio.

362. Fit 3. Circa Sacramentum matrimonii subjacere huic damnationi opinionem docentem, licitum esse simulare matrimonium in ratione Sacramenti, sive quatenùs Sacramentum est: si enim aliquis expresse dicat, se velle matrimonium sine intentione conficiendi Sacramentum, DEO illuderet, & lethaliter peccaret contra reverentiam *Sacramento* debitam, ut ex dictis satis constat, quin ex metu quantumcunque gravi excusari posset à peccato. Cæterùm si aliquis ferret solam intentionem in contractum matrimonii, non attendendo ad rationem *Sacramenti*, quando ille consensus in contractum oriretur ex gravi metu injustè incusso ad matrimonium extorquendum, tunc non esset illicitum, neque irrogaretur injuria *Sacramento*, cùm non esset *Sacramenti* simulatio, sed esset uti licitè, quod ipsi ab Ecclesia confertur ad celebrandum tunc contractum irritum, ne detur materia Sacramenti, & ad significandum per puram, & licitam manifestationem æquivocam, ut constat ex dictis à num. 345.

363. Fit 4. Circa alia Sacramenta ex vi istarum damnationum non damnari sententiam illorū, qui dicunt, Ministrum Sacramentorum, quamvis per se loquendo teneatur non conferre Sacramenta indignè petentibus, vel ad illa suscipienda accedentibus, neque publico peccatori, sive publicè, sive occultè petenti, teneri tamen conferre peccatori occulto petenti publicè, quando non est periculum frustrationis Sacramenti, cùm ille habeat jus, ne diffametur: sic Christus Dominus, ut sentiunt plures, Eucharistiam Judæ non denegavit, neque illud esset cooperari, sed purè permittere suscipientis peccatum. Propter eandem rationem, licèt non sit licitum per se loquendo, petere Sacramentum à Ministro, quem præsumis esse in peccato mortali, & times, quòd ob malitiam suam nollet confiteri, tamen interveniente notabili necessitate, aut utilitate pœnitentis, illicitum non est ab eo Sacramentum petere, quia tunc non esset cooperari, sed permittere illius peccatum.

364. Ratio horum omnium desumitur ex doctrina communi in materia de scandalo, ubi universaliter statuitur, licere homini facere, vel petere rem aliàs licitam, quamvis alteri futura sit occasio peccandi interveniente aliqua necessitate, aut utilitate notabili, v. g. licere Imperatori Catholico petere juramentum à Turca, & Gentili ad firmandum aliquem contractum sibi utilem, quamvis petitio juramenti futura sit occasio Turcæ, aut Gentili jurandi per falsos Deos. Pariter interveniente necessitate, aut utilitate notabili licet tibi petere juramentum ab eo, quem scis falsò juraturum, & mutuum ab usurario, & sic de aliis; quia, quantùm est ex se, rem licitam petis, & in illis circumstantiis jus habes ad petendum: cùm autem necessitas, & commodum spirituale prævaleat necessitati, & commodo temporali, si necessitas,

& commodum temporale jus affert ad petendam, & conferendam rem ex se licitam, licèt alter ex sua malitia peccaturus præsumatur, quantò meliùs afferet tale jus necessitas, & commodum spirituale?

SECTIO VI.

Solvuntur Opposita.

365. OBjicies 1. contra primam assertionem. In dubio cujuslibet legis semper debemus intelligere id, quod est minùs obligatorium; sed ex vi hujus damnationis dubium est, an comprehendatur, nec ne simulatio materialis; ergo non comprehenditur. Min. & consequentia videntur certa: maj. constat ex Cap. *in obscuris*, de reg. Juris in 6. *in obscuris, quod minimum est, sequimur*: de Verb. Obligat. *quidquid adstringendæ obligationis causà dictum est, id, nisi palam exprimatur, omissum esse censendum est*; tum etiam Ca. *contra eum*, de regulis Juris in 6. *contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, facienda est interpretatio*; ergo. Respondeo permissa maj. nego min. quia in nostro casu non apparet prudens dubium, ne comprehendatur simulatio materialis, cùm comprehendatur simulatio, quæ talis est juxta communem modum loquendi, & quæ affert irreverentiam, quod absque dubio simulationi materiali competit, ut constat ex dictis à num. 348. Dixi *permitto maj.* quæ in nostro casu falsa est: testimonia enim ab Adversariis adducta loquuntur de legis interpretatione, quæ est odiosa; ista autem prohibitio non debet interpretari ut odiosa, sed ut favorabilis, ut constat ex dictis à num. 307. & 327.

366. Objicies 2. In his damnationibus standum est pro verborum proprietate; sed juxta verborum proprietatem non significatur simulatio materialis, sed solùm formalis; ergo ex vi hujus damnationis non condemnatur simulatio materialis, sed sola formalis. Confirmatur. Finis hujus damnationis est vitare, ne fiat dolus in administratione Sacramentorum; atqui simulatio materialis, in qua propter opinionem contingit deceptio passiva, non est dolus; ergo sub hac damnatione non comprehenditur simulatio materialis. Respondeo dist. maj. pro verborum proprietate ut exponibili pro libito suo ab aliquo privato Doctore, nego, ut exponibili juxta communem modum loquendi, con. maj. & dist. min. nego consequentiam; quia nomine simulationis juxta communem modum loquendi non solùm venit simulatio formalis, sed etiam materialis, ut constat ex num. 352. Ad confirmationem dist. maj. ne fiat dolus ratione solius intentionis decipiendi, nego, ex nulla circumstantia prohibita, quæ secum afferret irreverentiam, aut illusionem DEI, conc. maj. & dist. min. nego consequentiam; quia per simulationem materialem affertur hujusmodi dolus ex circumstantia prohibita, ut constat à num. 348.

Objicies 3. Si fiat conventio inter Sacerdotem, & peccatorem in casu necessitatis, non est illicitum ministrare peccatori hostiam non consecratam pro consecrata; ergo damnatio non extenditur ad istum casum. Probatur antec. talis hostia ministrari potest, nullo alio adstante, propter Sacerdotem, & suscipientem, ac proinde quin supponat ignorantiam; sed quando non supponitur ignorantia, neque est illicitum, neque ulla intervenit simulatio; ergo. Resp. N. antec. ad prob. dist. maj. nullo alio adstante, quando confertur non consecrata absque ulla simulatione, con. quando confertur non consecrata pro consecrata, nego maj. & dist. min. nego conseq. quia in illa conventione, si nullus alius adesset, ad summum daretur ludus, non autem daretur hostia non consecrata pro consecrata: hoc autem supponit ignorantiam saltem adstantium, qui judicarent hostiam illam consecratam esse, quamvis Sacerdos, & suscipiens scirent non esse consecratam, quo in casu adesset propria simulatio administrationis Sacramenti, ideóque esset illicita. Neque in illis circumstantiis excusari posset à peccato, cùm ipsa suscepto communionis, quantumcunque ficta, esset cultus externus rei non Sacræ. Sic non excusaretur à peccato, qui exhiberet cultum externum coram idolo, etiamsi ejus affectus internus ferretur in Christum Dominum, ut optimè prænotavit Eximius Doct. tom. 3. in 3. part. disp. 67. sess. 4. ex quo præoccupatæ manent instantiæ, quas ex doctrina P. Vasquez adducere tentarent Adversarii.

Objicies 4. Damnatio hujus propositionis neque formaliter, neque virtualiter se extendit ad metum, v. g. mortis urgentissimum, quia confectio Eucharistiæ aut alterius Sacramenti ministratio simularetur; ergo ex vi hujus damnationis non esset illicitum confiteri, aut ministrare simulatè in eo casu Sacramentum. Probatur antec. damnatio hujus propositionis non est universalis comprehendens omnem metum, sed particularis æquivalens huic: *aliquis metus urgens gravis non est justa causa Sacramentorum administrationi simulandi*; sed ex eo, quòd non sit universalis, non comprehendit metum saltem urgentissimum; ergo. Probatur maj. propositio damnata, utpote indefinita est universalis æquivalens isti: *omnis metus urgens gravis est justa causa administrationem Sacramentorum simulandi*; Sed damnatio contradictoria propositioni damnatæ, est propositio particularis æquivalens huic: *aliquis metus gravis &c.* ergo damnatio hujus propositionis non est universalis, sed particularis.

Confirmatur; à particulari non valet argumentum ad singularem, neque à propositione indeterminata ad determinatam; ergo non valet ista argumentatio: *aliquis metus urgens gravis*

gravis non eſt juſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi; ergo metus mortis urgentiſſimus non eſt juſta cauſa; atqui nos eo modo arguimus, ut extendamus damnationem ad omnem metum; ergo malè à nobis extenditur ad omnem metum. Hoc argumentum ſi benè expendatur, doctrinam tangit, ex quo convincetur, vel damnationem eſſe univerſalem, vel ex vi illius nullam damnari propoſitionem determinatam, quod licèt fateri renuant Adverſarii, facilè oſtendetur ex ipſo eorum diſcurſu quacunque aſſignata determinata propoſitione; nam ex propoſitione indeterminata non valet argumentum ad determinatam; Sed per vos damnatio eſt indeterminata; ergo non valet reduci ad ullam propoſitionem determinatam. Cæterum ut procedamus in forma,

370. Reſp. N. antec. ad probat. nego maj. ad prob. permitto maj. juxta dicta num. 351. & diſt. min. damnatio contradictoria eſt propoſitioni damnatæ univerſaliter ſolùm ſumptæ, nego; ſive univerſaliter, ſive particulariter acceptæ, con. min. & nego conſequentiam. Ratio eſt, quia cum propoſitionis iſtius damnatio comprehendat ea omnia, in quibus damnationis motivum reperitur, nimirum irreverentia Sacramenti, & illuſio DEI, & motivum iſtud non tantum reperiatur in ea propoſitione univerſaliter ſumpta, ſed etiam particulariter accepta, ex quacunque cauſa accipiatur, ut conſtat ex num. 350. eapropter manet damnata ea propoſitio, quatenùs damnatur quæcunque particularis ſub ea comprehenſa: ideóque manet damnata iſta: *aliquis metus urgens gravis eſt juſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.* Unde damnatio eſt illi contradictoria, & habet ſenſum univerſalem, nimirum: *nullus metus urgens gravis eſt juſta cauſa &c.*

371. Sic per definitiones Florentini citati num. 4. & Tridentini citati num. 16. in quibus definitur, omnia Sacramenta novæ legis cauſare gratiam damnatur iſta univerſalis, nulla cauſant, contra hæreticos dicentes, nulla novæ legis Sacramenta gratiam cauſant, & damnatio eſt contradictoria illi hæreticorum univerſali propoſitioni, quatenùs ex vi damnationis manet falſa iſta propoſitio: *aliquod novæ legis Sacramentum non cauſat gratiam*, ac proinde contradictoriè opponitur cum illa: *omnia cauſant &c.* idipſum, ut ex dictis conſtat, evenit in noſtro caſu ex vi damnationis, quo in ſenſu damnatio eſt contradictoria propoſitioni damnatæ. Hoc dixerim permittendo propoſitionem damnatam eſſe univerſalem, ut videant, quam debile ſit argumentum, in quo fidunt, licèt enim damnatio univerſalis ſit, ut conſtat, propoſitio damnata nunquam prolata fuit ut univerſalis à ſuis auctoribus, neque ab ullo Catholico, cùm omnes fateantur, ſimulationem illicitam eſſe in pluribus caſibus, nimirum quando fieret in contemptum Sacramenti, aut religionis; quando periclitaretur Spiritualis vita proximi, v. g. infantis moribundi baptizandi, & ſic de aliis. Hinc ad confirmatiouem conceſſo primo enthymemate nego min. ſubſumptam, nam nos non arguimus, ut fingunt Adverſarii, ſed ex univerſali vera negativa inferimus falſitatem cujusvis particularis affirmativæ, quæ argumentatio in forma concludit.

Objicies 5. Opinio docens metum urgentiſſimum, v. g. mortis, eſſe cauſam ſufficientem ad ſimulandam adminiſtrationem Sacramentorum, eſt ſaltem tenuiter probabilis, cùm illam defendant plures auctores, quos citant & ſequuntur Ludovicus de S. Joanne tom. 1. Summ. quæſt. 7. de Evchar. art. 8. diſp. 7. & Joannes Sancius in Selectis diſp. 75. ſed in urgentiſſima neceſſitate licitum eſt uti tali opinione tenuiter probabili. Reſp. N. maj. quia licèt iſta opinio ante has Pontificias damnationes cenſeri poſſet tenuiter probabilis: at verò poſt hujusmodi damnationes jam non poteſt cenſeri probabilis, cùm nulla cauſa, quantumvis urgentiſſimæ neceſſitatis, reddat licitam illuſionem DEI, quæ reperitur in ſimulatione Sacramentorum, ex quacunque cauſa proveniat, ut conſtat à num. 348. & 350. ac proinde nulla eſt neceſſitas, quæ afferat jus ad talem ſimulationem. Quin imò ſimulatio ex quacunque neceſſitate proveniat, comprehenditur ſub nomine ſimulationis ſecundùm ſignificationem propriam, quam ſimulatio habet apud homines. Cùm autem hoc prohibeatur ex vi præſentis damnationis, ut conſtat ex num. 352. exinde manet damnata ſimulatio, ex quacunque cauſa proveniat. 372.

Objicies 6. Sæpè evenire poteſt caſus, in quo Sacerdos teneatur ſimulare Sacramentum pœnitentiæ; ergo iſta damnatio non ſe extendit ad omnia Sacramenta. Probatur antec. ſæpè contingit, hominem confiteri peccata ſua in magno pœnitentium concurſu, qui circumſtant, ſimúlque confeſſarium agnoſcere, talem hominem nolle deſerere occaſionem proximam peccandi, vel non habere propoſitum de cætero non peccandi; atqui in tali caſu, ne confeſſarius frangat ſigillum, tenetur ſimulare abſolutionem, & adminiſtrationem Sacramenti; ergo. Confirmatur. Secretum confeſſionis jure divino injunctum, ſervandum eſt non ſolùm verbis, ſed etiam factis, ut obſervavit Eximius Doctor tom. 4. in 3. parte diſp. 33. ſect. 6. ut conſtat ex cap. *omnis utriusque ſexus*, de Pœnitentiis, & remiſſionibus, ubi dicitur Sacerdoti: *caveat autem omnino, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenùs prodat peccatorem*; Sed modus non prodendi eſt ſimulare abſolutionem, & adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ; ergo &c. Reſp. N. antec. ad prob. con. maj. N. min. quia in illo caſu absque ſimulatione Sacramenti debet Sacerdos ex jure, & obligatione, quam habet; 373.

habet, uti aliis verbis, ex dictis num. 360. quæ verba ex eo jure, & obligatione prolata non sunt simulatio Sacramenti, sed fictio manifestationis æquivocæ, quæ tunc non est illicita, ut constat ex num. 343. Hinc ad confirmationem con. maj. nego min. nam ut constat ex dictis, dantur plures modi non prodendi peccatorem absque simulatione *Sacramenti*.

374. Objicies 7. Minister Sacramenti matrimonii habet plerumque jus ad simulandam administrationem illius Sacramenti; ergo. Prob. antec. exponendo casum, qui non semel contigit: Titius v. g. contraxit sponsalia cum Bertha, & postea ex humana fragilitate cognoscit carnaliter sororem ejus, unde contraxit impedimentum dirimens, per quod ineptus manet ad celebrandum matrimonium cum Bertha; illud autem impedimentum est omnino occultum, nec Titius, qui nimis pauper, habet modum ad petendam Romæ dispensationem impedimenti, &, quamvis plurimi Auctores dicant, in casu magnæ necessitatis posse Episcopum dispensare ante contractum matrimonium, quando non datur aditus ad Pontificem, multi tamen Episcopi nolunt sic dispensare; & supponimus, Diœcesanum Titii ejus esse dictaminis: tunc Titius propter illud occultum impedimentum desistere vult ab eo matrimonio, sed Bertha accedit ad tribunal Ecclesiasticum, ut Titius cogatur implere promissionem sponsalium, & qui admonitus à Judice Ecclesiastico non vult implere promissionem nuptiarum, incarceratur, excommunicatur, & denunciatur; quo fit, ut, si persistat in ea apparente contumacia, magnum immineat periculum animæ illius: nam dum vixerit Bertha, Titius persistet incarceratus, & excommunicatus, & fortè per totam vitam privabitur auditione Sacri, & receptione *Sacramentorum*; imò in articulo mortis utpote in foro exteriori contumax, privabitur Sacramentis, & Ecclesiasticâ sepulturâ, ex quibus omnibus maximum animæ ejus periculum immineret. Modò sic: in eo casu non superest Titio aliud medium, ut extrahatur à carcere, & consulat animæ suæ, sicque fugiat, & per absentiam se liberet à crimine, ducendo uxorem cum impedimento dirimente, nisi medium simulandi matrimonium; ergo in eo casu licitum est illi simulare administrationem Sacramenti matrimonii.

375. Respondeo nego antec. ad probationem admisso casu, nego etiam antec. quia tunc Titius, ut tot, & tanta pericula corporis, & animæ vitaret, & fugeret, poterat sub secreto naturali, & etiam, si opus esset, sub juramento Diœcesano suo impedimentum manifestare, quòd Diœcesanus occasionem fortasse daret illi fugiendi: si autem ita ponatur casus, ut post tentatum istud, & alia media licita sibi, nulla fides Titio adhiberetur, sicque in eodem periculo constiturus maneret, non exinde posset simulare administrationem *Sacramenti* matrimonii, cùm adhuc supereſſet illi medium adhibendi manifestationem æquivocam contractûs humani; quæ quidem æquivoca manifestatio tunc illi licita esset ex dictis à num. 345. In eo enim casu, cùm ex jure Ecclesiæ contractus esset nullus, non esset materia, neque forma *Sacramenti* matrimonii, cùm talis non sit contractus nullus, néque adhibita ulla intentione Titii posset contractus contineri sub significatione institutionis Christi Domini; cùm ergo insit illi tale jus, perperàm supponitur, dumtaxat illi supereſſe medium simulandi administrationem Sacramenti.

Neque tenet paritas ad alia Sacramenta, ut dixi num. 346. nam Christus instituens contractum humanum in Sacramentum, reliquit contrahentibus jus, quod habent ad eliciendum contractum humanum: cùm autem contrahentes in simili casu habeant jus ad adhibendam manifestationem contractûs æquivocam: ut de causa possunt in simili casu contrahentes uti manifestatione æquivoca ferentes intentionem in ordine ad contractum, at neutiquam in ordine ad *Sacramentum*; quæ quidem ratio nullatenùs militat respectu aliorum *Sacramentorum*. Propter eandem rationem contrahentes habent jus ad administrandum Sacramentum matrimonii per Procuratorem, ut dixi n. 187. quin cæteri Ministri Sacramentorum ita habeant ad administranda Sacramenta per Procuratorem. Sic etiam contrahentes sunt simul Ministri, & suscipientes; at in reliquis Sacramentis non potest Minister sibimetipsi Sacramentum ministrare.

Præterea notandum est, non ex eo præcisè deberi verum matrimonii Sacramentum, quia datur verus contractus, ut patet inter Gentiles, & Ethnicos, inter quos juxta meliorem Theologiam datur verus matrimonii contractus, ut notavi num. 345. & non datur matrimonii Sacramentum: inter Fideles autem nunquam datur verus contractus matrimonii, quin verum detur matrimonii Sacramentum, cùm ex iis prænotatis talis verus contractus cadat sub significationem institutionis Christi Domini. Cæterùm, cùm Christus Dominus Fidelibus reliquerit facultatem, quam in se habent contrahentes in ordine ad contractum, ut possint illum rectum efficere, vel ut possint adhibere æquivocam manifestationem, quando jus habent ad illam adhibendam: exinde possunt in illo casu se licitè gerere, non quidem mutando materiam *Sacramenti* à Christo institutam, sed nolendo eam apponere, quando apponere non tenentur; ex quo neque fertur intentio in Sacramentum matrimonii, neque datur ulla propria simulatio Sacramenti: cùm jus ad hæc omnia secum ferat naturâ contractûs, secus autem materia, & forma cujusvis alterius Sacramenti.

TRACTA-

TRACTATUS DE SACRAMENTO BAPTISMI.

TRiplicem habet significationem vox ista Baptismus, si latè sumatur, quo in casu Baptismus alter est flaminis, alter Sanguinis, alter fluminis. Baptismus flaminis est perfecta contritio, sive amor DEI super omnia, si per hujusmodi actum habeatur prima liberatio à peccato etiam originali, & gratia infusa; licèt enim per illum corpus non abluatur exteriùs, anima tamen interiùs lavatur, eique gratia, & virtutes infusæ conferuntur, ideóque quo ad hæc munia, & remissionem peccati etiam originalis, locum supplet Baptismi, non autem quo ad impressionem characteris, quamobrem sæpiùs iterari potest, & post eum suscipi Baptismus fluminis, & Sanguinis, imò & Baptismi votum seu propositum includit. 1.

Quapropter si quis post Baptismum flaminis seu actum contritionis in his circumstantiis elicitum moreretur, ac rursus resuscitaretur, deberet baptizari Baptismo fluminis, sicque etiam deberet catechumenus, si postquam sumit martyrium, denùò revocaretur ad vitam, ad eum modum, quo Christianus lethali culpa maculatus morti proximus, si peccatum non confiteretur, vel propter oblivionem, aut inopiam confessarii, & post elicitum actum contritionis moritur, si rursus revocaretur ad vitam, teneretur peccatum illud confiteri; ad hunc flaminis Baptismum refertur illud Isaiæ 1. *Lavamini, mundi estote*, & Ezech. 36. *& effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Qua de causa vocatur Baptismus pœnitentiæ, quia hujusmodi actus contritionis in peccatore pœnitentia appellatur, & licèt non sit gratiæ causa, ac proinde ex dictis à num. 4. & 14. de Sacr. non sit Sacramentum, neque Baptismus, de quo agimus; attamen ex natura sua, vel saltem ex lege DEI est ultima dispositio ad gratiam ex Tridentino sess. 14. cap. 4. dicente, contritionem charitate perfectam hominem DEO reconciliare, priusquàm Sacramentum actu suscipiat; & ita colligitur ex Proverbior. 10. *universa delicta cooperit charitas*; Joannis 14. *qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; 1. Petri 4. *charitas cooperit multitudinem peccatorum.* 2.

Baptismus Sanguinis idem est, ac Martyrium, quod quis pro Christo vera religione, ac justitia subit; non requirit ullam dispositionem in parvulis, ut gratiam, & gloriam consequantur, ut constat exemplò Innocentium, quos Ecclesia ob mortem pro Christo susceptam ut Martyres, & verè Beatos colit; neque fas est dicere, omnes illos fuisse circumcisos, id enim nulla probabilitate niteretur, cùm omnes à bimatu, & infra occisi fuerint, ac proinde posito Martyrio confertur gratia Martyri ex privilegio, & misericordia Dei, non autem ex merito actionis Martyrii, cùm Tyranni non sint Ministri, neque illa actio instituta sit à Christo in Sacramentum; neque potest dici respectu infantium voluntaria, & sic instituta, cùm illi rationis usum non habeant: propter eandem rationem non est instituta respectu adultorum, licèt sit illis voluntaria, cùm ratio Martyrii eadem sit in adultis, & parvulis, & absque ullo fundamento diceretur esse instituta in Sacramentum respectu illorum, & non respectu istorum; sicut non potest dici de vero Baptismo, esse institutum in Sacramentum pro adultis, & non pro parvulis, licèt sit voluntarius adultis, & non parvulis: hoc autem privilegio non privantur infantes in lege gratiæ, sicque Ecclesia in lege nova infantes pro Christo occisos tanquam Martyres colit, ut intelligi potest ex Martyrolog. ad 16. Junii: Marryrium autem tale est, quando per se habet ultimum instans vitæ, & tunc in illo instanti gratia confertur; si autem miraculosè Martyr privaretur à morte, & de reliquo non amitteret gratiam, & si diu postea viveret, adhuc esset Martyr, quando moreretur, ut constat ex Sancto Joanne Evangelista, quem Ecclesia ut Martyrem colit; secus dicendum esset, si gratiam amitteret, & moreretur, cùm Martyrium non sit nobilius Baptismo, & baptizatus amissâ gratiâ possit damnari. 3.

In adultis verò plures dispositiones requiruntur, ut Martyrium consequatur istos effectus; etenim qui trahitur ad Martyrium, tenetur baptizari, cùm possit, si non est baptizatus; si autem est in peccato mortali, debet se ad attritionem excitare, & confessionem præmittere, si sit baptizatus; Martyrium enim, ut paucis omnia comprehendam, non liberat hominem ab obligatione adhibendi media ad salutem suam necessaria. Quando autem aliquis ad Martyrium accederet bona fide, inculpabiliter existimans, se esse contritum, solúmque haberet attritionem in re, adhuc reciperet illos effectus, & defectus Baptismi in re suppleretur per 4.

per Martyrium, sicque Martyr consequeretur vitam æternam ex misericordia Christi, ejúsque promissione, licèt non esset baptizatus. Videatur Divus Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 22. est enim generalis hæc Christi promissio Matth. 10. *omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est*; & infrà: *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Ex quibus locis, & doctrina Ecclesiæ inferenda est vera intelligentia illius textus infrà citati: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* ita, ut accipiatur de lavacro in re, vel in supplemento ab ipso Christo Domino destinato: quod quidem supplementum dicitur vel Baptismi votum, si reperiatur in adultis, vel quasi votum in acceptione divina, si reperiatur in parvulis; quo in sensu explicandum est Tridentinum infrà citandum Sess. 6. cap. 4.

5. Quapropter Innocentius III. Cap. *cùm Martyr* de celebratione Missarum ex Scriptura dixit: *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Cæterùm cùm isti effectus non habeantur ex Martyrio à Christo instituto ad illos causandos, sed ex ipsius promissione posito Martyrio cum prædictis dispositionibus ex num. 3. talis Baptismus Sanguinis non est Sacramentum, ac proinde non est, de quo in præsenti agimus, licèt sit gratiæ signum, quo posito datur Martyri cum gratia charitas, sine qua oblatio nihil prodesset ex Paulo 1. ad Corinth. 13. dicente: *si castigavero corpus meum ita, ut tradeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; clarè autem ad rem nostram Sancti Patres, Cyrilius Hierosolymitanus Catechesi 3. *si quis non baptizatur, salutem non habet præter solos Martyres*; Divus Prosper in lib. Sentent. quæ depromptæ sunt ferè ad verbum ex Augustino Sentent. 149. *qui non præcepto generationis lavacro per Christi confessionem moriuntur, tantùm eis valet ad abluenda peccata, quantùm si abluerentur fonte Baptismatis, unde & culpa, & pœna remittuntur.* Sic etiam loquuntur Augustinus, Cyprianus, Fulgentius, & alii plures Sancti Patres apud Eximium Doctorem, & apud Esparzam quæst. 41. Baptismus fluminis est, qui per aquam naturalem, sive elementarem apponitur per verba consecrata, & institutus est à Christo in Sacramentum, quem Catechismus Tridentini explicat per hæc verba: *Sacramentum reconciliationis per lavacrum aquæ in verbo vitæ*; unde duo priores explicati, sunt supplementum Baptismi; at verò propriè, & absolutè loquendo iste solus est Baptismus, juxta illud Pauli ad Ephesios 4. *unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*: de hoc ergo agendum nobis est in præsenti Tractatu.

DISPUTATIO I.

DE INSTITUTIONE BAPTISMI.

6. SAcramentum Baptismi vel in re, vel in voto juxta dicta num. superiori institutum est à Christo Domino tanquam necessarium necessitate medii ad salutem, licèt ex alio capite necessarium sit etiam necessitate præcepti divini, ut patet respectu infidelium, qui non sunt subditi Ecclesiæ, & tamen ad Baptismum obligantur ex Tridentino sess. 7. Can. 5. damnante eos, qui dicunt: non obligari homines ad suscipiendum Baptismum: necessitas autem medii differt à necessitate solius præcepti, quatenùs, si inculpabiliter omittatur, quod necessarium est ex solo præcepto ad finem vitæ æternæ, non propterea impeditur consecutio vitæ æternæ; si verò desit, quod est necessarium necessitate medii, licèt inculpabiliter deficiat, eo ipso impeditur consecutio vitæ æternæ, ideóque sine illo non potest homo sanctificari. Quapropter cùm Divus Paulus 1. Corinth. 7. dicit: *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt.* Non significat filios illorum nasci mundos, & absque originali, cùm transmissio originalis in prolem non descendat à voluntate parentum secundùm se considerata, sed in Adamo simul cum ea universali lege divina, significat autem prolem nasci ex parente subdito Ecclesiæ, ratione cujus Ecclesia habet jus ad baptizandam prolem, ut infrà constabit, itaque ex vi suscepti Baptismi filii sanctisunt; imò conjux fidelis obligatur non solùm præcepto divino, sed etiam Ecclesiastico, ut Baptismus proli quamprimùm commodè fieri potest, conferatur. Exinde conjux infidelis ratione vinculi matrimonii cum fideli denominatur extrinsecè sanctificatus in ordine ad prolem, quatenùs proles ex eo matrimonii vinculo nascens jus Sanctum in Ecclesia supponit ad prolem sanctificandam. Dicuntur etiam Baptismus flaminis, & sanguinis ex num. 5. Baptismus in voto, sive votum Baptismi; Baptismus autem non dicitur votum illorum: quia illa sunt ad salutem sufficientia, prout sunt Baptismi supplementum, & non econtra ex dictis à num. 3.

SECTIO I.

Quando institutus fuerit, & cœperit obligare Baptismus?

ASsero 1. cum communi Theologorum: Sacramentum Baptismi institutum fuit à Christo

Christo ante mortem ipsius. Prob. 1. Christus ante mortem ipsius baptizavit aliquos vel per se, vel per Discipulos suos: atqui non baptizavit illos Baptismo instituto à Joanne, sed ab ipso Christo instituto; ergo &c. Consequentia tenet, si præmissæ probentur: probatur igitur inprimis maj. ex Joannis 3. ubi dicitur: *post hæc venit JESUS, & discipuli ejus in Judæam terram, & ibi demorabatur cum eis, & baptizabat*, id est, per Discipulos suos, ut liquet ex contextu, & expresè docet Cyrillus lib. 2. in Joannem cap. 57. & Augustinus Tom. 2. Epist. 108. Probatur etiam min. ex verbis Baptistæ Joannis 1. dicentis: *hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto*, & Matth. 3. *ego baptizo vos in aqua, qui autem post me venturus est, fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*; ergo &c. Confirmatur 1. Nunquam legitur in Scriptura, iterum baptizatos eos, qui à Christi Discipulis fuerant baptizati, cùm tamen hi, quos Joannes baptizabat, rebaptizati fuerint, ut constat ex Actorum 19. & num. 77. de Sacramentis; ergo &c.

2. Confirmatur 2. ex Augustino Tom. 9. Tractatu 13. in Joannem, ubi ita habet de Christo: *baptizatus baptizat non eo baptismo, quo baptizatus est; dat Baptismum Dominus baptizatus à servo ostendens humilitatis viam, & perducens ad Baptismum Domini, hoc est Baptismum suum.* Sic etiam Glossa in Joannis 3. ait de Christo: *baptizat suo Baptismo, non eo, quo baptizatus est; illum enim subiit, ut esset via, & præparatio.* Confirmatur 3. Quando Discipuli Joannis audiérunt, Christum baptizare, & omnes ad eum accedere, æmulatione commoti accesserunt ad Joannem, Joannis cap. 3. dicentis, *& venerunt ad Joannem, & dixerunt ei, Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & homines veniunt ad eum:* quibus Joannes ita respondit, *non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Cœlo: illum oportet crescere, me autem minui; qui de Cœlo venit, super omnes est, Pater diligit filium, & omnia dedit in manu ejus.* Ex quibus & apparet æmulatio Discipulorum, quæ nulla esset, si Baptismus Christi non prædicaretur nobilior, & responsum Joannis rationem reddentis, propter quam nobilior suo erat Christi Baptismus; ergo &c.

9. Probatur 2. Conclusio secundùm legem à Christo Domino institutam Baptismus præsupponitur ad alia Sacramenta; atqui ante Passionem Christi in nocte cœnæ ministravit Christus Evchariſtiam Apostolis, eósque ordine Sacerdotali, quoad potestatem consecrandi initiavit, ut definit Trid. sess. 24. cap. 1. ergo Apostoli ante Passionem Christi jam erant baptizati, ac proinde, & Baptismus erat jam institutus. Confirmatur. Licèt Christus in hac, & aliis legibus potuisset cum Apostolis dispensare, constat autem ex Sanctis Patribus in ista lege non dispensâsse; ergo &c. Probatur antec. ex August. 2. in 13. Joannis Epist. 108. *qui totus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, ubi intelligitur, quod jam Petrus baptizatus fuerat*: cùm autem lotio pedum facta fuerit ante cœnam, in qua ordinati sunt Apostoli, Baptismus eorum præcessit ordinationem. Sic etiam loquuntur Cyrillus lib. 2. in Joannem cap. 57. Nanzi: ora. 20. sub finem, D. Thomas quæst. 66. tit. 2. & quæst. 73. art. 5. ad 4. aliique quamplures; ergo &c.

Probatur 3. Ex SS. PP. & Auct. Ecclesiasticis, Christus Dominus suis manibus aliquos baptizavit; ergo instituit Baptismum ante ipsius passionem. Probatur antec. ex Enodio Episcopo Antiocheno in Epist. quam Lumen appellat apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. dicente: Christus manibus suis Petrum tantummodò baptizavit, Petrus verò Andream, & Filios Zebedæi, ex Clemente apud Sophronium in Prato Spirit. ca. 26. Christus dicitur Petrum solùm baptizâsse, Petrus Andream, Jacobum, & Joannem. Ex Eutimio Joannis 3. Scribunt Apostolorum temporibus proximi, quòd Christus Petrum, ac Virginem MARIAM baptizavit; quod insinuare videtur *S.* Vincentius Ferrerius ser. feriæ 6. post Dominicam in Passione dicens; Joannes Baptista, & Virgo MARIA voluerunt baptizari à Christo, unde & potuerunt recipere effectus characteris, & alios, quorum erant capaces, licèt non reciperent eos, quorum capaces non erant. 10.

Assero 2. Ante Resurrectionem Christi Domini non tenebantur homines determinata lege Baptismi. Probatur, licèt homines suscipientes Baptismum ante Evangelii promulgationem liberarentur à peccatis, attamen eo tempore non erat Baptismus medium unicum, quo à peccatis liberarentur, cùm etiam per circumcisionem, aut per remedium legis naturæ haberetur ea liberatio, solùmque fuit Baptismus in re, vel in voto medium unicum post promulgationem Evangelii factam post Christi Resurrectionem; ergo licèt ante Resurrectionem Christi tenerentur homines indeterminatè, vel ad Baptismum, vel ad aliud remedium peccati originalis, & personalis, non tenebantur tunc determinata lege Baptismi. Probatur antec. ex Tridentino sess. 6. cap. 4. dicente: translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis Filiorum DEI, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est, nisi quis renatus fuerit &c. ergo &c. Confirmatur, ut communis Theologorum sententia tenet apud Esparzam quæst. 50. art. 7. Circumcisio, & remedium legis naturæ viguerunt, sicut ante Adventum Christi, usque ad Evangelii promulgationem, solúmque superadditum fuit vagè remedium Baptismi à tempore institutionis usque ad Evangelii promulgationem: sed in hoc stat, quòd toto eo tempore non tenerentur homines determinatè lege Baptismi; ergo &c. Ex dictis 11.

22. Fit 1. Baptismum à tempore suæ institutionis fuisse necessarium vagè usque ad Evangelii promulgationem, à promulgatione autem fuisse necessarium determinatè in re, vel in supplemento à Christo destinato; quodnam autem fuerit tempus institutionis, quodnam etiam promulgationis? acriter controvertitur hinc inde apud auctores; probabilius tamen apparet; Baptismum institutum fuisse à Christo, quando ipse baptizatus fuit Jordane, & ex tunc determinâsse aquam in materiam, & verba expressiva Trinitatis in formam: etenim ut ait Aug. serm. 1. Dominicæ infra octavam Epiphaniæ, qui est 36. *De tempore, ex quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgisum tractus, multorumque fontium venas Mysterio baptismatis consecrari, & quisquis in nomine Domini baptizari voluit, non tam illum mundi aqua diluit, quàm Christi unda purificat.* Hæc autem non posset ex tunc peccata abluere, nisi ex tunc esset institura pro materia Baptismi; sicuti non potuerunt Apostoli absolvere à peccatis quando Matt. 18. promisit Christus, se daturum illis eam facultatem dicens: Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in cœlo &c. sed quando actu dedit illis talem facultatem Joannis 20. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Pariter neque instituit Evchariſtiam, quando illam promisit discipulis, & turbis Judæorum dicens: nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. sed quando nocte cœnæ consecravit; tunc ergo institutus fuit Baptismus, quando à Christo aquæ fuerunt consecratæ, ut etiam expressè constat ex Catechismo Trident. 14. citando.

23. Ex quo etiam decidendum est tempus, in quo cœpit obligare saltem aliquos lex determinata Baptismi: promulgatio enim Evangelii alia fuit universalis, nimirum quando Petrus Actor. 2. coram multitudine ex universi mundi natione collecta, concionem habuit, promulgavitque Baptismi legem dicens: *Baptizetur unusquisque vestrùm in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum*: alia verò minùs publica facta est Apostolis, qui utpote totius mundi Pastores universum mundum repræsentârunt, quibus Christus prima suæ Resurrectionis die dixit Matt. 18. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* cùm autem hujusmodi promulgatio sufficiat ad stabiliendam legem audientibus, ex eo die obligavit saltem determinatè illos, in quorum notitiam legitimè venit, licèt remedium legis naturæ, & circumcisionis, non esset inutile usque ad universalem Evangelii à Paschate Pentecostes promulgationem pro illis, qui eam legem invincibiliter ignorabant, ut probabilius apparet ex Trid. citato num. 3. & expressè defendunt plures cum Eximio Doctore, ideóque legem invincibiliter ignorantes non solùm excusabantur ab illius transgressione, sicuti contingit illis, qui aliquas leges promulgatas invincibiliter ignorabant, sed etiam per accidens supererat illis pro tunc remedium originale, ut fatentur etiam plures Thomistæ cum Conet disputat. 1. Baptismo. num. 49. quo in sensu bene cohæret doctrina Tridentini, & ipsius Catechismi explicatio, ut statim constabit.

Utraque enim pars nostræ illationis ita explicata clarissimè traditur à Catech. Trid. tit. de Baptismo per hæc verba. Quod ad primum attinet, tunc à Domino Sacramentum hoc institutum esse perspicitur, cùm ipse à Joanne Baptizatus Sanctificandi virtutem aquæ tribuit. Testantur enim S. Gregorius Nazian, & Aug. eo tempore aquæ vim regenerandi, in Spiritum lem scilicet vitam, datam esse; & alio loco ita Scriptum reliquit; ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnia peccata abluit aqua. Atque ad illam rem illud maximo argumento esse potuit, quòd tunc Sanctissima Trinitas, in cujus nomine Baptismus conficitur, numen suum præsens declaravit, vox enim Patris audita est, filii persona aderat, & Spiritus S. in columbæ specie descendit. Præterea cœli aperti sunt, quo nobis jam per Baptismum liceret ascendere. Et infra: Sed de altero etiam, quo scilicet tempore lex de Baptismo lata fuerit, nullus dubitandi locus relinquitur. Nam inter Sacros Scriptores convenit, post Domini Resurrectionem dum Apostolis præcipit euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c. ex eo tempore omnes homines, qui salutem æternam consecuturi erant, lege de Baptismo teneri cœpisse; ergo cum obligatio vaga ex tempore institutionis ante passionem cœpisset, ab eo die Resurrectionis cœpit obligatio determinata statim, atque notitia legitimè ad homines pervenit.

Fit 2. Illa verba Christi ad Nicodemum Joannis 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. non fuisse institutiva, sed promissiva Baptismi, modo quo altera Christi Domini verba fuerunt aliorum Sacramentorum promissiva ex dictis num. 12. & constat ex S. Thoma quæst. 66. art. 2. ad 3. dicente: *hoc magis videtur ad futurum respicere, quàm ad præsens tempus.* Fit 3. Illa verba Christi Joan. 19. *Consummatum est* includere terminum *à quo* completum in morte, & terminum *ad quem* completum in Resurrectione, glorificatione, & missione Spiritus S. Ratio est quia ante mortem non completum fuit Christi meritum prout inclusum in pacto cum Patre, neque ante Resurrectionem, & glorificationem adimpletæ fuerunt circumstantiæ, ut meritum illud haberet eos omnes effectus, nimirum aperiendi nobis Cœlum per Baptismum, ideóque Baptismus ante illud tempus non exercebat integrè suam virtutem ad causandos eos effectus; quo in sensu intelligendi sunt Sanctus Leo, Rupertus, & alii Patres, quando dicunt, institutum esse post Christi Resurrectionem; quasi dicant, institutum cum

cum complemento termini *ad quem*, neque ante Adventum Spiritus Sancti erant omnino roborati, & instructi Apostoli ex illo Christi Domini, *ille vos docebit omnia*; unde talis missio pertinet ad terminum *ad quem*.

16. Terminum *à quo* respexit Apostolus Rom. 6. *quicunque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus.* Terminum verò *ad quem* 2. ad Colos. *consepulti Baptismo ei, in quo & resurrexistis*: propter hæc autem Christus non solvit legem, sed adimplevit; quia, quæ continebantur in lege antiqua, erant figura eorum, quæ stabiliuntur in lege nova, ut dicebat Tertullianus, *omnia per Christum, & de Christo cuncta loquuntur*: figura autem non dicitur solvi, sed adimpleri, quando ponitur figuratum: solveretur enim, si abrogaretur, si non esset adimpleta. Idem est genuinus sensus, in quo loquitur Sanctus Leo Papa Serm. 7. de Pas. per hæc verba: *antiqua observantia novo excluditur Sacramento, Hostia in Hostiam transit, Sanguine Sanguis offertur, & legalis festivitas, dum mutatur, impletur.* Vide alias explicationes apud Cornelium in Matthæum versu 17.

17. Fit 4. Baptismum ante Christi mortem institutum habere virrutem ex Christi morte jam tum absolutè prævisa; sicuti Sancti Patres habuerunt gratias ex Christi meritis nondum physicè existentibus, sed absolutè prævisis. Fit 5. Christum in Jordane gessisse personam quoad speciem pœnitentis in ordine ad suscipiendum Baptismum Joannis; fuisse autem Legislatorem quoad instituendum Baptismum suum; quæ munera nullatenus sunt incompossibilia: Judæus autè, vel Gentilis sufficienter de doctrina Christi instructus ante Passionem, teneretur credere in Christum, sed non teneretur pro tunc determinatè ad ea, ad quæ pro tunc Christus non obligabat, ac proinde tunc non teneretur determinatè ad Baptismum ex num. 11. Quando autem Apostoli diu post Resurrectionem circumcisionem, & alias legis cæremonias exercuerunt, ut ex 16. & aliis cap. liquet; censet contra Hieronymum Augustinus Epist. 19. legalia fuisse quidem aliquando mortificata, aliquando mortua, sed non fuisse mortifera usque ad sufficientem universalem Evangelii stabilitam promulgationem, ac proinde potuisse aliquando sine fructu, & sine peccato exerceri. Vide num. 22.

18. Sicut enim homines mortuos aliquamdiu ante sepulturam servari contingit, ut postea cum honore sepeliantur, ita contigit Synagogæ inquit ex Augustino D. Thomas 1. 2. quæst. 163. art. 4. ad 2. quapropter D. Petrus idcirco à S. Paulo circa illam legalium observantiam reprehensibilis dictus est, quia nimis adhærebat parti Judæorum, & plusquàm oportebat circa hoc, se sollicitum exhibebat, & exinde ut plures auctores dicunt, venialiter peccabat; non autem peccârunt Apostoli, cùm Actor. 15. præceperunt observantiam quorundam legalium: nam ut ait ad 3. D. Thomas, non id factum est ad observandas cæremonias veteris legis, sed ut posset fieri unio Judæorum, & gentilium ex novo præcepto, ut Judæi non haberent occasionem suspiciandi, gentiles rediisse ad idololatriam, quam occasionem haberent, si viderent eos comedere Sanguinem, & suffocata; manifestata autem Evangelica veritate, qua Christus dicit Matth. 15. *quod nihil, quod intrat per os, coinquinat hominem*, cessavit causa, sicque cessavit effectus; ad eum modum lex per Moysin data cœpit illum obligare determinatè, quando ipsi ut illius Reipublicæ capiti intimata fuit à DEO, etsi universalis promulgatio facta fuerit quinto die à paschate Judæorum.

Obicies 1. contra primam assertionem: tunc 19.
institutus est Baptismus, quando aquæ superaddita est virtus inducendi effectus Baptismi, aperiendi nimirum januam Regni Cœlorum; sed janua Regni Cœlorum nemini aperta fuit ante mortem, & Passionem Christi; ergo neque Baptismus ante illud tempus institutus fuit. Confirmatur. Initium Baptismi, & finis circumcisionis fuerunt simul: atqui finis circumcisionis non extitit, usque dum Christus passus fuit; ergo neque initium Baptismi. Respondeo dist. maj. aperiendi januam pro ipso instanti, in quo suscipiebatur, nego; pro tempore à Christo Domino destinato, conc. maj. & conc. min. nego consequentiam; quia Baptismus ante Passionem collatus habebat jam virtutem aperiendi januam Regni Cœlorum post Christi Resurrectionem, quin ad hunc finem baptizatus rebaptizaretur iterum. Ad confirmationem nego maj, quia circumcisio non desiit, usque dum cœpit Baptismus determinatè obligare: Baptismus autem non cœpit obligare determinatè ante Resurrectionem, ut constat ex num. 11. & constabit num. 21.

Objicies 2. ex Tertulliano cap. 11. de Bapt. 20.
Christi Discipuli ante Passionem baptizârunt Baptismô Joannis, quia nondum erat institutus Baptismus Christi, cui consonant Chrysostomus Homil. 28. & S. Leo Epist. 4. ad Episcopos Galliæ cap. ergo &c. Confirmatur. Ante Passionem non fuit designata forma Baptismi, neque erat præceptum de eo suscipiendo; ergo Baptismus non erat ante Passionem institutus. Respondeo nego consequentiam; quia Tertullianus intelligendus est de illis, qui erant Discipuli Joannis, & baptizârunt Baptismo Joannis, antequàm essent Discipuli Christi, & antequam esset institutus Baptismus Christi; Sancti verò Leo, & Chrysostomus explicandi sunt quoad effectum aperiendi januam Regni Cœlorum ante Christi resurrectionem, cùm Baptismus non institutus fuerit ad habendum eum effectum ante Passionem; ut constat ex num. superiori. Ad Confirmationem nego ântec. quoad primam partem, & nego consequentiam; quia ex eo, quòd institutus fuerit Baptismus, constat, designatam fuisse formam, utpote Ba-

smi constitutivam ex num. 34. de Sacrament. etsi tunc non fuerit universaliter promulgata. Præceptum autem, de quo loquitur secunda pars antecedentis, solùm extabat pro eo tempore, modo, quo Baptismus obligabat; cùm autem pro tunc non obligaret determinatè, sed vagè, neque extabat præceptum circa Baptismum determinatè, sed vagè.

41. Objicies 3. Contra secundam assertionem: figura deficit adveniente figurato; ergo circumcisio, & remedium legis naturæ, utpote figura Baptismi, defecerunt statim, atque institutus fuit Baptismus: ac proinde Baptismus ab initio suæ institutionis determinatè obligavit. Resp. dist. antec. adveniente figurato complero ex termino à quo, & ad quem, con. non complero, nego antec. & conseq. Quia dum ita non completur, adhuc supereſt ad perficiendum munus suum, sicque potest habere effectus ex voluntate instituentis ipsi figuræ præfixos: Baptismus autem non fuit completus ex termino à quo, & ad quem ante Resurrectionem, ut constat à num. 15. ideóque circumcisio, & remedium legis naturæ potuerunt durare, & durarunt usque ad Resurrectionem, & Evangelii promulgationem, ut constat à num. 11. ac proinde toto eo tempore non tenebantur homines determinata lege Baptismi, nisi modo explicato num. 13. unde legalia in triplici differentia fuêre, ut dictum num. 17. nimirum mortificata, mortua, & mortifera; mortificata, quando jam non obligabant determinatè ex num. 11. mortua, quando non proderant suscipientibus, etsi non esset peccatum uti illis ut fructu destitutis, usque dum stabilita fuerit Evangelii promulgatio, sicut quando Actor. 3. Paulus circumcidit Timoth. mortifera, quando jam erat peccatum illis uti.

42. Hæc est expressa Augustini doctrina contra Hieron. quam latè illustrat, & probat tom. 2. Epist. plurimis, præcipuè 19. ubi hæc habet: tunc illa vetera Sacramenta paululùm observando veraciter commendare debuisset, ne putarentur illæ Propheticæ significationis observationes à piissimis Patribus custoditæ, tanquam Sacrilegia diabolica à posteris detestatæ; jam enim cùm veniſſet fides, quæ priùs illis observationibus renunciata, post mortem, & Resurrectionem Domini revelata est, amiserant tanquam vitam officii sui; veruntamen sicut defuncta corpora necessariorum officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulatè, sed religiosè, non autem deserenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus tanquam canum morsibus projicienda; proinde tunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Judæis, similiter ea celebrare potuerit, tanquam sopitos cineres eruens, non erit opus deductor, vel bajulus Corporis, sed impius sepulturæ violator; tunc enim hoc non erat pernicioſum, progressu verò temporis erat pernicioſum, nisi illæ observationes ab omnibus Christianis desererentur, ne, si tunc fierent, non discerneretur quod DEUS populo suo per Moysen præcepit, ab eo, quod in templis dæmoniorum Spiritus immundus instituit. Ex dictis

Fit 1. Non militare contra sententiam nostram, quod Maldonatus in 28. Matt. docet ex August. lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 25. nimirum apparitionem illam, de qua Matt. agit cap. 28. factam fuisse, non statim, sed post 8. ad minimum dies à Resurrectione, nam Matt. omissis aliis apparitionibus, de quibus, loquuntur alii Evangelistæ, ea solùm ibi refert, quæ utiliora visa sunt, ut notant interpretes, cùm autem dicat, præceptum de Baptismo Apostolis traditum, quando missi sunt ad prædicandum, & ad docendas gentes; & constet ex Joan. cap. 20. prima die Resurrect. quando absente Thoma apparuit Christus aliis Discipulis, dixisse eis: & ego mitto vos, ut exponit Maldon. Con. & aliis; exinde verosimilius est, tale præceptum eis traditum prima die Resurrect. ut docent plures Theologi. Imò conveniunt interpretes, multò ante Pentecosten id condigisse; quod satis est, ut intelligatur intimatum esse ante factam Evangelii promulgationem, sicque apparet tempus, in quo circumcisio, ut ex Augustino diximus, fuit aliquando mortificata, aliquando mortua, & aliquando mortifera. Fit 2. illa Verba Christi ad Nicod. nisi quis renatus &c. fuisse promissiva Baptismi ex num. 15. in ordine ad effectum aperiendi januam Regni Cælorum, de quo Christus loquitur in eo textu, sive in ordine ad Baptismum complendum ex termino ad quem. Secùs in ordine ad constitutivum essentiale, cùm jam ex eo tunc, ex litera textûs, Christus esset baptizatus; ac proinde Baptismus instituturus ex dictis à n. 14.

SECTIO II.

An Baptismus validè, & fictè susceptus recedente fictione conferat gratiam?

Fictio in præsenti apud Auctores idem est, ac obex, quo impeditur, non quidem valor Sacramenti, sed effectus gratiæ, sive fructus Baptismi, ratione indispositionis, & indignatis suscipientis. Hæc autem fictio duplex esse potest; altera negativa, sive inculpabilis, quando scilicet suscipiens accedit ad Baptismum absque sufficiente dispositione inculpabiliter judicans se esse dispositum, vel cum ignorantia, aut inadvertentia inculpabili talis dispositionis; altera positiva, sive culpabilis, quando scilicet suscipiens actu peccat in ipsa suscepione Baptismi. Hoc verò peccatum potest esse triplex, vel formalis, vel materialis, vel interpretativæ fictionis, quæ ultima dicitur etiam fictio virtualis. Peccatum formalis fictionis contingit, quando suscipiens formaliter vult

vult indignè, & ex indispositione suscipere Baptismum. Peccatum fictionis materialis contingit, quando suscipiens lethaliter peccat suscipiendo actu Baptismum, non autem vult, neque advertit, se indignè suscipere, v. g. si quis baptizetur cum actuali intentione occidendi inimicum, aut adulterandi &c. quin advertat, nec velit se indignè suscipere Baptismum, ideóque non contrahat malitiam *Sacrilegii*, irreverentiæ, aut injuriæ factæ *Sacramento*. Peccatum interpretativæ, sive virtualis fictionis contingit quando quis sciens, & advertens se esse indispositum, hoc tamen non obstante ad Baptismum accedit; quo casu interpretativè, seu virtualiter vult indignè suscipere. Quæstio verò præsens exagitatur, quando procedit fictio, quæcunque sit ex assignatis.

25. Assero cum Divo Thoma, Eximio Doctore, & ferè omnibus Theologis: Baptismus fictè susceptus recedente fictione reviviscit, & causat gratiam. Probatur 1. ex Augustino, id expresè asserente num. 167. de *Sacramentis*, & habetur Cap. *tunc valere*, de consecrat. dist. 4. quod in lib. de Baptismo sæpè repetit. Secundò ex Cypriano ibi citato. Tertiò ex Sancto Thoma quæst. 69. artic. 9. & 10. quibus omnes ferè Theologi subscribunt; ergo &c. Confirmatur 1. ex Tridentino citato num. 11. *Sine* Baptismo, aut ejus voto remitti non possunt originale, & personalia peccata commissa ante Baptismum; ex eo, quòd juxta illa Christi verba, *nisi quis renatus fuerit &c.* homo per Baptismum renascatur, quando ei peccata remittuntur; atqui, si ablata fictione Baptismus non conferret gratiam, qua per se talia peccata remitterentur, homo non renasceretur per Baptismum, sed per illud aliud medium, dispositionem, aut Sacramentum subsequens Baptismum, quo remitterentur ea peccata; ergo &c. Confirmatur 2. Illud medium, quo postea peccata remitterentur, non esset Baptismi votum; etenim post susceptum validè Baptismum, peccatum esset elicere votum iterum suscipiendi Baptismum, ac proinde peccata præcedentia Baptismum cum fictione susceptum, non remittuntur posteà per Baptismi votum: ergo per Baptismum in re susceptum, ac proinde ablata fictione ex doctrina Tridentini Baptismus causat gratiam illorum peccatorum remissivam; ex quo præoccupata manet responsio, qua Gabriel, Scotus, & alii vim argumenti eludere tentant. Ex dictis

26. Fit 1. cum Eximio Doctore, Lugo, Dicastyllo, & communi Recentiorum contra *Scotum*, & Vasquez: suscipientem Baptismum validum cum fictione negativa, v. g. si inculpatè omisit propositum servandi legem, aut dolorem de personalibus ante Baptismum commissis, si nullum posteà peccatum committat, posita dispositione, qua tollitur ea fictio, recipere gratiam. Ratio est, quia posita ea dispositione non datur obex, sicut non daretur, si apposita fuisset, quando susceptus fuit Baptismus: atqui si tunc apposita fuisset ea dispositio, Baptismus contulisset gratiam: ergo quando nunc apponitur, confert gratiam. Fit 2. cum Dicastillo, disput. 2. de Baptis. dub. 5. Paludano in 4. dist. 4. quæst. 5. Sylvestro referente eam, & non improbante verb. *Baptismus* 4. circa finem, pluribus Recentioribus contra Vasquez, Esparzam, & alios; casu, quo fictè baptizatus præter peccata præcedentia Baptismum, habet simul alia comitantia, vel subsequentia Baptismum, sufficere attritionem generalem se extendentem ad omnia peccata, ut tollatur obex, & Baptismus conferat gratiam.

Ratio est, quia attritio generalis est sufficiens 27.
dispositio, ut peccator absque obice recipiat gratiam per *Sacramentum*, ut constat à num. 263. de Sacramentis: ergo posita ea dispositione baptizatus recipiet gratiam per Baptismum; imò cùm Baptismus sit Sacramentum mortuorum, ea gratia per se, & directè remittet originale, & omnia personalia ante Baptismum commissa; per accidens verò, & indirectè ob incompossibilitatem gratiæ cum omni lethali remittet omnia commissa à tempore *Baptismi*: etenim ea, quæ committuntur, sive in instanti *Baptismi*, sive post *Baptismum*, cùm sint peccata hominis Christiani, non possunt per se remitti à *Baptismo*; sicuti ea, quæ præcedunt *Baptismum*, cùm sint peccata hominis infidelis, sive non baptizati, non possunt per se remitti à Sacramento Pœnitentiæ; ergo sicut Sacramentum Pœnitentiæ, si reciperetur post commissum peccatum fictionis in *Baptismo*, remitteret per se illud peccatum, & per accidens peccata præcedentia *Baptismum*, si remissa non essent; ita Sacramentum *Baptismi* remitteret per accidens illud peccatum hominis Christiani, & per se ea omnia, quæ præcederent *Baptismum*; responsiones, quæ adhiberi solent, impugnantur ex dictis à num. 267. de Sacrament.

Fit 3. Non militare pro reliquis Sacramentis 28.
auctoritates Tridentini, & Sanctorum Patrum à nobis citatas quoad aliorum Sacramentorum reviviscentiam, ac proinde non posse desumi ex illis fundamentum efficax ad alia: utrum autem ex benignitate, & misericordia DEI, aut aliis congruentiis possimus id prudenter inferre, controvertunt Doctores agentes de Sacrament. in particulari, quos, ut quisque consulere possit, & sententias, & earum Patronos breviter insinuabo. Prima docet, reviviscendi vim recedente fictione soli *Baptismo* competere: ita Dominicus *Soto*, Caspar Hurtado, Meratius, & alii. Secunda tenet, convenire eriam Sacramento Pœnitentiæ fictè suscepto. Ita Durandus, & Canus. Tertia defendit, convenire solùm Sacramentis imprimentibus Characterem; ita Major, & alii. Quarta, *Sacramentis* imprimentibus characterem superaddit Pœnitentiæ Sacramentum; ita Sylvester, & alii. Quinta affirmat de omnibus Sacramentis, præter Eucharistiam; ita Eximius Doctor, Koninch, & Lugo, quibus subscribunt plures Recentiores

centiores, addentes, convenire etiam Evcharistiæ, si fictio tollatur, antequam species in stomacho corrumpantur. Sexta propugnat, hanc vim convenire omnibus Sacramentis, uno excepto pœnitentiæ Sacramento; ita plures Recentiores. Septima etiam contendit nullo excepto, omnibus Sacramentis; ita Cajetanus, Petrus Soto.

29. Fit 4. casu, quo Baptismus reviviscat per attritionem generalem cum Sacramento Pœnitentiæ, & in eodem signo ad utriusque Sacramenti gratiam disponat, tunc intuitu uniuscujusque Sacramenti tantam gratiam conferri, quanta conferretur, si attritio uni soli Sacramento deserviret. Ratio est, quia virtus unius Sacramenti non impeditur ad causandam gratiam in subjecto disposito ex eo, quòd causet alterum Sacramentum, ac proinde tanta gratia correspondet causalitati unius, ac si alterum non causaret; ad eum modum, quo si Pontifex concederet diversas indulgentias visitantibus diversas Ecclesias, præmissa Confessione, & Communione, non minùs deserviret eadem Confessio, & Communio ad lucrandas duas indulgentias, quàm si aliquis duobus diebus confessus, & accepta Communione sigillatim suam Ecclesiam visitaret. Pariter non minùs deserviret illa generalis attritio, ut Sacramentum Baptismi, & Sacramentum Pœnitentiæ suam exercerent causalitatem ex opere operato, acsi diversa unicuique soli attritio, cæteris paribus responderet. Vide num. 39.

SECTIO III.

Solvuntur Opposita.

30. OBjicies 1. Ex Vasquez; Augustinus nullum habuit fundamentum ad tradendam eam doctrinam de Baptismo in sensu à nobis explicato; ergo non tradidit illam in hoc sensu. Confirm. Augustinus respectu eorum, qui post Baptismum fictè susceptum convertuntur, tribuit remissionem reconciliationi, correctioni, paci unitatis, veraci confessioni, & vinculo charitatis; ergo non tribuit eam Baptismo reviviscenti, sed contritioni aut Sacramento Pœnitentiæ. Resp. N. antec. quia Augustinus habuit sufficiens fundamentum in illis Christi verbis, nisi quis renatus fuerit &c. ex quibus simul Tridentinum intulit Baptismum in re, vel in voto necessarium esse ad salutem non utcunque, sed ut medium, ex quo debeat homo renasci. Ita Augustinus, qui optimè perspecta habebat ea Christi Domini verba, idem potuit inferre, sicut & intulit.

31. Ad confirmationem dist. antec. tribuit tanquam virtuti per se remissivæ peccatorum ante Baptismum, N. tanquam dispositioni, con. antec. & N. conseq. quia Augustinus nomine correctionis, pacis, confessionis, & vinculi charitatis solùm intelligit reconciliationem cum Ecclesia, mediante fide, ejusque professione tanquam dispositione necessaria in adultis hæreticis, & schismaticis, de quibus ipse loquebatur, ad consequendam remissionem peccatorum respectu Baptismi fictè anteà suscepti; imò licèt Augustinus aliquando loqueretur de confessione Sacramentali, qua tolleretur obex, & causaretur gratia, adhuc optimè inferret vim Baptismi reviviscentis, quia Sacramentum Pœnitentiæ solùm potest causare gratiam per se remissivam peccatorum à tempore Baptismi: solus autem Baptismus inter reliqua Sacramenta causat gratiam per se remissivam peccatorum ante Baptismum, ac proinde, qua homo regeneratur, & transfertur à statu filiorum primi Adæ ad statum adoptionis Filiorum DEI, ut loquitur Tridentinum citatum n. 11.

Objicies 2. Instando simul contra secundam illationem: peccata comitantia, vel subsequentia Baptismnm, utpote peccata hominis Christiani, non possunt tolli, nisi detur Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto, ut definit Trid. sess. 6. cap. 14. ergo quando post Baptismum fictè susceptum adduntur ea peccata, non reviviscit Baptismus, vel si reviviscit, requiritur Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel perfecta contritio, quæ sit pœnitentia in voto. Confirmatur, quando dantur ea peccata comitantia, vel subsequentia Baptismum adest in DEO jus contra peccatorem, cui cedere non vult, quando datur sola attritio, nisi detur vel Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto. Respondeo concedens antec. & nego conseq. quia generalis attritio etiam est Sacramentum Pœnitentiæ in voto, sive votum Sacramenti Pœnitentiæ, ut constat à num. 267. de Sacram. ac proinde ea posita remittentur per se virtute Baptismi reviviscentis peccata præcedentia Baptismum, & per accidens remittentur comitantia, & subsequentia propter incompossibilitatem formalem, quam habet cum omni lethali ea gratia per Baptismum accepta. Ad Confirm. nego conseq. quia tunc non datur sola attritio, sed etiam Sacramentum Baptismi, quod ut exerceat suam causalitatem, requirit eam attritionem, ut dispositionem ex num. 27.

Objicies 3. Baptismus fictè susceptus suscipitur sine ulla dispositione ad gratiam, perinde ac si susciperetur ab infante, imò sæpè cum dispositione prava contraria; ergo posteà reviviscens non causabit majorem gratiam, quàm in infante. Confirm. 1. ille qui suscipit digne Baptismum cum sufficiente dispositione ut *unum*, non recipit tantam gratiam, quam si haberet dispositionem ut *Sex*; sed ille, qui Baptismū suscipit absque dispositione, non debet esse melioris conditionis, quàm qui dignè suscepit; ergo licèt tollatur fictio per dispositionem ut 6. non recipiet gratiam correspondentem dispositioni ut 6. sed dispositioni ut 1. Confirmatur 2. si tolleretur fictio per dispositionem in eodem signo, in quo aliunde posset causare Sacramen-

mentum Pœnitentiæ, & Sacramentum *Baptismi*, non posset utrumque causare; aliter *Baptismus* remitteret peccata hominis baptizati, & pœnitentia peccata ante *Baptismum* commissa; ergo &c.

34. Resp. N. consequentiam, quia ex eo, quòd *Baptismus* fictè susceptus acceptetur à Christo ad causandam gratiam, ablata fictione causat gratiam in subjecto, modo, quo illud invenit, quando aufertur fictio; cùm autem illud tunc inveniat cum dispositione, cùm qua infantem non invenit, exinde causat majorem gratiam, quàm in infante causaret. Ad primam confirmationem conc. maj. & dist. min. non debet esse melioris conditionis, si posteà non pœniteat, & majorem dispositionem non habeat, con. si pœniteat, & majorem dispositionem habet, quando *Baptismus* exercet suam causalitatem, nego min. & consequentiam; quia, quòd in eo casu sit melioris conditionis, non se habet ex merito suo, sed ex merito *Baptismi* acceptati à DEO ad causandam tunc gratiam: si enim *Baptismus* non esset ita acceptatus, non reciperet homo illam gratiam, etsi haberet eandem dispositionem. Ad secundam confirmationem nego primam partem antecedentis, & dist. secundam, *Baptismus* remitteret per se peccata hominis baptizati, nego; per accidens, conc. antec. & nego consequentiam. Sic etiam pœnitentia remitteret per accidens peccata ante *Baptismum* commissa, ut constat à num. 27.

35. Objicies 4. Juxta meliorem Theologiam merita priora per peccatum mortificata revivisscent per supervenientem contritionem; at non reviviscunt juxta contritionis mensuram, sed manent æqualia, ac antea erant; ergo etiam *Baptismus* reviviscens erit æqualis omnibus, ac proinde non conferet majorem gratiam juxta majorem dispositionem. Respondeo conc. antec. & nego consequentiam; quia illa merita exercuerunt jam suam causalitatem in subjecto disposito, & concessa fuit gratia ipsis destinata, ac proinde ex vi meritorum non reviviscit gratia major; sicut quando subjectum dispositum recipit gratiam per *Baptismum*, si eam posteà amittat, quando iterum reviviscit, non confertur major gratia eâ, quæ priùs concessa fuit, licèt adsit major dispositio, cùm non reviviscat alia, sed causalitas præterita, cui quidem non ista, sed altera dispositio respondebat; at verò, quando *Baptismus* non adhuc exercuit suam causalitatem, cùm eam debeat exercere, quando aufertur fictio, & ab uno subjecto auferatur per meliorem dispositionem, quàm ab alio, exinde exercebit majorem causalitatem, & causabit majorem gratiam in uno subjecto, quàm in alio.

36. Objicies 5. instando simul solutionem: quando *Baptismus* fictè suscipitur, acceptatur à DEO ad causandam gratiam; atqui non acceptatur ad gratiâ indeterminatè, sed ad certum gradum gratiæ; aliter ex vi illius acceptationis non sciret DEUS, quantam daturus esset illi homini gratiam; quod videtur absurdum; ergo &c. Confirmatur. Si non acceptaretur ad certum gradum gratiæ, imò ad remissum, si posteà per intensam contritionem tolleretur obex, proficeret homini illi fictio plus, quàm si haberet dispositionem remissam, quando suscepit *Baptismum*, illumque tunc dignè suscepisset; sed hoc absurdum est; ergo &c. Resp. dist. maj. ad causandam gratiam, quando homo disponatur, conc. si non disponatur, nego maj. & dist. min. ad certum gradum gratiæ ex vi acceptionis præcisè sumptæ, nego, simul cum dispositione futura, & à DEO prævisa in alio signo, conc. min. & nego conseq.

Ratio est, quia signum acceptationis divinæ 37.
est signum valoris *Baptismi*, qui ex parte DEI acceptatus est respectu cujusque adulti illum validè suscipientis; cùm autem valor *Baptismi* ex se indifferens sit, ut pro signo sequenti videatur suscipiens conferendus, vel non conferendus, cum hac, vel illa determinata dispositione, exinde ex parte DEI pro signo priori, non determinatur, ut conferatur ex vi valoris *Baptismi* determinatè gratia, neque gradus gratiæ determinatus; aliter neque *Baptismus*, neque Christi mors esset acceptata ex parte DEI pro peccatoribus non conferendis, quod dici non potest, neque salva consisteret libertas baptizati, si aliter acceptaretur, ut latè constabit in Tractatu de DEO. Ad confirmationem nego maj. absolutè prolatam: fictio enim non proficit, sed est occasio, ut proficiat intensa dispositio posteà liberè posita, quam si ab initio habuisset baptizatus, suscepisset gratiam ex vi *Baptismi*, eam autem nunquam suscepisset ex vi fictionis. Sic etiam peccatum, quod ex se minimè proficit, aliquando est occasio majoris gratiæ, v. g. quando quis incidens in lethale, exinde accipit occasionem intensæ contritionis, & assiduæ pœnitentiæ, majorem gratiam meretur posita occasione illius peccati, quàm si maneret innocens, nihil de contritione, & pœnitentia sollicitus.

Objicies 6. impugnando simul tertiam illa- 38.
tionem: si homo in diversis instantibus cum duobus actibus attritionis intensis ut quatuor accederet ad duo Sacramenta, duplo meliùs esset dispositus ad illa, quàm si uno actu ut quatuor simul utrumque reciperet: ergo non potest in secundo casu tantam gratiam recipere, quantam in primo. Respondeo dist. antec. esset magis dispositus, si accederet ad unum, postquam gratiam recepit ex alterius causalitate, illamque conservat; vel si utraque attritio ad utrumque disponeret, conc. si supponatur casus, in quo solùm accederet adunumquodque Sacramentum per dispositionem ut quatuor cæteris paribus, nego antec. & conseq. quia idipsum, quod tunc contingeret, quando sola dispositio A ut quatuor deserviret Sacramento Pœnitentiæ, & sola dispositio B ut quatuor Sacramento Baptismi contingeret, quando eadem dispositio A ut quatuor utrique Sacramento deserviret,

hoc autem absolutè loquendo non ita evenit, quando utraque simul concurrit; quia cùm quælibet ex his dispositionibus sit sufficiens, ut utrumque Sacramentum suam causalitatem exerceat, utraque simul potiùs sufficiens est, & magis disponens, & ex utraque plus, quàm ex una sola subjectum manet dispositum. Ex dictis

39. Fit 1. Dispositionem requisitam, ut Sacramentum reviviscat, solùm requiri, ut subjectum sit absque obice; & sic Sacramenta possunt in illo causalitatem suam exercere, & gratiam causare, licèt ex alio titulo majorem gratiæ causent in subjecto magis dispósito: ablatio autem obicis requiritur, sicut clavis ad aperiendam januam, quin requirantur duæ claves, quando duo debent ingredi: sicut enim, ut Petrus, & Paulus ingrediantur per januam, sufficit una clavis, quæ utrique januam aperiat; ita, ut duo Sacramenta causent gratiam in eodem subjecto, sufficit una dispositio, quæ tollat triusque Sacramenti obicem tollat. Fit 2. Peccata comitantia Baptismum dici peccata commissa post Baptismum negativè: licèt non positivè; illa enim ex eo, quòd committantur ab homine in eo instanti baptizato, non sunt peccata hominis infidelis, neque commissa post Baptismum; sed hominis Christiani, & fidelis, ac proinde negativè commissa post Baptismum; quo in sensu vocantur à Trid. sess. 14. cap. 1. absolutè peccata commissa ante Baptismum, quia absolutè datur iste modus ex usu locutionis humanæ, & in proprietate verborum; sic dicimus, neminem posse consecrare Corpus, & Sanguinem Christi, nisi post susceptum Ordinem Sacerdotalem: omne peccatum personale committi post usum rationis, sola peccata post rationis usum commissa esse materiam attritionis, & contritionis, & sic de millenis aliis, in quibus ly *post* sumitur negativè.

DISPUTATIO II.

DE ESSENTIA METAPHYSICA, ET PHYSICA BAPTISMI.

40. PLures Baptismi definitiones hinc inde circumferuntur, quæ omnes ex doctrina definitionis nostræ facilè rejicientur. Moneo autem, Divum Thomam 3. part. quæst. 66. artic. 1. ut exponit ibi Eximius Doctor, non definire juxta rigorem Scholæ, sed describere naturam Baptismi, dum ex doctrina Magistri in 4. dist. 3. dixit: *Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma præscripta verborum:* quantumvis Scoto, Serra, aliique Thomistæ istam definitionem tanquam rigorosam accipiant. Cæterùm ex doctrina Eximii Doctoris, quam sibi non objiciunt, facilè impugnantur. Primò, quia ablutio est genus valde remotum; Sacramentum autem est genus propinquius. Secundò, quia explicare Baptismum per ablutionem potiùs est explicare verbum Græcum expressione latina, quàm definire: etenim idipsum, quod significat Græcum verbum *baptizo*, significat verbum Latinum *abluo*, & quod significat Græcum verbum *Baptismus*, significat nomen Latinum *ablutio*. Tertiò, quia Baptismus est Sacramentum, ac proinde concretum ex rebus, & verbis, nimirum ex ablutione, & forma verbali, sed non est verum dicere, ablutio est concretum, sicut non esset verum dicere forma verbalis est hoc concretum; imò; ut statim dicam, hoc est explicare in sensu materiali, & non in sensu Theologico Sacramentum; ergo &c. Cæterùm ante nostram definitionem notare oportet, Baptismum in sensu materiali sumptum constare ablutione aquæ, & sua forma verbali in prima compositione; in secunda verò superaddere tanquam formam hujus concreti Christi institutionem, ut constat ex dictis à n. 42. de Sacr. & constabit à num. 45. quæ quidem vocatur natura Baptismi physice, & materialiter sumpta; Theologicè verò sumitur pro significatione practica effectûs interioris, ut bene notavit Esparza lib. 11. quæst. 37. Quo in sensu quærimus metaphysicum illius constitutivum. His præmissis sit

SECTIO I.

De definitione, materia, & forma Baptismi.

ASsero 1 Baptismus Theologicè sumptus pro significatione practica effectûs interioris ita metaphysicè definitur: *Sacramentum characteristicum Fidei perfectissimè remissivum per se omnium peccatorum præcedentium.* Probatur 1. & explicatur simul veritas definitionis: illa est recta definitio, quæ per aptum genus, & differentiam explicat essentiam definiti; atqui per ipsam definitionem explicatur per aptum genus, & differentiam essentia Baptismi; ergo &c. Probatur min. Sacramentum characteristicum est genus proximum conveniens Confirmationi, & Ordini, quæ characteristica Sacramenta sunt, utpote characterem imprimentia. Per reliquas particulas distinguitur ab illis, & ab aliis Sacramentis, cùm per se non sit remissiva omnium peccatorum præcedentium; Baptismus enim est janua ad alia Sacramenta, sine quo non datur ad alia subjectum expeditum, ideòque præire debet, ut cætera recipiantur: per Baptismum remittuntur etiam per-

ante Baptismum commissa, eáque de causa dicitur Sacramentum Fidei à Theologis cum Divo Thoma; sicut enim absque Fide impossibile est placere DEO ex num. 110. de Sacramentis, ita absque Baptismo in re, vel in voto. Additur ly *perfectissimè* ut adæquata Baptismi essentia innotescat; licèt enim Sacramentum Pœnitentiæ sit etiam per se remissivum peccatorum, non remittit peccata perfectissimè, cùm plenè non remittat quoad pœnam, sed quoad culpam; bene verò Baptismus & quoad pœnam, & quoad culpam remittit peccata, eáque de causa ei, qui baptizatur, nequit imponi pœnitentia, utpote ad pœnæ remissionem non conducens. Vide num. 44.

42. Probatur 2. & roboratur simul conclusio, per hanc definitionem explicatur essentia Baptismi prout ex Scriptura Conciliis PP. & Theologis nobis innotescit; ergo est recta. Probatur antec. Baptismus est unum ex tribus Sacramentis imprimentibus characterem, ut constat ex Script. Flor. & Trid. citatis num. 219. de Sacramentis; deinde perfectissimè remittit omnia peccata præcedentia, nimirùm, & quo ad culpam, & quo ad pœnam, ut constat ex Trid. sess. 14. cap. 2. dicente: *Alius est præterea Baptismi, & alius pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes.* Quo fit, ut anima denuò regeneretur, sive renascatur ex illo Christi Joan. 3. nisi quis renatus fuerit &c. quæ quidem regeneratio stat in conceptu à nobis explicato; insuper Baptismum causare hos effectus per præcipuum Spiritûs S. donum, sive per gratiam, satis constat ex nostra definitione, quando dicitur esse Sacramentum, cùm sit de ratione Sacramenti, esse collativum talis gratiæ ex num. 14. de Sacram. hæc autem sunt, quæ insinuavit D. Petrus Actor. 2. dicens: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus S.* sed hæc omnia comprehendit nostra definitio; ergo &c.

43. Neque opus est explicare, conici aquæ ablutione, cùm hoc se habeat purè materialiter: si enim Christus instituerit ad hos effectus præstandos ablutionem olei, vel alteriùs liquoris, solùm materialiter distingueretur unum ab alio, secùs in ratione Sacramenti ex dictis num. 68. de Sacram. Nota tandem concupiscentiam, quæ ex peccato est, & ad peccatum inclinat, non esse peccatum, ut definit Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali. Sed effectum peccati; ac proinde non est pœna, de qua loquimur, hæc enim apud Concilia, & Theologos significat debitum, dum remissum non sit, à nobis persolvendum ratione culpæ, antequàm post gloriosam Christi Resurrectionem ad DEI gloriam accedamus, ratione autem illius effectus, sive concupiscentiæ non est quidquam persolvendum, ideóque si cætera non obstent, ratione talis concupiscentiæ non adest impedimentum, ne, qui in gratia moritur, ad visionem DEI statim perveniat.

Quo in sensu Concil. Flor. in decreto unionis ita loquitur de Baptismo: *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur, propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes, antequàm culpam aliquam committant, statim ad Regnum Cœlorum, & DEI visionem perveniunt.* Ex quo percipies, quo in sensu verum sit, quod plures notant Doctores, nimirùm nomine harum pœnarum non intelligi illas, quas homo ex humana lege per peccatum incurrit, vel quæ ex principiis naturæ oriuntur, quales sunt mors, fames, morbus, & similes pœnalitates, sed illas quæ à DEO per peccata extrinsecùs infliguntur, quales sunt pœnæ inferni, & purgatorii. 44.

Assero 2. Materiâ remotâ Baptismi est aqua naturalis, proximâ verò materia est ablutio talis aquæ. Ita omnes Catholici. Probatur 1. pars ex Script. Joan. 3. ubi Christus Dominus Nicodemo dicit: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI.* Actor. 8. v. 36. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari*; & Versic. 38. *descenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunucus, & baptizavit eum.* & cap. 10. tunc respondit Petrus: *nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi:* ex quibus constat aquam non debere intelligi metaphoricè, sed verè, & propriè, cùm ex his testimoniis manifestè appareat naturalem sive elementarem fuisse aquam, de qua ibi est sermo. 45.

Licèt enim aliquando in Script. aqua sumatur metaphoricè ut Ezech. 36. & Joan. 4. sicut & ignis Matth. 3. solùm ita sumitur, quando urgens ratio id suadet auctoritate Sanctorum Patrum, aut Ecclesia Suffragio confirmata; sed in præsenti, aqua pro materia remota Baptismi nequit intelligi metaphoricè, ut constat ex contextu, & sensu Ecclesiæ, ac Sanctissimorum Patrum, imò ex Florentino in decreto Eugenii dicente: *Materia hujus Sacramenti est aqua vera, & naturalis, nec refert frigida sit, an calida,* & ex Trid. sess. 7. can. 2. de Bapt. ita contra Calvinum definiente: *Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideò verba illa Domini nostri Jesu Christi: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. ad metaphoram aliquam detorserit: anathema sit*; ergo &c. 46.

Probatur 2. Pars conclusionis: Sacramentum Baptismi, sicut & reliqua omnia, præter Evchariſtiam, ut dicunt Theologi, est Sacramentum consistens in usu, quatenùs, postquàm perfectum est, non permanet, sicut Evchariſtia; atqui materia proxima Sacramenti consistentis in usu non est permanens, sed est usus illius materiæ remotæ, qui quidam usus in nostro casu est ablutio; ergo &c. Confirm. 47.

non conficitur formaliter Sacramentum Baptismi, nisi quando Minister baptizat, ac proinde quando abluit; baptizare enim idem est, ac abluere; sed materia proxima Sacramenti est ea, qua formaliter conficitur Sacramentum; ergo materia proxima Sacramenti Baptismi consistit in ablutione. Confirmatur 2. Ablutio, & lavacrum idem omnino sunt, ut per se patet; sed lavacrum est materia proxima Baptismi; ergo ablutio est materia proxima Baptismi. Maj. & conseq. tenent, min. patet ex Paulo ad Ephes. 5. dicente: *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*; ergo &c.

48. Hæc ut dixi, certa sunt apud omnes Theologos, qui utpote agentes de re physica, quæ omnibus nota est, non ulteriùs inquirunt metaphysicum ablutionis constitutivum, contenti doctrina sensibus perceptibili, cùm omnes sciant requiri naturaliter ad ablutionem physicum, & successivum aquæ motum in corpore, quod abluitur, sub quo conceptu præcedit actio ex potestate Ministri baptizantis expressa per illa verba: ego te baptizo; & in Ecclesia Græca per illa: baptizetur servus Christi; cùm apud Græcos ly baptizetur significetur, baptizetur à me, vel id saltem explicetur ipso exercitio; tum etiam ex potestate aquæ requiritur naturaliter modus præsentiæ successivæ extrinsecus baptizato, quo aqua abluendo contingit baptizatum, sicque sortitur suum effectum ex illo Aug. citati Tract. 80. in Joan. quæ est ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat. Hæc enim physicè requiruntur, sive modi illi sint puri termini à Christi institutione sibi præfixi, sive de constitutivo proximæ ablutionis, sive tantùm sint relationes.

49. Quod autem ipse non percipio, est, quod apud plures auctores communiter lego, qui ita explicant ablutionem ut materiam proximam, ut excludant aquam à constitutivo talis materiæ proximæ; potiùs ego excluderem modos actionis, & passionis, & dicerem esse puros terminos, quibus positis aqua abluens manet instituta, & est materia proxima Sacramenti, ex dictis à num. 97. de Sacram. circa quod si per tempus liceret, integram disputationem instituerem; nec renuam breviter innuere fundamenta, quibus moveor, quæ aliquibus fortasse aliquando inservient. Primum est, quia materia proxima est, quæ denominatur instituta: atqui modus non denominatur institutus, sed aqua posito tali modo, ut expressè habet Eximius Doctor: disp. 20. sect. 2. dicens: *quia ipsa aqua est, quæ sub illo modo applicata, est signum gratiæ, & instrumentum efficax illius*; ergo &c.

50. Secundum, licèt requiratur modus, ut aqua abluat, virtus abluendi posito tali modo, non stat in modo, sed in aqua; sicut licèt requiratur approximatio, ut ignis comburat, virtus comburendi, posita approximatione, non stat in ista, sed in igne. Pariter in gratia unita subjecto virtus expellendi peccatum non stat in unione, sed in entitate gratiæ; sic etiam virtus dealbandi stat in albedine posita unione, idémque suo modo in omnibus physicis formis: atqui institutio Christi neque ex Script. neque ex Conc. neque ex SS. PP. cadit supra modum, sed supra aquam, sive formam abluentem, ut constat ex test. adductis à num. 45. ergo &c. 3. Dummodo aqua solùm sit instituta, quando detur talis modus, non est instituta ut permanens; ergo quod materia Baptismi, utpote consistentis in usu, non sit instituta ut permanens, nulla est ratio, ut excludatur aqua à constitutivo materiæ proximæ; eáque de causa dixi num. 35. & 47. de Sacr. species Sacramentales in Eucharistia non utcunque, sed ut materiam permanentem institutas esse; unde satis constat, quomodo aqua secundùm se sit materia remota, & ablutio sit materia proxima, ita ut non debeat excludi aqua, quamvis includatur modus in sententia ferè omnium DD. neque in his ulteriùs possumus immorari. Habemus autem, quod apud omnes est certum, & quomodo securè loquamur, dicendo aquam secundùm se esse materiam remotam, ejusque ablutionem esse materiam proximam, quæ sola notitia tandem aliquando utilis est ad praxin.

Assero 3. Forma sufficiens, & necessaria hujus Sacramenti est ista, vel quæ perfectè æquivalet isti: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Probatur forma hujus Sacramenti nulla est alia, nisi quæ instituta est à Christo; sed quæ instituta est à Christo, est hæc forma à nobis assignata, vel quæ illi perfectè æquivaleat, ex dictis à num. 60. de Sacram. ergo &c. Probatur min. forma qua Græci utuntur, ex eo est valida, quia perfectè æquivalet isti, & ista est valida, quia eundem sensum à Christo intentum perfectè continet; ergo &c. Probatur antec. ex flor. citato num. 44. dicente: *Forma autem est. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. non tamen negamus quin & per ista verba: baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. vel baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. verè perficiatur Baptisma, quoniam cùm principalis causa, ex quo Baptismus virtutem habet, sit S. Trinitas, instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exteriùs Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum cum S. Trinitatis invocatione perficitur Sacramentum*; ergo &c. Unde ea verba euntes baptizate, non fuerunt prolata à Christo in sensu copulativo, sed distributivo, ut ex doctrina Ecclesiæ, & Concil. definitionibus constat.

Fit 1. Ex prima assertione: Baptismum utpote impressivum characteris esse irreiterabilem ex num. 219. de Sacram. quando autem est dubium prudens de valore, debet reiterari sub conditione. Si autem extra casum necessitatis Baptismus reiteratur, baptizans, & bapti-

ptizatus peccant mortaliter, fiuntque irregulares, & in Jure Civili puniuntur pœna mortis. Aliqui autem auctores judicant, non incursurum has, qui sub conditione rebaptizaret, licèt sine justa causa; quia tales pœnas existimant intelligi de Baptismo absolutè lato absque prudenti dubio de valore. Si autem pro utraque parte sit dubium, docent plures cum Eximio Doctore standum esse pro favore baptizandi. Imò plures cum Quintanavenas Tom. 1. aliis docent, rebaptizandos omnes infantes expositos sive cum scedula, sive absque illa reperiantur, illos etiam, qui baptizati sunt ab ostetricibus, cùm sæpè inventum fuerit esse deceptos tunc baptizatos ab hæreticis, & sic de aliis similibus.

53. Hæc autem doctrina absque limitatione non placet, ideóque Card. de Lugo rectè eam limitat ad casus, in quibus limitari prudenter possit de defectu materiæ, formæ, vel intentionis, sive aliquo ad formam requisito, ut constat ex Innocentio III. cap. de quibus dubium statim citando, quando aliquis ita dubitat, tenetur Baptismum petere, & Parochus conferre, interea abstinere debet ab usu aliorum Sacramentorum. Baptismus autem conditionatè sub hac forma confertur, quæ cap. de quibus dubium de Baptismo ita præscribitur: de quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: si baptizatus, non te baptizo, sed si baptizatus non es, ego te baptizo, &c. & licèt probabile sit sufficere si conditio mentaliter apponatur, tutiùs tamen est, quando ex omissione prolationis scandalum non timetur, exprimere verba saltem ista: si non es baptizatus &c. in hoc autem Baptismo neque necessarius est patrinus, neque adhibendus.

54. Fit 2. Baptismum utpote Sacramentum fidei characteristicum, adultis necessarium esse ad salutem in re, vel in voto ex num. 5. ut constat ex verbis Christi citatis num. 45. ideóque Jure Divino tenentur adulti Baptismum suscipere quamprimum id commodè fieri potest: non enim licèt diu illos manere absque vera religione, nec fidem ejúsque auctorem contemnere, aut pro libito vivere Sacramentorum omnium auxilio destitutos, in eo námque distinguitur inter alia Baptismus ab aliis Sacramentis, & etiam ab Eucharistia; quia licèt hæc sit mysterium fidei, non tamen est Sacramentum fidei characteristicum, neque characterem imprimit, sed illum fidei characterem supponit, neque potest aliquis licitè sumere Eucharistiâ, sicut nec alia Sacramenta, quin hoc fidei charactere per Baptismum impresso sit insignitus; unde non valet sumi Sacramentum à peccatore, qui non tenetur statim confiteri, cùm istæ rationes pro eo casu non militent.

55. Qua de causa cùm infantes non possint per proprios actus habere Baptismum in voto, neque consequi vitam æternam secluso Baptismo Sanguinis ex num. 3. nisi Baptismum in re suscipiant, ex vi ejusdem præcepti Divini tenentur parentes dare operam, ut infantes baptizentur, quando instat periculum mortis. Imò consuetudo Ecclesiæ, quæ habet vim legis, obtinuit jam, ut infantes prima data occasione baptizentur. Quamobrem parentes Christiani, qui sine gravi causa eorum Baptismum diu differunt, peccant mortaliter. Opinio autem Cajetani docentis, deficiente opportunitate baptizandi parvulos, ad eorum salutem sufficere votum Baptismi à parentibus vel aliis elicitum, temeraria est, & errori proxima, ut fatentur ipsi Thomistæ, & jussu Pii V. expuncta est Commentar. ejus in D. Thomam.

56. Fit 3. Ex secunda assert: quamcunque aquam naturalem esse materiam certò sufficientem; quod Catechismus Tridentini tit. de Bapt. explicat per hæc verba: *Materiam igitur sive elementum hujus Sacramenti esse omne naturalis aquæ genus, sive ea maris sit, sive fluvii, sive paludis, sive putei aut fontis, quæ sine ulla adjunctione aqua dici solet.* Unde aqua consecrata solùm est de præcepto, vel gravi, vel levi juxta diversas auctorum sententias, non autem est necessaria ad valorem. Exigua autem admixtio, quæ speciem aquæ naturalis non immutat, est materia sufficiens, sic in Baptismo solemni parum chrismatis aquæ admiscetur.

57. Si autem dubitetur, an aqua sit naturalis, erit materia dubia, quæ solùm in alterius defectu deservire potest pro casu necessitatis, ita tamen, ut si postea fieri possit, & reperiatur aqua certò sufficiens, debeat Baptismus sub conditione reiterari: quando autem certò constat, non esse aquam naturalem, certè etiam est insufficiens, ut constat ex testimoniis adductis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum à num. 45. in quibus impugnatur Calvinus dicens: requiri aquam metaphoricè, Selentiani, & Jacobitæ, qui ex illis verbis Joannis Baptistæ de Christo: *ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*, pessimè inferebant, materiam Baptismi non esse aquam, sed ignem; & tandem error Flagellantium, qui dicebant, Baptismum aquæ jam cessâsse, & in Baptismum Sanguinis esse mutatum: hi enim errores radicitus evelluntur ex testimoniis adductis.

58. Fit 4. requiri ad valorem Baptismi, quidquid requiritur ad ablutionem secundùm significationem formæ Baptismi; quapropter requiritur, quòd fiat à Ministro ablutio, qua baptizatus abluitur. Unde, si quis se submitteret aquæ decidenti è stillicidio, & alter formam proferret, non esset baptizatus; neque adhuc pro casu necessitatis, in quo reperirentur mancus, & mutus, videtur approbanda sententia illorum, qui dicunt, posse mutum abluere, & mancum verba proferre. Quidquid tamen de hoc sit, fatentur ipsi Authores, illum, si adesset occasio, rebaptizandum sub conditione, si-

cur, & si baptizatus fuisset aliquibus guttis aquæ, de quibus dubitatur, an sufficientes essent ad ablutionem, qua homo ablutus diceretur. Exinde non est sufficiens ablutio in quavis parte corporis, sed requiritur in parte saltem adeò principali, ut ratione illius per physicum aquæ contactum totus homo denominetur ablutus, eáque de causa ex praxi Ecclesiæ adest præceptum abluendi caput, ratione cujus verè dicitur totus homo ablutus, cùm sit principalior pars, in qua vigent omnes sensus; cæterùm cùm sit speculativè probabile, sufficere quamcunque corporis partem ad valorem, licebit sub conditione in casu extremæ necessitatis cum onere rebaptizandi, si adsit occasio.

59. Propter eandem rationem non sunt materia sufficiens gelu, grando, & similia, quia secundùm significatum, quod apud homines habet ablutio, non possunt corpus abluere, etsi illud possint madefacere: ad ablutionem enim requiritur successivus motus liquidi humoris per corpus, ideóque non potest quis baptizari immotus manens in aqua immota: velut cum ablutio fieri possit per successivam immersionem corporis in aquam, vel per successivam infusionem aquæ in corpus, vel per aspersionem aquæ, quæ per corpus fluat; quicunque ex his modis sufficiens est ad Baptismum; unusquisque autem servare debet praxin suæ Ecclesiæ, vel sub gravi, vel sub levi secundùm diversas Doctorum sententias, ubi trina vel immersio, vel infusio usitata est.

60. Cavendum tamen est, ne ter, sed semel tantùm pronuncietur forma, quæ rectiùs profertur cùm intentione baptizandi, antequàm finiatur tertia ablutio, cùm Sacramentum certò constituatur ex integra forma, & quavis prævia ablutione: licèt enim ex consuetudine alicujus Ecclesiæ trina immersio sit de præcepto, non est de essentia, ut Gregorius I. consultus à Leandro Episcopo Hispano, definivit, & habetur in Concilio Toletano 4. can. 5. Unde immersio non est de essentia, ac proinde si quis projiceret infantem in flumen, eúmque abluendo proferret Baptismi formam, & si puer non emergeret, sed maneret ibi suffocatus, conficeret Baptismum validè, quamvis illicitè, cùm non sint facienda mala, ut sequantur bona.

61. Fit 5. ex tertia assertione, neminem posse uti formâ Baptismi, quæ certa non sit ex dictis à num. 313. de Sacramentis; illæ autem certò sunt invalidæ, quæ Trinitatem non exprimunt, ut constat ex ibi dictis à num. 75. illæ autem sunt dubiæ, de quibus dubitatur, an exprimant Trinitatem, ideóque est dubia forma prolata: *in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab utroque*; quia, ut defendunt plures Doctores, illæ voces neque personas, neque personalitates exprimunt, sed solùm significant quasi fundamentum personalitatum. Propter eandem rationem dici debet *in nomine*, & non *in nominibus*: etenim ly *in nomine* idem est, ac in natura, sive essentia divina. Unde si dicerentur *in nominibus*, significaretur natura divina multiplex, ac proinde ea expressio inepta omnino esset ad formam Baptismi. Eodem modo de aliis similibus discurrendum est.

Minister autem ordinarius Baptismi, & ex officio est Sacerdos habens jurisdictionem, aut commissionem, vel ex ejus commissione Diaconus, qui reliquos præcedit; sic etiam Clericus Laicum, vir mulierem, fidelis infidelem, cæteris paribus. Sacerdos autem, cui ex officio competit, semper præfertur, ideóque peccant parentes, qui sine licentia sui Prælati prolem baptizandam alienò deferunt, cùm violent jus proprii Parochi. Invetio in aliis, si sit gravis, est culpa mortalis; venialis verò, si levis sit, quod ex variis circumstantiis pensandum est, à quibus pendet, quòd non solùm validè, sed etiam licitè Baptismus ministretur: quoad valorem enim quicunque homo ratione utens est Minister, cujuscunque Fidei, infidelitatis, status, aut sexus. Subjectum autem Baptismi capax est solus homo vivus ab Adamo descendens, nondum baptizatus; neque Minister potest licitè baptizare aliquem contra jus proximi, v. g. Ethnicorum infantes extra mortis periculum invitis parentibus, sub quorum cura vivunt; etenim cùm infantes ita baptizati non possent relinqui sub custodia ethnicorum parentum, ne pervertantur, extrahendi essent ab illis, quod esset contra jus parentum, in quos Ecclesia non habet jurisdictionem; secus esset, quando parentes essent mancipia Ministri; nam tunc illorum jus pertineret ad Ministrum; vel quando alteruter parentum esset baptizatus ex dictis n. 6. quia tunc Ecclesia jam habet jus, quo uti posset in favorem baptizandi. Ex quo principio resolvendi sunt similes casus

Circa cæremonias, quæ in Baptismo adhibentur, non quidem in privato, nisi ad summum, quando filius Regis, aut magni Principis baptizatur, ex Clement. unic. in quo baptismo non requiritur Patrinus, neque contrahit ex pluribus Doctoribus cognationem Spiritualem, etsi adhibeatur: sed in Baptismo solemni consulendum est cujusque Ecclesiæ proprium Rituale, & observandum; ante Tridentinum plures poterant esse Patrini, ita, ut inter illos, & baptizatum contraheretur cognatio spiritualis, ut constat ex cap. *quamvis de cognatione spirituali in 6.* at post Tridentinum unus solus designandus est, vel ad summum unus, & una, ut constat ex sess. 24. cap. 2. ubi ita statuitur, non contrahere suscipientes inter se cognationem spiritualem, quæ est impedimentum dirimens matrimonium, sed eam contrahere cum baptizato, ejusque Patre, & Matre; sicut contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem; unde Parens non potest esse patrinus licitè, neque licitè baptizare filium suum extra casum necessitatis; aliter contraheret cognationem cum conjuge; neque licitè potest esse Patrinus Abbas, Monachus,

chus, vel cujusvis alterius Ordinis Regularis, ſicuti neque Apoſtata, aut qui ſit moribus infamis; patrinus enim, ſi ab aliis non fiat, tenetur inſtruere de rebus Fidei baptizatum, quod non facilè præſtare poſſent Religioſi, cùm non ſint ſui juris, neque Apoſtatæ, Hæretici, aut illis ſimiles, cùm ex his potiùs timenda eſſet perverſio, quàm inſtructio. Tenetur etiam Parochus ſuſcipientium (qui Chriſtiani ſui compotes eſſe debent) & baptizati nomina in Libro notare, ut vitentur incommoda, quæ oriri poſſent ex omiſſione, & adimpleat legem præſcriptam à Tridentino cap. 2. citato. Reliqua, quæ hìc adduci poſſent, ſatis conſtant ex dictis de Sacramentis in genere.

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

64. OBjicies 1. Contra primam aſſert. ex hæreticis: non eſt efficacior Baptiſmus, quo baptizantur cæteri poſt Chriſtum Dominum, quàm quo ipſe Dominus in Jordane baptizatus fuit à Joan. Baptiſta Matth. 3. ſed Baptiſmus, quo Chriſtus baptizatus fuit, non erat collativus gratiæ, neque remiſſivus peccati, ut proteſtatur ipſe Baptiſta; ergo neque Baptiſmus, quo baptizantur cæteri. Probatur maj. ut ait Apoſtolus 1. ad Coloc. c. 1. de Chriſto: *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens*: atqui non teneret primatum in omnibus, ſi Baptiſmus, quo baptizantur reliqui, eſſet efficacior Baptiſmo, quo baptizatus fuit Chriſtus; ergo &c. Confirm. ablutiones Baptiſmi novæ legis correſpondent ablutionibus cæremonialibus legis antiquæ, quæ ab Apoſtolo cap. 9. ad Hebr. v. 10. vocantur Baptiſmata; ſed illæ ablutiones non erant cauſativæ gratiæ, neque remiſſivæ peccati; ergo neque ablutiones Baptiſmi novæ legis. Quam debilia ſint iſta hæreticorum deliramenta, ſtatim videbimus.

65. Reſp. N. maj. ad prob. con. maj. N. min. cujus falſitas evidenter oſtenditur ex ipſo teſtimonio ab Adverſariis adducto: ex eo enim, quòd Chriſtus primatum teneat in omnibus, primatum tenet in Baptiſmo ab ipſo inſtituto reſpectu Baptiſmi inſtituti à Joanne, ac proinde Baptiſmus Chriſti efficacior arguitur Baptiſmo Joannis. Deinde reſpectu noſtri, qui *Baptiſmum* Chriſti recipimus, Chriſtus ipſe tenet etiam primatum, cùm nobilius ſit reſpectu Chriſti inſtituere, & ex ſuis meritis, & dignitate adeò magnam efficaciam conferre *Baptiſmo*, quàm ex parte noſtri illum ſuſcipere ex meritis, & efficacia Chriſti, ut ex ipſis terminis notum eſt.

66. Hoc grande diſcrimen, in quo primatus Chriſti tantum elucet, ſi excœcati non eſſent Adverſarii, facilè videre poterant in ipſo textu, quem citant, cùm in eo *Baptiſta* ipſe ita loquatur: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu S.* hinc ad Confirm. diſt. maj. correſpondebant ſicut umbra, & figura, con. ſicut æqualia, nego maj. & con. min. nego conſeq. nam ut ait Apoſtolus 1. Corinth. 10. à v. 1. *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt.* Et poſtea ſubjungit verſ. 11. *hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Umbra autem, & figura non ſunt æquales rei ſignificatæ: ſic figura hominis non eſt tantæ perfectionis, ac homo.

Objicies 2. Ex aliis, non eſt definitio recta, 67.
quæ exprimit conceptum rei ſecundarium, & omittit primarium; ſed ſic ſe habet noſtra definitio; ergo &c. Probatur min. infuſio gratiæ eſt conceptus primarius, & remiſſio peccati eſt ſecundarius; ſed in noſtra definitione exprimitur conceptus remiſſionis peccati, & omittitur conceptus infuſionis gratiæ; ergo &c. Confirm. conceptus rei primarius eſt ille, qui rem diſtinguit ab omni non ipſa; ſed ipſe conceptus non diſtinguit *Baptiſmum* ab omni non ipſo; ergo &c. Probatur min. ſi daretur Sacramentum à Chriſto inſtitutum collativum eorundem effectuum, quos confert *Baptiſmus*, quod non conſtitueretur ex ablutione, & verbali forma, ſed ex alia materia, & forma, tale Sacramentum non eſſet *Baptiſmus*; atqui iſte conceptus à nobis aſſignatus non diſtinguit Baptiſmum ab illo Sacramento; ergo non diſtinguit Baptiſmum ab omni non ipſo.

Reſp. con. maj. & nego min. ad Prob. per- 68.
mitto maj. & nego min. quia in noſtra definitione jam exprimitur, Baptiſmum eſſe Sacramentum, ac proinde eſſe collativum gratiæ, cùm virtus collativæ gratiæ ſit de ratione eſſentiali, & metaphyſicè conſtitutiva Sacramenti, ut conſtat à num. 4. & 14. de Sacram. dixi permitto maj. quia aliud eſt remiſſio, & aliud virtus remiſſiva peccati: licèt enim remiſſio, peccati ſit effectus ſecundarius Sacramenti, imò licèt non ſit tam nobilis, quàm infuſio gratiæ in peccatore, attamen in Sacramento Baptiſmi non eſt minùs nobilis virtus remiſſiva peccati, quàm collativa gratiæ, cùm ſit realiter eadem virtus: ſic ſenſatio non eſt tamnobilis, quàm diſcurſus, & tamen in homine tam nobilis eſt virtus productiva ſenſationis, quàm productiva diſcurſûs, cùm ſit realiter eadem, imò quia utraque formalitas conſtituit conceptum ſpecificum metaphyſicum hominis, per utramque conſtituitur homo. Pariter in noſtro caſu dicendum eſt de metaphyſico conſtitutivo Sacramenti Baptiſmi.

Ad Confirm. diſt. maj. non eſſet Baptiſmus, 69.
ſumpto Baptiſmo in ſenſu materiali, con. 1; in ſenſu Theologico, nego maj. & conc. min.

nego

nego consequentiam. Quia ut constat ex dictis num. 40. non esset vera definitio, si essentiam illius Sacramenti metaphysicam non comprehenderet, sicut enim Petrus & Paulus non distinguuntur in ratione hominis, sed in ratione individui, ideóque definitio hominis utrique debet convenire, ita illa Sacramenta non distinguerentur in esse Baptismi Theologicè sumpti, sed in esse individui, ac proinde ratio Baptismi Theologicè sumpti utrique debet convenire. De distinctione materiali agimus jam in alia assert: cùm Theologis, quando materiam, & formam de facto institutas investigamus.

70. Objicies 3. Contrà secundam assert. ex hæreticis. Matth. 3. dicitur de Christo: ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne; ergo ignis potiùs, quàm aqua dicendus est materia hujus Sacramenti. Confirmatur 1. ex Dionys. cap. 2. Ecclesiasticæ Hierar. & Damasc. lib. 4. de fide cap. 10. dicente: *Baptismus est illuminatio;* atqui illuminatio non est propria aquæ, sed ignis; ergo &c. Confirm. 2. in pluribus Scripturæ Testimoniis accipitur aqua metaphoricè pro gratia, ut constat ex num. 2. & ex Christi verbis Joan. 4. dicentis: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam,* ubi ter repetitur significatio ista metaphorica aquæ: Sed nulla est ratio, ne in præsenti intelligatur aqua metaphoricè, sicut intelligitur metaphoricè ignis, quando dicitur Christus baptizaturus igne; ergo &c. Confirm. 3. aqua fluens de latere Christi in Cruce, repræsentavit materiam Baptismi; sed illa non erat elementaris, cùm in corpore mixto, quale erat corpus Christi, non dentur elementa in actu; ergo materia Baptismi non debet esse aqua propria, & elementaris.

71. Resp. N. conseq. quia quando testimonia Scripturæ habent sensus quasi quo ad speciem oppositos, cùm unus sumitur propriè, alterum metaphoricè sumi, necesse est; tunc autem Ecclesiæ muneris est, definire textum qui sumitur propriè, ut exinde intelligamus alterum sumi metaphoricè: in nostro autem casu aquam intelligi in sensu proprio, & non metaphorico, definitum habemus à Concil. citatis num. 45. unde ignis intelligitur metaphoricè; quod etiam clarè constat ex regula interpretandi Scripturam, nam quando ex ipso contextu clarè constat, unum sensum esse proprium, non nisi stolidè dubitari potest, alterum esse metaphoricum. In nostro autem casu ex ipsa Scripturæ historia manifestè constat, aquam intelligi in sensu proprio, ut patet ex eo num. 45. ac proinde non nisi stolidè dubitari potest, ignem accipiendum metaphoricè pro ardore charitatis, quam excitat Spiritus Sanctus, datus in Baptismo per gratiam, casu, quo ille textus, ut probabiliter potest, intelligatur de Baptismo; literaliter autem intelligi potest de apparitione Spiritus Sancti super Discipulos in linguis igneis, ut explicat Catechismus Trid. ex illis Christi verbis Actorum 1. *vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto non post multos hos dies*; unde intelliges, quàm stultè Hæretici Jacobitæ ex prava illius textus intelligentia candenti ferro Crucis characteris formato frontes baptizatorum inurant.

Hinc ad primam confirmationem nego consequentiam; quia Baptismus non est illuminatio materialis, sed causa illuminationis habitualis, sumptæ pro splendore gratiæ, qua splendet baptizatus. Ad secundam confirmationem conc. maj. & nego min. ut constat ex Scriptura, & Conciliis adductis, & ex ipsa regula interpretandi Scripturam ex dictis num. superiori. Ad tertiam confirmationem conc. maj. & nego min. quia, ut Interpretes docent, et Christi latere miraculosè fluxit aqua pura, & propriè talis, idque expresè significant verba Evangelistæ; imò Innocentius III. Cap. *in quadam de celebrat. Missarum*, damnat errorem Hæreticorum dicentium, non fuisse veram aquam, sed humorem phlegmaticum, quia cum sanguine effluxit è latere Domini, nec ea fuit solùm figura, sed ostensio materiæ Baptismi. En Pontificis verba: *sicut fuit verus Spiritus, & verus sanguis, ita procul dubio vera aqua*; & rationem subjungit: *nam si non fuisset, sed phlegma, quod de latere Salvatoris exiret, ille, qui vidit, & testimonium veritati perhibuit, profectò non aquam, sed phlegma dixisset, nec in hoc verum regenerationis Sacramentum fuisset ostensum, cùm per Sacramentum Baptismi non regeneremur in phlegmate, sed in aqua.*

Objicies 4. Non conficitur validè Baptismus, si non fiat trina ablutio: ergo assertio nostra absolutè prolata, & illationes ex illa factæ sunt. Probatur antec. ex Pelagio Papa in Epist. ad Gaudentium, quæ refertur Cap. *multi sunt de consecra.* dist. 4. per hæc verba: *multi sunt, qui in nomine solummodò Christi una etiam mersione se asserunt baptizare; Evangelicum contemnunt præceptum ipso DEO, & Domino Salvatore nostro JESU Christo tradente nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiam mersione Sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino Discipulis suis: ite, baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii &c.*; ergo &c. Confirmatur ex Can. 49. Apostolorum, quia habet: *si quis Episcopus, aut Presbyter non trinam mersionem unius Mysterii celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur in Domini morte, damnetur; etenim non dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate, sed euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* ergo &c.

Responderi potest 1. textum Pelagii Papæ, quem citant Adversarii, non esse authenticum, etenim nulla alia Epistola Pelagii ad Gaudentium reperitur, nisi quam misit Pelagius I. ad Episcopos Tusciæ sub hac Rubrica: Dilectissimis Fratri-

77.

Fratribus Gaudentio, Maximiliano, Gelogio, Justo, Terentio, Vitali, & Laurentio per Tussiam annonaliam Pelagius; hæc autem sexta est Pelagii hujus Epistola, ut videri potest Tom. 5. Concil. quæ Typis recenter data sunt opera Philippi Laurei, & Gabrielis Gossacii Societatis JESU Tom. 16. in hac verò Epistola Episcopos istos ob schisma reprehendit; ex textu verò quem Adversarii citant, nec verbum habetur. Unde dubitare non possumus, hujusmodi testimonium esse saltem valde dubium, eo tamen pro nunc permisso,

75. Respondeo cum Divo Thoma quæst. 66 art. 8. & Eximio Doctore disput. 20. de Baptismo sect. 3. negando antec. Ad probationem conc. antec. & nego conseq. quia in eo textu solùm concluditur, ex præcepto Christi ferendum Baptismum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; quin dicatur ex præcepto Christi conferendum trinam mersionem: solùm enim dicitur ex illo præcepto admoneri Ecclesiam, ut conferat trinam mersionem ad repræsentandum Mysterium, quo explicatur, illud fuisse motivum, ratione cujus Ecclesia imposuit olim præceptum, ut conferretur Baptismus trina mersione; eáque de causa utrumque conjunxit Pontifex in eo textu; illud autem præceptum jam non obligat, ubi ex consuetudine legitimè est abrogatum; imò fuisse merum Ecclesiasticum, constat ex Gregorio I. & Concilio IV. Toletano citatis num. 60.

76. Ad confirmationem nego consequentiam; quia ille Canon, ut ait Eximius Doctor, fotmatus fuit contra aliquos, qui non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in nomine Christi mortui pro nobis, & ad explicandam eam mortem utebantur solùm una mersione; unde & conficiebant invalidè, & simul transgrediebantur præceptum, antequàm de trina mersione, quasi non obligaret, & fundaretur in falso motivo de necessitate expressionis Trinitatis, ad quod significandum erat ab Ecclesia impositum. Hunc errorem damnârunt Apostoli in eo Canone, ex quo malè infertur, trinam mersionem necessâriam esse ad valorem. Ex hac doctrina explicanda sunt aliquorum Patrum testimonia illius temporis antiqua, consuetudine innixa, ita, ut intelligantur quoad præceptum, non verò quoad valorem. Quapropter Catechismus Tridentini Tit. de Baptismo hæc habet: utrum verò unica, an trina ablutio fiat, nihil referre existimandum est; utrovis enim modo & anteà in Ecclesia Baptismum verè confectum esse, & nunc confici posse, ex Divi Gregorii Magni Epistola ad Leandrum scripta satis apparet; retinendus est tamen à Fidelibus is ritus, quem unusquisque in sua Ecclesia servari animadverterit.

77. Objicies 5. contra tertiam assertionem: non solùm fuit á Christo instituta forma Baptismi à nobis præscripta, sed etiam forma baptizandi in nomine Christi, ut constat ex Actor. cap. 2. & 8. & ex Nicolao I. ergo &c. Confirmatur 1. Si necessitas exigit, potest Minister plures simul baptizare per asperionem, vel per infusionem aquæ dicendo: *ego vos baptizo*, ut habet Divus Thomas quæst. 66. artic. 5. ergo forma baptismi à nobis assignata non est necessaria. Confirmatur 2. In casu necessitatis potest aliquis se ipsum baptizare, vel si tunc darentur mancus, & mutus, posset mutus aquam infundere, & mancus verba proferre, dicendo: *ego tibi ministro Sactamentum Baptismi*; sed in istis casibus non apponeretur forma à nobis assignata; ergo non est semper necessaria. Respondeo, nego antec. ut constat ex dictis à num. 74. de Sacramentis; imò verba Nicolai I. quæ habentur in ipsius Rescripto Tom. 3. antiquorum Conciliorum Tit. 16. approbantia Baptismum ita habet: vel tantùm in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur; cùm autem ille Baptismus, de quo legitur in Actibus Apostolorum, ut ex ibi dictis constat, conferretur in nomine Trinitatis, non opponuntur assertioni nostræ ea verba Pontificis.

Ad primam confirmationem conc. antec. & 78.
nego consequentiam; quia illa forma respectu multorum eundem sensum habet, ac forma à nobis assignata prolata respectu uniuscujusque; cùm *vos* in illo casu nihil aliud significet, quàm *te*, & *te*; unde comprehenditur in nostra assertione, cùm perfectissimè æquivaleat formæ à nohis assignatæ. Ad secundam confirmationem nego antec. quia si aliquis se ipsum baptizaret, verba non haberent istum sensum *ego te*, sed, *ego me*; tum etiam, si duo ita baptizarent, non haberent illum sensum: *ego* & *ego*, sed *ego*, & *tu*, qui in existimatione morali valde diversus est, & verba Divi Thomæ artic. 5. ad 4. quæ clariora esse non possunt; sed tunc oportebit dicere, *ego baptizo vos*, nec erit mutatio formæ; quia *vos* nihil aliudest, quàm *te*, & *te*: quod autem dicitur *nos*, non est idem dicere, quod *ego*, & *ego*, sed *ego*, & *tu*, & sic jam mutaretur forma. Similiter autem mutaretur, si diceretur: *ego baptizo me*: & ideo nullus potest baptizare se ipsum.

Si autem plures eundem baptizarent, ita, ut 79.
unusquisque cum sufficienti intentione conficiendi Sacramentum, & ablueret, & verba proferret, & unusquisque illorum in eodem instanti perficeret omnia necessaria ad Baptismum, unusquisque baptizaret, sicque darentur duæ causæ morales ejusdem effectus, in quo nulla est implicantia, neque ea esset reiteratio Baptismi, cùm nullus ex illis Baptismis præsupponeret hominem Christianum. Hoc autem, si non assignetur casus urgentissimæ necessitatis, v. g. si baptizantes infantem in gravi periculo constiturum, essent cæci, & surdi, ac proinde alteruter inscius omnino conbaptizantis baptizaret; illicitè facerent, cùm absque ulla obligatione faciendi, quæ excusaret ab irreverentia, se exponeret periculo frustran di Sacramentum: siquidem moraliter est impossibile, quòd unusquisque illorum in eodem instanti perficiat requisita

ad Baptismum. Quando autem unus priùs perficeret, ille solùs baptizaret, secus alter, cùm supponeretur jam infans baptizatus, ut hæc omnia latè illustrat Exim. Doctor disp. 23. sect. 3. & satis constat ex dictis de Sacramentis in genere; neque possunt plures per modum unius eundem baptizare dicendo: *nos te baptizamus*: nam illa verba *euntes baptizate*, prolata fuerunt in sensu distributivo, ut constat Conciliis citatis num. 51.

80. Aliter autem discurrendum est, quando circa aliquod Sacramentum datur obligatio faciendi, ut circa Baptismum diximus num. 30. & circa alia num. 334. de Sacram. quod ulteriùs roboratur ex praxi Ecclesiæ, ex qua Presbyteri, cùm ordinantur, consecrant omnes simul cum Episcopo eandem materiam, & habent intentionem saltem conditionatam consecrandi, nimirum si alter prius verba non absolverit, & tamen moraliter est impossibile, quòd in eodem instanti omnes simul absolvant verba substantialia, licèt debeant, quantum possint, curare, ut omnes simul absolvant, ideóque unusquisque habet spem conficiendi Sacramentum, simúlque ex ea consuetudine, & præscripto Ecclesiæ habent titulum, ut absque itreverentia faciant. Cæterùm licèt aliquis proferret verba inculpabiliter, quando jam alter absolverat, non exinde frustrarentur varii Ecclesiæ fines, ob quos institutus fuit iste ritus, nimirum ad significandam æqualitatem potestatis cum Episcopo, quam ex ordinatione sua habent Sacerdotes ad consecrandum; tum ad repræsentandam cœnam Domini, & alia mysteria, quæ licèt nos lateant, non latuerunt Apostolos, à quibus ut latè, & eruditè probat Cardin. Bona lib. 1. rerum Lyturgi. cap. 18. descendit hæc consuetudo.

81. Objicies 6. Baptismus non est efficacior post Passionem, & Resurrectionem Christi, quàm ante ipsam; sed ante ipsam non remittebant omnem pœnam, quandoquidem qui tunc moreretur, non transmitteretur statim in Regnum Cœlorum, sed detineretur in limbo; ergo neque modo remittit omnem pœnam. Confirm. post Baptismum manet fomes peccati concupiscentia, fames, sitis, ac demum mors, quæ sunt pœnæ peccati originalis. Rursus justè punitur post Baptismum, qui prius fuit latro aut homicida, quæ sunt pœnæ peccati personalis; ergo neque peccatum originale, neque peccata personalia remittuntur integrè quo ad pœnam in Baptismo.

Resp. Con. maj. & dist. min. non remittebat eam pœnam pro eo tempore, pro quo institutum est à Christo ad eam remittendam, N. pro quo non est institutum con. min. & N. consequentiam; quia Baptismus non fuit institutus à Christo, ut per illum transmitteretur aliquis ad gloriam ante gloriosam Christi Resurrectionem, sed posita gloriosa Christi Resurrectione, si nullum aliunde superveniret impedimentum de novo; exinde autem nihil probatur contra nos, sed ad summum fit, Baptismum causare illam remissionem, quando jam non existit, ac proinde illam non causare physicè, sed moraliter, quod non est impugnare sed roborare sententiam nostram traditam à n. 166. & 119. de Sactam. Ad Confirm. con. antec. & nego conseq. quia istiusmodi pœnalitates, non sunt pœnæ, de quibus loquimur, ut constat ex dictis à num. 43. imò neque Baptismus remittet pœnam omnem venialium, ut bene notavit Carleton, si quando exercet suam causalitatem remissivam peccatorum, non inveniat dispositionem requisitam ad remittenda venialia, cùm semel exercita ea causalitate remissiva non reviviscat ad aliam causalitatem ex dictis num. 31. sicut non reviviscet ad causandam majorem gratiam, quando postea datur major dispositio, si jam semel exercuerat cum minori dispositione istam suam causalitatem.

***



TRACTATUS DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

1. CUm Sacramentum confirmationis chrismate ministretur, vocari solet mysterium ungendi. Conficitur autem, quando Episcopus sua manu chrismate consignat illum, qui confirmatur, & verba profert, eáque de causa dicitur consistere in manus impositione. Hæretici autem tenaciter tenent, esse puram Ecclesiasticam cæremoniam, contra illos verò probandum est, esse verum Sacramentum ex iis testim. ex quibus infertur, fuisse signum sensibile, à Christo stabiliter institutum, & collativum Spiritus S. sive abundantis gratiæ; cæterùm ut hæc clariora fiant, nota, multiplicem fuisse in primitiva Ecclesia manûs impositionem. 1. Dicitur curativa, de qua Marci ultimo, *super ægros manus imponent & bene habebunt*. 2. ordinativa, de qua 2. ad Timoth. 1. *admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. 3. reconciliativa, quæ adhibebatur publicè pœnitentibus, de qua antiquiss. Conc. Cartag. 4. cap. 80. *omni tempore jejunii manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur*, & habetur in Decreto causa 26. quæst. 7. can. 6. Arausica 1. can. 3. de pœnitentibus, qui de corpore exeunt, cùm reconciliatoria manus impositione recipiant. Agatense can. 11. pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super caput à Sacerdote (sicut ubique constitutum est) consequantur. Ad eum modum invenies alias usitatas manûs impositiones apud Arcudium tom. de concord. Ecclesiæ Occid. & Orient. lib. 2. de Conf. cap. 1. Ultima vocatur confirmativa, de qua agimus; & habetur cap. 8. & 19. Actu. Apostolorum. Usus etiam chrismatis multiplex fuit in Ecclesia. Primus cæremonialis respectu Baptismi, quando in vertice ungitur baptizatus; quæ cæremonia cùm instituta sit ab Ecclesia, potest etiam per Ecclesiam mutari, imò Ecclesia valet concedere simplici Sacerdoti facultatem ut ad istum usum chrisma benedicat, ut notavit Eximius Doct. disp. 33. sect. 2. olim autem non licebat Presbyteris præsente Episcopo baptizare, neque chrismate in vertice ungere, nisi de licentia Episcopi. Quo in sensu intelligenda sunt aliqua Concilia, & Canon. in quibus insinuatur, Sacerdotes ex permissione Episcoporum signâsse, & chrismate unxisse infantes, sicque intelligi debet Caput omni tempore de consecr. dist. 4. 2. chrismatis usus consistebat in cæremonia antiqua, quæ à solo Episcopo adhibebatur, teste Carleton disp. 70. sect. 2. num. 7. videlicet in exorcismis ad expellendum dæmonem. Ultimus chrismatis usus est substantialis respectu Sacramenti Confirmationis, quo in fronte ungitur, qui confirmatur chrismate ab Episcopo benedicto; hæc autem materia, cùm instituta sit à Christo Domino, nequit mutari ab Ecclesia.

* * *

DISPUTATIO I.

AN CONFIRMATIO SIT VERUM, ET PROPRIUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM?

2. SAcramentum Confirmationis institutum esse à Christo, & quidem immediatè, constat ex dictis à num. 152. de Sacramentis; speciatim vero definitur à Trid. sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum, anathema sit.* Ex quo impugnantur hæretici delirantes Confirmationem non à Christo Domino, sed à Melchiade Papa institutam, tum etiam Halens. & alii Catholici, qui dixerunt institutam fuisse in conc. Meldensi; ratio est, quia plures PP. diu ante tempora Meldiadis, aut Concil. Meld. mentionem faciunt hujus Sacramenti, ut sect. sequenti constabit. Pro majori autem claritate moneo ad 3. cap. reduci fundamenta hæreticorum; dicunt enim 1. Sacramentum Confirmationis non inferri ex Scriptura 2. non suaderi traditione primorum Sæculorum. 3. PP. 4. & 5. Sæculi, dum Confirmationem Sacramentum appellârunt, largè, & impropriè Sacramenti nomen usurpâsse. Ad hæc fundamenta divellenda, sit

SECTIO I.

Sacramenti Confirmationis veritas Scriptura, Traditione, & Patribus comprobatur.

3. PRobatur 1. conclusio ex Scriptura : Actorum 8. Petrus, & Joannes ab Apostolis, qui erant in Hierosolymis, missi fuêre ad Samaritanos jam baptizatos, ut per manuum impositionem conferrent illis Spiritum *S*anctum ; sic enim habet textus : *baptizati tantùm erant in nomine Domini* JESU, *tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum* ; constat etiam ex cap. 19. Paulum jussisse baptizari iterum eos, qui Baptismô Joannis erant baptizati, & cùm manus eis imposuisset, descendisse in eos Spiritum Sanctum. Ex quo sic formatur argumentum : illa cæremonia in manuum impositione consistens, per quam baptizatis conferebatur Spiritus Sanctus, erat verum Sacramentum ; atqui non erat aliud, nisi quod in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur ; ergo &c. Consequentia tenet : min. autem negari nequit ab Hæreticis ; illi enim duo tantùm Sacramenta admittunt, Baptismum scilicet, & Evchariſtiam ; illa autem impositio manuum manifestè non erat Evchariſtia, cùm non esset panis, aut vini consecratio, neque erat Baptismus ; quandoquidem, ut dicit Scriptura, fiebat post Baptismum, ac proinde, si erat Sacramentum, erat Confirmatio, quod quidem à partium enumeratione manifestè convincitur.

4. Probatur igitur maj. Signum sensibile à Christo institutum collativum gratiæ sanctificantis obicem non ponenti est Sacramentum ; sed talis erat illa manuum impositio : ergo &c. Consequentia tenet, & maj. constat à num. 4. de *S*acramentis. Probatur igitur min. Illa manuum impositio erat signum sensibile collativum Spiritûs Sancti, ut ex Scriptura constat ; atqui Apostoli non poterant ex sua auctoritate instituere signum Spiritus Sancti collativum ; ergo erat institutum à Christo. Subsumo ; atqui signum sensibile collativum Spiritus Sancti est collativum gratiæ sanctificantis obicem non ponenti : enim nihil notiùs in Scriptura, quàm per collationem Spiritus Sancti conferri sanctificantem gratiam obicem non ponenti ; ergo ex eo, quòd illud signum sensibile esset collativum *S*piritus Sancti, erat collativum sanctificantis gratiæ obicem non ponenti. Confirmatur. Præcipuus *S*piritus Sancti effectus in anima est graria sanctificans, per quam Spiritus in ea specialiùs inhabitat ; atqui quando confertur gratia subjecto obicem non ponenti, confertur illi præcipuus effectus talis causæ, ut ex physicis constat, & expressè fatetur antiquissimus Ecclesiæ Pater Cyrillus Hierosol. Catechesi 3. dicens : *unguento quidem visibili corpus inungitur ; Sancto verò, ac vivifico Spiritu anima sanctificatur* ; ergo &c.

Respondent 1. Hæretici, illam manuum impositionem fuisse tantùm cæremoniam Baptismi, qua Apostoli baptizatos DEO offerebant, atque pro illis orabant. Contrà tamen 1. Per puram cæremoniam non confertur ex opere operato gratia sanctificans obicem non ponenti ; sed per illam manuum impositionem ita conferebatur gratia sanctifieans, ut constat ex numero superiori ; ergo &c. Contrà 2. Non minùs possent Apostoli orare Hierosolymis pro baptizatis, quàm in Samaria, neque solùm possent orare Episcopi, sed etiam, qui non erant Episcopi ordinati : atqui ad adhibendam illam manuum impositionem missi sunt Petrus, & Joannes Actor. 8. jam ordinati Episcopi, eaque de causa adiêrunt Samariam 32. milliaribus ab Hierosolymis distantem ; ergo non erat pura cæremonia ad orandum pro baptizatis.

Respondent 2. per illud signum sensibile impositionis manuum non contulisse Apostolos gratiam sanctificantem, sed alias gratis datas, nimirum donum linguarum, & prophetiam, cùm ex Actor. 19. constet, locutos variis linguis, & prophetizâsse eos, quibus Paulus manus imposuerat. Contrà 1. Licèt donum linguarum, & prophetiæ sit donum Spiritus Sancti, non est præcipuus illius effectus, cùm nobilior præ omnibus sit gratia gratum faciens ; imò iste est generalis, & spectans ad meritum potiùs, & utilitatem habentis, & in statu elevationis promissus omnibus per Sacramenta, utpote ad meritum suscipientis conducens ; atqui in subjecto dispositio causa non solùm operatur aliquos minùs nobiles effectus, sed etiam sui nobiliorem, & præcipuum effectum ; ergo illis, de quibus Actor. 19. (quandoquidem dispositi præsumendi sunt) non solùm conferebatur per Spiritum Sanctum donum linguarum, & prophetiæ, sed donum gratiæ sanctificantis.

Contrà 2. & explicatur eadem ratio : in primitiva Ecclesia per illam impositionem manuum Apostolorum conferebatur omnibus Spiritus Sancti donum, de quo in locis citatis suprà loquitur ; atqui non conferebantur omnibus illæ gratiæ gratis datæ, ut constat ex Paulo 1. Corinth. 12. *nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes linguis loquuntur*, ergo donum universale Spiritûs Sancti, de quo ibi suprà loquitur, non erat donum talis gratiæ gratis datæ, sed donum gratiæ sanctificantis. Contrà 3. Gratia sanctificans, licèt sit etiam gratis data, ex eo non vocatur gratis data, ad aliarum gratiarum distinctionem, quia illæ non conducunt præcipuè, sicut graria habitualis, ad recipientis meritum, sed aliorum utilitatem ; neque sunt promissæ omnibus obicem non ponentibus per collationem Spiritûs Sancti, sicque gratis illis dabantur ; gratia verò sanctificans ita conducit ad proprium recipientis meritum, & promissum erat per collationem Spiritûs Sancti omnibus obicem

bicem non ponentibus; ergo in sensu vero Scripturæ donum Spiritûs Sancti, quod conferebatur omnibus, non erat gratis datum, sed gratia sanctificans.

8. Respondent 3. alii Hæretici cum Kemnitio, illam manuum impositionem fuisse quidem cæremoniam à Christo institutam ad conferendum omnibus Spiritum Sanctum, sed solùm ex speciali privilegio, quod non duravit, nisi tempore Apostolorum, cùm tunc descenderent visibili linguæ igneæ ad impositionem manuum Apostolorum, quod tamen modò non contingit. Contrà tamen 1. Non est de essentia Sacramenti, quòd, quando gratia sanctificans, sive Spiritus Sanctus per Sacramenta confertur, descendant visibiliter linguæ igneæ, sed sufficit, quòd gratia sanctificans ex opere operato, sive ex vi Sacramenti conferatur: etenim apud ipsos Adversarios Baptismus est Sacramentum à Christo institutum, quantumvis super baptizatos linguæ igneæ visibiliter non descenderint; atqui illud signum impositionis manûs à Christo institutum, per quod confertur Spiritus S. sive gratia sanctificans, non solùm duravit tempore Apostolorum, sed adhuc durat in Ecclesia DEI, quando nimirum Episcopus imponit manum super frontem illius, qui confirmatur, eum ungens chrismate, & conficiens Sacramentum Confirmationis; ergo &c.

9. Probatur min. ex SS. PP. ab ipsis Hæreticis admissis, Cyprian. enim Epist. 73. ad Gubajanum, postquàm retulit factum Apostolorum Petri & Joannis Actor. 8. addit, quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostrum ordinem, ac manus impositionem Spiritum S. consequantur, & signaculo Dominico consummentur. Aug. lib. 19. de Trinit. cap. 26. Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum S. orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiamnum servat Ecclesia, quibus in verbis præ clarissimè se explicat Augustinus, valor enim actionis Sacramentalis non provenit à dignitate Ministri, sed Christi instituentis, ut à num. 193. de Sacram. & sicut propter hanc rationem dixerat Augustinus citatus ibi num. 195. quando Ministri baptizant, Christum baptizare, sic modo dicit, quando Episcopi confirmant, non illos conferre, sed Christum conferre Spiritum S. ergo &c.

10. Contrà 2. Quando signum aliquod practicum institutum est ad placitum ad causandum perpetuò unum effectum, & ad significandum in consortio illius alterum effectum, non quidem perpetuò, sed solùm ad tempus, ex defectu effectus significati ad tempus perperam infertur defectus alterius effectus perpetuò significati, ut ex Sacramentis notum est; atqui Sacramentum Confirm: per manus impositionem institutum est ad placitum Christi, scilicet ad causandam perpetuò gratiam, & solùm ad causandum ad tempus, per miracula sensibilia nimirum dum primordia Ecclesiæ dilatabantur; ergo ex eo, quòd cessaverit effectus miraculorum sensibilium cessante causa, cùm Ecclesia primordia jam sint dilatata, perperàm infertur cessâsse virtutem gratiæ sive Spiritus S. collativam. Maj. & conseq. tenent.

Min. autem manifestè Probatur ex Augu- 11
stino Tom. 1. lib. 3. de Bapt. contra Donat. cap. 16. dicente: neque enim temporalibus, sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modò datur Spiritus S. sicut anteà dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda; quis enim nunc hoc exspectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum S. imponitur, repentè incipiant linguis loqui? sed invisibiliter, & latenter intelligitur, per vinculum pacis eorum cordibus Divina charitas inspiratur, ut possint dicere, quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; quod equidem iterum reperit Augustinus Tom. 9. in 1. Epist. Joannis Tract. 6. post medium; ergo &c.

Probatur 2. Conclusio ex SS. PP. qui tribus 12
1. Sæculis floruerunt, & Melchiadem Papam præcesserunt; Dionys. enim Apostoli Petri Discipulus cap. 2. de Hierarch. Eccles. Confirmationis Sacramentum explicans ait, baptizatum indutum alba veste ad Episcopum ducunt, ille Divino, & deifico prorsus unguento virum signat. & cap. 4. postquam de Eucharistia mentionem fecit, ait, ei finitimum est aliud Sacramentum, quod præceptores nostri unguenti Mysterium nominant. Urbanus I. Pont. XVI. post Petrum in Epist. sua cap. 7. omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum S. post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur. Tertul. de Resurrect. carnis cap. 8. postquàm explicavit Baptismum, & ante Eucharistiæ declarationem, ita exponit confirmationis Sacramentum: *Caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.* Quibus in verbis, & explicat unctionem, quæ chrismate fit, & signum, quod sua manu facit Episcopus proferens ea verba formæ, signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis. Similia habent Eusebius Martyr, Cyprianus alii videndi apud Archudium; ergo Confirmationis Sacramentum clarè infertur traditione primorum Sæculorum.

Confirm. ex Conc. Laodiceno celebrato 13
An. 364. & Confirmato in 6. Synodo Genorali: ibi in cap. 48. ita habetur: *Oportet, baptizatos post Baptismum Sacratissimum chrisma percipere*, tum etiam ex Concil. Aurel. quod haberur de consec. dist. 5. Canone jejunii, & ex Conc. Meldensi eadem dist. can. ut Episcopi; *in illo enim præcipitur, ut Confirmandus accedat jejunus ad Sacramentum; in isto verò, ut Episco-*

pus non nisi jejunus hoc Sacramentum ministret, tum etiam ex Clem. Alexandrino, aliisque quamplurimis PP. Græcis apud Arcud. supra citatum. Tum ex Clem. Rom. Epist. 4. dicente: *Omnibus festinandum est, sine mora renasci, & demum consignari ab Episcopo*; ergo &c.

14. Probatur 3. Conclusio evertendo ultimum Hæreticorum fundamentum. Patres 4. & 5. Sæculi docent, Confirmationem esse Sacramentum in ea proprietate, qua est Baptismus; sed apud ipsos Adversarios Baptismus est propriissime Sacramentum; ergo & Confirmatio. Probatur maj. ex Cypriano Epist. 72. ad Stephanum Papam, ubi de Baptismo, & Confirmatione loquens ait: *Tunc demum plenè Sanctificari, & esse Filii DEI possunt, si Sacramento utroque nascantur.* Quod significavit Concil. Regiense habitum Ærâ 742. definiens cap. 4. Confirmationem ab Episcopo faciendam; etenim Confirmare in fide per Exhortationem, aut verba, quæ non constituunt Sacramentum, fieri potest ab aliis, quàm ab Episcopo, tum ex Augustino lib. 2. contra literas Pettiliani Donatistæ cap. 104. post medium, comparante Sacramentum chrismatis, sive Confirmationem Baptismo per hæc verba: *in hoc unguento Sacramentum chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Ex Euseb. 1. Pont. 31. post Petrum Epist. 3. ad Episcopos Tussiæ, & Compa. ubi de Confirmatione sic habet: *Manûs impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à Summis Sacerdotibus.* Ex his Melchiades Papa Successor Eusebii in Epist. ad Episcopos Hispaniæ rogatus, quodnam majus esset Sacramentum, Baptismus, an Confirmatio? respondit: *scitote, utrumque magnum esse Sacramentum*; ergo &c.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

Objicies 1. ex Hæreticis: quod nunc fit ab Episcopis, non est idem, quod factum fu-
15. it ab Apostolis Actor. 8. & 19. ergo licèt permittatur, cæremoniam illam fuisse Sacramentum, non exinde infertur, Confirmationem esse modò Sacramentum. Probatur antec. Ab Apostolis dabatur Spiritus Sanctus cum dono linguarum, aliisque donis; sed hæc jam non dantur ab Episcopis, ergo &c. Confirmatur 1. Apostoli tantùm manus imponebant; atqui modò Cpnfirmatio non fit impositione manûs, sed chrismate; ergo &c. Confirmatur 2. Confirmatio nostra non potest iterari; atqui illa manuum impositio iterari poterat teste Augustino lib. 3. de Bapt. cap. 26. dicente: *manûs autem impositio non, sicut Baptismus, repeti non potest: quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?* ergo &c. Confirmatur 3. Apostoli semper imponebant manus; atqui Episcopi non imponunt, nisi manum; ergo &c.

Respondeo dist. antec. non est idem secundùm essentiale requisitum ad rationem Sacramenti, nego; secundùm accidentale, & temporariò solùm conjunctum, conc. antec. & nego consequentiam. Ad probationem dist. maj. cum dono linguarum, aliisque donis accidentariò conjunctis, conc. essentialiter requisitis ad rationem Sacramenti, nego maj. & dist. min. nego consequentiam; quia essentialia requisita ad rationem Sacramenti stant in virtute collativa gratiæ habitualis superaddita ex Christi institutione huic Sacramento ratione collativa characteris, quæ non minùs, quàm in primitiva Ecclesia conferuntur modò per Confirmationem, ut constat ex num. 9. illæ verò gratiæ gratis datæ accidentariò solùm erant conjunctæ, ut constat ex num. 11. neque conferebantur omnibus, sed solùm aliquibus, ut constat ex n. 7. Ad primam confirmationem nego maj. ex dictis num. 80. de *Sacramentis*; quia Apostoli licèt juxta sententiam probabilem D. Thomæ aliquando usi fuerint sola manuum impositione ex privilegio ipsis concesso, vel ad conferendum effectum solùm Sacramenti, ut plures volunt cum Magistro Serra; vel ad conferendum non solùm effectum, sed etiam ipsum confirmationis Sacramentum, ut cùm pluribus defendit Gonet, ex eo quòd tempore Apostolorum, cùm interdum plura hominum millia uno die baptizarentur, mòsque tunc esset, ut baptizati statim confirmarentur, congruum erat, Apostolos ab hac cura inungendi chrismate liberaret Christus, quando ipsa occasio ita postulare videretur, & Spiritu S. ad solam manuum impositionem patenter veniente; sed aliquando etiam utebantur chrismate instituto à Christo pro cæterorum hominum ministratione, ideòque solùm materialiter distingebatur una materia ab altera, ut ex dictis loco supra citato de Sacram. satis constat.

Respondet 2. Bellarm. lib. 2. de Confirm. cap. 9. quem plures sequuntur, & valdè probabile judicat Eximius Doct. disp. 33. sect. 2. semper Apostolos usus fuisse chrismate: Scriptura autem dicit Apostolos imposuisse manum, at non dicit imposuisse manus sine chrismate; sic dicit hominem fide justificari, at nunquam dixit justificari sola fide: cùm autem Apostoli ipsorum manu chrismate ungerent eos, quos confirmabant, quando effectum Sacramenti cum *Sacramento* conferebant, exinde vocatur confirmatio per *Sacramentum* chrismatis, & impositionis manus; quod quidem verosimilius apparet ex Testimon. Dionys. cit. num. 12. & ex Augustino, & Cypr. citatis num. 9. qui dicunt morem Apostolorum servari ab Ecclesia, quando eorum Præpositi seu Episcopi confirmant, isti autem non imponunt solam manum, sed eam imponunt chrismate ungendo; ex traditione etiam constabit num. 25. Chri-

stus

ſtus Dominus in noctè cœnæ docuit Apoſtolos chrisma conficere, unde valdè probabile eſt, Apoſtolos in *S*acramento Confirm. ſemper uſos fuiſſe chrismate. Hæc ad eruditionem inutilia non ſunt, etſi ad ſolutionem argumenti minimè ſint neceſſaria, ut conſtat ex dictis.

Ad 2. Confirm. con. maj. & nego min. illa
18. enim manuum impoſitio, quà Apoſtoli confirmabant, non erat iterabilis; Teſtimonium autem Auguſti. Non venit ad rem, ibi enim Auguſt. non agit de impoſitione manuum confirmativa, ſed de reconciliativa, quæ fit in *S*acramento Pœnitentiæ, & iterari poteſt, ſicut & ipſum Pœnitentiæ Sacramentum. Hoc in ſenſu explicatur Auguſtinus in decreto citatus cauſa 1. quæſt. 1. cap. *manus*, & colligitur ex ipſius Auguſtini contextu, qui ſic proſequitur: nam quod in typo unitatis, Petro Dominus dedit poteſtatem, *ut id ſolveret in terris, quod ille ſolviſſet*. Ad 3. Confirm. nego maj. quia licèt aliquando manus imponerent, id neceſſe non erat ad Sacramentum, neque ad conferendum *S*piritum *S*. ſed ſufficiebat imponere manum, ut conſtat ex Actor. 8. verſ. 18. ubi dicitur: *cùm vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus S. obtulit eis pecuniam*, & expreſsè conſtat ex teſtimoniis Cypr. & Aug. citatis num. 9.

Objicies 2. Homini jam nato ſufficit in or-
19. dine naturali cibus & potus, ut augeatur, & acquirat omnem ſuam perfectionem naturalem; ergo homini per Baptiſmum nato in ordine ſupernaturali ſufficit cibus & potus Euchariſticus, ut augeatur, & acquirat omnem ſuam perfectionem ſupernaturalem, ac proinde perperam admittitur Sacramentum Confirm. ultra *S*acramentum Baptiſmi, & Euchariſtiæ. Reſp. nego antec. quia homini jam nato plures imminent infirmitates, plura pericula contra vitam naturalem, adquæ fugienda non ſufficiunt potus & cibus, imò ad acquirendas vires cibo, & potu, neceſſaria ſunt plura temporis intervalla; at verò per Sacramentum Confirm. voluit Chriſtus absque temporum intervallo vires animæ conferre ad pugnandum contra Tyrannos, ſicut contulit Apoſtolis Spiritum *S*. in die Pentecoſtes, cui, ut ait Hieron. in Dialogo contra Luciferianos, correſpondet quo ad effectum confirmatio Sacramentalis. Apparet inſuper ineptiſſimè formare Adverſarios hoc argumentum ex rebus naturalibus ad rem ſupernaturalem ad placitum inſtitutam; nam Chriſtus Dominus ſi voluiſſet, per unum, & idem *S*acramentum poſſet omnes iſtos effectus communicare, quod non ita fecit, quia noluit, ut ex *S*cript. & PP. ſupra citatis perſpicuum apparet.

Objicies 3. Licèt multa ordinaverit Chri-
20. ſtus, quæ non ſunt expreſsè in *S*cript. at verò ea omnia, quorum notitia, & fides neceſſaria eſt, qualia ſunt Sacramenta, expreſſa ſunt in *S*criptura, ut conſtat ex Auguſtino dicente: multa quidem Dominum, & dixiſſe, & feciſſe, quæ ſcripta non ſunt, electa verò eſſe, quæ ſcriberentur, quæ credentium ſaluti ſufficerent; atqui Sacramentum Confirm. non ita reperitur expreſſum in *S*criptura; ergo &c. Reſp. diſt. maj. expreſſa ſunt in Scriptura immediatè, nego; immediatè, vel mediatè, con. maj. & diſt. min. nego conſeq. ſufficit enim, quòd in Scriptura reperiatur expreſſum teſtimonium, ex cujus vera intelligentia ea veritas deducatur, & in eo ſenſu ab Eccleſia explicetur. Neque negare id poſſunt Adverſarii, adhuc juxta ſua propria, quando explicatio habetur in PP. primorum Sæculorum, ut evenit in noſtro caſu. Auguſtinus autem nobis clarè favet, cùm dicat, ſe deſiderare explicationem Eccleſiæ aut Concil. Generalis, quando aliqua veritas non eſt immediatè nobis ſatis expreſſa, ut conſtat ex num. 126. de Sacram. unde quæ ſcripta ſunt, ſaluti ſufficiunt, cùm ſatis ſit, ut ex illis poſſit Eccleſia veritates nobis explicare.

Objicies 4. Spes, & Charitas ſunt virtutes nobiliores, quàm fides; atqui nullum inſtitutum 21.
eſt, Sacramentum ad inducendam peculiarem Spei aut Charitatis perfectionem; ergo neque ad inducendam perfectionem fidei, ac proinde Confirmatio quæ ad hoc deſerviret, non eſt à Chriſto inſtituta. Confirm. Baptiſmus utpote Sacramentum fidei ſufficienter præſtat effectus, quos præſtaret Confirmatio; ergo Confirm. Sacramentum inutile omnino eſſet. Reſp. N. conſeq. quia Sacramenta non ſunt inſtituta ad exigentiam virtutum; aliter inſtituta jam eſſent ab initio mundi, ſed ad placitum Chriſti Domini, qui voluit inſtituere Confirmationem ad roborandam fidem, & noluit peculiare aliud inſtituere Sacramentum ad roborandam Spem aut Charitatem. Ultra hanc rationem à priori eſt etiam congruentius, quia regulariter non diſplicet multum alicui, quòd verus DEUS ab aliis ametur ſuper omnia, & in eo ſperent. Diſplicet verò multis profeſſio Chriſtiana, contra quam acriter pugnant, eáque de cauſa Athletæ Chriſti peculiari Sacramento muniuntur ad victoriam. Ad Confirm. nego antec. quia Sacramentum Baptiſmi, ut ex S. Literis, & PP. conſtat, inſtitutum eſt ad regenerandum; Sacramentum autem Confirm. ad roborandum in fide, quæ diverſa ſunt munia.

Objicies 5. In lege veteri expreſſit DEUS 22.
per figuras, & ſimilitudines *S*acramenta novæ legis; atqui ſolùm erant in lege veteri figuræ, & ſimilitudines Baptiſmi, & Euchariſtiæ; ergo &c. Confirm. Chriſtus aliquo eorum uſu conſecravit omnia Sacramenta à ſe inſtituta; atqui ſolùm ſuſcepit Baptiſmum, & Euchariſtiam, ſecùs alia Sacramenta; ergo præter Baptiſmum, & Euchariſtiam non inſtituit alia Sacramenta. Reſp. 1. ex D. Thoma diſt. maj. aliqua Sacramenta, con. omnia, N. maj. & permiſsâ min. quæ falſa eſt, ut patet in matrimonio, N. conſeq. quia cum hoc pendeat à libito DEI, nequit fieri paritas ex his ad alia. Ratio autem peculiaris, cur in lege veteri non fuerint

fuerint figuræ propriæ Sacramenti Confirmationis, traditur à D. Thoma quæst. 72. art. 1. ad 2. per hæc verba: ad 2. dicendum, quòd quia Confirmatio est Sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit habere aliquid respondens in veteri Testamento, quia nihil ad perfectum adduxit lex, ut dicitur Hebr. 7.

23. Resp. 2. Dist. aliter maj. per figuras, & similitudines, vel magis, vel minùs proprias, permitto; æque proprias pro omnibus Sacramentis, nego maj. & dist. min. nego conseq. quia, licèt minùs propriæ, jam fuerunt in veteri lege similitudines Sacramenti confirmationis, nam oleum Eliæ, Elisæi, unctio Pontificum, & ferè omnes misticæ unctiones legis antiquæ fuerunt figura Sacramenti confirmationis, ut in Sermo: de unctione chrismatis ait Cypr. per hæ verba: à facie novi olei desiccatæ sunt unctiones antiquæ; nec dissonat in hoc sensu D. Thomas in 4. disp. 7. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. dicens: *Aliquomodo fuisse hoc Sacramentum adumbratum in unctione Pontificum, qua significabatur unctio Christi, à qua hæc unctio derivatur.* Ad Confirm. nego maj. quia Christus Dominus utpote Auctor Sacramentorum, non egebat aliqua actione Sacramentali à se distincta, neque suscepit Sacramentum Baptismi, sed Baptismum Joannis. Suscepit autem Evchariſtiam propter peculiarem ejus dignitatem, ut intelligeretur, ipsum Christum verè, & realiter in ea contineri; quod notare debuissent hæredici, ne realem Christi præsentiam in eo mirabili Sacramento negarent.

DISPUTATIO II.

DE INSTITUTIONE, ET ESSENTIA CONFIRMATIONIS.

24. SAcramentum Confirmationis habet terminum à quo, sicut de Baptismo dictum est num. 15. eadem enim utrobique ratio militat. Habet etiam terminum ad quem, qui usque ad Pentecosten completus non fuit, neque Sacramentum istud usque ad illud tempus suum communicabat effectum. Ratio est, quia effectus hujus Sacramenti est plenitudo Spiritus S. quæ usque ad tempus illud, in quo Christi mysteria complerentur, danda non erat, ex illo Joannis 7. nondum erat Spiritus datus, quia JEsus nondum erat glorificatus. Unde quando Joannis 20. Christus dixit Discipulis: accipite Spiritum S. non erat Sermo de hac plenitudine, sed de gratia, & potestate judiciali ad absolvendum, aut Episcopali simul ad gubernandam Ecclesiam; exinde judicant graviores Theologi, non decuisse administrare hoc Sacramentum ante Adventum Spiritus S. cùm præcipuus illius effectus ante illud tempus conferendus non esset, quo in sensu communiter nostri, & Thomistæ cum Eximio Doctor explicant D. Thomam quæst. 72. art. 1. ad 10. dicente: *Quòd Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo*, nimirum ejus effectum à die Pentecostes; in die autem Pentecostes ex speciali DEI privilegio receperunt Apostoli absque Sacramento effectum hujus Sacramenti, ut ferè omnes Theologi docent, neque apud ipsos ulla in hac parte exstat controversia; cæterùm ut deveniamus ad difficultates, quæ hinc inde controvertuntur, sit

SECTIO I.

Institutionis tempus, & hujus Sacramenti essentia designantur.

ASsero 1. Cùm Eximio Doct. communi nostrorum, & Thomistarum, Sacramentum Confirmationis quo ad substantiam, verosimilius est, institutum fuisse à Christo Domino in nocte cœnæ. Probatur 1. institutio Confirmationis utpote à Christi voluntate dependens aliter nobis innotescere non potest, quàm ex Scriptura, vel extraditione. Insuper tempus institutionis ex Scriptura apertè non infertur, ut fatentur omnes Theologi; atqui ex traditione verosimilius infertur, institutionem factam nocte cœnæ; ergo &c. Probatur min. sicut rursus Christus Baptisma instituit, non quidem quando Apostolis præcepit baptizare gentes, vel Baptisma promisit, sed quando materiam Baptismatis formavit, & contactu suæ mundissimæ carnis in Jordane consecravit; ita nunc verosimilius est, Sacramentum confirmationis instituisse, quando hujus Sacramenti materiam sive chrisma conficere docuit; atqui ex perpetua Ecclesiæ traditione in nocte cœnæ docuit Apostolos chrisma conficere, ut constat ex Fabiano Papa Epist. 2. ad Episcopo Orient. dicente: *In illa enim die Dominus JEsus postquàm cœnavit cum Discip. suis, & lavit eorum pedes* (sicut à SS. Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) *chrisma conficere docuit*; atque hæc est ratio cur Ecclesia Catholica quot annis veteri combusto novum chrisma consecret in die cœnæ; ergo &c.

Probatur 2. Contra Bachonium in 4. Ecclesiam, institutum fuisse, quando Matth. 19. Chri-

Christus pueris manus imposuit. & contra Scotum dicentem, institutionem factam, quando Joannis 20. Christus dixit Discipulis, accipite Spiritum S. & contra alios dicentes factam fuisse in die Pentecostes. Probatur inquam nostra Concl. nam nunquam in illis casibus ab Adversariis assignatis fuit à Christo Domino assignata materia aut forma hujus Sacramenti; ergo non fuit tunc institutum confirmationis Sacramentum. Confirm. 1. contra Bachon. quia inter illos pueros plurimi saltem, non erant baptizati, neque ad finem confirmationis Christo offerebantur, sed ut à Deo benedicerentur, ut ait Hieronymus, vel ut curarentur ut significat Anselmus, ac proinde illa manuum impositio non fuit confirmativa, sed curativa, & ad summum adumbrativa hujus Sacramenti; ergo &c. Neque obstat con. Senonense, est enim Provinciale in hac parte non receptum, neque à Sede Apostolica approbatum. Confirm. 2. contra Scotum, quia licèt ut fert communis opinio, non solùm acceperint Apostoli potestatem ad remittenda peccata Joannis 20. sed etiam creati fuerint Episcopi, sintque instituti Ministri ordinarii confirmationis, nihil horum pertinet ad essentiam constitutivam hujus Sacramenti; chrisma autem jam erat tunc designatum, ut constat ex num. Sup. ergo &c. Confirm. 3. contra ultimam sententiam, quia licèt in die Pentecostes acceperint Apostoli effectum confirmationis, altiori modo id factum est, & non per Sacramentum, ex dictis num. 24. in illo etenim facto neque designata fuit materia, neque forma confirmationis à Christo Domino; ergo &c.

27. Assero 2. Sacramentum confirmationis Theologicè sumptum pro significatione practica effectus interioris, juxta dicta num. 40. de Bapt. ita definitur: Sacramentum characteristicum ad roborandum in fide per se gratiæ augmentativum. Probatur ex Flor. & Trid. citatis num. 319. de Sacram. constat Sacramentum istud imprimere characterem, insuper Melchiades Papa in sua Epistola decretoria ad Episcopos Hispaniæ ita habet: *In baptismate homo ad militiam recipitur, & in confirmatione confirmatur ad pugnam. In fonte baptismatis Spiritus S. plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione autem perfectionem ad gratiam ministrat. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum ad pugnam confirmamur. In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Regeneratio per se salvat in pace Baptismum recipientes, confirmatio armat, atque instruit ad agones.* Rursus Eugen. 4. in decreto Armeno. ita habet: *per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide*; sed hæc omnia comprehendit nostra definitio per aptum genus, & differentiam, ut constat à num. 41. de Bapt. ergo &c.

28. Assero 3. Cùm ferè omnibus Theologis: materia remota hujus Sacramenti est chrisma ex oleo olivarum, & balsamo ab Episcopo benedictum. 1. Pars est contra Syrmundum dicentem esse, vel chrisma, vel solam manuum impositionem, & contra Canum defendentem sufficere, vel Oleum, vel Balsamum. 2. Pars est contra Cajetan. Navar. Scot. & Valent. dicentes, sufficere solùm oleum, omisso balsamo; imò Cajetan. ait, sufficere chrisma à simplici Sacerdote consecratum. Probatur conclusio 1. ex Florentino in decreto Eugenii dicente: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedicto;* ubi non solùm ponit Concilium chrisma nude sumptum, sive mixtum ex oleo, & balsamo, sed addit tale mixtum debere esse ex oleo, & balsamo benedicto per Episcopum, quod semper servavit Ecclesia, tum Græca tum Latina à tempore Apostolorum; ergo &c.

Confirm. 1. Et explicatur hæc ratio: Concil. Florentinum in explicandis reliquis Sacramentis ea solùm sub nomine materiæ comprehendit, quæ ad eorum substantiam ex Christi institutione pertinent, & Sacramenti confectionem præcedunt; quod addo propter Sacramentum pœnitentiæ, cujus licèt satisfactio sit pars integralis, non tamen essentialis, quia non requiritur ut quid præcedens Sacramenti confectionem. Hoc autem adeo accuratè Florentinum Conc. præstitit, ut circa Sacramentum Eucharistiæ, in quo similis mixtio vini, & aquæ præcedit, caute distinguat, quod est necessarium necessitate Sacramenti, ab eo, quòd est necessarium necessitate præcepti dicens: *cujus materia panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima adhiberi debet*: ergo ea omnia, quæ pro materia Sacramenti confirmationis uniformiter Concilium exprimit, essentialiter pertinent ad materiam hujus Sacramenti, ac proinde non sufficit mixtum ex oleo, & balsamo, nisi etiam sit ab Episcopo benedictum. 29.

Probatur 2. Conc. Florentinum loco citato num. superiori insinuat, ex dispensatione summi Pont. posse simplicem Sacerdotem esse hujus Sacramenti ministrum in aliquo casu, & tamen agens de materia illius ita requirit chrisma ab Episcopo benedictum, ut nunquam insinuet posse aliquando ex Sedis Apostolicæ dispensatione sufficere, vel solam manuum impositionem, vel solùm oleum, vel solùm balsamum, vel mixtum ex utroque ab Episcopo non benedictum; ergo chrisma ab Episcopo benedictum est materia essentialis hujus Sacramenti. Confirm. ex Catechismo Tridentini tit. de Confirm. dicente: jam verò quæ sint ejus partes, ac primum quidem de materia dicendum est. Hæc autem chrisma appellatur, quo nomine à Græcis accepto, etsi profani scriptores quodlibet unguenti gradus significant, illud tamen, qui res Divinas tradunt, 30.

communi loquendi consuetudine ad illud tantum unguentum accommodarunt, quod ex oleo, & balsamo solemni Episcopi consecratione conficitur; & infra: necessarium est, ut SS. & religiosis precationibus consecretur: neque ad alium ea confectio, nisi ad Episcopum pertinere potest; qui ejusdem Sacramenti ordinarius Minister *institutus est*; ergo &c. unde sicut ad Baptismum requiritur aqua, quæ absque addito limitante talis dicatur, qualis est naturalis, ita ad confirmationem requiritur oleum, quod absque addito limitante dicatur, quale est olivarum, idémque suo modo de Balsamo.

31. Assero 4. Materia proxima Sacramenti Confirmationis est unctio talis chrismatis in fronte recipientis per manum ministri in formam crucis facta. Probatur ex Florentino dicente: *ideóque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè Crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia, propter quod signo Crucis signantur.* Ex quo sic formatur argumentum: Sacramentum confirmationis, utpote consistens in usu essentialiter requirit tanquam materiam proximam usum materiæ remotæ, ut dictum de Bapt. à num. 47. quæ in nostro casu est unctio chrismatis benedicti ab Episcopo, in modum Crucis, ut constat ex hujus Sacramenti forma. Rursus hæc unctio debet fieri per manus impositionem, cùm à PP. vocetur Sacramentum impositionis manûs, ut constat ex tota disp. 1. insuper Florentinum eodem modo requirit, ut Crux fiat in fronte, quàm ut omnino fiat, sed ex his clarè infertur materiam proximam esse, pro ut à nobis assignatur; ergo &c.

32. Confirm. nam licèt apud Græcos reperiatur variatio quo ad partes corporis ungendas, nunquam reperitur variatio quo ad ungendam frontem. Sic Concil. Constantinopolitanum, & vetustissimum Euxologium manuscriptum recensent frontem, oculos, nares, os, aurésque. Cyrillus frontem, aures, nares, pectus. Euxologia typis excusa, quibus modo passim utuntur Græci, frontem, oculos, nares, os, aures, pectus, manus, & pedes, ut argumentum sit (ait Arcudius cap. 7.) reliquas partes corporis præter frontem ungere non esse de necessitate Sacramenti; ergo &c. exinde Eximius Doct. ait, temerariam esse sententiam, qui dicunt non requiri ad valorem hujus Sacramenti, ut Crux fiat in fronte medio aliquo instrumento, cùm ea non esset manûs impositio; neque excludendum est chrisma à constitutivo materiæ proximæ ex dictis à num. 49. de Bapt. quod efficaciter roboratur ex Tridentino sess. 7. can. 2. de Confirm. dicente: *Si quis dixerit injurios esse Spiritui S. eos, qui Sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquàm tribuunt: anathema sit.*

33. Assero 5. Forma Sacramenti confirmationis est ista, vel quæ juxta institutionem Christi isti perfectè æquivaleat: signo te, signo Crucis & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Prob. 1. forma à nobis assignata sufficiens est ad conficiendum validè Sacramentum confirmationis, ut definitur à Flor. in decreto unionis; ergo quæ juxta institutionem Christi perfectè non æquivalet illi, non æquivalet formæ sufficienti; sed quæ non æquivalet formæ sufficienti, non est sufficiens; ergo ut sit sufficiens, debet esse, vel forma à nobis assignata, vel quæ juxta Christi institutionem perfectè isti æquivalat. Confirm. quando duæ formæ materialiter diversæ comprehenduntur sub significatione institutionis Christi Domini, unaquæque alteri perfectè æquivalet, ut constat ex dictis à num. 60. & 69. de Sacram. nulla enim perfectior æquivalentia, quàm cùm duo materialiter diversa sunt formaliter idem in ordine ad causandum eundem effectum; sicut ramus lauri, & oliva ad significandum vinum venale; atqui forma à nobis assignata comprehenditur sub institutione Christi Domini, & quæcunque sufficiens sit ad hoc Sacramentum constituendum, comprehendi debet sub eadem institutione in ordine ad causandũ eundem effectum; ergo &c.

Probatur 2. In edicto Constant. magni (à tamen verè illius est) quod habetur Tom. 1. Conciliorum, quæ collegit, & typis dedit Laurentius Surius Carthus. fol. 319. Constantinus se à Sylvestro Papa post Baptismum in fronte signatum refert per hæc verba: levatoque me de venerabili fonte, induto vestibus canditis, septiformis gratiæ Spiritus consignationem adhibuit beati chrismatis unctione, & exillo S. Crucis in mea fronte linivit dicens; signet te Deus Sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filii, & Spir. S. in confignatione fidei. Quòd habetur etiam in Summa Conciliorum Aranzæ addentis: quæ forma parum immutata nunc servatur in Sacramento confirmationis, eadem forma habetur in eo Constantini edicto, relato Tom. 1. Concil. novæ impressionis, de quibus diximus num. 74. de Bapt. tum etiam apud Ambros. lib. 2. de Sacr. cap. 7. in fine habetur hæc alia forma: DEUS Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu S. concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam. Item in quodam rituali antiquo, qui dicitur ordo Romanus ante 800. annos Scripto habetur hæc forma: signa eos Domine signo Crucis, ego te confirmo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. tum etiam forma Sacramenti confirmationis in Ecclesia Græca est ista: signaculum Domini Spiritus S. ut refert Arcudius cap. 6. & 7. qui ait deesse verbum more Græcorum, quorum phrasis propria hoc eleganter exigit, & sensum esse, hoc signo donantur munera Spiritus S. imò, & ipsemet Spiritus S.

Ex quibus omnibus ita formatur argumentum: neque in forma Græcorum, neque in Ambrosiana sit ulla invocatio Trinitatis, neque

que expressio Ministri, uti sit in aliis formis relatis; ergo Christus nō determinavit formam confirmationis quo ad materialitatem verborum, sed instituit ea verba, quæ ab Ecclesia determinarentur; ac proinde secundùm diversa tempora potuit validè uti Ecclesia verbis materialiter diversis, imò & validè potuerunt assignari pro Ecclesia Latina verbà materialiter diversa à verbis assignatis pro Ecclesia Græca. Sic quia Christus materialiter non determinavit in Sacramento Ordinis materiam, sed instituit illud signum sensibile, quod ab Ecclesia determinaretur significativum potestatis, quæ traditur, validè determinavit Ecclesia ut Sacerdotes initiarentur in Ecclesia Latina per contactum Calicis cum vino, & patenæ cum Hostia; in Ecclesia verò græca per manuum impositionem super Caput ordinandi; ergo sicut hæc utráque materia est eadem specie morali, quia continetur sub significatione institutionis Christi, sicque una perfectè æquivalet alteri; ita relatæ formæ confirmationis sunt una & eadem specie morali, cùm omnes contineantur sub significatione institutionis Christi Domini, ac proinde unaquæque perfectè æquivalet alteri.

86. Respondebis cum Petro à S. Joseph. lib. 1. de Sacr. cap. 13. illam formam Græcorum non videri sufficientem, eò quòd multa non exprimat, quæ ad valorem Sactamenti continentur in forma Latinorum imo Catumcir, in Concordia utriúsque Ecclesiæ tract. 1. ait, verba illa à Græcis adhibita non esse formam Sacramenti confirmationis, sed cujusdam chrismationis reconciliatoriæ cæremonialis, quæ ab Ecclesia græca olim in Baptismo adhibebatur. Cæterùm istæ responsiones absque ritus Græci notitia videntur adhibitæ, ideóque contra 1. quia illa verba assignata sunt pro forma Sacramenti conformis in Euxologiis Græcis, imò ut testatur Card. Bessarion lib. de Sacr. Eucharistia Tom. 6. Bibliothecæ Sacræ, hæc forma traditur, à 2. Synodo generali can. 7. per hæc verba: *obsignantes, hoc est, Sanctissimo chrismate eos chrismantes dicimus; signum doni Spiritus S. & hæc verba secundùm eos, hoc chrismatis Sacramentum perficiunt.*

37. Contra 2. Licèt Severus Patriarcha Alexandrinus lib. de ritibus cap. Tom. 6. Biblioth. Sacræ referat formam confirmationis omnino similem Romanæ, non negat in aliis Euxologiis Græcis esse frequentiorem formam à nobis assignatam; sicut licèt in Ecclesia Latina in diversis Ritualibus & pontificalibus inveniantur diversæ formæ confirmationis, ut constat ex n. 43. non negatum esse aliam frequentiorem, & quam post Florentinum debemus omnes in Ecclesia Latina adhibere. In Ecclesia etiam Græca esse in usu istam solam formam: signaculum Domini Spiritus S. testatur Arcudius rituum Græcorum peritissimus, & hoc ipso an. 1694. paucis abhinc diebus Illustrissimus & Reverendissimus D. D. Onufrius Constantini Græcus Archiepiscopus Debrensis & Rechensis, qui per plures annos se exercuit in missionibus per græciam, nunc assistens & residens in Ecclesia S. Athanasii Collegii græcorum Urbis, oretenùs à me consultus respondit, hac sola forma confici Sacramentum conformationis in græcia; ergo &c.

Contr. 3. Clemens VIII. in Bulla de instructione Græcorum, quæ habentur Tom. 3. Bullarii, & inter hujus pontificis Bullas est ordine 43. prohibens ibi Presbyteris Græcis, ne confirmationis Sacramentum conferrent, prohibet quoque ne ista verba: signaculum Domini Spiritus S. proferant, sed antè illa absolvant Baptismum; atqui si non essent forma confirmationis, sed quandam solùm Baptismi cæremoniam continerent, ea non prohibuisset, cùm Baptismus plures habeat cæremonias in Latina & Græca Ecclesia, quæ nulla ratione negligi debent; ergo &c. Contr. 4. Clemens VIII. ejusdem Bullæ parag. 4. hæc habent, si Episcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à Presbytero Græco in Baptismo chrismate in fronte de facto fuerit consignatus, debet illum antea confirmare, saltem sub conditione. 38.

Quæ Bulla licèt non obliget in Græcia Græcos Episcopos, ut defendit Arcudius Cap. 15. cùm solùm directa fuerit ad Episcopos Latinos, in quorum Diœcesibus Græci, vel Albanenses ritu Græco viventes degunt, ut constat ex Rubrica Bullæ, quæ sic habent: instructio super aliquibus ritibus Græcorum, pro Episcopis Latinis, in quorum Diœcesibus Græci vel Albanenses Græco ritu viventes degunt, obligat Episcopos Latinos, etsi nesciamus motivum Pontificis, cùm in ea Bulla non habeatur. Fortasse eo tempore præsumebant, confirmare Presbyteri, ubi concessum ipsis non erat à sede Apostolica, vel consecrare chrisma ad confirmandum, & ratione dubii, an si ita eveniret, reiterare præcipiatur Sacramentum confirmationis sub conditiones, vel ob aliam rationem nobis ignotam; quando autem aliquis confirmatus erat ab Episcopo Græco, nullatenùs præcipiebatur, imò non licebat reiterare confirmationem; atqui Episcopi Græci, ut constat ex num. 37. non utuntur alia, nisi ista forma: signaculum Domini Spiritus S. ergo ista non est cæremonia, sed vera forma Sacramenti confirmationis pro Græcis. Ex dictis 39.

Fit 1. ex 1. assert: Sacramentum confirmationis, quantumvis quoad substantiam institutum in noctè cœnæ, non habuisse completum terminum à quo usque ad Christi mortem, cùm à meritis mortis Christi valorem accipiat, ex dictis à num. 15. de Bapt. neque habuisse completum terminum ad quem usque ad pentecosten, cùm non esset institutum ad communicandum suum effectum usque ad illud tempus ex dictis num. 24. Fit 2. ex 2. assert: Sacramentum confirmationis, utpote characteristicum iterari non posse, nisi in casu quo de ejus valore prudenter dubitetur, juxta dicta à num.

52. de Bapt. character autem confirmationis est qualitas realiter distincta à charactere Baptismali, cùm Sacramenta realiter distincta ordinata sint à Christo ad effectus realiter distinctos. Unde baptizatus & confirmatus ratione characteris differunt inter se, ex D. Thoma, tanquam domesticus & miles, quapropter character confirmationis non superadditur Baptismali, sicut intensio qualitatis gradibus remissis ejusdem qualitatis, sed sicut qualitas qualitati diversæ rationis; quæ est ferè omnium Theologorum sententia. Eodem enim modò differunt inter se auxilia gratiæ actualis, quæ conferuntur per utrumque Sacramentum ex dictis à num. 202. de Sacramentis.

41. Gratiæ vero habituales sive intra, sive extra Sacramentum collatæ, non differunt specie inter se: nam gratia habitualis, quæ se habet quasi natura in ordine superno, etsi eadem sit specie, fundat jus ad effectus distinctos specie: sicut natura humana ad sensationes & discursus, qui sunt effectus specie distincti: ex Conciliis autem, quæcunque gratia habitualis, quæ de facto datur, hanc eandem naturam habet, ac proinde dicitur à Theologis ejusdem speciei; admittit verò intensionem, ex quo dicitur justior, qui intensiorem gratiam habet, quo in sensu gratia intensior dicitur perfectior, quàm remissa. Gratia autem habitualis per confirmationem accepta dici solet, per se loquendo, perfectior Baptismali ex locutione SS. PP. dicentium: hominem confirmatum comparere ad se ipsum baptizatum, sicut se habet homo perfectus & robustus ad puerum recenter natum, licèt enim confirmatio non remittat totam pœnam, ut Baptismus, non impedit, ne gratia confirmativa sit perfectior Baptismali, quia perfectio gratiæ potiùs habetur penes majorem unionem cum Deo, & conformitatem cum Christo, quàm penes remissionem pœnæ: si enim sit intensior gratia, quæ recipitur per confirmationem, quàm quæ recipitur per Baptismum. magis uniet ratione sui cum Deo, quam gratia Baptismalis; ac proinde in eo casu erit perfectior, quantumvis totam pœnam non remittat. Ita communiter Theologi, cui confirmationis excessui non obscurè suffragatur Melchiades Papa citatus num. 14. qui ita prosequitur: Scitote utrúmque magnum esse Sacramentum, & sicut unum à majoribus fit, id est, à Summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest, ita & majori veneratione venerandum & tenendum est.

42. Fit 3. ex 3. assert: chrisma sufficientem materiam esse, quamvis alia aromata illi admisceantur, dummodo oleum & balsamum in sua natura perseverent, sive mixtura adeò exigua sit, ut chrismatis materiam non immutet: sic in Baptismo solenni, quamvis aquæ naturali adhibeatur parum chrismatis, ex dictis num. 56. dummodo maneat aqua naturalis, remanet materia sufficiens Baptismi; unde cùm in sacra congregatione dubitaretur, an tolerandus esset usus Græcorum admiscentium 12. aromata oleo & balsamo, ut videre est in Euxologio & apud Arcud. cap. 15. decretum fuit, investigandum esse talis usûs initium, etsi illud antiquissimum esset, tolerandum, sed monendos graecos; ut ea aromata pauca sint, & in tali quantitate, ut Balsami odor prævaleat, & oleum ita sub ratione perseveret, ut effectus olei semper retineat. Quòd si talis usus non sit ita antiquus, sed post schisma inceptus, omnino eum esse tollendum.

Fit 4. Necessarium esse necessitate Sacramenti, quòd mixtum ex oleo & Balsamo tale sit, ut odor balsami admixti oleo pervadat omnes ejus partes, sic enim balsamum dicitur singulis olei partibus moraliter admixtum, licèt aliquibus non admisceatur physicè, quod constat ex praxi Ecclesiæ, etenim cùm modica Balsami pars oleo admisceatur, facilè admonemur, sufficere talem admixtionem physicam in toto, & moralem in singulis partibus. Unde confici validè potest Sacramentum illis partibus, quæ physicum balsami contactum non habuerunt, sed moralem istum à nobis explicatum & habuerunt & retinent, ut bene notavit Elpuza qu. 52. art. 3. quapropter si balsamum corrumpatur quoad substantiam, cùm tunc maneat alterata suavitas ejusquè fragrantia, ac proinde de ipsius mixtio moralis, ut experientiâ docemur, non perficietur valide Sacramentum; eique de causa præcipitur ab Ecclesia, ut renoveturchrisma quot annis, Balsamum enim cùm difficilis corruptionis sit, certissimè perseverat per annum, licèt exigua ejus pars admixta fuerit. Unde quamvis alterius anni chrisma, si integrum perseveret, sufficiens sit quoad valorem Sacramenti, ex præcepto tamen Ecclesiæ combusto veteri, tenetur minister uti novo chrismate, illo nimirum anno consecrato; non refert, an sit Balsamum Palæstinum, an Indicum etsi fortè specie differunt, sicut nihil interest, utrum vinum consecrationis sit album, an rubrum. Unde quando Paulus III. Episcopo Indico petenti concessit, ut uteretur illo Balsamo ad conficiendum chrisma, non fuit privilegium, sed declaratio sufficientiæ illius Balsami, quod & præstitit etiam Pius IV.

Fit 5. Ex 4. assert. unctionem debere fieri à Ministro juxta rituale Pontificum, & morem antiquum totius Ecclesiæ, ungendo dextero pollice in fronte, & propterea hunc ritum absq; peccato gravi prætermitti non posse; quo ad valorem autem Sacramenti sufficit, & omnino requiritur, ut ungatur manu propria, sive dextra, sive sinistra, & sive pollice, sive alio digito. Ratio est, quia manûs impositio est essentialis huic Sacramento, ut constat ex actibus Apostolorum, & ex SS. PP. tota 1. disputatis: manûs autem impositio intelligi non potest propriè, & absque figurata locutione, quin detur contactus immediatus inter manum confirmantis, & confirmati; atqui licèt iste contactus fiat manu dextera, vel sinistra, pollice, sive

sive alio digito; datur manûs impositio, neque exstat ullibi fundamentum ullum, ut dicamus, solum contactum pollicis non esse manûs impositionem; ergo &c.

45. Fit 6. Ex 5. assert. contra Gonetum, formam Ecclesiæ Græcæ non esse substantialiter distinctam à forma Ecclesiæ Latinæ. Ratio, quia illa verba nudè sumpta non sunt forma, nisi pro ut à Christo instituta ad causandum suum effectum; atqui non sunt instituta ad causandum effectum substantialiter distinctum; ergo non sunt formæ substantialiter distinctæ. Confirmatur 1. formæ, quæ eundem effectum formalem causant, non sunt substantialiter distinctæ, sed sunt una moraliter: atqui illæ duæ formæ eundem effectum formalem causant; ergo &c. Confirmatur 2. efficaciter ad hominem; ideò est valida forma, qua utuntur Græci, & forma, qua utuntur Latini, quia Christus reliquit potestati Ecclesiæ determinare verba, quibus confirmationis Sacramentum conficiatur, ut constat ex dictis num. 53. diximúsque etiam à num. 78. de Sacram. & fatetur Gonetus disp. 6. de Sacramento confirmationis art. 2. num. 53. formæ autem pertinent ad substantiam Sacramentorum, cùm sint Sacramentorum constitutivæ, ut constat à num. 34. de Sacram. & defendit acriter ipse Gonetus disp. 1. de Sacr. in genere art. 7. §. 1. dicens, manifestam esse D. Thomæ sententiam, & contrariam Gabreræ expositionem ad usum terminorum intolerabilem, imponere D. Thomæ; atqui Ecclesia non habet Auctoritatem ad immutandam substantiam Sacramentorum, ut definit Trid. citatum num. 59. de Sacram. ergo &c. Confirmatur 3. etiam ad hominem, quando Apostoli conficiebant Sacramentum confirmationis absque chrismate per solam manuum impositionem, illa manuû impositio solùm materialiter, & entitativè distinguebatur ab unctione chrismatis, formaliter autem erat eadem, quia substabat eidem significationi & Christi institutioni, ut habet Gonetus Disp. 6. art. 2. §. 1. num. 27. sed hoc ipsum evenit in nostro casu; ergo &c.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

46. OBJ. 1. Contra 1. assert: non minus est efficax impositio manuum Christi, quam impositio manuum Apostolorum; atqui per impositionem manuum Apostolorum conficiebatur Sacramentum confirmationis; ergo etiam per impositionem manuum Christi: atqui Christus imposuit manus supra pueros multò tempore ante noctem cœnæ, ut constat ex Matth. 19. ergo non in nocte cœnæ, sed multò ante instituit Sacramentum confirmationis. Conf. ex Conc. Senonensi, quod habetur Tom. 13. Conc. novæ impress. & est Senonense 19. in decretis fidei, ubi hæc habet; nec obscurius quidem Sacramentum confirmationis Christus instituit, cùm parvulis manus imponeret; ergo &c. Resp. dist. maj. non minùs est efficax ad finem intentum à Christo, con. 1. ad finem non intentum, N. maj. & con. min. N. consequentiam, deinde dist. min. subsumptiam: imposuit manus supra pueros ad eos benedicendos & curandos, con. ad eos confirmandos, nego min. & consequentiam, ut constat ex dictis num. 25. & constabit num. sequenti.

Ad Confirmationem nego consequentiam, 47.
quia illud Conc. nullam habet à Pontifice auctoritatem, habitum enim fuit ex auctoritate Cancellarii Galliæ, ut ex ipsius præfatione constat, & in hac parte à Theologis non admittitur. Docere quidem, Christum confirmasse pueros, cùm illis manus imposuit, est dicere, ministratum fuisse hoc Sacramentum ante Pentecostem, quod non solùm est contra omnes ferè Theologos ex dictis n. 24. sed expresse contra Catechismum Tridentini tit. de confirmatione dicentem: *S.* quidem Lucas, cùm admirabilem illam *Spiritus S.* effusionem describeret, ita inquit; & factus est de Cœlo repentè sonus tanquam advenientis *Spiritus* vehementis, & replevit totam domum. Deinde paucis interjectis; & repleti sunt omnes *Spiritu S.* ex quibus verbis licèt intelligere, quoniam domus illa *S.* Ecclesiæ figuram, & imaginem gerebat, ad omnes fideles Confirmationis Sacramentum, cujus initium ab eo die ductum est, pertinere.

Objicies 2. Contra 2. assert: ex vi Sacra- 48.
menti Confirmatus non distinguitur ab aliis, etenim ab in fidelibus supponitur jam discretus per Baptismum; à fidelibus verò discerni non debet, cùm confirmatio iis omnibus debeat esse communis; atqui nullum Sacramentum causat per se gratiam, neque characterem imprimit, nisi ratione sui discernat suscipientem à non suscipiente; ergo Sacramentum confirmationis neque gratiam causat, neque characterem imprimit. Conf. 1. per Sacramenta non confertur specialis gratia, absque speciali fine, ad quem illa ordinetur: atqui gratia confirmationis non ordinatur ad finem aliquem specialem: professio enim fidei & crucis Christi communis est omnibus Baptizatis, atque ad eam ordinantur ex vi Baptismi; ergo &c. Conf. 2. ideò circumcisio non imprimebat characterem spiritualem, quia ipsa erat character corporalis; sed etiam per confirmationem imprimitur character corporalis, quando confirmatus signatur signo crucis, dum ungitur chrismate in fronte; ergo &c.

Resp. nego maj. distinguitur enim ratione 49.
hujus *Sacramenti* fidelis à fidelibus non confirmatis, tanquam domesticus à milite ex num. 40. & tanquam vir robustus ab infantibus imbecillibus, ut constat ex testimoniis adductis n. 27. robur enim ad defendendam strenuè fidem coram tyranno, quod confertur ex vi hujus Sacramenti, non confertur ex vi Baptismi. Ad 1. confirmationem con. maj. & nego min. quia

confirmatio habet pro fine constituere militem strenuum Christi, Baptismus autem, licèt constituat Christi domesticum, non ita constituit strenuum militem, ut constat ex num. 40. Ad 2. conf. nego maj. ratio enim, ob quam circumcisio characterem non imprimebat, non erat quia signabat exteriùs, sed quia non erat Sacramentum, neque à Deo erat instituta ad istum effectum, ideoque circumcisi, ut dicebat Chrysost. citatus num. 220. de Sacr. solùm manebant exteriùs obsignati, quemadmodum pecudes; at verò confirmatio est Sacramentum, à Deo institutum ad istum effectum, ut constat ex Flor. & Trid. citatis num. 119. de Sacramentis.

50. Objicies 3. contra 3. assert: SS. PP. confirmationem sæpè vocant Sacramentum olei, nulla facta mentione Balsami; ergo mixtio Balsami non est de necessitate Sacramenti. Conf. 1. materia confirmationis debet esse cuique obvia; sed Balsamum olim adeo rarum erat, ut teste Plinio lib. 12. & 25. solùm in Judæa & duobus hortis regiis duntaxat oriretur; Balsamum inquit uni terrarum Judææ concessum est, quondam in duobus tantum hortis utroquè regio, altero jugerum viginti, non ampliùs, altera pauciorum. Unde Titus captâ Hyerosolima arbustulam Balsami in triumphum detulit. Conf. 2. adeò exigua Balsami pars admiscetur oleo ad conficiendum chrisma, ut sæpè fiat unctio cum sola parte olei absque particula chrismatis; ergo non Balsamum, sed oleum est de necessitate Sacramenti.

51. Confirmatur 3. Innoc. III. cap. *Pastoralis* de Sacramentis non iterandis rogatus, an confirmatio iteranda esset in eo, qui per errorem non chrismate, sed oleo simplici fuerat delinitus? Respondet, non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum; ergo supponit Balsamum non fuisse de necessitate Sacramenti; aliter dixisset iterandum esse Sacramentum. Conf. 4. ut constat ex Græcorum Euxologio & ex Arcud. lib. 2. cap. 5. chrisma apud Græcos est oleum & Balsamum, quibus duodecim alia aromata admiscentur, videturque ille usus habere fundamentum in Dyonisio cap. 4. de Ecclesiastica Hierarch. dicente. Dicimus igitur unguenti confectionem esse collectionem quandam suaviter spirantium materiarum, quæ in se magnam vim & copiam fragrantium qualitatum contineant, sed alia aromata non sunt de necessitate Sacramenti confirmationis; ergo neque Balsamum.

52. Resp. N. consequentiam, quia cum præcipua hujus *Sacramenti* pars sit oleum, eique modicum tantùm balsami admisceri necessarium sit, ea de causa sumpta denominatione à majori parte dicitur aliquando *Sacramentum* olei, licèt præter oleum requiratur etiam balsamum ad efficiendum unguentum chrismatis; si verò sumatur denominatio ab utroque ex necessitate *Sacramenti* requisito, dici non potest *Sacramentum* olei, sed chrismatis, sive unguenti, ex oleo, & chrismate, sicque vocabatur ab Apostolorum Discipulis, imò & ab ipsis Apostolis, ut constat ex Dionys. citato num. 12. ad 1. Confirm. nego maj. non enim requiritur, quòd sit obvia confirmationis materia, sed quod instituta sit à Christo Domino, neque balsamum adeò raro reperitur post Christum Dominum, quàm tempore primi affertur quidem modò in magna abundantia, tum ex Palestina, tum ex India, nec refert quòd non adeò facilè discernibile sit verum balsamum à non verò, cùm ad decidenda ista & similia dubia, reliquerit Christus Pontificem suum in Ecclesia, sicut circa balsamum Indi. cum præstiterunt Paulus III. & Pius IV. ut apud Arcud. lib. 2. cap. 9. Nicolaus I. consultus à Græcis declaravit, non esse verum balsamum, quod in Bulgaria dicebatur oriri, ex quo soluta manet aliorum instantia. Ad 2. Confirm. dist. antec. absque particula chrismatis non corrupti in toto, & non perfusi moraliter in singulas olei partes, nego; non perfusi physicè, con. antec. & nego consq. ex dictis num. 43.

Ad 3. Confirm. nego consequentiam; Pontifex enim nequit facere, quòd Sacramentum confirmationis reiteretur, neque id declarare debebat, neque valebat: cùm enim Sacramentum fuerit nudum, non iterabatur, quando unctio chrismatis, quæ omissa erat, supplebatur. Addit autem Pontifex, ut caute tur, quia cùm prior unctio fuerit publicè facta, non debuit postmodùm unctio chrismatis publicè fieri propter scandalum, sed privatim, atque occultè absque solennitate, supplendo nimirum substantialem defectum cum debita materia, & forma, & Sacramentum non factum conficiendo, accidentalia solùm omittendo. Ad 4. Confirm. dist. maj. alia aromata admiscentur ex illorum usu, con. ex necessitate Sacramenti, nego maj. & con. min. nego consq. ut constat ex dictis num. 42.

Objicies 4. Non minùs debet admisceri in Sacramento Evchariſtiæ aqua vino, quàm in Sacramento confirmationis balsamum oleo; atqui solùm vinum est materia remota Evchariſtiæ; ergo, vel solùm balsamum, vel solùm oleum erit materia remota confirmationis, neutiquàm autem mixtum ex utroque. Resp. dist. maj. non minùs ex necessitate præcepti, con. ex necessitate Sacramenti, nego maj. & dist. min. nego consq. si enim consecraretur vinum solùm, conficeretur Sacramentum validè, quamvis illicitè ex transgressione præcepti, ratione cujus debet aqua vino admisceri, ut constat ex Flor. citato num. 29. at verò si fierer unctio solo oleo, vel solo balsamo, non conficeretur Sacramentum confirmationis ex defectu materiæ ab eodem Flor. requisitæ, ut constat ex num. 28.

Objicies 5. Ex Cajetano: Sacerdos potest consecrare Evchariſtiam potestate ordinaria, & simul perficere Sacramentum confirmationis

poteſtate delegata à Summo Pontifice, ut conſtabit à num. 65. ergo poteſt validè, & ſufficienter conſecrare, & benedicere chrisma neceſſarium ad Sacramentum Confirmationis, ſaltem ex conceſſione ſummi Pontificis, ac proinde materia remota hujus Sacramenti non eſt chriſma neceſſario ab Epiſcopo benedictum. Probatur conſeq. qui poteſt majus, poteſt etiam minus; ſed plus eſt conſecrare corpus Chriſti, & conficere Sacramentum confirmationis, quàm benedicere, & conſecrare chrisma; ergo &c. Confirmatur 1. Benedictiones aquæ Baptiſmalis, panis & vini Evchariſtici, licèt ſint de neceſſitate præcepti, non ſunt de neceſſitate Sacramenti; ergo neque benedictio chrismatis facta ab Epiſcopo erit de neceſſitate Sacramenti. Confirmatur 2. non eſt credibile ea omnia, quæ habentur in rituali Romano pro Benedictione chrismatis, eſſe de neceſſitate Sacramenti; neque ullum eſt fundamentum, ut una pars potiùs, quàm alia ſit de neceſſitate; ergo nulla Epiſcopi benedictio eſt de neceſſitate Sacramenti.

56. Confirmatur 3. ex Concil. Tolletano 1. auctoritate Leonis Papæ confirmato cap. 20. dicente: quia in aliquibus locis vel Provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum chrisma conficere; ergo ſupponit valere conſecrationem factam à Presbytero, ſolúmque proponit, ne id fiat, ac proinde benedictio Epiſcopalis ſolùm eſt de neceſſitate præcepti, neutiquam vero de neceſſitate Sacramenti. Quòd jam præceperat cap. 26. Concil. provinciale. 3. Carthag. confirmatum in 6. Synodo Generali in Trullo celebratum. Confirmatur 4. ſi oleo benedicto ſuper infundatur oleum non benedictum, valet deinde Sacramentum, etſi perficiatur ſolo oleo ſuper infuſo, ut colligitur ex Paſtorali Leonis X. cap. 7. ex Rituali Romano Pauli V. parag. *habeat* de Sacramento extremæ unctionis, & declaravit Innoc. III. c. *quod in dubiis* de conſecratione Eccleſia, ubi dicitur, nec negamus, quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo admiſceri; ergo ſimili valeret Sacramentum perfectum oleo, nec benedicto, nec permixto cum benedicto. Probatur conſequentia; permixtio non facit, ut ſit benedictum, quod miſcetur benedicto, aliter permixtio vini non conſecrati cum conſecrato faceret, ut totum maneret conſecratum; ergo &c.

57. Reſp. con. antec. & nego conſequentiam ad prob. diſt. maj. poteſt etiam minus, quod in majori continetur, con. quod non continetur, nego maj. & diſt. min. nego conſequentiam: Sic homo poteſt generare hominem, & non aquilam; Sacerdos poteſt conficere corpus & ſanguinem Chriſti, & non poteſt alios ordinare, nec conſecrare altaria, quod eſt minus. Imò facultas ad alterius placitum conceſſa, qualem habent Miniſtri Chriſti, ſe extendit ad plura vel pauciora ſecundùm concedentis voluntatem; ac proinde inepta omnino eſt paritas ex poteſtate ad unum ad arguendam poteſtatem ad aliud. Ad 1. Conſ. con. antec. & nego conſequentiam, quia benedictio chrismatis apponitur à Florent. verbis exprimentibus neceſſariam eſſe neceſſitate Sacramenti, ut conſtat à num. 28. ſecùs alias benedictiones, ut conſtat ex num. 29. & 26. de Bapt. Ad 2. conf. nego conſequentiam, quia ut tenet communis Theologorum ſententia, ad valorem Sacramenti ſufficit qualiscunque benedictio Epiſcopi, cum invocatione Spiritus S. ad arbitrium ipſius; communis etiam ritus determinatus Eccleſiæ ſolùm eſt neceſſarius neceſſitate præcepti: nulla namque eſt ſufficiens auctoritas, quæ cogat aut juvet ad dicendum aliud. Si autem aliqua determinata cæremonia vere probabilis requireretur ad valorem, tunc eſſet neceſſario adhibenda ex doctrina tradita num. 319. de Sacramentis.

Ad 3. confirmationem nego conſequentiam, 58.
quia Concil. Tolletanum, ut ait Eſparza, ſolùm loquitur de conſecratione chrismatis, quod ſoli Baptiſmo deſerviret, & quæ ſimplici Sacerdoti permitti, aut prohiberi poteſt ab Eccleſia; ut conſtat ex num 1. hæc autem expoſitio reſtè conſonat & Tolleta: & Cart. nec diſſonat Florent. ac proinde mihi præ omnibus veroſimilior apparet. Ad 4. Conſ. permitto antecedens, quod ſi non habeat certitudinem ex teſtimoniis allatis, in quibus non eſſe ſermo de chrismate, ſed de oleo; magnam tamen ex Theologica ratione haurit probabilitatem, præſertim ex dictis num. 318. de Sacramentis, & nego conſequentiam ad prob. nego antec. quia ut fert Theologorum axioma, & habet Gloſſa citato cap. *quod in dubiis* ſacrum tanquam dignius trahit ad ſe non ſacrum, contactus enim adeo intimus cum re ſacra, extrahit à ſtatu profano rem contactam, ut apparet in veſtibus, quas Sancti induebant; nec iſtiusmodi habitudo præfefert aliud, quàm eam denominationem extrinſecam; exinde autem perperam inferunt Adverſarii, ſequi vinum non conſecratum ex mixtione cum conſecrato fore benedictum, verum & conſecratum. Conſecratio non vini, ut conſtat ex fide, præfert ſecum tranſubſtantiationem, ad quam non ſufficit denominatio extrinſeca, ac proinde paritas eſt nulla.

Objicies 6. Contra 4. aſſert. ex Jacobo Sir- 59.
mundo, in Concilio Arauſicano 1. cap. 1. præcipitur, ut ſi quis in Baptiſmo chrismatus fuerit, non chrismetur iterum in Confirmatione, ſed manus tantùm ab Epiſcopo ipſi imponatur; ergo unctio chrismatis non eſt materia proxima conformis, ſed ſola impoſitio manus Epiſcopi. Confirmatur ex Hyeron. Aug. & aliis Confirmationem vocantibus manus impoſitionem; ergo &c. Reſp. nego antec. in illo enim textu Arauſicani ſolùm proponitur, quòd detur duplex chrismatio, quod nos non negamus: datur enim una verticalis in Baptiſmate à ſimpli-

ci *Sacerdote facta*; alia verò in fronte, quæ est confirmativa, & fit manu Ministri, ideoque vocatur unctio & manus impositio: ne ergo omittatur ea chrismatio repetita, præcipit Concilium, ut Minister ex officio secum ferat chrisma, ut fiat chrismatio Baptismalis, quæ si omissa sit, debet admoneri Minister confirmationis, non quia Concilium velit ipsi fieri præjudicium, ne possit exercere Ministerium suum, sed ne omittatur repetita chrismatio, modo debito, id est in fronte, & in vertice: omittebatur enim propter abusum aliquorum Presbyterorum, neque vult Concilium quòd chrismatio Baptismalis fiat chrismate à simplici *Sacerdote* benedicto, sed quòd chrisma ab Episcopo benedictum utrique chrismationi serviat, cum chrismatis tantum una benedictio sit.

60. Cæterùm quia magna est Auctorum varietas in legitimis Concilii verbis tradendis, tripliciter enim habentur in nova Conciliorum editione, aliter apud Aranzam, & Gratianum de consecrat. dist. 4. aliqui ea verba apponunt can. 2. hujus Conc. alii verò cap. 1. Apud Gratianum & Caranzam solùm exprimitur requiri chrismationem, apud alios, ut non necessaria habeatur chrismatio, sive repetita chrismatio, apud alios verò, ut necessaria habeatur. Ea propter placuit apponere verba, ut habentur apud Plin. Tom. 1. Concil. part. 2. & apud Laurent. *Surium* Tom. 1. pag. 717. ambo enim eodem ipsissimo modo verba Concilii referunt, quæ, ut posteà probabimus, legitima sunt, & sic habent: *Nullus Ministrorum, qui Baptizandi recipit officium, sine chrismate unquam debet progredi, quia inter nos placuit semel in Baptismate chrismari, de eo autem qui in Baptismate, quacunque necessitate faciente, non chritmatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos chrismatis ipsius non nisi una benedictio est, non ut præjudicans quidquam dico, sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita.* Ex his autem genuina apparet argumenti solutio à nobis expositа; quod autem valde mirum est, nullum ex supra citatis auctoribus inter tantam varietatem referendi Concilii verba, vel minimam mentionem facere de manûs impositione, unde ex istius Concil. canone perperam infert Sirmundus, solam manuum impositionem esse materiam hujus *Sacramenti*; hinc ad confirmationem dist. anteced. manus impositionem consistentem in unctione chrismatis facta manu Ministri, con. alia impositione manus, nego antec. & consequentiam, ut ex dictis satis constat.

61. Ne autem res adeò gravis minùs stabilita videatur relinqui, operæ pretium est ostendere, mentem Arausicani nequaquam fuisse, negare chrismationem repetitam, unam nimirum in vertice, & alteram in fronte, sed declarare, utramque faciendam contra abusum aliquorum Presbyterorum; chrismationem autem in fronte per manus impositionem, non à simplici Sacerdote, sed ab Episcopo conficiendam. Cæterùm autem hoc probari non possit ex ipsius Concilii verbis propter maximam, qua referuntur varietatem, ostendendum est ex ordinationibus Leonis I. sub quo celebratum fuit illud con. & Innoc. I. proximi, etsi non immediati prædecessoris, Innoc. enim Epist. ad Decentium, quæ habetur apud citatum Surium tom. 1. con. pag. 326. cap. 3. ita habet de Presbyteris: chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratũ, non tamen ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spirit. Paracletum.

Leo 1. Epist. 86. ad universos Germaniæ, atque Galliæ Ecclesiarum Episcopos, quæ habetur eodem Tom. pag. 800. ita de Presbyteris decernit, *nec eligere illis Altaria, nec Ecclesias, vel Altaria consecrare licet, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum S. tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare.* Ubi propter abusum aliquorum Presbyterorum prohibet illis manus imponere ante Baptismum ad conferendum Spiritum S. qui unctione chrismatis in fronte baptizatis confertur; hæc autem unctio, non quidem manu Presbyteri, ut aliorum abusus introduxerat, sed Episcopi manu fieri debet, ut declarat Pontifex. Unde apparet non prohiberi à conc. Arausi. chrismationem repetitam, alteram nimirum Baptismalem in vertice, faciendam à Presbytero, & alteram confirmativam in fronte faciendam ab Episcopo, sed utrámque præcipere, quando conferenda sint Sacramenta Baptismi, & confirmationis. Prohibet autem abusum illorum Presbyterorum, qui ex animo conferendi Spiritum S. imponebant manum ante Baptismum, & omittebant chrismationem verticalem; & illorum, qui ex alio abusu omittebant verticalem post Baptismum, & ungebant chrismate in fronte, quasi ad illos attineret confirmare, & conferre Spiritum *S.*

Objicies 7. Contra 5. assert. ex Goneto; Quis negare audeat aliquas ex formis num. 34. relatis substantialiter differre ab ea, qua hodie Ecclesia utitur, cùm in forma Græcorum, & Ambrosiana nulla fiat invocatio Trinitatis, nec expressio actionis Ministri; ergo formæ, quibus *Sacramentum* confirmationis conficitur, sunt substantialiter distinctæ, ac proinde non sunt formaliter, moraliter, aut substantialiter idem: Respondere poteram, ita sensurum Gonetum, si memor sit sui, ut constat ex num. 45. & audere omnes, qui non erubescunt asserere veritatem; sed ne ista verba aliter, quàm ex Christo dicta accipiantur. Resp. N. ea verba substantialiter distingui, quatenus constituunt formam confirmationis; eorum Trinitatis expressio, & personæ Ministri, quæ est in una forma, & non in alia, merè materialiter se habet; nec impedit, ne forma qua utuntur Græci, & forma, qua utuntur Latini, &

ea,

ci, comprehendantur sub institutione Christi Domini, ac proinde non impedit, ne sit substantialiter, formaliter, & moraliter idem, ut constat ex dictis à num. 33. & 35.

***

DISPUTATIO III.

DE MINISTRO, OBLIGATIONE ET RITU CONFIRMATIONIS.

64. MInistrum ordinarium *S*acramenti Confirmationis esse solùm Episcopum, definitum est à Florentino citando num. sequenti, & expressius à Tridentino sess. 7. can. 3. de Confirm. per hæc verba. *Si quis dixerit Sanctæ confirmationis ordinarium Ministrum non esse solùm Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Quapropter circa Ministrum hujus *S*acrmenti ordinarium nulla exstat apud Catholicos controversia; circa Ministrum verò Extraordinarium est distensio non modica. Varietas *S*ententiarum constabit ex Adversariorum responsionibus.

SECTIO I.

De Ministro extraordinario Sacramenti Confirmationis.

65. ASsero cum communi Theologorum contra Durandum, & alios. Licèt solus Episcopus sit ordinarius Minister *S*acramenti confirmationis, ex concessione tamen, seu dispensatione *S*ummi Pontificis potest simplex *S*acerdos licitè, & validè confirmationem ministrare. Probatur ex Florent. citato num. 28. ubi hæc habet: *Ordinarius Minister est Episcopus.* Et posteà subdit, *legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse confirmationis Sacramentum.* Quibus ex verbis satis colligitur, præter Episcopum posse esse alium extraordinarium hujus Sacramenti Ministrum; quisnam autem esse possit, statim explicat, dum dicit simplicem *S*acerdotem ex *S*ummi Pontificis dispensatione aliquando ministrâsse hoc Sacramentum: si enim non administrâsset validè, neque Sacramentum confecisset, contra id quod Concilium supponit. Imò cum hoc tanquam specialis prærogativa Sedis Apostolicæ à Concilio referatur, in sola Sede Apostolica agnoscenda est potestas committendi hanc facultatem simplici Sacerdoti, simulque numeranda inter illas, quas Christus non quidem alteri, sed totius Ecclesiæ capiti concessit, ut sunt infallibiliter determinare dogmata fidei, decernere materias & formas essentiales Sacramentorum, sibi in tota Ecclesia casus reservare, & sic de aliis; ergo.

Confirmatur & explicatur hæc ratio. Si Christus Dominus iustituisset materiam & formam in Sacramentum confirmationis, quando apponuntur ab Episcopo, non autem quando apponuntur ab alio, nisi iste esset simplex Sacerdos, simulque haberet commissionem & dispensationem à Summo Pontifice, clarè ex tali institutione inferretur, ordinarium Ministrum *S*acramenti Confirmationis à Christo designatum esse solùm Episcopũ, extraordinarium autem esse simplicem Sacerdotem, habentem dispensationem, & cõmissionem à Summo Pontifice: atqui talem fuisse de facto Christi institutionẽ, infertur ex Conciliis & praxi Ecclesiæ; ergo. Probatur min. ex definitione Trid. data num. 64. quod jam dixerat Florent. citatum num. *S*uper. deinde ut accuratè notavit Exim. doct. disp. 6. sect. 2. licèt nulla sit Ecclesiæ reservatio, qua prohibeantur Episcopi delegare simplici *S*acerdoti facultatem ad ministrandum Sacramentum confirmationis: etenim solùm constat, dari prohibitorem, ne confirment Presbyteri, nulla autem datur, in qua prohibeatur, ne confirment cum delegata Episcopi facultate; nihilominùs nunquam delegant, nec delegarunt Episcopi talem facultatem, nec judicant tale jus sibi competere; ex qua Ecclesiæ praxi arguitur non fuisse illis concessam à Christo D. talem potestatem. 66.

Tandem ex traditione habemus, Ecclesiam aliquando delegâsse hanc facultatem, non alteri, nisi simplici *S*acerdoti, ut ex Florent. citato constat. Sic D. Gregorius relatus cap. *pervenit.* dist. 95. & habetur etiam in operibus ipsius Gregorii lib. 3. Epist. 26. cum cognovisset in Insula Sardinia solitos fuisse Presbyteros confirmare *B*aptizatos, id severè prohibuit: ex hac autem prohibitione cum certum scandalum videretur, sic scripsit D. Gregorius, ut patet in ipso textu: *Nos quidem secundùm usum veterem Ecclesiæ necessariæ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus, baptizandos chrismate tangere debeant, concedimus.* Eandem facultatem concesserunt I. Indis, Fratribus Minoribus Joannes XXII. & Leo X. ut testatur Rodericus in suo Bullario regularium, in Bulla 3. Leonis X. Arcud. in lib. 2. de confirm. cap. 15. refert eandem facultatem ipsis Minoribus concessam ab Adriano VI. anno 1521. die 25. Aprilis, pro Indis, & Regionibus, ubi non sunt Episcopi, haberi- 67.

tatur, ut ex dictis constat, nullam tamen habet potestatem ex vi soliùs characteris Sacerdotalis, ut definit Trid. sess. 23. cap. 4. dicens: proinde sacr. Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu *S.* regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferiores ordines nullam habent; ergo.

73. Contra 3. Efficaciter, simúlque roborantur ea omnia, quæ in hac assertione diximus; nam ut habetur Tom. 13. Concilior. de quibus mentionem fecimus num. 47. de Bapt. postquàm PP. Græci, & Latini subscripsêre unioni in Concilio Florent. Eugenius IV. & PP. Latini undecim quæstiones Græcis dissolvendas proposuêre, quæ apud eos erant in praxi, quarum 6. est ista: *& quare* Episcopi non inungant Sacro Chrismate, sed Sacerdotes, cùm hoc Pontificibus sit datum? quibus objectis, concludit ita Concilium: hæc à Latinis objecta Melitensis Canonicè omnia, legitimèque dissolvit, præterquàm duo, de quibus Papa significavit Imperatori; cur scilicet matrimonia dirimantur, & Patriarcha non eligatur; Latinis contradicentibus, legem non valere adversus Domini vocem: Quod DEUS conjunxit, homo non separet; & non esse conveniens hinc abire absque capite.

74. Cùm autem Melitensis canonicè dissolverit hanc 6. quæstionem, & ut promiserat ipsum Florentinum cit. num. 65. ex sola dispensatione, & commissione Summi Pontificis legeretur, simplicem Sacerdotem contulisse confirmationis Sacramentum, dubitare non possumus collatam fuisse à prædecessoribus Eugenii hanc facultatem pro Græcia, sicut à D. Gregorio collata fuerat pro Sardinia, eámque facultatem Presbyteros Græcos per suos Patriarchas, & Antistites à Summo Pontifice obtinuisse, ut ait Arcud. lib. 2. de Confirm. cap. 15. parag. tutissimum est dicere; ex quo intimatæ Græcis non fuerunt revocationes præviæ Pontificum, præcipuè Innocentii IV. neque publicatæ à legatis Pontificiis, quibus Missæ fuerant, ne oriretur scandalum, quòd ortum fuit in Sardinia ob revocationem D. Gregor. neque minùs stabilita fuit ex hac Florentini decisione ista concessio pro Græcia, quàm illa alia à D. Greg. per Sardinia: præsertim cùm adhuc duraret in Græcia, testè Arcud. Anno 1626. & eodem modo usque ad nostra tempora duret, ut oretenus mihi retulit Antistes num. 37. citatus. Modò sic. Si Episcopus posset eam facultatem Presbyteris concedere, Concilium Florent. non objecisset hanc 6. propositionem sive quæstionem Græcis; si verò Pontifex eam conferre non posset, non fuisset approbata à Concilio solutio Melitensis; sed ista quæstio fuit à Concilio objecta, & solutio approbata; ergo.

75. Neque Respondere licèt, quòd insinuare videtur citatus Arcudius, nimirum eam facultatem non posse conferri ab uno Episcopo, benè verò à Magna Ecclesiæ parte, v. g. à toto Oriente, non corrigente à principio, sed diu tolerante Romano Pontifice, cùm tunc intelligatur saltem tacitus consensus Pontificis. Quæritur etenim ab Arcudio, vel ea commissio facta simplici Sacerdoti ab omnibus Ecclesiæ Orientalis Episcopis est valida ab initio, vel solùm est valida, quando robur accipit à concessione, & voluntate Summi Pontificis? si primum; ergo à Summi Pontificis consensu non pendet quo ad valorem; hoc autem dici non potest, quandoquidem hanc facultatem concedit Pontifex ex plenitudine potestatis, ut constat à num. 39. quæ Orientali Ecclesiæ minimè competit, cùm ipsi non competat principatus totius Ecclesiæ, & ut ipse Arcudius concedit cap. 13. sit prærogativa à Christo Domino soli Pontifici Summo concessa. Si secundum; ergo ad nihil deservit talis Orientalis Ecclesiæ consensus, cùm, sive adsit, sive desit, datur valor, dummodò detur commissio, & dispensatio Sedis Aostolicæ, & hoc deficiente, etsi reliqua maneant, valor deficiat.

76. Respondebis ultimò cum aliis, non solùm simplicem Sacerdotem, sed etiam Diaconum, imò & Laicum posse esse Ministrum confirmationis extraordinarium ex concessione Summi Pontificis. Contra tamen 1. quia alienum est à verò Theologo admittere absque fundamento institutionem Christi aliter, ac innotescit nobis ex Conciliis, & praxi Ecclesiæ, ejúsque Doctoribus; sed ex Conciliis, & praxi Ecclesiæ solùm habemus Christum ita instituisse Sacramentum Confirmationis, ut ejus Minister ordinarius sit Episcopus, extraordinarius autem ex dispensatione, & commissione *Sedis* Apostolicæ simplex *Sacerdos*, ita ut nullus Ecclesiæ Doctor hoc ad Diaconum, vel Laicum extendat. imò potius negat extendi posse D. Thomas, ut videri potest in 4. dist. 7. quæst. 5. art. 1. quæstium 3. quem ferè omnes Theologi sequuntur; ergo. Contra 2. nullum est fundamentum, ut possimus extendere ad Diaconum, vel Laicum capacitatem proximam, ut possit suscipere commissionem à Summo Pont. & validè confirmare; habemus autem fundamentum, ut admittamus eam capacitatem in simplici Sacerdote; ergo. Ex dictis

77. Fit 1. Delegationem à Summo Pontifice factam simpliciSacerdoti ad administrandum confirmationis Sacramentum, non vocari dispensationem à Florentino, quia sit dispensatio in Christi institutione, sed quatenùs dispensatio sumitur pro commissione superioris facultatem tribuentis ad id, quòd est extraordinarium, ideóque in assertione utrúmque conjunximus, dicendo, commissione, seu dispensatione. Fit

que authenticam diploma Hispali in Monasterio S. Francisci. Addit ipse auctor, concessam etiam fuisse hanc facultatem pro Indis, PP. Societ. JESU. Haberique Diploma authenticum Pontificis in Brasilia; ergo.

68. Resp. 1. Estrius & Aurelius, solùm concessisse summos Pontifices facultatem Presbyteris, ut ungerent in fronte unctione quadam cæremoniali, non verò Sacramentali. Contrà tamen; hæc responsio est contra Florent. cit. num. 65. ubi dicitur, Presbyteros ex concessione Sedis Apostolicæ, non quidem utcunque unxisse, sed confirmationis Sacramentum ministrâsse, cùm enim Concilium dicat, talem concessionem ex rationabili & urgente admodum causa factam, dubitare non possumus, approbare factum, quod refert, aliter non diceret, Sacramentum fuisse Ministratum, sed Presbyterum præsumpsisse, aut inaniter voluisse illud ministrare; neque ex mente Concilii proponeretur causa ut rationabilis, qua motus Pontifex id concessit. Tandem neque de D. Gregorio, neque de ipsius Successoribus licèt præsumere, concessuros eam facultatem administrandum Sacramentum irreiterabile, absque certitudine de ipsius valore. Sanctum enim Gregorium concessisse hanc facultatem ante Florent. evidens est, nam Florent. habitum fuit sub Eugenio IV. qui fuit 217. Pontifex post Petrum: at S. Gregorius fuit Pontifex 66. ut ex Pontificum Catalogo, & Conciliorum historiis constat; ergo.

69. Respondent alii 2. tempore D. Gregorii omnes Sacerdotes fuisse Episcopos, quamvis omnes non haberent jurisdictionem Episcopalem, sed duntaxat in singulis civitatibus, qui solus regulariter Sacramentum confirmationis administrabat. Contra 1. licèt probabile sit, quòd in primitiva Ecclesia omnes Sacerdotes ordinarentur etiam Episcopi, ea tamen consuetudo multò antè Gregorii I. tempora desiit, ut ex Epist. 4. Damasi 1. constat, qui fuit 39. Pontifex post Petrum, in qua definitur, vanum fuisse, & inane, quidquid Proepiscopi fecerunt, ex his, quæ ab Episcopali ordine pendent: cùm Proepiscopi ex consecratione sua nihil essent, quàm Presbyteri. Imò Anacletus 5. post Petrum Pontifex Epist. 3. quæ habetur Tom. 1. Concilior. Laurentii Surii p. 164. hæc habet: Episcopi autem non in Castellis, aut modicis civitatibus debent constitui, sed Presbyteri per Castella & modicas civitates, atque villas debent ab Episcopis ordinari & poni. Episcopus non ab uno, sed à pluribus debet Episcopis ordinari, ampliùs quam isti duo ordines Sacerdotum, nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt; ergo. Contra 2. quia Successores Gregorii eandem facultatem concesserunt simplici Sacerdoti post Florent. ut constat. ex num. 65. quam Gregorius antè Florent. sed Episcopus nunquam vocatur in Ecclesia Dei, neque est simplex Sacerdos; ergo.

Resp. alii 3. illos Sacerdotes, quibus D. Gregorius confirmandi facultatem concessit, fuisse per ipsum quo ad istum actum confirmatos Episcopos. Contra tamen 1. si constituti fuissent Episcopi, malè diceret Florent. ex dispensatione Sedis Apostolicæ ministrâsse Sacramentum confirmationis simplicem Sacerdotem; in eo enim casu non ministrâsset simplex Sacerdos, sed Episcopus, neque tunc daretur dispensatio, contra textum Florent. cùm Episcopus utpote Ordinarius hujus Sacramenti Minister non indigeat dispensatione; ergo. Contra 2. ordo Episcopalis non potest conferri, nisi additis iis, quæ à Christo instituta sunt, ac proinde illi Sacerdotes, utpote absentes, non potuerunt à S. Gregorio Ordinari in Episcopos; nec ipsus, vel receperunt illum ordinem Episcopalem à Christo institutum, vel non? si 1. erant Ordinarii hujus Sacramenti; si secundum, ergo non erant Ordinarii Ministri, quorum actum Sacramentaliter confirmandi; ac proinde erant solùm simplices Sacerdotes, ex delegatione & concessione pontificia constituti Ministri extraordinarii, sicut & alii à Sede Apostolica delegati, ex dictis num. 65.

Respond. 4. pro Durando & aliis, non solùm à Summo Pontifice, sed etiam quocumque Episcopo posse concedi eam facultatem simplici Sacerdoti, cùm possit Episcopus in sua Diœcesi, quod potest Pontifex in tota Ecclesia, ut aliunde Presbyter ex vi characteris Sacerdotalis jam habet potestatem ad confirmandum, solumque egeat jurisdictione, quam propria ejus Episcopus illi potest conferre. Contra men 1. non potest Episcopus in sua Diœcesi, quod ex plenitudine potestatis potest Pontifex in tota Ecclesia, ut constat ex num. 33. ampl posse simplici Sacerdoti delegare facultatem a confirmandum, habet Pontifex ex plenitudine potestatis, ut constat ex num. 65. & ex S. Thoma q. 72. art. 11. dicente ad 1. ergo dicendum quòd Papa in Ecclesia habeat plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus; sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Ex hac plenitudine potestatis concessit D. Gregorius Papa quòd simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu Scandalũ tolleretur; ergo

Contra 2. ministratio Sacramenti confirmationis ex potestate ordinaria, non est actus jurisdictionis, sed potestatis, ideóque si Episcopus invito Superiore confirmaret sibi non subditos, licèt illicitè, tamen conficeret valide; aliter enim esset Ordinarius Minister ex vi Ordinationis Episcopalis, contra Florent. & Trid. Ministratio verò ex potestate extraordinaria est actus descendens à jurisdictione superiori conferente potestatem subjecto capaci; atque simplex Sacerdos, licèt ex vi characteris Sacerdotalis habeat capacitatem, ut ex plenitudine potestatis Summi pontificis potestas illi conce-

tam,

2. probabilius esse, Pontificem nondum consecratum, posse hujusmodi commissionem conferre, imò & potestatem committendi delegare aliquibus Episcopis, ac etiam sibimetipsi. Ratio est, quia ea commissio est actus jurisdictionis, ac proinde à consecratione independens, nec habemus fundamentum ad dicendum, Christum eam facultatem consecrationi alligâsse, vel novam commissionis materiam instituisse; hoc autem non debet extendi, sede vacante, ad Collegium Cardinalium, cùm non habeat rationem Capituli sedis vacantis; communiter tamen asseritur, teste Bogim Tom. 2. quæst. 7. de Confirmatione, posse Summum Pontificem, dum vivit, eam Facultatem Collegio Cardinalium concedere, ut possit illa uti post mortem suam. Ratio est, quia potest delegare cùm potestate subdelegandi, quæ delegandi facultas non exspirat per mortem primarii delegantis.

78. Fit 3. Episcopum, cùm ratione suæ consecrationis sit Minister ordinarius confirmationis, posse, dummodò sit consecratus, validè conferre hoc Sacramentum, etiamsi sit excomunicatus, suspensus, degradatus, aut hæreticus. Ratio est, quia actus soliùs ordinis non requirit jurisdictionem, ut validè fiat: character autem Episcopalis est indelebilis, ac proinde manet in excommunicato, suspenso degradato, & hæretico ad exercendos validè actus à solo ordine dependentes; ad exercendum verò eos actus licitè, opus est jurisdictione, quia absque valore legis, & præcepti fiunt, quapropter Episcopus degradatus &c. si ministraret Sacramentum confirmationis, incurreret pœnam Ecclesiasticam sibi impositam exinde.

79. Fit 4. Non posse Episcopum confirmare in Diœcesi aliena, sine expressa licentia Ordinarii localis, ut asserit Trid. sess. 6. cap. 5. de Confirm. per hæc verba: *Nulli Episcopo liceat cujuscunque Privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subditas tantum: si secùs factum fuerit, Episcopus ab Exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione ordinum sunt ipso jure suspensi*; ubi per Pontificalia intelliguntur, ordinare, chrisma conficere, confirmare, consecrare Ecclesias, altaria, & similia, quæ propria sunt Ordinis Episcopalis. Quo ad primam tonsuram multi existimant, privatim posse conferri: quantum verò ad Missam Pontificalem, & benedictionem solennem, jure antiquo hoc licitum videbatur, sed jure novo reputatur inhibitum.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

80. OBjicies 1. Ex Eusebio 1. citato num. 14. *Sacramentum confirmationis confici non potest, nisi à Summis Sacerdotibus, seu Episcopis, quod etiam habet Melchiades Papa in sua Epist.* 83.
Decretali ad Episcopos Hispaniæ, & Innoc. IV. in Epistola, quæ exstat in Vaticano, missa ad Episcopum Tusculanum Apostolicæ Sedis Legatum in Regno Cypri; ergo simplex Sacerdos neque ex commissione Summi Pontificis potest validè conficere Sacramentum Confirmationis. Confirmatur. Innoc. III. cap. 4. de Consuetudine, statuit, ut fideles potiùs caterent Sacramento Confirmationis, quàm ut à Presbyteris illud acciperent: & concludit: *cùm umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectum*: atqui si ex commissione Summi Pontificis posset simplex Sacerdos validè confirmare, id non prohibuisset Pontifex, saltem pro illis, qui non possent ab Episcopo confirmari, neque esset præsumptio Presbyterorum in eo casu confirmare, cùm prudenter judicarent implicitam concessionem Summi Pontificis; ergo.

Resp. dist. antec. nisi à Summis Sacerdotibus seu Episcopis de potestate ordinaria, con. ex commissione Summi Pontificis, nego antec. & consequentiam; mens enim eorum omnium Pontificum eò tendebat, ut declararent solum Episcopum esse ordinarium hujus Sacramenti Ministrum. Ad Confirm. con. maj. N. min. nam Innoc. III. voluit comprimere audaciam, & præsumptionem illorum Presbyterorum, qui judicabant sui muneris esse, Sacramentum istud conferre, ad quod consuetudinem alligabant, illúdque absque commissione Summi Pontificis conferre validè præsumebant: tactus enim consensus Sedis Apostolicæ perpetàm præsumitur pro Sacramento, cujus omissio fideli non est peccaminosa, si per ipsum non stet; quod fuit motivum Pontificis, ut ibi explicat per hæc verba: mandamus, quatenùs omnibus Presbyteris distinctè prohibeas, ne talia de cætero sua temeritate præsumant; quæ licèt non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est, ea sine periculo ex necessitate (quæ legem non habet) omittere, quàm ut ab his, quibus ea conferre non licèt, ex temeritate (quæ lege damnatur) non sine gravi periculo inaniter conferantur. 84.

Objicies 2. Summus Pontifex non potest eam Facultatem Presbyteris conferre ex potestate Ordinis: omnes enim Episcopi æqualem potestatem Ordinis habent, nec ideò possunt conferre talem potestatem; ergo illam conferret ex potestate jurisdictionis; sed ex hac non potest; ergo. Probatur subs. confirmare non dependet à potestate jurisdictionis, sed ordinis; ergo neque conferre Facultatem ad confirmandum. Confirmatur 1. si penderet à potestate jurisdictionis, Pontifex electus, & non consecratus posset eam conferre; sed non potest; ergo. Confirmatur 2. si posset Pontifex eam Facultatem concedere Presbyteris, nulla posset assignari ratio, ne eam posset conferre, & Diacono, & Laico; sed his nequit eam conferre; ergo neque Presbyteris. 85.

Resp.

83. Resp. permisso Enthym. Nego subs. ad prob. dist. anteced. confirmare ex potestate ordinaria, con. ex extraordinaria, subdist. non pendet à potestate jurisdictione collatæ facultatis, N. quod subjectum sit expeditum ad eam facultatem recipiendam, con. antec. & nego consequentiam; quia per characterem Sacerdotalem fit Presbyter expeditus, at non habet potestatem, nisi ex Suprema Pontificis jurisdictione ipsi concedatur, ut constat à num. 66. & 72. Ad 1. confirmationem con. maj. nego min. ut ex dicendis statim constabit. Ad 2. confirmationem nego maj. quia neque Diaconus, neque Laicus sunt capaces talis concessionis, ut constat ex num. 76. sic Episcopus electus & confirmatus à pontifice, nondum tamen ordinatus Sacerdos potest Sacerdoti dare facultatem audiendi confessiones, quas ipse audire nequit, neque Diacono aut, Laico committere.

84. Objicies 3. ex Armacano. Paulus 1. ad Timoth. 4. dicit: *noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyteri*; ergo conferre Sacramentum confirmationis, sive impositionis manuum est munus Presbyteri. Confirmatur: Ananias non erat Episcopus, sed confirmavit Paulum, quando Actor. 9. illi manus imposuit; ergo Prob. min. Ananias imponens Paulo manus dixit: *ut videas & implearis hoc Sacramento*; ergo confirmavit illum. Resp. nego consequentiam: quia in eo textu non debet legi, *manuum Presbyteri sed manum Presbyteri*, quæ sola lectio habetur in Bibliis correctis jussu Clementis 8. unde illa particula non designat Ministrum, sed modum seu speciem illius manus impositionis, quæ non fuit Sacramentum confirmationis, sed ordinis. Ad Confirm. nego min. ad prob. nego consequentiam; illa enim manus impositio adhibita fuit, ut ex textu constat, antequàm Paulus baptizaretur, ac proinde non fuit confirmativa, sed curativa, & verba illa promissiva Spiritus Sancti, quem Paulus posteà recepturus erat in Baptismo, vel etiam fortasse à legitimo Ministro in confirmatione. Sic enim textus prosequitur: *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squammæ & visum recepit, & surgens baptizatus est.*

85. Objicies 4. Concil. Toler. 1. cap. 20. Arausican. 1. cap. 2. Innoc. I. Epist. 1. cap. 6. dicunt, Presbyterum alios posse ungere chrismate absente Episcopo, præsente verò non nisi fuerit ab Episcopo præceptum; ergo Ministri Ordinarii non sunt soli Episcopi, sed etiam Presbyteri. Resp. nego consequentiam, quia Toleta: loquitur non de unctione confirmativa, sed de Baptismali facta in vertice. Arausicanum verò de cæremoniali solemni, qua in Ecclesia recipiebantur olim hæretici, qui convertebantur. Innoc. denique clarè loquitur de cæremonia, qua unguebantur ænergumeni, ut dæmon expelleretur. Ratio horum est, quia olim non licebat simplici Sacerdoti ulla ratione ungere aliquem chrismate, imò nec baptizare, nisi jubente, aut procul absente Episcopo, & necessitate aliqua urgente, ut patet ex Leone 1. Epist. 86. cit. num. 62. in fine ita dicente: *Sed neque coram Episcopo licèt Presbyteris in Baptisterium introire, nec præsente antistite infantem tingere, aut signare.*

86. Objicies 6. Quidquid potest Pontifex in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua Diœcesi; ergo Presbyter ex commissione Episcopi poterit in sua Diœcesi confirmare. Confirmatur 1. Presbyteri græci conficiunt Sacramentum confirmationis, quæ consuetudo 4. sæculo incæpit, ut probat Vercielli de Apostolicis missionibus lib. 7. qu. 130. sed id tunc non conficiebant Sacerdotes Græci ex commissione Summi Pontificis, cùm tale privilegium non appareat, ergo ex commissione suorum Episcoporum. Confirmatur 2. Innoc. III. cap. *Quando de Consuetudine*, prohibuit, ne Presbyteri Constantinopoli commorantes confirmarent infantes, idemque prohibuisse omnibus Presbyteris Græcis Innoc. IV. fatetur Arcudius lib. 2. cap. 15. ergo Pontifices Romani non approbant ritum Ecclesiæ Græcæ confirmandi per Presbyteros, ac proinde ad summum habebunt à suis Episcopis facultatem.

87. Resp. nego antec. ut constat ex dictis à num. 71. Ad 1. Confirm. nego min. etenim ante Schisma tantam reverentiam Constantinopolitani Sedi Apostolicæ deferebant, ut singulis annis à Summo Pontifice chrisma susciperent, ut habet Arcud. lib. 2. cap. 9. quamvis possent illud consecrare illorum Episcopi unde incredibile est, quòd non acceperint facultatem à Summo Pontifice, ut Presbyteri validè confirmarent, neque possumus prudenter dubitare ex dictis à num. 73. licèt injuriâ temporis Scriptura periisset. Ad 2. confirmationem nego consequentiam, quia ut ait Arcudius citatus num 74. illæ prohibitiones Græcis intimatæ non fuerunt, vel licèt aliqui Pontifices id prohibuissent Græcis, tamen cùm Eugenius 4. in Concilio Florent. approbaverit ex dictis num. 73. hunc ritum Græcorum, revocavit quoad hoc Constitutiones Innocentii III. & IV. qui per ducentos ferè annos Eugenium præcesserunt.

TRACTATUS DE VENERABILI EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

1. AUgustissimum Evchariſtiæ Sacramentum, ait Dionyſius, Myſterium eſt diviniſſimum, miraculorum apex, ſeu mirabilium omnium breviſſimum compendium. Dionyſium imitatus Angelicus Doct. opuſc. 57. miraculorum à Chriſto factorum maximum Evchariſtiam appellat; multis exinde nominibus hoc Myſterium à Conciliis, & SS. PP. enodatur deſumptis, Eximio Doct. teſte, ex materia ſenſibili, qua conficitur, ex uſu, effectibus, re in Sacramento contenta, nempè corpore, & Sanguine Chriſti, modo & tempore inſtitutionis, & tandem ex ſignificatione ipſius Sacramenti; hac de cauſa vocatur panis vitæ, cœna Domini, Synaxis, communio, Metalepſis, participatio, transmutatio, hoſtia, Evchariſtia, Sanctiſſimum neutraliter ſuperlativè, & antonomaſticè, ſive pluraliter Sancta Sacramentum, Sacrificium, ſicque propè innumeris aliis vocibus, & encomiis à Catholicis ſcriptoribus inſignitur. Plures contra hoc digniſſimum Sacramentum exortæ ſunt hæreſes; quarum auctor fœtidus Patriarcha fuit Simon Magnus, ut ait Ignatius Epiſt. ad Smirnenſes; quæ hæreſes ad duo præcipuè capita reducuntur: aliqui enim admittunt realem Chriſti præſentiam in Evchariſtia, ſed panis, & vini ſubſtantiam ibi, poſt conſecrationem remanere, acriter propugnant, ita Lutherus cum aſſeclis; alii verò veram, & realem Corporis, & Sanguinis Chriſti præſentiam in Evchariſtia negârunt, ideóque Sacramentarii dicti ſunt, & alii ejusdem furfuris Hetherodoxi. In hoc tract. errores iſtos extirpabimus; interim non omittam apponere Anagramma puriſſimum ex verbis conſecrationis Calicis, & Hoſtiæ confectum contra Lutherum, & Calvinum, eorúmque deliramenta, ut in hoc Corporis Chriſti pervigilio ab ipſo tropheo ſaltem contra Chriſti inimicos reportato incipiamus. Recolant igitur Lutherus, & Calvinus illa, quæ in Eccleſia Catholica ſunt conſecrationis Hoſtiæ, & Calicis verba, hoc eſt enim Corpus meum. Hic eſt enim Calix Sanguinis mei novi, & æterni Teſtamenti, Myſterium fidei, qui qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum, & invenient ex iſtis literis non omiſſa diſtinctione Dyphtongi in A. & E. hoc puriſſimum prodire Anagramma, Calvine non eſt rei figura, Luthere non eſt panis, eſt Corpus DEI optimi, maximi, effuse mihi ſemetipſum communicantis in cibum. Noſce quo ritu, & Myſterio tu reum redemit.

DISPUTATIO I.

DE INSTITUTIONE EVCHARISTIÆ.

2. CHriſtum Dominum Evchariſtiam inſtituiſſe in noctè cœnæ, certum eſt apud omnes, ut ſect. ſeq. videbimus. Qua nam autem die cœnam Dominus celebraverit, non eſt adeò certum, & exinde ortum habuit illa magna controverſia inter Eccleſiam Græcam, & Latinam: an ſcilicet Chriſtus conſecraverit ante dies Azimorum, ac proinde in pane fermentato ſecundùm uſum Eccleſiæ Græcæ, vel tempore Azimorum, ac proinde in pane Azimo ſecundùm uſum Eccleſiæ Latinæ. Pro cujus intelligentia obſervare oportet inter feſta Judæorum duo apud ipſos fuiſſe, maximè ſolemnia: Feſtum Paſchatis, ſive tranſitus, & Feſtum Azimorum. Feſtum Paſchatis inſtitutum erat in memoriam beneficii, quo Angelus vaſtator tranſiens per Ægyptum, primogenitósque Ægypti interimens Hebræos ſalvos, & intactos reliquit, Feſtum verò Azimorum in recordationem alterius beneficii priori ſuccedentis. Quòd eadem noctè poſt interemptos primogenitos Ægyptiorum Hebræi ex Ægypto feſtinantes egreſſi ſunt Ægyptiis urgentibus, ita, ut cùm non poſſent fermentare panes, properè Azimos coxerint, ut Exodi 12. narratur, & conſtabit ſe: ſeq.

SECTIO I.

Qua die Chriſtus Evchariſtiam inſtituit.

SUppono 1. Judæos menſes computare ſolitos fuiſſe ſecundùm lunas, quare menſis incipe-

incipiebat à novilunio, ita ut 1. dies eſſet lunæ, & ſic de reliquis diebus. Primus verò totius anni menſis incipiebat à novilunio propinquiore æquinoctio Verno, quod æquinoctium incidit in diem circiter 21. Martii; cùm autem novilunium propinquius æquinoctio verno aliquando contingat ante 21. Martii, aliquando pòſt, intra ipſum Martium, & aliquando intra Aprilem, ea de cauſa 1. menſis Judæorum aliquando incipit ante 21. Martii, aliquando poſt 21. intra Martium, aliquando verò intra Aprilem. Unde indiſpenſabiliter comprehendit aliquos dies Aprilis cum aliis diebus vel Martii vel Aprilis ille autem menſis 1. dictus eſt Caldaicè Niſan, de quo dicitur Exodi 12. menſis iſte vobis principium menſium, 1. eritin menſibus anni, quia nimirum tali menſe Deus à Pharaonis yrannide eos eduxerat.

4. Suppono 2. dies apud Hebræos alios fuiſſe legales, alios naturales, & alios artificiales, dies legales accipiebantur à veſpera unius diei ad veſperam ſubſequentis juxta illud Levitici 23. à veſpera usque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra, ubi per Sabbata intelligenda ſunt quælibet feſta maximè Solennia, nam eodem loco 1. & ult. dies feſti Expiationum celeberrimi vocantur Sabbatum: *die* 1. & die 8. erit Sabbatum, id eſt, Regis; unde D. Thomas in 4. diſt. 11. qu. 2. art. 2. quæſtiun. 3. ad 3. ſic habet; quamvis ante Chriſti reſurrectionem à manè in manè computaretur, tamen hoc erat ſpeciale in ſolemnitatibus legis, quod computabatur dies à veſpera in veſperam; ſic modò in Eccleſia feſta incipiunt à 1. veſpera usque ad 2.

5. Dies naturales, ſive uſuales apud Hebræos vel computabantur à media nocte in medium noctis ſequentis, ut volunt aliqui, vel ab ortu ſolis usque ad ortum, ut vult S. Thomas citatus, ſimulque Catechiſmus Trid. tit. de Evchariſtia; dies verò artificiales computabantur, ab Hebræis ſicut ab omnibus Nationibus, pro ut à nocte contrà diſtinguuntur, ſicque comprehendebant ſolum illud ſpatium, quod percurrit ab ortu ſolis usque ad ipſius occaſum. Hac de cauſa in ſolennitate azimorum, licèt 1. veſpera jam pertineret ad ſolennitatem, ſicut modò in Eccleſia 1. veſpera quo ad officium pertinet ad ſolennitatem ſequentem; non tamen prohibebantur in illa opera mechanica usque ad mediam noctem, vel ad Solis ortum ſecundùm ſententias relatas, ac proinde penes hoc non poterat 1. illa veſpera diei dies feſtus azimorum, neque dies feſtus Paſchæ; omnes tamen illi azimorum dies uſuales vocabantur Paſchales: nam Paſcha tranſitum ſignificat, & omnes illi, dies ſignificabant tranſitum Judæorum, utpote inſtituti in memoriam beneficii relati num. 2. tum etiam dicebantur paſchales à cibis illorum dierum, qui paſchales nominabantur, etenim ut ex Deuter. 16. & 2. Paral. 35. conſtat, Judæi azimos panes, aliasque victimas ex legis præſcripto offerebant, ad quæ edenda munditia legalis deſiderabatur. Quâ de cauſa dies azimi *Paſchales*, & azima *Paſcha* indiſſerenter vocabantur, dicente Luc. cap. 22. verſ. 1. appropinquabat autem dies feſtus azimorum, qui dicitur paſcha. Quapropter idem Evangeliſta Actor. 12. verſic. 4. narrat, quòd Herodes captum Petrum miſit in carcerem volens poſt Paſcha eum producere populo. Quid autem per paſcha intelligeret, declaraverat verſ. 3. dicens: erat autem dies azimorum; nec mirum, cùm etiam Exodi 3. Dominus tria feſta perpetua celebrare conſtituens Paſcha tacuit, ſolennitatem azimorum cuſtodire juſſit, qua tamen prætermiſſa Paſcha obſervari nequit.

Cæterùm inter Paſcha agni & azimorum 6.
hæc erat maximè notanda differentia, quòd Paſcha agni non erat feſtivum, ſolemnitas namque feſti quoad ceſſationem ab operibus, non niſi luna 15. naturali, ſive uſuali incipiebat, nimirum à media nocte, vel ab ortu ſolis diei 5. juxta diverſas ſententias num. ſup. relatas, licèt quo ad azima inciperet à 1. veſpera diei 15. quæ erat 2. diei 14. deſtinata ad eſum agni, ſicut modo in Eccleſia feſta quo ad officium, ut diximus num. ſup. incipiunt à 1. veſpera diei feſti usque ad 2. ceſſatio verò ab opere mechanico, non niſi à media nocte. Exinde facilè intelligitur, quod dicunt SS. Evangeliſtæ Matth. Marcus & Lucas, nimirum Dominum celebraſſe cœnam 1. die azimorum, id eſt, 1. veſpera ante mediam noctem, vel ante Solis ortum, quæ jam erat azimorum; & quod dicit S. Joannes, nimirum illam celebraſſe ante diem feſtum Paſchæ, videlicèt ante mediam noctem, ſive antè Solis ortum 1. diei azimorum, quia usque ad illud tempus non erat dies feſtus, ſive non aderat obligatio ceſſandi ab operibus, ut etiam colligitur ex illo Levit. 23. menſe 1o. 14. die menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt, & 15. die menſis hujus ſolemnitas azimorum Domini eſt.

Quapropter Paſchà agni una tantùm die, eaque integra celebrabatur, nempè à 2. veſpera Lunæ 13. & tunc immolabatur, præparabatur, & aſſabatur agnus, usque ad 2. veſperam, in qua manducabatur, quæ erat 1. veſpera diei 15. in qua jam incipiebat 1. dies legalis azimorum, ac proinde agnus Paſchalis comedebatur cum Azimis, ſicque Phaſe, ſive paſcha conjungebatur cum Feſto Azimorum, ita ut à Cœna paſchalis agni usque ad 21. diem ejus menſis incluſivè, panis fermentatus intra domos Judæorum non exſtaret, dies enim azimorum erant 7. addit Maldonatus in cap. 26. Matth. ubi in noſtra vulgata dicitur celebrationem Paſchatis faciendam ad veſperam 14. verbum hebræum ſignificare, faciendam inter duas veſperas; nimirum *Paſchatis* & Azimorum, ſicque illa 2. veſpera diei 14. pertinebat ad Feſtum *Paſchalis* agni, & ad Feſtum Azimorum. Quo in ſenſu dicitur Matth. 26. 1. die Azimorum; quando Paſcha immolabant; & 7.

Luc.

Luc. 22. venit autem dies Azimorum, in quo necesse erat occidi pascha.

8. Suppono 3. quod statim probabimus contra Græcos, nrmirum Christum celebrâsse pascha cum discipulis die Jovis ad vesperam, etenim mortuus fuit die veneris & celebravit pascha pridiè, quàm moreretur; unde 1. dies mensis anni erat dies veneris, & usque ad sequentem veneris diem inclusivè percurrebant 8. dies, rursus usque ad sequentem diem Jovis inclusivè percurrebant sex, qui numerum 14. dierum conficiunt. Ea igitur vespera diei 14. Israelitæ edebant agnum, quæ omnia ex script. Exodi 12. constant: ubi hæc habentur: mensis iste vobis principium mensium 1. erit in mensibus anni. 10mâ die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas, & servabitis eum usque ad 14. diem mensis hujus: immolabitq; eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam, edentque carnes nocte illa assas igne & Azimos panes & comedetis festinanter; est enim Phase, id est transitus Domini; habebitis enim hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum Solennem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. 7. diebus Azima comedetis, in die 1. non erit fermentum in domibus vestris, dies 1. erit Sancta atque solemnis, & dies 7. eadem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent. His positis

9. Græci ut ritum suum de consecratione infermentato defendant, asserunt, cœnam agni Paschalis non fuisse à Christo celebratam 1. die Azimorum, sive 14. sed anticipâsse suum Pascha, illudque celebrâsse die 13. primi mensis, mortuum verò fuisse die 14. in qua Judæi post vesperam suum *P*ascha immolabant, & incipiebant uti Azimis. Latini verò è contra ut suum ritum de consecrando in Azimo defendant, asserunt Christum cœnam celebrâsse die 14. quando jam erat usus Azimorum. Cœterùm ut hæc omnia cum claritate resolvamus.

Assero 1. cùm omnibus Catholicis, *S*acra-
10. mentum *E*vchariſtiæ institutum fuit à Christo Domino in nocte cœnæ ultimæ, factæ cum discipulis pridie, quàm pateretur. *P*robatur ex Sacris *E*vangelistis, præsertim ex Matth. cap. 26. dicente: cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis & ait: accipite & comedite, hoc est Corpus meum; & accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Similia habent alii Evang. tùm etiam Paulus pluribus in locis, præsertim 1. Corinth. 11. unde Trid. sess. 13. cap. 1. dixit: quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ult. cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum panis vinique benedictione, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem dissertis ac perspicuis verbis testatus est; ergo.

Assero 2. cùm ferè omnibus DD. cum Chrysost. & aliis DD. græcis, quos citat & sequitur Arcud. lib. 3. cap. 3. contra Stellam, Olastrum, Luisium & alios; & contra communem Græcorum, Christus cœnam agni Paschalis die 14. mensis 1. ad vesperam celebravit, & Evchariſtiam instituit. Probatur 1. ex Matth. 26. ubi dicitur: 1. autem die Azimorum, accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis, paremus tibi comedere pascha? narrata deinde Christi responsione addit textus, & fecerunt discipuli, sicuti constituit illis JEsus, & paraverunt *P*ascha; vesperè autem discumbebat cum 12. quod idem asseritur Marci 14. & Luc. 21. atqui 1. dies Azimorum non erat 13. mensis 1. quia tota die 13. comedebatur panis fermentatus, sed 14. in cujus vespera incipiebant comedi Azima, & non licebat comedere fermentatum, aut illud in domibus habere, ut constat ex lege Exodi citata num. 8. ergo non 13. sed die 14. celebravit Christus cœnam, in qua comedit pascha, id est, agnum paschalem, & Sacramentum Evchariſtiæ instituit.

Respondet 1. Eutimius, 1. diem Azimorum idem esse, ac pridiè Azimorum; contra tamen 1. non est idem dies, quo natus est Eutimius, & dies ante ortum ipsius; ergo non erit idem dies 1. Azimorum, & pridie ante Azima; etenim si ita liceret Script. exponere, plura fidei nostræ dogmata facillimè, & infelicissimè eluderentur. Cont. 2. incredibile est, Christum D. qui in omnibus fuit divinæ legis observantissimus, & qui, ut ipse dicebat Matth. 5. non venit solvere, sed ad implendum prævaricatum fuisse legem anticipando diem pro hac celebritate institutum; etenim si hoc feciſſet, procul dubio accusatus fuisset de hac legis transgressione ab Adversariis adeò occasionis ad quærenda motiva, ut illum accusarent, sed nunquam de hac transgressione accusatus fuit; ergo &c. Contra 3. ex Chrys. hom. 82. in Matth. illa verba, ubi vis, paremus tibi comedere pascha, sic exponente: illud Judaicum fuit Pascha, illud in Ægypto sumptæ exodum, & cur illud Christus manducavit? Scilicet quia omnia, quæ sunt legis, adimplere ret: atqui secundùm legem Exodi potestam num. 8. die 14. ad vesperam, quæ est 1. vespera Azimorum, debebant Judæi comedere pascha; ergo &c.

Respond. 2. Eutimius, licitum fuisse præ-
16. nire pascha, non verò differre ultra diem constitutum à lege. Contra tamen 1. quia hæc responsio est contra textum Script. citatum num. 8. ubi præcipitur ejus celebratio die 14. ad vesperam: licet enim Numeror. cap. 9. permittat lex in favorem immundorum & peregrinorum, ut propter immunditiam, vel peregrinationem longinquam extrà terram Canaan pascha suum in 2. mensem differant, imperat tamen

ut ipſum celebrent luna 14. ſub veſperam; nullibi autem dicitur, ut poſſit ante diem 14. celebrari; ergo &c. Contr. 2. ex Theophylacto cap. 22. in Lucam dicente: diem Azimorum nominat feriam 5, in cujus veſpera paſcha immolaturi erant. Quod & tradit in Commentariis ad alias Evangeliſtas, cujus verba apud aliquos Typographos corrupta, bene ex veſtuſtioribus exemplaribus reſtituit Arcud. lib. 3. cap. 5. ergo &c.

14. Probatur 2. Concluſio, & oſtenditur magis debilitas reſponſionis Græcorum; nulla eſt aſſignabilis cauſa ſufficiens, ob quam Chriſtus legaliter cænaverit pridie, quàm lex juberet; ergo non celebravit cœnam, neque Evchariſtiam inſtituit die 13. ſed die 14. Reſpondent Græci cauſam fuiſſe, quia Chriſtus ſciebat ſe in craſtino morte præventum non poſſe agnum comedere. Contra tamen; iſta cauſa nulla eſt; ergo &c. *Probatur* antecedens, Chriſtus ad ædificationem aliorum, & ne reputaretur legis transgreſſor, non debebat ſervare legem, niſi quamdiu viveret: præceptum enim illud certum eſt, non obligare hominem, qui moriebatur ante tempus à lege præſcriptum, aliter quicunque reus moriretur ante diem 14. diceretur transgreſſor legis, vel deberet reſuſcitari ad legem implendam; quod quàm abſurdum ſit, nemo eſt, qui non videat. Unde ſatis erat, ut ad implendam figuram agni typici Chriſtus in cruce immolaretur; ergo &c.

15. Aſſero 2. Per veſperam diei 14. in qua lex præcipiebat immolari agnum paſchalem, non debet intelligi 1. veſpera diei 14. ſeu quæ erat 2. veſpera diei 13. ſed debet intelligi 2. veſpera diei 14. ſeu quæ erat 1. veſpera diei 15. ac proinde in ea 2. veſpera Chriſtus cœnam ult. celebravit & Evchariſtiam inſtituit. Probatur facilè concluſio ex dictis; ea veſpera, qua incipiebat. Prohibitio uſus fermentati, præcipiebat lex manducandum eſſe agnum; eſus enim agni & prohibitio fermentati, ſive dies Azimi ſimul incipiebant; atqui iſta prohibitio non incipiebat in 1. veſpera diei 14. ſed in 2. veſpera; ergo &c. conſeq. tenet, & maj. conſtat à num. 9. min. verò probatur, ut conſtat ex lege Exodi citata num. 8. prohibitio fermentati, ſive dies Azimorum, ſolùm ſe extendebant ad 7. tantùm dies, quorum ult. & quidem eadem, qua 1. ſolennitate colendus, erat dies 21. 1. menſis; atqui ſi dies Azimorum inciperent in 1. veſpera diei 14. non ſolùm eſſent 7. ſed 8. contra Script. etenim dies 21. eſt 8. à 1. veſperis diei 14. ut vel ipſis cœcis notum eſt; ergo &c.

16. Reſpond. Adverſarii, in 1. veſpera Lunæ 14. non fuiſſe prohibitum fermentatum, niſi quantum ad cœnam legalem, in qua comedebatur agnus; non verò in aliis cœnis, & quantum ad alios cibos, ideoque 1. diem Azimorum ſimpliciter non incepiſſe in 1. ſed in 2. veſpera diei 14. licèt poſſit dici incepiſſe 1. diem Azimorum ſecundùm quid in ea 1. veſpera, cùm eſſet ſecundùm quid, ſive quòd ad cœmeſtionem agni dies Azimorum, unde dies Azimorum ſimpliciter ſolùm fuêre 7. licèt poſſint dici 8. ſecundùm quid. Contra tamen 1. veſpera, in qua comedebatur agnus, dicebatur ſimpliciter 1. dies Azimorum, ut conſtat ex Matth. citato num. 11. & ex Marco 14. dicente: 1. die Azimorum, quando paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli quo vis, eamus, & paremus tibi comedere paſcha, & ex Luc. 22. dicente: venit autem dies Azimorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha; atqui ſi ſolùm eſſet dies Azimorum ſecundùm quid, malè diceretur abſolutè dies Azimorum; ergo &c. Contra 2. quia in rebus adeò gravibus non eſt licitum quærere pro cujusque cerebro evaſiones, ſed debemus inquirere verum Script. ſenſum ad inveniendam veritatem; atqui ut ex dictis conſtat, nullus eſt verior Script. ſenſus, quàm à nobis explicatus; ergo &c. Contr. 3. die 14. 1. menſis ad 2. veſperam obligabat uſus Azimorum; ſed in ea præcipiebatur eſus agni, ut clarè conſtat ex lege Levit. citata num. 6. ergo quando comedebatur agnus, non erat ſecundùm quid, ſed ſimpliciter tempus Azimorum.

17. Contra iſtam Adverſariorum reſponſionem inſurgunt aliter Burgenſis, Lyranus & alii, quos citat & ſequitur Maldonatus in cap. 26. Matth. nam Chriſtus, ut ex allatis Evangeliſtarum textibus conſtat, celebravit cœnam ad 2. veſperam diei 14. Judæi verò eam diſtulerunt usque ad veſperam diei 15. ex quadam ſua legitima traditione, ac diſpenſatione; ex qua Feſtum *Paſchæ*, ſive 1. dies Azimorum non incidebat in Feriam 6. ne duobus diebus continuis, nempe die veneris & die Sabbati duos Feſtos dies celebrarent cum magno incommodo populi, cui grave erat, duobus diebus continuis abſtinere à mortuis Sepeliendis, & à quibusdam aliis operibus faciendis. Ex quo bene intelligitur, & quòd Chriſtus celebraverit cœnam tempore Azimorum, & quòd Judæi noluerint introire in prætorium, ne contaminarentur ad comedendum paſcha ad veſperam diei 15. ergo; & quod dicit Joannes, Chriſtum celebrâſſe paſcha ante diem Feſtum Paſchæ translatæ à Judæis. Cæterùm quamvis iſte diſcurſus, ſi verus eſſet, deſerviret etiam ad impugnandos Adverſarios, illo tamen non utor, quia falſum eum reputo. Quarè.

18. Aſſero 3. Cùm Eximio Doct. Vaſq. Tolleto, & communi ſententia, Chriſtus, & populus Judæorum eadem die 14. ad veſperam juxta præſcriptum legis celebravêre Paſcha. Probatur 1. ex vero, & genuino Evangeliſtarum ſenſu colligitur Chriſtum, & populum Judæorum eadem die Paſcha celebrâſſe; ergo neque Chriſtus anticipavit, neque populus Judæorum diſtulit celebrationem Paſchæ. Probatur antec. ex Marco citato num. 16. dicente: 1. die Azimorum quando paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipulo: ubi vis, paremus

mus pascha; ergo illa die Christus celebravit pascha, quando populus Judæorum, sive Judæi communiter illud celebrabant. Confirmatur ex Luca ibidem citato dicente: venit dies Azimorum, in qua necesse erat Occidi Pascha: atqui si Judæi habuissent potestatem ex legitima traditione ad illud transferendum, & in aliam diem Pascha pro omnibus transtulissent, non verificaretur, quòd ea die necesse erat occidi Pascha; ergo &c.

19. Probatur 2. Conclusio evertendo fundamentum Adversariorum: si ob aliquam rationem dies Azimorum eo anno transferenda foret in Sabbatum, ideò esset, ne duos dies Festos, duobus diebus continuis celebrarent; sed hoc inconveniens non aufferebatur ratione hujus translationis; ergo &c. maj. est unicum Adversariorum fundamentum. Min. verò probatur. Si 1. dies Azimorum esset dies Sabbati 2. hebdomadæ, ultima dies Azimorum esset dies Veneris sequentis hebdomadæ, cùm ex DEI lege cit. num. 8. dies Azimorum essent 7. atqui ex eadem lege DEI, dies ult. Azimorum erat æquè festiva, ac 1. ergo in sequente hebdomade dies Veneris, & Sabbati essent festivi, ac proinde ex illa translatione nullatenùs cessaret inconveniens excogitatum ab Adversariis. Confirmatur 1. quia nullum est fundamentum ad astruendam in Judæis potestatem ad transferendum Pascha; ergo &c. Confirmatur 2. quia illa verba legis: nihil operis facietis in eis: communiter intelliguntur de opere merè profano mechanico, aut lucrativo, non verò de opere Misericordiæ, quale est curare infirmos, sepelire mortuos &c. dies enim 1. Azimorum non obligabat, ut abstinerent tantum, quantum in Sabbato, in quo neque cibos præparare poterant; ergo ob titulum sepeliendi mortuos, nullum erat inconveniens, ut duos dies festos continuos celebrarent. Dixi in assertione populum Judæorum Pascha non distulisse; ex industria autem non dixi omnes Judæos, quia Principes fortasse ex falsa religione, & contra conscientiam suam illud distulere. Ex dictis

20. Fit 1. Parvi ponderis esse, motivum, quod habet Card. Bona lib. 1. rerum Liturg. cap. 23. pag. 196. ad inferendum, Apostolos in nocte cœnæ suscepisse Eucharistiam in fermentato, nimirum quia Ernulphus Prophensis Episcopus, qui obiit Anno 1124. Epist. ad Lambertum Tom. 2. *Spicilegii* ait de Apostolis: *Illi panes quotidianos comederunt, nos in forma nummi panes accipimus.* Etenim ut ex dictis satis constat, tempore Azimorum, in quo Dominus consecravit, non erat usus panis fermentati, sed Azimi, ac proinde illi panes Azimi tunc erant quotidiani, licèt non essent in formam nummi confecti, sicut Hostiæ, quæ modo offeruntur in Altari. Nec majoris roboris est fundamentum, quod desumit ad probandam antiquitatem consecrandi in fermentato ex Decretis summorum Pontificum, Melchiadis, Cilicii, & Innoc. ubi dicitur eos Presbyteris misisse fermentum, ut ab ipsorum communione non se judicarent separatos: evidens enim est, fermentum ibi non posse accipi in propria significatione, in qua non est materia Eucharistiæ, imò ex contextu constat, ibi sermonem esse de Sacramento, quod mittebant ad communicandum fideles, ut foverent inter ipsos vinculum charitatis, ideóque fermenti vicem præstabat, cùm istud sit munus fermenti in massa, cui admiscetur: sic idem Innoc. ea Epistola ad Decentium cap. 5. quod per Parochias fieri non puto, quia non longè portanda sunt *Sacramenta*. Eque de causa non dicebant Pontifices esse fermentum, sed quod nominabatur fermentum, ut facta reflexione ipse Card. Bona fatetur. Ex oblationibus autem fidelium nullum argumentum desumi potest; nam vel solum deferebant panes benedicendos, ut probat Abbas Bineus lib. 1. ab observatione 5. vel si aliquando deferebant ad consecrandum, dubitare non possumus, delaturos secundum ritum Ecclesiæ.

Fit 2. Non posse certo designari tempus, quo iste distinctus ritus incepit inter Ecclesiam Latinam, & Græcam; sicuti neque tempus, in quo Maronitæ, & Armenii amplexi sunt ritum Latinum. S. Thomas in 4. sent. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ex Leone Papa refert, & approbat rem ita contigisse, nimirum Ecclesiam Latinam, & Græcam olim absque controversia in Azimis consecrasse, usque dum supervenit hæresis Hæbioneorum, docentium legalia præcepta simul cum Evangelio servanda esse, & hanc ob causam esse obligationem legis consecrare in Azimo. In hujus autem erroris detestationem, universam Ecclesiam Orientalem, & Occidentalem reliquisse Azima, & consecrâsse in fermentato; profligato postmodum illa hæresi Latinam Ecclesiam ad pristinum Azimorum morem rediisse, Græcos receptam ea occasione fermentati consuetudinem retinentibus.

Non acquiescit huic Historiæ Card. Bona & argumento negativo ductus, quòd per mille ferè annos nullum appareat istius eruditionis apud Auctores vestigium. Verùm, & hoc falsum est, & licèt ita foret, & esse solet injuriâ temporis, etenim de cursu temporis deperditi sunt plures libri lecti ab antiquis, quos nos non legimus, quia non exstant, nec dubitare debemus, S. Thomam habuisse libros antiquos fide dignos, in quibus referebatur Historia, quam refert, & approbat; neque illam reprobare debemus, nisi ex magno fundamento positivo, quale non exstat. Imò notare debuisse Card. Bona, ibi S. Thomam citare Innoc. III. videndum lib. 4. cap. 4. de Mysteriis Missæ in fine, ubi citat Leonem IX. in quadam ejus Epist. super hoc ad Imperatorem Constantinopolitanum directa. Epiphanius autem Auctor Græcus hæresi 30. de Hevionitis ait, Mysteria

ſteria autem faciunt ad imitationem Sanctorum in Eccleſia ab Anno in Annum per Azima, hoc eſt, non fermentatos panes, & alteram Myſterii partem, per aquam ſolam, licèt enim eſſet hæreſis alteram Myſterii partem facere per aquam ſolam, non poteſt vocari hæreſis conſecrare in Azimo; ergo quod faciebant ad imitationem Sanctiſſimi, erat conſecrare in Azimo; ac proinde *Sanctiſſimi*, id eſt, Catholici, tum Græci, tum Latini eo tempore utebantur Azimis. Erat tamen hæreſis dicere, adeſſe obligationem ſervandi legalia, eáque de cauſa panem fermentatum non eſſe materiam Evchariſtiæ ſufficientem; exinde apparet non eſſe auctoritate deſtitutam Hiſtoriam à D. Thoma relatam.

23. Fit 3. Panem, ſive Azimum, ſive fermentatum eſſe materiam certò ſufficientem, & utrumque ritum, nimirum, & Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ, eſſe rationabilem. Imò in ſuis Eccleſiis tenentur Græci, conſecrare in fermentato, & Latini Sacerdotes in Azimo, ut colligitur ex Leone IX. Epiſt. 1. contra errores Michaëlis Conſtantinopolitani, & expreſſè definivit Flor. ſeſſ. ult. per hæc verba: *definimus, in Azimo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdotésque in altero ipſum corpus Domini conficere debere, unumquodque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem.*

24. Uterque quippe ritus iſte ſuam præfefert cauſam rationabilem, ex ritu enim Eccleſiæ Latinæ impugnatur error Michaëlis Conſtantinopolitani, qui dicebat Azimum panem non eſſe ſufficientem materiam. Exinde infert Vaſq. diſp. 175. cap. 3. quem plures ſequuntur, *Sacerdotes* peregrinos teneri ſequi ritum ſuæ Eccleſiæ. Quando verò Sacerdos Græcus figeret domicilium apud Latinos, teneri ſe conformare ritui Latino, & quando *Sacerdos* Latinus figeret domicilium apud Græcos, teneri ſe conformare ritui Græco. Ex ritu enim Eccleſiæ Græcæ impugnatur error communiter attributus Armenis, qui dicebant, panem fermentatum non eſſe ſufficientem materiam, licèt enim Chriſtus in Azimo conſecraverit, inſtituit pro materia hujus Sacramenti panem verum triticum, ac proinde tam Azimum, quàm fermentatum; ſicut quamvis conſecraverit in vino albo, vel rubro, non inſtituit pro materia ſolum album, aut ſolum rubrum, ſed vinum verum de vite, tam album quàm rubrum. Ex his, neque ut detur viaticum moribundo, poterit Sacerdos Latinus deficiente Azimo in fermentato conſecrare. Ratio eſt, quia licèt illud præceptum ſit Divinum, eſt tamen affirmativum, ac proinde non obligat pro ſemper, ſed pro debitis circumſtantiis: ſic non obligat, quando non dantur Sacræ veſtes ad celebrandum, etſi iſtæ ex præcepto Eccleſiaſtico requirantur.

***

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

Objicies 1. Contra 2. aſſert. Chriſtus celebravit cœnam ex Joannis 13. ante diem Feſtum Paſchæ; ergo celebravit illam die 13. ac proinde conſecravit in fermentato. Confirmatur 1. ex eodem Joanne cap. 18. dicente, quòd in die Paſſionis Domini Judæi non introjerant in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha; ergo eo die debebant ad veſperam Judæi celebrare Paſcha, & comedere agnum, ac proinde Chriſtus celebravit Paſcha pridie, quàm à Judæis celebraretur. Confirmatur 2. ex eodem Joanne cap. 19. Chriſtus dicitur mortuus in Paraſceve Paſchæ; ſed ibi Paraſceve Paſchæ eſt pridiè ad celebrationem Paſchæ, quia eo die præparabantur neceſſaria ad Paſcha; ergo &c. Reſp. N. conſequentiam, quia Joannes loquitur de die artificiali contrapoſita nocti, quando jam erat feſtum, & prohibitio ab opere mechanico, Chriſtus autem conſecravit in die Azimorum in nocte 1. veſperæ, ut conſtat ex eodem Joanne eodem cap. de Juda dicente: cùm ergo accepiſſet ille Buccellam, exivit continuò, erat autem nox. Quapropter non dixit ſimpliciter ante Feſtum, ſed ante diem Feſtum, ſive ante ſolis ortum, ut bene notavit S. Thomas in 4. diſt. 11. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. ad primum, quæ etiam eſt expoſitio Catechiſmi Tridentini tit. de Evchariſtia. 25.

Ad primam Confirmationem con. antec. & N. conſequentiam, quia per ly *Paſcha* intelliguntur omnes Cibi, qui in memoriam tranſitus offerebantur, & comedebantur in diebus Paſchalibus, ſive eſſent panes Azimi, ſive oves, aut boves, &c. ut conſtat ex num. 5. ideóque Paſcha, ſive Phaſe vocabantur, ut dicitur Deuter. 16. immolabisque Phaſe Domino DEO tuo de ovibus, & de bobus: cùm autem iſta non poſſent comedi ab immundis, nolebant Judæi ingredi prætorium, ne contaminarentur. Ad 2. Confirmationem con. maj. & N. min. quia ibi per Paraſceve intelligitur dies Veneris Paſchalis, in qua mortuus fuit Chriſtus; apud Judæos enim quæcúnque dies Veneris vocabatur Paraſceve: quia in ea præparabantur neceſſaria ad diem Sabbati ſequentem, in qua non licebat eis quidquàm operari, neque adhuc præparare cibos: ſic Marcus cap. 15. de hac ipſa die loquens ait: erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbatum; & Joannes cap. 19. Judæi ergo (quoniam Paraſceve erat) ut non remanerent in Cruce Corpora Sabbato (erat enim magnus ille dies Sabbati) ex quibus patet Paraſceve non quidem fuiſſe ad Paſcham agni, ſed ad Sabbatum; illud autem cùm eſſet Sabbatum Paſchale Azimorum, ex utróque titulo non modo Sabbatum, ſed Sabba- 26.

tum magnum appellabatur, ut D. Thomas supra cit. ad 5. ait: quacúnque die de septem diebus Azimorum Sabbatum venire, dicebatur magnus dies Sabbati propter geminatam solennitatem, scilicet Sabbati, & Paschæ.

27. Objicies 2. Figuratum debet correspondere Figuræ: atqui agnus paschalis erat Figura Christi in cruce immolandi: ergo sicut agnus paschalis immolatus fuit die 14. etiam immolatus fuit Christus in cruce die 14. ac proinde cùm celebrâssent cœnam pridiè, quàm pateretur, celebravit illam die 13. Resp. dist. maj. debet correspondere in omnibus, N. in eo, in quo est figuratũ, con. maj. & con. min. N. consequentiã, quia Christus eatenùs erat Figur. in agno Paschali, quatenùs agnus typicus occidebatur, & Christus etiam occidendus erat, non erat autem figuratus, ut occideretur eodem die, quo occidebatur agnus, ut ex supra citatis Script. manifestè constat. Imò & Adversarii velint, nolint, tenentur id verum esse fateri, cùm Christus non fuerit occisus eadem hora, qua occidebatur agnus.

28. Objicies 3. Christus celebravit pascha tempore præscripto à lege, sed juxta præscriptum legis debebat celebrari ante 1. diem Azimorum; ergo quando dicit Matth. cap. 26. 1. *die Azimorum*, debet intelligendi pridiè Azimorum. Confirmatur 1. quando Christus cœnavit cum discipulis, ut constat ex eodem Matth. discumbebat cum 12. atqui agnus paschalis juxta legem debebat comedi à stantibus, non autem à discumbentibus; ergo Christus ea nocte non celebravit pascha agni. Confirmatur 2. juxta legem agnus debebat in domum adduci decimo die mensis; sed ante diem 14. non attulerat Dominus agnum, cùm in ipsa die 14. adhuc non haberet locum paratum; ergo &c. Resp. con. maj. dist. min. ante 1. diem Azimorum legalem, nego; naturalem sive artificialem con. min. & nego consequentiam, ut constat ex dictis à num. 4. quod rursus manifestè patet ex eo, quòd si tempus celebrandi Pascha jam pertransiisset, interrogatiõ discipulorum, & responsio Christi fuissent prorsus ineptæ.

29. Ad 1. Conf. dist. maj. discumbebat in cœna agni, nego; in cœna ordinaria facta post cœnam agni, de qua loquitur Evangelista, con. maj. & con. min. nego consequentiam, quia Christus & Apostoli postquam comederunt agnum paschalem stantes, discubuerunt posteà ad cœnam ordinariam. Imò ut interpretantur aliqui, discumbere, significat etiam accedere ad mensam, sive stando, sive sedendo, & in hac significatione dici potest, Christum & ad cœnam agni, & ad cœnam ordinariam discubuisse. Ad 2. Conf. dist. maj. debebat abduci in domum ab omnibus, N. ab illis, qui habebant domum, con. maj. & con. min. nego consequentiam; lex non ita dicebat: *De cima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.* Christus autem domum non habebat, omnia enim reliquerat, ut ipse fatetur Lucæ 9. dixit illi Jesus. *foveas Vulpes habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Hierosolymitani pro istis, & pro hospitibus ex universa Judæa advenientibus ad celebrandum pascha, parabant cubicula, agnos & omnia necessaria, eáque illis præbebant, vel gratis, vel accepto pretio.

Objicies 4. Contra 3. assert. ea vespera Judæi celebrabant pascha, quæ pertinebat ad diem 1. sed ad diem 14. tantùm pertinebat 1. vespera, non autem 2. quæ jam erat diei 15. ergo Christus celebravit pascha in 1. vespera diei 14. & non in 2. Resp. con. maj. & nego min. 2. enim vespera diei 14. pertinebat ad diem 14. licèt sit etiam 1. vespera diei 15. sicut modo in Ecclesia, quo ad officium 2. vespera hujus diei pertinet ad hunc diem, & ad eam tenetur Sacerdos, ut hodiernum pensum persolvat, licèt sit 1. vespera diei sequentis. Imò pascha agni non obligabat, ut abstinerent ab opere servili: sicut obligabat 1. dies Azimorum: ac proinde 2. vespera diei 15. in qua incipiebat ejus solemnitas, ex lege Levitici citata num. 4.

Objicies 5. eò tempore immolabant Judæi agnum, quo in Egressu de Ægypto 1. illum immolaverunt; sed in egressu de Ægypto immolaverunt illum in 1. vespera diei 14. ergo Probatur min. non potuerunt Judæi immolare agnum in illa nocte, quia egressi sunt de Ægypto, sed ad Summum in nocte præcedente: atqui egressi sunt de Ægypto 2. nocte diei 14. quæ erat 1. nox diei 15. ut colligitur ex 12. Exodi & ex 33. numeror. ubi dicitur de Judæis: profecti sunt de Rameste mense 1. 15. die mensis 1. ergo. &c. Probatur maj. nocte illa, qua in Ægypto 1. immolarunt agnum, usq; ad ortum diei nullus poterat exire domo juxta illud Moysis Exodi 12. nullus vestrum egrediatur ostium Domus suæ usquè mane; ergo &c.

Confirmatur 1. post esum agni Judæi petierunt ab Ægyptiis plura vasa aurea & argentea, multamque supellectilem; Sed hæc omnia non potuerunt fieri eadem nocte; ergo &c. Confirmatur 2. Exodi 12. dicuntur exisse de Ægypto ferè 600000. peditum virorum absque parvulis & fœminis; atqui ad congregandam hanc multitudinem per diversas Ægypti Urbes dispersam necessarius fuit saltem dies; ergo &c. Confirmatur 3. die 15. quæ erat altera dies Phase seu agni paschalis, est, quâ Hebræi ex Ægypto exiisse dicuntur Numeror. 33. ergo non in eadem nocte.

Resp. nego min. ad prob. dist. antec. nullus poterat exire antè Ægyptiorum interitum, vel post illum antè ortum solis, sine gravi cunctu con. post interitum Ægyptiorum urgente gravi causa, nego antec. & consequentiam. Moyses enim ipse & Aaron eadem ipsa nocte post Ægyptiorum interitum vocati à Pharaone, adierunt ad ipsum, ut constat ex ipso textu de ea nocte ita dicente: vocatisque Pharaon, Moyse & Aaron nocte ait, surgite & egredimini. Quare ex eodem Pharaonis imperio, urgentibus enim

etiam Ægyptiis, & potuerunt exire Hebræi, & Moyſes imperare, quod exirent, uti fecêre. Ad 1. Conf. con. maj. & nego min. Judæi enim jam jam egreſſuri vaſa illa argentea & aurea poſtularunt & Ægypti pro nimio deſiderio, quo optabant, ut diſcederent, ſtatim conceſſerunt. Unde propter nimiam Feſtinationem, qua cogebantur egredi, non potuerunt fermentare, quòd clare demonſtrat, eadem nocte fuiſſe egreſſos, & conſtat ex 12. Exodi.

34. Ad 2. Conſ. con. maj. & nego min. quia ante Ægyptiorum interitum præmonuerat Moyſes Hebræos, ut eſſent parati ad egreſſum & per Sodalitia diſtributos in uno loco ſive in una regione continebat, ſicque ea nocte ante Solis ortum potuerunt diſcedere. Sic narrat Joſephus lib. 2. Antiquitatum cap. 5. per hæc verba: Moyſes per Hebræos priùs inſtructos ad profectionem, & per Sodalitia diſtributos, in uno loco continebat. Unde ea ipſa nocte inceptus eſt Hebræorum egreſſus, ut ex citato Exodi loco conſtat, & diſcedentibus aggregabantur in via illi, qui ex præcepto Moyſis in Sodalitiis ſuis detenti exſpectabant; alii verò ibant ad civitatem à Moyſe deſignatam, ex qua omnes ordinatè debebant diſcedere. Quare diſtinguenda eſt duplex egreſſio, altera, quando de terra Geſſe & ſingulis civitatibus atque oppidis ejus cooacti ſunt exire, & hæc facta fuit ea nocte ante ſolis ortum diei 15. altera, quando jam in urbe aliqua congregati, omnes ſimul ordinatè progreſſi ſunt, & hæc contigit veſpere ad Solis occaſum in fine diei 15. Ægyptiis ſemper urgentibus, & ad hanc plenam congregationem neceſſarius fuit dies.

35. Sic bene conſonant & citatum Caput Exodi, in quo dicitur egreſſos fuiſſe nocte, & caput 33. Num: in quo indicatur exiiſſe die 15. ante noctem, quando Ægyptii eos diſcedentes videbant, utrumque autem habetur diſtinctè cap. 16. Deuteron. dicitur enim verſiculo 1. obſerva menſem novarum frugum, & verni 1. temporis, ut facias Phaſe Domino Deo tuo: quoniam in iſto menſe eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte; & verſic. 6. immolabis Phaſe veſpere ad Solis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto. Hinc ad 3. Conf. diſt. conſequens, non in eadem nocte, ſi ſermo ſit de 1. egreſſu, nego; de 2. con. conſequentiam, ut conſtat ex dictis.

36. Objicies 6. Contra 4. aſſertio: ſi Chriſtus & Judæi celebrarunt Paſcha ad veſperam 14. cùm Chriſtus fuerit occiſus die ſequenti, fuit occiſus die Azimorum, ſive in die Feſto Paſchæ: Sed hoc non eſt credibile; ergo &c. Probatur min. ut ex Matth. 26. & Marci 14. conſtat, Judæi agentes de morte Chriſto inferenda dicebant: non in die Feſto, ne forte tumultus fieret in populo; ergo &c. Confirmatur 1. Judæis non licebat in die Feſto litigare, accuſare & jus dicere; ergo in die Feſto non rapuerunt Chriſtum ad mortem, ſed ante diem Feſtum à Judæis translatum. Confirmatur 2. diebus Feſtis non licebat mortuos curare & ſepelire; ergo non potuiſſet Joſeph in die Feſto Paſchatis Chriſtum de cruce deponere, curare & ſepelire. Probatur antec. mulieres non auſæ ſunt portare aromata & corpus Chriſti ungere die Sabbathi; ergo &c. Confirmatur 3. dies ille Sabbati erat magnus, ut conſtat ex Joanne cit. num. 26. atqui deſignatus non fuiſſet illo nomine, ſi Judæi non transtuliſſent Paſcha in illud Sabbathum; ergo &c.

Reſp. con. maj. & N. min. ad prob. con. antec. & nego conſequentiam: quia licèt priùs timuerit populi tumultum, poſtmodum quando Judas ſpopondit, ſe noctu & ſine tumultu traditurum Chriſtum, timore ſepoſito conſilium mutarunt, & ex ea occaſione Chriſtum nocte prenderunt. Die autem ſequenti decipientes populum, & excitato contra Dominum tumultu, extorſerunt à Pilato, ut Chriſtum crucifigerer. Ad 1. Conf. nego anteced. nam ut ait Abulenſis, nullibi exprimitur in Scripr. quòd prohibitæ fuerint actiones forenſes in 1. die Azimorum. Verùm permiſſo antecedente Reſp. 2. nego conſequentiam, quia ex odio in Chriſtum Dominum, facilè Judæi contra conſcientiam ſuam intepretabantur & transgrediebantur legem. Sic in die Sabbathi fecerunt quædam, quæ ipſis non licebant, nimirum acceptâ cuſtodia à Pilato acceſſerunt ad ſepulchrum, & poſitis cuſtodibus lapidem Sigillo munierunt. 37.

Ad 2. Confirmationem nego anteced. ad prob. con. antec. & nego conſequentiam: Judæis enim prohibitum non erat diebus Feſtis mortuos ſepelire, & alia opera miſericordiæ exercere, ut ex pluribus locis Evangelii colligitur, præcipuè Matth. 12. quando Chriſtus in Sabbato curavit hominem habentem manum aridam; imò & ex teſtamento veteri Tobiæ 2. ubi narratur, quòd cùm eſſet dies Feſtus Domini, & factum eſſet prandium bonum in domo Tobiæ, eique nunciatum eſſet, quendam Judæum jugulatum jacere in platea, Tobias relinquens prandium egreſſus eſt, & cadaver defuncti detulit in domum ſuam, ut illud nocte ſepeliret. At in die Sabbati non licebant Judæis plura, quæ in aliis Feſtis licebant: ſic non poterant præparare cibos; quos parare poterant aliis Feſtis diebus, ideóque nec mulieres auſæ ſunt ea die Sabbati ungere corpus Chriſti; neque reputari poteſt adeò neceſſarium, ungere corpus ſepultum, quod in ſequentem diem facilè differri poteſt, quàm inſepultum ſepelire, quòd adeò facilè ſit, in ſepultum detineri. Ad 3. confirmationem con. maj. & nego min. quæ falſa eſt, ut ſatis conſtat ex n. 26. 38.

***

DISPUTATIO II.

DE ESSENTIA SACRAMENTI EVCHARISTIÆ.

39. SAnctum Evchariſtiæ Sacramentum ab aliis differre ratione Chriſti, quem continet, & quia non eſt Sacramentum, ſicuti reliqua, conſiſtens in uſu, apertè definit Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. per hæc verba: verùm illud in ea excedens, & ſingulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primum Sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur; in Evchariſtia ipſe Sanctitatis Auctor ante uſum eſt, nondum enim Evchariſtia de manu Dn. Apoſtoli ſuſceperant, cùm vere tamen ipſe affirmaret, Corpus ſuum eſſe, quod præbebat; & ſemper hæc fides in Eccleſia DEI fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri Corpus, verúmque ejus Sanguinem ſub panis, & vini ſpecie unà cum ipſius anima, & divinitate exiſtere; ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & Sanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum; ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & Sanguinem ſub ſpecie panis, animámque ſub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis Reſurrexit, non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur: Divinitatem porrò propter admirabilem ejus cum corpore, & anima Hypoſtaticam unionem. Et rurſus cap. 4. definit. Per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam Sanguinis ejus, quæ converſio convenienter, & proprie à S. Catholica Eccleſia tranſubſtantiatio eſt appellata.

SECTIO I.

De eſſentia Metaphyſica & Phyſica Evchariſtiæ.

40. ASſero 1. Evchariſtiam Theologicè ſumptam pro ſignificatione practica effectus interioris ita Metaphyſicè definitur, Sacramentum corporis & Sanguinis Chriſti per ſe gratiæ augmentativum ad fovendam vi hujus convivii præcipuam charitatem. *P*robatur ſimul & explicatur concluſio. *S*acramentum iſtud inſtitutum eſt, ut fideles, non quidem figuratè, ſed verè & realiter ſuſcipiant corpus & Sanguinem Chriſti, ac proinde ex vi connexionis & concomitantiæ totum Chriſtum continet verum Deum & hominem, ut conſtat ex Trid. num. ſuper. cita. Rurſus Chriſtus D. qui per modum convivii confertur animæ in hoc Sacramento, propter ſuam excellentiam non poteſt æquè ſuppleri per aliam materiam: nulla enim alia materia poteſt eſſe moraliter eadem cum Chriſto; neque dignitas, ad quam per adeò intimum cum Chriſto conſortium elevatur anima, ſupplebilis eſt per aliam materiam quamcumque, aut exterius appoſitam, eáque de cauſa Trid. ſeſſ. 7. can. 3. ad hoc Sacramentum reſpiciens ait: ſi quis dixerit, hæc 7. Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nullatione illud ſit alio dignius, anathema ſit. Et Alexander Papa *E*piſt. 1. quæ habetur cap. *nihil* de conſecr. diſt. 2. nihil eſt majus corpore & Sanguine Domini; ergo ad veram explicationem interioris effectus hujus Sacramenti, exprimi debet eſſe Saramenti corporis & ſanguinis Chriſti per modum convivii.

Conſtat deinde ex ſæpè repetitis, Evchariſtiam eſſe Sacramentum vivorum, ac proinde & eſſe per ſe gratiæ augmentativum. Rurſus virtus Evchariſtiæ eſt quaſi ad omnia Sacramenta tranſcendentalis: per alia enim Sacramenta conferuntur auxilia ad uniuscujusque finem peculiarem; per Evchariſtiam verò conferuntur auxilia ad omnes operationes proprias vitæ ſpiritualis, ut vi hujus convivii anima conſequatur unionem, ſive charitatis vinculum cum Chriſto, quæ charitas eſt omnium virtutum finis, inter omnes nobilior ex illo Pauli 1. Corinth. 13. nunc autem manent, fides, ſpes, charitas tria hæc; major autem *horum eſt charitas*. Quare Concil. Florent. in decreto Eugenii explicans interiorem hujus Sacramenti effectum ait: convenit ad ſignificandum hujus Sacramenti effectum, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum: & infra, omnémque effectum, quem materialis cibus & potus quo ad vitam agunt corporalem, hoc idem quo ad vitam Spiritualem & hoc Sacramentum operatur. Quod Eccleſia repetit in illo Hymno, ô Sacrum convivium &c. unde cum fervore Charitum remittantur venialia, & precaveantur mortalia; iſti effectus ſunt etiam proprii hujus Sacramenti, ut habet Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. ergo optima illa verba ad fovendam vi hujus convivii præcipuè charitatem, neceſſario apponenda ſunt ad explicandum interiorem effectum hujus Sacramenti; ac proinde data definitio, cum genus & differentia apparent ſatis ex dictis, nec diminuta eſt, nec redundans, ſed omnino apta ad explicandum hoc *S*acramentum Theologicè ſumptum. Quod autem hoc convivium ſit, ſub his aut aliis ſpeciebus, merè materialiter habeat, dummodò Chriſtus verè ſub illis ſumatur.

Ex ſuprema hujus Auguſtiſſimi Sacramenti dignitate, ejúsque effectu nobiliſſimo, facilè apparet eſſe finem, in quem non modo affectus vir-

virtutum, verùm & omnia reliqua *Sacramenta* colimant. Singula enim Sacramenta ex Chriſti inſtitutione ad Evchariſtiam referuntur, & ad illam diſponunt. Per Baptiſmum quippe & Pœnitentiam evadimus receptacula munda, & idonea ad cæleſtem illum cibum recipiendum; per Confirmationem ad illius myſterii finem, fideique profeſſionem & defenſionem armamur. Per Ordinem digni conſtituimur Evchariſtiæ Miniſtri; per Matrimonium concupiſcentia fœnatur, cujus repreſſio non exigua eſt diſpoſitio ad immaculatum agnum immaculato corde manducandum. Per extremam unctionem poſt viaticum conferri ſolitam, unionem cum Chriſto ſuſcepto in ultimo agonis conflictu in divulsè ſervamus, & illud Apoſtoli, Deo dante experimur: mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.

43. Cæterùm inter reliqua *Sacramenta*, Baptiſmus præſertim dicitur ad Evchariſtiam, quoad interiorem effectum, ex Chriſti inſtitutione ordinatus, etenim per Baptiſmum homo Chriſto incorporatur, ſive Chriſtum induit, ut definit Trid. cit. num. 42. de Bapt. ex vi quippe Baptiſmi manet baptizatus intra Eccleſiam Chriſti, Eccleſiæ jurisdictioni ſubjectus, ſicque Chriſti membrum intimè ipſi unitum, manetque obligatus ad implendam legem DEI, ac proinde ad communicandum, quando præceptum obliget; hæc autem munia nulli alteri conveniunt Sacramento, cùm nulli alii miniſtrari poſſint, niſi ſubjecto baptizato ſive per Baptiſmum Chriſto incorporato, ut conſtat ex num. 88. de Confirm. cùm autem iſta incorporatio ex mente Pontificum, & PP. ut infra conſtabit, æquivaleat ſumptioni Chriſti, ea de cauſa ſuſceptio Baptiſmi dicitur virtualis ſuſceptio Evchariſtiæ, ſive ſuſceptio in voto. Unde cùm ſuſceptio Baptiſmi in re, vel in voto ſit neceſſaria neceſſitate medii, & Myſtica ſuſceptio Evchariſtiæ in re, vel in voto incluſo in Baptiſmo erit neceſſaria neceſſitate medii.

44. Juxta hunc ſenſum paſſim loquuntur SS. PP. & repetit Auguſt. præſertim Epiſt. ad Bonifacium, ut ipſi attribuitur cap. *nulli* de Conſecr. diſt. 5. ubi dicit: *nulli eſt ambigendum, tum unumquemque fidelium Corporis & Sanguinis Chriſti participem fieri, quando in Baptiſmo membrum Corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque conſortio, etiamſi, antequàm panem illum comedat, & Calicem bibat, de hoc Saculo, in unitate Corporis Chriſti conſtitutus decedat.* Quo in ſenſu intelliguntur ea verba Chriſti Domini Joann. 6. *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, id eſt, niſi manducaveritis, & biberitis realiter, & vere in Evchariſtia, vel miſtiè in Baptiſmo. Poſita autem hac miſtica ſumptione in Baptiſmo, manet obligatio ex præcepto ſumendi ſaltem ſingulis annis hoc Sacramentum, ut definit Trid. ſeſſ. 13. can. 9. *ſi quis negaverit, omnes, & ſingulos Chriſti fideles utriusque ſexus cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate ad communicandum juxta præceptum S. Matris Eccleſiæ, Anathema ſit.* Hæc placuit modò præmittere, nam ex illis facilè infra decidemus quæſtionem ab antiquis, & modernis acriter exagitatam circa obligationem ſumendi Evchariſtiam.

Aſſero 2. Panis triticeus, ſive Azimus, ſivè fermentatus; & vinum de vite ſunt materia remota hujus Sacramenti. Probatur ex Flor. ſupra cit. num. 23. tum etiam ex num. 29. de Confirm. quibus in locis utramque concluſionis partem expreſsè definit Concil. ergo &c. Confirmatur, ex eo, quòd Flor. aſſignet vinum de vite pro materia remota hujus Sacramenti, non ſolùm intelligitur apud omnes Catholicos, tale vinum, vel quod ſit ejusdem ſpeciei moralis cum ipſo, eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti ad conficiendam Evchariſtiam, ſed etiam neceſſitate *Sacramenti*: ergo ex eo, quòd aſſignet panem triticeum, non ſolùm intelligendum eſt neceſſarium eſſe ad conficiendam Evchariſtiam neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate Sacramenti; ex quo præoccupata manet Cajetani, & paucorum aliorum circa panem dubitatio. Quid autem dicendum, quando dubium eſt, an aliquis panis ſit verè triticeus, vel ejusdem moralis ſpeciei cum illo (idem eſto de vino) conſtat ex dictis num. 314. de Sacram. 45.

Aſſero 3. Forma conſecrationis panis eſſentialis, & neceſſaria eſt iſta, vel quæ juxta Chriſti inſtitutionem perfectè æquivaleat iſti. *Hoc eſt Corpus meum.* Probatur forma eſſentialis, & neceſſaria conſecrationis panis ſunt illa verba, quibus Corpus Chriſti ſignificatur, & ponitur ſub panis ſpeciebus; atqui ex vi horum verborum, hoc eſt Corpus meum, Corpus Chriſti ſignificatur, & ponitur ſub panis ſpeciebus; ergo &c. Probatur min. ex vi horum verborum, quando Chriſtus ea protulit, ſignificabatur, & ponebatur Corpus Chriſti ſub panis ſpeciebus; atqui modo in Eccleſia ſignificatur, & ponitur, quando proferuntur à Miniſtro ea verba, quæ Chriſtus protulit, ut definit Flor. in decreto Eugenii dicens: forma hujus Sacramenti ſunt, verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum; Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum. Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur; ergo &c. 46.

Reſpondebis 1. Cùm Scoto, ad valorem Sacramenti neceſſario præmittenda ante iſta verba, hoc eſt Corpus meum, illa alia immediatè antecedentia, quæ ſunt in canone, nimirum qui pridie quàm paterentur &c. quamvis neque à Chriſto prolata ſint, neque à Sacerdote ut perſonam Chriſti gerente proferantur: etenim licèt eſſentialia verba formæ ſolùm ſint iſta; *hoc eſt Corpus meum*, illa alia, *qui pridie &c.* ex eo neceſſariò præmitti debent ad valorem conſecra- 47.

secrationis, quia Sacerdos proferendo hæc verba, *hoc est Corpus meum*, loquitur in persona Christi, & sic significat illud esse Corpus Christi, si autem omitteret illa verba, *qui pridiè &c.* & diceret, *hoc est Corpus meum*, potius significaret id, quod designat esse corpus Sacerdotis, quàm Christi; verba autem cùm causent id, quod significant, si proferrentur verba formæ, omissis illis prævijs, non consecraretur corpus Christi.

48. Contra tamen 1. illa verba non significant essentialiter corpus Christi sub speciebus panis, ratione significati, & connexionis provenientis ab impositione hominum, sed à Christi institutione, ut per se notum est, & ex ipsa Sacramenti definitione constat; atqui posita intentione Ministri faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, ea verba, hoc est corpus meum, non significant ex Christi institutione corpus Sacerdotis, sed Christi; ergo ut habeant significationem corporis Christi, nullatenùs requiruntur ea verba prævia, *qui pridiè quàm pateretur &c.* Contra 2. ab initio Ecclesiæ validè consecratum fuit corpus Christi, sed ab initio Ecclesiæ non apponebatur illa forma; etenim Alexander I. ea in canone addidit, ut constat ex lectione, quàm de ipso habet Ecclesia in Breviario die 3. Maij, ubi hæc habentur: & in canone Missæ addidit, qui pridie quam pateretur; ergo &c.

49. Contra 3. Sacerdos in confectione corporis Christi non gerit personam Christi ex eo, quòd dicat ipse, vel non dicat, sed quia à Christo institutus est ejus Minister, & substitutus in confectione Sacramentorum, ut constat ex dictis à num. 195. de Sacram. ergo ut intelligamus significari corpus Christi per illa verba, quæ profert, non debemus attendere, an ipse Sacerdos ut persona privata id attestetur, vel non, sed solùm, an Christus instituerit illa verba proferenda à Sacerdote, ut vi illorum sub speciebus panis significetur, & causetur corpus Christi: sic quando Plenipotentiarius constitutus à rege firmat concordatum dicens, nolo, vel volo, etiam dicit nolo aut volo nomine Regis; hoc enim significatur ex vi institutionis factæ à Rege. Pariter qui nomine alterius constituitur ad ferendum Suffragium, approbata commissione dat Suffragium, quin necesse sit in Suffragio apponere, collatum esse nomine alterius. Tum etiam quando Sacerdos absolvit, vel conficit alia *Sacramenta*, non est necesse proferre, quòd illa conficit nomine Christi, ut sint valida, cùm à tali prolatione non haberent valorem, sed à Christi institutione; ergo pariter in nostro casu.

50. Contra 4. Evertendo Scoti fundamentum. Si necessaria essent ea verba prævia, *qui pridiè &c.* ad valorem consecrationis, ut Sacerdos determinaret corpus Christi, Sacerdos ille non consecraret; ergo fundamentum *Scoti* pugnat contra ipsum. Probatur antec. per illa verba, *qui pridiè &c.* solùm significatur id, quod Christus designavit fuisse Christi corpus; nos autem designatur esse Christi corpus id, quod Sacerdos designat, & habet in manibus; ergo ex significatione proveniente à determinatione illorum verborum præviorum Sacerdos non consecraret; ergo ut consecretur panis, quem *Sacerdos* habet in manibus, debent Sacerdotis verba per institutionem Christi determinari: atqui institutio Christi circa illa verba essentialia formæ habetur, licèt omittantur altera verba prævia; ergo &c. Contra 5. quia si illa verba prævia essent necessaria, non sufficerent ad consecrandum verba, quæ Christus protulit, simul cum ipsius institutione; sed hoc non bene consonat cum Flor. cit. num. 46. ergo &c.

Respond. 2. ex Marco Ephesio lib. de verbis consecrationis Cabasilla in explicatione liturgi quæ habetur Tom. 4. alias 6. Biblioth. PP. aliisque Thomistis, ultra ista verba: hoc est corpus meum, addendam ad valorem Sacramenti aliquam orationem precatoriam, qua Sacerdos perat à Deo, ut panis & vinum convertantur in corpus & sanguinem Christi, ut infertur ex liturgiis Clementis, quæ habentur lib. 8. Constitutionum cap. 12. aliàs 17. ex liturgiis SS. Jacobi, Basilii & Chrysost. quæ habentur Tom. 4. alias 6. Bibliothecæ PP. in quibus postquàm Sacerdos protulit verba consecrationis, dicit orationem, qua videtur postulare ut panis muterur in corpus, & vinum in Sanguinem Christi, quod non postularet, si jam facta esset mutatio. Qua de causa & plures PP. dicunt, Evchariſtiam confici precibus Sacerdotis, tum & in liturgia Basilii post hæc verba, *hoc est corpus meum*, panis & vinum vocantur antytipa, hoc est, imagines & Figuræ corporis & Sanguinis Christi, ex quo infertur non dari consecrationem, usque dum oratio ea precatoria superaddatur.

Contra 1. per illam orationem precatoriam, quæ habetur in præcitatis liturgiis & PP. non petitur, ut panis & vinum fiant corpus & Sanguis Christi, sed quòd fiant nobis, sive nobis proficiant quod ad effectus nutriendi, sanandi nos, & dandi nobis remissionem peccatorum: ergo Adversariorum fundamentum est omnino nullum. Probatur antec. ex ipsis verbis liturgiæ S. Jacobi, quæ sic habent: ipsum Spiritum tuum Sanctissimum demitte nunc quoque in nos, ut superveniens sanctificet, & efficiat panem corpus Sanctum Christi tui, & calicem pretiosum Sanguinem Christi tui, ut sit nobis sumentibus in remissionem peccatorum, & in vitam æternam; ergo &c. Contra 2. in liturgia Æthiopum, quæ habetur Tom. 4. alias 6. Biblioth. PP. prolatis illis verbis: hoc est corpus meum, populus statim respondet, Amen Amen, credimus & confidimus, & adoramus te Deus noster, hoc vere corpus tuum est; ergo credunt statim ante ullam orationem precatoriam superadditam, panem converti in corpus Christi, ac proinde ea oratio solùm additur, quid

quia ipſi Chriſti corpus ſive ipſis proficiat in ordine ad prædictos effectus.

53. Contra 3. ſeſſ. ult. con. Florent. Græci interrogati ab Eugenio IV. de oratione, qua poſt verba conſecrationis: hoc eſt corpus meum, videntur petere, ut panis mutetur in corpus Chriſti. Reſpondebunt, ſe firmiter credere verbis illis Dominicis, Sacramentum fieri; ſed quemadmodum Latini confecto Sacramento, utuntur illa oratione, *ſupplices te rogamus &c.* In qua petunt, ut quotquot ex hac altaris participatione ſumpſerint, omni benedictione cœleſti & gratia repleantur; ita quoque Græcos per proportionalem orationem petere, ut Sacratiſſimum Chriſti corpus & Sanguis peccatorum noſtrorum remiſſioni ac noſtris animabus ſaluti fiat; ergo &c. Contra 4. ex perpetua Eccleſiæ traditione immediatè poſt prolata verba conſecrationis Sacerdos panem & vinum conſecratum proponit populo adorandum non ſolum in Eccleſia Latina, ſed etiam in Græca, ut referunt Card. Beſſarion in lib. de verbis conſecrationis, & Arcud. in concordia lib. 4. cap. 13. ergo ante orationem precatoriam eſt jam conſecratum. Contra 5. quia ſi requireretur ea oratio precatoria, non conficeretur Evchariſtia verbis, quibus Chriſtus eam confecit contra Florent. cit. num. 46. ergo &c.

54. Aſſero 4. forma conſecrationis vini eſſentialis & neceſſaria eſt iſta, vel quæ juxta Chriſti inſtitutionem iſti perfectè æquivaleat, *hic eſt calix Sanguinis mei*, vel, *hic eſt ſanguis meus*. Unde ea verba ſubſequentia *novi & æterni teſtamenti* &c. non ſunt eſſentialia. Probatur 1. ratione fundamentali poſita num. 46. quando Chriſtus D. Matth. 26. & Marci 14. conſecrans vinum dixit: *hic eſt Sanguis meus*, ex illorum vi verborum conſecravit vinum; atqui Sacerdos in perſona Chriſti loquens conſecrat proferendo ea verba, quæ Chriſtus protulit; ergo conſecrat ex vi horum verborum, *hic eſt Sanguis meus*, vel *hic eſt calix Sanguinis mei*, ac proinde reliqua ſubſequentia *novi & æterni teſtamenti* &c. Non ſunt de eſſentia formæ conſecrationis, conſequentia tenet; & minor conſtat ex Flor. cit. num. 46. maj. verò probatur: ſi ex vi illorum verborum, quæ Chriſtus protulit, *hic eſt Sanguis meus*, non ſignificaretur & ponereretur ſub ſpeciebus vini Sanguis Chriſti, non eſſent vera Chriſti verba; dixiſſet enim Chriſtus, eſſe Sanguinem ſuum, qui ejus Sanguis non erat, ſed hoc, ut per ſe patet, dici non poteſt; ergo &c.

55. Probatur 2. licet Evangeliſtæ Matth. Marcus & Lucas, qui conſecrationis verba referunt, non habeant omnia verba, quibus Eccleſia Romana utitur in conſecratione vini; attamen hæc verba, aut his ſimilia, *hic eſt Sanguis meus*, habentur apud iſtos Evangeliſtas, & apud omnes liturgias, etenim Matth. cap. 26. ita habet: *hic eſt enim Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Marc. 14. *hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Luc. 22. *hic eſt Calix novum Teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Tum etiam Paul. 1. Corinth. 11. *hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine.* Sic etiam liturgiæ, quæ habentur Tom. 5. & 6. Bibliot. PP. etenim in liturgia S. Jacobi ſic habetur: *hic eſt Sanguis meus noviTeſtamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur & datur in remiſſionem peccatorum.* In liturgia S. Marci, *hic eſt enim Sanguis meus noviTeſtamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur & diſtribuitur in remiſſionem peccatorum*, in liturgia Baſilii, *hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

In liturgia *S.* Chriſoſt. *hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* In liturgia æthiopum, cujus auctor creditur eſſe D. Matth. *hic eſt Calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum Amen.* In miſſa Mozarabum, *hic eſt Calix novum Teſtamentum in meo Sanguine qui pro vobis effundetur.* In liturgia edita à Guilielmo Lindano Epiſcopo Gadavenſi, quæ attribuitur D. Petro, *hic eſt Sanguis meus* modo ſic. Apud Evangeliſtas & apud omnes liturgias exprimuntur verba, ſive formalia, ſive virtualia, quæ Chriſtus protulit, in quibus exprimitur eſſe ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus vini, quod conſecratur; eaque proferens miniſter nomine Chriſti, conſecrat ex num. 54. atqui prolatis verbis, quibus ſignificatur eſſe ibi ſanguinem Chriſti, Chriſtus conſecravit, ut ex eodem num. conſtat; ergo prolatis illis verbis à Miniſtro, miniſter conſecrabit, ac proinde iſta verba erunt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, & reliqua neceſſitate præcepti. 56.

Reſp. plures Themiſtæ cum Gonet diſp. 7. art. 2. de Evchariſtia parag. 4. verba conſecratoria, quæ inveniuntur apud citatos Evangeliſtas, & in liturgiis ab Eccleſia approbatis, omnia eſſe moraliter idem pro diverſis temporibus aut regionibus aſſignata, quæ autem modo aſſignato eſt formula ab Eccleſia Romana, moraliter eſt etiam idem cum illis, ac proinde illa verba in ea contenta novi & æterni teſtamenti &c. ſunt eſſentialia. Sic quamvis pro diverſis temporibus & regionibus aſſignatæ fuerint diverſæ formæ Sacramenti confirmationis, ex dictis à n. 33. de confirmatione ſunt omnes moraliter idem, ſubindéque omnia verba ab Eccleſia Latina modo aſſignata ſunt eſſentialia, licèt materialiter diverſa ſint à verbis aſſignatis in formula Eccleſiæ Græcæ: quæ quidem expreſſa eſt mens D. Thomæ 3. pag. qu. 78. dicentis: quidam dixerunt, quod de ſubſtantia formæ hujus eſt hoc ſolum quod dicitur, *hic eſt calix Sanguinis mei*, non autem ea, quæ ſequuntur. Sunt alii, qui meliùs dicunt, quod alia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ, 57.

usque ad hoc quod posteà sequitur, hæc quotiescunquè feceritis, quod pertinet ad usum *Sacramenti, unde non est de substantia formæ.*

58. Contra tamen 1. ut optimè arguit eximius Doc. disp. 60. sec. 1. ex eo, apud Adversarios essentialis forma consecrationis panis consistit in his verbis, *hoc est corpus meum*, quin superaddantur ista, *quod pro vobis tradetur*, quamvis dicta fuerint à Christo, ut constat ex *Paulo* 1. Corinth. 11. vers. 24. quia illis Solis à Christo prolatis, vel eundem sensum continentibus, significabatur sub speciebus panis, & ponebatur corpus Christi, & aliunde Sacerdos consecrat, prolatis verbis, quæ Christus protulit, ut constat ex Florent. cit. num. 46. atqui etiam prolatis à Christo illis verbis: *hic est sanguis meus*, vel aliis æquivalentibus, significabatur sub speciebus vini, & ponebatur sanguis Christi; ergo &c. Contra 2. ex eo apud Adversarios in confectione *Sacramenti* confirmationis sola unctio in fronte est de necessitate Sacramenti, licèt aliæ plures unctiones in Ecclesiæ ritu sint de necessitate præcepti, quia universa Ecclesia unctionem in fronte semper retinet, quamvis in aliis unctionibus detur variatio, ut constat ex num. 32. de confir. atqui etiam universa Ecclesia in consecratione vini semper retinet ista vel æquivalentia verba, *hic est sanguis meus*, vel *hic est calix sanguinis mei*, licèt in aliis verbis detur variatio, ut constat ex num. 55. & 56. ergo.

59. Exinde Eximius Doc. sec. illa citata num. super. ita concludit: quocirca non existimo injuriam fieri D. Thomæ, si propter multarum Ecclesiarum & liturgiarum auctoritatem ab ejus opinione discedamus, quam sine dubio ipse mutasset, si vèl prædictas liturgias, vel aliarum Ecclesiarum usum agnovisset. Quòd autem non agnoverit, signum est, quòd nullam earum mentionem in art. faciat. Unde cum aliis atgumentis utcunque satisfaciat, de hoc nihil dicit, nec invenio, quid probabiliter Responderi possit. Nihilominùs forsasse explicari posset D. Thomas dicendo, vocare substantiam formæ verba necessaria ad valorem, & necessaria ex præcepto ad majorem explicationem formæ essentialis; illa enim verba, novi & æterni testamenti &c. quæ ex præcepto tenetur dicere Sacerdos, explicant magis, quod per formam conficitur. Unde quatenùs sunt explicativa verba formæ, dicuntur verba formæ; & quatenùs præcipiuntur, dicuntur à D. Thoma substantialia ad præceptum implendum.

60. Huic explicationi favet D. Thomas, nam postquam artic. 1. titulum ita proposuit, utrum hæc sit forma hujus *Sacramenti*: *hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei.* Ad 4. hanc habet: Si Sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum. Nec potest explicari prout S. Doc. excludit solùm verba illa præcedentia, *qui pridie* &c. non verò subsequentia, *novi & æterni testamenti* &c. quia ex ipsius verbis utraque eodem modo excluduntur, cùm absolutè dicat, per ea sola verba conficiendum *Sacramentum*, præcedentia verò excludit D. Thomas, *quia canon missæ non est idem apud omnes*; ex qua D. Thomæ ratione, contra 3. adversus Gonet & affectas, ideò ex D. Thoma excluduntur tanquam non necessaria ad valorem ea verba canonis præcedentia, *qui pridie* &c. quia non reperiuntur apud omnes canones; sed ista verba subsequentia, *novi & æterni testamenti* &c. non reperiuntur apud omnes canones, ut constat à num. 55. ergo &c. Contra 4. verba aliorum Sacramentorum constitutiva non fuerunt à Christo D. materialiter determinata, sicut determinata fuere verba Bapt. & Evchariſtiæ; ergo sicut Ecclesia non potest determinare ad formam Baptismi verba, quæ ex se non sint æquivalentia verbis à Christo prolatis, licèt ponit in aliis Sacramentis, ita neque potest circa Evchariſtiam, ac proinde sicut non potest Ecclesia impedire, ne legitimus Minister Baptizet, dum proferat verba à Christo prolata, vel quæ ex se sint illis æquivalentia, ita pariter circa Evchariſtiam; ex quo apparet, nullius esse roboris puritatem à Sacramento confirmationis petitam, cœterùm ut hoc clariùs appareat.

Contra 5. ex eo potest Ecclesia in Sacramento Ordinis materialiter determinare hanc vel illam materiam remotam, nimirum contactum calicis pro Ecclesia Latina, & impositionem manuum pro Ecclesia Græca, quia Christus non determinavit materialiter hanc materiam remotam, sed id reliquit determinationi Ecclesiæ, & ideò non potest Ecclesia determinare hanc vel illam materiam pro Sacramento Baptismi, sed necessario apponenda est aqua naturalis, quia Christus eam materialiter determinavit, neque reliquit determinationi Ecclesiæ: atqui eadem est ratio respectu Sacramentorum confirmationis & Evchariſtiæ in ordine ad formam, quandoquidem pro Sacramento confirmationis non determinavit Christus materialiter verba formæ, ut constat à num. 33. de conf. respectu verò Sacramenti Evchariſtiæ determinavit materialiter verba, quibus Christus ipse consecravit, ut constat ex Florent. cit. num. 46. ergo &c. unde quæcunque verba, & in quocunque idiomate legitimè à ministro prolata, quæ ex se eundem sensum retineant, quem verba à Christo instituta, dum vera forma hujus Sacramenti, licèt propter probabilitatem contrariæ sententiæ non possit minister cætera omittere ex num. 314. de Sacra.

Assero 5. Sacramentum Evchariſtiæ per modum cibi & potus constituitur intrinsece, tanquam ex materia proxima ex rebus; & verbis tanquam ex forma, nimirum ex corpore & Sanguine Christi, speciebusque Sacramentalibus, sub quibus Christus continetur, quæ omnia se habent veluti res, tum etiam ex verbis consecrationis tanquam ex intrinseca forma. Probatur facile 1. ex dictis à num. 34. de Sacra, quia

etenim ex ibi dictis, omnia Sacramenta novæ legis intrinsecè constituuntur rebus & verbis cuique respondentibus; atqui res correspondentes Evchariſtiæ per modum cibi sunt corpus Christi & species panis, sub quibus continetur: Et correspondentes Evchariſtiæ per modum potûs sunt Sanguis Christi, & species vini, sub quibus continetur; verba autem ipsi correspondentia sunt, quæ constituunt verba consecrationis essentialia, altera requisita ad consecrandum per modũ cibi, altera quidem ad consecrandum per modum potûs; ergo &c. Probatur min. ex Flor. cit. num. 46. & Trid. num. 39. in Evchariſtia fit conversio & transubſtantiatio substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi sub panis & vini speciebus, ac proinde species, corpus & Sanguis Christi sunt res; aliter ista conversio & transubſtantiatio non fieret intra Evchariſtiam, sed extra. Deinde verba ipsi correspondentia sunt ea, quæ constituunt formam ex dictis à num. 46. & 54. ergo &c.

63. Confirmatur ex SS. PP. apud Eximium Doct. & Card. de Lugo videndis, qui dicunt Evchariſtiam componi ex speciebus, & corpore Christi: sic Augustinus in lib. sentent. Prosperi, & habetur in c. hoc est de Consecr. dist. 2. Hoc est, quod dicimus: hoc modis omnibus approbare contendimus, *Sacrificium scilicet* Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri JEsu Christi carne, & Sanguine, Sacramento, & re Sacramenti, id est, corpore Christi, sicut Christi persona constat, & conficitur Deo & homine. Ireneus lib. 4. cap. 34. *Evchariſtiam duabus rebus constare, terrena, & cœlesti.* D. Thomas in 4. dist. 8. qu. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2. *Ex speciebus, & Corpore Christi fit unum Sacramentum.* Justinus Martyr in Apologia ad Antoninum, *alimoniam eam, nempe Evchariſtiam, incarnati illius carnem, & Sanguinem esse, sumus edocti, Apostoli enim ita tradiderunt.* Hieron. cap. 24. lib. 4. probat contra Valentinianos, *Christum esse Filium DEI, quoniam eos fateri necesse sit, Evchariſtiam esse carnem Filii DEI*; ergo Evchariſtia constat corpore & Sanguine Christi, speciebúsque Sacramentalibus tanquam rebus. Deinde ex Flor. ut latè diximus à num. 34. de Sacram. constat forma consecratoria tanquam ex verbis; ergo &c.

64. Probatur 2. Conclusio ex Trid. sess. 13. cap. 3. dicente: *commune hoc quidem est Sanctissimæ Evchariſtiæ cum cæteris Sacramentis Symbolum esse rei Sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem.* Atqui forma visibilis sunt species Sacramentales; ergo constituitur ex speciebus Sacramentalibus, eáque de causa can. 3. definit, contineri Christum in hoc Sacramento, id est, ad eum modum, quo pars in toto. Rursus eadem sess. cap. 5. ait: *nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Ecclesia Catholica semper recepto latriæ cultum, qui vero DEO debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant*; atqui non posset Evchariſtiæ exhiberi idem ille latriæ cultus, qui debetur DEO, si Evchariſtia non constitueretur ex corpore & Sanguine Christi veri DEI; ergo &c. Denique ut constat ex Flor. & latè probavimus à num. 35. de Sacram. Evchariſtia non solùm constituitur intrinsecè ex rebus, verùm etiam ex verbis, quæ sunt ipsius formæ; ergo hæc omnia à nobis assignata sunt de intrinseco Evchariſtiæ constitutivo. Confirmatur, Christus Joannis 6. de hoc Sacramento ait: *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: ergo non solùm includit tanquam res accidentia panis, sed etiam Christi carnem: ex quo impugnatæ manent plurimæ Auctorum sententiæ contra conclusionem nostram militantes. Ex dictis

Fit 1. ex 1. assert. Evchariſtiam sub speciebus panis, & sub speciebus vini non esse duo, 65.
sed unum specie Sacramentum. Ratio est, quia Evchariſtia instituta est per modum convivii; atqui panis, & vinum, quando in aliquo convivio apponuntur, non constituunt duo convivia, sed unum; ergo Sacramentum istud in Evchariſtico convivio sub speciebus panis, & sub speciebus vini, non constituet duo Sacramenta, sed unum: aliter Sacramenta novæ legis non solùm essent 7. sed 8. contra Flor. cit. num. 4. & Trid. num. 16. de Sacram. Cæterùm inter convivium Evchariſticum, & alia convivia notandum est hoc grande discrimen, quòd convivium Evchariſticum, si offeratur solùm per modum cibi (idem esto de potu) continet totam eam virtutem, quàm contineret, si simul offerrentur cibus, & potus; virtus enim illius consistit in institutione, carne & Sanguine Christi Hypostaticè unitis Verbo, ratione cujus unionis, tum etiam, & concomitantiæ explicatæ num. 39. confertur sumenti cibum tota ea virtus, quæ conferretur sumenti simul cibum, & potum, quod fieri non potest in aliis conviviis, cùm solus potus non contineat tantam virtutem, quantam continent simul cibus, & potus. Unde in Evchariſtia sub utraque specie non datur augmentum formale aut morale supra unam speciem, sed solùm materiale. Exinde

Fit 2. Evchariſtiam sumptam ab uno sub 66.
speciebus panis esse individuum ejusdem speciei moralis cum Evchariſtia sumpta ab alio sub speciebus vini, sicuti ramus unius speciei physicæ positus in hac domo ad significandum vinum venale est individuum ejusdem speciei moralis cum ramo alterius speciei physicæ posito in alia domo ad significandum etiam vinum venale. Unde sicuti si ex illis duobus ramis fierent unus, & appenderentur, non darentur duo numero signa, sed unum; ita si ex Evchariſtia per modum cibi, & potûs fiat unum convivium per unam moralem sumptionem, non dabuntur duo numero Sacramenta, sed unum: si autem dividerentur ad duas sumptio-

ptiones moraliter distinctas, & daretur convivium uni per modum cibi, & alteri per modum potùs, darentur duo numero Sacramenta; sicuti darentur duo numero signa, si idem ille ramus divideretur ad significandum in diversis locis. Imò sicut darentur duo numero signa vini venalis, licèt ramus, qui ad significandum in duobus locis divideretur, esset ejusdem speciei physicæ, ita darentur moraliter sive Theologicè duo numero Sacramenta, si idem potus, vel eadem Hostia divideretur ad convivium duorum, sive ad duas moraliter distinctas sumptiones.

67. Quapropter sicut rami collecti in unum solùm constituunt unum signum vi collectionis, quia significant per modum unius eundem effectum; ita illæ diversæ species Sacramentales solùm constituunt unum Theologicè Sacramentum, quod per ordinem ad unum moralem sumptionem significant, & causant per modum unius eundem effectum. Hæc autem unitas, vel multiplicitas moralis solùm discerni potest juxta judicium prudentum, sicuti proportione servata discerni potest, quando facerent duo convivia, si dividerentur, ut possunt isti cibi, qui modo conficiunt unum convivium. Sumptio autem non constituit Sacramentum: illud enim supponit adæquatè constitutum, ut constat ex Trid. cit. num. 39. cùm non significet, neque causet effectum Sacramenti: sic homo constituitur per ordinem ad sensationes, & discursus; secùs autem per ipsos discursus aut sensationes. Sumptiones igitur moraliter distinctæ sunt puri termini, quibus positis ex Christi institutione constituuntur Sacramenta Theologicè numero distincta; sive significant, & causant per modum plurium effectus distinctos. Unde quando illæ diversæ species Sacramentales accipiuntur per eandem moralem sumptionem, non causant ex Christi institutione majorem gratiam, quàm si una solùm species sumeretur. Ut habet S. Thomas qu. 79. art. 7. ad 3. dicens: *Unde nec si aliquis simul in una missa multas Hostias consecratas sumat, participabit majorem effectum Sacramenti; in pluribus verò missis multiplicatur Sacrificii oblatio, & ideò multiplicatur effectus Sacrificii, & Sacramenti.*

68. Favet etiam Trid. sess. 21. cap. 3. dicens: *insuper declarat, quamvis redemptor noster, ut antèa dictum est, in suprema illa cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verúmque Sacramentum sumi; ac propterèa quod ad fructum attinet, nullag ratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* Quibus in verbis Tridentinum pro gratia necessaria ad salutem non intelligit gratiam necessariam simpliciter, cùm sine gratia Evcharistica possit absolutè obtineri salus, ac proinde intelligit, necessariam secundùm quid, quod omni augmento gratiæ conve-

nit, vel si primum definiat contra Hæreticos, secundum ex ipsa Trid. ratione legitimè infertur. Imò non dicit esse duo, sed unum Sacramentum in duabus speciebus collatis Apostolis; & hoc verum Sacramentum sumi etiam sub altera tantum specie. Quod Catechismus Tridentini tit. de Evcharistia declaravit per hæc verba: *licèt autem duo sint elementa, panis scilicet, & vinum, ex quibus integrum Evcharistiæ Sacramentum conficitur: non tamen plura Sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesiæ auctoritate docti confitemur.* Ergo quando sumitur per unam moralem sumptionem, ordinantur ex Christi institutione ad unum eundem effectum, ac proinde Theologicè est unum numero Sacramentum.

Hæc eadem Christi institutio suadetur etiam, quia eadem est promissio Christi facta sumenti cibum, ac sumenti cibum simul, & potum, ut expendit Trid. sess. 21. cap. 1. his verbis: *Qui dixit nisi manducavetitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: dixit quoque, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit: qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam, panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Tum etiam suadetur, quia Sacerdos non recipit majorem gratiam sumendo Hostiam in tres partes divisam, duas ante sumptionem Sanguinis, & alteram cum Sanguine, quàm si unitas reciperet: fames enim, & sitis Spiritualis non sunt realiter distinctæ, sicut fames, & sitis materialis, sed sunt unum, & idem. Tandem suadetur ex communi hominum existimatione, nullus enim prudentum frangit dentibus Hostiam, ut ex pluribus sumptionibus majorem gratiam recipiat, neque sumit Sanguinem pluribus haustibus ad gratiam augendam ex eo, quòd illæ sumptiones essent moraliter eadem, ac proinde non causaret majorem gratiam; ergo &c. Exinde non aliter constituetur distinctum Theologicè individuo Sacramentum sub speciebus panis & vini, quàm constituatur sub his, & sub alia panis speciebus. Dixi sæpè ex industria *Theologicè*, quia si sermo esset de Sacramento materialiter sumpto, nunquam posset dari unum secundùm omnia sua constitutiva realiter adæquatè ab alio distinctum, cùm unumquodque constituatur ex ipso Christo Domino; imò & quando per eandem consecrationem plures Hostiæ consecrantur unumquodque ex illis Sacramentis constituitur ex eadem forma, ut ex dictis constat.

Fit 3. Quòd si quis sumens unam Hostiam non recipiat propter obicem effectum Sacramenti, licèt conteratur, antequàm sumat aut Sanguinem, aut aliam Hostiam eadem morali sumptione, non exinde suscipiat Sacramenti gratiam. Ratio est, quia ille, qui indigne sumpsit, judicium sibi manducavit, & bibit per eam sumptionem. Unde cùm illa, quæ subse-

quæ-

quitur, ſit eadem moraliter cum præcedenti, nequit deſervire ad juſtificationem; ideóque licèt ad 2. ſumptionem non contereretur ſuſcipiens, non committeret novum peccatum. Neque exinde fruſtra eſt inſtituta Evchariſtia ſub utraque ſpecie, quia inſtituta fuit ad repræſentandam Chriſti mortem, in qua facta fuit ſeparatio Sanguinis à corpore, ideóque ex vi verborum ſub ſpeciebus panis ponitur Corpus, & reliqua per unionem, & concomitantiam; pariter licèt per unionem, & concomitantiam ponantur reliqua ſub ſpeciebus vini, at ex vi verborum ſolùm ponitur ſanguis, ut hoc modo fiat repræſentatio illius ſeparationis corporis à Sanguine, quæ contigit in Paſſione.

71. Ex principiis præjactis manet præcluſus aditus ad quæſtiones eas de nomine, quæ in hac materia ſolent quandoque excitari, in quibus nec Auctorum ſenſus percipitur, nec principium ullum apponitur, ex quo aut unitas, aut multiplicitas Sacramenti colligatur, ſed verborum potiùs involucris res tota obſcuratur. Notant demum aliqui auctores, Clementem VI. in quadam Bulla edita anno 1341. conceſſiſſe Regi Angliæ, ut ad augmentum gratiæ communicaret ſub utraque ſpecie, non quidem pro ut ex mente Pontificis *Sacramentum* collaturum foret majorem gratiam ex eo præcisè, quòd ſub utraque ſpecie ſumeretur; ſed quia ſperabat Pontifex, quòd Rex obtento privilegio, quod tam anxiè deſiderabat, ſe diſponeret cum majori devotione, & ſic Sacramentum cauſaret majorem gratiam in ſubjecto magis diſpoſito: ſic enim apparet hæc juſta cauſa, qua motus fuit Pontifex ad concedendum privilegium, & nullatenùs exinde labefactatur doctrina tradita à Trid. cit. num. 69.

72. Fit 4. ex 2. Aſſertione non poſſe ſubrogari omne eſculentum loco panis, neque omne poculentum loco vini, ut deliravit Beza Epiſt. 2. ad Tillium, & ex eo moderni plures hæretici. Ratio eſt, quia non pendet à noſtro libito, ſed à Chriſti inſtitutione, valida Sacramenti materia, quæ ex Concil. PP. & ſcript. nobis innoteſcit, ut ex dictis conſtat; ex quo impugnantur alii hæretici, qui dicebant neceſſarium eſſe neceſſitate *Sacramenti* humanum Sanguinem, vel fœtidum & corruptum in ſemine, quo panis conficeretur; conſtat enim ex num. 23. & & 45. ſufficientem & neceſſarium eſſe verum panem triticeum, ſive iſte fermentatus ſit, ſive Azimus, dummodo verus uſualis panis ſit. Exinde cùm iſte panis verus uſualis communiter concoquatur ad ignem, & ex mera aqua naturali fiat, utrumque requiritur neceſſitate Sacramenti; qualis non eſſet panis vel lacte, vel alio ſimili liquore locò naturalis aquæ confectus. Imò neceſſe eſt, ut panis triticeus aqua naturali & igne coctus non ſit iterum oleo vel butyro frixus: nam ſic non eſſet panis uſualis, ſed potiùs placenta vel quid ſimile; exinde autem non debet excludi panis verus, aut verum vinum, quæ miraculoſè producerentur, & eſſent ejusdem ſpeciei cum pane uſuali triticeo, & vinò de vite. Qua de cauſa vinum miraculoſum in Cana Galileæ, ex illa miraculoſa converſione à Chriſto D. facta, ſufficiens erat ad conſecrationem, quia licèt non eſſet vinum de vite Phyſicè, tale erat moraliter ſive quo ad ſpeciem, & prudentem omnium exiſtimationem, vinum autem & album & rubrum eſt materia & licita & valida, licèt communiter aſſumatur album propter munditiem, materia autem dubia eſt ea, de qua dubitatur, an ſit verus panis triticeus, vel verum vinum de vite. Exinde

Succus expreſſus ex uvis immaturis, qui vo- 73.
cari ſolet aggreſta, ex communi ſententia non eſt materia ſufficiens, quia non adhuc habet ſpeciem vini, ſed eſt materia proximè mutabilis in vinum; econtra muſtum ex uvis jam maturis expreſſum, ex communi ſententia eſt materia ſufficiens, ratio eſt quia cap. *cum omnio de* conſecrat. diſt. 2. deſumpto ex Julio Papa in Epiſt. ad Epiſcopos in Ægyptum miſſos, quod quidem caput refertur & approbatur in Concil. Lateranenſi 3. cap. 1. permittitur in tempore neceſſitatis, ut conſecretur in muſto tunc ex botris expreſſo, licèt damnentur, qui conſecrabant muſtum unà cum botris & granis; cæterùm quia muſtum eſt vinum impurum habens admixtas multas partes, quæ non ſunt vinum, non licèt ſine conceſſione extra caſum neceſſitatis illud conſecrare. Dum autem eſt intra uvam, cùm non habeat ſpeciem potus nec viani, ſed cibi, non poteſt validè conſecrari, vinum autem congelatum, cùm retineat ſpeciem vini, ex natura ſua potabilis, reputatur communiter materia ſufficiens, eáque de cauſa in miſſali præcipitur, ut ſi ſpecies vini poſt conſecrationem congelentur, liquentur, & deinde ſumantur, ex quo conſtat, manere ibi Sanguinem Chriſti, aliter deberet ad perfectionem ſacrificii aliud vinum conſecrari.

Alii verò vocant iſtam materiam dubiam, 74.
cùm dubium ſit, an Chriſtus inſtituerit vinum conſecrandum ut proximè potabile, ſicut ad materiam Baptiſmi inſtituit aquam proximè ablutivam; nec refert, ad tollendum dubium, quòd in vino congelato maneat Sanguis Chriſti, nam minùs requiritur ad conſervationem, quàm ad rei confectionem, ſic plures ex Adverſariis dicunt, unicum indiviſibile non eſſe conſecrabile, at verò, ſi poſt conſecrationem divideretur unum indiviſibile ab aliis, manſurum ſub illo Sanguinem Chriſti, inſtitutio autem Chriſti, ut iſti DD. dicunt, talis eſt, ut verba, quando proferuntur, cadant ſupra vinum proximè potabile, cùm iſtud conſecretur per modum potûs, poſita autem conſecratione manſurum ſanguinem Chriſti, dum accidentia vini talia remaneant, ut ex natura ſua conſervarent ſubſtantiam vini, ſi aliunde ablata non eſſet. Cùm ergo negare non poſſimus probabilitatem hujus ſententiæ, dicendum eſt vinum congelatum eſſe ad conſecrationem materiam dubiam.

75. Fit 5. Acetum, aquam vitæ, & his similia non esse materiam sufficientem consecrationi, cùm speciem vini non retineant. Ratio est, quia sicut homo constat duplici parte substantiali, nimirum corpore & anima, sic vinum constat duplici parte substantiali, nimirum corpore crasso & subsistente, & Spiritu subtili ac volatico. Unde sicut corpus separatum ab anima aut anima separata à corpore non est homo, ita neque corpus crassum vini separatum à Spiritu, neque Spiritus vini separatus à corpore crasso est vinum: atqui acetum est corpus crassum vini separatum à Spiritu, & aqua vitæ est Spiritus vini separatus à corpore crasso, ideoque facile accenditur; ergo non sunt materia Eucharistiæ sufficiens. Cæterùm vinum acescens nondum corruptum, sed quod retinet substantiam vini, est materia sufficiens; peccaret tamen, qui extra casum necessitatis illud consecraret, cùm faceret contra rubricam & morem Ecclesiæ in re gravi & periculosa. Nota demum, destructâ substantiâ panis & vini ex vi consecrationis, remanere accidentia sine subjecto, ut constat ex Concilio Constantiensi sess. 8. damnante hanc 2. Wicklessi propositionem, *accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento.* Utrum hoc debeat intelligi de accidentibus collectivè sumptis, prout collectio manet absque substantia panis & vini, an verò de omnibus distributivè acceptis, constabit ex illationibus ultimæ conclusionis.

76. Fit. 6. Ex 3. & 4. assert. materiam consecrandam, ita debere præsentem esse, ut supra ipsam rectè cadant ea consecrationis pronomina, *hic* & *hoc*. Quapropter si materia sit adeò distans, ut his pronominibus demonstrari non possit, nequibit validè consecrari. Distantia autem, intra quam ita possumus demonstrare, non est aliter discernibilis, quam ex usu communi loquendi apud prudentes: si enim panis non multùm distet, rectè dicimus, *hic panis*; si verò multùm distet, non possumus dicere: *hic*, sed *ille* panis. Aliqui auctores regulam generalem assignant, præmittentes pronomen *hoc* posse tripliciter sumi: largissimè, largè, & strictè. Largissimè significat objectum intentionaliter præsens loquenti abstrahendo ab eo, quòd sit præsens sensibiliter & Physicè per certam propinquitatem: sic dicimus, *hæc est sententia* Aristotelis de æternitate mundi. Largè significat objectum sensibiliter præsens loquenti, abstrahendo ab eo, quòd habeat certam propinquitatem Physicam: sic videndo lunam, solem & stellas fixas dicimus, *hæc est Luna, hic est Sol, hic est canis major* &c.

77. Strictè verò, prout debet accipi in verbis consecratoriis, significat objectum sensibiliter præsens magis loquenti, quàm audienti. Unde si vox humana ad 30. passus propagetur, omne id, quod continetur intra 14. saltem passus à loquente (si paries aut aliud simile intermedium impedimentum non obstet) manifestari potest, dicendo, *hoc*; si verò distet ultra 15. passus, jam non possumus dicere. *hoc*, sed, *illud*; ac proinde in 1. distantia potest pœnitens absolvi à confessario dicente, *ego te absolvo*, & panis consecrari à Sacerdote dicente: *hoc est corpus meum.* Quæ regula sola, licèt absque prudenti hominum judicio deservire non possit, cum propagatio vocis humanæ non sit æqualis in omnibus, ac proinde solùm deservire possit, quæ regularis existimatur prudenter; attamen multum juvat ad istam distantiam prudenter melius determinandam.

Ex his, & materia major & major, quæ intra assignatam præsentiam contineatur, consecrari potest, tum etiam minor & minor, dummodo sensibilis & discernibilis propriè, & sibiclè sit in se, sive in suo vero composito: secus si largè aut largissimè in alio; indivisibile enim sejunctum ab aliis, cùm in se non sit propriè & strictè assignabile & discernibile, consecrari non potest. Neque inclusum in vase esset strictè designabile ex defectu designabilitatis in se, aut in vero suo composito, quo cum faciat Physicè unum, saltem in apparentia morali. Utrum in indivisibili separato conserverur corpus Christi, diximus à num. 23. de Sacr. & à num. 138. diximus etiam intentionem ferendam ad materiam determinatam, ut validè consecretur.

Fit. 7. Cum omnibus ferè Theologis contra Caterinũ & aliquos antiquos Christũ consecrâsse iisdem verbis semel tantùm prolatis, quibus Sacerdotes in Ecclesia consecrant; dicere enim Christũ non consecrâsse verbis, sed potestate, qua consecrâsse verbis aliis, quibus panem benedixit, non autem istis, *hoc est corpus meum*, sine temeritatis nota, ajunt plures DD. dici non potest, saltem post Trid. ut constat ex sess. 13. cap. 1. ubi hæc habet; *majores nostri &c. apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna redemptorem nostrum instituisse, cùm post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus, illis præbere & suum sanguinem disertis & perspicuis verbis testatum est.* Quod jam dixerat olim Florent. cit. num. 45.

Constat etiam veritas illationis nostræ ex PP. Tertullianus enim lib. 4. Contra Marcionem cap. 40. dixit: *acceptum panem, & distributum Discipulis Corpus suum fecit, hoc est Corpus meum dicendo.* Auctor serm. de cœna Domini apud Cypr. super illa verba, hoc est Corpus meum, ita habet: *ante verba illa, cibus ille communis nutriendo tantùm corpori commodus erat.* Chrysost. homil. 60. ad populum Antiochenum docet, *Christum, cùm dixit, hoc est Corpus meum, verbum fidei confirmâsse.* Paschasius in Epist. ad Tredegardum ait, *invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis, & Sanguinis verbi sui secreta potestate convertit, ita dicens: accipite & comedite: hoc est Corpus meum*; ergo &c.

Fit 8. Conversionem illam, sive transubstantiationem panis & vini in Corpus, & Sanguinem Christi fieri in eo instanti, vel indivisibili

bili temporis momento, in quo verificatur: nunc 1. verba sunt sufficienter prolata, immediatè ante nondum erant sufficienter prolata, ex dictis num. 200. de Sacram. unde quando proferuntur hæc verba consecratoria, hoc est Corpus meum, non datur formaliter veritas prædicamentalis verborum, usque dum prolata sunt, etenim ut habet Aristoteles 1. Periherm. cap. 9. ex eo, quòd res sit, vel non sit, propositio est vera, vel falsa; cùm autem Corpus Christi, quod per illa verba significatur existere sub speciebus panis, non ibi detur, usque dum prolata sunt ea verba, ex eo illa verba non sunt vera formaliter, usque dum prolata sunt. Nihilominus statim atque incipiunt proferri, dicuntur vera radicaliter, cùm ex Christi institutione jam habeant determinationem ad veritatem, in quo stat illorum veritas radicalis: sic ut Rex benedicat alicui; ego te facio Ducem exercitûs, non requiritur, ut constituatur Dux antecedenter, sed sufficit, ut fiat Dux exercitûs dependenter ab illis verbis Regis. Vide num. 85.

82. Cæterùm verba tripliciter possunt proferri, 1. recitativè solùm sive Historicè, sicut quando dicimus, Christus dixit, ego sum via veritas, & vita. 2. enunciativè, quando affirmatur id, quod significatur per verba, sicut quando dicimus, hic est paries. 3. recitativè simul, & enunciativè, sicut quando dicimus: ut Aristoteles bene dixit, nullum violentum est durabile. Quibus in verbis proferimus recitativè simul, & enunciativè, istam propositionem nullum violentum est durabile. Exinde ad consecrationem illa verba, *hoc est Corpus meum*, recitativè simul, & enunciativè proferuntur. Recitativè quidem, nam Sacerdos narrat ea dicta fuisse à Christo: præmittit enim, benedixit, & fregit, deditque Discipulis suis dicens: accipite, & comedite, hoc est Corpus meum. Imò licèt ista prævia verba omitterentur, cùm loquatur Sacerdos nomine Christi, ex dictis à num 193. de Sacram. implicitè narratur, Christum de facto dicere hæc verba per Sacerdotem; quod sufficit ut in hoc sensu verba dicantur recitative; nec opus est, ut Sacerdos narret verbaliter, ea dicta fuisse à Christo, sat enim est, quòd proferantur posita intentione faciendi, quod fecit Christus, vel quod facit Ecclesia.

83. Rursus verba consecratoria dicuntur enunciativè: nam Sacerdos ea verba proferens, non solùm significat corpus Christi exstitisse sub speciebus panis, quem Christus habuit in manibus, sed etiam significat existere sub speciebus panis, quem in manibus habet ipse Sacerdos, ut constat ex fide, & ex Trid. citato num. 39. & ex illis Christi verbis: *hoc facite in meam commemorationem*; ergo &c. Ex quo patet idem dicendum esse de verbis consecrationis sub speciebus vini; hæc enim verba, *hic est Calix Sanguinis mei*, eundem sensum habent, ac ista: *hic est Sanguis meus*; imò expressiùs significant per metonymiam, Sanguinem Christi per modum potus, cùm propinatio calicis apud homines expressissima significatio sit offerendi potum; sic Christus Marci 9. *Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ*, & cap. 9. *potestis bibere calicem, quem ego bibo.*

Major autem est difficultas circa significatio- 84.
nem, quam habent ista pronomina *hic*, & *hoc*. Ratio dubitandi est quia per istud pronomen hoc (idem suo modo de pronomine *hic*) vel demonstratur substantia panis, vel accidentia panis, vel corpus Christi? si substantia vel accidentia panis, forma consecrationis est falsa; falsum namque est, substantia vel accidentia panis esse corpus Christi. Si demonstratur corpus Christi, propositio est identica, & non contingens, sed necessariæ & æternæ veritatis, cùm redderet, hunc sensum, corpus Christi est corpus Christi, quæ propositio est æternæ veritatis & identica. Omissis variis sententiis, quas refert Vasq. disp. 201. Resp. breviter, per pronomẽ *hoc* demonstratur in recto & ad intellectũ, id quod substat accidentibus panis, in obliquo verò & ad sensum accidentia panis. Probatur facilè, quia in communi modo loquendi, ista est vera similium propositionum significatio, v.g. cùm dicimus: *hic est Petrus*, ad sensum & in obliquo demonstrantur accidentia sensibilia Petri: ad intellectum verò & in recto demonstratur id, quod substat accidentibus; sensúsque propositionis est, id quod substat istis accidentibus sensibilibus, est Petrus; ergo pariter cùm dicitur, hoc est corpus meum, iuxta verum & communem modum loquendi, per ly *hoc* ad sensum & in obliquo demonstrantur accidentia sensibilia panis, ad intellectum verò & in recto demonstratur id, quod substat accidentibus panis, sensúsque propositionis est, id quod substat istis accidentibus, est corpus Christi. Exinde

Sicut ista propositio, *hic est Petrus*, non est 85.
identica, sic & ista, *hoc est corpus* meum, non est identica. Ratio est, quia propositio identica est illa, in qua prædicatum affirmatur de se ipso sub eodem conceptu; atqui in hac propositione: hoc est corpus meum, corpus Christi non affirmatur de se ipso sub eodem conceptu, sed sub conceptu substandi accidentibus; ergo &c. unde cùm hæc propositio æquivaleat isti juxta verum & communem modum loquendi, corpus meum est sub accidentibus panis, cùm veritas hujus sit contingens, ea de causa veritas 1. propositionis non est æternæ veritatis, sed contingens; in propositionibus autem ly *est* non habet suam significationem, nisi prout affirmat prædicatum de subjecto: ac proinde non significat corpus Christi usque ad instans, in quo est sufficienter prolata propositio: Sic quando aliquis dicit, ego dono tibi librum, non requiritur ad veritatem propositionis, nisi quod donatio sit, dum propositio est sufficienter prolata: in hoc enim consistit formalis veritas propositionis, licèt veritas radicalis prævia sit ex num. 81. ubi oportet etiam notare, demonstrationem factam à propositionibus significantibus, quod operatum

tum est, tendere quo ad intellectum ad rem, quæ præviè se habet, demonstrationem verò factam à propositionibus demonstrantibus rem, quam operantur, tendere quo ad intellectum ad rem, quæ per ipsa verba apponitur, statim atque notescit eorum significatio ex num. 81. hæc autem est virtus verborum consecrationis, ideóque SS. PP. ea vocant operatorium Sermonem, ut constat etiam à num. 79. unde hæc propositio, *hic est Petrus*, demonstrat Petrum præviè ad verba jam positum, hæc autem, *hoc est corpus meum*, demonstrat corpus, quod per verba ponitur. Ex qua distinctione facilè dissolves, plures ex hac materia satis importunos arguendi modos.

86. Fit. 9. Ex 5. assert. Sacramentum Evchariſtiæ, sive conjunctum ex corpore & Sanguine, institutione & verbis consecrationis esse causam moralem gratiæ, eamque causare, quando Sacramentum istud sumitur & manducatur. Ratio est, quia, ut constat ex num. 69. Christus instituit hoc Sacramentum ad conferendam gratiam manducantibus ejus carnem, & bibentibus ejus Sanguinem, ac proinde eam causat in subjecto manducante hunc cibum, & bibente hunc potum. Cœterùm cum manducatio (idem suo modo de potu) fiat per motum successivum, qui durat aliquo tempore, in cujus initio non adhuc datur manducatio perfecta, sive simpliciter dicta, tunc adhuc non causabit gratiam; eam autem causabit in instanti, in quo verificatur: nunc Evchariſtia est sufficienter manducata, tempore præcedenti adhuc non erat sufficienter manducata: sic alia Sacramenta non conferunt gratiam, dum incipiunt apponi materia & forma, sed in eo instanti, in quo simpliciciter, sive perfectè 1. perficiuntur. Unde sicut alii cibi non sunt sufficienter, sive simpliciter manducati, cum detinentur in ore, neq; dum descendunt per Gulam, sed quando 1. sunt intra ventriculum, sic Evchariſtia non causat gratiam, nisi quando 1. est intra ventriculum.

87. Differt autem Evchariſtia (quod notare maximè oportet) ab aliis cibis: quia alii cibi in ipsa actuali sumptione non nutriunt, sed tunc causant suum 1. effectum nutriendi, quando sunt corrupti: nutriunt enim, quando mutantur in substantiam aliti, tunc autem jam sunt corrupti, mutantur quippe 1. in chilum 2. in sanguinem &c. Evchariſtia verò causat, antequam corrumpantur species, quin convertantur per digestionem in substantiam aliti, cum independenter abiis adminiculis afferat suam virtutem ad causandum: solùm enim requiruntur dispositiones in subjecto & manducatio simpliciter dicta à Christi institutione requisita. Quapropter cum perseverantia in stomacho non sit nova manducatio, neque secum afferat manducationem moraliter distinctam ab illa, qua Evchariſtia 1. fuit intra ventriculum, secum illa unum morale constituat, si illa invenit subjectum indispositum conservatio in stomacho non deserviet ad vitam, neque gratiam causabit, sicuti neque causaret, licèt esset sumpta Physica, dum esset cum 1a. moraliter eadem ex dictis num. 70. quod in nostris principiis faciliùs apparet, cum adhuc post elapsam istam moralem manducationem non revivisca ad causandam gratiam ex dictis sect. ult. de confirm.

Plures aliæ illationes ad hanc assert. pertinebant tum circa species Sacramentales, tum circa Corpus Christi, tum etiam circa verba. Verùm quia principia, ex quibus desumuntur rationes ad eas stabiliendas pendet ab iis, quæ de transubstantiatione dicemus disp. seq. utiliùs judicavi ad illum locum omnia hæc reservare, ubi dicemus, an species Sacramentales habeant Physicam, vel moralem unionem cum Corpore Christi, an omnes vel solum aliquæ, maneant absque unione cum subjecto, an Corpus Christi ponatur sub accidentibus per additionē, vel productionem quid etiam essentialiter dicat Corpus Christi ex vi verborum an formam corporeitatis, an Organizationis, an solam materiam 1. Christi D. tum circa verba resolvemus, an hæc transubstantiatio ex illorum veritate satis probetur, & an ex vi eorum aqua mediatè vel immediatè in Christi Sanguinem convertatur, dum est mixta vino in calice. Interim dissolvemus, quæ contra præmissas assertiones, earúmque illationes militare videntur.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

OBjicies 1. Contra 1. assert. Sacramentum distinguitur adæquatè, ab eo, cujus est Sacramentum: sed ex nostra definitione Evchariſtia non distinguitur adæquatè à Corpore & Sanguine Christi, cujus est Sacramentum; ergo &c. Probatur ma. Sacramentum est signum, sed signum distinguitur adæquatè ab eo, cujus est signum, ut constat ex Aug. cap. 1. de mannis; ergo &c. Confirmatur bona definitio debet explicare naturam rei, prout subest eius nomini: sed istud Sacramentum habet multa nomina, quorum significata non exprimit nostra definitio; ergo &c. Probatur min. à Concilio Niceno 1. can. 12. & à Card. 4. Can. 77. & 78. & ab aliis dicitur viaticum, ab Aug. 3. de Trin. cap. 4. Sacramentum corporis & Sanguinis D. à Chrysost. homin. 1. de cœna Domini, & ab aliis cum Apostolo 1. Corinth. 11. Cœna Domini communissimè dicitur etiam Synaxis, transmutatio &c. ut constat ex num. 1. ergo &c.

Resp. nego maj. ad prob. nego maj. quia Christus non est signum sensibile, imò signum sui ipsius non implicat, præsertim quando non est adæquatum, sed inadæquatum signum sui, ut habet ipse Aug. eo lib. cap. 4. dicens quidam esse signa signorum, ac proinde licèt distinguantur

gantur ab aliquo signo sui, non tamen ab omni; sic Eucharistia, quæ est signum Christi, distinguitur ab ipso inadæquatè, cùm constituatur etiam ex speciebus Sacramentalibus, & verbis realiter à Christo distinctis, ut constat ex num. 62. unde Christus in Eucharistia licèt non sit modo naturaliter sensibili, constituit totum sensibile, sicut anima rationalis, quæ non est corporea, constituit totum corporeum. Ad conf. dist. maj. prout subest ejus nomini repræsentativo essentiæ, con. proprietatum, vel effectuum, nego maj. & dist. min. nego consequentiam. Ad prob. con. antec. & nego consequentiam, quia nomina repræsentantia essentiam Eucharistiæ contradistincta ab iis, quæ repræsentant proprietates aut effectus, nihil aliud significant, nisi quod per nostram definitionem exprimitur; videatur inter alios Valentia disp. 6. qu. 1. puncto 1.

91. Objicies 2. sub speciebus solius panis datur adæquatum Sacramentum; atqui non datur Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, sed solum Sacramentum corporis; ergo non bene definitur Eucharistia Sacramentum Corporis & Sanguinis. Confirmatur Sacramentum corporis, & Sacramentum sanguinis Christi sunt duo Sacramenta specie distincta; ergo non bene definitur Eucharistia per expressionem unius Sacramenti. Probatur antec. Ecclesia in oratione missæ dicit, purificent nos quæsumus Domine Sacramenta, quæ sumpsimus. Unde Concilia & SS. PP. sæpè loquuntur de Eucharistia in plurali, vocando Sacramenta; ergo &c. Resp. dist. maj. datur adæquatum Sacramentum cum omnimoda & primaria sui expressione, nego; absque illa, con. maj. & dist. min. nego consequentiam, quia hoc Sacramentum institutum fuit in memoriam Passionis Domini ex num. 70. per modum Spiritualis convivii continentis cibum & potum, sive significationem sanguinis separati à corpore, quæ expressio non datur in solo cibo, licèt in eo solo contineatur tota virtus ex num. 65. unde oportet utrumque in definitione apponere. Ad confirmationem nego antec. ad prob. con. antec. & nego consequentiam: quia in ea oratione considerat Ecclesia Eucharistiam in ordine ad sumptiones moraliter distinctas: olim enim in Ecclesia fideles qui audiebant sacrum communicarunt; & sic rogat pro distinctis sumentibus, nec refert quod modo Ecclesia oret pro pluribus Eucharistiam sumentibus, ut constat ex illis verbis, Sacramenta, quæ sumpsimus, unde considerat ibi plura Sacramenta num. distincta ex num. 66. quo in sensu intelliguntur Concilia & SS. PP. unde malè inferunt Adversarii, esse plura specie distincta. Vide num. 93.

92. Objicies 3. Instando solutionem: antequàm Sacramentum Eucharistiæ deserviat ad unam, vel plures sumptiones, præsupponitur constitutum, non solùm in suo esse specifico, sed etiam in suo esse individuali, utpote jam existens à parte rei; ergo ante sumptionem jam est unum, vel plura, ac proinde non vocatur ab Ecclesia, & SS. PP. sub nomine plurali, quia contineat individua distincta, sed quia continet distinctas species, quod in definitione nostra non explicatur. Confirmatur 1. ex definitione nostra non constat, Eucharistiam per modum cibi continere eandem virtutem, ac per modum cibi & potûs; ergo non explicat totam essentiam Eucharistiæ. Confirmatur 2. licèt modò Eucharistia per modum cibi contineat totam virtutem, quam continet per modum cibi & potûs, non exigit hoc essentialiter; ergo non est unum, sed duo Sacramenta specie distincta. Probatur antec. ideò modò continet totam eam virtutem, quia continet Christum vivum, ac proinde, & corpus cum Sanguine, & Sanguinem cum corpore; atqui in triduo mortis Christi, licèt daretur tota essentia Sacramenti, qui sumpsisset corpus, non sumpsisset Sanguinem, & defraudatus fuisset gratia respondente Sanguini; ergo &c.

Resp. dist. antec. in suo esse individuali Theologico, nego; physico, subdist. sumpto esse individuali pro individuis hostiis, con. pro hostiis excludentibus capacitatem, ut frangantur, ita ut in quavis fractione non maneat verum Sacramentum, nego antec. & consequentiam. Quia Sacramentum Eucharistiæ ita continetur physicè in quavis Hostia, ut si ipsa in duas, vel plures partes dividatur, maneat in earum qualibet physicè verum Sacramentum, ita ut possit constitui ex Christi institutione plura individua Theologica, si per refectiones moraliter distinctas sumantur, ideóque, & plures Hostiæ, & Sacramentum per modum cibi & potus, licèt quando per unam moralem sumptionem ab uno sumuntur, dicantur simpliciter unum Sacramentum; attamen prout ex se deservire possunt ad plures sumptiones, dicuntur quodammodo plura. Quo in sensu explicantur etiam legitimè Concilia, SS. PP. & oratio Ecclesiæ citata num. 91. ut habet D. Thomas qu. 73. art. 2. ad 1. dicens, *quod in eadem collecta, & pluraliter dicitur 1. purificent nos Sacramenta quæ sumpsimus; & postea singulariter subditur, hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam &c. ad ostendendum, quòd hoc Sacramentum quodammodo est multa, simpliciter autem unum.* 93.

Ad 1. Confirm. nego antec. quia ex definitione nostrâ constat Eucharistiam non esse utcunque Sacramentum corporis, sed corporis Christi, neque esse utcunque Sacramentum Sanguinis, sed Sanguinis Christi, ac proinde ex vi unionis hypostaticæ divinitatis cum corpore, & Sanguine Christi contineri divinitatem non solùm sub speciebus panis, sed etiam sub speciebus vini; tum etiam & animam rationalem Christi eidem divinitati unitam: etenim in triduo mortis Christi, licèt amissa fuerit naturalis unio inter corpus, & animam, non fuit amissa unio hypostatica corporis, Sanguinis aut

aut animæ cum divinitate: partes enim assumptæ nunquàm fuerunt dimissæ, ut habet Theologorum axioma, quod semel assumpsit, nunquàm dimisit, solúmque fuit amissa naturalis unio inter corpus & animã, quæ quidem non est pars assumpta, sed modus, cùm pars sit illa, quæ remanere potest destructo toto, unio autem destructo toto remanere non potest. Hinc

95. Ad 2. Confirm. nego antec. ad prob. dist. maj. sumpto ly quia tanquàm ratione sufficiente, con. necessaria, nego maj. min. & consequentiam; sic dicimus, Petrus est animal, quia est homo, ubi ly quia non est ratio necessaria, sed sufficiens: est quippe sufficiens, cùm sufficiat, quòd sit homo, ut sit animal; non est quidem necessaria, cùm possit dari animal, quin sit homo, ut patet in Leone, equo &c. Sic Christus in Eucharistia sub specie panis continet virtutem Sanguinis, & ratione connexionis naturalis cum Sanguine, & ratione unionis hypostaticæ cum divinitate, quæ omnem illam virtutem, & perfectionem eminenter continet. Si ergo Christus sit vivus, continet corpus inseparatum à Sanguine; si sit mortuus, effuso Sanguine, continet corpus à Sanguine separatum. Cæterùm cùm tam corpus, quàm Sanguis retinuerit unionem cum verbo, à quo valorem illum maximum accipit, si Sacerdos in illo triduo consecraret sub specie panis, poneretur ex vi verborum corpus, & divinitas ex vi unionis hypostaticæ, & si consecraret sub speciebus vini, poneretur ex vi verborum sanguis, & divinitas ex vi unionis hypostaticæ cum sanguine. Unde non solùm esset verum dicere, *hoc est corpus*, sed etiam est corpus Christi, neque solum esset verùm dicere, hic est sanguis, sed etiam Sanguis Christi. Quapropter cùm ratione unionis Hypostaticæ sumptio corporis contineat fructum, respondentem Sanguini, qui sumeret corpus in triduo, non defraudaretur fructu respondente sanguini, & qui sumeret sanguinem, non defraudaretur fructu respondente corpori, ac proinde non essent illa duo, sed unum specie Sacramentum.

96. Objicies 4. Contra 2. conclusionem ex Cajetano; frumentum genericè sumptum est materia sufficiens Sacramenti Eucharistiæ; sed frumentum genericè sumptum significat omnes species grani nascentis cum arista, nimirum triticum, hordeum &c. ergo licèt panis triticeus sit materia necessaria ex præcepto, materia tamen sufficiens ad valorem Sacramenti erit panis, sive ex tritico, sive ex altera frumenti specie confectus; consequentia tenetur, & min. constat ex significatione, quam habet frumentum apud omnes auctores linguæ Latinæ. Probatur igitur maj. ex Con. Cartag. 3. cap. 24. dicente: ut in Sacramentis corporis & sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aquæ mixtum, nec ampliùs in sacrificiis offeratur, quàm de uvis & frumentis: atqui Concilium, sicut explicat vinum conficiendum ex uvis, quin excipiat albas vel rubras, ita explicat panem conficiendum ex frumento, quin excipiat hanc vel illam speciem frumenti; ergo.

Resp. nego maj. ad prob. con. maj. & dist. min. quin excipiat hanc vel illam speciem frumenti formaliter, & quo ad corticem verborum, con. interpretativè & quo ad veram verborum intelligentiam, nego min. & consequentiam: Concilium enim loquitur de pane, qui apud Cartaginenses, sicut & apud nos, venit simpliciter & absolutè absque addito limitante, nomine panis usualis, cùm autem hujusmodi panis sit triticeus, ea de causa, quando loquitur de frumento ad conficiendum panem, solùm potest intelligi de frumento triticeo, quod adeò clarè explicavit postmodum Florent. cit. num. 45. ut nullam dubitandi rationem nobis reliquerit, in illis enim regionibus, in quibus solus panis triticeus est apud homines usualis, perinde est dicere absolutè panem, ac dicere panem triticeum, & perinde est dicere frumentum ad conficiendum panem, ac dicere frumentum triticeum, sive ab aliis frumenti speciebus contradistinctum: sic sacer textus Jeremiæ 41. *habemus Thesauros in agro frumenti & hordei*, ubi frumentum manifestè accipitur prout ab hordeo contradistinctum.

Objicies 5. Panis ex quocunque frumento conficiatur, est ejusdem speciei; ergo est materia sufficiens Eucharistiæ. Probatur antec. vinum ex quibuscunque uvis, sive albis, sive rubris conficiatur, est ejusdem speciei; ergo & panis &c. Confirmatur, sanguis ex diversis vitis generatus est ejusdem speciei; ergo & panis ex diversis granis confectus. Resp. 1. nego antec. ad prob. dist. antec. si unum vinum distinguatur quo ad substantialia, sive quod idem est, notabiliter juxta prudentem hominum existimationem ab alio est ejusdem speciei, nego; si non ita distinguatur, con. antec. & nego consequentiam; quia triticum & hordeum, cùm habeant hanc notabilem diversitatem juxta prudentem hominum existimationem, distinguuntur specie, si verò dubium sit, an duo ita notabiliter differant, nec ne, erit etiam dubium, an distinguantur specie.

Resp. 2. dist. antec. Ejusdem speciei Physicæ, transeat; moralis, nego antec. & consequentiam. Ad prob. con. antec. & nego consequentiam, quia illa sunt ejusdem speciei moralis, quæ cadunt sub eadem Christi Domini institutione, ut constat à num. 68. de sacr. cum autem triticum & hordeum non cadant sub eadem Christi institutione ex num. 45. non sunt ejusdem speciei moralis; bene verò vinum album & rubrum, cùm utrumque sit vinum de vite, & quodlibet vinum de vite sub eadem institutione Christi Domini comprehendatur. Unde sicut duo specie Physicè distincta possunt esse ejusdem speciei moralis, ita duo ejusdem speciei Physicè possunt esse diversæ speciei moralis. Ad confirmationem nego consequentiam quia

quia panis conſtituitur ex ſubſtantia frumenti, tanquam ex materia, ex qua conficitur, unde ſi materiæ ſint ſpecie diſtinctæ, panis erit ſpecie diſtinctus; ſanguis autem non conſtituitur ex ſubſtantia ciborum tanquam ex materia, ex qua conficitur, ſed fit per converſionem ſubſtantiæ cibi in ſubſtantiam aliti: quapropter licèt forma deſtructa ſit diverſæ ſpeciei in iſto & in illo cibo, forma tamen quæ advenit materiæ præcedenti, poteſt eſſe ejusdem ſpeciei.

100. Objicies 6. *S*olus panis fermentatus eſt verus panis, ſecus autem Azimus; ergo ſolus panis fermentatus & non Azimus eſt materia ſufficiens Evchariſtiæ. Probatur antec. vox Græca, unde nomen *artos*, id eſt, panis derivatur, ſignificat elevare ſeu attollere; atqui panis non elevatur, niſi vi fermenti; ergo &c. Confirmatur 1. Chriſtus conſecravit in fermentato & non in Azimo; ergo ille, & non iſte eſt materia ſufficiens. Confirmatur 2. panis fermentatus eſt magis uſualis, & aptior Azimo ad cibandum hominem; ergo ſolus ille eſt materia ſufficiens. Reſp. nego antec. ad prob. diſt. maj. elevare ſeu attollere farinam, nego; elevare, ſeu admovere panem ori, permitto maj. & nego min. cum conſequ.

101. Ratio eſt, quia non ſolùm elevatur & admovetur ori panis fermentatus, ſed etiam Azimus, ſicut enim fermentatus non manducatur, niſi ori admoveatur, ita & Azimus; nomen quidem artos, ut volunt aliqui, derivatur à verbo Græco Crosphero, quod ſignificat ori admoveri, eò quòd ori admoveamus panem ad manducandum, panisque manducatus vires corporis attollat & augeat; alii verò volunt derivari ab ARO, quod ſignificat apto, eò quòd panis ſit cibus congruus & aptus corpori; cùm autem iſta & Azimo & fermentato conveniant, uterque venit abſolutè nomine panis, imò ex ipſa Script. manifeſtè convincitur: Lucæ enim 24. quando Chriſtus apparuit diſcipulis, & manducavit cum illis in Emaus, ubi legimus, quod cognoverunt eum in fractione panis habetur nomen ARTOS, quod ibi non poteſt ſignificare panem fermentatum, quandoquidem durante Paſchali tempore per 7. dies, non poterat reperiri fermentum in domibus Judæorum, ut conſtat ex lege à Deo præſcripta 12. & 13. cap. Exodi; ea autem apparitio facta fuit 1. reſurrectionis die, quæ erat 3. Azimorum. Sic etiam ex voce Græca ARTOS, quæ ſignificat panem & ex voce CHRÉAS, quæ ſignificat carnem, ARTÓCHREAS & artocrèata Latine dicuntur, nimirum ex pane & carne minutim conſciſſa confecti cibi, qui ferè ſemper ex Azimo conficiuntur.

102. Ad 1. Confirm. nego antec. cujus falſitas ſatis conſtat ex tota diſp. 1. imò ex eo antecedente conſequentia malè deducitur: nam quamvis Chriſtus conſecraſſet ſolùm in albo, vel ſolùm in rubro, utrumque vinum eſt materia ſufficiens; ſic quamvis conſecraſſet ſolùm in Azimo, aut ſolùm infermentato, uterque panis eſt materia ſufficiens. Ad 2. Confirm. nego conſequentiam: quia panis non eſt materia ſufficiens, eò quòd ſit, vel non ſit aptior ad cibandum, aliter ſolùm eſſet materia ſufficiens panis ille, qui melior præ omnibus eſſet; ſed quia inſtitutus eſt à Chriſto Domino; cùm autem, & Azimus, & fermentatus à Chriſto ſit inſtitutus, ut conſtat ex num. 23. uterque eſt materia certò ſufficiens. Addit hic D. Thomas art. 4. in corp. Azimum aptiorem eſſe ad uſum hujus Sacramenti, quia magis competit ſinceritati fidelium, quæ requiritur ad uſum hujus Sacramenti ſecundùm illud 1. Corinth. 5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur in Azimis ſinceritatis, & veritatis.

Objicies 7. Non eſt de ſubſtantia Sacramenti, quòd verba ſint ejusdem determinatè idiomatis, quo uſus eſt Chriſtus Dominus, quódque erat proprium illius regionis, ſed ſufficiunt æquivalentia: ergo neque eſt de ſubſtantia Sacramenti, quòd panis ſit triticeus, & vinum ſit de vite, licèt ea adhibuerit Chriſtus Dominus, utpote communia, & vulgaria, ubi ille tunc degebat; ſed ſufficient pro unaquaque regione ea, quorum eſt vulgaris uſus, loco ejus panis, & vini. Confirmatur 1. Evchariſtia inſtituta eſt pro toto genere humano, & ut celebretur ubique gentium; ergo materia ejus ea eſt, quæ ubique gentium reperitur, ac proinde cùm panis triticeus deſit in multis provinciis, & vinum de vite in non paucis, non erunt materia neceſſaria. Confirmatur 2. Ad ſignificandam Paſſionem Chriſti, ejúsque corpus & Sanguinem, materiæ magis idoneæ ſunt caro & Sanguis animalium, quæ erant materia Sacrificiorum legis veteris, quàm panis & vinum; ergo non minùs deſervire poſſunt, quàm panis & vinum ad valorem Sacramenti. 103.

Reſp. con. antec. & nego conſeq. quia verba ſive ejusdem ſive diverſi idiomatis, idem moraliter ſunt, cùm ſint ſignum ejusdem ipſiſſimi ſignificati; at verò accidentia panis triticei, & panis hordeacei (idem ſuo modo de vino) non ſunt moraliter idem, cùm non ſint ſigna ejusdem ſubſtantiæ panis, ut conſtat ex ipſa natura rei explicata num. 98. quod etiam conſtat ex ipſa Chriſti inſtitutione ex Conciliis & praxi Eccleſiæ nobis ſatis cognita, ex qua unus panis & non alter comprehenditur ſub ſignificatione inſtitutionis Chriſti Domini, ac proinde uterque non eſt moraliter idem. Ad 1. conf. diſt. antec. ut celebretur ubique gentium juxta Chriſti inſtitutionem, con. contra inſtitutionem Chriſti, nego antec. & conſequentiam: quia cùm Chriſtus hanc præ illa materiam determinaverit, ubique gentium debet apponi, ut conficiatur Sacramentum; neque neceſſarium fuit, ut materia Evchariſtiæ eſſet tam obvia, quàm materia Baptiſmi, cùm Evchariſtia in re ſuſcepta non ſit neceſſitate medii neceſſaria, ſicut Baptiſmus, quin imò panis & vinum ad Regionem quamcunq; aſportari facilè poſſunt. 104.

Ad 2. confirmationem nego antec. quia materia Evchariſtiæ non ſignificat Paſſionem Chriſti ex natura ſua, ſed ex Chriſti voluntate & inſtitutione, ac proinde ad ſignificandum ad placitum non minùs apta eſt materia panis & vini, quàm quæcunque alia materia.

105. Objicies 8. Ex iisdem nutrimur, ex quibus ſumus, ut dicitur in 2. regenerat. text. 50. atqui ſumus Chriſtiani, & generamur ſpecialiter ex aqua per Baptiſmum; ergo nutrimur ſpecialiter ex aqua per Evchariſtiam; ac proinde potiùs erit materia valida & ſufficiens aqua, quàm vinum. Confirmatur; panis triticeus confectus cum admixtione farinæ ex granis alterius ſpeciei, totus validè conſecratur, eadémque eſt ratio de mixtione vini cum aqua; ergo aliæ materiæ ſeparatæ & diſtinctæ à pane triticeo & vino de vite, ſunt materiæ validæ conſecrationis. Reſp. diſt. maj. in generatione naturali, tranſeat; in ſupernaturali, nego maj. & con. min. nego conſeq. quia in generatione naturali, cùm compoſitum ſit Phyſicum & naturale, nutritur ex iis, quibus Phyſicè & naturaliter, indiget; cùm autem indigeat naturaliter iis, ex quibus eſt, nimirum ſi eſt herba, indiget ſucco herbæ, ſi eſt ex ſanguine, ad nutritionem indiget ſanguine: at verò in generatione ſupernaturali, ſicut generatio eſt ad placitum Dei, ita & nutritio. Unde licèt non generemur per ſuſceptionem Evchariſtiæ in re, poſſumus ex placito Dei nutriri per Evchariſtiam in re; neque ex una ad alteram tenet paritas, ut conſtat ex dictis, & diximus inſuper num. 87.

106. Ad confirmationem nego conſequentiam; quia illa exigua mixtio farinæ aliorum granorum cum magna quantitate farinæ tritici conſtituit panem triticeum uſualem apud homines: ſic etiam modiciſſima aqua, quæ vino admiſcetur, conſtituit vinum de vite apud homines uſuale; non eſt enim uſuale, bibere ſemper vinum purum; cùm autem Chriſtus inſtituerit panem uſualem triticeum, & vinum uſuale de vite, ut dicemus agentes de converſione aquæ immixtæ vino in ſanguinem Chriſti, exinde illa mixtio non impedit valorem Sacramenti. Cœterùm cùm farina ex aliis granis ſeparata à farina tritici non poſſit conſtituere panem uſualem triticeum, neque aqua ſeparata à vino conſtituat vinum uſuale de vite, ex eo illæ materiæ ſeparatæ non ſunt ſufficientes materiæ Evchariſtiæ.

107. Objicies 9. ex Scoto contra 3. aſſertion. verba conſecrationis ad valorem Sacramenti dicuntur recitativè; atqui ſi non proferrentur ea verba, *qui pridiè quã paterẽtur* &c. non dicerentur recitativè; ergo non ſufficerent ad valorem Sacramenti. Confirmatur, ſi non dicerentur recitativè, ſed enunciativè, eſſent falſa; demonſtrarent enim accidentia panis ad ſenſum, & corpus Chriſti ad intellectum, dicendo hoc eſt, antequàm ibi eſſet corpus Chriſti; ergo &c. Reſp. diſt. maj. ad valorem Sacramenti dicuntur recitativè per expreſſionem, qua proferatur, ea verba dici recitativè, nego; per intentionem Miniſtri loquentis nomine Chriſti ex vi inſtitutionis Chriſti Domini, con. maj. & diſtinct. min. nego conſequentiam, ut conſtat à num. 48. & 82. Ad confirmationem nego antec. quia illa verba cùm non ſignificent corpus Chriſti, niſi prout ſunt verba operatoria, non exigunt ad ſui formalem veritatem, quod ſit corpus Chriſti, quando incipiunt proferri, ſed ſufficit, quod ſit in eo ipſo inſtanti, in quo verborum ſenſus abſolvitur, eáque de cauſa Theologi cum Ambroſio vocant ea verba, operatorium Sermonem, ut conſtat ex num. 85. unde quando incipiunt proferri, ſolùm ſunt vera radicaliter, & in ipſo inſtanti, in quo eorum ſenſus abſolvitur, ſunt vera formaliter, ex dictis num. 81. ubi nota, Evchariſtiam inſtitutam admodum cibi, requirere determinatam quantitatem, ut ſumatur, ſecus autem, ut conſecretur, ſive ut Sacramentum iſtud conficiatur; ex quo diſſolves alterum argumentum.

Objicies 10. ex Gonet contra 4. aſſertion. Omnia ea verba ſunt neceſſaria ad eſſentiam conſecrationis ſub ſpeciebus vini, quæ neceſſaria ſunt ad exprimendum adæquatè, & perfectè naturam Evchariſtiæ; ſed illa verba, *novi & æterni* &c. neceſſaria ſunt ad exprimendum adæquatè & perfectè naturam Evchariſtiæ, nimirum quòd Sanguis effuſus fuerit ad declarandum ſacrificium & paſſionem Chriſti; ergo &c. Confirmatur 1. omnia iſta verba proferuntur in Eccleſia Latina eodem ritu & modo, tenendo calicem in manu, & antequàm proponatur Sanguis populo adorandus; ergo omnia ſunt de eſſentia. Confirmatur 2. auctoritate D. Thomæ citata num. 57. quæ adeò clara eſt pro iſta ſententia, ut Pius V. contrariam ſententiam juſſerit expungi ex Commentariis Cajetani, qui in hac parte D. Thomam deſerebat, eáque de cauſa in Catech. Trid. inſerta ſunt hæc verba: *opus eſt, ut Sacerdos* Evchariſtiæ *totam cognitam & perſpectam habeat*: eam igitur his verbis comprehendi, certò credendum eſt, hic eſt calix Sanguinis mei, novi & æterni Teſtamenti, Myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

111. Reſp. diſt. maj. naturam ſecundùm eſſentialia Evchariſtiæ, con. ſecundùm accidentalem explicationem, nego maj. & diſt. min. nego conſequentiam; nam cùm ad eſſentiam ſolùm pertineat, quòd Sanguis Chriſti per illam converſionem, & tranſubſtantiationem ſubſtet ſpeciebus vini, & totum jam habeatur ex vi illorum verborum, *hic eſt Calix Sanguinis mei*, ea ſolùm verba pertinent ad eſſentiam, quæ vel ipſe Adverſarius ſi contrarius ſibimetipſi eſſe non velit, negare non poteſt, cùm non minùs ſuperadditur accidentalis explicatio Evchariſtiæ ſub ſpeciebus panis per illa verba, hoc eſt Corpus meum, quòd pro vobis tradetur, quæ prolata fuerunt à Chriſto ex num. ſe-

quun

quàm ſub ſpeciebus vini per illa, novi, & æterni Teſtamenti &c. unde ſicut illa, *quod pro vobis tradetur*, non ſunt de eſſentia conſecrationis, neque iſta, *novi & æterni Teſtamenti &c.* erunt de eſſentia conſecrationis. Ad 1. Confirm. N. conſequentiam. Quia etiam particula *enim* exprimitur eodem ritu, & ſono vocis, & tamen non eſt de eſſentia; ad eum quippe ritum ſervandum ſufficit, quòd ex præcepto Eccleſiæ ita debeat exprimi ad ulteriorem explicationem rei conſecratæ, antequàm Sacramentum adorandum proponatur.

110. Ad 2. Confirm. nego conſequentiam: quia Cajetanus ex munere expoſitoris à ſua Religione deſtinati, tenebatur mentem D. Thomæ proponere, & non impugnare, eáque de cauſa expuncta fuit ab iis commentariis Cajetani ſententia: ſenſus autem D. Thomæ ſatis ſuſtineri poteſt: modo à nobis expoſito num. 59. alii autem cum Card. de Lugo judicant, D. Thomam vocare ea verba ſubſtantialia, non prout attinent ad eſſentiam, ſed prout attinent ad integritatem formæ conſecratoriæ; ſicut ſatisfactio dicitur pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ: pars autem integralis compoſiti non eſt accidentalis, ſed ſubſtantialis, ut patet in brachio reſpectu hominis. Hæc autem expoſitio Eximio Doctori valde diſplicet, cùm illa verba nullum cauſent effectum, qui abſque ipſis non cauſaretur, quo integretur Sacramentum; ſecùs ſatisfactio, cùm cauſet remiſſionem pœnæ, qui effectus ſine illa in Sacramento Pœnitentiæ non haberetur: effectus autem Sacramenti Euchariſtiæ integer habetur, & Sacramentum integrum abſque illis verbis; verba autem Catechiſmi non veniunt ad rem, cùm certum ſit in illis verbis comprehendi formam Euchariſtiæ, quod Catechiſmus aſſerit, cùm comprehendantur iſta verba, hic eſt Calix Sanguinis mei; non autem aſſerit eſſe de eſſentia omnia, in quibus iſta comprehenduntur; ſic unus Julius comprehenditur in Scuto, quin ex eo reliquæ partes Scuti ſint de eſſentia aut integritate unius Julii.

111. Objicies 11. Ex Chaterino, & aliis: Chriſtus non conſecravit verbis, ſed poteſtate excellentiæ; ergo malè probamus illa ſola verba, *hic eſt Sanguis meus*, vel eis æquivalentia, eſſe eſſentialia, quia Chriſtus ſolis illis conſecravit. Confirmatur, quando Chriſtus Euchariſtiam ſumendam dedit duobus Diſcipulis in Emaus, illam ſola benedictione confecit, ut colligitur ex illo Lucæ 24. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*; ergo &c. Reſp. N. antec. quia Chriſtus, & verbis, & poteſtate conſecravit, quatenùs potens alio ritu, voluit ex ſua poteſtate conſecrare verbis, ut conſtat ex teſtimoniis citatis à num. 79. Ad Confirm. N. conſequentiam: nam plures judicant, Chriſtum tunc non conſecráſſe; vel ſi conſecravit, conſecráſſe verbis, quæ brevitatis cauſa ab Evangeliſtis omittuntur. Quin imò, & ſi tunc voluiſſet, certè potuit ſola benedictione, & in una ſpecie conſecrare, ut oſtenderet ſuam poteſtatem, quam habebat variis modis hoc & cætera Sacramenta conficiendi, qui modi eſſent moraliter idem, & benedictio tunc eſſet æquivalenter verba, ſicut ſigna, & nutus in contractu matrimoniali. Cæterùm iſta ad rem non veniunt, quandoquidem quærimus, quomodo Chriſtus in ultima cœna conſecraverit, & Sacramentum inſtituerit, nobisque conficiendum reliquerit: tunc enim conſtat ex dictis conſecráſſe verbis, & ſic præcepiſſe, à nobis impoſterum faciendum ex illo Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem.

112. Objicies 12. Inſtando ſolutionem: antequàm Chriſtus in ultima cœna proferret hæc verba, hoc eſt corpus meum, jam conſecraverat corpus ſuum: ergo in inſtitutione hujus Sacramenti non adhibuit verba, quibus nos utimur. Probatur antec. Matth. 26. ita habetur: cœnantibus autem eis, accepit JEſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait, *accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*. Juxta quam narrationem Chriſtus prius benedixit panem, quàm protulerit ea verba, hoc eſt corpus meum; atqui nomine benedictionis intelligi debet ipſa conſecratio; ergo &c. Reſp. negn antec. ad prob. diſt. maj. prius benedixit, benedictione diſtincta à verbis, conbenedictione conſecratoria, nego maj. & diſt. min. nego conſequentiam; etenim ſicuti res conſecrata eſt benedicta, ita & conſecratio eſt benedictio; unde licèt dari poſſit res benedicta, quin ſit conſecrata, nequit dari res conſecrata, quin ſit benedicta: Chriſtus autem antequàm proferret verba, benedixit panem, & vinum, ſed non per verba conſecratoria, & conſtat ex Tridentino, & SS. PP. citatis à num. 79. at per verba conſecratoria, conſecrando benedixit, quo in ſenſu plures SS. PP. loquuntur, ſic Ambroſ. de his qui initiantur cap. 9. hic eſt panis, quem benedictio conſecravit; unde conſecratio confecta fuit à Chriſto verbis, quibus Eccleſia utitur.

113. Objicies 13. Si forma eſſentialis conſecrationis vini, ſtaret in his ſolis verbis: hic eſt Calix Sanguinis mei, reliqua verba novi, & æterni Teſtamenti &c. vel proferentur à Sacerdote recitativè ſimul, & enunciatiè, vel non? Si 1. ergo per illa conficitur Sacramentum; ſi 2. ergo non deberent eodem tenore vocis proferri contra Eccleſiæ praxin, & præceptum. Reſp. reliqua verba non eſſe neceſſe, ut proferantur enunciativè, cùm ante illa jam ſit confectum Sacramentum. Addo illa verba: qui pro vobis, & pro multis effundetur, non poſſe dici pro nunc enunciativè, cùm Sanguis Chriſti jam effundendus non ſit; ex quo rurſus impugnantur Adverſarii; debent autem dici eodem tenore vocis, quia ita habet praxis Eccleſiæ; tenor enim vocis non mutat verborum ſenſum, nec perficit, ſed inſtitutio Chriſti, ex qua illa ſunt conſecratoria, & non iſta,

cùm ex Christi institutione illa sint instituta ad consecrandum, & ista non. Neque ex parte Sacerdotis Sacramentum istud conficientis necessaria est ulla reflexio, quando verba illa proferuntur, cùm habeat jam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quod satis est, ut institutio Christi, & Ministro, & fidelibus per revelationem notificata, juxta illud Pauli, & Lucæ, hoc facite in meam commemorationem, cadat supra illa verba modo, quo necessarium est ad valorem Sacramenti, & verborum veritatem.

114. Objicies 14. Contra 5. assert. Eucharistia est Sacramentum permanens secundùm id, quod dicit ut materiam à Christo institutam: atqui licèt species panis, & vini, corpus & Sanguis Christi sint materia permanens, verba tamen consecratoria non sunt quid permanens; ergo non possunt se habere respectu institutionis Christi ut materia, ac proinde non constituent ex Christi institutione intrinsecè Eucharistiam. Confirmatur 1. verba consecrationis corporis & Sanguinis solùm habent sensum connexivum cum antecedentibus, ut indicat particula *enim*, quasi diceretur: accipite, & commedite, quia hoc est corpus meum; atqui sensus connexivus non constituit intrinsecè Sacramentum, aliter illa verba prævia necessaria ad sensum connexivum, Sacramentum intrinsecè constituerent; ergo &c. Confirmatur 2. Sacramentum secundùm id, quod dicit pro re instituta, est actio moralis Christi; sed neque corpus, neque Sanguis Christi est actio moralis, sed pars Christi constitutiva; ergo illud conjunctum à nobis explicatum non potest constituere intrinsecè Eucharistiam.

115. Resp. dist. maj. secundùm id, quòd dicit ut materiam 1. compositionis, con. 2. compositionis; nego maj. & con. min. nego consequentiam. Ratio est, quia ut res ad placitum instituta dicatur permanens, sufficit, quòd sit permanens secundùm materiam 1. compositionis, licèt forma illius 1. compositionis solùm moraliter perseveret, quod ita sæpissimè inter homines contingit. Sic quando Petrus & Paulus in hunc modum conveniunt: præcede via recta, & ego subsequar, sed exspecta me, ubi primum inveneris signum vini venalis, si autem ego priùs accedam, ibi exspectabo te. Tunc enim datur duplex compositio. Prima est, compositio signi ex ramo ut materia, & voluntate hominum, ut forma. Secunda est aggregatum ex ramo, & voluntate hominum tanquam materia, & ex conventione Petri & Pauli tanquam forma. Ex eo autem, quod materia 1. compositionis, nempe ramus, sit permanens, totum illud institutum à conventione Petri & Pauli vocatur permanens, non quidem permanentia requisita ad constitutivum totius physici, sed ad constitutivum signi ad placitum. Pariter ergo in nostro casu ut satis constat ex dictis à num. 35. de Sacram. ubi dissolvimus reliqua contra istam conclusionem militantia. Neque verba, quæ nunquam exstiterunt, possunt perseverare moraliter, sicut verba, quæ præterierunt; nam perseverantia moralis dicit pro termino à quo prævium existentiam, quam dicere nequeunt verba, quæ nunquam existerunt, ut pater.

Ad 1. confirmationem nego maj. nam in forma consecrationis particula *enim* non significat *quia*, sed significat *verè*, juxta illa verba Christi Joannis 6. caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Quo in sensu viderur intelligere eandem particulam Trid. sess. 13. cap. 4. dicens: *quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit.* Imò si haberet sensum connexivum, illum haberet ex institutione Christi, posita intentione Ministri faciendi, quod fecit Christus; ad quod non requiritur expressio verborum præcedentium ex dictis num. 48. & 82. Ad 2. confirmationem dist. maj. ei actio moralis prout constituit concretum a compositionis factum nomine Christi, con. prout dicit rem independenter à constitutione illius concreti, nego maj. & dist. min. nego consequentiam: quia sicut Christus in Sacramento Eucharistiæ & est instituens & res instituta sub diversis conceptibus, ita corpus & Sanguis Christi constituunt actionem moralem Christi, & ipsum Christum sub diversis conceptibus. Cæterùm quia in illo concreto constitutivo actionis moralis Christi reperitur id, quod independenter à constitutione comprehendit, constituit intrinsecè ipsum Christum, eâ causâ Sacramentum Eucharistiæ excedit multum reliqua omnia Sacramenta, & continet non solùm moraliter, sed verè & realiter ipsum Christum.

Objicies 15. Corpus & Sanguis Christi, prout in Sacramento, nullo sensu percipiuntur. Rursus species, etsi possint percipi, non ducunt in cognitionem effectus Sacramentalis, nempe gratiæ; in cognitionem etenim hujus effectus ducit sumptio, sicut verba ducunt in cognitionem corporis Christi sub accidentibus; ergo solummodò verba & sumptio constituunt Eucharistiam, secus autem corpus, Sanguis, aut species. Resp. dist. antec. immediatè, con. mediatè, nego antec. & consequentiam. Ratio est, quia ut aliquid sit mediatè sensibile sufficit, quod constituat totum, quod per aliquam illi partem fit sensibile: sic Anima constituens cum corpore hominem sensibilem, dicitur mediatè sensibilis: sic apud Adversarios in Sacramento pœnitentiæ dolor internus pœnitentis est mediatè sensibilis, quia constituit totum cum actibus externis sensibilibus; eo etiam modo species ducunt in cognitionem corporis & Sanguinis Christi, prout constituunt totum cum verbis consecratoriis, quæ sensibiliter ducunt in cognitionem corporis & Sanguinis Christi.

Pariter aggregatum sensibile ex rebus & verbis, prout est actio moralis Christi, & consti-

tuit totum cum ipsius institutione, ducit ut virtus gratiæ in gratiæ cognitionem. Sumptio autem non ducit in cognitionem gratiæ, ut virtus collativa gratiæ, cùm non sit pars intrinseca Sacramenti, sed purus terminus ex dictis num. 67. quod manifestè constat ex Trid. citato num. 39. ubi definit Evchariſtiam esse Sacramentum ante usum, sive ante sumptionem: cùm autem non possit dari Sacramentum, quando deficit aliqua essentialis pars Sacramenti, exinde manifestè colligitur, sumptionem non esse partem essentialem Sacramenti Evchariſtiæ, idipsum clariùs apparet ex ipsa Sess. 13. cap. 5. ubi definit Trid. secundùm Religiosum morem Ecclesiæ Sacramentum Evchariſtiæ deferri per vias & loca publica: & can. 4. esse corpus & Sanguinem Christi in Sacramento Evchariſtiæ ante usum.

DISPUTATIO III.

DE TRANSUBSTANTIATIONE.

119. TRansubstantiatio est una ex speciebus conversionis; conversio autem, ut ex dicendis constabit, est destructio termini à quo ex vi termini ad quem producti sub eodem tertio communi. Quadruplex assignari solet conversio 1. formalis accidentalis, quando nimirum termini sunt formæ accidentales 2. formalis substantialis, quando termini sunt formæ substantiales. 3. materialis substantialis, quando nimirum termini essent materiæ substantiales. 4. substantialis totalis, quando tota substantia, quæ erat sub his accidentibus, est terminus à quo, & substantia succedens sub iisdem accidentibus est terminus ad quem; & hæc vocatur transubstantiatio, quapropter in Evchariſtia terminus à quo est tota substantia panis & vini; terminus ad quem, corpus & Sanguis Christi, in quod convertitur substantia panis & vini. 3. commune, accidentia, quæ à substantia panis & vini transeunt ad continendum sub se corpus & Sanguinem Christi; terminos conversionis jam ex Philosophia notos suppono, tum & mutationem positivam unam, negativam alteram, quæ in quacunque conversione reperiuntur. Cæterùm quia multiplices circumferuntur circa conversionis constitutivum sententiæ, ex quibus explicandum est Evchariſtiæ Mysterium, perstringam breviter, quæ ad præsentem controversiam necessaria sunt.

SECTIO I.

Explicatur Conversio.

120. SUppono 1. conversionem non esse puram commutationem, translocationem, aut transmigrationem; ratio est, quia commutatio, translocatio, aut transmigratio etsi adequatè substantialis, fieri potest sine destructione termini à quo, & sine productione termini ad quem. Unde si tota substantia panis *A.* poneretur sub accidentibus panis *B.* & tota substantia panis *B.* sub accidentibus panis *A.* daretur adequata substantialis commutatio, translocatio & transmigratio substantiæ in substantiam, quin daretur conversio, ex defectu destructionis termini à quo, & productionis termini ad quem. Unde Aug. lib. 18. de civit. cap. 18. hanc assignat differentiam inter conversiones miraculosas & veras, quas Deus facit, & apparentes, quæ fiunt à Dæmone, quòd à Deo fiunt per veram & substantialem rerum conversionem, à Dæmone verò per solam invisibilem translocationem. Sic Pytagorici admittebant transmigrationem animarum, non verò conversionem unius animæ rationalis in aliam: neque Catholici, neque reliqui Philosophi eos impugnantes intulerunt unquam contra Pytagoricos ex eorum sententia inferri animarum conversionem. Quare ex communi omnium sensu, sive ex significatione, quam habet hæc vox conversio apud homines, clarè deducitur, id non sufficere ad conversionem. Exinde neque sufficit pura desitio termini à quo, cùm hæc fieri possit per annihilationem, sive suspensionem puram concursus absque actione agentis in terminum conversionis.

Suppono 2. conversionem non esse aggregatum omnino accidentale duarum mutationum. 121.
Ratio est quia si in eodem instanti, in quo aër fit calidus amitteret lucem, non exinde daretur conversio calidi in lucidum, ex defectu productionis termini ad quem, afferentis ex se incompossibilitatem cum termino à quo, in eodem subjecto, solumque daretur transmigratio lucidi in calidum: calor quippe non producebatur ad expellendam lucem, sed hæc deficiebat merè accidentaliter, quando adveniebat calor; atqui tunc daretur aggregatum omnino accidentale duarum mutationum; ergo &c. Suppono 3. subjectum commune non exigere cum termino ad quem unionem similem illi, quam habebat cum termino à quo. Ratio est quia sicut cum termino ad quem constituere valet compositum diversi generis, ita & admittere potest diversi generis unionem. Unde si constituat compositum Physicum, adhibenda est unio Physica; moralis, si constituat compositum morale; & sola sufficiet penetratio, si constituat compositum per solam penetrationem termini ad quem cum 3tio communi: unio enim non requirit majorem uniendi vim, quam extrema exigunt ad suum compositum conficiendum, ut per se patet.

Suppo-

122. Suppono 4. Propositiones enunciativas tam in conversionibus, quàm extra illas, quando per apparentiam, quæ facta est propria rei enunciatæ, demonstrant unum ad sensum, & aliud ad intellectum, si apparentia sensibilis, quæ demonstratur ad sensum, ex sua natura est determinata ad significandum unam solam substantiam ad intellectum, tunc juxta sincerum ac communem loquendi modum, demonstratio unius substantiæ est virtualis exclusio alterius substantiæ sub eadem apparentia. Unde demonstratio corporis & Sanguinis Christi per accidentia panis & vini, est per se ipsam virtualis exclusio substantiæ panis & vini sub illis accidentibus: sic quando dicimus, *hic est homo*, objectâ sensibus unâ tantum rei apparentiâ, demonstramus solum hominem subesse accidentibus, vi quorum demonstratur. Hæc unitas apparentiæ per se sensibilis, ex se ad unum determinata, observanda est diligenter in præsenti: nam si detur duplex apparentia, affirmatio unius substantiæ sub unâ apparentia, non est exclusio aut negatio alterius substantiæ sub altera apparentia: sic quando objicitur sensibus energumenus operans exteriùs ut talis, licèt dicere *hic est homo*, *hic est Dæmon*, & neutra affirmatio includit in se negationem alterius affirmationis, quia in eo casu datur duplex per se sensibilis apparentia, una quo ad accidentia & operationes proprias hominis, eidemque connaturales; altera quo ad operationes præternaturales respectu hominis, & quæ non nisi à Dæmone procedere aut possunt aut solent; pariter si apparentia ex natura sua esset ordinata ad plures terminos significandos, sicut natura Divina est cognoscibilitas ex se trium personarum, affirmatio unius ex illa apperentia, non esset negatio alterius.

123. Suppono 5. quandoque apparentiam sensibilem ex natura sua non determinatam ad significandum terminum, desumi etiam ex hominum consuetudine ad significandum illum extra conversionem, non quidem ex vi apparentiæ, quæ facta sit propria rei significatæ, sed per metonymiam, v. g. quando dolium continet vinum, tum enim juxta serium & verum loquendi modum dupliciter fieri potest affirmatio. 1. in ordine ad rem continentem, 2. in ordine ad rem contentam: sic dicimus, *hoc est dolium*, tùm etiam demonstrando dolium dicimus, *hoc est vinum*; quibus affirmationibus non exprimimus, rem contentam apparere per continentem, sive cum illa penetrari, efficiendo illam suam sensibilem apparentiam; sed solùm significamus, concavitatem esse plenam vino, sive vinum replere eam concavitatem. Quando autem res contenta penetratur cum apparentia sensibili, non potest habere eandé significationem ab hominibus impositam replendi concavitatem, ideóque non est verè affirmabilis per apparentiam sensibilem, si hæc aliam substantiam contineat, eamque naturaliter significet. Quapropter in energumeno viso defectu proprio, & solius hominis, non est verùm dicere, *hic est Dæmon*: sic casu quo per revelationem scirem Angelum esse penetratum cum equo, si nulla præsentia Angeli apparentia manifestetur, non possum verè dicere monstrando equum, *hic est Angelus*.

Tum etiam si linteum penetratum est qualitate & odore Balsami monstrata sola sensibili apparentia lintei, non potest verè dici, *hoc est odor Balsami*; bene verò applicato linteo faciendi, ut percipiatur sensibiliter ille odor: unde in eo casu, ut detur 2. vera affirmatio, requiritur 2. sensibilis apparentia. Si verò sub demonstratis accidentibus Balsami, 1. substantia Balsami, quam continebant, destruatur, & alia, v. g. olei, sub illis substituatur, tunc illis accidentibus demonstratis, falsum esset dicere, *hoc est Balsamum*; & verum esset, si diceretur, *hoc est oleum*; ac proinde ex veritate istius enunciationis, *hoc est oleum*, in eo casu legitimè inferretur sub illis accidentibus desitio Balsami. Hac de causa cùm post consecrationem in Eucharistia maneat unica illa apparentia accidentium panis & vini, quæ erat ante consecrationem, ex eo præcisè quòd solis illis accidentibus demonstratis sit verum dicere, *hoc est Corpus Christi*, *hic est Sanguis Christi*, legitimè infertur, non remanere jam sub illis accidentibus substantiam panis & vini. 227.

Quamobrem Trid. sess. 13. cap. 4. non solùm definivit in Eucharistia fieri conversionem, sed etiam docuit, hanc conversionem colligi ex veritate verborum sive ex ipsa consecratione: sic enim habet: *Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia DEI fuit, idque nunc denuo Sancta hac Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus.* Ex eadem ratione à nobis assignata intulerunt ex vi verborum hanc conversionem ante Tridentinum S. Thomas 3. pa. qu. 75. art. 2. & plures SS. PP. apud Vasquez dis. 180. cap. 4. quos plurimi Theologi Scholastici postmodùm sunt secuti. His positis,

Affero cum pluribus DD. quos citat, & sequitur Eximius Doct. disp. 50. in 3. part. ad conversionem essentialiter requiritur destructio termini à quo ex vi termini ad quem, ut 2. saltem producti sub eodem 3. communi. Probatur, & explicatur conclusio, ut detur non solùm mutatio, aut translocatio termini à quo sed etiam conversio ipsius, necesse est, ut terminus à quo destruatur, ut constat ex num. 120. sic ut lignum convertatur in ignem, necesse est, ut lignum destruatur. Rursus ut coexistentia termini ad quem cum 3. communi, sub quo destruitur terminus à quo, non solùm sit accidentalis aggregatio duarum mutationum, sed potiùs constitutivum ejusdem 128.

passivæ

passivæ conversionis, requiritur, ut sub illo 3. communi de novo producatur terminus ad quem, si antè productus non est, ad finem expellendi terminum à quo ab illo 3. communi, cum qua expulsione terminus à quo in rerum natura non conservetur; vel si jam ante conversionem productus est alibi terminus ad quem, ponatur modò ejus substantia præsens sub 3. communi, ex vi actionis reproductivæ illius sub illo 3. quæ vocatur productio quo ad secundum esse. Et indispensabiliter requiritur, ut constat ab inductione per omnes conversiones. Sic producitur ignis sub materia ligni ad expellendum lignum; ergo &c. Confirm. 1. impossibilis est conversio absque actione agentis: etenim ratione conversionis non solùm deficit, quod antè erat, sed fit etiam, quod antè non erat; ergo si actio agentis non tendit ad formam, non dabitur conversio formæ in formam; & si non tendit ad substantiam, non dabitur conversio substantiæ in substantiam, ac proinde si conversio fit ex termino à quo in terminum ad quem, non solùm exigitur ex vi actionis agentis destructio termini à quo, sed etiam productio termini ad quem.

227. Confirmatur 2. Ubi non potest dari destructio termini à quo, nec productio aut reproductio termini ad quem sub eodem 3. communi, sub quo vi exigentiæ illius productionis terminus à quo destruatur, impossibilis est conversio, ut evidens sit à partium enumeratione. Sic D. Thomas 3. pa. qu. 2. art. 1. docet, essentiam Divinam non posse in aliud converti, cùm sit incorruptibilis; nec aliud in ipsam, cùm sit ingenerabilis; ergo ad conversionem essentialiter requiritur destructio termini à quo, & productio aut reproductio termini ad quem sub eodem 3. communi, vi cujus terminus à quo destruatur. Confirmatur 3. ideò filius non converteretur in Patrem æternum, licèt loco filii succederet Pater in unione hypostatica, quia filius indestruibilis est, & Pater improducibilis, ac proinde impotens ratione productionis sub tertio communi inducere destructionem termini à quo; ergo &c. Conf. 4. Sicut se habet totum ad totum, quando unum convertitur in aliud, v. g. concretum ligni in concretum ignis, sic se debet habere substantia ad substantiam, quando una convertitur in aliam; atqui ut istud totum, nempe lignum, convertatur in istud totum, nempe ignis, necesse est, ut totum, quod se habet ut terminus à quo, nempe lignum, destruatur ex vi productionis totius, quod se habet ut terminus ad quem, nempe ignis; ergo idem dicendum est, quando substantia convertitur in substantiam. Ex dictis

128. Fit 1. Ex vi conversionis unius in aliud, v. g. ligni in ignem, apparentiam relictam, quæ erat propria ligni, fieri propriam ignis, unde sicuti ea demonstrata, erat verùm dicere ante conversionem, *hoc est lignum*, & erat falsum dicere, *hoc est ignis*; pariter, eâ demonstratâ, post conversionem est verùm dicere, *hoc est ignis*, & est falsum dicere, *hoc est lignum*. Fit 2. rem non existentem non posse agere, neque pati; ac proinde in sensu compositio destructionis termini à quo non esse possibilem conversionem, nec secundam illius destructionem; econtra dicendum de termino ad quem, licèt ante conversionem supponatur productus, nam cùm sit existens, est potens agere & pati: unde manet locus secundæ ipsius productionis: etenim ut notum jam ex physicis suppono, sicuti eadem materia potest divinitùs informari duplici forma aliunde totali, & idem corpus possit divinitùs habere secundam præsentiam adæquatè circumscriptivam, suppositata prima, ita & idem terminus ad quem potest divinitùs per secundam actionem reproduci, præsuppositâ prima productione per primam actionem, subindéque productus alibi per actionem non conversivam, potest hic produci per actionem conversivam; sic casu quo forma ignis præsupponeretur 1. producta, & conservata extra subjectum per actionem non conversivam posset in sensu compositio illius primæ productionis reproduci in materia ligni per actionem conversivam formæ ligni in formam ignis.

Fit 3. Ad inferendam naturam conversionis attendendam maximè esse actionem agentis in terminum. Quapropter si agens per suam actionem solùm producat unionem partium novi compositi, ita ut ex vi productionis corrumpatur unio primi compositi, & sic primum compositum destruatur, paritérque producatur unio secundi compositi, & sic secundùm compositum producatur, ita ut non producatur forma, quæ supponebatur anteà producta, sed hæc ad novum compositum afferatur per adductionem, in eo casu daretur conversio unius compositi in aliud, unionis nimirum in unionem; secùs autem formæ in formam: tunc enim daretur adductio aut transmigratio formæ absque illius productione, adeóque actio agentis non tenderet ad convertendam formam in formam, licèt ex adductione formæ terminus à quo desineret; sic desineret forma cadaverica, si anima rationalis corpori reuniretur, quin daretur conversio formæ cadavericæ in animam rationalem. Idem dicendum de termino à quo, si non destruatur per Adventum termini ad quem, sed solùm expellatur à subjecto. Ideirco per Adventum formæ cadavericæ non convertitur anima rationalis in cadavericam, licèt conveniatur homo in cadaver. Unde cùm conversio fiat ex termino à quo ad terminum ad quem, sicuti indispensabiliter requiritur ad conversionem destructio termini à quo, ita & productio termini ad quem. 129.

Fit 4. Prædicationem per communicationem idiomatum non habere locum in conversione, si rigorosè loquamur. Ratio est, quia ea prædicatio exigit extrema actu existentia 130.

sub eodem 3. communi, & est prædicatio in concreto: sic dicimus, homo est DEUS, & DEUS est homo; pariter in Saccharo, album est dulce, & dulce est album. Ob hanc rationem dici non potest, ignis est lignum, aut lignum est ignis: nam quando datur forma ligni, nondum est in materia ligni ignis; neque quando datur forma ignis, manet sub eodem subjecto forma ligni. Quando autem dicimus, homo vivus moritur, non significatur vivum esse mortuum, sed amittere vitam hominem, qui anteà erat vivus, unde non sunt prædicationes per communicationem idiomatum. Neque prædicationes substantiales in concreto fieri possunt ex vi solius unionis accidentalis, cùm unio accidentalis non possit constituere compositum substantiale, in quo unum extremum substentetur, seu in linea sua perficiatur ab alio, cùm una substantia ab alia non sustenteretur per unionem accidentalem, per quam solùm sustentatur accidens. Prædicationes autem substantiales per communicationem idiomatum illam habent apud homines significationem, ut docetur in tract. de Incarn. ut patet ab inductione per omnia concreta; quapropter licèt maneret in Eucharistia substantia panis unita per accidentalem unionem corporis Christi, ut deliravit Lutherus, non possent exinde prædicari in concreto substantia panis, & corpus Christi; unio verò hypostatica inter substantiam panis, & corpus Christi, quàm Bellarm. teste asserebat Rupertus, quem Eximius Doct. excusat, ipsius sensum aliter exponens, omnino est fictitia, utpote in Ecclesia DEI nunquàm audita, & repugnans Doctrinæ Tridentini citati num. 39. expressè definientis, non manere in Eucharistia substantiam panis & vini, de quo infra agemus in speciali disp. contra Lutherum & Calvinum. In prædicationibus autem accidentalibus aliter evenit, cùm solùm significetur accidentalis denominatio, quæ advenire possit decreto, vel per imperfectissimam unionem.

1311 Objicies 1. Licèt requiratur productio termini ad quem in conversione, si terminus ad quem sit terminus totalis, non requiritur ea productio, si terminus ad quem sit terminus partialis, v. g. sola forma; ergo ad conversionem non requiritur indispensabiliter productio termini ad quem. Probatur antec. terminus totalis non solùm debet produci per secundam actionem, sed omnino quo ad primam, quod non requiritur, quando terminus est sola forma; ergo licèt debeat produci terminus totalis, non exinde debet produci in conversione formæ, forma. Probatur antec. lignum simul album, & calidum, licèt ex vi novæ reproductionis albedinis amitteret calorem, non ideò diceretur calidum conversum in album. Tum etiamsi corpus Christi præexisteret sub pane, & postea sui reproductione panem expelleret, non ideò panis converteretur in ipsum; ergo &c.

Resp. nego antec. ad prob. nego quod [illegible] partem antec. ad prob. nego antec. tunc non [illegible] eo quòd terminus à quo verè destrueretur ex vi termini ad quem, ut per eam actionem producti respectivè ad illam productionem daretur conversio, 1. quippe productio, ratione ejus terminus à quo & ad quem conjungeretur, ita se habet ad conversionem, ac si non esset; cùm autem si non præexitisset ea 1. productio, sed quæ modo est 2. esset 1. daretur ad huc apud ipsos Adversarios, ex vi hujus actionis vera conversio; pariter quantumvis præstiterit 1. productio, negari non posset fieri veram conversionem, quando 2. productio advenit, cùm ratione illius detur sub eodem 3. communi vera productio termini ad quem, ratione cujus adest desitio & destructio termini à quo: sic licèt non daretur conversio, si Deus naturalem exigentiam impediret, daretur quando ex vi illius exigentiæ naturalis produceretur terminus ad quem, & destrueretur terminus à quo.

Objicies 2. Erat diversitas conversionis in [illegible] se talis sine productione termini ad quem; ergo ad veram conversionem non requiritur productio termini ad quem. Probatur antec. si Deus auferret à Petro formam albedinis, eamque uniret Paulo, à quo auferret formam nigredinis, quam Petro uniret, tunc daretur in Petro vera conversio, albi in nigrum, & è contra in Paulo nigri in album; sed tunc non daretur productio termini ad quem; ergo &c. Resp. nego antec. ad prob. dist. maj, daretur conversio albi in nigrum, sumpta conversione concreti in concretum, con. Sumpta conversione formæ in formam, nego maj. & dist. min. non daretur productio termini ad quem, nempe concreti; nego; formæ illius concreti, con. min. & nego consequentiam, nam ut detur productio concreti, sufficit, quòd detur productio unionis nectentis partes illius compositi; sic Petrus producit Paulum ex eo, quòd producat unionem materiæ & animæ rationalis, quin producat materiam 1. aut animam rationalem Petri, & homo moritur ex eo, quòd talis unio destruatur, quamvis non destruatur materia 1. nec anima rationalis.

Quapropter denominatio concreti producti vel destructi desumitur, & significat productionem vel destructionem unionis, cùm autem in eo casu daretur destructio unionis Petri cum albedine, & productio unionis Petri cum nigredine, (idem esto suo modo in concretis moralibus) daretur conversio albi in nigrum, sumpta conversione concreti in concretum: cùm autem non daretur destructio albedinis, neque productio nigredinis, non daretur conversio formæ in formam, quod velint, nolint, tenentur dicere ferè omnes Adversarii dicentes, requiri ad conversionem destructionem termini à quo, tunc enim cùm solùm daretur destructio concreti, & non destructio formæ, adhuc apud ipsos Adversarios daretur solùm conversio concreti

creti in concretum, non autem formæ in formam. Unde sicut apud ipsos non sufficit ad conversionem productio termini ad quem, si non detur etiam destructio termini à quo; ita apud nos ex firmiori fundamento non potest dari vera conversio, licèt detur destructio termini à quo, sic non detur etiam productio termini ad quem.

135. Objicies 3. In Eucharistia datur vera conversio panis in Corpus Christi; atqui non producitur terminus ad quem; ergo &c. Probatur min. ex Trid. sess. 13. cap. 4. citato num. 125. colligitur ea conversio ab Ecclesia ex veritate verborum; sed ad istam veritatem non est necessaria productio Corporis Christi; ergo &c. Resp. con. maj. & nego min. ad prob. con. maj. & nego min. etenim ex ipsis verbis consecrationis colligitur reproductio Corporis Christi in Eucharistia, nec aliter possunt verba rectè explicari, ut constabit sect. sequenti; verba quidem Eucharistica, ut planum est apud omnes Theologos, causant id, quod significant, eáque de causa Theologi cum S. Ambrosio, illa vocant Operatorium Sermonem, ut dictum supra, cùm autem illa verba significent Corpus Christi sub accidentibus panis, propterea ex vi verborum debet sub accidentibus panis Corpus Christi reproduci, ita ut verba sint causa effectiva moralis, & Deus causa Physica efficiens, ex dictis à num. 167. de Sacram. & dicendis à n. 147. Cœterùm pro clariori horum omnium intelligentia & Mysterii explicatione sit.

SECTIO II.

De Conversione Eucharistica.

136. COnstat ex Trid. cit. num. 39. conversionem Eucharisticam esse transubstantiationem, quatenùs tota substantia panis convertitur in substantiam Corporis Christi, & tota substantia vini in substantiam Sanguinis ejus. Quærimus modò, in qua actione consistat ista conversio, & quis sit terminus formalis illius. Varia sunt auctorum placita. 1. Sententia docet solùm esse actionem adductivam Corporis Christi ad Eucharistiam, ita Scotus. Bellarm. plúresque alii, quos citat & sequitur Maurus qu. 140. addens cum Vasq. ad hanc transubstantiationem sufficere, quod Corpus & Sanguis Christi succedant substantiæ panis & vini in munere substandi speciebus, seu accidentibus Eucharisticis.

137. Secunda sententia tenet, ex eo præcisè salvari veritatem transubstantiationis Eucharisticæ, quòd Corpus & Sanguis Christi terminent unionem adhæsivam cum accidentibus panis & vini, ita ut existant sine subjecto, ac proinde terminum actionis conversivæ esse, eam solam accidentalem unionem. Ita Alanus, Henriquetur & Valentia. 3. Sententia docet, requiri actionem reproductivam Corporis Christi, ita plures, quos citat & sequitur Eximius Doc. Disp. 50. sect. 3. 4. & 5. cui vel nolentes subscribunt plures Thomistæ cum Gonet & Contenson. Cœterùm adhuc est inter istos auctores magna dissensio in decernendo, quomodò ex Christi reproductione desinat sub accidentibus substantia panis & vini. Aliqui judicant desinere ex vi alterius actionis; ita plures recentiores; alii tantum moraliter ex voluntate Dei. Ita Petrus à S. Joseph. Esparza & alii; alii Physicè ex incompossibilitate naturali substantiæ Corporis & Sanguinis Christi cum substantia panis & vini sub iisdem accidentibus. Ita Monceus, Albertinus & Carleton; alii Physicè ex vi ipsius actionis reproductivæ, ita Quiros cùm pluribus recentioribus.

138. Assero 1. Transubstantiatio Eucharistica, non est actio adductiva Corporis & Sanguinis Christi ad solam præsentiam localem formaliter terminata. Probatur 1. actio adductiva est actio loco motiva rei, quæ adducitur: atqui per transubstantiationem Eucharisticam Corpus & Sanguis Christi non moventur localiter; ergo &c. consequentia tenet, & ma constat, quia adduci unum ex isto ad illum locum, est moveri ex isto ad illum; min. verò probatur: motus localis impossibilis est, nisi unus locus per modum termini à quo deseratur, & alius tanquam terminus ad quem acquiratur; ac proinde si Christus existens in Cœlo adduceretur ad Eucharistiam, Cœlos desereret, ut in terram sub speciebus Eucharisticis descenderet; sed hoc dici non potest; ergo &c. Confirmatur 1. terminus ad quem conversionis, ut ab agente provenit, debet afferre incompossibilitatem cum termino à quo, ut constat à n. 126. atqui actio adductiva non affert apud Adversarios talem incompossibilitatem; ergo &c. Confirmatur 2. & præoccupatur Bellarmini responsio; repugnantia termini ad quem cum termino à quo in vera conversione, non ex aliqua extrinseca Dei ordinatione, sed ex natura ipsius conversionis peti debet, aliàs omne quod ex voluntate Dei desiit, simul atque aliud incipit esse, diceretur in illud converti, quod est absurdum, ut constat ex num. 121. ergo &c. Confirmatur 3. quia hæc sententia manifestè repugnat doctrinæ Ecclesiæ Orientalis in censura contra Luther. ut constabit num. 149. ergo &c.

139. Probatur 2. transubstantiatio Eucharistica est vera conversio, dicens pro termino ad quem corpus & Sanguinem Christi, ut habet Trid. num. 39. sed ad veram conversionem requiritur reproductio saltem termini ad quem, ut constat à num. 126. ergo ad transubstantiationem Eucharisticam requiritur reproductio corporis & Sanguinis Christi. Confirmatur; transubstantiatio debet habere pro termino formali ad quem aliquid substantiale; atqui terminus formalis actionis purè adductivæ Corporis & Sanguinis Christi non est substantialis; ergo &c. Probatur min. actio adductiva producit motum

Corporis, vel ejus præsentiam, quæ apud Adversarios est accidentalis; ergo &c.

140. Respondeb. 1. *Sufficere* ad conversionem substantialem, quod terminus à quo sit substantialis. Contra tamen 1. hæc responsio non bene consonat Trid. Sess. 13. cap. 4. inferenti conversionem Evcharisticam ex eo esse vere & propriè transubstantiationem, quia est conversio totius substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi; ergo substantialis conversio exigit utrumque terminum substantialem. Contra 2. transformatio est transitus de forma ad formam; ergo transubstantiatio est transitus de substantia ad substantiam: ac proinde non solus terminus à quo, verùm & terminus ad quem debet esse substantialis. Contra 3. in conversione 1. & principaliter exigitur ab agente terminus ad quem; ac proinde principaliùs concurrit ad denominandam & constituendam conversionem, quàm terminus à quo; ergo si terminus à quo debet esse substantialis, ut conversio sit substantialis, potiùs debet esse substantialis terminus ad quem. Contra 4. non minùs requiritur ad conversionem terminus à quo & ad quem, quàm subjectum & albedo ad concretum album; sed concretum album non est substantiale, ex eo quòd uterque terminus substantialis non sit; ergo neque conversio erit substantialis, si uterque terminus substantialis non sit.

141. Respondeb. 2. Terminum ad quem actionis adductivæ constitui ex Præsentia & re adducta; cùm autem res adducta sit substantialis, nempe Corpus & Sanguis Christi, exinde terminus ad quem conversionis Evcharisticæ est substantialis. Contra 1. ut actio dicatur substantialis, non sufficit, quòd terminetur ad producendam rem accidentalem constituentem unum concretum cum altera substantiali; ergo neque sufficit ad actionem conversivam substantialem. Probatur antec. actio productiva unionis albedinis cum materia 1. caloris, & sic de aliis, est accidentalis, quantumvis terminetur ad constituendum concretum, ex albedine & aliquo substantiali; ergo &c. Contra 2. Corpus Christi constituens concretum cum præsentia inducta ab actione adductiva, vel constituit concretum ut verè Corpus producitur per illam actionem, vel ut solùm producitur per illam actionem accidentalis præsentia Corporis. Si 2. ergo illa actio conversiva non est substantialis, sed accidentalis. Si 1. ergo non est actio purè adductiva, sed verè productiva.

142. Respondeb. 3. cum Vasq. ad actionem transubstantiativam opus non esse, ut 1. & per se ad substantiam terminetur, sed sufficere, ut in ea interveniat quidam ordo substantiarum, quarum una succedat alteri, ideoquè dicatur in illam converti. Contra 1. præcisè translocatio, aut transmigratio substantiæ in substantiam insufficiens est ad conversionem, & transubstantionem, ut constat à num. 120. sed tunc substantia substantiæ succederet absque necessitate destructionis termini à quo, & productionis termini ad quem; ergo ea successio substantiæ in substantiam insufficiens est ad transubstantionem. Contra 2. si ad transubstantionem sufficeret ordo substantiarum, quarum una succederet alteri absque destructione termini ad quem, & absque productione termini ad quem, Corpus Christi converteretur in substantiam panis, aut in vermes, quando corrumpuntur species, non minùs, quàm panis convertatur in Corpus Christi, quandoquidem utrobique substantia substantiæ succedit; sed hoc dici nequit; ergo &c. Vide à num. 146.

Assero 2. non salvatur verus conceptus transubstantiationis, ex eò præcisè, quòd Corpus & Sanguis Christi uniantur formaliter speciebus panis & vini locò substantiæ ipsorum, aut sustentent accidentia Evcharistica conservando sine subjecto. Probatur 1. Corpus & Sanguis Christi possent uniri accidentibus, eaque sustentare absque destructione & cum sola translocatione substantiæ panis & vini; & posteriter absque productione, & cum sola adductione substantiæ corporis & Sanguinis Christi, posita accidentali cum ipsis unione; sed hoc non sufficit ad conceptum veræ transubstantionis, ut constat à num. 126. & 138. ergo &c.

Probatur 2. sicut terminus Primarius immediatus & formalis actionis transformativæ debet esse forma, ita terminus Primarius immediatus & formalis actionis transubstantiativæ debet esse substantia: atqui actio terminata ad producendam unionem accidentium cum corpore & Sanguine Christi non habet terminum substantialem primarium, immediatum & formalem; ergo &c. Probatur min. terminus immediatus Primarius & formalis illius actionis est unio accidentium cum corpore & Sanguine Christi, cùm illa sola unio per talem actionem producatur; sed talis unio, utpote accidentium unitiva est accidentalis; ergo &c. Confirmatur licèt actio productiva unionis dicatur etiam productiva totius; si tamen unio & forma est accidentalis, totum consurgens non est substantiale, sed accidentale, ut patet in concreto subjecto & albedine, & à partium enumeratione in omnibus aliis; ergo totum illud, quod denominaretur terminus illius actionis, esset accidentale; ac proinde neque ex termino formali in re, neque ex termino denominante evaderet talis actio substantialis.

Assero 3. Actio transubstantiativa panis & vini in corpus, & Sanguinem Christi non est pura corporis & Sanguinis Christi conservatio. Aliqui Auctores cum Coneto supponunt, alteram istam esse contra Eximium Doct. sed meliùs ego supponam illos ipsum non legisse, quandoquidem Eximius Doct. non vocat istam actionem conservativam pro ut contradistam actione reproductiva, sed pro ut contra distinctam ab actione 1. productiva, ut habet disp. 50. tota sect. 4. & 5. & repetit in solutione ad

oppositâ. Probatur ergo Conclusio: actio purè conservativa, vel esset illa, qua corpus & Sanguis Christi conservantur in Cœlo, vel qua conservarentur in Eucharistia; sed neutra esse potest actio transubstantiativa; ergo &c. Probatur min. actio, qua corpus & Sanguis Christi conservantur in Cœlo, non exigit, quòd ponatur totum in toto, & totum in qualibet parte, neque quod substantia panis & vini destruantur, quòd exigere debet ea actio transubstantiativa. Rursus actio, qua Christus in Eucharistia conservatur totus in toto, & totus in qualibet parte, supponit Christum in Eucharistia jam positum, & subsantiam panis & vini destructam subaccidentibus Eucharisticis, nec aliud exigit, ut sit purè conservativa; ac proinde talis actio, ut sit purè conservativa, debet supponere actionem transubstantiativam, vi cujus reproducitur Christus sub accidentibus panis; & destruitur substantia panis & vini, cùm conservatio sit continuata productio, ac proinde supponens rem productam; ergo actio transubstantiativa nequit stare in actione purè conservativa.

146. Assero 4. Actio transubstantiativa substantiæ panis in Corpus Christi est reproductiva corporis Christi sub accidentibus panis, & exigitiva destructionis substantiæ panis sub illis accidentibus. Idem suo modo esto de actione transubstantiativa substantiæ vini in Sanguinem Christi. Probatur 1. Transubantiatio, ut constat ex Trident. cit. num. 39. & ex Flor. num. citando sequenti, est una ex speciebus conversionis, ac proinde comparatur ad conversionem, sicut species ad genus: ergo sicut species continet essentiam generis, v. g. homo essentiam animalis, ita transubstantiatio continet essentiam conversionis. Subsumo: atqui de essentia conversionis est, ut producatur terminus ad quem sub 3. communi, & ex vi talis productionis exigatur destructio termini à quo, ut constat à num. 126. ergo ad transubstantiationem substantiæ panis in corpus Christi, sub accidentibus panis, quæ sunt tertium commune, requiritur, quòd producatur corpus Christi sub accidentibus panis, & quòd destruatur substantia panis, ac proinde actio transubstantiativa substantiæ panis in corpus Christi sub accidentibus panis, erit actio productiva corporis Christi sub illis accidentibus, & exigitiva destructionis substantiæ panis sub eisdem.

147. Probatur 2. Verba consecrationis non solùm sunt causa formalis ex Christi institutione, sed etiam causa moralis efficiens corporis & Sanguinis Christi, simúlque causa moralis destructiva substantiæ panis & vini; ergo quando legitimè proferuntur verba consecrationis, Deus ex illorum verborum virtute physicè producit corpus & Sanguinem Christi sub accidentibus, & suspendit concursum conservativum substantiæ panis & vini, ac proinde propriissima intervenit transubstantiatio. Consequentia tenet; antec. verò probatur ex Florent. in Decreto Eugenii, ubi de forma Eucharistiæ hæc habet: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in Sanguinem convertuntur*; atqui substantia panis & vini non converterentur in corpus, & Sanguinem Christi, sed solùm in Christi præsentiam, si verba solùm essent causa moralis efficiens præsentiæ, non autem corporis & Sanguinis Christi, ut constat ex num. 129.

Confirmatur 1. Ab Eximio Doct. verba Sa- 148.
cramentorum, tanquam vera causa moralis efficiens, causant ex Christi institutione id, quod significant: atqui verba consecraoria directè significant Corpus & Sanguinem Christi sub accidentibus panis & vini, & non solam ejus præsentiam, etenim non dicimus, hæc est præsentia corporis mei, sed hoc est corpus meum, neque dicimus, hæc est præsentia Sanguinis, sed hic est calix Sanguinis mei; ergo &c. Confirmatur 2. non minùs fit conversio in Eucharistia substantiæ panis & vini in substantiam corporis & Sanguinis Christi, quàm in Cana Galileæ facta fuerit conversio aquæ in vinum, sed ex eo quòd in Cana Galileæ facta fuerit ea vera conversio, inferunt & bene omnes Theologi, vinum non aliunde adductum, sed ibi verè productum; ergo ex eo quòd in Eucharistia fiat ista vera conversio, inferri necessariò debet, Corpus Christi non aliunde adductum, sed ibi verè productum. Quare licèt verba non sine causa Physicè productiva, sunt moraliter effectiva, sive perfectiva Sacramenti; neque implicat, quòd eadem sit causa formalis & effectiva, ut constat ex num. 46. de sacr. neque quòd forma ad placitum, dum non denominat hanc materiam, præcedat materiam, sic voluntas hominum præcessit ramum post ipsam ortum, ab ipsa postea denominatum; & institutum in signum vini venalis, & institutio Christi præcedit verba post ipsam elicita.

Probatur 3. Concl. auctoritate SS. PP. qui 149.
Eucharistiam conversionem per veram Corporis Christi productionem explicant: sic auctor Sermonis de Cœnâ Domini apud Cyria, panis iste non effigie, sed natura mutatus, Omnipotentiâ Dei factus est caro. Ambr. lib. 3. de Sacram. cap. 4. panis iste panis communis est ante verba Sacramentorum, ubi advenerit consecratio, de pane fit corpus Christi. Aug. cap. *utrum sub figura* de consecr. dist. 2. *per Spiritum Sanctum potentialiter creari, & ex substantia panis effici.* Unde celebratur illa sententia, quæ S. Aug. & D. Greg. tribuitur; ô magna Sacerdorum dignitas, in quorum manibus velut in utero Virginis Christus quotidiè incarnatur; Damasc. lib. 4. cap. 14. panem & vinum, carnem & Sanguinem suum fecit. Hieronymus Epist. ad Eliodorum: honorifica Sa-

cerdotes, qui Christi corpus sacro ore conficiunt. Tandem Ecclesia Orientalis in censura doctrinæ Lutheranor. cap. 10. *Ecclesiæ S. judicium est, panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi virtute Spiritus S. transire, ac immutari, non quòd Christus descendat de Cœlo, ut in Eucharistia præsens adsit, sed quòd per transmutationem, & transitionem panis in ipsum Corpus, fiat præsens.* Quæ verba verè desumpta sunt ex Damasc. lib. 4. de fidei. cap. 14. modò sic; Stare non potest absque reproductione corporis Christi, quòd in Eucharistia corpus Christi fiat, quòd panis transmutetur, sive convertatur in Christi corpus, quin de cœlo Christus descendat; atqui ex ore Sanctorum PP. ita evenit conversio Eucharistica; ergo &c.

150. Assero 5. cum ferè omnibus Theologis contra Durand. & alios, transubstantiatio panis & vini in corpus & Sanguinem Christi ex verbis consecrationis rectè colligitur. Probatur 1. ex Trid. cit. num. 125. ubi colligit definitionem substantiæ panis & vini ex veritate verborum illorum, hoc est corpus meum, quæ Christus protulit consecrando; unde infert Trid. propriam in corpus & Sanguinem Christi transubstantiationem, simulque decernit, istam esse & fuisse perpetuam Ecclesiæ persuasionem. Quapropter Vasq. disp. 180. cap. 4. num. 43. ait, Trid. Concil. in ea definitione non solùm veritatem ipsam, sed etiam ejus fundamentum ita attentè apertè definire, ut qui assereret, nihil panis & vini in hoc Sacramento remanere, id tamen ex prædictis verbis non colligi, eodem modo hæreticus esset, ac si articulum ipsum negaret. Unde licèt Scotus & aliqui antiqui, qui ante Trident. scripserunt, excusari possint, non tamen ita facilè recentiores illi citati à Vasqu. qui post hanc Trid. definitionem censent, ex verbis consecrationis non colligi efficaciter transubstantiationem; ergo &c.

151. Probatur 2. ratione: hæc verba, *hoc est Corpus meum*, quæ Christus protulit suum corpus consecrando, significabant corpus Christi ad intellectum, repræsentata sola apparentia accidentium panis ad sensum (idem suo modo de consecratione Sanguinis) sed ista verba non possent, sub illa sola apparentia esse vera, si substantia panis maneret sub illis accidentibus; ergo transubstantiatio panis in corpus Christi rectè colligitur ex veritate verborum; major & consequentia tenent. min. patet ex dictis à n. 122, etenim si sub accidentibus panis maneret substantia panis, quantumvis cum corpore Christi penetrata, sicut non esset verum dicere: substantia panis est corpus Christi; ita demonstrata sola apparentia accidentium panis non esset verum dicere, hoc est corpus Christi; ergo &c.

152. Confirmatur 1. & explicatur hæc ratio, per verba consecratoria non affirmatur corpus Christi sub accidentibus panis tanquam contentum in continente, relicta pani sua propria apparentia, & alia propria apparentia Christo relicta; evidens enim est, Christum in Eucharistia non habere aliam propriam apparentiam, nisi apparentiam accidentium, ac proinde per illa verba affirmatur corpus Christi sub accidentibus panis, facta propria ipsi apparentia accidentium panis; sed non potest verè affirmari corpus Christi sub accidentibus panis per apparentiam panis factam Christo propriam, quin sub illis accidentibus desit substantia panis, & ponatur corpus Christi, adeoque ex natura rei detur vera conversio substantiæ panis in corpus Christi; ergo &c. Probatur min. nequit fieri propria Christi apparentia, quæ erat propria substantiæ panis, quin Christus substituatur locò substantiæ panis, ut demonstretur per illam apparentiam non minùs verè, quàm antea demonstrabatur substantia panis; atqui non posset ita demonstrari, quin deesset substantia panis ex appositione corporis Christi sub illis accidentibus panis; aliter non substitueretur locò panis; ergo & Confirmatur 2. apparentia quæ ex intrinsecis suis determinata est ad manifestandam unam solam substantiam, non esset propria hujus substantiæ in genere apparentiæ, si contineret aliam substantiam, ut evidens est in energumeno, in angelo cum equo penetrato & aliis similibus, quæ dedimus à num. 122. ergo ut apparentia, quæ erat propria substantiæ panis, sit propria substantiæ corporis Christi, necesse est, ut sub ea adsit corpus Christi, ut desinat substantia panis. Vide num. 154.

Probatur 3. Conclusio; demonstratis accidentibus panis non consecrati, est verum dicere, hîc est DEUS, & est falsum dicere, hoc est DEUS; ergo quando demonstratis per conversionem accidentibus panis dicitur verè, hoc est corpus Christi, utique signat supra id, quod signaret, si diceret, hîc est corpus Christi; sed nullum aliud assignari potest discrimen, nisi quòd ut sit vera hæc propositio, hîc est corpus Christi, sufficit præsentia corporis Christi in pane absque conversione substantiæ panis in ipsum; & ut dicatur, hoc est corpus Christi requiritur conversio substantiæ panis in corpus Christi; ergo ex veritate horum verborum colligitur vera conversio, ac proinde cùm conversio secum afferat destructionem termini à quo, & productionem termini ad quem, ex num. 124. talis destructio, & productio colligitur ex ipsa veritate verborum.

Confirmatur 1. Ex eo quòd ad veritatem verborum requiratur identitas inter subjectum, & prædicatum, saltem in eodem supposito, quo utrumque supponit ex dictis num. 130. & panis, nec identificetur cum corpore Christi, nec subsistat in eodem supposito, non esset verùm dicere, hoc est corpus meum, nisi per verba consecrationis in corpus Christi transubstantiare-

tiaretur, ſolúmque dici poſſet, hîc eſt corpus meum : ſolùm enim intima unius in alio præſentia non ſufficit, ut unum poſſit de alio prædicari, ut conſtat à num. 123. & 130. ſic quando corpus Chriſti exivit de ſepulchro, intimè erat præſens in lapide, quia in eo erat penetrativè, & tamen non poterat ſignato lapide verè dici, hoc eſt corpus meum, ſed duntaxat, hîc eſt corpus meum. Ergo &c. Confirmatur 2. ex S. Thoma hic art. 2. ratione 2. ubi contra admittentes manere in Evchariſtia ſubſtantiam panis ita diſſerit : *hæc poſitio contrariatur* formæ hujus Sacramenti, in qua dicitur, hoc eſt corpus meum, quod non eſſet verum, ſi ſubſtantia panis ibi remaneret : nunquam enim ſubſtantia panis eſt corpus Chriſti, *ſed potius eſſet dicendum, hîc eſt corpus meum.*

155. Reſpondebis cum Scoto in 4. diſt. 2. qu. 3. verba conſecrationis habere poſſe duplicem ſenſum; primum ut corpus, & Sanguis Chriſti ſimul cum ſubſtantia panis & vini ſint ſub accidentibus. Secundum, ut ſint corpus, & Sanguis Chriſti, & deſtruatur ſubſtantia panis & vini; ac proinde ab Eccleſia declarandum, quisnam ex illis duobus ſit verus verborum ſenſus, cùm ex ipſis verbis id colligi non poſſit. Ea autem verba, quæ Chriſtus protulit, hoc eſt eſt corpus meum, verè potuerunt in illis circumſtantiis dici à Chriſto, ait Scotus, quamvis ſub eis accidentibus manerent ſubſtantiæ panis & vini; ſicuti demonſtrato marſupio, in quo eſt aurum, poteſt dici, hoc eſt aurum, & ſignificato dolio, in quo eſt vinum, poteſt dici, hoc eſt vinum; quæ enunciationes veræ ſunt monſtratis accidentibus marſupii, & dolii; eò quòd ex intentione loquentis referantur ad unam ſubſtantiam, & non ad aliam, nempe ad contentam, & non ad continentem.

156. Contra 1. Quia hæc reſp. confundit duo prædicationum genera valdè diverſa, nimirum prædicationem ex vi apparentiæ, & prædicationem per metonymiam, quaſi unum, & idem genus eſſet prædicationis, & indiſcriminatim utrumque dici poſſet de Chriſto in Evchariſtia; atqui iſtæ prædicationes inter ſe valdè differunt, ut conſtat ex num. 123. & neutra dici poſſet de corpore Chriſti in Evchariſtia, ſi maneret ibi ſubſtantia panis, ut conſtat ex num. 152. ergo &c. Cæterùm ut hæc clariùs appareant, contra 2. licèt pronomen hoc demonſtrare poſſit tam ſubſtantiam contentam, quàm continentem, ſi iſta, vel ex natura ſua, vel ex uſu hominum inſtituta ſit ad illam continendam, ſicut in Exemplis allatis; non tamen quando ſubſtantia continens non ſic eſt idonea ad continendum ſubſtantiam, quàm de facto continet. Quare ſi ſub pane conſideretur argentum, non rectè diceret quis, hoc eſt argentum, demonſtrando panem; ergo cùm ſubſtantia panis non ſit neque ex natura ſua, neque ex uſu communi hominum apta ad continendum corpus Chriſti, non poteſt ſignificatâ tali ſubſtantia in Sacramento dici, hoc eſt corpus meum; ſubindéque verba illa Chriſti verificari nequeunt, niſi ſubſtantia panis in corpus Chriſti converratur

Contra 3. à priori: verba conſecrationis in circumſtantiis, in quibus prolata fuerunt à Chriſto, & proferuntur à Miniſtris, non poterant ſignificare corpus Chriſti per metonymiam, ſed ſolùm per veram converſionem; ergo ſolutio data eſt extra rem præſentem. Probatur antec. quando aliquid ſignificatur per metonymiam tanquàm contentum per rem continentem, non ſignificatur per apparentiam continentis factam propriam rei contentæ : ſignificatio enim per metonymiam fieri non poteſt, niſi res contenta retineat ſuam apparentiam, ſicuti ſuam retinet res continens, ideóque quando Chriſtus penetratus fuit cum lapide ſepulchri, & cum Januis Cænaculi, ex eo quod in illo conjuncto ex lapide & Chriſto, ſola eſſet apparentia lapidis, demonſtrato lapide falsò diceretur, hoc eſt Chriſtus; pariter ex eo quòd in conjuncto ex janua & Chriſto ſola eſſet apparentia Januæ, falsò etiam diceretur demonſtrata janua, hoc eſt Chriſtus; atqui quando Chriſtus protulit verba conſecrationis ſupra panem, & quando ea proferunt Miniſtri demonſtrando accidentia panis, non adeſt ibi apparentia Chriſti, ſed ſola apparentia panis; ergo demonſtrando illa accidentia, falsò diceretur per metonymiam, hoc eſt Chriſtus, ac proinde ſolummodo dicuntur verè ex converſione ſubſtantiæ panis, quam efficiunt in corpus Chriſti, ratione cujus apparentia, quæ erat propria panis, fit propria corporis Chriſti. 157.

Probatur 4. Concl. auctoritate SS. PP. qui ex illis Chriſti Domini verbis, hoc eſt corpus meum, colligunt converſionem panis in corpus Chriſti, ſic enim inferunt Cyprianus, Ambroſius, Auguſt. Damaſc. & Hieronym. cito num. 149. ſic etiam loquitur Theophylactus in caput 26. Matth. ubi explicans illa Chriſti Domini verba : hoc eſt corpus meum, hæc habet. *Hoc quod ſumitis eſt corpus meum, non enim tantùm figura & exemplar eſt Corporis Dominici panis; ſed in illud convertitur Corpus Chriſti.* Euſebius Emiſſenus, vel ut alii volunt Euchelius Lugdunenſis homil. 5. de Paſchate. Inviſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & Sanguinis ſui verbo ſuo Secreta poteſtate convertit. 158.

Præclariſſimè etiam S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus Epiſt. ad Adeodatum, quæ exſtat Tom. 1. Biblioth. PP. tranſubſtantiationem explicans ait : *dubitari* nefas eſt, ad cujus nutum cuncta ex nihilo, *ſubitò ſubſtiterunt, ſi pari potentia in ſpiritualibus Sacramentis terre-* 159.

na

ne materiales naturæ & generis sui meritum transcendens in Christi substantiam commutetur, cùm ipse dicat, *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis*: S. Gaudentius Brixiens Cypr. tract. 2. ad Exodum, *quando annunciatum est, credas, quod accipis, corpus*, panis illius cœlestis, & sanguis est illius sacræ vitis; nam cùm *panem consecratum, & vinum Discipulis suis porrigebat, sic ait, hoc est corpus meum, hic est Sanguis meus*: *Guismundus lib. 3. de Corporis & Sanguinis Christi veritate*: *hoc transmutatores suos ipse Dominus verbo oris sui interfecit, cùm accipiens panem, gratiásque agens ac benedicens ait: hoc est corpus meum, non ait: in hoc latet Corpus meum. Nec dixit, in hoc vino est Sanguis meus, sed dixit; hic est Sanguis meus.*

***

TRA-

TRACTATUS DE POENITENTIA,

PARS PRIMA.

DE VIRTUTE.

1. DUas sub eodem titulo principes partes complectitur tractatus iste, alteram de Pœnitentia virtute, alteram de Pœnitentia Sacramento. Nec solùm ad membra tituli divisio ista pervenit, sed litterarium etiam orbem transcendit, inter Doctores Theologos dissidium inducens, quod in duas etiam eos partes distraxit, nimirum an recta differendi methodus exigat, ut priùs de Pœnitentia Virtute; vel priùs de Pœnitentia Sacramento agere incipiant. D. Th. 3. part. quæst. 84. priùs agit de Pœnitentia Sacramento: quæstione verò 85. usque ad 89. *de Pœnitentia virtute*. Rursus quæst. 90. reassumens iterum doctrinam de Sacramento, Justorum morte ad laborum suorum præmia vocatus disputationem imperfectam reliquit. Cæterùm si ad claritatem doctrinæ attendamus, longè commodior videtur methodus Eximii Doctoris, qui priùs de Pœnitentia virtute, posteà de Sacramento disputat: virtus quippe Pœnitentiæ se habet sicut pars superior ad inferiorem, cùm possit reperiri Pœnitentia virtus sine Sacramento, at non è contra: unde quoad rationem virtutis in omni statu extitit, licèt non fuerit Sacramentum, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 1. Ordo autem doctrinæ postulat, ut priùs ab universalibus incipiamus. Virtutis itidem actus est pars Sacramenti, ac proinde ad cognoscendum totum oportet priùs naturam partis præmittere. Quod accuratè prænotavit Catechismus Tridentini titulo *de Pœnitentia*, dicens: *Ac primum quidem de ipsâ ut virtutis parte agendum est, non solùm quia fidelis populus ad omne virtutis genus instituì à Pastoribus debet, sed etiam quia hujus virtutis actiones tanquam materiam præbent, in quâ pœnitentiæ Sacramentum versatur: ac nisi priùs, quæ sit pœnitentæ virtus intelligitur, sacramenti etiam vim ignorari necesse est.* Quapropter à Pœnitentia virtute incipiemus, ut ad Pœnitentiam Sacramentum progrediamur. Agunt de Pœnitentia virtute non solum Scholastici cum Magistro in 4. distinct. 14. & cum D. Thom. ab ea qu. 85. sed etiam plures ex SS. PP, quos inter præcipuè Ambrosius in lib. *de Pœnitentia*, Cyprianus Sermone *de lapsis*, Chrysostomus duobus libris *de compunctione cordis*, & duodecim sermonibus *de Pœnitentia*, Auctor libri *de vera & falsa Pœnitentia* apud Augustinum tom. 4. tum & Tertullianus in lib. *de Pœnitentia*.

DISPUTATIO I.

DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA VIRTUTIS POENITENTIÆ.

1. NOmen istud *Pœnitentia* ad multa significata potest extendi. Primò sumitur genericè pro retractatione actûs præcedentis, præscindendo ab eo, quòd vel per actum vitiosum, vel per actum virtuosum fiat retractatio, quo in sensu Matth. 26. de Juda dicitur: *Pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos, & abjens laqueo se suspendit.* Secundò Philosophicè pro retractatione virtuosa actus pravi præcedentis, quæ fieri potest ab actu cujusque virtutis peccato commisso oppositæ, licèt motivum retractationis sit particulare, & non se extendens ad omnia peccata: sic peccatum furti quatuor Juliotum retractatur, per actum, quo ex odio talis furti quatuor illi Julii restituuntur, quo in sensu loquitur Aristoteles 7. *Ethicorum* cap. 7. Tertiò Theologicè pro retractatione virtuosa actûs pravi præcedentis ex generali motivo se extendente ad omnia peccata saltem gravia: sic dolor detestativus peccati furti propter turpitudinem offensæ gravis DEI, vel ob metum pœnarum, vel propter DEI Bonitatem peccato aversam, est actus Pœnitentiæ Theologicè sumptæ, qui quidem actus, utpote ex generali motivo elicitus ad omnia peccata saltem gravia se extendente, incompossibilis est saltem

virtualiter cum voluntate peccandi in posterum, ac proinde est propositum non peccandi de cætero. Cæterùm cùm voluntas sit potentia cœca, & egeat variis motivis secundùm naturam actus eliciendi, ad hujus actus elicientiam præcedit ex parte intellectus actus Fidei, quo illuminatur Voluntas, & ex parte voluntatis actus Spei obtinendæ à DEO veniæ, imò & actus timoris: quo in sensu loquitur Tridentinum sess. 14. cap. 4. dicens: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Unde si talis actus est actus virtutis, habitus productivus istius actus erit virtus. Quapropter idem est quærere in præsenti, an Pœnitentia theologicè sumpta sit virtus, quàm quærere, an actus Pœnitentiæ theologicè sumptæ sit virtuosus.

SECTIO I.

An Pœnitentia theologicè sumpta sit virtus?

§. I.

3. SUppono primo adeò conformem esse naturæ ut rationali virtutem, & vitium adeò difforme, ut ipso naturæ lumine, vel ipsis Ethnicis innotescat. Qua de causa antiqui Philosophi virtutem olim definierunt modo, quo posteà Sancti Patres, & Doctores Theologi eam definiunt: *Virtus enim est recta qualitas stabilis in potentia*, ac proinde est, *habitus ad eliciendos actus rectos, non verò irrectos*: sub qua consideratione convenit cum donis Spiritus Sancti; à quibus distinguitur, si in rigore metaphysico loqui velimus, quia donum Spiritus Sancti est ad operandum juxta regulas extraordinarias rectæ rationis: sic Sancta Apollonia sese in flammas injecit ex extraordinario impulsu Spiritus Sancti, qui cùm sit Dominus vitæ & mortis, potest creaturæ suæ facultatem dare, ut ad majorem Dei gloriam sibi necem inferat, quod juxta ordinarias regulas rectæ rationis foret illicitum; exinde virtus juxta ordinarias rationis regulas operatur, quo iu sensu Plato apud Eximium Doctorem disp. *de Virtutibus* sect. 1. virtutem ita definivit: *habitus animi, quo unaquæque potentia rectè exercet suas operationes.* Aristoteles verò 2. *Ethicorum* c. 6. sic: *habitus, qui bonum facit habentem, & opus ejus reddit bonum*: & infrà: *Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens, prout prudens determinaverit.* Tum etiam 7. *Ethicorum c. 3. Virtus est dispositio Perfecti ad optimum.*

4. Antiquis Philosophis consonant Sancti Patres, & Theologi. Augustinus enim lib. 1. retract. cap. 9. apud Esparzam quæst. 75. de Pœnitentia: *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nemo malè utitur.* Exinde D. Thomas 2. 2. quæst. 55. art. 4. in corpore dixit: *Virtus autem est habitus semper se habens ad bonum, & ideò, ut discernatur virtus ab his, quæ se habent ad malum, dicitur, qua rectè vivitur. Ut autem discernatur ab his, quæ se habent quandoque ad bonum, quandoque ad malum, dicitur, qua nullus malè utitur.* Tum etiam quæst. 2. *de Virtutibus* art. 2. in corp. *In definitione virtutis aliquid ponitur, quod spectat ad perfectionem actus, & aliquid ad perfectionem operantis: ad perfectionem actûs duo requiruntur: requiritur autem, quòd actus sit rectus, & quòd habitus non possit esse principium contrarii actus.* Quomodo autem hæc omnia vera sint in virtutibus naturalibus, controvertunt Theologi in Tractatu de Virtutibus. Ad nos autem solùm spectat rationem reddere in præsenti de Virtutibus per se infusis, cur scilicet non possint in actus pravos influere.

Ratio est, quia Deus est causa specialis actûs supernaturalis. Cùm verò non possit esse causa specialis actûs pravi, exinde habitus virtuosus per se infusus non potest inclinare in actus pravos. Unde si mutentur circumstantiæ, in quibus actus eliciendus, non amplecteretur objectum rectum, sed irrectum, Deus non applicaret concursum illius habitus ad eliciendum actum pravum circa tale objectum: Sic ante Adventum Christi per actum fidei credebat Judæus Christum venturum, post adventum verò Christi non potest jam talem actum elicere ex eo habitu fidei: quæ ratio etiam militat pro habitu acquisito, si sit intrinsecè supernaturalis. Habitus verò per se infusus in eo distinguitur ab acquisito, quia habitus acquisitus, utpote ex actuum repetitione comparatus, generatur ex actibus, ac proinde limitatur ad similes actus; imò cùm actus, à quibus comparatur, supponant simpliciter posse, habitus acquisitus non deservit ad simpliciter, sed ad facilè posse, ac proinde non se habet tanquam potentia, sed tanquam facilitas potentiæ: habitus verò per se infusus, cùm sit qualitas per se stabilis à Deo infusa ad simpliciter posse, se habet tanquam potentia. Exinde

Suppono secundò magnum esse discrimen inter habitum per se infusum & acquisitum, consistens in eo, quòd habitus acquisitus, utpote deserviens ad facilè posse, potest esse diversus secundùm diversam difficultatem. Cùm autem diversa difficultas veniat non solùm ex objecto formali, sed sæpè etiam exoriatur ex objecto materiali, ut constat experientia, quæ videmus, multos esse faciles ad abstinentiam in cibo, non in potu; & è contra: Exinde probabile est, quod multi Doctores cum Arriaga, & Bernal defendunt; nimirum non solùm ex objecto formali, sed etiam posse multiplicari habitum acquisitum ex objecto materiali; è contra verò habitus per se infusus cùm deserviat ad simpliciter posse, & se habeat tanquam potentia, solùm debet multiplicari ad modum poten-

potentiæ ex objecto formali, in quod per suum actum tendit habitus cum potentia, licèt potentia, utpote latius patens, quam habitus, habeat objectum formale magis extensum, quam objectum formale habitus: Sic quia lucidum coloratum est objectum formale potentiæ visivæ, eadem potentia visiva se extendit ad omne lucidum coloratum: pariter potentia intellectiva ad omne intelligibile, sive affirmandum, sive negandum, & volitiva ad omne bonum, sive honestum, sive utile, sive delectabile; nec solùm ad amplectendum illud, si sit naturæ rationali conforme, sed etiam ad fugiendum, si sit difforme.

7. Quapropter sicut potentiæ assignandum est objectum formale distinctum ab ipso actu, in quod tendat actus; ita pariter & virtuti per se infusæ: potentia siquidem non specificatur per actum in ordine ad actum, sed per actum in ordine ad objectum: sic potentia visiva non specificatur per visionem in ordine ad visionem, sed in ordine ad lucidum coloratum, nec potentia cognoscitiva per cognitionem in ordine ad cognitionem, sed in ordine ad objectum affirmatum, vel negatum: sic potentia volitiva non specificatur per actum volitionis in ordine ad volitionem, sed per volitionem in ordine ad objectum volitum; cùm autem potentia volitiva, sicut & reliquæ omnes intentionales, non solùm habeat objectum bonum quod amplectatur, sed etiam objectum malum quod fugiat, & specificatur secundum formalitatem amplexivæ ab objecto bono, & secundum formalitatem aversivæ ab objecto malo. Unde & virtus per se infusa voluntatis, qualis est virtus Pœnitentiæ, de qua agimus, non solùm habet objectum malum, à quo fugiat, circa quod potest tendere actus, sed etiam objectum bonum, quod amplectatur, ideóque non solùm potest se exercere fugiendo peccatum, sed etiam amplectendo bonum peccato oppositum.

8. Ratio autem horum omnium, & quidem Philosophica, & Theologica est: quia ad eandem virtutem, ad quam spectat trahere ad se bonum, spectat etiam retrahere à se bonum, spectat etiam retrahere à se, sive impedire oppositum malum: etenim ut receptum est apud omnes Theologos proloquium illud Dionysii cap. 4. de divin. nom. *Bonum ex integra causa; malum autem ex quocunque defectu.* Unde Divus Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 7. ad tertium dixit: *Sive voluntas sit ejus quod est secundum se malum, & sub ratione boni, sive sit bona sub ratione mali, semper voluntas erit mala: sed ad hoc quod sit voluntas bona, requiritur quod sit bona sub ratione boni*: sic malum est furari ad dandam eleemosynam, & recitare propter vanitatem. Rationem à priori assignavit Eximius Doctor: quia bonum est perfectum; malum autem defectuosum; & licèt ad defectuosum sufficiat in uno deficere, ad perfectum verò requiritur, quod ex nulla parte habeat defectum. Quapropter si virtus non posset retrahere à se oppositum malum, neque ad se posset afferre suum speciale bonum, ex quo originem habuit paremmia illa celebris antiquorum: *Contrariorum eadem est ratio.* Exinde

9. Suppono tertiò objectum sive bonum sive malum morale, circa quod potest virtus tendere per actus amplexionis aut fugæ, duplex esse: alterum intrinsecè, & alterum extrinsecè bonum aut malum. Exinde est duplex bonitas, & malitia moralis objectiva, altera intrinseca, & altera extrinseca, ut constabit numero 11. Ratio est quia bonitas moralis objectiva stat in prædicatis objecti ex se conformis naturæ rationali ut rationali; malitia verò in prædicatis objecti ex se difformis. Sicut enim spectat ad lineam sensitivam operari sensitivè, ita ad rationalem operari benè, vel malè moraliter. Unde sicut bonitas objectiva sensibilis, v. g. bonitas caloris respectu illius qui laborat frigore, non stat in approbatione, aut conformitate cum cognitione sensibili, sed in conformitate cum natura sensibili; ita bonitas objectiva moralis non stat in approbatione, aut conformitate cum cognitione rationali, sed cum natura rationali, ut rationali.

10. Discrimen verò quod intercedit maximum inter naturam ut sensibilem, & ut rationalem, nimirum quod natura ut sensibilis non operatur imputabiliter; benè verò ut rationalis, stat in eo quod natura sensibilis non operatur cum advertentia ad honestatem, benè vero natura ut rationalis. Et cum ista advertentia seu dictamen quod habet natura rationalis, vel quo caret pro culpa sua, sit lex naturalis; ea de causa omne peccatum, cum afferat imputabilitatem, arguit etiam transgressionem contra legem saltem naturalem: quod significavit Divus Paulus ad Rom. 2. dicens: *Cum enim gentes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex.* Quod & in veteri Testamento significavit clarissimè Script. Sacra Psal. 4. ubi ad illam interrogationem, in qua sermo est de bono honesto, nimirum *quis ostendit nobis bona?* ita respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Unde ipso naturæ lumine notum est amplexionem boni cogniti ut naturæ rationali conformis esse bonam & honestam; amplexionem verò mali cogniti ut naturæ rationali difformis esse peccaminosam.

11. Cæterùm cum sint aliqua objecta neque conformia, neque difformia intrinsecè naturæ ut rationali, sed indifferentia ut præcipiantur & sint bona: v. g. deambulatio præcepta à superiore; vel ut prohibeantur & sint malà v. g. comestio carnis in die Veneris; alia verò ita sint intrinsecè naturæ ut rationali difformia, ut quatenùs concepta prout sunt in se, nunquam possint à dictamine rationis non reprobari, v. g. intemperantia, mendacium, odium Dei, &c. ea de causa altera dicuntur extrinsecè mala, sive

mala, quia prohibita; altera verò intrinsecè mala, sive prohibita, quia mala. Idcirco Innoc. XI. inter eas 65. propositiones juremerito damnavit 48. quæ sic habebat: *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involuere malitiam, & solùm esse malam, quia interdictam, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Tum & 49. quæ sic habet: *mollities jure naturæ prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Nec refert quod prohibitio divina sit bona, ne reddat objectum extrinsecè malum: quia ut latè suo loco dicemus præceptum bonum afficit extrinsecè suum objectum per convenientiam, & sic denominat illud extrinsecè bonum; prohibitio verò bona afficit suum objectum per contrarietatem, & sic reddit illud extrinsecè malum. His positis.

§. II.

12. Assero primò cum omnibus Theologis uno dempto Cajetano. Pœnitentia theologicè sumpta absolutè, & absque addito limitante est virtus. Probatur primò: actus pœnitentiæ theologicè sumptæ est absolutè virtuosus: ergo Pœnitentia theologicè sumpta est absolutè virtus. Consequentia tenet ex dictis num. 2. Antec. verò probatur: actus pœnitentiæ theologicè sumptæ ex Tridentino citato eo num. 2. est *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*; sed talis actus est absolutè virtuosus: ergo, &c. Probatur Minor: actus conformis naturæ rationali ut rationali est absolutè virtuosus: sed talis actus est conformis naturæ rationali ut rationali: ergo, &c. consequentia tenet, & Major constat à num. 8. Minor verò Probatur: non solùm est conformis naturæ ut rationali amplexio boni sibi conformis, sed etiam fuga mali sibi difformis: sicuti non solùm est conveniens naturæ ut sensitivæ alimentum, quo acquirit bonum, sed etiam medicina, qua expellit, & impedit malum: atqui actus pœnitentiæ est vera fuga mali naturæ rationali difformis: ergo, &c.

13. Probatur secundò: Deus consulit, & præcipit pœnitentiam, ut constat ex Lucæ 13. *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Actorum secundo. *Pœnitemini, & baptizetur unusquisque vestrum*: sed quod Deus consulit, & præcipit est bonum, vel intrinsecè, si est præceptum quia bonum, vel saltem extrinsecè; cùm constituatur bonum quia præceptum, ex dictis num. 11. ergo, &c. Confirmatur primò ex Cathechismo Tridentini tit. *de pœnitentia* dicente: *quod autem intima hæc pœnitentia, ut anteà diximus, ad virtutem pertineat, apertè ostendunt multa, quæ de pœnitentia tradita sunt præcepta. Lex enim de iis tantum actionibus, quæ suscipiuntur cum virtute præcipit*: Ergo, &c. Confirmatur secundò quia actui pœnitentiæ convenit definitio actus virtuosi, ut constabit expendenti definitiones virtutis traditas à Philosophis, Theologis, & SS. PP. à numero tertio: ergo &c. Confirmatur tertiò ex S. Thoma q. 85. art. 1. dicente: *Unde manifestum est quod pœnitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus vel actus virtutis.* Ubi Divus Thomas notanter addit: pœnitentia *de qua nunc loquimur*, propter rationes plurimas, quarum una est, quia non agit de pœnitentia physicè, aut philosophicè sed theologicè accepta.

Respondebis cum Cajetano 2. 2. q. 144. art. 1. pœnitentiam non esse absolutè virtutem, sed cum addito limitante *ex suppositione*; quia Divus Thomas 3. part. quæst. 85. art. 6. ait, pœnitentiam non pertinere ad perfectionem hominis simpliciter, sed ex suppositione peccati; & articulo primo dixerat, magis posse dici de pœnitentia, quam de verecundia, quod sit virtus; ubi ly *magis* significat neutram esse studiosi nisi ex suppositione. Contrà tamen; suppositio, quæ non tollit rationem absolutam virtutis ab habitu pœnitentiæ, non impedit, ne habitus pœnitentiæ sit absolutè virtus, & actus pariter virtuosus: hic suppositio causæ productivæ ut detur Petrus à parte rei, quæ non tollit à Petro rationem absolutam hominis, non impedit, ne Petrus sit absolutè homo: atqui suppositio præcedentis peccati, ut circa illud exerciatur actus pœnitentiæ, non tollit rationem absolutam virtutis ab habitu pœnitentiæ: ergo &c. Major & consequentia tenent: Minor autem patet: quia illa suppositio non tollit, ne habitus pœnitentiæ influat in actum rectum, vel quòd actus pœnitentiæ non sit naturæ ut rationali conformis; sed habitus, qui non influit in actum in rectum, sed in actum rectum, & naturæ ut rationali conformem, participat absolutam rationem virtutis, & actus est absolutè virtuosus, ut constat à numero tertio, ergo, &c. Unde ista Cajetani responsio, neque D. August. neque D. Thom. neque Philosophis & Theologis consona est, ut ex ibi dictis manifestè apparet.

Assero secundò: Actus pœnitentiæ theologicè sumptæ non includit solùm dolorem, neque solam peccati detestationem, sed simul complectitur saltem virtualiter formalitates doloris, detestationis, & propositi non peccandi de cætero. Probatur primo: actus pœnitentiæ theologicè sumptæ est ille contritionis actus, sive simplex, sive complexus, quem Deus peccatori præcipit, & per se necessarius est in ordine providentiæ, ut à peccato vel extra, vel saltem intra Sacramentum resurgat: atqui talis actus neque est solus dolor, neque sola detestatio peccati, sed utramque formalitatem complectitur cum proposito non peccandi de cætero, saltem virtualiter: ergo &c. Consequentia tenet, & Major patet: quia actus contritionis essentialis dicitur actus pœnitentiæ theologicè sumptæ, quatenùs ex Scriptura Conciliis, & PP. cognoscitur à Theologis necessarius, ut aliquis vere

dicat

dicatur pœnitens, & rectè dispositus ad remissionem peccati, saltem intra Sacramentum: Minor verò probatur ex Tridentino citato num. 2. & ex Florentino in decreto Eugenii dicente: *quartum Sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*: ergo &c.

16. Confirmatur: illi Sanctorum clamores, qui ut actus pœnitentiæ à Sacra Scriptura laudantur, peccatorum dolorem detestativum includunt cum proposito non peccandi de cætero: ergo &c. Probatur antecedens ex Psalmo 6. ubi David pœnitens ita fatur: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*: ly etenim *laboravi*, dolorem, & detestationem significat: ly *lavabo*, & *rigabo* propositum non peccandi de cætero clarè præseferunt. Sic Ezechias Isaiæ 38. *recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Quod satis significavit Deus in veteri Testamento Ezechiæ 18. dicens: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruina iniquitas. Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum*. Tum & Christus Dominus in novo Testamento Matth. 11. dicens: *Si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*: ergo &c. Vide num. 25.

17. Probatur secundò Beati non agunt pœnitentiam, neque damnati in Inferno; sed Beati habent detestationem magnam peccati, & damnati dolorem ratione peccati: ergo neque solus dolor, neque sola detestatio sufficit ad actum pœnitentiæ. Rursus plures peccatores dolent de peccatis commissis, quia se vident reos æternæ pœnæ; verùm cùm adeò dediti sint delectationibus, non displicent in illis, sicut oportet, ideóque nec peccata detestantur, nec propositum firmum concipiunt ulteriùs non peccandi; imò etsi propter specialem turpitudinem aliqua detestentur, non detestantur omnia gravia; unde fit ut solùm eliciant pœnitentiam vel grammaticalitèr, vel ad summum philosophicè sumptam, secus autem theologicè acceptam ergo ad pœnitentiam Theologicè sumptam: neque sufficit solus dolor, neque sola detestatio, sed dolor efficax, sive detestativus peccatorum incompossibilis cum voluntate peccandi de cætero. Confirmatur à SS. PP. per conceptum à nobis expositum pœnitentiam theologicè acceptam explicantibus. Sic Gregor. hom. 34. in Evangelia: *Pœnitentiam agere est, perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*. Cypr. ser. de lapsis: *agite pœnitentiam plenam, dolentis, & lamentantis animi probate tristitiam*. Hieronym. in illud Psalm. 118. *exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, sic dicit: *vera est pœnitentia jugiter fletibus commissa diluere, & diluta non iterare*: ergo &c.

Assero tertiò: Ad complectendas formalitates doloris, detestationis & propositi non opus est duobus actibus distinctis, sed in eodem actu possunt omnes conjungi. Probatur primò. Licèt nulla sit repugnantia in eo, quòd aliquis per unum actum eliciat dolorem, & detestationem de omnibus peccatis à se commissis, præsertim si Deus revelaverit, quæ sint peccata ab ipso commissa, & per alium actum propositum formale non peccandi de cætero; nihilominùs unus & idem actus potest etiam omnes istas formalitates rectè complecti: ergo &c. Probatur antecedens. Licèt intellectus possit per unum actum cognoscere albedinem, & per alium nigredinem, potest etiam per unum, & indivisibilem actum albedinem & nigredinem simul cognoscere: ergo licèt possit voluntas per unum actum dolere, & detestari peccata, & per alium actum proponere nunquam peccare de cætero; poterit nihilominùs per eundem, & indivisibilem actum dolere, detestando peccata, & proponendo nunquam peccare de cætero. Probatur consequentia: ideò potest intellectus cognoscere simul per eundem actum albedinem & nigredinem, quia expressio albedinis non est incompossibilis in eodem signo cum expressione nigredinis: atqui dolor & detestatio peccati non est incompossibilis in eodem signo cum proposito non peccandi de cætero, imò ut experientiâ constat ita semper, aut ferè semper proponitur verè penitenti: ergo &c. 18.

Probatur secundò. Voluntas ut potentia libera potest elicere actum, quo diverso modo tendat in objectum secundùm diversam objecti propositionem: sic quando bonitas objecti proponitur ut absens, potest elicere actum desiderii; si verò eadem bonitas proponatur ut præsens, & possessa, potest circa illam elicere actum delectationis; si ut præscindens à possessione, actum amoris secundùm se; si ut absens & non consequenda, actum desiderii diffidentialis, qui est desperatio; si ut absens, & consequenda, actum desiderii fiducialis, qui est spes, & sic de aliis affectibus secundùm diversas objecti boni propositiones. Pariter etiam potest elicere diversos actus fugæ, vel mixtos ex fuga & prosecutione secundùm diversas propositiones objecti mali, aut unius boni, & alterius mali: ergo quando voluntati proponitur objectum dignum simul dolore, & detestatione propter malitiam gravem, quam semper debet fugere voluntas; potest elicere actum, quo doleat detestando peccatum grave, & proponendo nunquam de cætero malitiam gravem committere. Ex dictis. 19.

§. III.

Fit primò, dolorem non se extendentem ad omnia peccata commissa, non esse actum pœnitentiæ theologicè sumptæ; sed pœniten- 20.

riæ vel grammaticaliter, vel philosophicè acceptæ: unde si perdiversos actus doleret quis de omnibus peccatis à se commissis quorum nullus esset adhuc virtualiter propositum non peccandi de cætero, nullus eorum actuum, neque aggregatum ex illis constitueret pœnitentiam actualem theologicè sumptam, benè verò simul cum proposito, vel formali, vel saltem virtuali non peccandi de cætero, ut constat ex doctrina Tridentini tradita num. 2. Licèt enim illi actus ab eadem virtute procederent, non ideò essent omnes actus pœnitentiæ theologicè sumptæ: sic in sententia ferè omnium Theologorum, & omnium adversariorum, cùm quibus infra contendemus ad eandem virtutem ad quam spectat elicere gaudium circa bonum, quod amplectitur, spectat etiam ante possessionem elicere desiderium illud consequendi, & post consecutionem delectationem de illo ut possesso ex dictis numero superiore. Unde sicut esset inutilis arguendi modus: hic actus elicitus ab hac virtute est desiderium; ergo omnes actus eliciti ab hæc virtute sunt desiderium, pariter esset inutilis arguendi modus: hic actus elicitus ab hac virtute est actus pœnitentiæ theologicè sumptæ: ergo omnes actus eliciti ab hac virtute sunt actus pœnitentiæ theologicè sumptæ. Vide num. 75.

21. Fit secundò dolorem detestativum peccati commissi ob motivum generale se extendens ad omnia peccata; v. g. propter turpitudinem offensæ Dei, vel ne peccator incurrat pœnas inferni, quas peccatum grave meretur, vel ne amittat gloriam, quâ privat quodcumque lethale, & sic de aliis pœnis, ut à Deo ratione peccati infligendis esse virtualiter dolorem, & detestationem omnium peccatorum, & propositum non peccandi de cætero: ac proinde & se solo esse actum pœnitentiæ theologicè sumptæ: Ratio est quia propositum à Tridentino requisitum, ut habet sess. 14. cap. 4. est actus voluntatis ita fugiens peccatum, ut ex se voluntatem peccandi excludat; sed hæc omnia habet dolor detestativus peccati ob motivum generale, ut per se constat: ergo &c.

22. Fit tertiò actum pœnitentiæ theologicè sumptæ esse supernaturalem. Ratio est quia cum illo dolemus, sicut oportet ad gratiam obtinendam, sed cum dolore naturali, utpote omnino improportionato non possumus dolere sicut oportet ad gratiam obtinendam: ergo &c. Exinde Conc. Trid. sess. 14 cap. 1. 4. docet non solùm contritionem perfectam, verùm etiam contritionem imperfectam, sive attritionem esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum, ac proinde est actus verè supernaturalis: cùm autem talis actus sit homini omnino necessarius, & valde frequens, & ad actus necessarios, & valde frequens detur virtus per se infusa; exinde ad talem actum eliciendum datur virtus per se infusa, quæ vocatur pœnitentia ut ex Scriptura Conciliis, & PP. supra adductis manifestè constat. Quamobrem pœnitentia sumpta in sensu Scripturæ, Conciliorum & PP. *erit virtus per se infusa voluntatis ad eliciendum dolorem detestativum de omnibus peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero.* Ex quo essentia, & existentia pœnitentiæ satis apparet.

Fit quartò mollem Lutheranorum resipiscentiam non esse virtutem pœnitentiæ theologicè sumptæ, de qua huc usque egimus, neque pœnitentiæ restrictè acceptæ, de qua loco suo dicemus: Lutherus enim & cum ipso Hæretici hujus temporis cum omnia aspera fugiant, & mollia quæque sectentur, pœnasque & satisfactiones pro peccatis commissis detestentur, consequenter docent pœnitentiam non importare dolorem, & detestationem peccatorum: imò talem dolorem, & detestationem facere hominem magis hypocritam, sed significare tantùm fidem & propositum novæ vitæ inchoandæ, & simplicem resipiscentiam, vitæque novitatem, doloris de peccatis, & pœnæ omnis expertem; ideóque vocem *Metanœa*, quæ in textu græco Bibliæ habetur, & significat pœnitentiam, vertunt resipiscentiam, quæ solam propositi, vel mentis emendationem significat. Hæc autem omnia esse figmenta inimicorum Dei clarè constat ex dictis num. 16. ubi Scriptura Sacra cum laude proponit illos clamores doloroso Sanctorum pœnitentium, & ex num. 17. ubi SS. PP. per dolorem detestativum peccati explicant actum pœnitentiæ. Quin imò & talem actum esse honestum facilè probant rationibus adductis à num. 12. cum sit naturæ ut rationali conformis vide à num. 25. & 30.

Quapropter quando Scriptura Sacra pœnitentiam vocat *Metanœam* sive resipiscentiam, non loquitur de quacumque resipiscentia, sed de dolorosa à nobis explicata, cui optimè convenit ratio resipiscentiæ: sic Basilius or. 3. de *Siccitate pœnitentiam Ninivitarum*, quæ ut dicitur Jonæ 3. in cinere, sacco, & jejunio fuit, *Metanœam* appellat, & Lactantius lib. 6. divinarum *institutionum* c. 24. *Metanœam* latinè reddit resipiscentiam ita dicens: *Resipiscit, quem erroris piget, ac se ipsum castigat dementia, confirmatque subinde ad rectius vivendum.* Qui de causa Authores latini per expressionem doloris explicant pœnitentiam. Sic Cicero in oratione pro Cælio: *id nunquam tam acerbè ferret ut eum pœniteat.* Ovid. lib. 1. de Ponto eleg. 6.

Pœnitet o si quid miserorum creditur ullis.

Pœnitet & falso torqueor ipse meo.

Quod satis expressit Ausonius, dum fictæ illius antiquitatis Deæ pœnitentiam exprimens propter mala, quæ fecit, & bona, quæ non fecit ita dixit: *Sum dea, quæ fallis, nonfallitur, exigo pœnam, nempe ut pœniteat, sic metanœa vocor.* Videatur Bellarminus lib. 2. de *pœnitentia* cap. 7.

Exinde apparet hujusmodi hæresim ex liberato cerebro, & excæcata duritate mentis promanare potuisse, cùm adeò clarè se opponat latinitatis authoribus, Theologis, Patribus, Con-

Conciliis, & Sacris Scripturis. Unde jure optimo Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. iſtos hæreticorum errores per hæc verba damnavit: *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud: projicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum. Et certè qui illos Sanctorum clamores conſideraverit, tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & alios hujusmodi generis, facilè intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe.*

26. Fit quinto dolorem deteſtativum; & propoſitum conſtitutivum hujus actûs generalis pœnitentiæ theologicè ſumptæ eſſe actum efficacem; aliter potius eſſet pura diſplicentia, quàm dolor deteſtativus, & potiùs eſſet velleitas, quàm voluntas incompoſſibilis cum voluntate peccandi, quam requrit Tridentinum; adeóque licèt dolor inefficax, & velleitas non peccandi poſſent aliquando conſtituere actum pœnitentiæ vel genericè, vel philoſophicè ſumptæ, non valent conſtituere actum pœnitentiæ theologicè ſumptæ. Fit ſexto, peccatorem elicientem dilectionem Dei ſuper omnia abſque advertentia ſuorum peccatorum, adeóque abſque illorum contritione, recepturum gratiam promiſſam dilectioni; exinde tamen non excuſari ab obligatione eliciendi actum pœnitentiæ; quando advertat, ſe teneri illam elicere, aut quando velit confiteri: imò ut notant theologi, impoſſibile eſt, quòd cùm aliquis Deum ſuper omnia diligit, advertat ſe peccata commiſiſſe: quin per eundem vel diverſum actum ea deteſtetur: illa enim dilectio Dei eſt votum adimplendi omnia, ad quæ homo tenetur, ac proinde & eliciendi pœnitentiæ actum, quando teneatur illum elicere. Unde in caſu peccati ſolùm per accidens ex accidentali inadvertentia poteſt peccato elicere dilectionem perfectam abſque contritione, ſecùs autem per ſe; ac proinde contritio ſemper eſt per ſe neceſſaria ex dictis num. 13. ut expreſsè definit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4.

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

§. I.

27. OBjicies primo contra primam aſſertionem: Nullum aliud Sacramentum includit ut partem ſui conſtitutivam actum virtutis: ergo neque Sacramentum pœnitentiæ; ac proinde neque actus pœnitentia erit virtuoſus neque pœnitentia erit virtus. Confirmatur primò: Ideò verecundia non eſt virtus ex Ariſtotele 4. *Ethicorum* cap. 9. quia eſt paſſio quædam appetitûs ſenſitivi cum quadam corporis commotione; nempè cum rubore, ſiquidem qui verecundantur, rubeſcunt; ſed etiam pœnitentia eſt paſſio appetitûs ſenſitivi cum corporis immutatione, hoc eſt cum fletu, ut conſtat ex Gregorio citato num. 7. ergo &c. Confirmatur ſecundò ex ipſo Ariſtotele 7. *Ethicorum*, ideò verecundia non eſt virtus, quia virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, verecundia verò non eſt diſpoſitio perfecti, ſed imperfecti, cùm ſit de actu turpi, ac proinde ſupponat in ſubjecto actum turpem; ſed etiam pœnitentia ſupponit in ſubjecto actum turpem nempè peccatum: ergo &c.

Reſp. conc. antecedens, & nego conſequentiam: quia partes conſtitutivæ ſacramentorum pendent à libito, & inſtitutione Chriſti Domini: cùm autem Chriſtus Dominus determinaverit pro materia Pœnitentiæ Sacramenti actum virtuoſum pœnitentiæ; ſecùs autem pro materia aliorum Sacramentorum, exinde ad ſolum Sacramentum pœnitentiæ pertinet tanquam materia actus virtutis, ſecùs ad alia Sacramenta; in his enim quæ à libito Chriſti Domini dependent, inutiliſſimus eſt arguendi modus ſumpta paritate unius ad aliud. Sic omnes meritò irriderent arguentem hoc modo: nullum Sacramentum præter Sacramentum Confirmationis habet pro materia remota chriſma: ergo neque Sacramentum confirmationis. Pariter in noſtro caſu. 28.

Ad primam conf. conc. Maj. & nego Min. actus enim pœnitentiæ non eſt paſſio appetitûs ſenſitivi, ſed actus rectus, & electivus voluntatis, ut manifeſtè conſtat ex dictis à num. 12. licèt ex illo non rarò ſequatur paſſio appetitûs ſenſitivi, ut fletus, & aliæ ſimiles, quod fatemur cum SS. PP. & experientia ſatis oſtendit, quâ videmus flere & triſtari illos, qui ingenti pœnitentiâ moventur: hæc autem paſſio appetitûs ſenſitivi, licèt ſit effectus actûs virtuoſi, non eſt actus virtuoſus; adeóque in hoc effectu convenit pœnitentia cum verecundia, ſecus in ratione virtutis; ſi tamen pro verecundia ſumeretur actus elicitus voluntatis, naturæ ut rationali conformis, tunc jam eſſet virtuoſus, ut cum Arriaga & Vazquez communiter docent Recentiores. Ad ſecundam confirmationem nego Maj. verecundia enim ab Ariſtotele, & D. Thoma non excluditur à ratione virtutis ex eo, quòd ante ipſam præcedat actus turpis, ſed quia eſt motus indeliberatè conſurgens ex apprehenſione dedecoris ob turpe factum; quod in faciem nobis objicitur: ſicque ejus turpitudo apparet præſens ſaltem intentionaliter; ex quo dimanat illa paſſio appetitûs ſenſitivi; quæ vocatur verecundia, ideóque dum erubeſcimus; natura indeliberato pudore tacta ſanguinem in faciem effundit. 29.

Quamobrem D. Thomas 2. 2. q. 144. dicit verecundiam non eſſe virtutem, ſed paſſionem laudabilem, tanquam indicium bonæ indolis. 30.

Actuas

Actualis autem pœnitentia (idem suo modo de habituali) est actus electivus voluntatis naturæ ut rationali conformis, ac proinde est virtuosus, & habet in se perfectionem suæ lineæ, quam subjecto communicat, & sic est dispositio perfecti non quidem præsuppositivè, sed constitutivè; sicuti albedo est forma albi, non præsuppositivè, sed constitutivè. Neque verba Aristotelis possunt intelligi de perfecto in omni linea, sed in linea actus virtuosi; aliter cùm nullus actus afferat perfectionem in omni linea, nullus actus virtuosus esset virtuosus, quod implicatorium est: cùm autem quicunque actus virtutis sit recta dispositio ad optimum modum agendi in linea illius virtutis, exinde dicitur dispositio perfecti ad optimum, quæ doctrina manifestè applicatur habitui in genere habitus sive virtutis:

31. Objicies secundò: actus pœnitentiæ non est virtuosus; ergo Pœnitentia non est virtus. Probatur antecedens: nullus actus virtuosus supponit in subjecto suum contrarium ante illius elicientiam; sed actus pœnitentiæ ante illius elicientiam supponit fuisse in subjecto suum contrarium, nempè peccatum: ergo &c. Confirmatur: in Christo Domino fuerunt omnes actus virtuosi, sed non fuit actus pœnitentiæ: ergo &c. Respondeo nego antecedens: ad prob. nego Maj. perfecta enim contritio est actus virtuosus adeò perfectus, ut etiam extra Sacramentum sit ipsi promissa justificatio, ut definit Tridentinum sess. 14. cap. 4. Et tamen ante illius elicientiam in subjecto præsupponitur peccatum: illa enim præsuppositio peccati cùm non tollat, ne actus pœnitentiæ liberè à voluntate elicitus sit naturæ ut rationali conformis, neque impedire potest, ne sit virtuosus ex dictis num. 14. Ad conf. nego antecedens: nam in Christo Domino solùm fuerunt illi actus virtutis, qui ad illorum elicientiam non præsupponunt in subjecto ullam imperfectionem, & sunt cum statu ipsius compossibiles; ex quo sicut à plurimis Theologis negantur Christo Domino actus fidei, & spei, quia incompossibiles cum visione beata, quam Christus habebat; ita à nobis potiori jure negatur actus pœnitentiæ, quia incompossibilis cum perfectione impeccabilitatis, quam Christus habebat.

32. Objicies tertiò: actus pœnitentiæ theologicè sumptæ præsupponit metaphysicam necessitatem peccati: ergo non est virtuosus, ac proinde neque habitus pœnitentiæ erit virtus. Probatur consequentia: ex eo quòd actus pœnitentiæ Metaphysica necessitate præsupponat peccatum, bonitas illius actûs secundùm differentialem suum, & ultimum conceptum constituitur ex peccato præsuppositò; sed bonitas ex peccato constituta non est virtuosa: implicat enim perfectiones constitui ex defectu sibi oppositò: ergo bonitas actûs pœnitentiæ non est virtuosa; ac proinde pœnitentiæ actus virtuosus non est. Probatur Maj. præcisè non præsuppositò peccato tollitur bonitas actûs pœnitentiæ secundùm differentialem, & ultimum conceptum, cùm illa sine præsuppositò peccato haberi non possit; sed id, quo præcisè ablato, res tollitur, est saltem pars illius constitutiva: ergo &c. Confirmatur primò: Punitio inflicta à judice est bona & justa, si præsupponit in reo delictum verum, aut juridicum; si autem non præsupponitur, ex hac præcisa ablatione præsuppositionis est mala, & injusta, cùm in primo casu punitio sit secundùm jus judicis, & in secundo contra jus innocentis: ergo sicut punitio redditur non bona ex præcisa ablatione præsuppositi delicti, actus etiam pœnitentiæ bonitatem amittet ex præcisa ablatione peccati; ac proindè bonitas actus pœnitentiæ ex ipso peccato debet constitui.

Confirmatur secundò: Peccatum nequit esse medium omnino necessarium ad actum virtutis, finis enim virtutis efficaciter intentus, movet ad eligendum medium necessarium ad actum talis virtutis, & movere non potest ad eligendum peccatum: sic qui efficaciter intendit tanquam finem sanitatè, ex illa efficaci intentione sanitatis movetur ad eligendam medicinam omnino necessariam ad sanitatem obtinendam; atqui peccatum est medium omnino necessarium ad actum pœnitentiæ: ergo actus pœnitentiæ non est actus virtutis. Probatur Min. illud est medium omnino necessarium ad finem, sine quo finis existere non potest: atqui sine peccato finis pœnitentiæ existere non potest: ergo &c. Confirmatur tertiò: non est actus virtutis, qui pugnat cum statu perfectæ virtutis; sicut non est sapientia, quæ non potest convenire sapienti: Sed actus pœnitentiæ propter omninò necessariam præsuppositionem peccati pugnat cum statu perfectæ virtutis: v. g. cum statu Christi, & creaturæ innocentis, v. g. Deiparæ: ergo &c.

Mirum est, in quot & quantos dicendi modos argumentum istud authores diviserit. Card. de Lugo disput. 2. *de pœnit.* sect. 3. vi hujus argumenti convictus concedit, bonitatem pœnitentiæ constitui ex peccato; ac proinde & peccatum esse amabile affectu aliquo honesto ab illo, qui amat pœnitentiam. Card. Pallavicinus lib. 7. *de virt. pœnit.* cap. 3. §. ult. concedit, in omni malo reperiri aliquam bonitatem: nam aliquin non esset permissibile à Deo, qui est infinitum bonum. Plures Recentiores licet negent Deum amare peccatum, concedunt bonitatem pœnitentiæ essentialiter constitui ex peccato. Alii cum Martino Perez disput. 17. *de Pœnitentia* sect. 3. negant constitui ex peccato, quia ut detur actus verus pœnitentiæ non requiritur, quòd præsupponatur in re peccatum, sed sat est, quòd supponatur in existimatione, quam aliquis invincibiliter judicaret, se peccatum commisisse, quando illud non commisit: ac proinde docent, peccatum ita judicatum in contientia, sufficere ad veram contritionem, & ad recipiendum validè Sacramentum pœnitentiæ. Cæterùm de hoc agendum nobis est in secunda parte hujus tractatus: Interim ne difficultas

tem fugere videamur præmittimus cum communi Theologorum, non posse dari actum verum pœnitentiæ, quin in re præsupponatur peccatum. Quo posito.

85. Respondeo omitto antecedens, & nego consequentiam. Ad prob. nego Maj. Ad prob. dist. Maj. tollitur bonitas actus pœnitentiæ arguitivè, concedo, formaliter, nego Maj. & distincta Min. nego consequentiam. Ratio est, quia si non præsupponatur peccatum non potest dari actus supernaturalis intellectûs, utpotè verus ex num. 5. qui affirmet, extitisse peccatum, quo debet illuminari voluntas ad eliciendum affectum detestativum peccati commissi: ac proinde nequit elicere affectum illum detestationis, in quo stat actus pœnitentiæ ex dictis à num. 12. Cùm autem defectus formalis peccati non sit defectus formalis hujus actûs detestativi; sicuti neque peccatum formaliter est formaliter actus detestativus; exinde ablatio formalis peccati non est formalis ablatio bonitatis actus pœnitentiæ, benè verò arguitivè: quia deficiente peccato deficit id, sine quo elici non potest pœnitentiæ actus: sicuti deficiente Deo non deficit formaliter creatura, sed arguitivè: quia deficeret id, sine quo non potest dari creatura. Vide à num. 40.

86. Ad primam confirmationem distinguo antecedens: ex hac ablatione præsuppositionis est mala & injusta formaliter, nego; arguitivè, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia punitio rei solùm est justa, quando fit ab illo, qui habet authoritatem ipsi concessam à Deo supremo Domino & gubernatore creaturarum, qui solus est Dominus vitæ & mortis, juxta illud Sap. 16. *Tu es enim Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* Quando autem aliquis arrogat sibi authoritatem, quam non habet, punitio est mala: hanc autem authoritatem non concessit Deus omnibus, sed legitimis suis Ministris: Sic Judex licitè suspendit homicidam; & privatus homo peccaret mortaliter illum suspendendo, quia privatus homo non habet authoritatem à Deo concessam, benè verò Judex: cùm autem Deus talem authoritatem non concedat, nisi præsuppositio delicto vero aut juridico, exinde deficeret authoritas, qua deficiente non potest dari punitio justa: ac proinde deficiente delicto deficeret bonitas punitionis, non quidem formaliter, sed arguitivè ex defectu delicti. Quo respexit responsio Christi ad Pilatum quæ habetur Jo. 19. *Dixit ergo ei Pilatus: mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo dimittere te? respondit Jesus: non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper.*

87. Ad secundam confirmationem concedo Majorem, & nego Minorem: Ad probationem distinguo Majorem: sine quo ut ponendo, aut non prævisо absolutè futuro, finis existere non potest, concedo; sine quo ut previè jam positо aut prævisо absolutè futuro ante voluntatem finis, nego Majorem, & distinguo Minorem: nequit existere sine peccato ponendo, nego, sine peccato prævièjam positо, aut absolutè prævisо ante voluntatem finis, concedo Minorem, & nego consequentiam. Ratio autem est, quia quando aliquid est positum pro priori ad affectum, quo voluntas vult aliud posteriùs, non est necesse, quòd affectus voluntatis terminetur ad id, quod est posteriùs. Quando verò non est positum, neque prævisum absolutè futurum, ipse affectus voluntatis volens efficaciter finem, saltem interpretativè vult, quòd illud ponatur, ne omittatur finis: tunc enim voluntas, cùm velit, quòd finis non omittatur, exinde vult, quòd ponatur id, sine quo finis omitteretur, adeóque tunc dicitur medium; quando verò præsupponitur jam positum, aut prævisum absolutè futurum dicitur purus terminus. Rem explico exemplo; præsuppositо peccato Petri Deus habet scientiam de illo peccato, in quo casu ego amo honestissimè scientiam Dei de peccato Petri, quin amem peccatum Petri, & tunc peccatum Petri dicitur purus terminus præsuppositus ad meum actum, non autem medium ad actum. Si autem pro priori ad peccatum, & scientiam Dei de peccato vellem ego, quòd Deus haberet scientiam de peccato committendo à Petro, ille actus jam non haberet peccatum ut purum terminum, sed ut medium ponendum: ac proinde talis actus esset volitio saltem interpretativa peccati, adeóque esset peccaminosus: cùm autem in nostro casu actus pœnitentiæ præsupponat peccatum positum, exinde non respicit illud ut medium, sed ut purum terminum.

Ad tertiam confirmationem: distinguo Majorem, qui pugnat cum omni statu perfectæ virtutis, concedo; cum aliquo statu, nego Majorem; & distincta Minore nego consequentiam, quæ adhuc in sententia adversariorum falsissima est, cùm ipsi doceant, Christum non habuisse habitum fidei, & habitus fidei non solùm sit virtus utcumque, sed altissima, & Theologica. Unde ad rationem virtutis non requiritur, quòd sit compossibilis cum omni statu perfectæ virtutis, sed sufficit, quòd sit compossibilis cum aliquo statu veræ virtutis sive cum statu, in quo verè sit actus ille conformis naturæ, ut rationali: cùm autem præsuppositо peccato, pœnitentia sit naturæ ut rationali conformis, ut constat à numero 12. exinde participat veram rationem virtutis. Cæterùm ad has & alias tricas, quæ hic admisceri possent, radicitùs extirpandas notare oportet, quando quærimus bonum, aut malum morale objectivum contrapositum bono aut malo morali actûs, idem esse, ac quærere, quænam sint ea prædicata objectiva, quæ naturæ rationali aut conformantur, aut opponuntur: illa quippe sola prædicata, quæ opponuntur naturæ ut rationali, sunt & dicuntur mala; illa verò quæ ipsi convenientia sunt & conformia, sunt & dicuntur bona ut constat à num. 9. 88.

Quapropter cùm in moralibus non solùm 89.

valeat objectum denominari à sua forma, vel quasi forma per convenientiam, sicuti Deus denominatur bonus à bonitate, sed etiam possit denominari per contrarietatem; sicuti comestio carnium die Veneris denominatur mala à Divina prohibitione, quæ prohibitio est bona; exinde malum morale, quod tale sit per contrarietatem, non redditur malum à forma, quæ sit malitia, sed à forma, quæ sit bonitas. Pariter bonum objectivum morale v. g. punitio justa objectiva peccati per contrarietatem: cùm autem peccatum non sit bonitas, sed malitia moralis, ea punitio objectiva denominatur bona non quidem à bonitate, sed à malitia. Unde licèt concretum ex re denominata, & denominante includat bonitatem & malitiam, res, quæ denominatur mala, non includit bonitatem, sed malitiam, & res, quæ denominatur bona, non includit pro forma malitiam, sed bonitatem; ex quo dissolvetur argumentum quod fieri potest in hac materia satis molestum, quod jam subjicio.

40. Objicies quartò instando simul solutionem. Licèt non possit elici actus pœnitentiæ sine prævio actu intellectûs, quo voluntati repræsentetur commissum peccatum, v. g. comestio carnis contra præceptum in die Veneris, attamen stante præcepto, & posita ea comestione non potest rectum intellectus dictamen non reprobare eam comestionem ut malam: atqui malum formale objectivum talis comestionis constituitur per præceptum Sanctum & bonum: ergo licèt actus pœnitentiæ non constituatur formaliter per peccatum præsuppositum, nihilominùs malum formale objectivum, circa quod versatur actus pœnitentiæ, constituetur formaliter per bonitatem; ac proinde, & bonum objectivum punitionis, quod posito delicto non potest intellectus Divinus non approbare tanquam condignum, quod infligatur pro delicto, non poterit non constitui ex ipso delicto. Major & consequentia tenent. Minor verò Probatur: Ablato præcisè præcepto, licèt reliqua dentur, non manet malum objectivum comestionis, neque rectum intellectûs dictamen potest eam comestionem reprobare ut malam: superaddito autem præcisè præcepto jam ea comestio est mala, & rectum intellectus dictamen non potest non reprobare illam: sed id, quo præcisè ablato res aufertur, & quo præcisè superaddito res ponitur, est de intrinseco rei constitutivo: ergo &c.

41. Resp. distinguo Majorem: non potest non reprobare eam comestionem ut malam extrinsecè, concedo Majorem, ut malam intrinsecè, nego Majorem; & distinguo minorem: Constituitur per præceptum secundùm id quod est intrinsecum comestioni malæ, nego, secundùm id quod est extrinsecum, per quod denominatur mala, sive prout sumitur in concreto ex re, quæ denominatur mala, & forma denominante, concedo Minorem; & distinguo consequens eodem modo. Ad probationem distinguo Majorem: non manet malum objectivum comestionis secundùm id, quod comestio dicit pro constitutivo intrinseco, nego; secundùm quod dicit extrinsecè, quo denominatur mala, concedo Majorem, & distinguo Minorem: est de intrinseco constitutivo, si eo ablato intrinsecè, res aufertur intrinsecè, concedo, si eo ablato intrinsec è res aufertur solùm extrinsecè, nego Minorem, & distinguo consequens eodem modo. Ratio est, quia cùm præceptum denominet per contrarietatem comestionem malam ex n. 39. comestio illa nunquam manet malâ intrinsecè, sed extrinsecè; ac proinde ablata ea ratione, qua comestio denominatur mala, non tollitur aliquid intrinsecum, sed extrinsecum comestioni, ideóque non tollitur aliquid, quod sit de illius constitutivo. Cæterùm cùm tollatur forma, qua comestio denominatur mala extrinsecè, nimirum præceptum, tollitur concretum constitutum ex re, quæ denominatur mala, & forma denominante; ac proinde ablato illo concreto ex forma & comestione non manet comestio extrinsecè mala.

Quapropter deficiente prohibitione, quæ est forma, per quam comestio denominatur extrinsecè mala, deficiunt simul duæ denominationes: altera, quâ natura rationalis denominatur benè affecta sive bona, cùm nullum præceptum quin sit justum; & naturæ rationali conforme, possit esse obligatorium; & altera, quâ comestio denominatur mala: eadem namque forma respectu diversorum potest dare denominationes diversas; sic actus vitalis productus à creatura, & à Deo, denominat creaturam viventem & non Deum. Sic actus visivus productus à potentia visiva denominat potentiam videntem, & non visam; objectum autem denominat visum, & non videns. Pariter illa prohibitio bona denominat comestionem malam, & naturam rationalem bonam. Unde sicut deficiente visione deficit in objecto denominatio visi, quamvis visio non sit visa; ita deficiente prohibitione deficit in comestione denominatio malæ, quamvis prohibitio non sit mala; & sicut objectum visum non est visio, sed denominatum per visionem, ita comestio mala non est prohibitio, sed objectum denominatum per prohibitionem.

Exinde sicut solùm potest dici visio constitutiva visi, non quidem sumpto *visi* pro re visa, sed pro concreto ex re visa & forma, quâ videtur; ita prohibitio solùm potest dici constitutiva mali, non quidem sumpto malo pro re mala, sed pro concreto ex re mala, & forma, quâ denominatur mala. Quin imò, cùm voces accipiendæ sint secundùm significationem, quam habent in communi modo loquendi, cùm juxta communem modum loquendi pro malo significetur res, quæ denominatur mala, & prohibitio non denominetur mala, nunquam concedendæ sunt absolutè istæ propositiones:

45.

Malum formale objectivum, sive malitia formalis objectiva constituitur ex divina prohibitione, sed in sano sensu distinguendæ sunt modo explicato: in his enim rebus maximè attinet ad Theologum & cautè loqui, & ambigua explicare, ut diximus in tractatu de Sacramentis. Unde cum objectum, quando denominatur malum per contrarietatem sit naturæ ut rationali difforme, & forma, quâ denominatur sit naturæ rationali conformis; eapropter nunquam possumus licitè amare peccatum, neque odio habere formam, quâ malum denominatur. Imò decentius forsan loqueremur dicendo, prohibitionem esse de constitutivo mali philosophicè sumpti, secus theologicè accepti: quia philosophicè sumptum significat concretum, theologicè acceptum subjectum, quod denominatur malum per formam illius concreti, quæ duæ denominationes ita connexæ sunt, ut deficiente philosophica, deficiat & theologica: ac proinde deficiente prohibitione deficeret formaliter malum philosophicè sumptum; & arguitivè malum theologicè acceptum. Pariter cum ad justam permissionem peccati sat sit quod reperiantur in Deo justi tituli, quales sunt titulus causæ universalis, & alii similes manet permissio justas licèt res permissa sit omnino mala, quo præcaventur ea, quæ opponi poterant ex num. 34. Vide à n. 56.

44. Objicies quintò. Licèt actus pœnitentiæ non constituatur ex peccato, non potest non præsupponere peccatum, quod detestatur: ac proinde vult quod peccatum non extitisset; sed ex eo, quòd talis actus velit quod peccatum non extitisset, non est virtuosus: ergo actus pœnitentiæ non est virtuosus. Consequentia tenet, & Major patet: quia detestari peccatum est ostendere in affectu, quod si voluntas reperiretur in actu primo proximo cum præparatione animi, quâ modo reperitur non commisisset peccatum, quod tunc commisit, quando poterat illud non committere: ac proinde detestari peccatum est saltem virtualiter velle quod peccatum non extitisset. Minor verò Probatur: ex eo, quòd talis actus velit quod peccatum non extitisset vult etiam quod non extitisset ipsius actus bonitas, utpotè impotens existere sine peccato præsuppositio: sed actus volens quod ipsius bonitas non extitisset non est virtuosus: ergo &c. Confirmatur: actus dolens de dolore peccati non est virtuosus: sed actus pœnitentiæ volens quod ipse actus non extitisset est actus dolens de dolore peccati: ergo &c.

45. Resp. distin. Major. vult quod peccatum non extitisset ex suppositione quod extiterit nego: vult quod non extitisset, quando potuit non existere, ut rectè ostenditur in probatione Majoris, concedo Major & distincta Minore nego consequentiam. Ad Probationem dist. Major. vult quod non extitisset ipsius bonitas ex suppositione quod peccatum extiterit, nego, ex suppositione quod peccatum, non extiterit, conc. Major. & distincta Minore nego consequen. Ratio est quia si ille actus vellet quod peccatum non extitisset in sensu compositio quod extiterit, sive ex suppositione quod extitisset esset velle impossibile ut impossibile, ac proinde non esset virtuosus, sed implicatorius: velle autem quod peccatum non extitisset, quando potuit non existere, est velle quod non extiterit offensa Dei: cum ergo iste actus dicens, *potiùs vellem ego non esse, quàm quod fuerit offensa Dei*, sit perfectissimus, & naturæ rationali valde conformis, exinde actus pœnitentiæ est virtuosus volens ex hoc motivo non extitisse. Ad Confirmationem distin. Major. actus dolens de dolore peccati non est virtuosus, si doleat propter motivum incompossibile cum voluntate peccandi, nego: si doleat propter affectum peccati, concedo Major. & distincta Minore nego consequen. quia actus pœnitentiæ doleret ex eo quod extitisset offensa Dei quando potuit non existere, quod virtuosum est, & incompossibile cum voluntate peccandi; ac proinde & valde laudabile.

§. II.

46. OBjicies sextò contra secundam assertionem. Pœnitentia theologicè sumpta stat in solo dolore: ergo &c. Probatur antecedens: deficiente solo dolore licèt maneat destatio & propositum, non manet actus pœnitentiæ ut patet in Beatis: ergo actus pœnitentiæ stat in solo dolore. Confirmatur primò ex S. Thoma quæst. 85. art. 1. dicente: *Pœnitere est de aliquo priùs à se facto dolere*: ergo stat in solo dolore. Confirmatur secundò: *pœnitere nihil aliud est, quàm pœnam tenere*; sed pœnam tenere stat in solo dolore: ergo &c.

47. Resp. nego antecedens: ad Probationem concedo antecedens, & nego conseq. quia totum deficit deficiente parte, ac proinde deficiente dolore, qui est pars sive inadæquatum constitutivum actus pœnitentiæ, deficit actus pœnitentiæ: sic deficiente animali deficit homo, ex quo pessimè arguitur solum animal esse de constitutivo hominis. Pariter manente dolore, & deficiente proposito deficit actus pœnitentiæ, ut patet in damnatis ex numero 17. quin exinde arguatur dolorem non esse de constitutivo actus pœnitentiæ. Ad primam confirmationem distinct. anteced. est dolere ut oportet ad veram denominationem pœnitentis, concedo, aliter nego antecedens & conseq. quia Divus Thom. solùm potest intelligi de hoc dolore à nobis exposito, de quo Scriptura & Concilia loquuntur & loquitur ipse D. Thomas videndus à num. 76. Ad secundam confirmationem distin. eodem modo Major. pœnam tenere ut oportet ad veram denominationem pœnitentis concedo, aliter, nego Major. & distincta Minore nego consequen. quæ falsa est ut satis constat ex dictis, & evidenter patet in illo, qui pœnam teneret invitè, in quo reperiretur do-

lor, non autem actus pœnitentiæ theologicè sumptæ.

48. Objicies septimò contra tertiam assertionem. Detestatio est affectus voluntatis tendens in malum ut præteritum: dolor verò in malum ut præsens: propositum autem in malum ut futurum: atqui nullum objectum potest esse simul præteritum, præsens, & futurum: ergo nullus actus potest esse simul detestatio, dolor, & propositum. Confirmatur ex eo quod idem objectum non possit esse simul præsens & absens, neque potest idem actus tendere circa illud ut delectatio, & desiderium: sed idem peccatum non potest esse simul præsens & absens: ergo neque potest idem actus tendere circa illud ut dolor, detestatio, & propositum.

49. Resp. distin. Major. tendens in malum ut præteritum, præsens, & futurum, vel physicè, vel intentionaliter, concedo, solùm physicè nego Major. & distincta Minore, nego consequen. Ratio est quia non solùm dolemus de malo pro ut in re habito, sed etiam prout imminente & in apprehensione altè concepto, ex qua excitatur dolor, præsertim si aliquam sui denominationem dolore dignam proponat: cum autem peccatum præteritum relinquat pravas sui reliquias, vel saltem denominationes illas: *Homo iste peccavit, fuit inimicus Dei, alienus à Deo*, & alias similes, quæ in subjecto capaci & expedito sufficientes satis sunt ad concipiendum dolorem; Ea de causa non solùm possumus concipere detestationem, sed etiam dolorem de peccato præterito. Dixi in subjecto capaci, & expedito, quia Beati ratione statûs non possunt concipere dolorem, ac proinde neque actum pœnitentiæ, licèt de illis verùm sit dicere quòd peccaverint. Vide num. 53.

50. Pariter cùm etiam dignæ sint denominationes istæ, quas in posterum natura rationalis refugiat: exindè possumus etiam tunc propositum verum & firmum concipere, adeóque quam optimè valent hæc omnia simul motiva proponi intellectui, ita ut in eodem actu eas omnes formalitates conjungat. Ad confirmationem distinguo Major. si non possit esse præsens & absens secundùm diversas sui considerationes, concedo: si possit, nego Min. & distincta Minore nego conseq. quia peccatum potest simul repræsentari ut præteritum in sua elicientia, & ut præsens in suis denominationibus moralibus, & effectibus ut constat ex numero superiori. Unde sicuti quando objectum bonum cognoscitur ut possessum, & possidendum, possumus ei .a illud elicere actum delectationis circa possessionem, & desiderii circa futuritionem ex illo Petri Epistolâ primâ cap. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere*: & ex Paulo ad Rom. 12. *spe gaudentes*: Sic etiam possumus circa idem peccatum concipere simul detestationem, & dolorem cum proposito nunquam peccandi de cætero.

51. Objicies octavò ex Tridentino sess. 14. can. 5. Dolor contritionis habitus per detestationem peccatorum est liber: atqui non esset liber, si constitueret actum pœnitentiæ, cùm talis dolor necessariò sequatur ad detestationem constitutivam actus pœnitentiæ: ergo &c. Propter hoc argumentum judicat P. Conink disput. prim. *de Pœnitentia* cap. 2. num. 1. necessariò dicendum actum pœnitentiæ completum involvere utrumque actum, nempe detestationem, & dolorem illâmque esse magis liberam, hunc autem participativè ab illa sicuti actus fidei completus includit actum pure affectionis voluntatis, à quo denominatur liber. Cæterum licèt ista doctrina locum habeat, quando actus sunt distincti, falsa omnino est quando actus est idem: ac proinde falsò dicitur necessariò asserendum dolorem solum esse participativè liberum: quapropter

Resp. concedo maj. & nego min. quia quando idem indivisibilis actus est dolor, & detestatio, repugnat quòd sit libera detestatio, quin sit liber dolor. Quin imò licèt in actibus distinctis frequenter contingat detestationem esse causam doloris, existimo tamen posse aliquando etiam dolorem esse causam detestationis. Ratio est, quia ex eo quòd aliquis doleat de gravi malo quod patitur, connaturalissimè induci potest ad detestandam causam illius: ac proinde & dolor erit tunc causa detestationis: unde in actu, qui simul sit dolor, & detestatio, neque adhuc logicè deberlem per subsequi dolor ad detestationem. Ex dictis

Fit primò: viatorem illum, cui revelatum fuisset peccata ei esse dimissa, adhuc posse elicere verum actum pœnitentiæ. Ratio est, quia ratione status non impediretur ad concipiendum dolorem peccatorum detestativum cum proposito non peccandi de cætero; deinde ratione objecti maneret sufficiens motivum ad talem dolorem concipiendum: hoc enim ipsum quòd est hominem peccâsse, & innocentiam perdidisse satis est ex parte objecti ad concipiendum talem dolorem, ut per se patet. In Beatis autem aliter res se habet: quia licèt respectu illorum maneat hæc veritas, eos nimirum peccâsse, & innocentiam perdidisse, ac proinde habeant quidquid requiritur ex parte objecti non habent quidquid requiritur ex parte statûs; cùm status beatitudinis, & æternæ felicitatis sit doloris incapax.

Cæterùm cùm viator neque ex parte status, neque ex parte objecti tale habeat impedimentum, quàm optimè potest contori. Scio aliquos Recentiores contrarium sentire ex doctrina Comptoni, & Arriagæ: mihi autem omninò displicet. Ratio est quia dum homo est in via satis sunt peccata commissa, ut licèt, & validè accedat ad Sacramentum pœnitentiæ, ut constat ex Benedicto XI. in Extrav. 1. *de privileg.* dicente, *salubrem esse, atque adeo valdam confessionem peccati, iterum validè confessi, ac proinde condonati*. Atqui ad Sacramentum pœnitentiæ non potest homo licitè accedere absque dolore, qui est pars Sacramenti

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

conſtitutiva: ergo ſufficit homini viatori, quod peccata commiſerit ad concipiendum dolorem. Qua de cauſa SS. PP. applicare ſolent animæ quæ peccavit illa Hieremiæ verba cap. 2. *Vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum.*

55. Fit ſecundò: non eſſe idem dolere cum propoſito delendi peccata, ac dolere cum propoſito non peccandi de cætero, ac proinde non ſufficere ad Sacramentum pœnitentiæ ſolùm dolere cum propoſito delendi peccata. Ratio eſt quia dolor requiſitus ad Sacramentum pœnitentiæ eſt incompoſſibilis cùm voluntate peccandi: atqui ſolus dolor cum propoſito delendi peccata non eſt incompoſſibilis cum voluntate peccandi; ergo &c. Conſequentia tenet, & Major conſtat ex dictis à num. 12. Min. verò probatur in iſto caſu metaphyſicè poſſibili, in quo aliquis crederet nullum peccatum deleri poſſe abſque Sacramento pœnitentiæ reipſâ adhibito; & ſimul ſciret eſſe peccatum mortale negare Chriſtum coram tyranno. Tunc enim ſi tyrannus in hunc finem minaretur illi homini necem ſtatim inferendam; ſi Chriſtum non negaret, & aliunde confeſſarii copia deſtitutus exiſteret in lethali; ſi ille inquam determinaretur cum dolore ad negandum Chriſtum, & ad peccandum de novo lethaliter, ut ſic conſervatâ vitâ; poſſet habere locum; & tempus inveniendi confeſſarium ad delendum utrumque peccatum cum firmo propoſito utrúmque delendi; tunc in tali homine reperiretur dolor, & propoſitum delendi peccatum compoſſibile tamen, ut per ſe patet cum voluntate peccandi; ergo &c.

56. Fit tertiò: objectum extrinſecè malum per contrarietatem non poſſe cognoſci ut tale, quin cognoſcatur forma per quam malum redditur: intellectus enim, utpote potentia neceſſaria, non poteſt cognoſcere unum prout denominatum ab alio, quin cognoſcat unum & aliud: ac proinde, cùm nihil volitum quin præcognitum debet præcedere ejusmodi cognitio; ut voluntas eliciat actum averſivum mali (idémque ſuo modo de objecto denominato per contrarietatem bono à forma mala) cæterùm cum illa prævia cognitio non repræſentet eſſe malam formam denominantem, ſed ſolùm repræſentet eſſe malum objectum denominatum; voluntas, quæ eſt potentia libera potens laudabiliter odio proſequi malum; & non bonum, quàm optimè valet odio proſequi objectum denominatum, quin odio proſequatur formam denominantem. Unde ſi contra doctrinam noſtram, & contra ſolutiones in tota iſta ſectione à nobis traditas aliquis per paralogiſmos inſtaret in hunc modum: *Voluntas odio proſequitur objectum ut malum: ergò odio proſequitur id, quo denominatur malum.* Reſponderi facilè poteſt: diſtinguo antecedens: odio proſequitur objectum ut malum, cadente ly *ut* ſupra objectum expreſſionis intellectus; concedo: ſupra objectum averſionis voluntatis, nego antecedens, & conſequentiam.

Pariter quando objectum denominaretur bonum per contrarietatem à forma mala, v. g. 57. à peccato, ſi aliquis inſtaret ita: *voluntas amat objectum ut bonum: ergo amat id quo denominatur bonum.* Reſponderi facilè poteſt diſtinguo antecedens: amat objectum ut bonum, cadente ly *ut* ſupra objectum expreſſionis intellectus, concedo: ſupra objectum amplexionis voluntatis, nego antecedens, & conſequentiam. Rurſus ſi alter ita inſtaret. *Voluntas amat objectum ut conſtitutum bonum: ergo amat conſtitutivum objecti in eſſe boni.* Reſponderi eodem modo poteſt diſtinguo antecedens: cadente ly *ut* ſupra objectum expreſſionis intellectus, concedo; ſupra objectum amplexionis voluntatis, nego antecedens; & conſequentiam: Nam voluntas ſicut non amat formam malam ſimúlque objectum bonum, quæ duo conſtituunt concretum illud; ſive objectum expreſſionis intellectus, ſed ſolùm amat objectum denominatum bonum; ita non amat adæquatum, ſed inadæquatum illius concreti conſtitutivum. Quæ, ſi verum fatear, mihi, explicatis terminis, naturæ lumine videntur nota, & experientiâ ipsâ comprobata, quâ unusquisque ſcit ſe die Veneris odio proſequi comeſtionem carnis, ſecùs autem divinam prohibitionem; licèt intellectus proponat voluntati comeſtionem illam malam ratione divinæ prohibitionis. Unde cum hac ſola diſtinctione à nobis expoſita, verè, & ſolidè omnes adverſariorum paralogiſmi facilè evaneſcunt.

Fit quartò: Doctrinam noſtram non ſolùm 58. ſe extendere ad objectum per contrarietatem denominatum bonum aut malum; verùm etiam ad actum extrinſecè bonum, vel malum; qui ita denominetur per contrarietatem: etenim ſi quando dictamen rectum rationis reprobat actum; actus eliciatur, denominabitur malus per contrarietatem: pariter ſi quando dictamen rectum reprobat amplexionem, eliciatur actus fugæ, denominabitur bonus neque poteſt dari complexum ex recto dictamine reprobante, & actu reprobato, quin detur malum: ex quo benè penetrato, habetur ſolutio ſecunda firma & ſolida contra ea; quæ hucusque objecta ſunt adverſus noſtram doctrinam.

Fit quintò: voluntatem deteſtantem peccatum commiſſum per affectum, quo voluiſſet illud non commiſiſſe non reſpicere objectum ſub conditione poſſibili, ut conſtat ex dictis num. 45. Unde inferes quam ſtultè ad probandum actum pœnitentiæ non eſſe virtuoſum, objiciant hæretici contra nos illud Ariſtotelis 4. Ethicor. *Nullus eſt ſtultius eorum, qui ſunt ſecundùm virtutem.* Eodem modo corrumpunt ſenſum Apoſtoli *ad Galat.* 6. dicentis: *neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura*, intelligentes per novam ſa-

lam novitatem vitæ ab ipsis confictæ: quandoquidem deberent intelligere novitatem vitæ à Deo præceptæ, & à SS. PP. pœnitentibus, ex doctrina Scripturæ dolorosè inchoatæ, ut constat à num. 23. ex quo & Hæreticorum argutiæ manent solutæ, & veritas Catholica contra ipsos demonstrata.

DISPUTATIO II.

UTRUM POENITENTIA THEOLOGICE SUMPTA SIT VIRTUS SPECIALIS.

59. VIrtutes per se infusæ ex dictis num. 6. eatenus distinguuntur, quatenùs respiciunt diversa objecta formalia. Quapropter idem est quærere, an pœnitentia virtus Theologicè sumpta sit una specialis, ac quærere, an omnes actus pœnitentiæ theologicè sumptæ habeant idem objectum formale: etenim si unus actus doloris detestativi peccatorum commissorum cum proposito non peccandi de cætero, possit elici ex uno motivo formali, & alter ex alio, unus proveniet ab una virtute, & alter ab alia, sicquè pœnitentia virtus non erit una specialis. Ad dignoscendam autem naturam virtutis maximè juvat scire, in quod istinguantur virtutes Theologicæ à moralibus, in quem finem suppono dari ex consensu Theologorum tres solas virtutes Theologicas per se infusas in via, nimirum Fidem, Spem, & Charitatem; ac proinde reliquas omnes virtutes per se infusas, quæ dantur in viatoribus esse morales: Quapropter si actus pœnitentiæ proveniat à virtutibus Theologicis erit Theologicus; si autem proveniat à virtutibus moralibus, erit moralis. Quale autem sit fundamentum ad admittendas de facto virtutes morales per se infusas, statim dicemus.

SECTIO I.

An & qualis sit specialis Pœnitentiæ virtus.

§. I.

60. SUppono primò dari de facto virtutes morales per se infusas distinctas à Theologicis Fide, Spe, & Charitate. Hanc enim veritatem inferebant olim Theologi ex variis scripturæ, & PP. testimoniis. Cæterùm erat quæstio inter ipsos, an infunderentur solis adultis, ut defendebant aliqui, vel omnibus tam parvulis, quàm adultis quando remittebatur illis peccatum, ut alii contendebant ex 2. *Petri cap.* 1. ubi per Christum nobis conferri ea dona in justificatione docemur, dum dicitur: *per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Qua de causa qui negabant virtutes infundi parvulis docebant eis remitti peccatum sine infusione gratiæ, ac proinde non justificari, neque fieri divinæ naturæ consortes, adeóque neque infundi eis virtutes, utpote gratiam comitantes. Reliqui verò Theologi asserebant, in hac providentia nunquam remitti peccatum sine infusione gratiæ, ac proinde & quin infundantur illiæ virtutes comitantes gratiam, cum peccatum remittatur ex meritis Christi non minùs potentibus applicari parvulis sine ipsorum dispositione, quàm adultis cum illa. Multo tempore in Ecclesia Dei agitata fuit hæc controversia, pervenit quippe ad tempora Innocentii III. nec adhuc tunc fuit definita.

Sic enim proponit controversiam illam Innocentius III. *cap. majores de Bapt. Illud verò quod opponentes inducunt Fidem, & Charitatem, aliasque virtutes parvulis utpote non consentientibus non infundi, à plerisque non conceditur absolutè, cùm propter hoc inter Doctores Catholicos quæstio referatur; aliis asserentibus per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; Nonnullis dicentibus dimitti peccatum, virtutem infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad ætatem adultam.* Exinde temporibus Innocentii III. usque ad tempora Clementis V. permansit sub judice lis.

Postea verò Concilium generale Viennense sub Clemente V. ut habetur Clementinâ primâ *de summa Trinit. & fide Catholica* expendendo utriusquè sententiæ momenta, ita decrevit: *nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, eorumdem secundam, quæ dicit tam parvulis, quàm adultis conferri in Baptismo gratiam informantem & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis SS. ac DD. modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Unde cùm illa prima sententia teneret, ut ex relatis verbis Innocentii constat, Fidem & Charitatem, aliásq; virtutes non infundi, & secunda quam Concilium approbat defenderet infundi Fidem, Charitatem, & alias virtutes, planè deducitur non solùm dari virtutes theologicas per se infusas, cum Spes, quæ ultra Charitatem & Fidem superest, non sint aliæ virtutes, ac proinde non solùm dantur virtutes theologicæ Fides, Spes, & Charitas, sed etiam aliæ virtutes præter ipsas, cum non detur potior ratio ad admittendam unam virtutem moralem per se infusam, & non alias. Ex quo impugnandi sunt Scotus, Baconius, Alvarez, & Mar-

& Marsilius virtutes morales per se infusas negantes.

63. Suppono secundò: virtutes posse induere diversas denominationes secundùm diversos actus ab eis elicitos: sic misericordia quando alicui elargitur eleemosynam, ne incidat in paupertatem, vocatur præservativa, & quando succurrit alteri ut ab indigentia liberetur, vocatur reparativa. Quod evenit etiam in potentiis, sic potentia humana dicitur sensitiva in ordine adsensationes, & discursiva in ordine ad discursus. Pariter si à virtute Charitatis non solùm possit provenire purus Dei amor super omnia, sed etiam actus perfectæ contritionis, in ordine ad purum Dei amorem super omnia, non dicetur pœnitentia, sed charitas; in ordine verò ad actum perfectæ contritionis diceretur pœnitentia. Suppono tertiò: virtutes per se infusas voluntatis dividi in universales, & non universales. Virtus universalis dicitur illa, cujus objecto formali opponuntur omnia peccata: Sic inter virtutes theologicas Charitas habet pro objecto formali bonitatem Divinam; cui omnia peccata opponuntur. Spes habet objecto formali saltem Omnipotentiam auxiliantem in ordine ad Beatitudinem, cui innixa fiducialiter desiderat æternam Beatitudinem; cui opponitur quodcúmque mortale; cùm ratione cujuscúmque peccati mortalis amittamus Beatitudinem.

64. Pariter inter virtutes morales Religio habet pro objecto formali honestatem reverentiæ, sive cultûs debiti Deo; cui divino cultui singula peccata opponuntur. Obedientia respicit pro objecto formali honestatem objectivam rei præceptæ, contra quam militat quodcúmque peccatum; cùm sit contra præceptum divinum. Virtus gratitudinis habet pro objecto formali honestatem compensandi beneficium acceptum à benefactore, & quodcumque peccatum mortale est contra honestatem compensandi beneficia debita Deo. Justitia sive stricta, sive lata; quæ datur inter Deum, & creaturas habet pro objecto formali, vel honestatem objectivam juris Divini illæsi, ut aliqui explicant, vel honestatem habendi pacem cum Deo, ut alii contendunt; cùm autem quodcumque peccatum impediat Divini juris illæsionem, aut integram pacem cum Deo, exinde unumquodque peccatum opponitur tali justitiæ inter creaturam & Deum; eodémque modo dicendum de aliis similibus virtutibus universalibus. Virtus non universalis est illa, cujus objecto formali non opponuntur omnia peccata: sic peccatum avaritiæ non opponitur cum objecto formali castitatis, nec peccatum intemperantiæ cum objecto formali liberalitatis, cùm luxuriosus possit esse liberalis, & avarus castus; & sic de aliis. Unde hujusmodi virtutes dicuntur non universales.

65. Suppono tertiò voces, quæ absolutè sumptæ habent unam significationem, posse habere aliam diversam, si cum aliqua restrictione accipiantur: Sic rationale absolutè sumptum significat idem ac capax rationis, & intellectus, quo in sensu convenit non solùm creaturis, sed etiam Deo, & multò quidem perfectiùs, quàm creaturis, cùm sit infinitè perfectiùs capax rationis & intellectus, quàm creaturæ. Si verò rationale sumatur in restrictione philosophica, solùm significat intellectum potentem transire per discursum ex notis ad ignota, quo in sensu secum præfert ignorantiam, sive positivam, sive privativam: cúmque solæ creaturæ sint capaces ignorantiæ, secùs autem Deus; ea de causa rationale in restrictione philosophica sumptum convenit creaturis, & non Deo: unde homo distinguitur à Deo per rationale restrictè sumptum; secus per rationale absolutè acceptum. Pariter pœnitentia actualis (idem suo modo de habituali) potest dupliciter considerari: primò theologicè sumpta prout ex Scriptura, Conciliis, & PP. accipitur ab omnibus ferè theologis, sive expositivis, sive scholasticis, sive moralibus, nimirum pro dolore detestativo peccati commissi cum proposito non peccandi de cætero, ut diximus à num. 12.

66. Secundò considerari potest in restrictione scholastica pro voluntate faciendi opera bona ex motivo formali satisfaciendi Deo per peccatum offenso. Etenim ut ait Carleton disp. 97. sec. 7. num. 5. iste est communis sensus restrictionis theologorum, non autem Scripturæ, Conciliorum, aut PP. nam ut ait Arriaga disp. 10. de virt. pœn. sec. 3. n. 15. nec verbum ullum est in tota S. Scrip. & PP. de eo speciali motivo, licèt de dolore, de proposito &c. multa sint: quod prius dixerat Eximius Doctor *disp. 3. sec. 3. §. ult.* eaque de causa ait Card. de Lugo disp. 2. de pœnit. sec. 4. num. 65. *Est ergo ad salutem necessaria pœnitentia communiter sumpta* (id est theologicè) *prout comprehendit quemcumque actum doloris efficacis ex motivo sufficienti ad contritionem vel attritionem; non verò strictè, prout significat hanc specialem virtutem, de qua nunc loquimur.* Quæ duo maximè distinguenda sunt, ne incidamus in æquivocationes, in quas ob defectum hujus distinctionis alii prolapsi sunt; ut infrà constabit. Agemus ergo in hac disputatione de pœnitentia theologicè sumpta; in qua sunt quæstiones de re, & posteà de pœnitentia in restrictione scholastica acceptâ, in qua sunt quæstiones de nomine, ut post alios Theologos notavit benè Maurus quæst. 232. num. 14. His positis.

§. II.

67. Assero primò: actus pœnitentiæ theologicè sumptæ elici potest à quacumque virtute per se infusa universali voluntatis, ac proinde quævis universalis voluntatis virtus in ordine ad illum actum elicitum denominabitur vera virtus pœnitentiæ. Ita communiter Theologi cum Eximio Doctore disp. 3. sec. 8. Probatur primò: ad eandem virtutem, ad quam pertinet trahere ad se suum peculiare bonum, spe-

ctat etiam retrahere à se oppositum malum, ut constat ex dictis à num. 8. Sic charitas, quæ habet pro objecto formali bonitatem divinam non solùm amat propter divinam bonitatem ea, quæ sunt divinæ bonitati conformia, sed etiam propter divinam bonitatem fugit, quidquid opponitur ipsi bonitati divinæ. Sic etiam obedientia, quæ adimplet omnia mandata, quia à Deo præcepta, fugit omnem transgressionem divinorum mandatorum; ac proinde voluntas instructa quavis virtute universali, quando considerat malum commissum illius virtutis fini oppositum, potest detestari dolorosè illud malum cum proposito illud non committendi, non solùm propter objectum suum formale, ut per aliud particulare motivum contractum ad specialem illius mali turpitudinem, verùm etiam propter universalitatem sui motivi oppositi cum omni peccato; sed talis actus, ut per se patet, est actus pœnitentiæ theologicè sumptæ: ergo &c.

68. Confirmatur ab Eximio Doctore: velle formaliter unum objectum unicè propter rationem formalem æquè ab altero participatam est virtualiter velle alterum: sic qui formaliter amat Petrum unicè, quia est amicus Dei, virtualiter amat omnes, qui sunt amici Dei, neque in consortio illius amoris potest elicere odium vel unius amici Dei: Sic etiam qui assentitur Mysterio Incarnationis unicè propter Testimonium Dei dicentis, virtualiter credit omnia, quæ Deus dicit, neque in sensu compositio illius actus fidei potest dissentiri alteti objecto ut proposito, & dicto à Deo: ergo ille qui dolet, & detestatur unum peccatum cum proposito illud non committendi de cætero, unicè propter motivum virtutis universalis, virtualiter dolet, & detestatur omnia peccata, cum proposito non committendi illa de cætero, utpote eandem rationem formalem motivi æquè participantia, & æquè sub ea ratione formali comprehensa; sed in eo stat actus pœnitentiæ theologicè sumptæ ut constat à num. 12. ergo à quacumque virtute universali potest elici actus pœnitentiæ theologicè sumptæ.

69. Probatur secundò: non potest voluntas efficaciter intendere consecutionem finis, quin virtualiter velit remotionẽ illorum impedimentorum, sine qua non obtineretur finis: atqui finis virtutis universalis obtineri non potest, si ponatur vel unum peccatum mortale; cùm quodcumque mortale opponatur cum fine virtutis universalis, ut constat à n. 60. ergo nequit voluntas efficaciter velle conservare illæsum finem virtutis, contra quem opponuntur omnia peccata, dolendo & detestando peccatum commissum prout oppositum objecto formali talis virtutis. quiu volitio illa efficax sit virtualis saltem detestatio omnium peccatorum, & propositum saltem virtuale non peccandi de cætero: repugnat enim ex ipsis terminis, quòd voluntas efficaciter velit conservare iliæsum objectum formale virtutis, contra quod opponuntur omnia peccata, & simul velit peccare: sed talis actus est actus pœnitentiæ theologicè sumptæ: ergo à quacumque virtute universali voluntatis potest elici actus pœnitentiæ theologicè sumptæ. Videatur Augustt. tom. 4. de vera & falsa pœnitentia; ubi per totum tractatum doctrina nostra clarissimè confirmatur.

Confirmatur: non potest voluntas efficaciter detestari pœnas inferni, quin virtualiter detestetur omnia peccata: cùm unum peccatum sufficiens sit ad eas pœnas incurrendas; neque potest odio prosequi unum peccatum, nec amittat Gloriam, quin virtualiter omnia detestetur, cùm unum peccatum sufficiens sit ad Gloriam amittendam: ergo quando omnia peccata opponuntur objecto formali unius virtutis, non potest voluntas efficaciter odio prosequi, & dolere de peccatis commissis purè propter objectum formale talis virtutis, quin virtualiter detestetur omnia peccata, & sit ea volitio incompossibilis cum voluntate peccandi, adeóque & actus pœnitentiæ theologicè sumptæ.

Respondebis cum Medina, Arriaga, Comptono, & pluribus Recentioribus, aliquando posse voluntatem amare unum objectum propter motivum universale, quin virtualiter amet cætera objecta; sic potest aliquis velle dare eleemosynam ut quatuor propter bonitatem eleemosynæ, quin velit virtualiter dare ut octo. Pariter potest velle confiteri, & communicare propter Deum, quin virtualiter velit jejunare. Sic etiam potest velle conscendere hanc navem, quia apta est ad navigandum, quin virtualiter velit conscendere alias, quamvis aptæ sint ad navigandum, & sic de millenis aliis. Unde poterit etiam voluntas detestari unum peccatum propter motivum universale, quin eximè detestetur alia peccata virtualiter. Verùm hæc responsio, ni fallor, vel non venit ad rem, vel confundit duo toto cœlo diversa, nimirum motivum comprehensum in universali, cum motivo universali, ut benè notavere Eximius Doctor suprà citatus, quem adversarii animosè impugnant, & citant, quin ipsius solutionem sibi objiciant vel solvant. Quapropter.

Contra primò: quando aliquis vult dare eleemosynam ut quatuor, vel habet pro objecto formali illam honestatem ut quatuor eleemosynæ comprehensam in motivo universali; vel honestatem præcisè ut honestas est eleemosynæ, sive quod idem est motivum universale. Si primum: ille actus non habet motivum universale, sed comprehensum in universali, ut proinde, licèt non sit virtualis volitio alterius eleemosynæ, perperàm exinde infertur, actum habentem motivum universale non esse volitionem virtualem alterius eleemosynæ. Si secundum: ergo ratio, propter quam vult illam eleemosynam omnino eadem militat in alias, ut proinde erit etiam virtualis volitio alterius. Cæterùm quia illi, qui dant eleemosynam communiter moventur à peculiari illius honestate majo-

majori vel minori, secundùm majorem vel minorem voluntatem dandi; & rarissimi sint, qui ex universali motivo moveantur, ea de causa sunt rarissimi, qui dant, quantum possunt dare, & qui dando unam habeant voluntatem virtualem donandi reliqua, ut fecerunt aliqui egregii, & SS. viri, qui tale generale motivum habebant: & quia communiter motivum formale est specialis honestas, ideò volitio unius non est virtualis volitio dandi omnia; quinimò, ut accuratè notavit Eximius Doctor disput. 3. sect. 8. num. 9. sæpissimè non attingitur motivum universale, quia non movetur voluntas ab illo secundùm suam universalitatem, sed habendo etiam pro motivo aliquam specialem conditionem, quæ ad alia objecta non se extendit, vel saltem habendo pro motivo partiali, quo universale contrahitur, jus & facultatem ad exercendum se circa hoc objectum, ideóque non attingitur præcisè propter rationem æquè in omnibus objectis materialibus militantem. Exinde.

73. Contra secundò: quando aliquis vult confiteri, & communicare propter Deum, vel movetur ab honestate illius operis, quæ placens est Deo, & quæ communis non est omnibus aliis objectis, vel unicè à complacentia divina circa opera bona? Si primum: illud non est motivum universale, sed particulare, ac proindè nullam exindè rationem afferunt adversarii ad solvenda argumenta, quæ contra ipsos confecimus. Si secundùm: ergo motivum illius volitionis eodem modo ac in confessione, & communione adest in jejunio & reliquis bonis operibus Deo placentibus, ac proinde erit volitio virtualis reliquorum, sive quod idem est ex se incompossibilis cum aliorum nolitione: si enim voluntas alia formaliter non attingit, ideo est, quia tunc ab intellectu, vel ratione inadvertentiæ, vel ob aliam similem causam non repræsentantur. Cæterùm quia hujusmodi volitiones solùm habentur rarò, sicuti legimus de S. Theresia, quæ voto se obstrinxerat ad faciendum in omnibus, quæ Deo placentiora judicaret, ea de causa rarò habet voluntas in ordine ad amplexionem ejusmodi motivum universale.

74. Pariter qui vult se committere huic navi, & non alteri, non solùm habet pro motivo aptitudinem navis ad navigandum, sed aliquam contractivam conditionem respicientem hanc navem, & non alias ex dictis num. 72. aliter non eligeret hanc præ aliis. Sic qui vult emere omnes naves accedentes ad portum, præcisè quia aptæ sunt ad navigandum, non potest ex vi hujus voluntatis emere istam, & relinquere illam æquè aptam ad navigandum, ut per se patet: ergo &c. Contra tertiò detegendo æquivocationem adversariorum: Licèt voluntas possit pro libito suo attingere objectum materiale, vel propter motivum purè universale, vel addendo conditionem non universalem omnibus objectis materialibus, attamen non est libera ad attingendum propter motivum purè universale, & quòd simul ea ratio non participetur æquè ab omnibus objectis materialibus: si enim volo hanc medicinam, præcisè quia necessaria est ad salutem, non possum ex vi hujus volitionis respuere aliam omninò necessariam ad salutem: ergo volitio unius objecti præcisè propter motivum, quod æquè reperitur in aliis, est virtualis volitio aliorum.

Hæc autem est ratio à priori, inquit Eximius 75.
Doctor, propter quam quilibet assensus fidei est virtualis assensus omnium, quæ à Deo dicuntur, quia ut eliciatur actus fidei, requiritur, quòd unicè credat propter testimonium Dei loquentis, quæ ratio formalis æquè reperitur in omnibus fidei objectis: si autem aliquis non moveretur ad credendum propter solum testimonium Divinum, sed ut corroboratum alio motivo, jam non esset actus fidei, ut docetur in tractatu *De fide*, & constat ex ipsa fidei definitione. In objectis autem formalibus aliarum virtutum non ita contingit ex necessitate, cùm non præcipiat Deus attingentiam objecti materialis semper propter universalitatem sui objecti formalis: potest enim voluntas intra lineam ejusdem virtutis magis vel minùs extensè laudabiliter operari absque difformitate cum natura rationali: Sic natura rationalis non solùm approbat voluntatem dandi eleemosynam ut octo, sed etiam ut unum, ac proinde & potest virtus cum voluntate concurrere ad illum actum eliciendum, etsi tunc voluntas annectat conditionem non se extendentem ad omnia objecta materialia: virtus quippe ex se indifferens est, ut se conjungat cum conditionibus sibi non oppositis, licèt voluntas non adeo perfectè operetur cum illa virtute, ac operaretur si moveretur ex universalitate motivi. Ex quo intelliges diversitatem actuum ab eadem virtute provenientium indicatam n. 20.

§. III.

Assero secundò: actus pœnitentiæ in restric- 76.
tione scholastica secundùm D. Th. usurpationem considerata non procedit ex motivo omnium virtutum universalium, sed ex motivo justitiæ illius, quæ inter Deum, & creaturas intercedit; ac proinde non se extendit ad omnes virtutes universales voluntatis. Probatur primò: juxta restrictionem D. Thomæ ille dicitur actus pœnitentiæ, qui est dolor de peccato commisso in quantum est offensa Dei, ita ut non solùm intendat cessationem offensæ, sed ulteriùs exigat illius compensationem ex parte offendentis; atqui elicere actum ex motivo compensandi offensam contra Deum, est illum elicere ex motivo illius justitiæ, quæ inter Deum & creaturas reperitur: ergo &c. Consequentia tenet, & præmissæ desumptæ sunt ex ipsius D. Thom. doctrina. Major enim constat ex quæst. 85. art. 3. in corp. ubi D. Th. ait: *Pœnitentia non habet, quod sit virtus specia-*

lis ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato (ad hoc enim sufficeret charitas) sed ex eo quòd pœnitens dolet de peccato commisso in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ, non fit per solam cessationem offensæ, sed exigitur quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut & retributio: nisi quod recompensatio est ex parte ejus, qui offendit (utpote cum satisfactione) retributio autem est ex parte ejus, in quem est offensa commissa. Ex quo patet veritas Majoris.

77. Probatur etiam Minor ex eodem D. Thom. qui loc. cit. ità prosequitur: *utrùmque autem ad materiam justitiæ pertinet, quia utrùmque est commutatio quædam, unde manifestum est quòd pœnitentia secundum quod est virtus, est pars justitiæ.* Quibus in verbis continetur Minor nostri syllogismi. Ubi notare maximè oportet, S. Thom. non requirere ad pœnitentiam dolorem utcumquè, sed de peccato *perpetrato*; ac proinde qui sit detestatio, ex dictis num. 48. nec solùm requirere motivum utcùmque, sed universale, *in quantum est offensa Dei*, ac proinde quod afferat propositum non peccandi de cætero ex dictis num. 21. & latiùs à num. 67. Ex quo patet non posse aliter explicari D. Thom. sensum verum, nisi ut à nobis expositus fuit num. 47. Quapropter in hoc unico D. Thom. testimonio, si bene expendatur, invenietur eadem doctrina à nobis tradita totâ disputatione primâ.

78. Confirmatur. Ab eodem objecto formali, à quo procedit actus volens jus alterius illæsum servare, procedit etiam actus volens in quantum fieri potest compensare jus alterius læsum: sic apud homines eadem justitiæ virtus, quæ movet ad non furandum, movet etiam ad restituendum compensando furtum commissum: ergo ad eandem virtutem justitiæ repertam inter creaturas, & Deum, ad quam spectat evitare læsionem divini juris, quæ fieri potest per offensam contra Deum, spectabit etiam compensare injuriam contra Deum commissam, prout compensari possit, ac proinde actus, qui movetur ex honestate talis compensationis, unicè spectabit ad motivum talis justitiæ: ergo sumpto actu pœnitentiæ restrictè prout elicito ex motivo talis satisfactionis non pertinebit ad omnes virtutes universales, sed ad solam expositam virtutem justitiæ.

79. Probatur secundò. Licèt actus omnium reliquarum virtutum supernaturalium sint in actu exercito satisfactorii coram Deo, non eliciuntur ex motivo satisfaciendi, sed ex motivo cujuscùmque peculiaris virtutis: Sic actus charitatis non elicitur ex motivo satisfaciendi, sed ex motivo bonitatis divinæ: ad eum modum, quo si Petrus furatus fuisset quatuor Julios, eosque restitueret non quidem ex motivo satisfaciendi juri alteriùs læso, sed ex timore supplicii, esset materialis restitutio, non verò actus justitiæ, ad justitiam autem spectat non quomodocùmque alterius jus compensare, sed ex motivo aut honestate compensationis: ergo sumptâ pœnitentiâ in restrictione supra exposita, pro virtute satisfactoria ex honestate compensationis, actus elicitus ex tali motivo pertinebit ad justitiam; ac proinde in ordine ad similem actum, justitia ea, quæ datur inter Deum, & homines, dicetur pœnitentia in hac restricta significatione sumpta.

Confirmatur primò, ex communi modo loquendi, quo dicitur pœnitentiam agere illum, qui ex motivo compensandi injuriam Deo factam internam vel externam pœnam libenter assumit; atqui iste modus loquendi unicè fundari potest in hac restricta significatione; secùs in significatione absolutâ pœnitentiæ, ut constat à numer. 67. ergo &c. Conf. secundò ex August. tom. 4. lib. *de vera & falsa pœnitentiâ* cap. 8. dicente: *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse*, ubi non extendit illam ad quemcùmque dolorem, sed ad dolorem ex motivo offensæ compensativæ; sed talis est pœnitentia specialis à nobis exposita: ergo &c. Conf. tertiò ex cath. Trident. *tit. de pœnit.* dicente: *Sed id etiam ex his rebus colligi potest, quas sibi tanquam finem proponit ea, quem verè peccati pœnitet. Primum autem hoc ei propositum est, ut peccatum abolear, omnemque animæ culpam, & maculam abstergat. Alterum est, ut pro sceleribus admissis Deo satisfaciat: quod quidem ad justitiam refert perspicuum est: nam etsi inter Deum & homines propria Justitiæ ratio intercedere non potest, cum tam longo intervallo inter se distent, aliquam tamen esse justitiam constat; cujusmodi est inter Patrem & filium, inter Deum & servos:* ergo si pœnitentia virtus in hac restrictione sumpta non conveniet omnibus virtutibus universalibus voluntatis, sed erit illa justitiæ virtus, quæ inter Deum, & creaturas reperitur. Vide n. 313.

Respondebis primò talem virtutem justitiæ inter creaturas, & Deum se solâ satis non esse ad constituendam virtutem pœnitentiæ: nam virtus pœnitentia est virtus strictè sumpta: illa verò Justitia non est virtus strictè, sed latè accepta, cùm non sit justitia strictè, sed latè sumpta. Contra tamen primò: quia ista responsio est merus verborum lusus: etenim si bene expendatur iste modus respondendi, est similis huic modo arguendi: Petrus est albus, & est homo: sed non est albus per identitatem: ergo non est homo per identitatem. Quod sic ostendo. Non minus sunt separabiles conceptus pœnitentiæ, & conceptus strictæ justitiæ, quàm conceptus hominis, & conceptus albi: etenim ad rationem actus strictæ justitiæ requiritur æqualitas satisfactionis cum magnitudine offensæ, & insuper quòd offensus sic injustus, posita ea æqualitate exigat ulteriorem satisfactionem; ad conceptum verò actus strictæ pœnitentiæ requiritur, ut constat ex Tridentino cita-

citato, quòd sit animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: atqui sicut Petrus participat per identitatem conceptum formalem constitutivum hominis, & non conceptum formalem constitutivum albi; ita actus justitiæ latæ à nobis assignatus participat per identitatem conceptum formalem constitutivum illius doloris; & non conceptum formalem constitutivum æqualitatis cum magnitudine offensæ, neque ita exigit detestionem peccati, ut Deus esset injustus, si eum actum in satisfactionem non admitteret, ut peccatum deleret: ergo &c.

82. Contra secundò. Licèt eadem virtus sit justitia, & pœnitentia, in ordine ad constitutivum justitiæ potest, & debet dici lata, & in ordine ad constitutivum pœnitentiæ potest, & debet dici stricta; Sicuti Petrus existens Romæ respectivè ad Neapolim potest, & debet dici longè distans; respectivè verò ad se ipsum non potest dici longè distans: ergo &c. Probatur antecedens: Licèt satisfactio facta ab homine longè distet ab æqualitate in actu secundo cum magnitudine lethalis offensæ factæ contra Deum, & ab eo, quòd Deus ita obligetur, ut non possit quin sit injustus admittere illud opus ex aliis mille titulis sibi debitum, quin admittat illud in compensationem, quod ad Justitiam strictam requirebatur; attamen non ex eo longè distat à dolore detestativo peccati propter motivum universale; cùm sit talis dolor per identitatem, quod requiritur ad constitutivum adæquatum actus rigorosæ pœnitentiæ: ergo licèt secundùm conceptum justitiæ dicatur actus justitiæ latæ, & non strictæ; secundùm conceptum pœnitentiæ non potest dici actus pœnitentiæ latæ, sed strictæ. Quidquid tamen de hoc sit.

83. Contra tertiò: Actus à nobis assignatus non minùs est actus pœnitentiæ, quàm sit actus, ut constat ex numero superiori: sed non est actus latè, sed strictè sumptus: ergo non est actus pœnitentiæ latè, sed strictè acceptus. Contra quartò: quia hic non quærimus constitutivum rigorosæ justitiæ, sed constitutivum rigorosæ pœnitentiæ. Certum enim est peccatum esse contra jus Dei, ac proinde esse injustitiam contra Deum: an autem sit lata vel stricta pertinet ad tractatum *de Justitia*. Rursus certum est, quòd si ille actus habeat, quod exigit Tridentinum ad actum rigorosæ pœnitentiæ, licèt non sit actus rigorosæ justitiæ; sed talis actus sive habeat, sive non habeat, quod requiritur ad rigorosam justitiam, de facto certò habet, quod requirit Tridentinum ad actum rigorosæ pœnitentiæ: loquimur enim de actu supernaturali, qui verè sit dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: ergo sive sit actus justitiæ latæ, sive strictæ, erit actus non quidem latæ, sed strictæ pœnitentiæ.

84. Respondebis secundò cum plurimis Recentioribus, virtutem, pœnitentiæ in restrictione scholastica acceptæ non elicere actum doloris detestativi de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; sed actum, quo imperet alias virtutes, ut eliciant talem dolorem, ac proinde non appellari pœnitentiam à suo actu elicito, seu imperante, sed à suo actu imperato. Contra tamen primò: virtus pœnitentiæ in restrictione scholastica acceptæ habet motivum universale non minùs, quàm aliæ virtutes universales voluntatis, ut constat ex dictis à num. 64. & 76. ergo non minùs potest elicere talem dolorem, quàm aliæ virtutes. Quamvis hæc ratio sufficiens sit ad responsionem impugnandam; nihilominus propter utilitatem doctrinæ oportet illam magis explicare. Quapropter

85. Contra secundò; & explicatur præcedens ratio. Qui vult efficaciter finem consequi, apponit media, quæ judicat utilia ad finem obtinendum: adeòque si ad finem obediendi Deo est utilis actus charitatis, potest virtus obedientiæ ex motivo obedientiæ imperare actum charitatis, & tunc actus Charitatis proveniet ex motivo charitatis elicitivè à charitate, sed ex motivo obedientiæ proveniet imperativè ab obedientia. Etenim hoc modo non solùm potest virtus superior imperare inferiorem, sed etiam inferior superiorem. Sic amor erga proximum potest imperare actum charitatis, aut religionis; ut si quis ob bonum aliquod proximi votum emittat, aut aliud opus hujusmodi præster. Qua de causa cum ad hanc præbendam Deo compensationem pro peccato commisso conducant actus charitatis & aliarum virtutum, virtus pœnitentiæ ex hoc motivo quàm optimè potest imperare actus chariratis, & aliarum virtutum, usquèdum facta compensatione, vel per Sacramentum pœnitentiæ in re; vel per charitatem, aut contritionem perfectam, quibus promissa est deletio peccati quoad culpam; & reatum pœnæ æternæ, desit materia compensanda quoad culpam, & pœnam æternam.

86. Rursus cum remissâ culpâ & pœnâ æternâ maneat reatus quoad pœnam temporalem in hac vel in alia vita solvendam; potest pœnitentia imperare pœnas internas, & externas ad pœnas istas solvendas, & compensandas; tum etiam potest imperare actus aliarum virtutum, cum omnes sint satisfactorii; ac proinde actus imperati possunt esse actus pœnitentiæ theologicè sumptæ. Hoc autem non impedit, ne ipse actus imperans sit etiam actus pœnitentiæ theologicè sumptæ, utpote procedens ex motivo universali offensæ Dei, ficquè evadat incompossibilis cum voluntate peccandi ex dictis num. 77. unde non dicitur actus pœnitentiæ specialis ex eo quod ipsi deficiat, constitutivum actus pœnitentiæ universalis; sed quia contrahitur ad motivum formale compensationis pertinens ad pœnitentiam specialem in restricta significatione acceptam.

87. Si verò ille actus non procederet ex motivo compensandi hanc pœnam particularem; ita ut neque

neque ex parte actus imperantis, neque ex parte actus imperati daretur dolor detestativus peccatorum cum proposito non peccandi de cætero, tunc neque pœnitentia elicita, neque imperata esset theologica, de qua loquimur, sed vel philosophica, vel grammaticalis, de qua n. 2. Cæterùm hoc non obstat ne pœnitentia, de qua loquimur, possit elicere actum imperantem, qui sit verus dolor detestativus peccatorum cum proposito non peccandi de cætero, ut constat ex num. 84. ergo facultas ad imperandum non est incompossibilis cum potentia ad eliciendum actum pœnitentiæ theologicè sumptum, & qui ex motivo proprio compensationis ad specialem pœnitentiæ virtutem pertineat.

88. Respondebis tertiò cum aliis Recentioribus ex doctrina P. Esparzæ, virtutem pœnitentiæ ut à nobis expositam non posse dici specialem, quia virtus pœnitentiæ specialis distingui debet ab aliis virtutibus, quæ pœnitentia sunt per conceptum proprium pœnitentiæ, aliter non esset specialis in ratione pœnitentiæ, sed reliquis pœnitentiæ virtutibus communis: motivum autem Justitiæ non est proprium pœnitentiæ, cum reperiatur in actu, quo justum alteri reddimus absque detestatione peccati: Sic Petrus in ratione animalis non distinguitur à Leone, quia ratione animalis nullum prædicatum continet, quod non contineat Leo. Quapropter pœnitentia specialis erit virtus elicitiva doloris de peccato Theologico propter specialem honestatem doloris sanativi, & emendativi ejusdem peccati, sive ut ait Esparza, habitus purè deletivus peccatorum, quatenùs sunt offensæ Dei. Multa displicent in hac responsione. Quapropter.

89. Contra primò: Ut virtus pœnitentiæ restrictè sumpta distinguatur ab aliis pœnitentiæ virtutibus, in ratione pœnitentiæ non debet distingui per conceptum constitutivum pœnitentiæ absolutè sumptæ, sed per conceptum constitutivum pœnitentiæ in restrictione expositæ acceptæ, ut ex ipsis terminis notum est, & constat ex dictis num. 65. atqui ut distinguatur per hunc conceptum ab aliis pœnitentiæ virtutibus, satis est, quòd dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero habeatur ex motivo satisfaciendi, & compensandi peccatum perpetratum contra Deum, sive in quantum est offensa Dei, quod habetur ex motivo Justitiæ, ut constat à num. 76. ergo &c. Contra secundò: Constitutivum & distinctivum rei sunt realiter idem: atqui ut virtus pœnitentiæ restrictè sumpta habeat suum adæquatum constitutivum, non debet addere supra rationem pœnitentiæ communem aliis pœnitentiæ virtutibus, nisi rationem specialem, quâ contrahatur ad speciem pœnitentiæ restrictè acceptæ, sive quod idem est tendentiam ex motivo compensationis, quod nulli ex aliis virtutibus convenit: ergo &c. Sic animal, si non sumatur in significatione philosophica pro solo principio sensationis, sed in vulgari, quâ idem significare solet, ac brutum, manifestum est, non solùm constitui in esse animalis ita sumpti per principium sensationis, sed etiam per principium irrationabilitatis: nec in rebus adeò notis oportet ulteriùs immorari.

Contra tertiò: Omnes habitus per se infusi comitantur in præsenti Providentia gratiam habitualem, non solùm quando conferuntur adultis, sed etiam quando infunditur parvulis, ut constat ex num. 62. sed habitus ad eliciendum dolorem dumtaxat delentem peccatum non infunditur parvulis: ergo talis habitus in præsenti Providentia non infunditur cum gratia; ac proinde non datur talis habitus per se infusus. Probatur Min. In præsenti Providentia nullus infunditur habitus ad delenda sola venialia; aliter tot deberent admitti, quot sunt species peccatorum venialium, imò & tot, quot sunt species imperfectionum moralium, quod nullus hucùsque Theologus dixit, neque adversarii concedent; sed ille habitus infusus parvulis ad summum deservire posset ad delenda venialia: ergo &c. Probatur Min. quando parvulus accederet ad usum rationis, non posset elicere actum, quo deleret mortale, antequàm mortale committeret; deindè quando committeret mortale, amitteret illum habitum, utpote sine gratia non remanentem: ergo ille habitus non posset elicere actum delentem mortale, sed ad summum veniale. Videatur Eximius Doct. *in Comment.* art. 2. supra quæst. 85. num. 1. ex quo.

Contra quartò: Nulla est virtus per se infusa, cujus non solùm adæquatum, verùm non primarium munus sit fugere malum operando ad destructionem ejus: sed talis esset virtus ab adversariis assignata: ergo &c. Maj. est Eximii Doctoris: & Probatur. Virtus per se infusa ita est radicata in gratia, ut nunquam reperiatur gratia, quin reperiatur virtus per se infusa; ac proinde in quocumque statu reperiatur gratia in homine expedito ad operandum, poterit exercere suum munus primarium virtus per se infusa: sed gratia potest reperiri in subjecto apto ad operandum, quin subjectum illud commiserit peccatum ullum nec mortale, nec veniale, ut patet in Deipara, quæ habuit gratiam ejusdem rationis cum nostra, & in parvulis, quando post Baptismum perveniunt ad usum rationis: tunc enim quando primò expediti sunt ad peccandum, vel non peccandum, nullum adhuc habent peccatum, & tamen possunt exercere primarium munus virtutis, amplectendo ex motivo virtutis bonum, accendendo ad Deum, augendo gratiam, merendo gloriam: ergo &c. Confirmatur primò: Virtus non prærequirit, quòd habens illam, habuerit suum contrarium, aliter assignari deberet una virtus castitatis ad fugiendum malum, alteri ad amplectendum bonum, & sic de aliis: ergo neque prærequirit suum contrarium ad exercendum suum munus primarium; ac proinde

possit

potest illud primarium munus exercere amplectendo bonum, quin peccatum præextiterit, licèt postquam præextiterit, possit ex eodem motivo peccatum illud detestari. Confirmatur secundò ex D. Thoma 2. 2. quæst. 79. docente esse duo inseparabilia virtutis officia declinare à malo, & facere bonum: ergo &c. Ex dictis.

§. IV.

92. Fit primò: virtutem pœnitentiæ theologicè sumptam non esse unam virtutem specialem: Ratio est, quia sunt plures species virtutum, quarum quælibet est pœnitentia theologicè sumpta, ut constat à num. 67. Ex quibus virtutibus aliæ sunt theologicæ, ut Spes, & Charitas; aliæ verò morales, ut Obedientia, Justitia, Gratitudo, &c. ut constat ex numero 59. Vide à num. 95. Fit secundò: actum pœnitentiæ non solùm posse elici à peccatore, sed etiam à justo: Ratio est, quia non solùm peccator, sed etiam justus potest dolere de peccatis commissis eliciendo actum contritionis, & attritionis, & recipiendo licitè, & validè sacramentum Pœnitentiæ, sed ad hoc requiritur vetus actus pœnitentiæ: ergo &c. Fit tertiò: virtutem specialem pœnitentiæ non dici specialem, quia non habeat motivum universale, sed quia habet motivum universale in linea justitiæ, ex quâ fit compensatio ex motivo satisfaciendi, quod in communi loquendi modo venit nomine pœnitentiæ, ut constat ex numero 80. quo in sensu loquuntur Augustinus ibi citatus, & expresè S. Thomas num. 77. ex quibus summus restrictionis sensum: non enim est libertum unicuique illum confingere, sed ut à majoribus constitutum debemus vocis sensum exponere, & controversias instituere. Exinde.

93. Fit quartò: Quodcùmque lethale opponi motivo virtutis pœnitentiæ specialis, non minùs quàm motivo virtutis pœnitentiæ non specialis. Hæc autem oppositio alia est materialis, quæ virtualiter opponitur cum motivo virtutis ex dictis à num. 63. alia formalis, quæ formaliter opponitur tali motivo, ut odium Dei cum charitate, desperatio cum spe, & infidelitas cum fide. In præsenti autem Providentia fides solùm amittitur per infidelitatem, per quam etiam amittitur spes, utpotè in fide fundata: fides enim vocatur in Scriptura: *Sperandarum substantia rerum*; amittitur etiam spes per desperationem, non autem per quodcumque lethale; benè verò reliqui habitus per se infusi, unde ea oppositio virtualis orta ex quocùmque lethali non sufficit ad amittendos habitus fidei, & spei; benè verò ad amittendos aliarum virtutum habitus. Videatur Ripalda disp. 128. *de supernaturalitate*, & disput. 28. *de spe*.

94. Fit. quintò: Actum pœnitentiæ elicitum à peccatore non dici actum virtutis, ex eo, quod tunc effectivè procedat à virtute: actus enim disponens ad gratiam, ut in tractatu *de justificat.* docent communiter nostri contra Thomistas, non potest effectivè procedere à gratia, ad quam ultimò disponit: sed dicitur actus virtutis pœnitentiæ, quia procedit ex motivo pœnitentiæ, quatenus propter motivum universale dolorosè detestatur peccatum: Deus autem, quando deficit habitus per se infusus, in peccatore supplet defectum habitus, vel per auxilia divinæ gratiæ, vel simul cum Omnipotentia extrinsecè applicata, ut possit elicere virtutum actus, & se disponere ad justificationem, vel eliciendo attritionem, quâ acquirat gratiam simul cum sacramento. Acquisitâ autem gratiâ acquirit etiam habitus virtutum, tanquam potentias stabiles supernas, ut connaturaliùs possit illos actus elicere, vel amplectendo bonum, vel simul detestando malum priùs commissum. Quapropter si actus respiciat unum solum objectum formale, proveniet ab una sola virtute; si verò attingat plura objecta formalia, concurrent etiam ad illum eliciendum plures virtutes: Sic potest quis jejunare ex motivo obedientiæ, quia est dies præceptus, & ex motivo Temperantiæ, nimirum propter honestatem, quæ in actione illa relucet. Sic etiam suo modo secundùm diversas rationes, quæ reperiuntur in actu peccaminoso discurrendum est quoad oppositionem formalem, vel contra unam, vel contra plures virtutes: Si enim formaliter sit injustitia, & desperatio opponetur formaliter simul cum justitia, & spe, & sic de aliis juxta dicta num. superiori.

95. Fit sextò: Virtutem specialem pœnitentiæ non esse theologicam, sed moralem: Ratio est, quia sicut fides est virtus intellectûs, cum deserviat ad eliciendum assensum, quo revelatis credimus, & assensus non sit actus voluntatis, sed intellectûs; ita pœnitentia est virtus voluntatis, cum deserviat ad eliciendum actum, quo nolumus malum, aut quo volumus bonum juxta dicta à num. 12. & actus, quo volumus, aut nolumus non sit actus intellectûs, sed voluntatis. Exindè cùm virtutes theologicæ per se infusæ pertinentes ad voluntatem sint duæ dumtaxat, Spes nimirum & Charitas; & pœnitentia specialis neque sit spes, neque charitas, sed justitia ex dictis à num. 76. ea de causa specialis pœnitentia virtus non est theologica, sed moralis. Cæterùm quamvis tota ista doctrina adeò clara sit ex supra dictis, oportet præ oculis habere discrimen ex parte objecti formalis inter virtutes morales & theologicas, aliter facilè posset implicari quamplurimis argumentis, ut sectione sequenti constabit. Discrimen verò consistit in eo, quod virtus moralis habet objectum suum formale ultimatum purè creatum, virtus verò theologica habet pro objecto suo formali ultimato aliquid divinum.

96. Quapropter cùm objectum formale ultimatum sit illud, quod est ultimum actûs resolu-

tivum, exindè ultimum resolutivum actus theologici debet includere aliquid divinum. Sic quando ægrotus non vult sumere potionem nisi utilem ad salutem, cùm sibi propinatur in hunc finem aqua frigida ei valde grata, potest velle aquam propter suam bonitatem, tanquam propter objectum non ultimatum, & sanitatem tanquam objectum formale ultimatum. Tunc enim si interrogetur ægrotus, cur vis sumere aquam frigidam, & non aliam potionem tibi magis gratam? rectè respondebit, quia hæc, & non illa est utilis ad salutem, adeòque salus erit ultimum resolutivum, & objectum formale ultimatum illius volitionis. Pariter in virtutibus theologicis: Si fidelis interrogetur, cur credis hoc adeò difficile, & non illud? rectè respondebit: quia Deus infinitè verax, & sapiens dicit hoc ita esse, & non dicit illud ita esse. Sic quando interrogatur ille, qui amat Deum super omnia: cur amas hoc & non illud delectabilius? rectè respondebit, quia hoc est conforme bonitati divinæ, & non illud. Eodem modo qui theologicè sperat, si interrogetur, cur desideras beatitudinem cum fiducia illam obtinendi, & non habes fiduciam obtinendi alia minora bona? rectè respondebit, quia omnipotentia divina auxiliatur mihi, ut obtineam, si velim beatitudinem, non ita ut obtineam, etsi velim illa minora bona:

97. In virtutibus autem moralibus ultimum resolutivum est Bonitas purè creata. Sic Religio respicit honestatem, quæ est in cultu & reverentia facta Deo. Obedientia honestatem, quæ est in prædicatis rei præceptæ conformem præcepto. Justitia honestatem, quæ est in re, quæ alteri offertur, ne lædatur jus illius, vel ut compensetur, si læsum fuerit, & sic de reliquis: vel quoad fugam, vel quoad prosecutionem. Unde licèt ex parte intellectûs prærequiratur aliquando propositio prædicati divini, ut voluntas sit expedita ad eliciendum actum virtutis moralis propter bonitatem creatam; resolutivũ attamen illius actus intra lineam virtutis moralis nunquam extenditur ad prædicatum Divinum. Sic quando Deus præcipit Jejunium, aut prohibet comestionem carnis die Veneris, præcedit ex parte intellectûs expressio Divinæ voluntatis, sive præcipientis, sive prohibentis; homo verò per actum virtutis moralis non amat illud prædicatum divinum propter suam bonitatem, sed amat jejunium propter suam honestatem, per quam præceptum adimplet: non enim adimplet homo præceptum ponendo præceptum, sed ponendo rem præceptam, vel omittendo prohibitam, ac proinde illa prædicata, prout adimpletiva præcepti dicuntur honestas purè creata, & objectum ultimatum virtutis moralis.

98. Sic ut intellectus eliciat actum fidei præcedunt variæ cognitiones & signa credibilitatis, ex quibus cognoscimus dari revelationem circa hoc Mysterium: attamen Mysterium non credimus propter illa motiva, sed propter divinam revelationem. Ad eum modum, quo cum aliquis legit librum, quin sciat quis sit eius author, si ab homine veridico certò asseruerit Augustinum esse ejus libri authorem, legit, quæ ibi dicuntur, eisque assensum præstat, non quidem ob testimonium illius hominis, sed pure ob authoritatem Augustini. Unde aliud est illuminatio ad credendum, & aliud motivum credendi. Pariter in nostro casu, aliud est illuminatio, & illuminationis motivum ad cognoscendum ista prædicata esse adimpletiva præcepti, & aliud est constitutivum præcepti, prædicata adimpletiva præcepti sunt honestas moralis objectiva purè creata, sive objectum formale ultimatum virtutis moralis, cognitio verò præcepti, quæ præceptum supponit, est illuminatio ad actum illum eliciendum. Quapropter illa adimpletio divinæ voluntatis non respicit divinam voluntatem tanquam objectum formale, sed tanquam obliquum sui objecti formalis: sic quando Petrus debet Paulo inimico suo centum pro equo, potest velle dare illi centum propter honestatem compensativam juris Pauli, quin Paulum amet, sed solùm habeat illum pro obliquo sui objecti formalis, ex qua doctrina facilè dissolvemus plura, quæ fieri solent argumenta satis implicata, quæ juxta varietatem sententiarum suo ordine proponemus. Pax quibus sit.

SECTIO II.

Solvuntur Oppositâ.

§. I.

OBjiciès primò contra primam assertionem ex Lodulpho, Raymundo, & Syrecano. Actus pœnitentiæ est verè detestativus omnium peccatorum, prout ad Justificationem, vel extra, vel intra Sacramentum oportet: sed non potest ita esse verè detestativus, nisi procedat ex motivo omnium virtutum: ergo pœnitentia theologicè sumpta non reperitur in aliquo peculiari etsi universali virtute, sed in aggregato omnium virtutum. Maj. & Conseq. patent. Min. verò probatur. Inter peccata mortalia alia sunt majora, & alia minora, ut constat ex illo Christi ad Pilatum Jo. 9. *Qui me tradidit tibi majus peccatum habet*: atqui majora & minora peccata non possunt verè detestari ex motivo unius solius virtutis, sed ex motivo omnium virtutum: ergo &c. Probatur Min. Peccator debet magis detestari peccatum majus, quàm peccatum minus: atqui per detestationem factam ex uno solo motivo non ita detestaretur peccata: ergo &c. Probatur Min. Per illam detestationem detestaretur peccata prout comprehensa sub ratione generali offensæ Dei, aut aliâ simili: sed quando homo detestatur peccata, prout sub ratione generali continentur, prehensa non detestatur unum magis quam

quàm aliud, ſed omnia æquè deteſtatur: ergo &c.

100. Reſp. concedo Maj. & nego Min. Ad prob. conc. ant. & nego Min. ad prob. diſt. Maj. debet magis deteſtari peccatum majus, ſi ly *magis* ſignificet incompoſſibilitatem voluntatis ex vi deteſtationis non ſolùm ad amplectendum minùs, ſed etiam incompoſſibilitatem ad amplectendum majus concedo; Si ly *magis* ſignificet comparationem inter minùs & majus nego Maj. & diſtin. Min. nego conſ. Ad prob. concedo Maj. & diſtincta Min. nego conſequentiam. Ratio eſt, quia ſi voluntas deteſtatur peccata, prout ſunt offenſa Dei, non ſolùm manet incompoſſibilis cum voluntate committendi peccatum minus, ſed etiam cùm voluntate committendi peccatum majus: cùm ratio illa deteſtandi non ſolùm valeat ad fugiendum minus, ſed etiam ad fugiendum majus, ut per ſe conſtat, & patet ex dictis à num. 67. Iſta autem, & non alia eſt majoritas, quæ ex Florentino & Tridentino citatis ad verum actum pœnitentiæ requiritur in deteſtatione.

101. Comparatio verò inter peccatum majus & minus, aut affectus voluntatis, quo oſtendat non tantùm fugere ab uno, quàm ab alio nullatenus requiritur, imò & fortaſſe non poſſet talis actus abſque magno periculo elici. Unde ſi hoc intenderent authores hujus Sententiæ, rem hòmini impoſſibilem ad juſtificationem requirerent, cum vix Theologi poſt longas diſputationes ſciant, quale ſit majus, quale minus peccatum: neque homo timens mortis periculum poſſet in inſtanti contritionem elicere, cum prius deberet cogitare quot, & quanta eſſent ſua peccata, quænam graviora, & quænam minora, ut in exceſſum illum comparativum prorumperet: nec peccata oblita comprehenderentur in illa generali deteſtatione contra firma theologiæ principia ſupra expoſita, contra Eccleſiæ praxim, & contra Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. dicens: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitandi non occurrunt in univerſum eâdem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur.* Quapropter ſi contrariæ ſententiæ ſenſus eſſet, quòd abſque comparativa peccatorum deteſtatione non valet elici verus pœnitentiæ actus, nulla mihi in ea vel probabilitatis umbra appareret.

102. Objicies ſecundò ex Cano, Ricardo, & aliis: Licèt poſſit elici actus veræ pœnitentiæ ſive contritionis, ſive attritionis per unam deteſtationem ex motivo univerſali, attamen quando adeſt opportunitas cogitandi ſingula peccata in particulari, non poteſt dari actus verus pœnitentiæ per unam deteſtationem, ſed debent eſſe tot deteſtationes, quot ſunt peccata commiſſa: ergo &c. Probatur antecedens: quot ſunt peccata, tot ſunt averſiones à Deo, & converſiones expreſſæ ad creaturas: ergo quando adeſt tempus, & opportunitas, ut ſufficienter retractentur, debent eſſe è contrario totidem expreſſæ converſiones ad Deum, & averſiones à creaturis: Confirmatur primò ex Pſal. 76. ubi dicitur. *Cogitavi dies antiquos; & meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum, ideſt,* ut legit Auguſtinus *ſcrutabar ſpiritum meum.* Tum etiam Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & fecerit judicium, vitâ vivet, & non morietur:* Sed in iſtis teſtimoniis *ſcrutari, & judicium facere,* eſt facere examen, & inquiſitionem peccatorum ad eliciendas ſingulas eorum deteſtationes: ergo &c. Confirmatur ſecundò. Peccator cum convertitur, exercet munus Judicis contra ſe: ergo neceſſe eſt, ut omnia peccata examinet ad eliciendum verum actum converſionis.

Reſpondeo nego antecedens. Ad probatio- 103. nem concedo antecedens, & nego conſequentiam: quia ſicut peccator, qui per plures annos averſus fuit à Deo, & converſus ad creaturas, poteſt apud adverſarios in uno, & indiviſibili inſtanti averti à creaturis, & converti ad Deum; ita licèt per plures actus averſus fuerit à Deo, & converſus ad creaturas; poteſt per eundem, & indiviſibilem actum averti à creaturis, & converti ad Deum, uti fit per contritionem perfectam extra Sacramentum, & per perfectam, vel imperfectam ſimul cum Sacramento, quod in ipſo ſacramento evidenter apparet: licèt enim peccator per quamcùmque averſionem à Deo demeritus fuerit gratiam ſacramenti, non eget tot ſacramentis, quot fuerunt averſiones, ut iſtæ omnes remittantur, eò quod ſacramentum habeat virtutem omnium remiſſivam. Sic etiam actus pœnitentiæ cum habeat virtutem ad retractandas omnes averſiones factas contra Deum, ſi eliciatur ex motivo generali, ſatis erit talis actus ad veram retractationem peccatoris, quin opus ſit ea multiplicitate retractationum.

Ad primam confirmationem concedo Maj. 104. & nego Min. quia ex illis teſtimoniis nullatenus probatur neceſſitas cogitandi numerum peccatorum ad ea deteſtanda: Si autem David, aut alii ea diviſim cogitârunt, utiliter, ſanè fecerunt, cùm ea conſideratio deſerviat ad intenſiùs dolendum; nec aliud ſignificant iſta, & ſimilia Scripturæ; & Patrum teſtimonia, quæ expendit Vaſquez quæſt. 86. art. 2. dub. 7. Etenim quando aliud ſignificant, non loquuntur de deteſtatione, ſed de confeſſione ſacramentali à Chriſto Domino præcepta, in qua debemus omnia, & ſingula peccata ſeorſim exponere: quo in ſenſu loquuntur Chryſoſtomus & Auguſtinus multis in locis. Modò autem de his non controvertimus, ſed de deteſtatione; cum autem ad veram deteſtationem actus pœnitentiæ conſtitutivam non requiratur major actûs intenſio, ſed præcisè quod ſit dolor deteſtativus peccatorum commiſſorum cum propoſito non peccandi de cætero, ut habent Florentinum & Tridentinum; idque totum reperiatur in actu deteſtante propter generale motivum omnia peccata; ut conſtat à num. 67.

exindè

exinde non requiruntur tot detestationes, quot fuerunt peccata commissa, sed sufficit una generalis detestatio. Ad secundam confirmationem nego antecedens: peccator enim dum conteritur, non agit contra se munus Judicis, sed rei dolentis, & sua peccata detestantis: munus enim Judicis intra Sacramentū pertinet ad Sacerdotem, & ad Deum solum extra Sacramentum.

105. Objicies tertiò ex Cajetano, & aliis. Licèt non requirantur, neque necessitate medii, neque præcepti non solùm in lege scripta, verùm neque in lege Evangelica semper, & in omni casu tot detestationes, quot fuerunt peccata commissa ad eliciendum verum actum pœnitentiæ; attamen id requiri videtur ex præcepto ad verum actum pœnitentiæ, quando peccator sacramentaliter confitetur: ergo non sufficit in omni casu dolor detestativus ex motivo universali ad verum actum pœnitentiæ. Probatur antecedens: licèt non extet præceptum, ut peccator cogitet singillatim omnia peccata commissa, ut conteratur; extat tamen præceptum, ut ea cogitet, quando vult sacramentaliter confiteri: ergo licèt non extet præceptum exigens tot detestationes extra confessionem Sacramentalem, negandum non est, requiri eas ex præcepto ad verum actum pœnitentiæ in confessione sacramentali. Confirmatur. Quando peccator memor diversorum mortalium confitetur sua peccata, si unum detestetur propter universale motivum, v. g. propter Deum summè dilectum, non eliciet verum actum pœnitentiæ requisitum ad Sacramentum: ergo &c. Probatur antecedens: si quis in præsentia duorum honestorum virorum unum tantùm honoret, videtur eo ipso alterum contemnere: ergo pariter in nostro casu.

106. Resp. nego antecedens, ad probat. con. antecedens & nego consequent. Ratio est, quia ea cogitatio, & expressio singulorum peccatorum requritur ex singulari præcepto juxta Christi institutionem: etenim Christus Dominus instituit Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii, & Sacerdotes illud administrantes reliquit ut Judices: Judices autem incognitâ causâ judicare non possunt, neque in pœnis injungendis servare æquitatem. Ex his Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. ait: *Colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri*: Præceptum autem circa unam materiam perperam extenditur ad aliam, præsertim quando circa aliam omninò contraria ratio militat, ut patet in nostro casu, in quo detestatio non solùm debet extendi ad peccata confessa, sed ad commissa, etsi inculpabiliter oblita, cùm verè sint peccata commissa, in quem finem magis conducit unica detestatio ex motivo universali, quàm mille detestationes circa mille peccata, quæ memoriæ occurrunt, ut per se est evidens. Unde directè adversarii exigunt tot detestationes necessarias.

Ad confirmationem respondet primò Ende mius Doctor disput. 4. sect. 6. negando suppositum, nimirum posse hominem in eo casu detestari propter motivum universale unum peccatum, non detestato alio. Cæterùm ut quæstioni de voce aditus præcludamus: si adversarii loquantur de detestatione, quæ talis sit formaliter respectu unius peccati. Respondeo nego antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: si honorem unum propter motivum æquè conveniens alteri, est alterum contemnere, nego; propter motivum non conveniens alteri, transeat antecedens, & nego consequen. Ratio est, quia quando sunt duo fratres, si aliquis laudaret unum propter sanguinis nobilitatem ex paterna origine habitam, cum motivum hujus honorationis æquè conveniat alteri fratri, exinde planè fit honorationem unius non esse tunc inhonorationem alterius. Pariter in nostro casu, cùm detestatio unius peccati propter motivum universale sit ratio eòdem modo aliis conveniens ad illa detestanda, exinde detestatio unius peccati propter illud motivum universale non est approbatio, sed virtualis aliorum detestatio, ut per se patet, & constat ex dictis à num. 67.

Objicies quartò ex Medina: detestari propter motivum universale non est sufficiens ad virtualem detestationem aliorum: ergo neque ad actum veræ pœnitentiæ. Probatur antecedens: velle operari unum, quia est consentaneum rationi, non est virtualiter velle operari quidquid est rationi consentaneum: ergo neque detestari unum propter motivum universale est virtualiter detestari aliud. Confirmatur. Possum velle aliquid facere, ut Petro inferam injuriam, quin exinde cogar velle omnem injuriam facere Petro: sic Pater potest legare Francisco centum, quia ejus filius est, quin exinde cogatur cuilibet filio legare centum: sic video Joannem, quia est mihi præsens, quin exinde videam omnes mihi præsentes: ergo possum etiam detestari unum peccatum, quia offensa Dei est, quin exinde detester omnes Dei offensas.

Resp. nego antecedens. Ad prob. nego iam antecedens: quia licèt velle aliquod particulare bonum, ut inclusum in motivo universali consentaneo rationis, si illud non velit propter motivum universale, sed propter suam particularem bonitatem, non sit virtualiter velle quidquid consentaneum est rationi; attamen velle illud præcisè ob generale motivum est virtualiter velle alia in illo motivo inclusa, ut satis constat ex dictis à num. 72. Hinc ad confirmat. dist. primam partem antecedentis: si motivum faciendi sit generalis ratio injuriæ, nego, si talis ratio talis injuriæ, concedo. Deinde dist. eodem modo secundam partem antecedentis: Si Pater velit legare Francisco centum, quia præcisè filius ejus est, non tenetur legare centum alteri filio, nego; si quia talis filius est, concedo. Tandem tertia pars de præsentia, ut

quis

quit Eximius Doctor, non venit ad rem: quia illa præsentia Petri necessaria, ut videatur, est peculiaris Petri, & non est communis omnibus visibilibus, unde consequentia nulla est, quia nos non asserimus motivum particulare inclusum in universali sufficere ad volendum virtualiter reliqua in universali contenta, sed ipsam rationem universalem propter se ipsam attactam, ut satis constat ex dictis à numero 72.

§. II.

110. OBjicies quintò contra secundam conclusionem ex Scoto &c aliis. Virtus specialis pœnitentiæ est illa, quâ peccator sumit vindictam contra se propter peccata commissa: ergo virtus specialis pœnitentiæ non consistit in Justitia respiciente compensationem, quæ est species distincta Justitiæ commutativæ, sed in Justitia vindicativa. Resp. dist. antecedens: quâ sumit vindictam contra se liberè, & meritoriè concedo: coactè, aut necessariò, nego antecedens, & conseq. Ratio est, quia sumere ita liberè vindictam, sive potiùs non solùm liberè facere, sed pati, non est de constitutivo Justitiæ vindicativæ, quæ solùm exigit libertatem ad determendum in Judice, non in reo. Hæc autem est de constitutivo Justitiæ meritoriè compensativæ, qualis est pœnitentia specialis in restrictione Scholastica juxta mentem D. Thom. acceptam. Quæ omnia constant ex ipso D. Thom. quæst. 85. art. 3. dicente: *Ad tertium dicendum, quod sicut est commutatio quædam in beneficiis, (cum scilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit) ita etiam est commutatio in offensis, cum aliquis pro offensa in alterum commissa, vel invitus punitur, quod pertinet ad vindicativam Justitiam, vel voluntariè recompensat emendans, quod pertinet ad pœnitentiam, qua respicit personam peccatoris, sicut justitia vindicativa personam judicis. Unde manifestum est, quòd utraque sub justitia commutativa continetur.*

111. Objicies sextò ex Esparza, & aliis Recent. Quotiescumque datur diversum objectum formale, datur diversa virtus per se infusa ad actum ex illo objecto formali eliciendum: atqui datur diversum objectum formale exclusivè præ aliis, pertinens ad pœnitentiam specialem, distinctum ab honestate compensationis: ergo pœnitentia specialis stat in tali virtute, & non in virtute respiciente compensationem. Major supponitur certa apud Theologos. Min. verò Probatur: honestas doloris sanativi, & emendativi peccati theologici, est objectum formale distinctum ab honestate compensationis unicè pertinens ad lineam pœnitentiæ: ergo &c. Confirmatur. Vel nulla alia virtus habet hoc objectum formale, vel aliqua alia simul habet: atqui utrolibet modo loqui placeat motivum formale assignatum convenit huic soli virtuti pœnitentiæ exclusivè præ aliis: ergo &c. Probatur Min. si nulla alia virtus habet motivum formale assignatum: ergo hæc sola illud habet; si aliqua alia dicitur illud habere, illa non est alia, sed hæc ipsa in sensu præsentis controversiæ: ergo &c.

Resp. distin. Maj. Quotiescumque datur diversum objectum formale comitans gratiam Sanctificantem in primario suo exercitio, concedo: non ita comitans, nego Maj. & distinctâ Min. nego consequentiam. Ad prob. distinguo antecedens: est objectum formale comitans in primario suo munere, & exercitio gratiam Sanctificantem, nego, non ita comitans, concedo antecedens, & nego conseq. Ratio est, quia omnes virtutes per se infusæ sunt comites gratiæ, ac proinde in quocùmque statu ille, qui habet gratiam expeditam ad operandum, potest exercere primarium munus virtutis, ut constat ex dictis num. 91. Operari autem ad delendum peccatum commissum non ita fieri potest, ut patet in justo accedente ad usum rationis; ac proinde in hac præsenti Providentia tale objectum formale non potest specificare virtutem per se infusam. Quæ doctrina adeò certa est apud omnes Theologos, si ab hac præsenti controversia, vel petitione principii præscindamus, ut vel ipsi adversarii eam concedere teneantur; quòd ita demonstro. 112.

Actus, quo ego assentirer objecto connexo cum actu fidei propter veritatem intrinsecam actûs fidei purè creatam, diversum motivum formale est à motivo fidei, & tamen non specificat virtutem per se infusam intellectûs, ex eo, quod ille habitus non posset exercere suum munus primarium in omni statu, in quo justus posset operari. Tum etiam actus, quo detestor peccatum propter peculiarem, & particularem hujus detestationis honestatem exclusivè præ aliis, diversum objectum formale habet à motivo doloris præcisè sanativi, & deletivi peccati theologici; & tamen apud adversarios non specificat in hac Divina Providentia diversam virtutem per se infusam, pro quo non est assignabilis alia, nisi ratio à nobis assignata. Unde illa major, quam ut certam supponebant adversarii, si bene expendatur, & apud ipsos, & apud omnes est omnino falsa. Hinc ad confirmationem respondeo, nullam virtutem per se infusam habere tale objectum formale; nec iuxta ordinem præsentis Divinæ Providentiæ esse assignabilem aliquam cum tali objecto formali: unde totus adversariorum discursus corruit. 113.

Objicies septimò instando simul solutionem ex doctrina D. Thom. quæst. 85. art. 2. ubi hæc habet: *Species habituum distinguuntur secundùm species actuum: & ideò ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem actum virtutis. Manifestum est autem, quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actûs laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa; quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere, quod pœnitentia est specialis virtus:* Sed in hoc testimonio assignatur pro objecto 114.

formali virtutis pœnitentiæ objectum formale actûs non potentis elici absq; præsuppositio peccato: ergo ad virtutem per se infusam non requiritur, quòd possit exercere suum munus primarium non præsuppositio peccato. Confirmatur ex Ecclesia dicente: *Deus qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris:* sed objectum hujus pœnitentiæ, quâ Deus placatur præsupponit peccatum: ergo virtus specialis pœnitentiæ ad suum munus primarium exercendum præsupponit peccatum.

115. Resp. concedo Major. & nego Min. quia D. Thom. solùm dicit, operari ad destructionem peccati in quantum est offensa Dei, esse actum laudabilem arguentem virtutem per se infusam. Quomodo autem, vel quale debeat esse motivum talis actûs, hìc non explicat: declarat autem illud, & quidem perspicuè sequenti art. 3. ubi dicit esse honestatem compensationis, ut constat ex verbis Angelici Præceptoris citatis num. 76. Ea autem honestas compensationis sit ex motivo illius justitiæ, quæ extat inter Deum, & creaturas, ut ibidem explicat D. Th. justitia verò operari potest non præsuppositio peccato, dando quod Deo debetur, ne ipse offendatur; ex quo testimonio clarè infertur mens D. Th. pro multiplicitate habituum, cùm recurrat ad quærendum objectum formale, circa quod exerceri potest virtus non præsuppositio peccato, prout exigunt leges præsentis Divinæ Providentiæ. Quapropter si ita non se habeant actus laudabiles, non arguent multiplicitatem virtutum per se infusarum, ut ostendimus num. 113. Ad confirmationem concedo Major. & nego Minor. Quia licèt actus supponat peccatum, virtus illud non supponit; Sic actus compensativus furti ob motivum justitiæ supponit peccatum, & tamen Justitia virtus illud non supponit ad suum munus primarium exercendum, ut latè constat ex dictis.

116. Objicies octavò instando iterum solutionem: Multò difficilius est hominem liberari à peccato commisso, quàm præcisè elicere actum adimpletivum Divinæ legis, quo peccatum non committat: ergo si actus adimpletivus Divinæ legis specificat habitum per se infusum cum suo munere primario; ita actus emendativus peccati commissi specificabit suum habitum cum munere primario emendandi peccatum. Confirmatur primò: Virtus Perseverantiæ ex eo est distinctus habitus per se infusus à reliquis virtutibus, quia perseverare affert secum majorem difficultatem, quàm præcisè primum virtutis actum elicere; sed etiam affert distinctam difficultatem retractare peccatum ab ea, quam afferebat elicere actum bonum, quo peccatum impediretur: ergo &c.

117. Confirmatur secundò. Virtus perseverantiæ non potest exercere suum munus primarium statim, atque homo habet gratiam, & expeditus est ad operandum: prærequirit enim elicientiam actuum aliarum virtutum tempore præcedentium; sed hoc non obstat, ne sit virtus per se infusa: ergo licèt habitus primæ emendativus peccatorum, sive specialis pœnitentia Virtus exclusivè præ aliis, non possit exercere suum munus primarium statim, atque justus expeditus est ad operandum, hoc non obstabit, ne sit habitus per se infusus. Confirmatur tertiò: Virtus justitiæ vindicativæ est apud omnes Theologos vera virtus, & non minùs per se infusa, quàm aliæ virtutes morales in sententia eorum, qui tales virtutes per se infusas admittunt: atqui non potest elicere suum actum primarium, nisi præsuppositio peccato: ergo &c.

Resp. omitto antec. & nego consq. Ratio est, quia virtutes per se infusæ, ut constat ex dictis à num. 6. non multiplicantur ad multiplicationem majoris, aut minoris difficultatis; aliter ad credendum Mysterium Trinitatis deberet dari diversa virtus Fidei ab illa, quâ credimus existentiam unius Dei; sed multiplicantur ad multiplicationem diversi objecti formalis gratiam in hac divina Providentia comitantis: Cum autem habitus pœnitentiæ, qui ex suo munere primario solùm deserviret ad eliciendum actum destructivum, & emendativum peccati commissi propter honestatem talis destructionis, & delerionis, non respiceret objectum formale ita comitans in suo exercitio gratiam habitualem, exinde talis habitus per se infusus alienus est ab ordinatione præsentis Divinæ Providentiæ. Dixi, omitto antecedens: nam absolutè est omninò falsum: quia ad delendum in hac divina Providentia peccatum, solùm requiritur ponere id, cui Deus remissionem peccati promisit, nimirum vel contritionem perfectam, vel attritionem simul cum Sacramento; Erhoc planè non est difficilius, quàm sit elicere contritionem, quando tenemur illam elicere, vel attritionem recipiendo Sacramentum, quando ex præcepto tenemur sacramentaliter confiteri ad non peccandum.

Ad primam confirmationem, nego suppositum Maj. nam ad perseverandum non datur habitus per se infusus distinctus à virtutibus, quæ primos actus elicuerunt: eadem enim virtus Charitatis (idem suo modo de reliquis) quæ fecit primùm charitatis actum valet exercere secundum, & tertium, ac proinde & actum perseverantiæ: Neque debebant confundere adversarii duo toto cœlo diversa; homo enim attentâ illius fragilitate, & mutabilitate, tum etiam & occasionibus circumstantibus ad malum allicientibus, maiorem sanè habet difficultatem ad perseverandum, quàm ad primum virtutis actum eliciendum; ac proinde ne virtutem habitualem otiosam, & ad alia declinans decidat, & ad prava sua operatione gratiam, & habitum virtutis amittat, eget speciali gratia auxiliante, à qua provenit magnum illud Perseverantiæ donum, ut sciunt omnes, qui legerunt Tridentinum sess. 6. can. 22. dicens:

Si quis dixerit Juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei in acceptâ Juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit. Unde licèt auxilia ſint diverſa, virtus per ſe infuſa non eſt diverſa, ſed eadem, & quæ poteſt ſuum primarium munus exercere ſtatim, atque homo juſtificatus expeditus eſt ad operandum. Hinc

120. Ad ſecundam confirm. nego Maj. quia licèt non denominetur Perſeverantia à primo actu, ſed à ſubſequentibus, poteſt ante actum ſubſequentem exercere ſuum munus primarium. Videatur Eximius Doctor lib. 10. *de gratia* cap. 8. Ad tertiam confirm. concedo Maj. & nego Min. Ratio eſt, quia ut ait Exim. Doct. citat. n. 90. Juſtitia vindicativa inter creaturam & Deum, quâ creatura voluntariè ſe punit in compenſationem peccati, non diſtinguitur à Juſtitia commutativa, ſive lata, ſive ſtricta, ac proindè primarium hujus virtutis munus non præſupponit peccatum. Quapropter idem ſuo modo dicendum eſt de Juſtitia vindicativa inter homines. Quænam autem hæc ſit, controvertitur in tractatu de Juſtitia, & Jure. Addit autem in præſenti Exim. Doct. fortâſſe etiam inter homines juſtitiam vindicativam, prout ſervat æqualitatem commutativæ, non eſſe diſtinctam à communi virtute Juſtitiæ commutativæ, licèt fortâſſe addere poſſit imperium juſtitiæ legalis, de quo aliàs. Ex quo fit, hanc ſicut, & alias virtutes per ſe infuſas, ita habere ſuum primarium exercitium, ut nullo præſuppoſito peccato exerceri poſſit: ſic Juſtitia apud homines exerceri poteſt dando quod cuique convenit, licèt ſecundùm diverſos actus diverſas ſortiatur denominationes: ſic in ordine ad legem obſervandam dicitur legalis, & in ordine ad pœnam, quam reo infligit Judex, dicitur vindicativa. Imò licèt Judex non poſſet exercere illam virtutem, quin præſupponeretur peccatum Rei, nihil exinde obtinerent ad ſuum intentum adverſarii, cùm peccatum commiſſum à reo non excludat gratiam, & virtutem in Judice, ſicut excludit in ipſo peccatore.

121. Objicies nonò ex Card. de Lugo. Offenſa contra Deum non affert ex conceptu ſuo formali offenſæ injuriam Dei: ergo ſpecialis pœnitentia virtus non ſtat in Juſtitia compenſativa offenſæ Dei: Probatur antecedens: offenſa unius hominis contra alium non affert ex conceptu ſuo formali injuriam alterius: ergo neque offenſa contra Deum afferet ex conceptu ſuo formali injuriam Dei. Probatur antecedens: ſi amicus petat à me librum commodatum, quo ipſe valdè indiget, & quem ego ſine incommodo poſſum commodare, & tamen nolo id facere, procul dubio offendo amicum, & do ſufficiens fundamentum, ut rationabiliter avertatur à me, ſed non facio illi injuriam, cùm nullum jus habeat in librum meum: ergo &c. Confirmatur: Si ab amico furarer librum, aut veſtem, non ſolùm facerem injuriam, ſed offenſam diſtinctam ab illa injuria furti: illa enim furti injuria omninò ceſſaret reſtituto poſteà libro, vel veſte; adhuc tamen maneret in æſtimatione prudentum ſufficiens fundamentum, ut ille maneret averſus, donec illi etiam pro offenſa ſatisfacerem: ergo &c.

Reſp. primò nego antecedens. Ad prob. nego antecedens. Ad prob. diſt. Maj. procul dubio offendo amicum, faciendo illud in circumſtantiis, in quibus appareret aliquale vilipendium, inhonoratio amici, aut quid ſimile, conc. aliter nego Maj. & diſt. Min. nego conſeq. Ratio eſt, quia dominium proprietatis pertinens ad Juſtitiam contrapoſitè ad dominium jurisdictionis pertinens ad obedientiam, reſpicit omnia bona propria Domini, ſcilicèt divitias, honorem, famam, authoritatem, & id genus alia. Quapropter actio contra honorem alterius eſt læſio juris proprietatis, quod reperitur in altero, ac proinde quæcumque ſit inhonoratio amici, eſt amici offenſa, & injuria. Unde ſi apud homines illa negatio libri reputaretur vilipendium, aut quid ſimile, eſſet offenſa & injuria amici, & teneretur alter juxta inhonorationis qualitatem pro illa ſatisfactionem dare amico. Quapropter ſi contra nullum jus amici eſſet, non eſſet illius offenſa. 122.

Ad confirm. conc. antec. & nego conſequ. Duplex enim eſt offenſa, ut explicant Theologi in tract. de peccatis, & perperàm adverſarius in præſenti confundit: alia quippe eſt realis, & alia perſonalis. Offenſa realis ſtat in materiali rei entitate ablatæ domino: Sic qui à Petro furatur equum, facit offenſam realem, & ablatio equi dicitur offenſa realis, quæ ſolùm menſuratur ad menſuram rei ablatæ, adeòque reſtituto equo ceſſat offenſa realis. Alia eſt offenſa perſonalis, quæ eſt inhonoratio perſonæ offenſæ, & creſcit geometricè ad incrementum dignitatis perſonæ offenſæ, & hæc in præſenti conſideratur à Theologis: Dicitur enim offenſa theologica, prout eſt contra Deum; quod accuratè prænotavit D. Thom. cit. num. 76. dicens, quòd pœnitens dolet de peccato commiſſo, in quantum eſt offenſa Dei, cujus compenſationem intendit ſpecialis pœnitentia virtus. Hæc autem omnia reſpiciunt jus proprietatis Dei, ſicut apud adverſarios, & omnes Theologos jus jurisdictionis eſt bonum proprietatis ſuperioris diſtinctum ab aliis, quia hoc eſt tale ad imperandum, & non alia proprietatis bona; Unde quævis offenſa eſt contra verum jus offenſi. Deus autem, quidquid ſit apud homines, dimiſſâ offenſâ perſonali, offenſam realem etiam dimittit; ac proindè compenſatio unius ex Divina ordinatione eſt compenſatio alterius. Ex quibus apparet abſque gravi fundamento diſceſiſſe adverſarium à communi ſententia Theologorum. Verùm neque indigemus his principiis quantumvis veris ad argumenti ſolutionem. Quapropter 123.

Reſp. ſecundò: omitto antec. cum ſuis probationibus, & nego conſeq. Ad probationem, omiſſis etiam præmiſſis nego conſequ. 124.

Ratio est, quia sive omnia peccata sint stricta injuria contra Deum, sive non, adeòque sint contra strictam justitiam, sive non, certum est, esse Dei offensam, ac proinde contra jus Divinum sive latè, sive strictè sumptum, contra quamcunque virtutem opponantur. Propterea si sit offensa levis, potest Deus ex jure suo peccatorem punire, & si sit offensa gravis, non solùm punire, verùm etiam concipere rationabiliter aversionem adversùs peccatorem, donec offensa remittatur. Cùm autem ad remissionem illius destinaverit Deus compensationem per actum pœnitentiæ, quæ sit perfecta contritio extra Sacramentum, vel attritio cum Sacramento, & sic de aliis operibus meritoriis, & satisfactoriis, virtus compensativa tendere potest ad ponendam compensationem offensæ, quam exigit illud jus, in quo stat ratio justitiæ illius, quæ intercedit inter Creaturam, & Deum. Compensatio autem potest esse, vel præservativa, quando apponitur, quod exigit jus Dei, ne offendatur, nimirum quando apponitur res præcepta; vel reparativa, quando apponitur, quod destinavit Deus, ut offensa facta remittatur, nempè satisfactio ab ipso designata. Cùm autem satisfacere, sive præservativè, sive reparativè, sit munus justitiæ, ea de causa hæc pœnitentia specialis est virtus justitiæ.

125. Quare si ex hac virtute justitiæ eliciatur actus pœnitentiæ, qui sit contritio perfecta, erit compensatio, quam & jure suo exigit Deus extra Sacramentum ad remittendum peccatum quoad culpam, & pœnam æternam. Eodem modo dicendum de attritione cum Sacramento. Ad satisfaciendum verò pro temporali pœna, quæ non sit remissa, admittit Deus reliquos supernaturales virtutum actus, sive à pœnitentia elicitos, sive ab ipsa imperatos ex dictis num. 85. Cùm autem totum hoc procedat à justitia, sive eliciente, sive imperante, quando sit ex motivo compensationis pertinet ad justitiam: licèt enim idem peccatum secundùm diversas formalitates possit opponi diversis virtutibus, ut sacrilegium justitiæ, & religioni, adulterium temperantiæ, & justitiæ, & sic de aliis, ex eo, quòd Deus posita compensatione ab ipso misericorditer ordinata remittat totum peccatum, pro quo nulla Creatura de condigno satisfacere poterat; exinde apparet clarum, quomodò tota compensatio à justitia procedat. Hic autem est legitimus Tridentini sensus sess. 14. cap. 2. *De Sacramento Pœnitentiæ* dicentis: *Alius est præterea Baptismi, & alius pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes novâ prorsus in illo efficimur Creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes, ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & laoribus, divina id exigente justitia pervenire nequaquam possumus.* Expendantur illa verba *divina exigente justitia*, & apparebit universa doctrina nostra firmissimè roborata.

Objicies decimò. Habitus compensationis justitiæ non potest intendere compensationem seu satisfactionem æqualem pro peccato, cum ipsa sit impossibilis creaturæ, deinde non potest intendere inæqualem: ergo nullam. Probatur secunda pars antecedentis. Sicut est honestum velle satisfactionem æqualem, ita est inhonestum velle inæqualem, est enim peritia ac nolle satisfacere: ergo &c. Resp. distinguendo secundam partem antecedentis: non potest intendere inæqualem, quia inæqualem, concedo: quia hæc, & non alia est possibilis creaturis: imò & quia hæc est à Deo pro peccati remissione destinata, nego antecedens. Ad prob. dist. antecedens: est inhonestum velle inæqualem, quia inæqualem, concedo: quia à Deo destinatam pro remissione peccatorum, & prout non est alia possibilis creaturis, nego antec. & conseq. Ratio est, quia sicut est naturæ rationali difforme, ac proindè inhonestum, quòd creatura potens dare satisfactionem æqualem, nolit dare nisi inæqualem; ita est naturæ rationali conforme, ac proinde honestum, quòd creatura non potens dare satisfactionem æqualem, sed inæqualem à Deo destinatam, eam velit dare. Cùm autem ad hoc tendat specialis pœnitentia virtus, sivè habitus compensativus, est honesta illius tendentia.

Objicies undecimò. Si specialis pœnitentia virtus intenderet compensationem juris divini offensi, prout à nobis explicatur, non esset virtus moralis, sed theologica: sed virtus justitiæ, quæ inter Deum, & creaturas intercedit non est theologica, sed moralis: ergo &c. Maj. prob. Si ita intenderet compensationem juris offensi, eo ipso nollet Deum esse offensum: sed nolle Deum esse offensum est amare bonum Dei, quod spectat ad charitatem: ergo &c. Hoc argumentum putat esse difficillimum Card. de Lugo, præsertim propter paritatem virtutis spei, ut infra constabit. Non parùm molestum fatetur Arriaga: nec diffiteor difficillimum esse in eorum principiis. Est autem facilè à nobis solubile ex principiis positis à num. 96. ex quibus

Resp. nego Maj. Ad prob. dist. Maj. Nolle Deum esse offensum, quatenus Deum non est offensum est bonum Deo, nego: quatenus est bonum pœnitenti, concedo Maj. & dist. Min. est amare bonum Dei, quia bonum Deo, nego Min. quia pœnitenti bonum, concedo Min. rem, & nego conseq. Ratio est, quia amare bonum alterius, non quia alteri, sed quia mihi bonum alterius, non quia alteri, sed quia mihi bonum, potius est amare me, quàm amare alterum: ad charitatem autem, quæ est virtus theologica, attinet amare bonum Dei, quia bonum Deo, & odio prosequi offensam Dei, quia Deo malam. Ad justitiam verò, quæ est virtus moralis, attinet amare bonum compensationis, & illæsionis juris Dei, non quia Deo bonum, sed quia satisfacienti bonum. Sic quando vult aliquis satisfactionem facere inimico, quæ illi est bona, ex eo non amat illum, quia non vult eum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſatisfactionem, ut illi bonam, ſed ut bonam ſatisfaciendi ex num. 98.

129. Objicies duodecimò inſtando ſolutionem. Spes eſt virtus theologica, ſed ſolùm habet pro objecto formali bonitatem viſionis terminatam ad Deum: ergo ex eo, quòd ſpecialis pœnitentia virtus habeat pro objecto formali bonitatem compenſationis terminatam ad Deum, erit virtus theologica. Reſpondeo, concedo Maj. & nego Min. quia Spes theologica habet pro objecto Beatitudinem concretè ſumptam conſtitutam ex formali, & objectiva, ſcilicèt ex ipſo Deo poſſeſſo, & ejus poſſeſſione, quod concretum deſideratur, & ſperatur per actum ſpei theologicæ, ac proinde habet pro objecto formali aliquid divinum. Tum etiam habet pro objecto alia prædicata divina, ut condonationem peccatorum, & alia hujusmodi, ut dicitur in tract. *De ſpe*. Imò actus ſpei, cùm non ſolùm includat formalitatem deſiderii, ſed etiam fiduciam, habet ſecundùm hanc formalitatem pro objecto formali ultimato Deum auxiliantem ex dictis num. 96. Unde licèt non induceret rationem theologicæ virtutis à formalitate deſiderii, prout deſiderat beatitudinem concretè ſumptam ut ſperanti bonam, illam planè inducit propter formalitatem fiduciæ, quæ verè innititur Deo ut auxiliatori. Specialis autem juſtitiæ virtus ſolùm exigit compenſationem propter compenſationis honeſtatem, quam amare poſſum, quin per illum actum amem Deum, ut conſtat ex numero Superiori. Etenim non amo compenſationem, quatenùs per illam ſum poſſeſſurus immediatè Deum, ſed præcisè illam amo propter ſe ipſam, quia ipſa mihi bona eſt.

§. III.

130. OBjicies decimotertiò inſtando iterum ſolutionem: Eatenùs pœnitens amat compenſationem peccati, quatenus intendit peccati ablationem: atqui ablatio peccati non ſolùm dicit honeſtatem compenſationis, ſed etiam divinam condonationem: ergo pœnitentia non ſolùm habet pro objecto formali honeſtatem compenſationis, ſed etiam bonitatem Divinæ condonationis, ac proinde erit virtus theologica non minùs, quàm ſpes. Confirmatur primò. Jus Dei eatenùs ſe habet reſpectivè ad creaturas, quatenùs materia prima reſpectivè ad formas, & ſicut ignis reſpectivè ad combuſtionem ligni. Si enim materia prima non habet diſpoſitiones ad formam ignis, non exigit formam ignis; & ſi ignis non ſit approximatus ligno, non exigit id comburere. Pariter ſi non detur præceptum Dei, non exigit jus Divinum compenſationem præſervativam, ne lædatur, benè verò poſito præcepto, cùm tunc lædatur, ſi non apponatur res præcepta: tum etiam ſi non detur peccatum, non exigit compenſationem reparativam, bene verò poſito peccato: ergo compenſatio reparativa, quæ intenditur à pœnitentia, formaliter reſpicit deletionem peccati, ac proinde & divinam condonationem, quæ eſt formalis deletio peccati. Confirmatur ſecundò: pœnitentia non poteſt intendere, quòd peccatum præteritum non ſit præteritum, ſed ſolùm quòd peccatum præteritum non ſit conditio, aut terminus, quo præſuppoſito jus divinum exigat, quòd Deus concipiat averſionem contra peccatorem, eúmque puniat. Sed hoc eſt formaliter velle divinam condonationem: ergo &c.

131. Reſp. diſt. Maj. quatenùs intendit peccati ablationem, ita ut ablatio, & condonatio peccati ſit motivum actus ſpei præcedentis actum pœnitentiæ, concedo: ita ut ſit motivum actus pœnitentiæ, nego Major. & diſt. Minor. dicit divinam condonationem, ſecundùm quod dicit pro formali remiſſionem peccatorum, quam ſpectat pœnitens, concedo: ſecundùm quod dicit pro honeſtate actus compenſativi eliciti, & imperati à pœnitentia, nego Major. & conſeq. Ad primam confirmationem, concedo antecedens, & diſt. conſeq. eodem pacto, quo ſuprà. Ad ſecundam confirmationem, nego Major. nam virtus ſpecialis pœnitentiæ ſolùm intendit honeſtatem actûs, quatenùs compenſativam ex ordinatione divina juris Dei offenſi, licèt ad illum eliciendum, aut imperandum præcedat ſpes remiſſionis peccati, & aliæ diſpoſitiones aſſignatæ à Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. quas propter utilitatem doctrinæ, & ſolidam noſtræ explicationis ſolutionem, breviter inſinuabo.

132. Peccator enim ante actum pœnitentiæ cognoſcit per fidem ea, quæ divinitùs promiſſa ſunt in ordine ad remittendum peccatum, nempè deletionem peccati, ſi facti pœniteat. Exinde timens divinam juſtitiam, advertit pœnitentiam eſſe neceſſariam in hac divina Providentia ad remiſſionem peccati, eamque cum auxilio, quod Deus offert, poſſe liberè elici à peccatore. Tunc concipit ſpem remiſſionis, ſicq; imperat actum pœnitentiæ. Unde licèt actus ſpei imperans habeat pro objecto divinam condonationem, quam amat, adeóque ſit amor Dei, actus pœnitentiæ imperatus non habet pro objecto formali divinam condonationem, ſed honeſtatem, in quam tendit, ut divini juris compenſativam: valde namquè diverſum eſt, prærequiri eos actus ad pœnitentiam eliciendam, aut ea prærequiſita eſſe objectum formale actûs pœnitentiæ. Præcedunt quippè aut formaliter, aut virtualiter, ut docent Theologi in tractatu *De juſtificatione*, actus fidei, actus timoris, actus ſpei, ſive dilectionis Dei: Sed actus ſubſequens pœnitentiam non habet pro objecto formali objecta eorum actuum præcedentium, ut patet ex dictis à num. 93. Si autem aliquando idem actus habeat motiva plurium virtutum, non ab una, ſed à pluribus elicietur.

133. Quapropter Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. loquens de peccatoris præparatione ad juſtificationem doctrinam noſtram per hæc

verba proponit: *Disponuntur autem ad ipsam justificationem, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud in primis, justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi per Christum propitium fore, illumquè tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Exinde si peccator imperet pœnitentiam sufficientem ad justificationem extra Sacramentum, necesse est, ut imperet contritionem perfectam, quæ est ultima dispositio ad gratiam. Si autem tendat in actum pœnitentiæ ex motivo compensationis, erit actus pœnitentiæ specialis; si verò ex alio motivo, erit actus pœnitentiæ universaliter, & theologicè sumptæ, ut ex dictis tota sectione præcedenti constat.

Objicies decimoquartò: actus pœnitentiæ
134. vult compensationem facere, non quidem hominibus, sed Deo pro offensa commissa: sed hoc ipso habet Deum pro objecto formali; adeòque compensationis actus est Theologicus: ergo. Probatur Maj. Ex eo quòd velit facere compensationem Deo, compensatio respicit Deum tanquam objectum cui; sed non potest respicere Deum tanquam objectum cui, quin illud habeat tanquam objectum formale: ergo &c. Probatur Minor. actus, quo volo Petro bonum, quia ipsi bonum, habet pro objecto formali bonitatem Petri: sed non ex alia causa, nisi quia respicit Petrum ut objectum *cui*: ergo &c.

135. Respondeo distinguo Major. sed Deo præsuppositò, ut creditori, conced. repræsentato ut bono amabili nego Major. Minor. & consequen. Ad probationem, dist. Major. tanquam objectum cui præsuppositum ut creditorem, conced. repræsentatum ut bonum amabile, nego Major. & distinctâ Minor. nego consequen. Ratio est, quia creditor est ille, cui aliquid debetur, adeòque res illa, quâ debitum solvitur, habet in se suam bonitatem compensativam, quæ est totum illud bonum amabile, quod proponitur ad imperandum actum compensativum. Unde ille, cui debitum solvitur, non proponitur ut bonum amabile ad talem actum eliciendum, sed purè ut terminus *cui*, sive obliquum objecti formalis: purus autem terminus cui, sive obliquum objecti formalis non est objectum formale illius actus amoris: objectum quidem formale est illa bonitas movens ad amorem, quæ est distincta ab ipso creditore. Sic quando volo solvere centum, quæ debeo inimico, objectum formale est bonitas relucens in ea compensatione: inimicus autem est purus terminus cui, sive obliquum talis objecti formalis, proponitur enim ut creditor, & non ut bonum amabile ad eliciendum talem actum.

Quare Religio non est virtus theologica, sed moralis; quia solùm respicit Deum ut creditorem in ordine ad cultum, quem debemus præstare Deo, adeòque bonitatem relucentem in cultu respicit ut objectum formale. Econtra verò contingit, quando volo Petro bonum, quia ipsi bonum, tunc enim bonitas Petri proponitur ut objectum formale talis actus: implicat enim in ipsis terminis, quòd aliquod objectum proponatur ut bonum amabile movens ad actum, quin sit objectum formale amatum per ipsum actum. Sic repugnat, quòd sanitas proponatur mihi ut bonum amabile movens ad commendam medicinam, quin actus, quo volo medicinam, non attingat ut objectum formale amatum sanitatem. Ex qua regula inferes plura principia ad dignoscenda varia objecta formalia voluntatis.

Objicies decimoquintò: in tantum peccat quis contra justitiam, & potest elicere actum compensativum propter honestatem compensationis, in quantum per illam actionem lædit jus, vel dominium alterius: atqui jus, vel dominium Dei lædi à Creatura non potest: ergo &c. Confirmatur primò: jus proprietatis Dei est perfectissimum; sed si lædi posset, non esset perfectissimum: perfectissimum enim est illud jus, quod lædi non potest: ergo non potest dari virtus ad jus illud non lædendum, seu læsum resarciendum, magis quàm castitas, seu virtus ad reprimendos motus inhonestos in Angelo. Confirmatur secundò: si daretur talis justitia inter creaturam, & Deum, qui æquum alteri injustè abstulisset injustus esset non solùm in Dominum æqui, sed etiam contra Deum, & deficiente Domino æqui teneretur eum restituere Deo, ac proinde commisso quocumque peccato, statim teneretur peccator pœnitere, sicut in humanis teneretur statim restituere, ubi commodè potest. Confirmatur tertiò, scienti, & volenti non fit injuria, quam quidem nullus patitur nisi invitus: ergo neque fit injuria Deo scienti, & non impedienti, cùm possit, hoc autem interpretativè, & moraliter est consentire in actionem illam.

Resp. dist. Major. in quantum lædit jus, vel illud diminuendo, vel utendo, aut non utendo rebus Domini invitò Domino, conced. solùm diminuendo jus, nego Major. & distin. Min. nego conseq. Ratio est, quia cùm jus Dei sit in ordine ad actus nostros liberos, & conseq. in ordine ad eos, qui possunt à nobis poni & non poni, quando exiguntur; si quando ergo non exiguntur, non ponantur, licèt non lædatur jus
141. Dei, diminuendo jus, cùm in se sit inamissibile, lædatur tamen non ponendo rem invito Domino, ad quam ex jure tenemur, ac proinde committitur injustitia. Ad primam confirmationem, concedo Major. & distinctâ ut supra Minore, nego conseq. quia de ratione perfectissimi dominii moralis non est, quòd non possit physicè ab-

ab aliquo impediri in usu suarum rerum, sed solùm quòd habeat quis potestatem moralem aliquid exigendi tanquam suum, ita ut sine injuria negari ei non possit; alioquin non esset dominium morale perfectissimum, cùm non esset dominium in actiones creatas liberas.

139. Ad secundam confirmationem, concedo antecedens, & nego conseq. quia Dominium est potestas utendi re aliqua: cùm autem Deus semper habeat potestatem utendi equo, prout voluerit, sub cujuscumque sit potestate, non indiget ea restitutione, quâ indiget homo. Imò satis ostendit Deus in scripturis, se nolle eo modo satisfactionē sibi fieri, quo hominibus, quibus bona ablata restitui debent, sed solùm petit sibi satisfieri per veram pœnitentiam. Quare qui peccavit contra Deum, non eliciendo actum charitatis, aut obedientiæ, non tenetur posteà elicere alium actum charitatis, aut obedientiæ, ut ex fidelium praxi; & communi omnium sensu constat. Ex quo generalis ratio justitiæ transcendens omnia peccata non obligat erga Deum ad hanc restitutionem offensæ realis; neque opus est eam in confessione explicare, cùm jam comprehendatur sub quocumque peccato, sicut generalis ratio inobedientiæ erga Deum.

140. Si autem contineret non solùm eam generalem rationem, sed insuper peculiarem in justitiæ v.g. si quis Deum infamaret, falsam de eo doctrinam spargens, & esset periculum, ne latiùs serperet, ex communi fidelium sensu deberet eam statim revocare, & errorem illum ex hominum mentibus, quibus ipsum inseruerat, tollere, illudque peccatum in confessione aperire. Satis enim ex hoc communi fidelium sensu infertur, Deum huic juri non cessisse, neque restitutionem ad aliud tempus prolongâsse. Ex quo magno discrimine inter Deum, & homines tenet communis hodiè Theologorum Sententia apud Eximium Doctorem disp. 15. *De pœnitentia* sect. 5. Tannerum disp. 6. qnæst. 6. dub. 3. Carleron disp. 43. sect. 5. & alios non obligari creaturam statim post peccatum admissum Deo pro illa injuria satisfacere, quia homines rebus suis spoliati non possunt, per se loquendo, eam independentiam habere ab aliis, quàm si res suas retinerent: ideóque ad inopiam redacti, faciliùs contemnuntur, & vilipenduntur. Deus autem eam semper habet independentiam, nec omnia peccata provocant ad contemptum. Quare restitutio apud homines statim obligat; apud Deum verò ea solum, quæ peculiarem Dei contemptum, aut similem titulum haberet: de reliquis permisit hominibus compensationem pro tempore longiori, ut dicemus, cùm agemus de præcepto pœnitentiæ.

141. Ad tertiam confirmationem distinguo antecedens: scienti, & volenti non retinere jus, cui potest cedere, concedo, scienti & volenti retinere jus, nego antecedens & conseq. Ratio est, quia stante voluntate, qua Dominus vult retinere jus ad rem suam, & omnes illius usus, facit injuriam alteri; qui invito Domino re illa utitur. Talis autem voluntas præsumitur stare, donec non innotescat Dominum cedere juri suo. Qua de causa voluntas, qua cedit, dici solet voluntas *signi* contradistincta à voluntate non significativa cessionis: Recta enim ratio dictat, non esse utendum re aliena, nisi de licentia Domini, quæ per expositam voluntatem signi conceditur, non verò per puram voluntatem non impediendi, etiam cùm commodè posset. Sic qui furem videns auferentem rem suam, non prohibet, patitur injuriam, & datur ei juxta leges actio in furem, eúmque de injuria postulare poterit.

Sic etiam, dum quis patienter fert alterum, 142.
qui eum conviciis lacerat, & infamat, quem tamen corripere, & impedire potest, non propterea liberatur infamans à peccato injustitiæ, nec ab obligatione satisfaciendi, & famam restituendi. Sic injuriam maximam intulere martyribus Tyranni, esto illi libenti animo passi sint, se torqueri, & occidi. Nec sufficit ad cedendum præcisa traditio Physica rei suæ in circumstantiis, in quibus rectè præsumitur nolle Dominum juri suo cedere, ut patet in solvente usuras, cui in hoc fit injura, & usurarius tenetur ad restitutionem. Quare sine voluntate signi à nobis exposita non fit cessio, aut translatio juris. Exinde cùm voluntas Domini nolit cedere juri suo, ne offendatur, licèt peccata permittat, non sufficit permissio, ne peccatum sit offensa Dei. Cæterùm de his latiùs agemus in tractatu *De justitia*. Hæc autem satis sint ad solutionem præsentis difficultatis. Ex dictis

§. IV.

Fit primò: non posse remitti offensam pro 143.
ipso instanti, pro quo committitur. Ratio est, quia in instanti, in quo committitur offensa est contra voluntatem offensi illam prohibentem, ac proinde contra ipsius jus satis manifestatum: adeòque repugnat, quòd pro eo instanti detur voluntas signi cessiva illius juris: daretur enim in illo instanti jus offensi, adeóque daretur, & non daretur offensa, quod ex ipsis terminis implicat, ut per se patet. Unde solùm potest dari in illo instanti voluntas signi, quâ offensus ostendat, quòd pro signo sequenti desistet ab illa voluntate, & ceder juri offensi, quo offensa destruatur, & remittatur. Sic in instanti, in quo Deus vult efficaciter producere Petrum, non potest simul velle illum non producere, licèt possit in illo instanti elicere voluntatem destruendi Petrum, vel illum non conservandi in instanti sequenti. Scio plures Recentiores in hac quæstione plurimùm immorari, sed opus non est tempus impendere in re, quæ ex principiis nostris adeo clarè deducitur, & quæ nullam affert utilitatem, nec doctrinam ultra principia à nobis exposita. An verò remissio divinæ offensæ possit fieri non solùm per formam intrinsecam, sed etiam per extrinsecam condonationem, solet hic exagitari. Cæterùm quia anno proximo elapso tradita, & resoluta solidè, & ingeniosè

fuit;

fuit in tractatu D*e gratia*, libenter illam omitto.

144. Fit secundò, pro instanti, pro quo committitur offensa gravis Dei, dari verum jus ad inimicitiam inter Creaturam, & Deum. Ratio est, quia pro eo instanti datur vera offensa Dei, sive justitiæ strictæ, sive latæ opponatur: gravis autem offensa Dei, quandiù durat, indispensabiliter affert verum jus ad inimicitiam inter creaturam, & Deum: nequit enim Deus pro instanti, in quo durat illa offensa, eam non reprobare, ut legis suæ graviter transgressivam, ac proinde nequit non reprobare graviter causam per se illius actionis elicitivam, ex qua necessaria gravi reprobatione oritur necessaria gravis displicentia. Insuper actus ipse offensæ præfert creaturam creatori, & complacentiam creaturæ displicentiæ creatoris. Quibus positis exstat in Supremo Domino verum jus ad inimicitam, *dixi in Supremo Domino*; nam hoc jus ad inimicitiam non extat in Creatura offensa, utpote Creatura subjecta est Deo ut Domino, qui inter viatores talem prohibet inimicitiam, præcipiens, ne odio habeamus inimicos, sed ut illos diligamus, & ipsi, qui est per essentiam Judex, reservemus vindictam ex illo ad Rom. 12. *nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentes, non vos metipsos defendentes carissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim: mihi vindictam, & ego retribuam: dicit Dominus.* Hinc

145. Fit tertiò: offensam facti, & jus offensi esse metaphysicè inseparabilia. Ratio est, quia offensa facti stat in actione, quæ fit contra jus alterius nolentis tali juri cedere, imò prohibentis, ne fiat contra jus suum. Cæterùm si non esset contra jus illius, jam non esset illius offensa: atqui est metaphysicè impossibile, quòd actio sit contra jus offensi, & quòd non detur jus offensi: ergo &c. Unde si actio est circa jus alterius, revera dabitur jus alterius: & si actio est contra jus alterius in existimatione, dabitur jus alterius in existimatione. Fit quartò: remissionem offensæ dicere etiam duo inseparabilia, nempè & offensam extitisse, & illam destrui. Cæterùm, cum offensa, quæ extitit non perseveret physicè, sed moraliter, destructio non debet tendere, ad faciendum, quòd offensa non extiterit, sed ad tollendam denominationem moralem. Denominatio autem moralis stat in eo, quòd offensa commissa denominat peccatorem debitorem, ad eum modum, quo furtum commissum denominat furem debitorem, donec ponatur, & admittatur satisfactio condigna, vel donec creditor, sive offensus eliciat actum voluntatis æquivalentem tali satisfactioni condignæ, nimirum quo se placatum ostendat eodem modo, ac si posita, & admissa esset condigna satisfactio. Unde hic actus vocari solet cessio juris offensi: ac proinde est vera remissio. Exinde

146. Fit quintò: non posse offensam existere Physicè, quin existat moraliter, benè verò è contra. Ratio est, quia existere moraliter nihil aliud sit quàm existere denominationem transgressionis juris offensi non remissam. Cùm autem existat offensa pro instanti, pro quo committitur, & existit Physicè; exinde nequit existere physicè, quin existat moraliter. Pro instanti verò sequenti, si non remittatur, esti non existat physicè offensa, manet tamen denominatio transgressionis juris offensi non remissa, ac proinde existet moraliter, quin physicè. Unde cum impossibilis sit illa transgressio, antequàm offensa committatur, etiam est impossibilis remissio offensæ ante commissionem offensæ; dico pro instanti, pro quo offensa committeretur, esset, & non esset offensa, simulque esset, & non esset jus offensi. Notandum autem est discrimen inter destructionem offensæ habitam per condonationem offensæ positam ab offenso, vel per condignam satisfactionem positam ab offendente, consistens in eo, quòd offendens habet debitum solvendi, aut patiendi; ac proinde, si non solvat, ipsi imputatur, quando non destruatur offensa: Offensus verò non habet debitum condonandi; ac proinde si offensa per condonationem non destruatur, non imputatur offensa. Quare offendens vocatur causa conservativa offensæ, secùs autem offensus.

Fit sextò: de potentia absoluta posse Deum remittere unum mortale sine alio: Ratio est, quia potest cedere juri offensi respectu unius, & non respectu alterius pro libito suo. Hoc autem in præsenti Providentia non fit, quia Deus decrevit non remittere unum mortale, alio non remisso, cùm lethale remittatur per gratiam cum omni mortali incompossibilem; ideoq; exigit Deus pœnitentiam omnium peccatorum ad peccati remissionem. Quare author libri *de vera & falsâ pœnitentia* apud August. tom. 4. cap. 9. rectè infert, *Deum non fore fidelem in promissis, si aliter faceret*: postquàm enim toto eo capite nono declaravit ea, quæ separant veram pœnitentiam à falsa, & dixerit: *totum enim hominem sanavit in Sabbatho, quia & Corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberavit, indicans pœnitentem oportere simul dolere de omni crimine orto in anima, & corpore*; postea finit ad finem capitis ita subjungit: *Quadam enim impietas infidelitatis est, ab illo, qui justus, & justificat est, dimidiam sperare veniam.* Quo in sensu supposità nimirum hac divina promissione, exponenda sunt testimonia dicentia, non posse Deum unum mortale sine alio remittere: homo autem, cui unum sine alio remitteretur, non esset de esset Dei amicus, sed inimicus, non quidem ratione peccati remissi, sed ratione non remissi: ad malum enim sufficit quicumque defectus. Unde illa cessio non esset amor amicitiæ, sed potiùs benevolentiæ, quo afficitur etiam Deus erga peccatores.

***

DISPU-

DISPUTATIO III.

DE OBJECTO MATERIALI, ET FORMALI VIRTUTIS POENITENTIÆ.

148. NOn agimus in præsenti de objecto materiali Pœnitentiæ, sumpta virtute in tota sua latitudine; diximus enim à num. 20. & 67. omnes virtutes per se infusas voluntatis, utpote habentes objectum formale concomitans gratiam, posse exercere suum munus primarium, quamvis nullum peccatum in subjecto præsupponatur, ac proinde posse elicere plures actus, qui neque sint dolor, neque detestatio de peccato commisso: adeóque neque actus pœnitentiæ theologicæ, aut restrictè sumptæ. Agimus ergò de eo objecto materiali, & formali, quod habet ille actus virtutis, à quo virtus illius elicitiva, aut imperativa appellatur Pœnitentia; sivè quod idem est, vocatur pœnitentia quà talis. Cæterùm cùm verus, & rigorosus pœnitentiæ actus ex intrinseca, & essentiali sua tendentia non solùm sit fuga mali, sed etiam, aut semper, aut ferè semper sit amplexio boni: communis enim Th[illegible]logorum contra Lugo, & Arriagam negat ac[illegible]s purè aversivos; illi autem, qui eos admittunt, fatentur, rarò voluntatem purè aversivè se exercere, adeòque ita fugere malum, ut actus fugæ à malo sit amplexio oppositi boni: ea de causa Theologi in præsenti quærunt, quodnam sit objectum formale tum fugæ, tum prosecutionis Pœnitentiæ quà talis.

SECTIO I.

Resolvitur controversia.

§. I.

149. ASsero primò cum Eximio Doctore quæst. 2. sect. 1. Objectum materiale immediatum pœnitentiæ quà talis per modum fugæ, non solùm est peccatum à pœnitente commissum, sed etiam lethalia omnia, quæ ab illo possunt committi. Probatur primò: Illud est objectum materiale immediatum pœnitentiæ quà talis per modum fugæ, quod immediatè fugere potest pœnitentia per illum actum, per quem pœnitentia denominatur: atqui pœnitentia per talem actum non solùm potest immediatè fugere peccatum à pœnitente commissum, sed etiam omnia lethalia, quæ ab illo possunt committi: ergo &c. Probatur Min. Pœnitentia quà talis, ut constat ex dictis à num. 15. & 94. elicit actum, qui est animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: sed talis actus, ut per se patet, non solùm immediatè fugit peccatum à pœnitente commissum, sed etiam omnia lethalia, quæ ab illo possunt committi, imò si non ità fugeret, non esset sufficiens ad impii justificationem, ut in secunda parte hujus tractatus constabit: ergo &c.

Confirmatur. Actus pœnitentiæ quà talis 150.
sufficiens ad justificationem impii cum Sacramento, sive sit actus pœnitentiæ universaliter, & theologicè sumptæ, sive pœnitentiæ in restrictione scholasticâ acceptæ, ita fugit offensam lethalem Dei, ut voluntatem peccandi excludat: atqui actus fugiens peccata commissa, simulque excludens voluntatem peccandi lethaliter non solùm respicit immediatè, tanquam objectum materiale per modum fugæ, peccatum à pœnitente commissum, sed etiam omnia lethalia, quæ ab illo possunt committi: ergo &c. Consequentia, & Min. patet: quia si peccator proponat ex infinitis peccatis mortalibus possibilibus nullum lethale committere præter hoc, evidens est per illum actum non excludere voluntatem peccandi lethaliter. Maj. verò probatur: actus pœnitentiæ theologicè sumptæ expositus à Tridentino est contritio, sive perfecta, sive imperfecta: atqui ea contritio non solùm dolet de peccato commisso, sed etiam excludit voluntatem peccandi lethaliter: ergo &c.

Prob. Min. Si est contritio perfecta, ita est in- 151.
compossibilis cum voluntate peccandi lethaliter, ut sit ultima dispositio ad gratiam, adhuc extra Sacramentum, ut definit Tridentinum. Si verò est contritio imperfecta, seu attritio, non potest esse verus pœnitentiæ actus ad justificationem impii in Sacramento sufficiens, si hanc voluntatem peccandi non excludat, ut constat ex ipso Tridentino sess. 14. c. 4. dicente: *illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ -- quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit*: ergo &c. Confir. In eo distinguitur actus pœnitentiæ sufficiens cum Sacramento ad justificationem impii ab aliis, qui possunt elici à pœnitente; quòd iste, vel extra, vel saltem intra Sacramentum sufficit ad justificationem; alii autem non ita, sed ad remissionem venialis, aut quid simile, ut suo loco dicemus: atqui licèt in hac Providentia possit remitti unum veniale, alio non remisso, non ita evenit in mortali, quod in hac providentia nequit remitti, alio mortali non remisso: ergo licèt actus pœnitentis circa veniale non debeat esse fuga respectu omnis venialis; actus pœnitentiæ theologicè sumptæ circa mortale non remissum debet esse fuga respectu omnis mortalis.

Respondebis primò cum Dicastillo, non re- 152.
quiri ad actum verum pœnitentiæ theologicè sumptæ circa mortale non remissum propositum

adhuc virtuale non peccandi de cætero, sed sufficere propositum non committendi iterum peccata, de quibus se pœnitens accusat, aut quæ commisit: ac proinde Pœnitentiam non respicere tanquam immediatum objectum materiale, aut virtuale peccata, quæ committi possunt. Ratio ejus est, quia ille est verus actus pœnitentiæ theologicè sumptæ circa mortale non remissum, qui ex Tridentino requiritur ad valorem Sacramenti, licèt non sufficiat ad Sacramenti fructum, adeóque maneat Sacramentum validum, & informe, sicuti de Baptismo diximus in suo tract. à n. 24. Ad valorem autem Sacramenti pœnitentiæ sufficit propositum non committendi iterum peccata, de quibus pœnitens se accusat, aut quæ commisit, licèt non sufficiat ad fructum Sacramenti. Cæterùm responsio ista, & falsa est, & rationem nostram nequaquam dissolvit. Quapropter

153. Contra primò: Licèt ille actus non haberet pro objecto materiali omnia lethalia, quæ à pœnitente possunt committi, non repugnat alter actus à pœnitentia quà tali elicitus, qui fugiat ea omnia lethalia, sed hoc sufficit, ut ea omnia sint objectum materiale pœnitentiæ per modum fugæ, ut per se patet: ergo &c. Contra secundò: Ut aliquod sit objectum materiale unius Scientiæ non requiritur, quòd attingatur ab omni actu illius Scientiæ quà talis, sed sufficit, quòd ab aliquo actu illius scientiæ quà talis attingatur, ut omnibus philosophis, & theologis notum est. Sic ut tres operationes intellectûs sint objectum materiale logicæ, non requiritur, quòd per quemcumque actum logicæ attingantur omnes intellectûs operationes, sed sat est, quod per diversos actus logicæ attingantur. Pariter ut Astra sint objectum materiale Astronomiæ non requiritur, quòd per quemcumque illius actum attingantur omnia Astra, sed sat est, quòd circa ea per diversos actus versetur: atqui pœnitentia quà talis potest per aliquos suos actus versari circa omnia lethalia, quæ à pœnitente possunt committi, ea nimirum fugiendo per actus, qui sint dolor de commissis, & propositum nunquam peccandi de cætero: ergo &c.

154. Contra tertiò. Non peccare de cætero, est nullum peccatum in posterum committere saltem ex illis, quæ impediunt gratiam Sacramenti, de quo ibi Tridentinum agit, ut legenti constabit: atqui quodcùmque lethale impediret gratiam Sacramenti: ergo propositum non peccandi de cætero, de quo ibi agit Tridentinum, se debet extendere ad quodcumque lethale. Contra quartò: Ut quis in hoc instanti præsenti dicatur non peccare lethaliter, non sufficit, quòd in hoc instanti vitet unum, aut plura peccata ex his, quæ commisit, sed requiritur, quòd omnia omnino peccata lethalia vitet: etenim si aliquod committat, jam non est verum, quod non peccat lethaliter in hoc instanti: ergo ut non peccet lethaliter in posterum, requiritur, quòd in posterum nullum lethale committat: sed non peccare lethaliter saltem de cætero est non peccare saltem lethaliter in posterum: ergo &c. Contra quintò: Ut paries in posterum non sit albus, non sufficit, quòd sit privatus hac, vel illa albedine, sed requiritur, quòd nullam albedinem habeat, & sic de millenis aliis exemplis: ergo ut homo proponat non peccare saltem lethaliter de cætero, non sufficit, quòd proponat non peccare in posterum hæc, vel illa peccata lethalia commissa, de quibus se accusat, sed omnino requiritur, quòd proponat nullum peccatum lethale in posterum committere. Ex quibus facilè impugnatur aliorum responsio, quam jam subjicio.

Respondebis secundò cum Gaspare Hurtado disp. 6. *de Pœnitentia*, quem aliqui Recentiores sequuntur, etsi fateantur nostram opinionem in praxi tenendam. Dicunt enim, neque ad valorem, neque ad effectum Sacramenti requiri propositum, aut virtuale, aut implicitum vitandi omnia mortalia, sed sufficere propositum non reincidendi in commissa, cum carentia propositi actualis peccati. Ratio eorum est, quia pœnitens tantùm tenetur dolere de peccatis commissis, non verò de aliis, quæ non commisit: cùm autem propositum solùm debeat correspondere dolori, sufficit, quòd se extendat ad peccata commissa, & non ad ea omnia quæ possunt committi; unde talis pœnitentiæ actus non debet habere pro objecto adhuc virtuali omnia lethalia, quæ pœnitens posset committere. Hæc autem responsio, sicuti & præcedens, & est falsa, & rationem nostram non dissolvit. Quapropter

Contra primò: licèt non esset necessarium, quòd pœnitentia quà talis illum actum eliceret, posset tamen verè, & propriè elicere illum actum, quo fugeret omnia lethalia, quæ à pœnitente possent committi: sed hoc sufficit, ut respiciat tanquam objectum materiale immediatum per modum fugæ ea omnia lethalia, ut constat ex n. 153. ergo &c. Contra secundò; quæ ista responsio non benè consonat cum doctrina Trid. exigentis propositum vitandi omnia peccata, quæ Sacramenti gratiam impedirent, ut late dicemus infrà; & in secunda parte hujus tractat. quando agemus de actibus pœnitentis, quæ ex Christi institutione sunt pars essentialis Sacramenti, & diximus aliquid à n. 154. ergo &c.

Assero secundò: Peccata venialia sunt etiam objectum materiale immediatum pœnitentiæ, quà talis per modum fugæ. Probatur: peccata venialia participant rationem offensæ Dei à pœnitente commissæ: etenim non solùm sunt contra fervorem charitatis negativè, sicuti imperfectiones morales, & purus reatus pœnæ; sed etiam positivè, quatenùs fundant jus ad vindictam divinam, etsi levem contra peccatorem: qua de causa licèt purus reatus pœnæ, aut imperfectiones morales non sint materia sufficiens Sacramento pœnitentiæ, peccata venialia sunt materia sufficiens, etsi non necessaria, ut docet Trid. sess. 14. cap. 5. dicens: *Nam venialia, quibus à Dei gratia non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamvis*

quamquàm rectè, & utiliter, citràque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisquè aliis remediis expiari possunt : atqui actus pœnitentiæ quà talis per modum fugæ immediatè fugit, quidquid participat rationem offensæ Dei commissæ à pœnitente: ergo &c. Maj. & Consequen. tenent. Minor verò patet, quia actus pœnitentiæ, qua talis, utpotè dolor, & detestatio de peccato commisso retractat offensam contra Deum commissam: ergo immediatè fugit, quidquid participat rationem offensæ Dei commissæ à pœnitente. Ex dictis

858. Fit primò: peccatum habituale esse objectum immediatum pœnitentiæ quà talis per modum fugæ: Ratio est, quia est offensa Dei nondum deleta, & à pœnitente commissa: sed talis offensa Dei est objectum immediatum pœnitentiæ qua talis: ergo &c. Propter eandem rationem opus externum constituens unum peccatum cum interno est objectum pœnitentiæ, quà talis per modum fugæ, cùm illud concretum ex interno, & externo sit vera Dei offensa avertenda à pœnitente, ut dicitur in tractatu *De peccatis*, & in confessione explicanda, ut in secunda parte dicemus. Imò & peccata, si dari possint absque advertentia ad Deum, erunt objectum pœnitentiæ, cùm talia verè displicerent Deo, ejúsque offensionem promererentur: ipse enim ut creator naturæ rationalis, ejusque caput morale, odio habet ea, quæ fiunt contra dictamen rationis naturalis; sicut pater, qui est caput filii, odio habet offensas contra filium sine advertentia ad ipsum patrem. Advertendum tamen est circa peccatum habituale: id, quod istud addit supra actuale, non esse offensam, sed carentiam destructionis offensæ commissæ, adeóque secundùm illam reduplicationem non esse objectum pœnitentiæ qua talis. Quæ ratio eodem modo militat pro lethali dimisso, quod pœnitens commisit: si enim consideretur reduplicando supra rationem remissi, non est objectum pœnitentiæ: benè verò, si consideretur secundùm rationem offensæ commissæ: eo namquè modo est materia sufficiens Sacramento pœnitentiæ, ut constat ex num. 54. & dicemus in secunda parte hujus tract. ac proinde & est objectum immediatum pœnitentiæ quà talis.

859. Fit secundò: Peccatum Originale non esse objectum immediatum pœnitentiæ qua talis per modum fugæ. Ratio est, quia peccatum originale non est peccatum commissum, sed contractum ex pravâ alienæ voluntatis determinatione: sed actus pœnitentiæ, ut constat ex Trident. & Florent. citatis num. 2. & 15. est dolor, & detestatio de peccato commisso: ergo &c. Quæ est etiam ratio, propter quam non tenemur dolore de originali, neque tenentur adulti ad Baptismum accedentes. Confirmatur: detestatio de peccato commisso est retractatio peccati facti: sed pœnitens non potest retractare, quod ab ipso factum non fuit: retractatio enim cadit supra actum, sive opus priùs elicitum ab eo, à quo postea retractatur (quo comprehendimus peccatum omissionis, si possibile sit) sic ego voluntatem Petri retractare non possum; quod etiam evenit in proposito: propositum enim efficax, quod Petrus non peccabit de cætero, non elicitur à mea voluntate, sed à voluntate Petri, ut per se est evidens. Exinde

Fit tertiò: peccatum alienum non esse objectum materiale pœnitentiæ quà talis per modum fugæ. 860. Ratio est, quia peccata aliena non sunt peccata à nobis commissa: atqui virtus solùm denominatur pœnitentia ab actu illius versante circa peccata à pœnitente commissa, ut ex Trident. & Florent. diximus num. superiori, & constat ex testimoniis Scripturæ, & SS. PP. adductis à num. 16. & ex S. Thom. num. 76. in quibus dicitur actum pœnitentiæ versari circa iniquitates à pœnitente commissas: ergo &c. Quapropter Div. Thom. in 4. distinct. 17. art. 2. quæst. 2. ait: *Ad primum ergo dicendum, quod contritio non est de peccato ratione substantiæ actûs tantùm, quod ex hoc non habet rationem mali, neque iterum ratione deformitatis tantùm, quia deformitas de se non dicit rationem culpæ, sed quandoque importat pœnam. Debet autem de peccato esse contritio, in quantum importat utràmque deformitatem ex actu voluntatis provenientem, & hoc non est in peccato originali, & ideò de eo non est contritio.* Et in eodem articulo: *ad quintam quæstionem dicendum, quod illud idem conteritur, quod priùs durum, & integrum fuit. Unde patet, quod contritio pro peccato sit in eodem, in quo peccati duritia præcessit, & sic de alienis peccatis non est contritio.* Et ibidem ad sextum. *Quantum ergo ad principium contritionis, oportet, quòd sit de singulis peccatis, quæ quis in memoria habet: sed quantum ad terminum, sufficit, quòd sit una communis de omnibus, tunc enim ille motus agit in vi omnium dispositionum præcedentium*: Unde

Fit quartò: malum pœnæ prout contradistinctum à malo culpæ, & offensæ Dei, non esse 861. objectum aversionis, & pœnitentiæ, quà talis. Ratio est, quia actus pœnitentiæ, qua talis non fugit illud malum pœnæ: deinde reatus ad talem pœnam contradistinctus à malo culpæ non est offensa, ut constat ex S. Thom. citato num. superiori: Sic Regulæ Religionum obligantes sub pœna, & non sub culpa, relinquunt in transgressoribus reatum pœnæ, & non reatum culpæ: reatus enim ad pœnam purè talis stare potest inter amicos, nec affert ullum jus ad aversionem quantumvis levem amici, sicuti affert peccatum veniale. Sic quando duo amici ludunt, qui perdit in ludo, habet reatum pœnæ, & tenetur alteri solvere debitum; quin reatus ille asserat jus ad aversionem, vel minimam amici. Quæ de causa dolor de reatu puro pœnæ non est dolor de peccato commisso, ac proinde non est sufficiens ad præstandam denominationem pœnitentiæ virtuti, à qua elicitur. Exinde

cùm imperfectiones morales solùm afferant reatum pœnæ, non sunt objectum immediatum pœnitentiæ, quà talis. Quapropter licèt ab eadem virtute possint elici ejusmodi actus circa imperfectiones, reatum pœnæ, peccatum originale, peccata aliena, & sic de aliis, non erunt actus pœnitentiæ, qua talis theologicè sumptæ, sed virtutis, quæ per illos actus diversas alias suscipit denominationes, ut ex argumentorum solutione constabit.

§. II.

162. Assero tertiò: Objectum materiale immediatum pœnitentiæ, quà talis per modum prosecutionis sunt ea omnia bona, quæ actus pœnitentiæ ut talis elicere potest ad sui finis consecutionem. Probatur primò: actus pœnitentiæ, qua talis non solùm est dolor, & detestatio de peccatis commissis, sed etiam propositum non committendi peccata de cætero; atqui non committere peccata de cætero sæpiùs est facere bona: ergo illa bona continentur sub objecto materiali prosecutionis actûs pœnitentiæ, qua talis. Maj. & Conseq. tenent; Min. verò Probatur: in instanti, in quo obligat præceptum amandi Deum, diligendi proximum, parendi superiori, succurrendi indigenti, & sic de aliis, non peccare est elicere actum amoris Dei, dilectionis proximi &c. ergo tunc non committere peccata de cætero est idem, ac facere bona. Conf. omnia bona ut conducentia ad finem sunt objectum materiale prosecutionis virtutis respicientis finem: ergo ea omnia bona conducentia ad finem pœnitentiæ quà talis, sunt objectum materiale prosecutionis virtutis pœnitentiæ quà talis.

163. Prob. 2. Virtus pœnitentiæ, qua talis, sive generaliter, & absolutè, sive in restrictione scholasticâ consideretur, est elicitiva actûs aversivi à malo, & promotivi boni: ergo sicut habet pro objecto materiali fugæ mala, à quibus avertitur, habet etiam pro objecto materiali prosecutionis ea bona, quæ promovet. Conf. pœnitentia quà talis tendit ad odium veteris vitæ, & & ad propositum, & inchoationem vitæ novæ: sed hoc est tendere ad fugienda mala, & amplectenda bona conducentia ad finem pœnitentiæ quà talis: ergo &c. Conseq. tenet, & Min. videtur per se nota. Maj. verò constat ex Trid. sess. 14. cap. 4. de actu pœnitentiæ, sive contritione præscindente à perfecta, & imperfecta ita dicente: *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud, projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis*: ergo &c. Ex dictis

164. Fit 1. pœnitentiam universaliter, & theologicè sumptam habere pro objecto materiali immediato ea omnia, ad quæ se extendere potest actus contritionis, quà talis ab illa virtute elicitus. Sic actus contritionis qua talis elicitus à charitate potest peccatum fugere, similiqu amare Deum propter se ipsum, sive propter divinam bonitatem, adeóque divina bonitas non solùm erit objectum formale, sed etiam objectum materiale per modum prosecutionis illius virtutis pœnitentiæ qua talis: idemque suo modo dicendum de aliis virtutibus universalibus voluntatis, ex doctrina tradita à num. 6 Fit 2. pœnitentiam specialem in restrictione Scholastica acceptam, utpote respicientem actum pœnitentiæ, à quo denominatur in ratione pœnitentiæ secundùm rationem compensationis juris Dei offensi, respicere pro objecto materiali per modum prosecutionis omnes omnium virtutum actus, prout invenit in illis honestatem talis compensationis, ex dictis num. 79. & 85. pœnitentia enim specialis non fugit eos actus pœnales, & meritorios, sed potius amplectitur ad satisfaciendum pro offensa; si men eos respiceret non quidem ex motivo offensæ, sed ex motivo satisfaciendi pro pœna reatu pœnæ; jam ille actus, cùm non esset actus pœnitentiæ, qua talis ex n. 161. non est actus pœnitentiæ, de qua loquimur. Vide à n. 181.

Assero 4. cum Exim. Doct. disp. 2. sect. 1. num. 2. Objectum formale pœnitentiæ, qua talis universaliter, & theologicè sumpta non est unum, & idem pro omnibus pœnitentiæ actibus, sed diversum pro diversitate virtutum potentium elicere talem pœnitentiæ actum. Prob. facilè ex dictis à num. 67. Virtutes universales voluntatis potentes elicere verum actum pœnitentiæ universaliter, & theologicè sumptæ, aliæ sunt virtutes theologicæ, nimirum spes, & charitas, aliæ verò morales; nimirum obedientia, gratitudo, religio, justitia, & aliæ ex dictis à num. 63. atqui objectum formale harum virtutum non est unum, & idem, sed est diversum pro diversitate talium virtutum: ergo actus pœnitentiæ, qui ab illis possunt elici, non respiciunt unum, & idem objectum formale, sed diversum pro diversitate talium virtutum.

Assero 5. Objectum formale pœnitentiæ in restrictione Scholastica acceptæ est honestas compensativa divini juris, sive latè, sive strictè sumpti. Prob. 1. virtus pœnitentiæ accepta in restrictione Scholastica est illa, quæ operatur ad compensandam offensam Dei per verum pœnitentiæ actum; sed talis virtus habet pro objecto formali honestatem compensativam divini juris, sive latè, sive strictè sumpti: ergo &c. Conseq. tenet, & Maj. constat à num. 76. Min. verò Probatur: objectum formale talis virtutis compensativæ tale est, ut ex illo elici possint non solùm actus, qui sunt vera actualis pœnitentia, ac proinde & supponunt peccatum à pœnitente commissum, sed etiam actus, qui pœnitentia non sunt, adeóque non supponunt peccatum commissum: sed talis est honestas compensativa Divini juris, sive latè, sive strictè acceptî: ergo &c. Maj. constat à num. 90. Min. Probatur: hujusmodi honestas compensativa di-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vini juris ex se indifferens est ad compensationem, vel reparativam, vel præservativam, vel juxtà exigentiam, vel juxta juris condignitatem: atqui ex honestate ita indifferente possunt elici actus præsupponentes, & non præsupponentes peccatum, ut per se est evidens, & constat ex n. 124. ergo &c.

167. Prob. 2. Specialis pœnitentiæ virtus, utpote divini juris compensativa, solùm potest habere pro objecto formali, vel jus divinum, vel honestatem compensativam, ut ipsi adversarii, cum quibus disputamus, fatentur: atqui non habet pro objecto formali jus divinum: ergo habet honestatem divini juris compensativam. Prob. Min. divinum jus, utpotè identificatum cum ipso Deo consistit in ipsa natura divina, ratione cujus est Dominus, ac proinde est prædicatum divinum: atqui specialis pœnitentia virtus non habet pro objecto formali prædicatum divinum; aliter ex dictis à n. 95. esset theologica, & non moralis, contrà id, quod ipsi adversarii defendunt: ergo &c.

168. Conf. non minùs prærequiritur ad actum obedientiæ prævia cognitio præcepti, aut insinuationis voluntatis superioris, quàm ad actum compensativum divini juris prærequiratur cognitio divini juris: atqui objectum formale obedientiæ non est voluntas superioris, sed honestas objectiva rei præceptæ: ergo neque objectum formale virtutis compensativæ erit jus divinum, sed honestas objectiva compensativa juris divini Prob. Conseq. Ideò voluntas superioris non est objectum formale obedientiæ, benè verò honestas objectiva rei præceptæ; quià objectum formale obedientiæ est illa honestas præcepta; quâ adimpletur voluntas superioris; & voluntas superioris neque est præcepta, neque sui adimpletiva; adimpletur autem per honestatem objectivam rei, quæ præcipitur; atqui eadem omnino ratio militat in nostro casu, cùm jus divinum non compensetur per se ipsum, sed per honestatem, quæ apponitur à compensante: ergo &c. Ex dictis

169. Fit primò: posse pœnitentiam exercere suum actum non solùm circa peccatum à pœnitente commissum, & nondum condonatum, ut patet in veniali, sed etiam circa peccatum habituale, quamvis aliquis per revelationem sciret esse jam condonatum. Ratio communis est; quia dum sumus in statu dolendi, semper possumus dolere, & detestari peccatum; quod contra Deum commisimus, ipsique offerre compensationem ex condignitate divini juris, licèt non ex exigentia, quatenùs jam tunc illam non exigit jus divinum, quando peccatum est condonatum: peccator enim licèt per totam vitam intensissimos virtutum actus exerceret, nunquam posset de condigno satisfacere pro offensa lethali, adeóque quando remittitur, Deus condonat illam, & cedit juri exigentiæ. Qua de causa verè dicere potest peccator: peccavi, & non satisfeci pro offensa: ex quo manet ea, quæ vocatur condignitas juris ad offerendam majorem semper compensationem. Quinimò etsi peccator condignè satisfecerit pro veniali, ut multi defendunt ita fieri posse de facto, adhuc potest peccator de facto offerre satisfactionem, quasi superabundantem pro illo, cùm dignum sit divinum jus tali compensatione. Sic qui beneficium accepit potest esse gratus, non solùm præbendo æquale beneficio, sed etiam superabundans, ut magis hoc modo suam ostendat gratitudinem: ergo etiam pœnitentia, præsuppositâ cognitione juris divini, quod læsit, ut magis ostendat suum de peccato dolorem, etiam remisso jam perfectè peccato quoad omnia, potest offerre Deo majorem, & majorem compensationem. Sicut enim gratitudo non est indivisibilis, sed major, & major esse potest, dum gratificatio moveatur à beneficio accepto; ita & compensatio major, & major esse potest, dum moveatur contritio ab offensa contra Deum commissa. Video in hac communi ratione posse immisceri plures quæstiones de voce, ea de causa aliam universaliorem dabimus num. 183.

170. Fit secundò: Virtutem pœnitentiæ quà talem theologicè sumptam semper respicere Deum saltem in obliquo. Ratio est, quia semper dolet de offensa Dei: sed dolor de offensa Dei necessariò respicit Deum saltem in obliquo: ergo &c. Quapropter pœnitentia philosophicè sumpta de qua num. 2. cùm indifferens sit, ut contrahatur ad opus factum contra hominem, vel ad offensam contra Deum; etiam est indifferens, ut contrahatur ad pœnitentiam particularem theologicam, vel non theologicam. Propter eandem rationem pœnitentia grammaticaliter sumpta, de qua eo n. 3. cum indifferens sit, & ad bonam, & ad malam, ad naturalem, & supernam, ad hæc omnia membra contrahibilis est. Possibilem autem esse habitum pœnitentiæ naturalem communiter supponitur à Theologis. Ratio est, quia naturaliter cognoscitur peccatum esse difforme rationali, ut constat ex n. 10. ac proinde & capiti naturæ rationalis, quod est Deus, adeóque potest voluntas viribus propriis illud detestari per actum pœnitentiæ, neque hoc excedit ejus vires: atqui ex repetitione talium actuum gignitur habitus facilitans voluntatem ad similes actus eliciendos, in quo stat habitus, seu virtus naturalis pœnitentiæ ex dictis à num. 3. ergo &c. Hæc autem est ratio, propter quam antiqui Philosophi cum Platone lib. 10. *de legibus* pœnitentiæ virtutem cognoverunt. Sic etiam Ovidius 1. *de Ponto* de Diis suis ajebat:

Sæpè levant pœnas, ereptaq; lumina reddunt;
Dum benè peccati pœnituisse vident.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

§. I.

171. OBjicies primò contra primam assertionem: Plures sunt actus pœnitentiæ non se ex-

tendentes ad omnia peccata lethalia commissa: ergo non sunt ea omnia objectum materiale immediatum pœnitentiæ per modum fugæ. Probatur Antecedens: qui commisit duo peccata, & unius invincibiliter oblivisciturr, si eliciat contritionem contra unum propter peculiarem illius peccati turpitudinem, elicit verum actum pœnitentiæ; sed talis actus non se extendit ad omnia lethalia commissa: ergo &c. Respondeo, permitto Anteced. cum sua probatione, & nego Conseq. quia licèt illud peccatum non attingatur ab isto, potest attingi ab aliis pœnitentiæ actibus, quod sufficit, ut sit objectum immediatum pœnitentiæ, ex dictis à n. 153. Unde argumentum nullius est roboris. Dixi autem permitto Anteced. quia si sermo sit de pœnitentia theologicè sumpta ad justificationem impii, & ad valorem Sacramenti requisita, est falsum omninò: nam ille dolor se debet extendere ad omnia commissa nondum condonata, ut latè dicemus infra, & in 2. parte hujus tract. & constat ex Trid. cit. n. 163. de contritione ad valorem Sacramenti requisitâ dicente, esse odium vitæ anteactæ: quod non haberet, si ad ea omnia peccata non se extenderet.

172. Objicies 2. instando simul solutionem ex doctrina P. Arriagæ: Licèt pœnitentia non attingat peccata aliena per omnes suos actus, potest tamen illa attingere per aliquos actus, de eis dolendo, simúlque detestando: atqui hoc non obstante peccata aliena non sunt objectum materiale pœnitentiæ ex dictis n. 160. ergo licèt per aliquos suos actus possit attingere omnia lethalia, quæ à pœnitente possunt committi, non proinde erunt ea omnia peccata objectum materiale pœnitentiæ. Conf. 1. Pœnitentia potest fugere per suos actus ea omnia peccata, in quibus militat eadem ratio sui objecti formalis, nimirum offensæ contra Deum commissæ: sed ista ratio non solùm militat in peccatis propriis, sed etiam in alienis: ergo &c. Conf. 2. Circa peccatum originale proprium pœnitentis, & circa purum reatum pœnæ potest exercere aliquos suos actus: atqui peccatum originale, & purus reatus pœnæ non exinde sunt objectum materiale pœnitentiæ: ergo &c.

173. Resp. dist. Maj. per aliquos actus pœnitentiæ qua talis, nego; per aliquos actus, à quibus non denominatur pœnitentia, conc. Maj. & distincta Min. nego Conseq. Ratio est, quia nulla virtus denominatur pœnitentia à quocumque doloris actu, quem potest elicere circa peccata, sed debet esse circa peccata ab ipso pœnitente commissa, ut constat ex n. 159. Unde dolor circa peccata aliena non est actus pœnitentiæ quà talis, ac proinde peccata aliena non sunt objectum pœnitentiæ qua talis. Sic apud adversarios in Christo, & Deipara non fuit pœnitentia quà talis, & tamen dolebant valdè de peccatis alienis. Hinc ad 1. Conf. dist. Maj. per suos actus, qui omnes sint actus pœnitentiæ qua talis, nego; qui ad hanc, vel ad aliam denominationem diversam pertineant, conc. Maj. & dist. Min. nego Conseq. ut constat ex dictis: Sic ex eodem objecto Justitiæ possunt elici plures actus, quin exinde sint omnes restitutio, neque denominent Justitiam restituentem. Ad 2. Conf. distinctis præmissis ut supra, nego Conf. quia peccatum originale, non est peccatum commissum, neque purus reatus pœnæ est offensa Dei, ut constat ex dictis à n. 159. ac proinde actus circa talia objecta elicìti non sunt actus pœnitentiæ quà talis.

Objicies 3. instando simul solutionem. Peccatum originale est commissum ab Adamo tanquam à capite, adeóque *inest unicuique proprium*, ut definit Trid. sess. 5. in decreto *de peccato Originali*: ergo possumus illud verè retractare non minùs, quàm peccata commissa, ac proinde erit immediatum objectum pœnitentiæ qua talis. Prob. Conf. Quando quis per procuratorem init contractum aliquem, potest postea propriè illum retractare: ergo & nos poterimus retractare peccatum commissum ab Adamo tanquam à capite, sive tanquam à procuratore nostro. Conf. Adultus, qui plura commisit peccata, potest, antequàm baptizetur, elicere veram contritionem, quâ positâ, non solùm remittentur peccata commissa; sed etiam peccatum originale: ergo non solùm peccata commissa, sed etiam peccatum originale erit objectum pœnitentiæ qua talis.

Resp. conc. Antec. & nego Conseq. Ad prob. conc. Antec. & nego Conseq. Ratio est, quia circa actum procuratoris habui ego voluntatem actualem propriam, quâ saltem dedi ei meum nec, & consensi in illius actionem; circa peccatum verò Adami nullam propriam habui voluntatem actualem, adeóque nullus maner locus propriæ retractationi: unde dolendo, & satisfaciendo pro illo, doleo, & satisfacio pro peccato contracto, non verò pro commisso, quod requiritur ad actum, & objectum pœnitentiæ quà talis, ut ex Scripturis, Concilliis, & PP. diximus n. 160. Ad Conf. dist. Antec. potest elicere veram contritionem circa peccata commissa, conc. circa peccatum originale, nego Antec. & Conf. quia positâ ea contritione conferetur gratia remissiva cujuscùmque mortalis tam habitualis, quàm originalis: adeóque tunc originale remitteretur per gratiam obtentam à contritione, non quidem elicita circa ipsum, sed circa peccata commissa. Vide à n. 179.

Objicies quartò contra secundam Assertionem. Si peccata venialia essent objectum materiale pœnitentiæ qua talis, daretur habitus deletivus venialium: sed talis habitus non datur ex dictis à n. 90. ergo &c. Resp. conc. Maj. & nego Min. quia in præsenti Providentia omnes habitus per se infusi sunt deletivi venialium: ad eatus per se infusi sunt deletivi venialium: ad eandem quippe virtutem per se infusam, ad quam attinet trahere ad se suum bonum, spectat etiam pertinet trahere à se oppositum malum, ut constat à n. 5. trahere à se oppositum malum, ut constat à n. 5. cùm autem peccatum veniale sit malum oppositum bono virtutis, exinde potest virtus tendere ad illius deletionem. Ille autem habitus non est

set purè deletivus venialium, ex dictis à n. 90. cùm posset exercere suum munus primarium nullo præsuppositò peccato in subjecto. Quapropter habitus purè deletivus venialium esset supervacaneus in hac Providentia, cùm in specie cujuscumque virtutis detur habitus nobilior præstans effectum, quem ille præstaret, cùm se extendat ad delenda venialia, & impedienda mortalia.

177. Propter hanc rationem docent plures cum Arriaga disp. 4. sect. 3. non solùm in hac Providentia; verùm etiam de potentia absoluta repugnare habitum virtutis purè deletivum venialium, quia tota malitia venialis continetur in mortali, & non è contra: cùm autem ille, qui virtuosè fugit venialia, illa fugiat propter eorum inhonestatem, imperceptibile apparet, quomodò honestè se gerat, si curet fugere inhonestatem, quando sit minor, & non curet eam fugere, si sit major. Qualis enim habitus virtuosus esset, qui nollet furari unum obolum, & tamen non curaret furari centum duplones, ubi tota est turpitudo, quæ in furto unius oboli, & alia incomparabiliter major? aut qui nollet pœnas Purgatorii, & non curaret de pœnis Inferni, ubi sunt illæ, & aliæ tantò majores? Qui nollet dolorem levem pati, & non curaret de gravi, aut qui vellet satisfacere Deo pro exiguis, & non pro majoribus? Sanè virtus pœnitentiæ, etsi non offerat Deo satisfactionem æqualem pro mortalibus, quia non potest, ex se non refugeret æqualem si posset; ac proinde non refugit offerre illam, quæ continetur in sphæra suæ satisfactionis possibilis puræ creaturæ.

178. Objicies tamen quintò instando simul solutionem. Non repugnat, imò de facto datur in hac Providentia Sacramentum Pœnitentiæ per se primariò tendens ad delenda peccata commissa: ergo non repugnat, imò de facto dabitur in hac Providentia habitus pœnitentiæ per se primariò deletivus peccatorum. Retorqueo argum. primò: non repugnat, imò de facto datur in hac Providentia gratia habitualis absque consortio Sacramenti Pœnitentiæ: ergo & absque consortio habitûs Pœnitentiæ. Secundò: non potest dari in hac Providentia Sacramentum Pœnitentiæ sine actu pœnitentis, ergo neque habitus pœnitentiæ. Resp. deinde conc. Anteced. & nego Consequ. Ratio est, quia habitus pœnitentiæ, sicuti & omnes habitus per se infusi in hac providentia radicantur in gratia, adeóque sunt per se in Anima, quandocumque est gratia; cúmque sint ad exercendum suum munus primarium, operando honestè, augendo gratiam, & merendo gloriam; quod per se non requirit, ut anima peccaverit: anima enim non indiget peccato ad operandum honestè augendo gratiam, & merendo gloriam: ea de causa habitus per se infusi non prærequirunt in hac Providentia ad exercendum suum munus primarium, quod in eorum subjecto peccatum præcesserit; at verò Sacramentum Pœnitentiæ non est comes gratiæ, neque datur per se ad augendam, sed ad acquirendam gratiam, cum sit Sacramentum mortuorum; eâque de causa est per se deletivum peccati, cum quo gratia non infunditur. Unde munus suum exercet in peccatore, quod habitus per se infusus exercere non posset ex dictis n. 90. cùm talis habitus non sit habitus mortuorum, sed vivorum.

§. II.

OBjicies sextò contra tertiam Assertionem: Si pœnitentia virtus amplecteretur bona 179.
impeditiva peccati, non solùm esset detestiva peccati, sed etiam non peccati, quod intenderet fugere per ea bona: sed hoc repugnat ex dictis à num. 161. ergo &c. Probatur Maj. pœnitentia quà talis amplecteretur ea bona, non solùm ad impediendum peccatum actuale, quod pœnitens posset committere, sed etiam ad detestandum habituale, quod habet: posset enim talis actus elici à spe, quæ remanet in peccatore; vel si pertineret ad alias virtutes, posset elici ab Omnipotentia loco earum extrinsecè applicata ex dictis num. 94. atqui in eo casu non solùm detestaretur peccatum, sed etiam non peccatum: ergo &c. Prob. Min. peccatum habituale contradistinctum ab actuali non solùm dicit peccatum commissum, sed etiam carentiam destructionis moralis illius, quæ non est peccatum: ergo detestando peccatum habituale, detestaretur peccatum, & non peccatum. Conf. primò: Pœnitentia quà talis dolere potest de peccato remisso; sed peccatum remissum supra peccatum actuale addit Divinam condonationem, quæ non est peccatum: ergo &c. Conf. secundò: Pœnitentia quà talis dolere potest de eo, quod non apposuerit impedimentum peccati, ut sic peccatum non commiserit: sed impedimentum peccati non est peccatum: ergo &c.

Resp. nego Maj. ad prob. dist. Maj. Sed et- 180.
iam ad detestandum habituale secundùm totum concretum peccati habitualis, nego; secundùm offensam Dei, quæ includitur in illo concreto, conc. Maj. & dist. Min. nego Consequ. Ad prob. dist. Antec. Sed etiam carentiam destructionis tanquam constitutivum offensæ, nego, tanquam constitutivum concreti coalescentis ex offensâ, & carentiâ destructionis, conc. Antecedens, & nego Consequ. ex dictis n. 158. Ad primam Conf. dist. eodem modo Maj. de peccato remisso, secundùm adæquatam rationem constitutivam hujus concreti *peccatum remissum*, nego; secundùm rationem offensæ Dei, quæ in illo concreto continetur, conc. Maj. & dist. Min. nego Consequ. ut ex eodem numero constat. Ad secundam Confirmationem dist. Maj. de eo, quod non apposuerit impedimentum, prout non apposuisse impedimentum significat apposuisse peccatum, concedo; prout præscindit, aut excludit positionem peccati, nego Maj. & concessâ Min. nego Consequ. quia pœnitentia non dolet de impedimento peccati, sed potiùs de peccato, quod est impedimentum sui impedimenti.

Ex

Ex quo si benè perpendatur Syllogismus appositus, constat quatuor terminis, nam in majori sunt pœnitentia, & non appositio impedimenti peccati; in minori sunt peccatum, & impedimentum peccati: Cùm autem impedimentum peccati, & non appositio impedimenti sint duo termini contradictoriè distincti; adsunt duo termini in majori, & alii duo in minori, ac proindè & quatuor in syllogismo.

181. Objicies septimò contra 4. Concl. Si unaquæque virtus universalis voluntatis eliceret actum pœnitentiæ ex objecto formali distincto ab aliis virtutibus, unaquæque ex illis esset pœnitentia specialis: atqui unaquæque ex illis non est pœnitentia specialis, sed sola Justitia ex dictis num. 76. ergo &c. Resp. dist. Maj. esset pœnitentia specialis, sumptâ pœnitentiâ specialis pro specie virtutis potentis elicere actum pœnitentiæ, concedo; sumptâ in restrictione Scholastica, nego Maj. & dist. Min. nego Consequ. Ratio est, quia ex eo quòd unaquæque virtus universalis voluntatis possit elicere verum actum pœnitentiæ theologicè sumptum, unaquæque illarum est vera species virtutis potentis elicere actum pœnitentiæ; adeóque in hoc sensu erit pœnitentia specialis. Cæterùm in præsenti non agimus de pœnitentia speciali in hoc sensu, sed in restrictione scholastica, ex qua uni virtuti præ aliis nomen hoc quasi per Antonomasiam in scholis tribuitur, ut habet Exim. Doct. disp. V. art. 1. num. 1. Hujus autem restrictionis sensum accipere debent Theologi à theologiæ principibus, uti nos accipimus à D. Thom. num. 76. illiusquè commentatoribus cum Exim. Doct. nec licèt unicuique pro cerebro suo illam confingere, sicuti restrictionem rationalis philosophicè sumpti sumimus à principibus Philosophiæ ex dictis n. 65.

182. Objicies 8. contra quintam Conclusionem. Virtus specialis pœnitentiæ talis est ex objecto formali, ut possit veros pœnitentiæ actus elicere circa peccata remissa; atqui si haberet pro objecto formali honestatem compensativam Divini juris, non posset circa peccata remissa elicere verum actum pœnitentiæ: ergo &c. Maj. patet, quia peccata remissa sunt materia sufficiens Sacramento pœnitentiæ ex num. 54. Min. verò prob. Ea pœnitentiæ virtus non potest talem actum elicere in peccatore, cùm in illo non maneat; deinde neque in justo, cùm in illo offensa sit jam remissa, & condonata: ergo &c. Confirmatur. Justitia non potest suum actum exercere, nisi quando datur Jus exigens satisfactionem: etenim si debeo quatuor Petro, postquàm illa quatuor ei restitui, vel postquàm ipse condonavit, & juri suo cessit, jam non possum ex justitia solvere, licèt possim ex gratitudine, aut alio simili titulo: atqui virtus, quæ habet pro objecto formali compensationem divini juris est justitia, ut constat à num. 76. ergo quando offensa est condonata, jam non possum compensare ex justitia, licèt possim ex gratitudine, ac proinde in justo, in quo est offensa condonata, non potest justitia verum actum pœnitentiæ elicere.

Respond. conc. Maj. & nego Min. Ad probationem nego secundam partem Antec. Ratio est, quia ut specialis pœnitentia virtus eliciat in justo verum pœnitentiæ actum, solùm requiritur, quòd eliciat actum doloris detestativi peccatorum, quæ commissa, & condonata fuerunt cum proposito non peccandi de cætero, & quod talis actus ex motivo compensationis divinioris procedat, non quidem ad compensandum reparativè divinum jus efficaciter, & effectivè, cùm in justo jam sit ita compensatum: reparativa enim compensatio, quæ fit per actum justitiæ, solùm dicitur pertinere ad justitiam, quatenùs habet objectum formale justitiæ; effectivè verò procedit, vel ab auxiliis divinæ gratiæ, vel ab omnipotentia extrinsecè applicata, ut diximus n. 94. In justo autem solùm requiritur actus compensationis præservativæ, qui non effectivè, sed affectivè solùm est reparativus: cùm autem justus ex eo, quòd offendam contra Deum commiserit, & reus factus fuerit compensationis, pro tali offensa verè possit detestativè dolere de tali offensa, quam commisit, eo quòd reus factus fuerit eam compensandi Dei, ut constat ex num. 53. & 54. quod quidem est motivum justitiæ inter Deum & homines intercedentis; exinde potest concipere in actu pœnitentiæ ex motivo justitiæ formalitàres doloris & detestationis. Insuper proposito non peccandi de cætero elici etiam potest ex motivo compensandi in posterum jus divinum, scilicet præservativè: unde quidquid ad actum veræ pœnitentiæ in justo requiritur, manifestè procederet tunc ex motivo justitiæ.

Quod adhuc evenire potest in humanis; Petrus enim, qui furatus est centum à Francisco, & sic contra justitiam peccavit, licèt Franciscus condonet furtum, potest verè detestative dolere de eo, quòd furtum commiserit, & justitiam violaverit, sive reus factus fuerit compensationis juris Francisci ab ipso Petro læsi, proponendo ex motivo justitiæ nunquam jus illud lædere in posterum, sive non se facere reum iterum talis compensationis; qui quidem actus, etiam si sit reparativa solutio efficax effectivè, cum jam offensa sit omninò soluta, ut supponimus, est formaliter efficax affectivè, & formaliter incompossibilis cum læsione effectiva talis juris in posterum, quod ad nullam aliam virtutem pertinet, nisi ad justitiam. Hinc ad Confirmat. distin. Maj. non possum reparativè ex justitia solvere efficaciter effectivè, conc. affectivè, sive efficaciter præservativè, nego Maj. & dist. Min. nego Consequentiam quia ut ille actus esset gratitudinis, debebat procedere ex motivo beneficii accepti, non quidem ex motivo compensativæ honestatis juris, sicuti procederet actus iste, de quo loquimur.

Objicies nono: mutando tamen solutionem.

Si autem

Si actus pœnitentiæ compenſationis reparativæ in peccatore, & præſervativæ compenſationis in juſto, eò quòd ex tali motivo procederet, eſſet actus juſtitiæ; actus juſtitiæ quà talis eſſet theologicus: ſed hoc eſt falſum ex dictis: ergo &c. Probatur Maj. ex motivo compenſationis reparativæ poteſt peccator velle ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ, quatenus reparativè compenſativum juris divini læſi per offenſam, & juſtus Sacramentum Euchariſtiæ, & alia Sacramenta, quatenus ſunt præſervativè compenſativa: ſed tales actus eſſent theologici, utpote attingentes divinitatem, vel hypoſtaticè unitam cum corpore, & Sanguine Chriſti in Euchariſtia, ut in eo tract. diximus cum Trid. num. 39. vel moraliter cum actionibus Chriſti meritoriis, ex quibus habent impetrationis valorem omnia Sacramenta: ergo &c.

186. Reſp. nego Maj. ad probationem diſt. Maj. velle ſuſcipere Sacramentum, ut Deo bonum, nego; ut bonum juſto, aut peccatori pœnitenti, conc. & diſtinct. Min. nego Conſequentiam. Ratio eſt, quia volens Sacramenta, ut pœnitenti bona, non habet pro objecto formali ultimato aliquid divinum, ac proinde talis volitio non eſt actus virtutis Theologicæ, ex dictis à numer. 95. Imò Sacramenta ut pœnitenti bona menſurantur ad menſuram valoris, qui juxta Chriſti inſtitutionem pœnitenti applicatur: Cùm autem iſta applicatio non ſit ſimpliciter infinita, adeóque neque ſit prædicatum divinum, actus pœnitentiæ ſpecialis nunquam reſpicit in Sacramentis pro objecto ſuo formali prædicatum divinum. Quòd autem illud prædicatum divinum ſit obliquum illius objecti formalis, non ſufficit ad ſpecificandum actum Theologicum, ut conſtat ex numer. 98. Sacramenta verò formaliter, & conſtitutivè ſumpta dicunt rem inſtituram, & inſtitutionem, quæ non ſunt aliquid divinum, etſi per unionem Phyſicam, aut moralem afferant divinitatem. Sicuti res prohibita non eſt prohibitio, neque res præcepta eſt præceptum, ut conſtat ex n. 41. & 56. Exinde

187. Fit primò: Virtutem pœnitentiæ non denominari pœnitentiam niſi per verum actum pœnitentiæ, ſicuti intellectus non denominatur intelligens, niſi per verum actum intellectionis. Unde ſicut virtus ad intelligendum non eſt ſufficiens, ut homò præcisè per illam denominetur intelligens, ita virtus elicitiva actûs pœnitentiæ non eſt ſufficiens, ut homo præcisè per illam denominetur pœnitens. Quapropter virtus illa in Chriſto, Deipara, & Innocentibus, cùm non poſſet elicere actum doloris de peccato commiſſo, neque erat, neque denominabatur pœnitentia, adeóque non denominabat pœnitentem voluntatem, cui inerat, ut ſequenti diſputatione dicemus: denominabat autem ſecundùm rationem abſolutam virtutis, quam participabat, ſive charitatis, ſive juſtitiæ &c. Ratio eſt, quia iſta denominatio habetur ex objecto formali, quòd ex intrinſecis ſuis reſpicit unaquæque virtus, ita ut absque tali objecto formali exerceri non valeat, ut charitas, quæ exerceri non poteſt, niſi ex objecto formali bonitatis divinæ, idémque ſuo modo de aliis, licèt poſſit ex ſuo primario munere exerceri, quin eliciat actum dolentem de peccato, adeóque quin ſit pœnitentia, ea quipè virtus à tali actu denominatur pœnitentia, ut ex dictis conſtat. Imò ſi fugiat pœnam, non quidem ut debitam propter culpam commiſſam, ſed propter purum reatum pœnæ; non exindè denominabitur pœnitentia, ut conſtat ex num.

Fit ſecundò: quòd ſi Deus in alia Providentia ad compenſationem peccati deſtinaſſet non quidem dolorem, ſed alia objecta diſtincta, adhuc poſſet virtus juſtitiæ propter honeſtatem compenſationis ea objecta amplecti, ab eorúmque amplexione denominari pœnitentia.

* * *

DISPUTATIO IV.

DE EFFICACIA, SUBJECTO, ET PRAXI PŒNITENTIÆ.

188. CErtum eſt, nullum peccatum etiam poſt Baptiſmum commiſſum poſſe eſſe ita grave, ut ſuper & infinitam Dei miſericordiam cùm hæc major ſit gravitate, & numero quorumcumque peccatorum, qua de cauſa ut Blaſphema reputantur illa Caini verba Gen. 4. *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Cæterùm ut refert Author de vera, & falſa pœnitentia apud Aug. tom. 4. cap. 5. non defuerunt Hæretici, qui dicerent, in hac divina Providentia non eſſe omnia peccata remiſſibilia, ſaltem ea, quæ poſt Baptiſmum ritè ſuſceptum committuntur. Qui quidem error tribui ſolet Novato. Alii dixerunt aliqua peccata eſſe remiſſibilia, non verò omnia, idque ſolùm ſemel poſt Baptiſmum; qui quidem error attribui ſolet Novatianis, ſive Novati diſcipulis. Eorum fundamenta nituntur variis ſcripturæ, & SS. DD. teſtimoniis in pravum ſenſum detortis, ex quibus inferebant, neque pœnitentiam perfectam charitate formatam extra Sacramentum, neque attritionem unà cum Sacramento ſufficientem eſſe ad ea peccata delenda: ac proinde dicebant, fruſtra homines agere pro illis peccatis pœniten-

nitentiam. Pro istorum errorum impugnatione sit.

SECTIO I.

An omnia peccata deleri possint per pœnitentiam.

§. I.

189. SUppono primò: voces aliquando in scriptura non significare secundùm verborum corticem, sed secundùm sensum, quem in communi loquendi modo habent apud homines; eáque de causâ cùm apud homines vocari soleat impossibile, quod est difficillimum, & rarò evenit; tum etiam vocari soleat impotentia ea, quæ est consequens, præsertim conjuncta cum magna difficultate simpliciter antecedenti; exinde impossibile, & impotentia solent in ista significatione aliquando usurpari in scriptura. Sic ut unum ex multis proponamus exemplum clarum: Sap. 12. v. 10. de perversitate Chananæorum dicitur: *quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum:* cùm tamen infrà in eodem cap. v. 20. dicatur: *Deus illos puniviſſe dans tempus, & locum, per quem poſſent mutari à malitia.* Exinde

190. Suppono secundò, quòd apud homies dici soleat etiam pœnitens, qui retractat factum, ex quocùmque motivo id faciat. Quapropter etiam aliquando pœnitentia significari solet juxta hunc sensum in scriptura, nimirum grammaticaliter, & non Theologicè sumpta, de qua loquimur, ut constat ex n. 2. Talis fuit pœnitentia Caini, & Judæ minimè ordinata ad veniæ consecutionem, sed elicita cum desperatione veniæ: tum etiam pœnitentia Antiochi dolentis de peccatis ex fine inutili, sicut & pœnitentia Esau dolentis similiter de amissa benedictione paterna, ut cum D. Th. dicemus n. 203. licèt enim Deus aliquando peccatori non det locum pœnitentiæ, ut patet in illis, qui in ipso actu mortaliter peccandi moriuntur, vel in perpetuam amentiam incidunt, tamen dedit eis auxilia, quibus possent impedire peccata, simúlque omnes Viatores sui compotes habent parata auxilia, quibus à peccatis anteà commissis per veram pœnitentiam possint resurgere, juxta illud Apoc. 3. *ego ſto ad oſtium, & pulſo,* & Matth. 11. *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, ut latiùs dicemus à n. 195. His positis

191. Assero cum omnibus Catholicis: Pœnitentia perfecta, sive sumpta pro actu perfectæ contritionis extra Sacramentum, sive pro ipso Pœnitentiæ Sacramento, sufficiens est, ut peccatori justificationis gratia conferatur, adeóque ut remittantur peccata, quin peccatorum numerus, vel qualitas obsit, quamvis post aliam pœnitentiam perfectam peccator sæpiùs lapsus fuerit. Probatur primò ex Sacra Scriptura: Deus perfectè pœnitentibus promisit remissionem peccatorum absque ulla limitatione, sive peccata sint pauciora, sive plura; sive post pœnitentiam, sive ante illam commissa: ergo perfecta pœnitentia sufficiens est, ut gratia justificans conferatur, & ea omnia peccata remittantur; aliter divina promissio non esset vera, quod est Blasphemum. Probatur antecedens ex Joelis 2. ubi dicitur: *benignus est Deus, & misericors, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia;* Isaiæ 59. *non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat, neque eſt aggravata auris, ut non exaudiat:* Et quibus Apost. ad Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* atqui misericordia Dei non promitteretur præstabilis super malitia, & parata ad exaudiendum pœnitentem, si vera pœnitentia sufficiens non esset, ut justificationis gratia ei conferretur, & peccata remitterentur: ergo &c.

Confirmatur primò ex Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non magis ut convertatur, & vivat.* Et Matth. 18. *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque ſepties? non dico tibi usque ſepties, ſed usque ſeptuagies ſepties*, ubi ex vulgari, & communi modo loquendi ponitur numerus finitus pro infinito, ut significetur pluries, & pluries in infinitum, ut ex SS. PP. habet Author de vera, & falsa pœnitentia apud Aug. cap. 5. ergo &c. Confirmatur secundò: magis abundat gratia in lege Evangelica, quàm in lege veteri: sed in veteri Deus erat semper paratus ad quæcumque peccata remittenda perfectè pœnitentibus, ut constat ex multis adductis, & ex illo Ezech. 33. *Si impius egerit pœnitentiam vitâ vivet, & non morietur:* ergo &c.

Probatur secundò ex Conciliis: Lateranense enim, ut habetur cap. firmiter de summa Trinitate sic habet: *Si quis prolapſus fuerit in peccatum post Baptiſmum, poteſt ſemper per pœnitentiam reparari.* Florentinum in decreto Eugenii. *Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam ſpecialiter ſanamur.* Trid. sess. 14. de pœnitentia, canone 1. *Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe vere, & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, &c. Chriſto Domino noſtro inſtitutum, anathema ſit.* Quod idem suo modo est de perfecta contritione extra Sacramentum, ut constat ex eodem Trid. sess. 14. c. 4. dicente: *Docet præterea, etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare priùs quam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur:* ergo &c.

Probatur tertiò ex SS. PP. Author enim de vera, & falsa pœnitentia apud Augustinum tom. 4. cap. 1. ita habet: *Tua isaque trado dilectioni quidquid de pœnitentia ſentio, auctoritate Pſ. 31. Illuſtratione Sancti Spiritûs, &c. c. 2. nullum prorſus tum poterit remanere ante pœnitentiam, &c. c. 3. ille animi ſolus diffidat, qui tantùm peccare poſſit, quantùm Deus bonus eſt.* Pariter S. Leo ser. de Epiph. *dum in hoc corpore vivitur, nullus deſperanda eſt reparatio, omnium eſt operanda correctio, auxiliante illo, qui erigit elisos, ſolvit compeditos, illuminat cæcos,*

Vide alia plura testimonia apud Eximium Doctorem disp. 8. sect. 1. & apud Bellarm. lib. 2. de gratia, & libero arbitrio cap. 5. tum etiam sacros Expositores ad illa Christi Domini verba, Matth. 9. *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus: euntes autem dicite, quid est: misericordiam volo, & non Sacrificium: non enim veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Ex dictis.

§. II.

195. FIt primò: quemcùmque viatorem sui compotem peccaturum mortaliter, si desperet de venia, cum semper habeat gratiam sufficientem, ut pœnitere possit, & Deus paratus sit ad eum recipiendum, ex testimoniis relatis. Sic super illa verba Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur:* & 33. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii*, advertit Hieron. dicta esse ad tollendam desperationem, quia Deus ex se semper est paratus ad vitam præstandam. Sic Greg. lib. 17. *Moral.* c. 4. *quisquis delinquit, & vivit, idcirco hunc divina dispensatio in æquanimitate tolerat, ut ab iniquitate compescat.* Idem latè tradunt Epiphanius hæresi 59. Leo Papa Epist. 9. Fulg. Epist. 7. & Prosper ad objectiones Vincentianas responsione 25. dicens: *nemini Deus correctioni adimit vitam, neque quemquam boni possibilitate spoliat*, quæ inferunt ex 11. & 12. sapientiæ, ubi de Deo dicitur: *dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam:* Sic Cyp. lib. 4. ep. 2. ad Demetrianum: *Quando istinc excessum fuerit, jam non erit locus pœnitentiæ, hic vita, aut amittitur, aut tenetur, neque quisquam, aut peccatis retardatur, aut annis:* Sic lib. de prædestinatione, & gratia cap. 14. sub nomine Aug. dicitur: *si piè de Deo sentiamus, etiam Pharaoni non denegavit misericordiam suam.*

196. Fit secundò: in hac vita nunquam cessare respectu viatoris sui compotis præceptum pœnitendi, & præceptum etiam sperandi, ac proinde repugnare in hac Providentia totalem privationem auxilii sufficientis peccatori sui compoti. Ex quo clara patet disparitas ad casum peccatoris à tempore peccati usque ad mortem amentis, cùm ille, neque præceptis, neque prohibitionibus obligetur; sicuti obligatur, qui est sui compos: etenim in homine sui compote tota certitudo nostræ spei labefactaretur: nam juxta adversarios formidare posset peccator, ne justo Dei judicio privatus esset auxiliis sufficientibus ad pœnitendum. Quapropter D. Thom. adeò veram censet doctrinam nostræ illationis, ut quæst. 86. art. 1. ita habeat: *Unde dicere, quòd aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est. Primò, quia, per hoc tolleretur libertas arbitrii: secundò, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri potest cor cujuscùmque peccatoris ad pœnitendum, secundùm illud Proverb. 21. Cor Regis in manu Dei, & quocùmque voluerit, vertet illud.* Cæterùm Exim. Doct. licèt contrariam sententiam falsam judicet disputatione 8. sect. 2. non audet illam censurâ inurere, cùm eam defendant Henricus, Abulensis, Medina, & plures alii Catholici, quorum, & Hæreticorum fundamenta sequenti sectione dissolvemus. Exindè

Fit tertiò: quod licèt non semper Deus actu 197.
det gratiam, ut quando homo dormit, & sic de aliis eventibus; at non habet ullum decretum absolutum, quo statuat non dare ampliùs gratiam sufficientem, quidquid homo operetur, vel quomodòcunque causæ secundæ illam postulent, aut requirant: de hoc enim modo denegandi gratiam sufficientem propter peccata commissa est tota præsens controversia. Unde non solùm Sacramentum Pœnitentiæ est utiliter iterabile, sed etiam actus veræ pœnitentiæ, ad quem ex parte Dei parata sunt auxilia. Illa verò controversia, in qua quæritur, quomodo Deus parata habeat auxilia pro omnibus ex parte sui, tam adultis, quàm parvulis, tam fidelibus, quàm infidelibus, spectat ad tract. *de Providentia*, ubi cum Exim. Doct. communiter dicitur, Deum omnibus adultis conferre gratiam excitantem, quia si homo habet fidem, potest orare cum communi auxilio gratiæ: oratio autem, si cum debitis circumstantiis fiat, habet promissionem certam in ordine ad ea, quæ necessaria sunt ad salutem ex illo Matth. 7. *petite, & dabitur vobis.* Si verò homo non habeat fidem, vel ille audivit aliquid de fide, vel non? si audivit: habuit auxilium excitans, nam cum illo auditu semper est conjuncta aliqua interiòr excitatio gratiæ, & tunc si non adhibeat diligentiam, ut ad fidem perveniat, per ipsum stabit. Si verò nihil audivit de fide, recipiet saltem aliquam motionem gratiæ, per quam ad emendationem vitæ, vel abjectionem errorum aliquomodo inducatur, cui si benè cooperetur, majorem recipiet, si autem restiterit, liberum erit Deo, vel ultra progredi, vel ibi sistere: tunc enim cùm Deus habeat parata auxilia, si homo correspondeat, non minùs quàm Medicus, qui haberet contra omnes infirmitates parata medicamenta, si ægrotus vellet; jam non per Deum, sed per ipsum hominem stabit, juxta illud Oseæ 13. *perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Pariter respectu infantium infidelium (idem suo modo fidelium) qui ante rationis usum moriuntur, confert Deus auxilia, vel parentibus, vel aliis, ut possint impedire causas secundas inductivas mortis infantis, ut pervenire posset ad statum, in quo parata à Deo auxilia reciperet, vel ut parentes, aut alii pervenissent ad fidem, & sic remedium Baptismi pro illis haberent. In quo stat mirabilis illa divinæ Providentiæ ordinatio, quâ de Deo verè dicitur primâ ad Tim. 2. *omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

* * *

SECTIO II.

Solvuntur Oppositа.

§. I.

198. OBjicies primò. In hac Providentia sunt aliqua peccata irremissibilia: ergo non possunt remitti omnia per Pœnitentiam. Prob. Antec. ex Paulo *ad Hebr.* 6. dicente: *impossibile enim est, illos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti, gustaverunt nihilominùs bonum Dei Verbum, virtutèsque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*: ergo &c. Confirmatur primò ex eodem Paulo *ad Hebr.* 10. *Voluntariè autem peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis; jam non relinquitur pro peccatis Hostia*: ergo &c. Confirm. 2. ex Amos 1. ubi ait Deus: *Super tribus sceleribus Damasci, & super quartum non convertam eum.* Quam sententiam hoc, & sequenti cap. contra alios sæpè repetit: ergo &c. Confirm. 3. ex August. lib. 1. *de Ser. Domini* in Monte versùs finem dicente: *tantam esse labem illius peccati, quo post agnitionem Dei per gratiam, fraternitas, & ipsa gratia, agitantibus invidiæ facibus, oppugnatur, ut deprecandi humilitatem subire non possit.* Confirmatur quartò ex Isidoro cap. 5. de summo bono: *Nonnulli ita à Deo despiciuntur, ut deplorare sua mala non possint.* ergo

199. Resp. nego antecedens. Ad prob. nego Cons. quia Paulus in illo loco agit de pœnitentia, quæ non se solâ, sed cum baptismo peccatum remittit: agit enim verè, & propriè de Baptismo: baptismus autem est animæ renovatio, quâ nova efficitur creatura, ut constat ex n. 42. de Baptismo, & habet idem Paulus ad Titum 3. dicens. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Docet ergo in eo testimonio Apostolus, lapsum post Baptismum non posse iterum per Baptismum renovari, quia Baptismus non est Sacramentum, & lavacrum iterabile, sicuti sæpè iterabantur lavacra quædam purgatoria veteris legis, ad instar quorum volebant Hebræi Baptismum Christi esse iterabilem. Hæc enim est vera, & germana hujus loci interpretatio. Sic apud Aug. Author de vera, & falsa pœnitentia cap. 3. vocat excæcatos illos Hæreticos, qui hoc Pauli testimonio abutebantur, dicentes, non manere pœnitentiæ locum iis, qui post Baptismum lapsi fuerint, contra quos sic ingeniosè insurgit: *Sed si superbia eos non excæcâsset, viderent Apostolum non ita esse destructorem sui laboris, atque sui gaudii: quos enim per Epistolas correxit, nisi qui post Baptismum ceciderant, & in peccato perseverabant? si non possent renovari per pœnitentiam, cur prædicaret eam? Præterea Corinthum revocat post Baptismum peccantem, & fornicationem gentium superantem. Quomodò præciperet pœnitentiam, si sic contra suum prædicaret præceptum? sed de Baptismo hoc intelligendum est: nam qui lapsi sunt per iteratum Baptismum consequi veniam poterunt.* Hinc

Ad primam Conf. nego Consequen. quia cùm ibi agat Apostolus de Baptismo, qui iterari non potest, non manet hostia, sive expiatio pro alium Baptismum illis, qui post Baptismum lapsi sunt. Quasi diceret, ait Chrysostomus Hom. 10. in ep. ad Hebr. *Non relinquitur peccatum alius Christus, cui per Baptismum conjungerentur.* Ad secundam Confirmationem, nego Cons. quia in eo textu non loquitur Deus de pœna æterna, sed de temporali, quam etiam pœnitentibus non semper remittit. Significat ergo Deus per illa verba, quòd licèt remittat pœnam temporalem devastationis debitæ pro ceteris primis sceleribus Damasci, nolebat remittere pœnam devastationis debitæ quarto sceleri, sed volebat Damascum devastari ab hostibus. Quinimò si loquatur de peccato, ait Hieron. facilè intelligitur de peccato impœnitentiæ finalis, à quo pro culpa sua non recederent, cùm possent.

Ad tertiam Confirmationem nego Cons. quia non agit ibi de non posse, sive de impœnitentia absoluta antecedente, sed de impœnitentia sequenti conjuncta cum magna antecedente difficultate, quæ ex dictis n. 189. vocari solet impœnitentia. Hæc est expressa D. Thom. expositio quæst. 86. art. 1. ad secundum dicentis: *ad secundum dicendum, quòd illud verbum sic intelligendum est: tanta est labes illius peccati, ut deprecandi humilitatem subire non possit, scilicet de facili, secundùm quòd illud dicitur non posse sanari, quod non potest de facili sanari.* Ad quartam Confirmationem, nego Consequ. quia dorus, ut ex ipso contextu constat, non intelligit, non posse absolutè, sed non posse facilè, ut de Augustino cum D. Thom. diximus.

Objicies secundò: si peccata omnia essent remissibilia, Deus sæpè exaudiret orationes verè pœnitentis pro se ipso, aut sanctorum pro eo, sed aliquandò has orationes Deus non exaudit: ergo, &c. Prob. Min. ex Hieremiæ 7. ubi Deus ait: *Tu autem noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, quoniam non exaudiam te.* Tum etiam ex Mach. 9. de Antiocho dicitur: *orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Tandem ex 12. ad Hebr. ubi dicitur de Esau: *non enim invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrymis inquisisset eam*: ergo &c. Respondeo dist. Maj. exaudiret orationes, in ordine ad omnes fines, quos intendit, qui orat ordine ad omnes fines, quos intendit, qui orat ergo, in ordine ad remittendum peccatum verè pœnitenti, conc. Major. & dist. Min. nego Conseq. Ad prob. nego Conseq.

Ratio est, quia Deus non exaudit semper orationem, in ordine ad remittendam pœnam temporalem, & in hoc sensu intelligitur locus citatus ex Hieremia; unde perperam ex illo probatur esse peccatum aliquod irremissibile: orantur

nes autem Antiochi, & Esau non exaudivit Deus, quia illi non otabant cum vera pœnitentia, ut habet D. Thom. loco citato num. superiori dicens: *Ad primum ergo dicendum, quòd Esau non verè pœnituit, quod patet ex hoc, quod dixit: venient dies luctûs Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Similiter enim neque Antiochus verè pœnituit, dolebat enim de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.

204. Objicies tertiò: Matth. 12. dicitur de blasphemia contra Spiritum Sanctum: *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro,* & 1. Jo. 5. *est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*: ergo talia peccata sunt irremissibilia. Confirmatur primò ex Act. 8. ubi Simoni Mago dicitur: *pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*: atqui ly *fortè* significat, quòd illud peccatum potest esse ex irremissibilibus: ergo &c. Confirmatur secundò ex Amb. lib. 2. de pœnit. cap. 10. dicente: *Reperiuntur qui sæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo*: ergo &c.

205. Resp. nego Conseq. quia si per peccatum contra Spiritum Sanctum, & per peccatum ad mortem intelligatur peccatum impœnitentiæ finalis, in quo homo moritur, ut sentit Augustinus, nec dissentit D. Th. planum est, illud peccatum, neque in hoc sæculo, neque in alio remitti; non quidem in hoc sæculo, quia peccator noluit agere pœnitentiam, quam potuit agere ante mortem; non in alio sæculo, quia post mortem jam non est amplius pœnitentiæ locus; unde non significatur peccatum irremissibile, sed peccatum, quod erat remissibile, & post mortem nunquam remittetur: neque oportet orare pro tali peccatore, sive potiùs damnato. Quam expositionem de peccato ad mortem amplectitur Exim. Doct. disp. 8. sect. 1. cum magno censu SS. PP.

206. Si verò intelligantur peccata perpetrata ex magna malitia, quibus dæmoni tribuuntur illa opera facta ex gratia veram fidem comprobantia, & quæ debebant Spiritui Sancto tribui, adeóque contra Spiritum Sanctum commissa dicuntur, cui opera gratiæ tribuuntur, tunc non *remitti*, non significat *absolutè*, sed significat non *remitti de facili*, juxta phrasim scripturæ cit. n. 189. quæ est expositio D. Thom. ubi supra sic dicentis. *Ad tertium dicendum, quòd illud verbum, vel Blasphemia contra Spiritum Sanctum est finalis impœnitentia, ut Aug. dicit in lib. de Verbis Domini tom. 10. quæ pœnitus irremissibilis est, quia post finem hujus vitæ non est remissio peccatorum. Vel si intelligatur per blasphemiam Spiritûs Sancti peccatum, quod fit ex certa malitia, vel etiam ipsa Blasphemia Spiritûs Sancti, dicitur non remitti, scilicet de facili, quia tale peccatum non habet in se causam excusationis; vel quia pro tali peccato punitur aliquis, & in hoc sæculo, & in futuro.*

207. Ad primam Confirmationem conc. Maj. & nego Min. quia, ut ait Ambr. lib. 2. de pœnitentia, per ly *fortè* non significatur impotentia, sed difficultas juxta phrasim scripturæ. Sic Hieremiæ 26. ait Deus: *noli subtrahere verbum, si fortè audiant, & convertantur unusquisque à via sua mala*; & Ezech. 3. *Et dixit ad me: fili hominis omnes sermones meos, quos loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi, & vade, ingredere ad transmigrationem ad filios populi tui; & loquêris ad eos, & dies eis: hæc dicit Dominus Deus; si fortè audiant, & quiescant*; ubi ly *fortè* non significat conjecturalem scientiam, utpote Deo repugnantem, sed difficultatem, quam Deus optimè cognoscebat. Ad secundam Confirmationem nego Consequ. quia Ambros. in eo tractatu non loquitur de pœnitentia interna theologicè sumpta, sed de externa, & solemni; quæ ex consuetudine Ecclesiæ non iterabatur, & erat una, sicut Baptismus est unus. Sic D. Th. quæst. 84. art. 10. *Ad secundum dicendum, quòd Ambrosius loquitur de pœnitentia solemni, quæ in Ecclesia non iterâtur.*

§. II.

208. OBjicies quartò: Miracula, quibus Dominus infirmitates corporales sanavit, significant sanationes spiritualium infirmitatum, quibus homines liberantur à peccatis; sed non legitur, quòd Dominus aliquem cæcum bis illuminaverit, vel quod aliquem leprosum bis muudaverit, aut aliquem mortuum bis suscitaverit: ergo illi, qui semel per Baptismum liberati sunt à Christo, non possunt in hac Providentia ulteriùs liberari; ac proinde eorum peccata erunt irremissibilia. Confirmatur primò ex Greg. cit. num. 17. *Pœnitentia est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpettare*: ergo si aliquis verè pœniteat, non iterum peccat; ac proindè post primam veram pœnitentiam non dantur peccata iterum remissibilia. Confirmatur secundò ex Isid. lib. de summo bono cap. 16. ut habetur de pœnitentia dist. 3. cap. irrisor. *irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet*: ergo &c. Confirmatur tertiò ex Ambr. ser. 8. in Ps. 118. ut habetur 23. quæst. 4. *facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi*; atqui si peccatis semel remissis, possent nova peccata iterum remitti per pœnitentiam, Deus concedens facilè veniam præberet incentivum delinquendi: ergo &c.

209. Resp. dist. Maj. significant sanationes spiritualium infirmitatum, sumptâ significatione præcisè ex effectu sanitatis, nego; ex virtute Medici sanantis, concedo Maj. & concessâ Min. nego Consequ. Ratio est, quia significatio non solùm provenit ab illis effectibus factis: quamvis enim Christus non sanâsset omnes mortuos, qui erant in mundo, sed paucos, nimirum filiam Jairi, filium Viduæ, & Lazarum, exindè non solùm extenditur pœnitentia ad resuscitandos solùm tres peccatores, sed ad omnes, qui eam verè facere volunt, ut vel ipsi Hæretici fatentur: aliter non ad omnes, sed ad solos tres Hæreticos posset inter omnes extendi pœnitentiæ virtus. Sic

etiam licèt unumquemque ex illis solùm semel suscita verit Christus, non solùm extenditur pœnitentia ad suscitandum semel Pœnitentem, sed ad suscitandum, quotiescùmque verè pœnitere voluerit: sumitur enim significatio à virtute Medici, quæ non solùm ad semel, sed ad multoties suscitandum est potens. Sic Author de vera, & falsa pœnitentia cap. 5. & cum illo D. Thom. quæst. 84. art. 10. dicit: *sed qualis hic esset Medicus, qui malum iteratum nesciret curare? Medicorum est centies infirmum centies curare: qui cæteris minor esset, si aliis possibilia ignoraret.*

210. Ad primam Confirmationem, nego Conseq. quia ad actum pœnitentiæ solùm requiritur, quòd ipso permanente non detur peccatum in anima, neque cum illo possit componi. Cæterùm cùm voluntas, utpote libera, possit illum actum retractare, exindè potest peccare, postquàm elicuerat veram pœnitentiam. Hinc ad secundam Confirmationem, dist. Antec. est irrisor, si adhuc peccat, dum dicit, se pœnitere, concedo Antecedens; si peccat postea, quando retractavit actum elicitum pœnitentiæ, nego Antec. & Conseq. Neque alia est mens SS. Gregorii, & Isidori, ut ait D. Thom. cit. per hæc verba. *Ad quartum dicendum, quòd pœnitere est anteacta peccata deflere, & flenda non committere, scilicet simul dum flet, vel actu, vel proposito: ille enim est irrisor, & non pœnitens, qui simul dum pœnitet, agit, quod pœnitet, vel proponit iterum se factum, quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem, vel alio genere peccati. Quod autem aliquis postea peccat, vel actu, vel proposito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit: nunquã enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem: sicut enim verè currit, qui postea sedet, ita verè pœnituit, qui postea peccat:* huc usque D. Th. qui & authoritate, & ratione solutionem nostram confirmat.

211. Ad tertiam Confirmationem dist. Maj. incentivum præbet utentibus benè misericordiâ divinâ, nego; abutentibus, sive potiùs facientibus incentivum pro culpa sua, concedo Maj. & dist. Min. nego Conseq. Ratio est, quia quod ex se est incentivum ad amandum Deum, fit à pravis hominibus, per abusum, incentivum ad odio habendum. Unde Deus nunquam præbet incentivum, sed præbet id, quod ab ipsis pravè fit incentivum. Deus autem per illam magnam misericordiam satis ostendit; quantùm sibi peccata displiceant, *qui semper præstò est ea destruere, ne solvatur, quod creavit, nec corrumpatur, quod amavit*, ut cum Aug. ait D. Th. loco cit. ad 6.

212. Objicies quintò ex Authoribus Catholicis citatis n. 196. Justitia divina non est minor, quàm misericordia, atqui misericordia ita se ostendit erga aliquos, ut eos confirmet in gratia, ne possint labi, aut relabi in peccatum: ergo justitia Dei ita se debet ostendere erga alios, ut eos obduret in peccato per subtractionem gratiæ, ut non possint post peccatum resurgere per pœnitentiam, ac proinde in hoc sensu erunt plura peccata in hac divina Providentia irremissibilia. Confirmatur primò ex Paulo ad Rom. 9. de Deo dicente: *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat*: atqui sicut est magna Dei misericordia beneficium per confirmationem in gratia; ita est magnum supplicium obduratio per negationem sufficientis gratiæ ad pœnitentiam: ergo sicuti unum non repugnat in hac Providentia, neque repugnabit aliud.

Confirmatur secundò: ex Jo. 12. ubi de Judæis dicitur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum, & indurâvit cor eorum, ut non videant corde, & convertantur, & sanem eos.* Similia habentur de Esau ad Hebr. 12. & de Antiochõ 2. Mach. 9. atque universaliter Ecclesiastis 7. dicitur: *considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit*: atqui peccatorem non posse credere, neque posse se corrigere, est non posse se convertere per pœnitentiam: ergo &c. Confirmatur tertiò: nemo potest elicere actum pœnitentiæ, nisi dependenter à fide, ut constat ex Trid. cit. n. 133. ergo qui incidit in peccatum infidelitatis, incidit in impotentiam pœnitendi, pro ut oportet, ac proinde peccatum saltem infidelitatis non poterit deleri per pœnitentiam.

Resp. concedo Maj. & dist. Min. misericordia ita se ostendit ex necessitate: nego; ex puro beneplacito Dei, conc. Min. & nego Conseq. Ratio est; quia beneplacitum Dei in ordine ad talem effectum confirmandi aliquos in gratia, ut Deiparam, & alios, constat nobis ex Scriptura, Conciliis, & SS. PP. beneplacitum autem negandi peccatori auxilia sufficientia, ut pœnitere possit, si velit, nobis non constat, sed oppositum: ut constat ex testimoniis adductis n. 190. in quibus, nullo excepto viatore rationis compote, vocat Deus ad se omnes, dicens: *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: quæ vocatio est gratia Dei; & veniënti promittit pœnitentiam, ut habetur Phil. 10. & remissionem peccati: *cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*: & Zach. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; ita ut ex dictis num. 193. solùm possit desperare ille, qui sit tam malus, quàm Deus bonus est. Quod ita non esset, si Deus cuicùmque peccatori rationis compoti non conferret auxilia sufficientia. Hinc

Ad primam Conf. conc. Maj. & dist. secundam partem Min. est magnum supplicium, quo Deus utitur in hac Providentia, nego, quo non utitur, concedo Min. & nego Conseq. Ratio est, quia quod Deus dicitur obdurare, obcæcare, & despicere peccatorem, nunquam verificatur ratione voluntatis divinæ, aut solius impotentiæ nostræ simpliciter antecedentis: nam Deus, & semper, & omnibus tribuit quantum sufficit ex parte actus primi, ut possimus emolliri, videre, & redire in dignitatem filiorum Dei, ex illo Joannis 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri*: ac proindè possumus semper, si velimus, agere pœnitentiam, per quam possumus prudenter sperare peccatorum remissionem. Ad secundam

Conf.

Conf. conc. Maj. & dist. Min. est non posse imporentriâ absolutâ, & antecedente, nego; imporentiâ consequente conjuncta cum magna difficultate antecedente, concedo Min. & nego Conf. ex dictis n. 189. quia sicut Deus neminem inducit in aliquod peccatum positivè voluntate antecedente, sed tantùm subsequitur peccatum purè permissivè, post illam voluntatem antecedentem; ita nullum Viatorum obdurat in peccato commisso, aut impœnitibilem, & inemendabilem reddit voluntate antecedenti, sed id solùm sequitur voluntate simpliciter consequente, & purè permissiva mali conjuncta cum illâ magna difficultate antecedenti, cujus nos soli nobismetipsis sumus authores. Unde non in Deum, sed in nos refundenda est tota culpa.

816. Quapropter Alexander VIII. die 7. Decembris anno 1690. inter illas 31. propositiones, juremeritò damnavit sextam, quæ sic habebat: *gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde meritò possimus petere: à gratia sufficienti libera nos Domine.* Ad tertiam Confirmationem concedo Antecedens, & nego Consequ. quia infidelis potest redire ad fidem, & ex illustratione actûs fidei elicere salutarem pœnitentiam: habet enim gratiam sufficientem potentiæ absolutæ antecedentis constitutivam, ut constat ex dictis. Quapropter idem Alexander VIII. inter supradictas damnatas propositiones damnavit quintam, quæ sic habebat: *Pagani, Judæi, Hæretici, altique hujus generis nullam omninc accipiunt à Jesù Christo influxum; adeóque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.*

SECTIO III.

De subjecto, & praxi Pœnitentiæ.

§. I.

817. FUndamenta ad hujus sectionis difficultates resolvendas desumenda sunt ex formalitatibus doloris, detestationis, & propositi actûs pœnitentiæ constitutivis. Dolor enim, ut ex dictis constat, est effectus anxietatis, tristitiæ, atque inquietudinis, quo animus tristatur, anxiatur, & cruciatur de peccato commisso, quod detestatur, & aversatur: & hoc est, quod dicitur à Scriptura, Conciliis, & Patribus conteri, compungi, & scindi: sicut enim voluntas anxiatur, tristatur, & dolet de malo præsenti physicè, vel intentionaliter; ita de præsenti peccato, & præsenti denominatione, quam relinquit, ex dictis n. 49. Dolor autem potest esse non solùm in parte inferiori, & sensitiva, quâ ratione prodit in lacrymas, suspiria, singultus, aliósque similes effectus, sed etiam in parte superiori animæ, & purè spirituali, qui quidem dolor est, de quo in præsenti agimus. Sic dæmones, qui sunt purè spirituales habent veros dolores, tum & animæ in Purgatorio verè dolent de peccatis. Plerumque tamen in hominibus compositis ex corpore & anima, ex dolore purè spirituali facilè oritur dolor sensitivus in parte inferiori: unde non solùm de peccatis propriis, sed etiam de alienis haberi potest dolor, quatenùs aliquomodo malum meum reputo offensam Dei, quem amo, vel ob aliud simile motivum.

Sic etiam Christus, & Deipara maximè dole- 218
bant de peccatis alienis, dum erant viatores, sive in statu dolendi. Dolor quippe spiritualis, de quo loquimur, cùm sit actus voluntatis, qui non potest rendere in objectum, nisi ut cognitum, prærequirit ad sui elicientiam cognitionem mali propriam principii non adhuc constituti in ultimo termino anxietatis exclusivo, ratione cujus motivi, ut volunt aliqui, prodit affectus anxietatis, tristitiæ, & inquietudinis ex intrinsecis suis, cùm exigentia, & tendentia unius cujusque actus sit actui intrinseca. Alii verò aliter discurrunt in tractatu de passionibus, dicentes, hanc doloris tendentiam esse evidenter cognitam ex experientia, cùm secum afferat asperitatem, quam purus amor secum non affert, & quâ spiritus non suaviter, sed durè torquetur, quod satis est ad discernendum actum doloris ab aliis, ex quocumque capite sumatur discrimen, sive à subjecto, sive ab objecto, sive à principio. Unde actus, qui ex intrinsecis suis talem effectum formalem præstare non potest, non est dolor. Ex quibus facilè est inferre naturam actûs pœnitentiæ quoad formalitatem doloris, & quomodo in Beatis reperiri non possit.

Detestatio verò, ut constat ex n. 49. est actus 219
fugæ, sive odii, quo peccatum præteritum efficaciter aversamur, & abhorremus, ideóque detestatio dici solet odium abominationis. Si autem detestemur peccatum à nobis commissum, dicitur retractatio, ut constat ex n. 159. His verbis: *Nollem peccâsse*: declarari solet detestationis actus, vi cujus ostenditur affectus voluntatis ad peccatum fugiendum, illúdque impediendum, si reperiretur voluntas in circumstantiis, in quibus illud potuit evitari, ut constat ex n. 45. Neque formalitas detestationis habet universalem dependentiam à præsuppositâ formalitate doloris, aut è contra, ut constat ex n. 52. Propositum non peccandi de cætero, est formalitas actûs pœnitentiæ excludens voluntatem peccandi de cætero.

Quatuor conditionibus præditum debet esse 220
propositum. Prima est, ut sit firmum, ita ut quæcumque se offeret occasio peccandi mortaliter, manente illo actu propositi, homo non peccaret, neque posset cum illo peccatum conjungere, ut constat ex D. Th. cit. n. 210. ubi cum communi DD. notat accuratè Valentia disp. 7. quæst. 11. punct. 2. non obesse firmitati propositi, quòd aliquis, consideratâ suâ fragilitate, meritò timeat, aut existimet se ad vomitum rediturum: propositum quippe est actus voluntatis; illa verò existimatio est actus intellectûs, qui potest consistere cum firmo proposito voluntatis, cum ex eo

quod

quod voluntas libera sit, & mutabilis, meritò quis timere possit, ne mutetur de bono proposito in malum. Secunda conditio propositi theologicè sumpti est, ut sit universale, & supernaturale, quale est illud, quod concipitur ex universali motivo explicato à n. 18. quando fit ex impulsu Spiritûs Sancti, ex dictis n. 22. tunc enim, & est universale, & supernaturale.

221. Tertia conditio est: ut nullius mali metu, nulliusque boni amore velit quis in posterum peccare mortaliter, quod ex dictis à n. 18. & 68. habetur facilè ex motivo universali. Ea de causa prudentes confessarii non curant, ut pœnitentes ad proponendum in particulari descendant, quando efficaciter ex motivo universali proponunt. Sicut enim terribilia in specie narrata majorem nobis terrorem incutiunt, adeóque voluntas difficiliùs movetur ad ea complectenda, sic etiam jucunda speciatim, & singillatim proposita multò fortiùs provocant ad sui amplexionem, adeóque & difficiliùs movetur voluntas ad propositum efficax ea vitandi, ac proinde utilius est ad generale motivum recurrere. Quarta propositi conditio est, ut ex efficacia sua sit fuga cujuscumque occasionis, quæ vitari debet: nam cùm talis occasio sit peccatum, qui non haberet voluntatem efficacem fugiendi talem occasionem, neque voluntatem efficacem haberet fugiendi omnia peccata. His positis

222. Assero primò. Virtus per se infusa pœnitentiæ, quà talis non reperitur in Christo, Deipara, Innocentibus, & Beatis; benè verò in reliquis justis, qui de peccatis, ut à se commissis contra Deum detestativè dolent cum proposito non peccandi de cætero. Probatur facilè Conclusio ex his, quæ hùc usque diximus in toto tractatu: Pœnitentia quà talis, sive universaliter, & theologicè, sive restrictè considerata est illa virtus, quæ denominationem pœnitentiæ accipit ab actu suo, qui sit animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; atqui virtutes, quæ sunt in Christo, Deiparâ, Innocentibus, & Beatis non possunt suscipere denominationem à tali actu, cùm Christus, Deipara, & Innocentes nunquam peccatum commiserint, adeóque neque potuerunt de illo dolere cum proposito iterum non peccandi: Beati autem, cùm sint incapaces doloris ratione statûs, non possunt elicere actum doloris; reliqui autem justi, qui peccârunt, & sunt in statu dolendi, quàm optimè possunt talem actum elicere, ut per se patet. Sic etiam, & animæ in Purgatorio existentes: ergo, &c.

223. Assero secundò: sufficit ad verum pœnitentiæ actum, & ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ propositum, quod solet vocari virtuale, & continetur in contritione, vel attritione habita ex motivo universali, quo quis detestatur omnia lethalia propter offensam Dei summè dilecti, vel propter motivum pœnæ omninò fugiendæ. Probatur primò: illud propositum est sufficiens, quod habet, quidquid ex parte propositi requirit Tridentinum ad verum pœnitentiæ actum Sacramenti pœnitentiæ constitutivum; sed hoc habet propositum virtuale à nobis assignatum: ergo &c. Probatur Min. Trid. sess. 14. c. 4. explicans, quale sit istud propositum, docet sufficere, *si voluntatem peccandi excludat*: atqui actus, quo pœnitens detestativè dolet de peccatis commissis propter motivum universale omninò, ut à nobis expositum, metaphysicè excludit voluntatem peccandi, ut constat ex dictis à n. 8. ergo &c.

Probatur secundò: quando pœnitens efficaciter, & detestativè dolet de peccatis commissis propter motivum omnino universale, vel potest mortaliter peccare in sensu composito illius doloris, vel non? Si primum: ergo dolor ille non attingit motivum omnino universale, contra id quod supponimus: repugnat enim in ipsis terminis, quòd ego detester, & doleam de uno peccato præcisè, quia est offensa Dei, & simul velim committere offensam Dei. Unde si eo actu perseverante, veniat in mentem, utrum velim committere offensam Dei, voluntas statim deverteret ab omni lethali, respuéretque omnino efficaciter Dei offensam, quod idem est, ac elicere formale propositum. Si autem non ita se generet, signum erat, quòd dolor ille non procederet ex motivo omnino universali, ut optimè notavit Exim. Doct. disput. 20. sect. 4. n. 33. ac proinde ex sola inadvertentia elicitur actus ille absque formali proposito: Si secundum: ergo ille actus doloris habet formalitatem propositi à Tridentino requisitam, ac proinde est certò sufficiens ad verum pœnitentiæ actum, & ad Sacramentum pœnitentiæ constituendum. Vide n. 235. Reliqua, quæ hic adjungi possent, constant ex dictis disp. 1. & 2. Exinde

§. II.

FIt primò: actum pœnitentiæ universalis non solùm procedere ex motivo ex se universali, verùm etiam ad actum illum eliciendum debere concurrere tale motivum, ut universale, & ut se extendens ad omnia peccata. Ratio est, quia si non cognosceretur ut universale se extendens ad omnia peccata, sed ut consequibile, quamvis homo actu peccet, affectus ad motivum ex se universale non respiceret motivum illud, ut universale, sed posset hic, & nunc conjungi cum affectu ad actuale peccatum, adóque non excluderet omnem voluntatem peccandi. Sic casu, quo homo haberet revelationem de eo, quòd esset prædestinatus, & quòd intra totum annum non esset moriturus, sciret autem, quòd in hoc instanti velit committere, neutiquam allaturum esset pœnam inferni.

Exinde motivum nudè sumptum fugiendi pœnas inferni in instanti, pro quo homo illud committeret tale peccatum, non repræsentatur ipsi, ut motivum universale ad omnia peccata fugienda; cùm illud peccatum, eth afferat meritum ad pœnas, sicuti afferunt omnia lethalia,

lia, non afferret ipsas pœnas. Quapropter ut homo ille in eo casu ratione pœnarum conciperet motivum universale, debebat ab motivum pœnarum fugere efficaciter, quidquid esset condignum tali pœnâ, aut aliam similem tendentiam eliceret: tunc enim cùm quodcumque lethale esset condignum tali pœnâ; actus ille verè excluderet voluntatem peccandi, sive committendi quodcumque lethale. Idem dicendum, si quis per ignorantiam judicaret, se non posse fugere pœnas Inferni, nisi committendo modò peccatum: tunc enim motivum fugiendi pœnas non repræsentaretur, ut universale ad fugienda omnia peccata, ut per se patet. Quod idem de aliis similibus casibus dicendum est, ut constabit à n. 235.

217. Fit secundò: ea omnia peccata, quæ cum desiderio fugiendi pœnas Inferni committerentur in casibus assignatis num. superiori; quando motivum pœnarum nudè sumptum non attingebatur ut universale, posse verè posteà fugi à peccatore ex motivo pœnarum, si ut universale repræsentetur postmodùm in aliquibus circumstantiis: Sic casu, quo per ignorantiam peccâsset homo, eliciendo hunc actum: *ego mallem peccare, quàm in perpetuum pati eas pœnas:* considerando posteà, per illum actum exposuisse se periculo eas patiendi, & contraxisse condignitatem ad illas, poterit quàm optimè ex motivo fugiendi condignitatem ad pœnas, aut ex timore se exponendi tali periculo, dummodo hæc motiva illi ut universalia repræsententur, fugere efficaciter omnia lethalia. Sic homo considerando, quòd eo ipso, quòd peccet, jam est dignus Inferni pœnâ, & quòd aliunde est omninò incertus de tempore, & auxilio efficaci ad pœnitendum, potest moveri ex metu gehennæ, tanquam ex motivo universali ad omnia lethalia detestanda, ut dicemus n. 236. unde Authores, qui dicunt requiri formale propositum non peccandi de cætero, intelligendi sunt; quando motivum doloris non proponitur ut universale ad omnia peccata. Qua de causa Tridentinum non dixit, quamcumque attritionem conceptam ex metu gehennæ disponere ad gratiam cum Sacramento, sed illam, quæ incompossibilis sit cum voluntate peccandi.

218. Fit tertiò: pœnitentem accedentem ad Pœnitentiæ Sacramentum cum contritione à nobis exposita, præscindente à perfecta, nullatenus exponere frustrationi Sacramentum; licèt ob inadvertentiam formale propositum non eliciat: si enim advertat; imperceptibile apparet, ut non proponat ex dictis n. 224. Quapropter nullo modo comprehenditur doctrina nostra sub prima ex 65. propositionibus ab Innocentio XI. damnatis. Exinde Cardenas in expositione hujus propositionis dissert. 2. cap. 6. art. 2. quæst. 4. n. 80. ita habet: *Sed notandum est, aliter dicendum esse de proposito virtuali, quod continetur in contritione, vel attritione habita ex motivo universali, quo quis detestatur omnia peccata lethalia propter offensam Dei summè dilecti, vel propter motivum gehennæ omninò fugiendæ. Est enim supra omnem probabilitatem omninò certum, quòd hoc propositum virtuale sufficiat: nam Trid. sess. 14. cap. 4. affirmat illam attritionem, quæ voluntatem peccandi excludat, sufficere intra Sacramentum Pœnitentiæ ad gratiam Sacramenti consequendam; sed ea detestatio peccatorum mortalium, ex eo motivo universali concepta, excludit voluntatem peccandi: non enim est compossibilis cum tali voluntate: ergo talis detestatio continet virtualiter id propositum, & facit illud esse sufficiens ad valorem, & fructum Sacramenti.* Huc usquè Cardenas, qui clariùs loqui non poterat pro nostra sententia. Et ratio ulterior est, quia licèt ille dolor philosophicè vocetur propositum virtuale: theologicè tamen consideratus, est propositum formale, ut constabit à n. 468.

Fit quartò: Propositum præcisè quà propo- 229
situm universale non ita æquivalere contritioni universali, sicuti contritio æquivalet proposito. Ratio est, quia propositum præcise quà tale habet pro proprio effectu suo excludere voluntatem peccandi: cùm autem generalis contritio hanc peccandi voluntatem excludat, evidenter æquivalet proposito quà proposito. Contritio verò quà talis habet pro proprio effectu suo tristitiam, anxietatem, inquietudinem, & cruciatum animæ, ex dictis à num. 217. Cùm autem propositum quà tale huic effectui non æquivaleat, ut patet in eo, qui nullum peccatum commisit, & tamen habet propositum non peccandi de cætero, qui nullam habet tristitiam, nec dolorem, sed serenitatem, & pacem; ac proinde non dicitur habere contritionem, nec pœnitentiam; sicut nec Beati, quamvis habeant illud propositum; exinde propositum præcisè, ut propositum non æquivalet contritioni ut contritioni.

Quapropter communis sententia cum Exi- 230
mio Doctore, Bellarmino, Coninck, & Bonacinâ docet, quòd licèt unus actus amoris Dei sit sufficiens ad justificationem extra Sacramentum, non tamen est sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ. Si autem propositum universale dolorosè procederet; ut contingere solet, quando elicitur ex recordatione peccatorum commissorum; tunc jam æquivaleret contritioni quà tali; sicuti de amore Dei super omnia communiter docent Theologi, quando elicitur ex recordatione peccatorum commissorum, qui in eo eventu non potest nisi dolorosè procedere; ac proinde tunc tale propositum est sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut latè docet Arriaga tom. 7. disp. 13. & tom. 8. disp. 38. & Moya in selectis theologicis disp. 5. q. 12.

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

OBjicies primò contra primam Assertionem. 231
Omnes virtutes per se infusæ, quæ nullam arguunt imperfectionem fuerunt in Christo Do-

mino, Deiparâ, Innocentibus, & Beatis, ac proinde Charitas, Justitia, & aliæ similes: sed charitas est pœnitentia virtus universaliter, & theologicè sumpta; Justitia verò est pœnitentia virtus restrictè accepta: ergo pœnitentia virtus, & universaliter, & restrictè considerata reperitur in Christo, Deipara, Innocentibus, & Beatis. Resp. dist. Maj. fuerunt quoad entitatem, concedo: quoad denominationem supponentem subjecti sui imperfectionem, nego Maj. & dist. Min. Charitas, Justitia, & aliæ similes sunt pœnitentia virtus, si sumantur præcisè quoad entitatem, nego, quoad denominationem desumptam ab actu doloris, & detestationis de peccato commisso à Tridentino exposito, conced. Min. & nego Conseq. Ratio est, quia nulla virtus quoad munus suum primarium est pœnitentia, sive virtus pœnitentia quà talis, ut constat ex dictis à n. 90. sed talis appellatur à munere suo secundario, quòd quidem munus exercetur, postquàm subjectum, in quo adest ea virtus, commisit peccatum: Cùm autem reperiri nequeat tale munus in Christo, Deipara, Innocentibus, & Beatis, utpote peccato carentibus, ut per se est evidens, & diximus n. 187. exindè nequit in illis reperiri virtus pœnitentiæ, sive pœnitentia quà talis.

232. Objicies secundò contra secundam Assertionem: Tridentinum non solùm meminit detestationis, & doloris de peccato commisso, sed etiam propositi non peccandi de cætero: ergo non solùm dolor, sed etiam formale propositum requiritur indispensabiliter ad pœnitentiam. Confirmatur. Si quis advertens se formale propositum non habere, & tamen nollet illud elicere, peccaret mortaliter, ita suscipiendo Sacramentum: ergo formale propositum requiritur ad valorem Sacramenti. Resp. conc. Antec. & nego Consequent. quia propositum, quod à Tridentino requiritur, ut explicat ipsum Concilium citatum n. 223. consistit in actu voluntatis efficaciter excludente voluntatem peccandi: cùm autem non solùm propositum formale, sed etiam propositum virtuale præstet hoc munus, exinde ad propositum requisitum à Trid. sufficit non solùm actus propositi formalis, sed etiam virtualis.

233. Ad Conf. dist. Antecedens: peccaret mortaliter, si quando adverteret, posse ex vi illius actus se conjungere cum voluntate peccandi, concedo; si ex vi illius actûs cognosceret, se excludere omnem voluntatem peccandi, nego Antecedens, & Conseq. quia in eo casu cognosceret, se habere quidquid à Trid. requiritur: imò interrogatus pœnitens statim responderet, se nolle in posterùm peccare, non minùs, quàm si formale propositum elicuisset, cùm non minùs sit incomponibilis cum voluntate peccandi de cætero unus actus, quàm alter: ac proinde eliceret tunc formale propositum, respondendo interrogationi, ex dictis n. 224. Si tamen supponamus, quod imperceptibile apparet, nimirum ut in sensu composito illius generalis contritionis, & advertentiæ de defectu formalis propositi, adhuc maneret libertas ad non eliciendum propositum formale, sicuti manet libertas ad non eliciendum actum secundum formalis propositi, postquàm primum elicuit; non teneretur ad illum eliciendum; cùm se cognosceret ex vi primi actûs satis dispositum, & incompossibilem cum voluntate peccandi.

Objicies tertiò, instando simul solutionem. Dolor ex metu gehennæ non excludit omnem voluntatem peccandi: ergo quando contritio concipitur ex metu gehennæ, semper requiritur indispensabiliter propositum formale. Probatur Antecedens: si quis commisisset hoc peccatum, *esset necessarium eligere pœnas Inferni ad vitandum peccatum lethale, ego potius peccarem, quàm Infernum eligerem.* Propositum vitandi hoc peccatum esset propositum eligendi infernum, potiùs quàm peccatum; cùm in illa hypothesi non aliter posset peccatum vitari, quàm eligendo infernum; atqui metus inferni, & voluntas vitandi illum non potest movere ad eligendum illum: ergo neque ad propositum vitandi prædictum peccatum. Conf. detestatio dolorosa peccati ex motivo attritionis non sufficit ad fugiendum omne peccatum, etiamsi motivum sit generale: ergo ultra dolorem illum detestativum requiritur propositum formale. Probatur Antecedens: si quis considerans gravem acerbitatem pœnæ æternæ, dicat intra se: *eo malim peccare, quàm in æternum pati illas pœnas:* peccaret graviter: atqui in isto casu repugnaret fugere hoc peccatum ex odio pœnarû: esset enim velle simul duo contradictoria, scilicet: *nolo peccare, ne damner; volo peccare, ne damner*: ergo &c.

Respondent primò aliqui Recentiores, dist. antecedens: dolor ex metu gehennæ ex motivo non universali, concedo, ex motivo universali, nego antecedens, & Conseq. Ad probationem, concedo Maj. & distinctâ, ut supra Min. nego Conseq. Ratio est, quia quando homo considerat, quòd per illud peccatum factus fuerat reus pœnarum Inferni, simùlque considerat præcisè tem divinæ Providentiæ ordinationem, hic & potèrit invenire motivum universale ad illud, & reliqua omnia peccata fugienda ex timore gehennæ: in hac enim divina Providentia electio inferni præ peccato est medium ad infernum vitandum, ac proindè ex metu inferni, quàm optimè potest quis de eo peccato dolere, simùlque proponere eligere Infernum, potiùs quàm peccatum. Rem explicant exemplo: si aliquis reus mortis sciret, quòd eligendo mortem, & ad illam se offerendo, mortem vitaret, benè posset ex metu mortis ad mortem se offerre, & eam eligere: ergo quando sciat peccator, quòd eligere Infernum est medium ad infernum vitandum, quàm optimè poterit, ex metu inferni, infernum eligere. Ad Confirmationem, negatur Antecedens. Ad probationem negatur Min. quia in eo casu eligere infernum non esset velle, & nolle effectivè, sed velle affectivè, ut fiat effectivè

Cæte-

Cæterùm ipsa explicatio pugnat contra istos Recentiores sic respondentes: nam ista pœnitentia talis esse debet, non solùm coram hominibus, sed coram Deo, qui intuetur cor, & videt illum affectum non esse efficacem, qualis debet esse verus affectus pœnitentiæ coram Deo. Quapropter.

236. Respondeo ipse, dist. Antecedens: dolor ex metu gehennæ in circumstantiis, in quibus metus gehennæ repræsentatur ut motivum universale, nego: in circumstantiis, in quibus non repræsentatur, ut motivum universale, conc. Antecedens, & nego Conseq. Ad probat dist. Maj. esset propositum eligendi infernum, eligendo reatum condignitatis ad illum, nego; detestando reatum condignitatis ad illum, conc. Maj. & dist. Min. voluntas vitandi infernum cum reatu condignitatis ad illum, non potest movere ad eligendum illum cum tali reatu, conc. ad eligendum illum sine tali reatu, nego Min. & Conseq. Ad Conf. nego Antec. Ad probationem, conc. Maj. & dist. Min. repugnaret fugere hoc peccatum ex odio pœnarum, conceptis pœnis sine reatu ad illas, conc. cum reatu condignitatis ad illas, nego Min. & Conf. quia tunc non diceret homo ille absolutè, volo, & nolo pœnas, ne damner, sed volo pœnas sine reatu, ne damner cum reatu condignitatis ad illas, qui quidem actus nullatenus est implicatorius, sed valdè honestus, & laudabilis, ut per se patet.

237. Explico solutionem: metus inferni per se loquendo, & seclusâ ignorantiâ, inadvertentiâ, extraordinario privilegio, aut revelatione, ex se affert in ista divina providentia circumstantias sufficientes ad constituendum motivum universale cuicùmque lethali oppositum: seclusis enim illis circumstantiis, quæ per accidens supervenire possent, re per se consideratâ, & ut communiter evenit, scit peccator, quodcùmque lethale afferre reatum codignitatis ad eas pœnas, illasque ipsum infallibiliter sustinendas, si in peccato lethali moriatur: cognoscit insuper contingentiam amittendi subitaneè vitam; exindè ergo moveri potest ex timore gehennæ ad detestandum dolorosè quodcùmque lethale, neque in sensu compositio hujus motivi elicere potest actum, quo dicat, *vellem potiùs peccare, quàm eas pœnas incurrere:* neque actum, quo dicat: *si non essent illæ pœnæ, peccarem:* & sic de aliis similibus: cum enim sciat, hujusmodi actus esse peccatum, manente eo affectu; quo propter timorem gehennæ detestatur omnia peccata, impossibile omninò est, quòd eos actus eliciat. Qua de causa dolor ex metu gehennæ, si excludat omnem voluntatem peccandi, ut communiter concipitur (ait Tridentinum) satis est ad actum attritionis requisitæ ad pœnitentiam.

238. Si autem ex aliquo accidenti deficiant circumstantiæ illæ, quibus proximè proponitur objectum universaliter, jam objectum non movebit ut universale; sicuti si deficiat applicatio, sive approximatio ignis ad comburendam stupam; tunc ignis non comburet stupam. Unde sicuti ut ignis stupam comburat, requiritur, quòd si per istam viam non possit applicari, applicetur per aliam viam; ita si objectum non possit per unam viam applicari, ut universale, necesse est ad hoc, ut universaliter moveat, quod per aliam viam applicetur, ut universale. Exindè cùm casu, quo per ignorantiam elicita fuissent illa peccata in argumento proposita, præclusa esset via, ut metus pœnarum applicetur, ut universale, sicuti antea applicabatur, necesse est, ut per aliam viam applicetur ut universale, si debet movere ut universale. Adplicabitur autè ut universale, si recursus fiat ad aliam circumstantiam, nimirum, si peccator sibi proponat, quàm malam gehennam cum reatu ad illam: etenim multò pejùs incomparabiliter est, pati pœnam cum culpa, & reatu ad illam, uti patiuntur malefactores, & damnati in inferno, quàm sine culpa, & sine reatu ad illam; sicuti Sancti Martyres cum summâ lætitiâ mortem propter Christum patiebantur. Illud ergo motivum timendi pœnam cum reatu ad illam esset in eo casu sufficiens ad eliciendum dolorem detestativum omnium lethalium ex motivo universali, & sufficiens certissimè ad propositum virtuale.

239. Quod idem suo modo dicendum est in aliis circumstantiis, quæ fingi possunt: si enim motivum ex uno capite non possit proponi, ut universale, vel non movebit ut universale, & sic non satis erit ad dolorem, qui sit virtuale propositum nunquam peccandi de cætero, vel quærenda est circumstantia, in qua possit ut universale movere. Hæc autem doctrina non solùm est peculiaris pro nostro casu, sed communis pro omnibus motivis universalibus. Exemplum sit in motivo bonitatis divinæ, quæ apud omnes certissimè sufficit ad vitanda omnia peccata, si proponatur, ut motivum universale omnibus peccatis oppositum; & tamen si non ita proponatur, non sufficit, v.g. quando quis per ignorantiam invincibilem judicaret, jurare cum mendacio ad salvandam vitam proximi, non esse peccatum lethale; tunc ex desiderio fugiendi omnia lethalia propter bonitatem Dei, non fugeret homo illud mendacium, neque illud juramentum falsum.

240. Quapropter motivum bonitatis divinæ debebat approximari, non per istam, sed per aliam circumstantiam, ad fugiendum istud mendacium, & perjurium. Exindè adversariorum argumentum non solùm est invalidum, verùm etiam omninò extra rem, quam agimus: nam in casu, & circumstantiis ab adversariis assignatis, vel metus gehennæ proponitur ut motivum universale omnibus peccatis oppositum, vel non? si primum: jam proponitur sufficiens ad eliciendum dolorem universalem, ac proinde, & qui certò sit virtuale propositum non peccandi de cætero. Si secundum: cùm ex illa approximatione non possit elici dolor universalis, neq; elicietur dolor, qui sit virtuale propositum non peccandi de cætero. Verùm exindè quomodo

probabitur, quod quando approximatur sufficienter ad eliciendum universalem dolorem, non approximetur sufficienter ad eliciendum virtuale propositum? Sanè hoc neutiquam sequitur, sed oppositum; adeòque ex hoc argumento, si benè expendatur, potiùs confirmatur, quàm impugnetur nostra sententia.

241. Objicies quartò: Dolor de peccatis ex motivo universali non inducit ad vitandum peccatum: ergo non est propositum virtuale. Probatur Antecedens: ad vitandam gehennam non est medium necessarium non peccare hic, & hunc; sufficit enim, vel non peccare, vel si committatur peccatum, delere postea illud per pœnitentiam: ergo in illa detestatione non includitur propositum vitandi peccata in futurum, sed vel vitandi, vel delendi postea illa per pœnitentiam. Confirmatur: si aliquis ex revelatione sciret, se esse prædestinatum, dolor, quem concipéret de peccatis ex metu gehennæ, non afferret secum tale propositum virtuale, cùm enim sciret, se posteà deleturum illa peccata per pœnitentiam, etsi laberetur in illa, non apprehenderet, tanquam medium necessarium ad salutem, vitare peccatum subsequens: ergo ex metu gehennæ non determinaretur ad vitanda peccata in posterum.

242. Resp. nego Antecedens. Ad probationem dist. Antecedens: ad vitandam gehennam per affectum elicitum ex illa, tanquam ex motivo universali, nego: per alios diversos affectus; conc. Antecedens, & nego Cons. ut constat ex dictis; etenim licèt Deus possit me salvare, etiamsi ego peccem, & possit mihi dare tempus pœnitentiæ; hoc tamen non est in mea potestate, possum enim subitò mori: exinde si ego volo efficaciter salvari ex metu gehennæ tanquam ex motivo universali, volo non ponere impedimentum, quo posito non esset in mea potestate salvari, ac proinde nolo ponere peccatum. Sic si volo efficaciter vivere, non projicio in mare unicum panem, quem habeo ad vitam; licèt conjecturam habeam, quod Petrus fortâsse dabit mihi dimidium sui panis: at cùm id non sit certum, neque in mea potestate, non impedit ad concipiendum, modo exposito, motivum universale.

243. Ad Confirmationem dist. Antecedens: ex metu gehennæ concepto, ut motivo universali, nego, non ita concepto, conc. Antecedens, & dist. Consequ. eodem modo. Ratio est, quia in illo casu posset ille homo concipere dolorem de peccatis commissis, quatenùs afferebant condignitatem ad gehennam: sciret enim, quod si committeret vel unum peccatum in posterum, haberet condignitatem ad gehennam, quam deberet delere, ut revelatio verificaretur, & adimpleretur, & quod ita melius esset, talem condignitatem vitare, ex quo dolor ille jam esset incompossibilis cum quacúmque condignitate ad gehennam, ac proinde, & cum quocúmque lethali. Si autem non conciperet motivum universale, non esset casus, de quo agimus, ut dixi n. 240.

Objicies quintò: Propositum ex motivo universali, ad omnia peccata se extendente, non est incompossibile cum voluntate peccandi: ergo neque dolor ex motivo universali. Probatur Antecedens: potest voluntas præscindere peccata præterita à futuris, & de præteritis gaudere, proponendo firmiter vitare futura. Sic sæpe senes proponunt firmiter in futurum castè vivere, & tamen illis non displicet lascivia juventutis: Item sæpe gaudent, & jactant bella inita præterita, & tamen proponunt non iterum ire ad bellum: ergo &c. Resp. nego Anteced. ad probationem dist. Antecedens: proponendo ex motivo universali, ad omnia peccata se extendente, nego: ad sola futura, & non ad præterita, conc. Antec. & nego Cons. etenim si Senex proponat castè vivere ex obliquitudinis contra castitatem, quod est universale motivum, ad peccata præterita, & futura se extendens in linea castitatis, non potest simul cum illo actu complacere in luxuria præterita. Pariter si proponat non iterum ire ad bellum, ex motivo æquè se extendente ad detestanda bella præterita, & futura, non potest simul cum illo actu gaudere de bello præterito.

Cæterùm cùm illi, qui ita se jactant, non proponant ex motivo universali, se extendere ad præterita, & futura, sed ad sola futura: soleant enim proponere non redire ad bellum, & ad luxuriam cum viribus extenuatis, & facie amissibilibus in peccatis, & laboribus bellicis, quas antèa non ita extenuatas habebant: ut proinde sic, vel aliter contrahunt suum motivum ad futura, & non extendunt ad præterita: quapropter solùm detestantur futura, & gaudent de præteritis. Si autem detestarentur futura ex motivo eodem modo se extendente ad præterita; simul cum illo actu nequaquam gaudere possent de præteritis: ut Senex, qui verè dolet de suis peccatis ex motivo universali, non complacet in peccatis juventutis; secùs autem si non doleat ex motivo universali. Pariter, qui proponit non committere futura, ex motivo universali æquè se extendente ad præterita, detestatur virtualiter præterita, secùs si non proponat ex tali motivo universali. Unde nulla manet vis argumento. Quæ poterat in præsenti, an merita per peccatum mortificata reviviscant per veram pœnitentiam. Cæterùm quia hujus difficultatis resolutio nullam habet connexionem cum principiis antecedentibus, aut consequentibus, illam modò omitto, commodiùs alibi soluturus. Nunc verò ad actus proprios pœnitentiæ, & obligationem illos eliciendi progrediamur.

* * *

DISPU-

DISPUTATIO V.

DE CONTRITIONE PERFECTA.

246. CContritio ex Tridentino sess. 14. cap. 4. alia est perfecta, & alia imperfecta. Perfecta est illa, quæ etiam extra Sacramentum est sufficiens dispositio ad justificationem, & est dolor de peccatis commissis propter Deum super omnia dilectum, ut ex dicendis constabit. Imperfecta, quæ vocatur attritio, est dolor ob alia motiva conceptus, sive ob metum inferni, amissionis gloriæ, sive propter peccati turpitudinem. Exinde attritio, & contritio distinguuntur essentialiter, cùm unaquæque ex intrinsecis suis respiciat diversum objectum formale: contritio enim respicit bonitatem divinam, ut Deo bonam; attritio verò respicit suum objectum formale, non quidem ut Deo, sed ad summum, ut peccatori bonum: unde peccator magis unitur cum Deo ex vi contritionis, quàm ex vi attritionis, adeóque & peccata nobiliori modo manent detestata per contritionem. Qua de causa D. Thom. in suppl. quæst. 1. art. 2. ad 2. dixit: *Attritio non dicit accessum ad perfectam contritionem; unde in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquomodò diminuta sunt; sed non adhuc sunt comminuta, sed contrita dicuntur, quando omnes partes tritæ sunt simul per divisionem ad minima, & ideo attritio significat in spiritualibus quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; contritio autem perfectam.* An autem ad hanc perfectam contritionem requiratur indispensabiliter, quod ex motivo charitatis procedat? Negant Soto, & alii apud Cardinal. de Lugo disp. 5. sect. 1. qui etiam conatur ostendere esse probabile, quod procedat ex motivo Religionis, Obedientiæ, Justitiæ, aut alio simili, licèt P. Vazquez hanc sententiam erroneam appellavérit. Eximius Doctor disp. 4. sect. 2. num. 13. ait, sibi aliquando placuisse, eamque appellat probabilem, pro cujus resolutione sit

SECTIO I.

An contritio sufficiens ad justificationem extra Sacramentum debeat esse ex motivo Charitatis.

§. I.

247. ASsero cum communi. Contritio sufficiens ad justificationem extra Sacramentum debet esse ex motivo charitatis. Probatur ex Tridentino sess. 14. c. 4. *de Contritione* sufficienti ad justificationem extra Sacramentum, ita dicente. *Si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur:* Ergo ex mente Concilii non aliter contritio extra Sacramentum sufficiens est ad justificationem, nisi quatenus dolor de peccatis commissis perficitur charitate, sive quod idem est, formalitas illa doloris, quæ ex genere suo est ignobilior, identificetur cum formalitate dilectionis Dei super omnia, sive charitatis, quæ nobilior est, licuti de animali hominis dicitur, quod non est animal imperfectum, sed perfectum, idest identificatum cum rationali: ergo ex mente Concilii contritio sufficiens ad justificationem extra Sacramentum procedere debet ex motivo charitatis. Confirmatur: Concilium eò c. 4. contra distinguens contritionem perfectam, quæ extra Sacramentum justificat, ab imperfecta, quæ non justificat extra Sacramentum, docet esse charitate formatam, adeóque in re adeò gravi diminutè procederet, si esset aliqua contritio non formata charitate, quæ extra Sacramentum justificaret: sed hoc nemo audebit dicere: ergo &c. Vide n. 252.

Respondebis primò. Concilium non processisse diminutè, cùm ibi doceat, imperfectam contritionem esse, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur. Unde contritio illa, quæ concipitur de peccato, quia est irreverentia, vel injuria Dei, aut contemptus Divini præcepti in sensu Concilii non est contritio indigens Sacramento ad justificationem, adeóque est contritio in sensu Concilii potens extra Sacramentum justificare. Contra tamen primò. Concilium ibi contradistinguens contritionem perfectam ab imperfecta, non dicit, perfectam esse, quæ communiter est charitate formata, sed absolutè dicit esse illam, quæ est charitate formata. Imperfectam verò non dicit, quæ semper, sed quæ ex ibi assignatis motivis communiter concipitur; per quæ verba indicat non concipi semper ex illis motivis, sed etiam posse ex aliis: ergo ex mente Concilii perfecta contritio solùm potest concipi ex motivo charitatis; imperfecta verò ex aliis motivis. 248.

Contra secundò. Qui dolet de peccato ex motivo Religionis, Justitiæ, vel Obedientiæ, etiam dolet de peccato ob ipsius turpitudinem; nimirum, quia privat honestate Religionis, Justitiæ, &c. Sicut qui amat actionem aliquam ex motivo Religionis, vel Justitiæ, amat honestatem creatam, quam respiciunt illæ virtutes: ergo dolor de peccatis ob illa motiva est attritio in sensu Concilii. Contra tertiò. Quando aliquis dolet de peccatis, prout sunt offensa Dei, vel considerat offensam Dei, ut pœnitenti malam, & sic non est actus Theologicus, sed Moralis, & pura attritio, ut constat à n. 128. & 135. vel considerat illam ut Deo malam, & sic est actus charitatis, sive dolor, aut contritio charitate formata, ut 249.

Concilium loquitur, & loquuntur SS. PP. qui dicunt, dolorem de peccatis, prout sunt offensa Dei, esse contritionem: ergo in sensu Concilii, & SS. PP. nullus actus est contritio, qui non procedat ex motivo charitatis.

250. Respondebis secundò. Concilium ibi nomine charitatis intellexisse gratiam habitualem, sive ipsum habitum charitatis, nam loquitur de contritione, cui contingenter advenit, ut informetur charitate; dicit enim: *Si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat*: at actui charitatis, cum sit ipsa charitas actualis, non advenit contingenter, sed essentialiter informari charitate actuali, solùmque advenit ipsi contingenter informari charitate habituali: hoc autem modo etiam advenit contingenter actui contritionis elicito à Justitia, Obedientia, &c. ut informetur Charitate, adeóque quando ita informetur, erit perfecta contritio in sensu Concilii, non minùs, quàm actus Charitatis. Contra primò: ibi loquitur Concilium de contritione, quâ ut ultima dispositione se disponit peccator ad recipiendum habitum gratiæ, & charitatis, quam dispositionem dicit satis disponere, si sit charitate formata: atqui dispositio charitate formata ad recipiendum habitum charitatis, nequit esse formata chatitate habituali, sed actuali, aliter esset informata habitu pro priori ad habitum, cum sit dispositio ad habitum pro priori ad habitum: ergo nomine chariratis non intellexit Concilium habitum, sed actum: ac proindè solùm vocat contritionem actum illum, qui ex motivo charitatis procedit.

251. Contra secundò. Si Concilium nomine contritionis formatæ charitate, intelligeret contritionem conjunctam cum habitu gratiæ, aut charitatis; cùm habitus charitatis sit, vel idem realiter cum habitu gratiæ, vel, ut verius judico, cum illo in hac Providentia metaphysicè connexus, nihil aliud definiret, nisi quod illa contritio est ultima dispositio extra Sacramentum ad habendum habitum gratiæ, & charitatis, quæ extra Sacramentum conjungitur cum habitu gratiæ & charitatis, quod idem esset, ac definire, contritionem esse conjunctam cum gratia, quando est conjuncta cum gratia: sed talis definitio, utpote identica est ridicula, & indigna Concilio: ergo non loquitur Concilium de contritione formata charitate habituali, sed actuali, ac proinde de actu contritionis ex motivo charitatis, cùm nullus actus dicatur formari, nisi à suo modo tendendi in suum motivum.

252. Contra tertiò. Actus contritionis perfectæ, utpote actus vitalis identificatur cum suo modo tendendi, ac proinde solùm potest formari charitate actuali, ex suo modo intrinseco tendendi identificato cum charitate actuali, sive quod idem est ex intrinseco suo modo tendendi in motivum charitatis: ergo quando dicit Concilium. *Si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat*, non loquitur de contingentia Physica, quam habet subjectum, ut idem numero manens jam sit album, jam nigrum, jam calidum, jam frigidum; sed de mera contingentia logica, quam habet genus, ut ad hanc speciem ignobiliorem, vel ad illam nobiliorem contrahatur, quo in sensu dicitur contingere animali esse rationale. Patet Consq. quia ibi Tridentinum agit de contritione in genere, prout scindente à perfecta, & imperfecta: post cujus considerationem contrahit illam ad utramque speciem perfectæ, & imperfectæ contritionis: atqui differentia; quâ genus contrahitur, non advenit generi contingenter physicè, sed logicè, ut per se est evidens: ergo, &c.

Contra quartò: Eo cap. 4. agit Concilium de contritione, quatenus charitate formata includit votum confessionis: atqui habitus gratiæ vel charitatis non includit votum confessionis: ergo non loquitur de charitate, quæ sit habitus gratiæ, aut charitatis. Contra quintò: postquam Concilium consideravit contritionem præcisam à perfecta, & imperfecta, contrahit perfectam ad eam, quæ est charitate formata; imperfectam verò ad illam, quæ concipitur ex mera gehennæ, aut peccati turpitudine, similibusque motivis, de qua dicit, quòd sufficiat solùm extra Sacramentum: ergo ex mente Concilii contritio perfecta, quæ est charitate formata, habet nobilius motivum, quàm contritio concepta ex metu gehennæ, aut turpitudine peccati, sive oppositi religioni, sive justitiæ, sive obedientiæ; dummodò non eliciatur ex motivo charitatis, ac proinde ibi duo definit, nimirum, per actum illum ex motivo charitatis obtineri justificationem extra Sacramentum, & per alios inferioris motivi, non nisi intra Sacramentum, ideóque sunt attritio, quamvis in Sacramento cum ipsa habitu gratiæ, & charitatis conjungantur.

Probatur secundò Conclusio: pœnitentia, quæ à peccatore fit, & est ultima dispositio ad gratiam, contradistincta à Pœnitentiæ Sacramento, quod non fit à peccatore, sed à ministro, ex dictis à n. 193. de Sacramentis, est actus elicitus ex motivo charitatis, juxta doctrinam Scripturæ, & SS. PP. ita ut sine illo motivo, per pœnitentiam à peccatore factam, non habeatur justificatio: ergo contritio sufficiens ad justificationem extra Sacramentum debet esse ex motivo charitatis. Probatur Antecedens ex primâ Joan. 3. *qui non diligit, manet in morte*. Ad Cons. *Sine charitate nihil sum*. Luc. 7. ubi Christus de Magdalena ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm: cui autem minùs dimittitur, minùs diligit*: quasi diceret: esti omnia mortalia remittantur per contritionem habitam ex charitate, venialia autem, vel plura, vel paciora remittentur, quò major, vel minor fuerit dilectio. Ad istum Scripturæ locum, multi PP. expressè requirunt charitatem pro vera pœnitentia sufficiente ad Justificationem extra Sacramentum. Sic August. *de vera, & falsa pœnitentia* c. 9. *Sine amore nemo unquam gratiam pœnitentiæ venit, nec veniam assecutum esse*: & tom. 7. lib. 1. de 12. contra Crescon. ubi de modo, quo peccatores mundantur, ait: *Mundantur ipsa, quæ sunt*

præeminet omnibus, charitate, ab illo, qui per Apostolum Petrum ait: charitas operit multitudinem peccatorum, quæ una si adsit, omnia illa recta fiunt, si autem desit, illa omnia frustra fiunt. Et tom. 10. ser. 7. *de temp.* qui est 3. *de nat. Salvatoris: Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei*: ergo, &c.

255. Probatur tertiò istâ ratione conjecturali: etenim cùm hoc solùm dependeat ab ordinatione divina, non possumus reddere rationem, cur ita debeat fieri; sed solùm conjecturam pro convenientia, ut ita ordinatum fuerit: quæ autem à Theologis communiter traditur, ad hanc formam potest ita reduci. Peccatum mortale est maximum malum; & summa offensa, & injuria ex parte hominis erga Deum: ergo ut Deus tale peccatum remittat, congruentissimè exigit ab homine, ut efficiat nobilissimũ in specie actum, quem potest, qualis est amor Dei super omnia. Confirmatur: congruentissimum est ad remissionem peccati extra Sacramentum, ut requirat Christus Dominus magis, quàm exigit in Sacramento, in quo voluit singularem favorem ostendere pro lege gratiæ, quem non ostenderat Deus pro lege scripta, aut lege naturæ, applicando nimirum sua merita; faciliorémque reddendo justificationem peccatori: sed in Sacramento exigit actum pœnitentiæ; licèt non eliciatur à charitate: ergo extra Sacramentum congruenter exigit actum pœnitentiæ elicitum à charitate. Ex dictis.

§. II.

256. FIt primò contra Cajetanum: Attritionem nunquam posse fieri formaliter contritionem. Ratio est: quia contritio ex intrinseco suo modo tendendi in bonitatem divinam, tanquam in objectum suum formale, distinguitur ab attritione, utpote non habente modum tendendi, tanquam in objectum formale, in bonitatem divinam: sed modus tendendi unius actûs nequit mutari in modum tendendi alterius, sicut neque cognitio solius Petri fieri potest cognitio solius Pauli: ergo &c. Quapropter commune illud Theologicum axioma: *homo in Sacramento Pœnitentiæ de attrito fit contritus*: non intelligitur: de attrito actualiter, actualiter contritus: sed contritus habitualiter, quatenùs recipit charitatis habitum, qui est principium per se infusum ad contritionis actum eliciendum, & simul admittitur ad amicitiam divinam habitualem, non minùs: quàm si Contritionem extra Sacramentum elicuisset. Unde non dicitur: attritio fit contritio: quia hoc est impossibile, cùm significet mutationem intrinsecam attritionis in contritionem, sed dicitur: homo attritus fit contritus: prout denotatur mutatio quoad denominationem ex parte subjecti, quod de attrito in actu, fit contritum in habitu, ut bene notavit Soto in 4. dist. 17. qu. 2. art. 5. concl. 2.

257. Fit secundò: contritionem indispensabiliter detestari peccatum supra omne malum pœnæ, non verò attritionem: Ratio est, quia Contritio nunquam fugit peccatum propter illud malum solum pœnæ, sed propter bonitatem divinam, quam supra omne malum pœnæ appretiativè diligit; at verò attritio concipi potest ex motivo gehennæ, sive ex timore, ne pœnam illam incurrat. Cùm autem nullus actus excedat motivum, sub quo fertur in objectum, utpote ab illo habens totam vim, & efficaciam; exinde, qui detestatur peccatum propter malum pœnæ, non detestatur plùs peccatum, quàm malum pœnæ. Cæterùm non ex eo ista detestatio (quod maximè notandum est) est conditionata voluntas admittendi peccatum, si non esset pœna. Ratio est evidens, quia simul cum ista detestatione attritionis, componi potest in voluntate alter actus amoris Dei super omnia, ut sæpè contingit, & experientia docet, quo voluntas detestetur peccatum supra omne malum pœnæ: atqui cum voluntate admittendi peccatum, si non esset pœna, nequit componi voluntas detestandi peccatum, licèt non esset pœna: ergo ea Attritio non est voluntas admittendi peccatum, si non esset pœna: unde solùm est voluntas incompossibilis cum voluntate peccandi ex suo motivo, & compossibilis cum perfectiori peccatorum detestatione, etenim in sensu composito illius actus eliciti ex motivo pœnarum, ut universaliter applicato, nequit homo componi cùm voluntate peccandi, ut ex dictis à n. 223. constat, & 237.

Fit tertiò: non solùm contritionem immediatè liberam; sed etiam contritionem imperatam mediatè liberam, esse ultimam dispositionem ad justificationem, juxta sententiam illorum Theologorum, qui cum Scoto, Ripalda, Oviedo; &c. docent actum mediatè liberum augere meritum supra meritum actus imperantis immediatè liberi, quinimo, & præcipuè propter hunc casum in tractatu *de actibus humanis*, & in tractatu *de merito*, admittunt distinctum meritum in actu imperato graviores Theologi: Ratio est: quia peccator morti proximus, & copiâ Confessarii destitutus, advertens se teneri ex præcepto elicere contritionẽ, flagrans desiderio suæ æternæ salutis, potest ex obedientia imperare efficaciter contritionem: atqui si contritio imperata non haberet tunc meritũ distinctum à merito actûs obedientiæ imperantis; ille homo coram Deo solùm haberet meritum actûs obedientiæ; quod satis non est pro ultima dispositione ad justificationem. Si autem non haberet adeò flagrans desiderium obediendi Deo, eam contritionem immediatè liberam eliciendo, haberet meritum contritionis, quod est ultima dispositio ad justificationem: ergo flagrans desiderium obediendi Deo impediisset salvationem illius hominis, quod est satis absurdum. 258.

Scio P. Vazquez docere, Contritionem perfectam esse ultimam dispositionem ex destinatione divina, sive liberè fiat, sive necessariò, quod etiam docet Arriaga *de actibus humanis* disp. 4. sect. 3. subsect. 2. Huic autem sententiæ non acquiesco, eamque latè impugnavi in tract. *de merito* 259.

rito, quia homo non se avertit à Deo sine libertate, ac proinde, neque se convertit ad Deum, nisi cum libertate: Tridentinum enim eandem exigit libertatem ad conversionem, quam ad aversionem à Deo: Sic sess. 6. c. 5. dixit: *Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Jesum Christum præveniente gratia, sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis, vocantur; ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* Et infrà. *Unde in Sacris litteris cùm dicitur: convertimini ad me, & ego convertar ad vos: libertatis nostræ admonemur: cùm respondemus: converte nos Domine ad te, & convertemur: Dei nos gratiâ prævenirì confitemur.* Ex qua doctrina plura inferri possunt scitu digna, & ad peccatoris justificationem requisita.

260. Fit quartò: in hac Providentia per se requiri ad justificationem peccatoris ex divino præcepto actum pœnitentiæ. Hoc autem præceptum divinum ex Scriptura, & Conciliis, satis nobis constat, ut diximus n. 13. & in tractatu *de Sacramentis* n. 258. Quapropter peccator suorum peccatorum memor, nunquam eliciet actum perfectæ dilectionis Dei, nisi dolendo simul de peccatis commissis, idque non solùm, ut pœnitentiæ præceptum adimpleat, si enim nolle pœnitentiæ præceptum adimplere, sanè neque eliceret perfectam Dei dilectionem: verùm etiam, quia impossibile apparet, ut ex natura rei aliter fieri possit: si enim peccator cognoscit se esse inimicum Dei ratione offensæ, quam contra ipsum commisit, quomodo poterit Deum super omnia diligere, quin offensam illam dolorosè detestetur? Vide num. 269.

261. Si autem sit invincibiliter immemor suorum peccatorum; facilè credam, Deum applicantem suam omnipotentiam ad actum charitatis, excitaturum memoriam alicujus peccati, ut charitas sit dolorosa, & vera contritio. Dolor enim formalis respectu unius peccati ex generali motivo, est verus virtualis dolor omnium commissorum, non minùs, quàm actus formaliter incompossibilis cum uno peccato ex motivo generali sit virtuale propositum respectu omnium: ex eo enim, quòd Deus velit in hac Providentia veram contritionem ad remissionem peccatorum, & paratus sit ad concurrendum cum peccatore, quoties ille velit converti, paratus est etiam ad ea omnia, sine quibus non extat vera conversio, à fine usquè ad finem dirigens omnia fortiter, & disponens omnia suaviter, utpote perfectissimus providens. Cæterùm quia communiter supponunt Theologi, non repugnare casum, in quo peccator eliciat perfectum amorem cum omnimoda accidentali ignorantia, & inadvertentia peccati; addo, quòd tunc per accidens poterit ex illa accidentali ignorantia, & inadvertentia obtinere justificationem sine dolore; Ratio est, quia actui perfectæ charitatis est promissa in Sacris litteris justificatio, ut constat ex testimoniis adductis n. 254. tum ex Proverb. 8. *diligentes me diligo*: Eccl. 34. *oculi Dei in diligentes se*: & 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet*. Exinde poterit per accidens in eo casu extra Sacramentum obtineri justificatio sine dolore, secùs autem per se, cùm per se requiratur contritio, ut habet Trident. sess. 14. cap. 4. dicens: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*, quæ verba saltem de necessitate per se debent intelligi. Quænam autem contritio cum Martyrio sufficiat, & per se, & per accidens, constat ex n. 4. *de Baptismo*.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

§. I.

OBjicies primò: Antiquiores Theologi, & aliqui Patres, explicantes contritionem perfectam, dicunt esse dolorem de offensa Dei, ut videri potest apud Eximium Doct. disp. 4. sect. 1. Vazquez quæst. 85. art. 2. & Lugo disp. 5. sect. 1. atqui dolor de offensa Dei non solùm potest procedere ex charitate, sed etiam ex omnibus aliis virtutibus universalibus voluntatis: ergo contritio perfecta, quæ extra Sacramentum sit ultima dispositio ad justificationem, non solùm potest procedere ex motivo charitatis, sed etiam ex motivo aliarum virtutum. Confirmatur ex Soto: iste actus: detestor dolorosè offensam Dei, quà talem: est perfecta contritio, qui potest procedere ex motivo aliarum virtutum: ergo, &c.

Respondeo dist. Maj. de offensa Dei, prout bonitas divina est illi aversa, sive prout offensa est mala Deo, concedo; prout est mala pœnitenti, nego Maj. & dist. Min. nego Consq. ex dictis n. 128. & 135. Ratio est, quia sicut velle malum alicui, quia ipsi malum, est formaliter bonum odio prosequi, ita nolle malum, quia malum ipsi, est, formaliter illum amare, adeóque nolle offensam Dei, quia divina bonitas est illi aversa, est formaliter Deum amare: quo in sensu locuti sunt antiquiores Theologi, & SS. PP. Ad Confirmationem, dist. Maj. Si ly *quatenus* reduplicet supra bonitatem divinam, ut averse offensæ, conced. Maj. si solùm reduplicet supra malitiam, aut bonitatem purè creatam, nego Maj. & dist. Min. nego Cons. quia si ille actus reduplicet supra bonitatem divinam, erit actus charitatis, adeóque non pertinebit ad alias virtutes universales voluntatis, aliter cùm ex motivo gehennæ possit peccator detestari offensam Dei quà talem, dolor ex metu gehennæ esset perfecta contritio contra expressam doctrinam Tridentini citati num. 248.

Objicies secundò: Sæpè in Sacra Scriptura promittitur justificatio pœnitenti absque ulla men-

mentione charitatis, ut Ezech. 18. & 33. ubi dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet, & non morietur*, ibi enim nulla fit mentio de motivo charitatis, idque etiam docere videntur Chryſoſt. hom. 6. in Geneſ. & alii PP. ergo ad contritionem perfectam non requiritur indiſpenſabiliter motivum charitatis. Confirmatur: per religionem (idemque ſuo modo de juſtitia, aliisque ſimilibus virtutibus) ita amat homo cultum Dei, ut ſi neceſſaria eſſet ipſius hominis annihilatio ad illum cultum, eam vellet; ſed nihil aliud requiritur ad perfectam contritionem: ergo, &c.

265. Retorqueo argumentum: In illis Scripturæ verbis nulla fit mentio de contritione præ attritione: ergo non potiùs requiritur attritio, quàm contritio ad juſtificationem peccatoris extra Sacramentum. Reſpondebis, nego Conſeq. quia licèt non fiat explicitè, fit implicitè mentio de contritione, cùm ibi ſermo ſit de actu pœnitentiæ ſufficiente ad juſtificationem extra Sacramentum, qui quidem non eſt attritio, ſed contritio. Verùm ecce jam ſolutio noſtra. Reſp. eodem modo diſtinct. Antecedens, abſque ulla mentione explicita, conc. implicita, nego Anteced. & Conſequ. quia ibi eſt ſermo de actu pœnitentiæ ſufficiente ad juſtificationem extra Sacramentum, qui quidem, non niſi ex motivo charitatis, poteſt procedere, ut conſtat ex Conciliis, Scripturis, & PP. adductis à n. 247.

266. Ad Confirmat. retorq. argum. Per actum virtuoſum conceptum ex metu gehennæ, ita timet homo Deum, ut infligentem inferni pœnas propter peccatum, ut ſi neceſſaria eſſet ipſius hominis annihilatio ad eas pœnas fugiendas, eas vellet, juxta illud Chriſti Matth. 26. *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*: Sed nihil aliud requiritur ad perfectam contritionem: ergo timor virtuoſus conceptus ex metu gehennæ ſufficiens eſt ad perfectam contritionem: quod expreſsè eſt contra Tridentinum, ut & ipſi adverſarii fatentur. Reſpondebis, timorem ex metu gehennæ, quantumvis virtuoſum, ut definit Tridentinum, non reſpicere Deum ea nobilitate motivi, quæ requiritur ad perfectam contritionem. Sed ecce iterum ſolutio noſtra. Reſp. igitur, diſt. Maj. eam vellet, prout Deo bonam, nego Maj. prout peccatori bonam, permitto Maj. & diſt. eodem modo Min. nego Conſeq. quia nobilitas motivi bonitatis divinæ requiritur ex Scripturis, Conciliis, & PP. ad actum perfectæ contritionis, ut conſtat ex num. 247. & 254. Hæc ſolutio adeò efficax eſt ad homines, ut & ipſi adverſarii, velint, nolint, eam veram eſſe fateri teneantur. Cæterùm pro re adeò gravi, non ſolùm eſt ſatis retorſiſſe contra adverſarios vim argumenti; ſed oportet oſtendere, quàm falſum ſit, quod ipſi aſſumebant, nimirum virtutem religionis, aut aliam præter charitatem, habere vim ad eligendam annihilationem ſui ſubjecti, ut habeatur bonum à ſe amatum, qua de cauſa dixi: permitto Major. quæ quidem abſolutè eſt falſa.

Ratio eſt: quia Religio (idem ſuo modo de aliis præter charitatem] ſolùm amat cultum præcisè ut honeſtum, & quidem non per modum ſubſtantiæ, ſed per modum accidentis, ſeu ut honeſtum homini rationali, ideſt ſibi colenti Deum; adeóque repugnat, quòd illum amet magis, quàm ſe, aut quod velit annihilationem ſui in ordine ad illum: ſolùm namque poteſt homo, prout ſe concipit ſine virtute imperfectum, velle potiùs non eſſe, quàm eſſe imperfectum, & ſic eligere annihilationem ſui, potiùs quàm conſervationem defectuoſam. Quod, ut ex ipſis terminis patet, non eſt eligere non eſſe, ut illa perfectio ſit, ſed eligere non eſſe, quia ipſe eſt ſine illa perfectione, quam intendit: Sicuti qui amat ſanitatem ſibi, quam obtinere non poteſt, eligere valet potiùs annihilàtionem, quàm infirmitatis moleſtias pati; non poteſt autem eligere ſibi annihilationem, ut detur ea ſalus: annihilatus enim, & ſanus ſunt termini contradictoriè pugnantes, eodem prorſus modo, ac ſi diceret: *Volo ego annihilatus exercere actum religionis, & Deum colere, atque ſervare caſtitatem*, &c. Quapropter hujusmodi actus, non quidem ab alia virtute, ſed à ſola poſſunt procedere charitate, quæ quia non fertur in Deum, ut bonum homini amanti, ſed ut bonum in ſe, neque amat ſolùm obſequia à ſe facta, ſed quidquid eſt per ſe bonum Deo, poteſt eo ipſo amore velle citiùs annihilari, quàm Deum offendere. 267. 268.

Objicies tertiò: Contritio ex motivo Charitatis non eſt per ſe unicum medium in hac divina Providentia ad juſtificationem extra Sacramentum: ergo quando Tridentinum loquitur de illa, non loquitur tanquam de unico medio per ſe, ac proinde ſine ulla oppoſitione cum doctrinâ Tridentini deſignari poſſunt plures alii actus, qui ſint ultima diſpoſitio ad juſtificationem extra Sacramentum. Probatur Antecedens: Purus Dei amor ſuper omnia, qui non ſit dolor, non eſt Contritio: atqui eſt diſpoſitio per ſe ſufficiens: ergo &c. Probatur Min. ſi non eſſet per ſe, ſed ſolùm per accidens ſufficiens, ideò eſſet, quia ſolùm poſſet elici à peccatore ex accidentali ignorantia, aut inadvertentia peccati commiſſi: atqui purus Dei amor ſine dolore poteſt etiam elici à peccatore, quantumvis ſui peccati memore: ergo &c. Probatur Min. Si peccator recordetur peccati commiſſi in eo inſtanti, in quo non obligat pœnitentiæ præceptum, ex eo, quòd amet Deum ſuper omnia, non tenetur dolere de peccato commiſſo, ac proinde poteſt elicere amorem Dei ſuper omnia ſine dolore: ergo &c. Confirmatur: qui diligit Deum ſuper omnia, non tenetur dolere de omnibus malis, quæ Deo diſplicent: aliter teneretur dolere de omnibus offenſis ab ipſo commiſſis, & de peccatis alienis, quod eſt contra experientiâ: ergo &c.

Reſp. nego antecedens. Ad probationem conc. Maj. & nego Min. Ad probationem, nego Antecedens. Ratio eſt, quia amor charitatis ſuper omnia diligit Deum appretiativè ſupra 269.

omnia creata, supráque ipsum diligentem, ejusque voluptates, & bona, ut constabit à numer. 286. ac proinde in eo, qui doloris est capax, fert necessariò secum dolorosam detestationem mali, quod cognoscit, se contra Deum fecisse, præsertim si malum illud non est adhuc deletum: cùm autem in signo priori, in quo peccator habet cognitionem supernam illuminativam voluntatis, & constitutivam actûs primi proximi ad amorem, vel carentiam amoris, cognoscat se peccâsse, & ob levem suam voluptatem graviter aversum à Deo, & non adhuc videat offensam Dei deletam, implicat, quòd moveatur ex illa cognitione ad eum amorem, quin simul dolorosè eam offensam detestetur: etenim quando offensa moraliter perseverat, protrahitur actualiter antiquum malum, eodem omninò modo, ac si tunc physicè committeretur. Qua de causa judicant plures Theologi, non solùm necessitari peccatorem in eo casu ad dolendum de peccatis à se commissis nondum deletis, sed etiam de remissis, & de peccatis alienis, si veniant in mentem, quando determinatur ad Deum super omnia diligendum.

270. Hanc autem vim ejus amoris nullo alio aptiori modo cognoscere possumus, quàm ex ipsa experientia: Videmus enim illum, qui filium vehementer diligit, si videat, illi aliquod grave malum accidere, ex naturali illo affectu prorumpere necessariò in odium ejus mali, sive à parente ipso, sive ab alio inducti, statímque concipere voluntatem, quantum est ex se efficacem illud malum propulsandi, præsertim si amatus id exigat, sicut exigit Deus dolorem nostrum, & pœnitentiam. Exinde ad Conf. dist. Antecedens: non tenetur dolere, si mala illa veniant in mentem, quando à Deo præcipitur dolor, vel secundùm conceptum, quem habebant divinæ aversionis, præscindendo à remissione, nego; si non veniant in mentem, concedo Antecedens; & nego Consequ. ut constat ex dictis. Quinimò adhuc Antecedente permisso, Consequentia nulla esset, quia malum jam deletum non nocet, sicuti nocet, quod perseverat: quapropter Mater [idem de amico respectu amici] extremè amans filium, si illum videat aliquid grave actu patientem, non potest non dolere de eo malo; si tamen hoc malum non apprehendatur, ut præsens, sed ut præteritum, & sanatum, non movetur necessariò ad dolendum de illo. Pariter respectu alieni est magnum discrimen: quia sicut ille, qui Deum super omnia diligit, præscindit ab eo, quòd alii proponant non offendere Deum in posterum, & solùm curat, ut ipse nunquam Deum in posterum offendat, sed ut illum rebus omnibus præferat, ita potest non curare de malo, quod alii intulerunt, sed de malo, quod ipse intulit, illúdque dolorosè detestari.

§. II.

271. OBjicies quartò: *ille actus sufficit ad justificationem extra Sacramentum, qui est sufficiens, ut homo rédeat ad amicitiam cum Deo*; sed ad hoc non est necessaria contritio ex motivo charitatis, quâ Deum super omnia diligimus: ergo sufficit actus alterius inferioris virtutis. Probatur Min. potest Petrus esse verus Pauli amicus, & cum eo, tanquam cum amico, se gerere, esto non sit paratus ad amittendum suum honorem, & omnia sua in gratiam Pauli: multò autem magis, etiamsi non sit paratus alios omnes offendere citiùs, quàm Paulum: ergo pari ratione poterit peccator fieri pœnitentiam à se elicitam amicus Dei, licet non sit paratus omnia omninò illi postponere, vel propter illum vitam, omniáque sua amittere. Resp. concedo Maj. & nego Min. Adprobationem concedo Antecedens, & nego Consequ. quia amicitia humana non est digna ea prælatione, secùs amicitia divina. Quinimò apud homines plura opera egregia merentur ex se amicabilem alterius amorem; apud ipsos verò homines nulla sunt opera, quæ ex se mereantur amorem amicabilem Dei, solúmque elevantur ad hanc dignitatem ex gratiâ, misericordia, & destinatione divina, quæ ex Scripturis dumtaxat, Conciliis, & PP. potest nobis innotescere: cùm autem ex scripturis, Conciliis, & PP. habeamus, Deum ad hunc finem destinâsse eam contritionem, quæ procedit ex motivo charitatis, & non alios actus inferiorum virtutum, ut constat à num. 247. exinde infertur, hanc contritionem esse sufficientem, secùs autem alios inferiores actus.

Quinimò paritas ab amicitia humana ad divinam est à longè petita: ratio est, quia ut amicitia vera, & honesta sit, debet esse juxta regulas rationis; ita ut amicus injusta non petat ab amico: cùm ergo homines, etiamsi amici possint interè injusta petere, non possum ex vera amicitia esse paratus ad omnia facienda, quæ ille petierit, sed debeo esse amicus, ut dicitur, usque ad aras. Exinde cùm amico non tenear omnia mea dare, multò minùs alios sine causa offendere ratione amicitiæ erga illum. At verò ut nullum peccatum lethale contra Deum committam, ipsa ratio naturalis independenter à lege amicitiæ me obligat: unde non est mirum, si ratione amicitiæ in Deum, tenear ita eum amare, ut omnibus præferam, hoc est, ut malim omnia amittere, quàm ullum mortale committere; neque aliud nunc dicimus, requiri in eo amore super omnia ad justificationem necessario, sed id ipsum, quod juxta rationis regulas tenemur efficere, ne Deus rationabiliter sic nobis graviter aversus propter offensam. Quapropter si amor Dei non ita esset super omnia, non excluderet omne peccatum, neque esset perfecta conversio ad Deum, ac proinde talis deberet esse, ut ultima dispositio ad justificationem extra Sacramentum.

Objicies quintò: si perfecta Contritio ex motivo charitatis requireretur per se ad justificationem extra Sacramentum, amor Dei super omnia qui non esset perfecta Contritio, non sufficeret adhuc

adhuc per accidens ad talem justificationem, sed talis amor sufficit ex dictis num. 261. ergo perfecta contritio ex motivo charitatis non est per se requisita. Probatur Maj. posito illo amore, cùm homo maneret justificatus, haberet finem intentum per præceptum pœnitentiæ, & per testimonia scripturæ, & Conciliorum, in quibus præcipitur pœnitentia, sed obtento fine præcepti, jam non obligat præceptum: ergo ille homo non teneretur ad eliciendam contritionem, ac proindè nullo modo requireretur per se contritio. Hoc argumentum non tam impugnat Conclusionem nostram, quàm efficaciam puri amoris Dei super omnia: Ex illo enim intendunt plures, neque per accidens sufficere ad justificationem extra Sacramentum amorem Dei super omnia, qui non sit perfecta contritio. Cæterùm hæc debilia sunt: quapropter

274. Resp. ex dictis num. 26. nego Maj. ad probat. nego Maj. quia licèt homo ille maneret justificatus, non ex eo adimpleviſſet omnem finem intentum per præceptum pœnitentiæ: etenim à præcepto isto intenditur tanquam finis, dolorosa retractatio peccatoris, quæ ex dictis à n. 217. est de constitutivo actûs pœnitentiæ. Hæc autem, ut per se patet, non habetur per purum amorem; benè verò per perfectam contritionem, quæ est verum odium antiquæ vitæ, ut definit Tridentinum citatum n. 25. Unde si adveniente tempore, in quo præceptum istud obligat, homo ille advertens nollet dolere, nec retractare peccatum, peccaret mortaliter, & cessaret amor Dei, ut cum nostris docent etiam Thomistæ cum Gonetto disp. 7. art. 1. n. 18. Unde ille amor non est pœnitentiæ in re, sed in voto; ac proinde absque pœnitentia, vel in re, vel in voto, nequit haberi justificatio. Quando verò obliget præceptum istud, constabit infra, quando agamus de præcepto pœnitentiæ. Sic in Sacramento pœnitentiæ, ex eo quod non intendatur sola justificatio peccatoris, sed etiam quod manifestentur Confessario omnia peccata, licèt verè justificetur, qui accedit ad istud Sacramentum invincibiliter oblitus alicujus lethalis; si tamen posteà, quando advenit tempus, in quo obligatur ad confitendum, & recordatur illius lethalis, nolit illud in confessione aperire, peccabit mortaliter, & amittet gratiam, quam acceperat.

275. Objicies sextò: potest dari dolor, qui sit ultima dispositio ad justificationem, & tamen non sit amor Dei formalis, sed ad summum virtualis: ergo saltem ad perfectam contritionem non requiritur, quòd sit formalis Dei amor super omnia. Probatur Antecedens ex Psal. 31. ubi dicitur: *Dixi: confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*: tum etiam 2. Reg. 12. statim atque David dixit: *peccavi Domino*; subjunxit Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*: atqui in his similibus testimoniis, quæ passim reperiuntur in scriptura, solùm assignatur pro ultima dispositione ad justificationem dolor sine amore: ergo &c. Confirmatur: ex motivo bonitatis divinæ possum detestari peccatum per actum, qui solùm sit odium peccati, & non sit amor Dei; sicuti possum amare medicinam propter sanitatem, etiamsi non tangam intrinsecè per eum actum ipsam sanitatem: ergo potest voluntas elicere istum actum: *detestor pro Deo hoc malum, quia illi malum est*: ita ut iste actus solùm sit odium peccati, & non sit amor Dei: atqui talis actus esset ultima dispositio ad justificationem, haberet enim eandem virtutem, quam Dei amor, cùm odium mali sit virtualiter amor boni oppositi; ergo &c. Propter hoc argumentum existimant plures cum Exim. Doct. posse dari dolorem charitatis, absque formalitate amoris. Cæterùm cùm ille actus jam procederet ex motivo charitatis, nequit ex hoc capite impugnari nostra Conclusio. Nihilominùs pro majori claritate, & rei veritate.

Resp. nego Antecedens. Ad probationem 276.
concedo Maj. & nego Min. quia licèt ibi non fiat explicitè, sit tamen implicitè mentio de motivo charitatis, ex dictis à n. 265. Ad Confirmationem, nego Antecedens, & paritatem de medicina. Ratio est, quia licèt permittamus, quòd plurimi negant in Philosophia; nimirum posse aliquem velle Medicinam propter salutem, quin per illum actum amet salutem, attamen quando ita contingeret, salus se haberet ut finis intentus, & amatus, ex quo amore salutis oritur electio medii, nempè Medicinæ; ac proindè quatenùs ille amor Medicinæ penderet ex intrinsecis suis ab amore salutis, dici posset virtualis, sive implicitus amor salutis. Hæc autem ratio cessat omninò in nostro casu: nam si dolor ille oritur, & pendet ab amore Dei super omnia, jam per amorem ipsum supponeretur remissum peccatum.

Si autem non oritur, non habet undè dicatur 277.
pertinere potiùs ad charitatem, quàm ad aliam virtutem, nisi superaddatur tendentia, quam in ipso argumento assignant adversarii, nimirùm quia fugit peccatum pro ut Deo malum: Cæterùm falsò supponunt, hanc tendentiam esse puri odii, & non formalis amoris, quandoquidem nolle malum alteri, quia ipsi malum, est formaliter illum amare, ex dictis num. 263. Quinimò cùm ipsa divina bonitas sit objectum cui, & ratio formalis amandi, non aliter movet, quàm ut bonum amabile, ac proindè nequit movere ad actum, qui detestetur peccatum, quia Deo malum, quin ille ipse actus sit Dei amor; ex quo habetur secunda disparitas ad paritatem de fine, cùm finis non moveat, ut objectum cui, ægrotus enim non vult medicamentum, ut bonum sanitati, sed ut bonum sibi ad obtinendam sanitatem; quàm amat per actum, à quo pendet electio.

***

SECTIO III.

Quomodo Contritio perfecta attingat motivum Charitatis?

§. I.

278. SUppono primò: actum charitatis apud Theologos esse actum amicitiæ ex illo Prov. 8. *ego diligentes me diligo*: adeóque bonitatem divinam non specificare actum charitatis utcumquè attactam, sed ita debere attingi, ut affectus ipse quatenùs ex eo motivo procedens, maneat incompossibilis cum actu legum amicitiæ divinæ transgressivo. Ratio est, quia ut constat ex dictis à n. 73. voluntas, utpotè potentia libera, potest attingere motivum bonitatis divinæ, vel secundùm totam suam universalitatem, prout se extendens ad omnia, quæ Deo placent; vel cum aliqua restrictione, prout se extendens ad fugienda graviter displicentia; vel cum majori restrictione, prout coarctatur ad fugiendum unum, & non aliud, quo in sensu potest voluntas ex eo motivo ita restricto fugere unum peccatum lethale, & non aliud, ut optimè notavit Exim. Doct. tom. 1. *De gratia* lib. 1. cap. 34. n. 19. atqui ad actum incompossibilem cum affectu transgressivo legum amicitiæ divinæ, licèt non requiratur, quòd divina bonitas attingatur secundùm totam suam universalitatem absquè ulla restrictione, cùm amicitia Dei non amittatur per venialia; requiritur tamen, quòd saltem attingatur, prout aversa omni lethali, cùm per quodcùmque lethale amicitia Dei amittatur: ergo &c. Exindè

279. Suppono secundò cum Arriaga disp. 8. sect. 2. num. 5. & 7. omnem actum charitatis esse actum amoris Dei; non verò è contra, sicuti omnis homo est animal, at verò omne animal non est homo. Ratio est, quia ideò omnis homo est animal, & non è contra, quia nullus potest dari homo, qui non sit animal; at verò potest dari animal, quod non sit homo, atqui etiam nullus potest dari actus charitatis, qui non sit amor Dei, cùm debeat amare bona saltem debita intra leges amicitiæ, quia Deo bona; at verò potest dari amor Dei, qui non sit charitas: v. g. si quis propter bonitatem divinam, quam amat, nollet jurare, etsi veller simul graviter furari: talis enim actus, cùm esset compossibilis cum affectu transgressivo legum divinæ amicitiæ, non esset charitas, sed amor valdè imperfectus: ergo &c. Quapropter actus charitatis amat Deum super omnia: cæterùm cùm particula *super omnia* sit respectiva, potest dupliciter sumi, vel pro amore super omnia, idest supra leges amicitiæ; vel pro amore super omnia, idest juxta leges amicitiæ. Ad actum verò charitatis non requiritur, quòd sit super omnia in primo; benè verò in secundo sensu, cùm non debeat esse supra, sed juxta leges amicitiæ divinæ, ex dictis numero superiori. Exindè

Suppono tertiò: actum charitatis esse verum Dei amorem super omnia. Ratio est, quia, eo durante in anima, potiùs omnia contemnere, quàm leges divinæ amicitiæ transgredereturnihil enim præcipi potest, ut necessarium adlegum istarum adimpletionem, quod non sit actionis naturalis regulis valdè conforme, in quo distinguitur amicitia erga DEum ab amicitia erga Creaturam, ex numer. 272. Unde si id, quod modò prohibetur sub levi, prohiberetur postèà sub gravi, non posset voluntas, durante eo amore, labi in talem non prohibitam, in quam modò labitur, quia nunc ipsius ille, ex ipso Deo legislatore, non est transgressio legum Divinæ amicitiæ: non enim amittitur gratia, aut amicitia divina per venialle peccatum. Quinimò cùm per actum charitatis non amet homo ista, ut sibi, sed ut Deo bona, si opus esset, potiùs eligeret sui, quàm Dei destructionem, aut gravem offensam contra ipsum committere: in eo namque distinguitur, ex n. 267. actus charitatis ab actibus aliarum virtutum, quia actus aliarum virtutum possunt amplecti suum objectum tanquam bonum efficienti; actus verò charitatis purè amplectitur suum objectum, tanquam bonum Deo, eique de causa aliæ virtutes sunt elicitivæ actus concupiscentiæ; secùs autem charitas.

Suppono quartò: magnitudinem amoris dividi à Philosophis, & Theologis in intensivam, & appretiativam. Intensiva est ea, quæ fit, vel per additionem gradûs ad gradum, vel per redentiam omninò similem. Unde sicut gradus intensus non addit appretiationem objecti supra appretiationem gradûs remissi, sed majorem vim, aut teneritudinem affectivam, seu amplexivam objecti juxta illam prævia appretiationem; ita etiam, si per gradum remissum objectum non præferebatur omnibus, sed tribus solis objectis; per gradum pariter intensum non præferetur omnibus, sed illis tribus duntaxat objectis; si autem per gradum remissum nulli alteri objecto præferatur, pariter per gradum intensum nulli alteri objecto præferetur. Appretiativa verò est illa, quæ non ex majori intensione, aut teneritudine, sed ex natura intrinseca ipsius actus procedit, ita ut sive tendentia intensa, sive remissa suum objectum præferat aliis ex vi illius specificæ tendentiæ actûs. Quapropter si actus intensus appretiat suum objectum super omnia; pariter, & actus remissus appretiabit suum objectum super omnia. Quapropter potest dari unus actus valdè intensus, qui suum objectum non appretiet super omnia, & alius valdè remissus, qui super omnia illud appretiet, ut dixi in Prol. à num. 1.

Exemplum sit in patre, qui sæpè solet amare magis intensè equum, quàm filium, & filium quàm Deum: ex qua amoris intensione prodit in lacrymas, si amittat filium, & non plorat, quando amittit Deum, & tamen amat magis appretiativè filium, quàm equum, & Deum quàm filium, nam si in sua electione esset, po-

gibus eligeret amittere equum, quàm filium, & filium, quàm Deum. Quod etiam plures Doctores explicant in facto Jonathæ cum Davide 1. Reg. 18. ubi dicitur: *Anima Jonathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Jonathas quasi animam suam.* Credibile namque est Jonatham, sive ex admiratione virtutis, sive ob similitudinem morum inter juvenes bellatores, amore teneriori, ac magis intenso Davidem, quàm Saulem parentem dilexisse; suadet tamen præclara Regii adolescentis indoles, & sapientia, amatum ab eo Saulem magis appretiativè, quàm Davidem; hoc est, paratum illum fuisse Patris salutem, & commoda, Davidis saluti, & commodis anteponere, ac si casus urgeret, promptiùs, ac majori studio patri, quàm amico subvenire. Exinde cùm bonitas divina movere possit ad amorem super omnes intensum, vel ad amorem super omnia appretiativum, quærimus quomodò contritio perfecta attingat bonitatem divinam?

283. Prima Sententia est Adriani asserentis, ad contritionem perfectam, & ad perfectam dilectionem Dei, quæ sit ultima dispositio ad justificationem extra Sacramentum, requiri summum conatum, ac proinde debere esse summum dolorem, & summum amorem intensivè. Ratio ejus est, quia alioquin non amabitur Deus plusquàm omne bonum, nec peccatum odio habebitur, plusquàm omne malum. Secunda Sententia est Petri Soti, cum Bonavent. & aliis, docentis non requiri, ut sit summus dolor, aut amor intensive; requiri tamen, ut sit intensior quovis alio actu doloris, vel amoris: Ratio ejus est, quia cùm æstimatio alicujus rei sit amor illius, quò aliquis intensiùs rem aliquam amat, eò illam magis æstimare videtur. Unde si aliquis intensiùs Creaturam, quàm Deum amaret, magis æstimaret creaturam, quàm Deum. Quapropter ut quis diligat Deum super omnia, necesse est, ut Deum intensiùs amet, quàm alia objecta, & similiter, ut doleat de peccato super omnia, oportet, ut dolor iste sit intensior quovis alio dolore. Tertia Sententia est Cajetani exigentis aliquam durationem notabilem. Ratio ejus constabit num. 301. Quarta ferè omnium Theologorum Sententia docet, contritionem perfectam non debere esse dolorem, aut amorem super omnia intensivè, benè verò appretiativè, etsi non omnes conveniant, neque in probanda, neque in explicanda natura appretiationis. Ad clariorem horum omnium decisionem.

§. II.

284. Assero primò contra primam sententiam: contritio perfecta non debet esse elicita ex summo potentiæ conatu quoad intensionem. Probatur: amor Dei super omnia requisitus ad adimpletionem præcepti diligendi Deum, non debet esse elicitus ex summo potentiæ conatu quoad intensionem: ergo neque perfecta contritio. Consequentia tenet, quia præceptum diligendi Deum obligat ad illum diligendum per verum actum charitatis, qua de causa Innoc. IX. inter 65. propositiones damnavit 6. quæ sic habebat: *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennis per se obligare præceptum charitatis erga Deum:* Antecedens verò probatur: nullum est divinum præceptum, de cujus adimpletione nullam habere possit probabilitatem ille, qui præceptum vult adimplere: tale enim, ut per se patet, esset nimis severum, & si non esset absolutè impossibile, saltem fragilitati humanæ esset minimè consentaneum: atqui nullus scire probabiliter potest, quando elicit actum veræ dilectionis Dei, an ille actus in intensione adæquet intensionem habitûs charitatis, adeóque sit summus in intensione actus, & conatu potentiæ: ergo &c. Confirmatur primò: Per majorem amorem intensivum non tantùm æstimatur res, quàm per majorem appretiativum, ut constat à n. 281. ergo ex titulo majoris æstimationis non requiritur major amor intensivus. Confirmatur secundò ex D. Thom. in suppl. quæst. 5. art. 3. in corp. dicente: *Sic ergo dicendum, quòd quantumcumque parvus sit dolor, dummod ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet: ergo &c.* Vide Prol. à n. 1.

Assero secundò contra secundam sententiam: 285.
Contritio perfecta non debet esse intensior quovis alio amore, aut dolore elicito ab operante. Probatur. Qui magis intensè dolet de morte filii, quàm de peccato commisso contra Deum, non offendit ex eo Deum, si actus doloris de peccato sit magis appretiativus Dei, quàm filii, aut sit appretiativus Dei super omnia, quod non habet amor filii: sic enim magis perfectè Deum, quàm filium diligeret, repugnátque ex ipsis terminis, quòd aliquis peccet diligendo Deum, & filium ex eo, quòd magis perfectè Deum, quàm filium diligat: sed talis amor appretiativus, utpote sufficiens ad amicitiæ divinæ leges adimplendas, sufficiens quoque est ad perfectam contritionem: ergo &c. Confirmatur primò ex D. Thom. in suppl. quæst. 5. art. 3. §. *sed contra* dicente: *quælibet Contritio est gratiâ gratum faciente informata: ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam:* ergo &c. Confirmatur secundò: si ad perfectam contritionem requireretur major amor intensivus, & non sufficeret amor super omnia appretiativus, possent duo ita elicere omninò æqualem amorem, ut unus eliceret amorem sufficientem ad justificationem, & alter non; sed hoc ex ipsis terminis implicat: ergo &c. Probatur Maj. unus ex illis duobus elicientibus eundem omninò æqualem amorem posset simul habere actum amoris intensiorem circa aliud objectum, & alter non: ergo juxta principia adversariorum, amor ab uno elicitus esset sufficiens dispositio ad justificationem; secùs autem amor omninò æqualis ab alio elicitus. Confirmatur tertiò: major æstimatio non stat in majori intensione, sed in majori appretiatione: ergo sine fundamento re-

quiritur major intensio amoris ad perfectam contritionem.

286. Assero tertiò contra tertiam sententiam. Ad contritionem perfectam non requiritur notabilis ulla duratio, sed talis est in ipso instanti, in quo elicitur. Probatur: sicut Deus nullam exigit determinatam intensionem, neque in Scripturis, neque in Conciliis ad perfectam contritionem, ita neque exigit ullam durationem: ergo talis duratio ad perfectam contritionem non requiritur. Confirmatur exemplo Davidis 2. Reg. 12. qui vix dixerat *peccavi*, & statim audivit à Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*: vix enim potest esse brevior duratio, quàm illa fuit. ergo, &c. Confirmatur secundò: quia cum ex nullo testimonio constet adhuc probabiliter, quanta sit illa duratio, homo teneretur sub præcepto ad contritionem, quin sciret probabiliter, quando posset desistere sine peccato (quòd etiam militat pro intensione) adeóque neque vicinus morti, eliciendo contritionem, in instanti posset justificari, quòd est contra persuasionem fidelium, & contra testimonia superiùs adducta, & contra alia statim adducenda à n. 299. ergo, &c. Confirmatur tertiò ex S. Th. 3. part. q. 89. art. 2. in corp. dicente: *Motus liberi arbitrii, qui est in justificatione impii, est ultima dispositio ad Gratiam: Unde in eodem instanti est gratiæ infusio*: ergo, &c. Omitto plura quæ satis constabunt ex solutione argumentorum.

287. Assero quartò cum quarta sententia. Ad perfectam contritionem sufficit, & requiritur, quòd actus supernus elicitus sit dolorosa detestatio de peccato commisso, & amor Dei appretiativè super omnia; adeóque perfecta contritio attingit secundùm istum respectum motivum charitatis. Probatur primò: Perfecta contritio continet formalitatem amoris charitatis erga Deum, ut constat ex Trid. cit. n. 247. ac proindè est adimpletiva legum amicitiæ divinæ ex dictis à n. 278. atqui affectus adimpletivus legum amicitiæ divinæ debet esse detestatio dolorosa peccati, & dilectio Dei appretiativè super omnia: ergo, &c. Prob. Min. ille affectus, qui non detestaretur appretiativè peccatum super omnia, compossibilis esset cum appretiatione peccati magis, quàm Dei, si posset existere sub alia hypothesi; & ille, qui non amaret Deum appretiativè super omnia, compossibilis pariter esset cum appretiatione alterius objecti magis, quàm Dei, adeóque cùm hoc sit lethale, talis affectus in ea hypothesi esset compossibilis cum lethali: atqui affectus compossibilis sub quacumque hypothesi cum commissione peccati lethalis, non esset adimpletivus legum amicitiæ divinæ, cum per quodcùmque lethale contraharur meritum inimicitiæ cum Deo: ergo, &c. Confirmatur. Perfecta contritio non solùm est incompossibilis cum voluntate peccandi: hoc enim etiam convenit attritioni, dum ipsa existit in hypothesi præsentis providentiæ, ut constat ex Tridentino citato n. 223. sed ulteriùs habet ea peccata fugere, quia graviter mala extrinseca respectu Dei, sive ex amore debito legi amicitiæ erga Deum: atqui non potest ita detestari peccata, quin ea appretiativè super omnia detesterur, & Deum appretiativè super omnia diligat: ergo, &c.

Respondebis, non satis esse, quòd contritio ita sit incompossibilis cum voluntate peccandi, ut detesterur peccatum appretiativè super omnia: cùm attritio concepta ex metu pœnæ inferni sit etiam incompossibilis cum voluntate peccandi, quin detesterur peccatum appretiativè super omnia, cùm non detesterur illud supra pœnas inferni, ex n. 257. Contra tamen primum & ut magis appareat veritas, ex ipsa eorum responsione arguo contra adversarios sic: Ideo actus, quo aliquis fugit peccatum ob motum pœnarum inferni, non detestatur magis peccatum, quàm pœnam, quia nullus actus potest excedere motivum, sub quo fertur in objectum, utpote ab illo habens totam suam vim, & efficaciam, ut diximus à n. 257. ergo cùm perfecta contritio habeat pro motivo divinam bonitatem, quam appretiativè amat super omnia, accipit à suo motivo efficaciam ad detestandum peccatum super omnia. Contra secundò. Ratio communis contracta ad differentias inaequales participat in una specie rationem nobiliorem, quàm in alia: sic animal contractum ad hominem, & leonem reperitur nobiliori modo in homine, quàm in leone; licèt enim qua animal præscindat ab identitate cum rationali, qua tale animal habet veram identitatem cum rationali: ergo licèt pœnitentia, ut sic præscindat à detestatione peccati super omnia, contracta ad perfectam contritionem non præscindet, sed identificabitur cum vera detestatione peccati super omnia:

Probatur secundò Conclusio ex Eximio Doctore. Detestatio contritionis est proportionata amori non minùs, quàm unum identificatum cum alio sit ei proportionatum; atqui amor prout rendit in Deum, amat Deum super omnia, ut constat ex n. 286. ergo detestatio, prout rendit in peccatum, detestatur peccatum super omnia. Confirmat. Amor Dei requisitus ad contritionem perfectam, est ille, qui cadit sub præceptum, ne leges debitas amicitiæ divinæ transgrediamur, juxta illud Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis.* Atqui præceptum amoris obligat ad actum adimpletivum legum amicitiæ divinæ, adeóque ad diligendum Deum appretiativè super omnia, ex illo Christi Matth. 10. *Qui amat patrem, aut matrem plusquàm me, non est me dignus*: ergo hæc detestatio, quam secum fert talis amor, debet detestari super omnia peccatum, quòd transgrederetur leges divinæ amicitiæ.

Assero quintò cum Exim. Doctore tom. 1. de *Degratia* lib. 1. cap. 31. à num. 12. Contritio perfecta

perfecta eatenùs est tendentia appretiativa super omnia, quatenùs ex divina bonitate est amor obedientialis, sive divinæ amicitiæ legum adimpletivus. Probatur primò. Amor ex divina bonitate obedientialis, sive divinæ amicitiæ legum adimpletivus est ille, quo voluntas non solùm vult Deo bonitatem, quam in se habet, sed etiam propter illam vult Deo ita placere in omnibus, ut fugiat omnia contraria, solùm, ut ei ita placeat; atqui talis actus est appretiativus super omnia: ergo, &c. Probatur Min. talis actus non solùm vult Deo bona sua intrinseca, sed etiam extrinseca; nec solum hæc, vel illa, sed omnia, quæ Deo placent, ne contrahatur debitum inimicitiæ: non quidem quia hoc amanti est bonum, sed unicè, quia bonum est Deo, penès quem est præscribere quascumque voluerit amicitiæ leges; atqui talis actus est appretiativus super omnia: præfert enim bonitatem Dei omnibus aliis rebus, & detestatur super omnia detestabilia, quidquid ex lege amicitiæ est ipsi contrarium: ergo, &c.

891. Probatur secundò: Amor ex divina bonitate obedientialis, utpote elicitus circa bonitatem divinam, ut Deo bonam, & circa bona extrinseca, ut bona ipsi Deo; verè unit affectivè voluntatem amantis cum voluntate Dei, ac proinde in hac Providentia manet exinde voluntas divina unita cum voluntate amantis ex illo Prov. 8. *Ego diligentes me diligo*: & ex 1. Jo. 4. *Charitas ex Deo est: & omnis qui diligit, ex Deo natus est*: quo fit, ut talis actus sit formalis, aut saltem virtualis voluntas servandi omnes amicitiæ leges, juxta verbum Christi Jo. 14. *Qui diligit me, mandata mea servabit*. Unde hujusmodi actus incompossibilis est cum actu postponente Deum, aut sua bona extrinseca ullis aliis rebus: talis enim postpositio afferret inimicitiæ debitum, quod cum tali actu est incompossibile; sed hoc est formaliter diligere Deum super omnia, & peccatum super omnia detestari, ut constat ex dictis: ergo, &c.

892. Confirmatur primò: iste actus: *malo te, ò Deus, propter tuam bonitatem non offendere, quàm omnia alia bona possidere, aut mala fugere*: est actus dilectionis Dei, & detestationis peccati super omnia; atqui amor ex divina bonitate obedientialis à nobis expositus hanc præfert tendentiam, ergo, &c. Confirmatur secundò: iste amor obedientialis non minùs habet pro fine amplecti omnia Dei bona, quia Deo bona, & fugere omnia Dei mala, quia Deo mala, quàm amor scissionis venæ propter salutem habeat pro fine salutem, sive subjectum sanum: sed amor scissionis venæ propter salutem amat appretiativè magis salutem, sive subjectum sanum, quàm ipsam scissionem, ex illo Aristotelis, *propter quod unumquodque est tale, & illud magis*: ergo iste amor obedientialis, amat appretiativè magis bona Dei, quia ipsi bona; sive ipsum Deum bonum, quàm reliqua alia, paritérque detestatur omnia ipsi Deo contraria, quia ipsi mala, plusquam reliqua omnia; quæ quidem, ut per se patet est vera tendentia appretiativa super omnia. Ex dictis

§. III.

FIt primò: amorem Dei super omnia, adeóque & contritionem perfectam esse actum, vel formaliter, vel saltem virtualiter comparativum ad eum modum, quo actus, quo dico: appretio magis Petrum, quàm Paulum: est appretiativè comparativus formaliter inter Petrum, & Paulum; vel ad eum modum, quo actus, quo dico: *amo medicamentum unicè propter salutem*: est virtualiter compatativus, appretiando magis salutem, quàm medicamentum. Sic contritio perfecta, quâ amor appretiat magis Deum, quàm reliqua omnia, & similiter quâ detestatio detestatur magis peccatum, quàm reliqua detestabilia. Quapropter si unum de duobus malis eligendum esset, potiùs homo contritus eligeret quodvis aliud malum; quantumvis esset pœna Inferni, quàm peccatum. Sic Anselmus lib. de similitud. cap. 190. ferventer, & nervosè dixit: *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem Inferni horrorem, & necessariò uni illorum haberem immergi: priùs me in Infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem: mallem enim purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cælorum regna tenere.* 893.

Fit secundò, nullum actum in circumstantiis, in quibus sit lethale peccatum, esse compossibile cum perfecta contritione, licèt compossibilis esset, si reperiri posset in circumstantiis, in quibus peccatum non esset: Sic de homine inculpabiliter necessitato ad alterutrum è duobus malis omninò æqualibus; v. g. vel ad relinquendum ægrotum, ut audiat Sacrum; vel ad omittendum Sacrum, ut assistat ægroto, quando per ignorantiam judicat, utrumque esse peccatum, & omninò æquale; docent communiter Theologi non peccaturum: sive unum, sive alterum eligat, quia nullam habet libertatem moralem; cùm malitia moralis eadem omninò sit in utroque extremo; adeóque solùm habet libertatem purè Physicam conjunctam cum necessitate ad moralitatem. Supposito ergo, quòd tunc non peccet homo, non est ratio, cur non possit, vel perfectam elicere contritionem, ad cujus moralitatem veram habet libertatem, vel saltem conservare perseverantiam moralem contritionis elicitæ. Eodémque modo discurrendum est de suppositionibus impossibilibus, quæ fieri solent circa bona, & mala jam intrinseca, jam extrinseca Deo: si enim illæ suppositiones afferant circumstantias, in quibus actus eliciti non sint peccaminosi, poterunt componi cum contritione saltem moraliter perseverante; secùs autem si peccaminosi persistant, quantumvis illis positis subsequi possent aliqua bona: etenim, ut habet axioma Theologicum ex Augustino desumptum: *non sunt facienda mala, ut veniant bona*. Exinde 894.

Fit

295. Fit tertiò: posse componi cum perfecta contritione aliquos voluntatis actus purè speculativos circa aliquod objectum, quamvis componi non possint actus voluntatis practici circa illud, juxta sententiam illorum, qui docent, tales actus speculativos esse honestos, licèt actus practici sint vitiosi. Ratio eorum est, quia sæpè contingit, ut actus voluntatis purè speculativus circa aliquod objectum non sit peccatum; benè verò actus practicus circa ipsum: actus quippe speculativus, cùm non sit inductivus malitiæ; potest illam respicere, ut purum terminum, adeóque non sumit ab ea malitiam; sicuti actus, quo amo scientiam, quam Deus habet de peccato Petri, non accipit malitiam à peccato Petri, quia respicit illud, ut purum terminum. Qua de causa Cardinalis de Lugo, & plures alii docent, licitum esse desiderare, per desiderium speculativum, homicidium, ex quo sequitur magnum Reipublicæ bonum, quamvis sit illicitum illud procurare: Sic Arriaga disp. 8. sectione 3. docet, te posse optare desiderio purè speculativo, quod peccet Petrus ad hoc, ut vitet graviora peccata, licèt non possis licitè id procurare. Unde affectus detestandi peccata super omnia necessarius contritioni solùm se extendit ad ea, quæ sunt vera peccata, & legum divinæ amicitiæ transgressiva. Exinde

296. Fit quartò contra aliquos recentiores: Contritionem perfectam, quæ est Dei amor super omnia, non habere pro fine Deum, ut amicum homini contrito. Ratio est, quia talis amor esset actus concupiscentiæ, & vellet Deum, quia amanti bonum, quod multum distat à perfectione actûs charitatis erga Deum. Quin imò per talem actum non posset Deus amari super omnia. Non enim amaretur supra ipsum amantem: neque posset cum illo affectu componi actus, quo amans potiùs optaret non esse, quam quòd deficeret Deo; quod per illum actum attingitur: non enim possum desiderare meam annihilationem, ut habeam divinam bonitatem mihi bonam, ut constat ex num. 267. Lex enim amicitiæ erga Deum ideò exigit, ut amem potiùs meam annihilationem, quàm gravem offensam Dei, quia exigit, ut ea bona, quæ amo, non ideò amem, quia bona mihi, sed quia bona Deo; & pariter quòd non detester mala, quia mala mihi, sed quia mala Deo. Unde licèt actus charitatis non debeat esse amor Dei super omnia, sumpto ly *super omnia*, pro amore supra leges amicitiæ, qualis esset amor incompossibilis cum venialibus, & cum imperfectionibus moralibus; debet nihilominùs esse super omnia, sumpto ly *super omnia*, pro amore, juxta regulas amicitiæ ex dictis numero 279. Hic autem amor, licèt ex intrinsecis suis non excludat inimicitiam Dei effectivè, excludit illam affectivè, ut constabit n. 305.

***

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

§. I.

OBjicies primò contrà primam Assert. ex Adriano: per contritionem amatur Deus plusquàm omne bonum, & peccatum odio habetur plusquàm omne malum: sed non posset ita fieri, si contritio non eliceretur ex summo conatu potentiæ, essétque summa intensivè: ergo &c. Resp. dist. Maj. plus intensivè, nego; plus appretiativè, conced. Maj. & distinctâ eodem modo Min. nego Conseq. Ratio est, quia per contritionem, ita amatur Deus plùs aliis, ut præferatur reliquis omnibus (idemque suo modo detestatione peccati.) Cùm autem ad istum finem non conducat intensio, sed appretiatio, ut constat à n. 281. exindè perfecta contritio optima non est, quòd sit super omnia in intensione, bene verò in appretiatione.

Objicies secundò contra secundam Conclusionem ex Petro Soto, & aliis: Amor objecti est objecti æstimatio: ergo, quò sit æstimatio, eò major amoris intensio, adeóque amor Dei super omnia erit supra omnes alios amores intensivè. Confirmatur. Ut homo se disponat ad justificationem, tenetur facere, quantum potest: sed non solùm potest elicere amorem appretiativum, verùm etiam potest elicere amorem appretiativum, qui sit magis intensus: ergo ad eliciendam contritionem, debet elicere amorem appretiativum, qui inter omnes ab ipso elicitos sit magis intensus. Resp. dist. Antec. est objecti æstimatio secundùm naturam appretiativam amoris, concedo; supra naturam appretiativam amoris, nego. Anteced. & Conseq. quia major intensio non trahit majorem naturam appretiativam amoris, sed majorem teneritudinem secundùm eandem naturam appretiationis, ut constat à n. 281. Ad Confir. dist. Maj. tenetur facere quantum potest, ad ponendum id; quod destinavit Deus, ut necessarium ad justificationem, concedo; ut non necessarium, nego Maj. & distinctâ eodem modo Min. nego Cons. Ratio est, quia à Deo non est destinata ea major intensio, sed Contritio perfecta legum amicitiæ adimpletiva, ut constat ex Trident. citat. ex num. 247. ubi nec minimam mentio de actûs intensione, sicuti, neque de aliis operibus, quæ peccator, operando ex sua fortitudine, posset apponere; aliter, ut justificaretur, teneretur facere rigorosissimas omnes, quas posset, pœnitentias.

Objicies tertiò; instando simul solutionem. Non solùm exigitur ad justificationem exercitium Sacramentum, in Sacra Scriptura, quæcumque contritio, sed illa, quæ sit ex *tota fortitudine*, ut constat ex n. 289. tum etiam ex 4. Deuter. ubi dicitur: *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quæsieris eum in tribulatione animæ tuæ:* atqui in illis testimoniis

non solùm requiritur Contritio appretiativa, sed etiam magis intensa: ergo, &c. Confirmatur ex Cypriano tract. *De lapsis*, & Ambrosio *ad virginem lapsam*, c. 18. dicente, pœnitentiam esse fortiorem culpâ: ergo non solùm est magis appretiativa, sed etiam magis intensa.

300. Resp. concedo Maj. & nego Min. quia in his testimoniis sermo est de præcepto charitatis, quod per actum charitatis sub gravi adimplere tenemur, ut constat ex numer. 284. & 289. Cùm autem Deus non obliget sub gravi ad vitandum veniale, sed solùm ad actum legum amicitiæ adimpletivum; exinde manifestè fit, in illis testimoniis sermonem non esse de majori intensione, sed de majori Dei appretiatione supra reliqua omnia, aliter cùm ille, qui operatur ex tota sua fortitudine, & tribulatione, posset opera rigorosissima facere, & ingentes mortificationes, ad ea omnia ex præcepto teneretur, quod maximum esset absurdum, & contra omnium Catholicorum certam doctrinam. Ad Conf. conc. Anteced. & nego Conseq. quia ad culpam non requiritur appretiatio objecti supra reliqua omnia: ille enim, qui furatur octo, peccat mortaliter, licèt non appretiet illa magis, quàm millia; ad Contritionem verò perfectam, requiritur appretiatio Dei super omnia, adeóque in hoc sensu fortior est pœnitentia, quàm culpa; sed exinde non probatur necessitas majoris intensionis, sed potiùs oppositum, cùm possit dari major appretiatio absque majori intensione.

301. Objicies quartò: contra tertiam Assertionem ex Cajetano. Si non requireretur aliqua certa duratio in Contritione, ut esset ultima dispositio ad justificationem extra Sacramentum, posset homo facilè scire, se esse in Gratia: sed hoc repugnat doctrinæ Sacræ Scripturæ Jobi 9. ubi dicitur: *Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Prover. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Eccl. 9. *Sunt justi, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit.* 1. Cor. 4. *Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est:* ergo, &c. Ex his Scripturæ testimoniis facultates Parisiensis, & Lovanienſis condemnârunt sententiam Catherini opusculo *De certitudine Gratiæ* docentis, justum posse esse certum certitudine fidei de sua gratia, & justificatione. Quinimò Innoc. III. contra Episcopum Bissentinum, jurantem se immunem esse à quibusdam criminibus, quæ patraverat, quia jam per pœnitentiam erant ipsi dimissa, sic ait: *præsumimus, quòd volebat sub ea forma jurare, videlicet, quod immunis erat ab illis criminibus, de quibus fuerat infamatus, tanquam dimissis per pœnitentiam, jam esset immunis ab illis: sed hoc jurare non parvæ temeritatis existeret, cùm B. Job dicat: etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea.* Rejectâ igitur istâ Catherini doctrinâ, quæ non solùm prædictis testimoniis, verùm etiam Conc. Trid. clarè adversatur, ut statim constabit.

Resp. nego Maj. quia ex his, quæ controvertimus, nec scientiam ullam, nec certitudinem habemus de existentia gratiæ, sed solam probabilitatem, licèt enim judicemus, sententiam nostram probabiliorem esse præ aliis, etsi mavis certam; adeóque, etsi juxta illam operando, habeamus probabilitatem de eo, quòd simus in gratia, & excusemur à transgressione præcepti, quod satis est ad non peccandum: hoc autem satis non est, ut habeamus certitudinem de gratia; Etenim, ut bene notat Card. de Lugo, sæpè in rebus interioribus putamus nos habere hunc, vel illum actum, cùm re verâ illum non habeamus ob defectum alicujus circumstantiæ, vel propter tendentiam minùs rectam, quam posteà advertimus. Unde potiori jure contingere potest in actu charitatis superno habente, tam excellens, & altum motivum: quapropter nullo modo habemus certitudinem, cui falsum subesse non possit. Sic Trident. sess. 6. cap. 9. dixit: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum, suámque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest; cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiâ Dei esse consecutum.* 302.

Quapropter perfecta charitas non excludit à se alium actum elicitum ex motivo timoris, sed suo ipsius motivo excludit timorem, cùm non eliciatur ex motivo timoris, sed ex motivo bonitatis divinæ, quo in sensu intelligitur illud Jo. 4. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foràs mittit timorem.* Sæpè autem contingit, quòd aliqui viri Sancti hunc timorem non habent, non quidem per se ratione actûs charitatis, sed per accidens, quia absorpti in bonitate divina, non advertunt ad motiva timoris. Si autem advertat aliquis, se probabiliter elicuisse actum charitatis, quia ex nullo capite invenit, quòd non fecerit, quantum potuit, poterit quam optimè concipere probabilitatem suæ justificationis: etenim, ut sæpè repetebat S. Francisc. Borgia, nihil erat in hac vita, quod ipsius animam adeò quietam, & tranquillam redderet, quàm actus amoris Dei, & Contritionis perfectæ. Ratio est, quia defectus, qui in apponendis aliis mediis admisceri possunt, cessant ex magna parte in amore Dei super omnia: etenim quando aliquis accedit ad absolutionem Sacramentalem, contingere potest, quod ille, qui dat absolutionem non sit Sacerdos, vel non habeat intentionem absolvendi, vel quod pœnitens non habeat dispositiones necessarias ad valorem, & fructum Sacramenti, & sic de aliis conditionibus, quæ ex magna parte in amore Dei super omnia cessant, ut per se patet. 303.

Objicies quintò ex aliis contra quartam Assertionem. Actus pœnitentiæ præscindens à perfecta, & imperfecta, est genus ad Contritionem, & Attritionem, ut constat ex Trid. doctrinâ sæpiùs repetitâ: sed ratio generica contracta ad suas 304.

ſpecies æquè ab illis participatur; aliter non eſſet generica, cùm non eſſet univoca: unde cùm ſit univoca, ratio deteſtandi peccatum æquè convenit Attritioni, & Contritioni: ergo ſi Attritioni non convenit deteſtari peccatum appretiativè ſuper omnia, neque conveniet Contritioni. Confirmatur primò: attritioni conceptæ ex timore pœnæ non convenit deteſtari appretiativè peccatum ſuper omnia, cùm non deteſtetur peccatum ſupra pœnam, ut conſtat ex n. 257. ergo ratio illa generica contracta ad amorem, nequit facere, ut amor Dei, ſive contritio perfecta deteſtetur peccatum appretiativè ſuper omnia. Confirmatur ſecundò: ſi actus perfectæ contritionis amaret Deum, & deteſtaretur peccatum appretiativè ſuper omnia, eſſet ex naturâ ſuâ deſtructivus offenſæ contra Deum commiſſæ; atqui actus, qui ſolùm eſt diſpoſitio ultima ad amicitiam, ſive ad gratiam, nequit eſſe ex ſuâ naturâ deſtructivus offenſæ commiſſæ contra Deum: ergo &c.

305. Reſpondeo, conceſſis præmiſſis diſting. Conſequens: neque conveniet contritioni per conceptum communem ipſi cum attritione, conc. per conceptum diſting. ipſam ab attritione, neg. Conſ. Sic ratio expreſſionis abſtracta ab apprehenſione, judicio, & diſcurſu participatur æquè à ſuis ſpeciebus; adeóque judicium non enunciat unum de alio, præcisè quà expreſſio; benè verò quà talis expreſſio; pariter etiam in noſtro caſu. Hinc ad primam Confir. conc. Antec. & diſt. Conſ. nequit facere per conceptum communem attritioni, & contritioni, conc. per conceptum peculiarem contritioni, nego Conſ. Ad ſecundam Confi. diſt. Maj. eſſet ex ſua natura deſtructivus offenſæ, affectivè, concedo; effectivè, neg. Maj. & diſt. Min. nego Conſ. Licèt enim homo velit offenſam contra Deum commiſſam deſtruere, non exinde tenetur Deus illam remittere independenter à ſua promiſſione, cùm malitia offenſæ ſit incomparabiliter major, quàm bonitas illius obſequii, ut docent Theologi in tractatu *de Incarnatione*; offenſa quippe eſt major, quo major eſt dignitas perſonæ, cui fit offenſa; obſequium verò eſt minus, quò major eſt dignitas perſonæ, cui fit obſequium: cùm autem compenſari non poſſit id, quod eſt majus per id, quòd eſt minùs; exinde offenſa commiſſa à creatura contra Deum nequit compenſari ex natura rei per obſequium factum à creatura erga Deum, ac proinde actus ille, licèt ex natura ſua eſſet deſtructivus offenſæ affectivè, non eſſet deſtructivus effectivè; neq; traheret effectivè honorem ablatum per peccatum contra Deum commiſſum.

306. Objicies ſextò: Si quis in caſu Metaphyſicè poſſibili appoſito n. 55. invincibiliter judicaret, ſe damnandum, ſi non committat lethale, per cujus commiſſionem haberet tempus ad reſurgendum ab omnibus lethalibus, & obtinendam ſalutem æternam, poſſet in eis circumſtantiis lethale committere: ergo perfecta contritio non excludit peccatum, quòd in illis circumſtantiis committeret homo, qui modò conteritur; ac proinde non eſt deteſtatio peccati ſuper omnia. Confirmatur primò: in nullo caſu poteſt homo eligere infernum ad vitandum peccatum, aliter, cùm infernus ſit neceſſitas moralis peccandi, poſſet eligere moralem neceſſitatem ad committendum peccatum: ergo perfecta Contritio non eſt deteſtatio peccati ſuper omnia. Confirmatur ſecundò: in ſuppoſitione, quòd per invincibilem errorem judicaret homo contritus, Deum amiſſurum aliquod prædicatum intrinſecum, ſi homo non peccaret, poſſet committere peccatum, aliter non amaret Deum ſuper omnia: ergo contritio perfecta, vel non amat ſuper omnia Deum, vel non deteſtatur peccatum ſuper omnia.

Reſpondent aliqui primò, diſt. Antecedens: poſſet lethale committere, ſi talis actio in eis circumſtantiis maneret, & cognoſceretur lethalis, nego; ſi neque maneret, neque cognoſceretur lethalis, conced. Antecedens, & neg. Conſeq. Ratio eſt, quia plures judicant, & probabile eſſe fatetur Arriaga diſp. 8. ſec. n. 24. hominem inter ea duo extrema conſtitutum, debere conſiderari, tanquam conſtitutum inter duo graviſſima mala, quorum alterum ſolùm affert unum lethale; alterum verò, nempè infernus, cùm ſit neceſſitas moralis ad plura peccata, ſic cum affert plura peccata: homo autem conſtitutus inter duo graviſſima mala, tenetur minus malum fugere, adeóque teneretur fugere infernum, & exinde ea actio, quâ Infernum vitaret tunc, jam non maneret peccatum, licèt extra illas circumſtantias peccatum eſſet: unde cum juxta iſtam ſententiam ea actio circumſtantiis illis veſtita non maneret peccatum, non eſt cur contritio perfecta debeat extendi ad illam deteſtandam. Hæc autem reſponſio patitur non levem difficultatem, quæ ex ſolutione noſtra ſatim innoteſcet. Quapropter

Reſp. ipſe, nego Anteced. nam cùm actio verè lethalis maneret, extendi debet contritio, vel formaliter, vel virtualiter ad illius deteſtationem. Ratio eſt, quia Infernus non affert Phyſicam neceſſitatè ad peccandum, ſed ſolùm moralem conjunctam cum Phyſica libertate ad vitandum peccatum; aliter nulla actio damnatorum poſſet illis imputari ad peccatum; cùm nullus committat peccatum abſque libertate vitandi illud: præſertim cùm antiqua peccata jam ſupponantur in noſtro caſu retractata. Unde tunc maneret homo cum libertate phyſica ad omnia peccata vitanda, adeóque & deberet omnia vitare: poſſet autem ſperare prudenter, ſe in Inferno victurum eam moralem neceſſitatem à Deum, pro cujus amore admittebat eam pœnam, adjuturum, ne in poſterum illum offenderet, ſicuti ſperabant Sancti, qui hujuſmodi conditionatos actus eliciebant, ut conſtat ex Anſel. cit. num. 293. Addo, quòd ſi reverà hic caſus quandòque contingeret, & homo ille, ne Deum offenderet, eliceret veram contritionem, quâ maller mori, & pœnas æternas ſubire, reverâ ſalvaretur, licet ex eo errore, quo

quem in eo ſupponimus, putaret ſe damnari: talis enim error coram Chriſto Judice detegeretur, & homo ille appareret cum gratia debita ex divina promiſſione Contritioni perfectæ. Hinc

309. Ad primam Confirmationem, nego Antecedens: talis enim homo, qui in caſu aſſignato Infernum eligeret, non eligeret illum ex animo peccandi, & ſuccumbendi neceſſitati morali, ſed ex animo impediendi peccatum, & vincendi eam neceſſitatem moralem, cujus victoriam prudentiſſimè poterat ſperare: ſicuti enim neceſſitas phyſica vinci poteſt metaphyſicè, ut patet in Evchariſtia, in qua accidentia panis ſunt absque ſubſtantia panis, quam phyſicè exigunt, & in fornace Babyloniçà, in qua ignis non comburebat pueros, licèt phyſicè exigeret eam combuſtionem; Sic etiam neceſſitas moralis poteſt vinci phyſicè. Quinimò, & ipſa Contritio perfecta, dum perſeverat, eſt victoria phyſica talis moralis neceſſitatis, ac proinde neque in via, neque in Inferno eſt compoſſibilis cum actuali peccato. Ad ſecundam Confirmationem, nego Antecedens, quia ſi in eo caſu homo ille cognoſceret, id eſſe lethale, ſciret utique adhuc in eo caſu à Deo prohiberi, & eſſe transgreſſivum legum amicitiæ debitæ Deo; adeóque ex eo, quòd Deum ſuper omnia amaret, conformari debebat ejus rectiſſimæ, & perfectiſſimæ voluntati. Si autem pro eo caſu impoſſibili objectum mutaretur de bono in malum, ſicuti ſupponitur mutari Deum de indefectibili in defectibile, absque dubio amplecteretur illud objectum, ne Deo ſua perfectio deficeret.

310. Objicies ſeptimò: Si Contritio perfecta ex amore Dei ſuper omnia, eſſet deteſtatio peccati ſuper omnia, adeóque, & ſupra pœnas Inferni, non ſolùm haberet tendentiam excluſivam omnis voluntatis peccandi, & admittendi potiùs Infernum, quàm peccatum, ſi daretur occaſio ad unum è duobus neceſſitans; ſed etiam eſſet deſiderium, ut talis occaſio daretur ad deſtruendum peccatum commiſſum: atqui Contritio perfecta non includit tale deſiderium: ergo neque amorem Dei ſuper omnia. Probatur Maj. pater magis dolens de morte filii, quàm de jactura mercium, ex eo, quòd amaret magis filium, quàm merces, eo ipſo habet, non ſolùm voluntatem incompoſſibilem cum deſiderio occidendi filium, ſed etiam deſiderium, ut daretur occaſio ad revocandam vitam filii, per jacturam mercium: ergo ex eo, quòd Contritio perfecta deteſtetur peccatum ſupra pœnas Inferni, non ſolùm includit illam tendentiam admittendi Infernum, ſi daretur talis occaſio, ſed etiam includit deſiderium, ut talis occaſio daretur. Reſp. nego Maj. Sicut enim poteſt quis optare, ne occurrat occaſio Martyrii, & tamen ex amore Dei ſuper omnia eſſe paratus, ut ſi ea occurrat, velit tolerare citiùs Martyrium, quàm Deum offendere; Sic etiam reſpectu Inferni ſe habet homo contritus comparativè ad peccatum. Ad probat. diſt. Anteced. ex eo præcisè, quòd amabat magis filium, quàm merces, nego; ex eo, & aliquo alio, quod non reperitur in noſtro caſu, conc. Antec. & nego Conſeq.

Ratio eſt, quia homo contritus reſtituitur 311
per contritionem ad vitam animæ, quâ mors peccati deſtruitur; Patet verò, per illum dolorem, non ita reſtituit vitam filio, ſed adhuc jacturam filii patitur de præſenti. Quid ergo mirum, ſi optet de præſenti per jacturam mercium recipere filium? In noſtro autem caſu, homo jam ſupponitur liber à peccato: quinimò ſi adhuc liber non ſupponeretur, poſſet nihilominus per alia media faciliora, quàm per incurſum pœnarum Inferni, ab eo liberari, adeóque intentio efficax deſtruendi peccatum non eſt connexa cum deſiderio abſoluto patiendi pœnas inferni. Sic etiam caſu, quo ille parens haberet alia media longè faciliora, quàm ſit mercium jactura, ad iterum habendum ſuum filium, ex deſiderio habendi filium, non teneretur ad volendam mercium jacturam, neque multùm curaret de eo deſiderio impediendi præteritam mortem, per mercium jacturam: pariter ergo in caſu noſtro.

Objicies octavò ex Tannero: Actus charitatis 312
non eſt per ſe ultima diſpoſitio ad juſtificationem extra Sacramentum, niſi in conſortio actûs doloris compenſativi, procedentis à virtute Juſtitiæ, quo Contritio imperetur: ergo non eſt ſufficiens, quòd procedat ex motivo charitatis, appretiando Deum ſuper omnia, ut ſit ultima diſpoſitio per ſe ad juſtificationem. Probatur Antecedens. Nullus datur actus in hac Providentia, qui ſit ultima diſpoſitio per ſe ad juſtificationem, ſi non ſit actus pœnitentiæ; atqui nullus eſt actus pœnitentiæ, niſi procedat à Juſtitia, quæ ſola eſt pœnitentia virtus: ergo, &c. Confirmatur. Sola Juſtitia operatur ex motivo compenſationis: atqui ſi peccator non operetur ex motivo compenſationis, non ſatisfacit, neque extinguitur jus Dei; ſicuti apud homines, ſi quis det creditori, non quidem ex titulo ſatisfaciendi, ſed ob motivum gratitudinis, aliovè ſimili titulo, non ex eo ſatisfacit, nec creditor amittit jus: ergo, &c. Hac ratione, ni fallor abuntur adverſarii, quæ cum ſolùm ſit congruentia, ut Juſtitiæ præ aliis virtutibus nomen Pœnitentiæ in reſtrictione Scholaſticâ imponatur, extenditur ad excludendas à ratione Pœnitentiæ alias virtutes, quod quàm alienum ſit à mente Scripturæ, & Conciliorum ſatis conſtat ex dictis.

Reſp. igitur nego Antecedens. Ad probat. 313
diſt. Maj. Si non ſit actus pœnitentiæ, vel theologicè, vel reſtrictè ſumptæ, concedo; ſolùm reſtrictè ſumptæ; nego Maj. & diſt. Min. nego Conſ. quia licèt actus pœnitentiæ reſtrictè ſumptæ ſolùm procedat à Juſtitia, ut conſtat ex dictis à n. 76. actus verò pœnitentiæ theologicè acceptæ, & ad juſtificationem requiſitæ, non ſolùm procedit à juſtitia; ſed etiam à charitate, & à quacùmque alia virtute voluntatis univerſali, ut conſtat ex dictis à n. 67. Quinimò Tannerus,

& alii, qui cum ipso sentiunt, maximâ in hoc puncto laborant æquivocatione, eò quòd non agnoscant aliam Pœnitentiam virtutem, nisi quam Scholastici vocant Pœnitentiam restrictè sumptam: meminisse quippe deberent, Tridentinum, ad actum Pœnitentiæ, solùm exigere dolorem detestativum peccati commissi cum proposito non peccandi de cætero. Cùm autem talis dolor procedere possit ex motivo plurium virtutum, & non solùm ex motivo justitiæ, exinde planum fit, non solùm justitiam, sed plures etiam alias virtutes elicere posse veros actus pœnitentiæ.

314. Ad Confirm. conced. Maj. & nego Min. quia homines non possunt plenè satisfacere pro offensa contra Deum commissa, ita, ut, ea satisfactione posita, debitum cesset, sicuti debitum quatuor Juliorum cessat apud homines, solutis quatuor Juliis: offensa autem contra Deum commissa solùm cessare potest, apponendo, quod Deus requisivit, & quo posito promisit remissionem. Exinde, quando quærimus, quænam sit ultima dispositio extra Sacramentum ad justificationem, non debemus inquirere, ad quam virtutem pertineat operari ex motivo satisfaciendi, sed ad quam virtutem spectet elicere actum, quo posito promisit Deus remissionem peccati: cùm autem Deus remissionem peccati promiserit extra Sacramentum, apposita contritione perfecta; ea de causa satis est elicere contritionem perfectam ad obtinendam peccati remissionem, quin ex ullo capite necesse sit operari ex motivo Justitiæ, sive ex motivo satisfaciendi. Quinimò si aliquis homo in promissis suis fidelissimus, cui Petrus deberet mille, solùmque posset dare unum, promiserit Petro remittere statim mille, si ex titulo gratitudinis daret unum, planè in eo casu non erat opus, ut Petrus daret unum ex alio, quàm ex motivo gratitudinis: etenim si ita faceret, quamvis de nullo alio motivo cogitaret, statim obtineret totius debiti remissionem. Pariter ergo in nostro casu. Si autem debitor nolit dare ad extinguendum debitum id, quod dat ex gratitudine; neque creditor eo posito teneatur debitum remittere, quid mirum, quod in eo casu debitum non remittatur? Cæterùm quantùm iste casus distet à nostro, nemo est, qui non videat.

§. II.

315. OBjicies nonò contra quintam Conclusionem ex Christiano Lupo, Joanne Episcopo Castoriensi, aliisque quamplurimis Lovaniensibus: dilectio Dei super omnia, sive perfecta Contritio non est ultima dispositio ad justificationem, si non sit valdè intensa, adeóque solùm dicetur charitas inchoata necessaria ad justificationem cum Sacramento: ergo ad amorem Dei super omnia, qui est ultima dispositio ad justificationem extra Sacramentum, non sufficit amor ex divina bonitate obedientialis à nobis explicatus. Probatur Antecedens: aliqua perfecta Contritio, sive dilectio Dei super omnia, est necessaria ad justificationem cum Sacramento; sed illa, quæ est necessaria ad justificationem cum Sacramento, non est ultima dispositio ad gratiam extra Sacramentum; solùmque tùm potest charitas inchoata, sive minùs intensè ergo, &c.

Confirmatur: illa Contritio, quæ requiritur in peccatore adulto ad licitam, & fructuosam susceptionem Baptismi, requiritur, saltem in homine Baptizato, tanquam pars Sacramenti Pœnitentiæ, ut infertur ex Trid. sess. 6. cap. 14. ubi dicitur, pœnitentiam in Baptismo, & in hoc Sacramento differre, quòd hæc includat etiam confessionem, satisfactionem, & absolutionem: ex parte verò doloris nulla differentia assignatur: atqui ad fructuosam susceptionem Baptismi, requiritur in peccatore adulto Contritio perfecta, ut constat ex ipso Trid. sess. 6. cap. 6. dicente: *in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque, tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversùs peccata, per eaque aliquod, & detestationem, hoc est, veram pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata:* illa enim verba: *illumque, tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*: perfectam significant contritionem: ergo, &c. Hoc argumentum est unicum adversariorum fundamentum, & effugium, ad quod recurrunt, ut diluevant omnia argumenta, quæ contra ipsos, in hac, & in sequenti disputatione conficiemus, qua de causa opus est, ut plenè, & integrè illud in præsenti dissolvamus.

Resp. nego Anteced. Ad prob. nego Maj. Contritio est, quia cùm perfecta Contritio non posit esse appretiativa Dei super omnia in gradu intenso, quin etiam sit appretiativa in gradu remisso, ut constat à n. 281. neque potest esse adimpletiva legum amicitiæ in gradu intenso, si adimpletiva non esset in gradu remisso. Cum autem nihil aliud requiratur ex destinatione divina, pro ultima dispositione ad justificationem extra Sacramentum, neque à Scriptura, neque à Conciliis, neque à SS. PP. ut constat à n. 234. eâ de causa, contritio perfecta, non solùm quando est intensa, verùm etiam quando est remissa est ultima dispositio ad justificationem extra Sacramentum. Quod manifestè patet ex Tridentino citato n. 247. nullam prorsus exigente intensionem pro tali dispositione, adeóque ad justificationem cum Sacramento nulla est necessaria Contritio perfecta. Hinc ad Confirmat. nego Min. in illis enim Concilii verbis: *illumque, tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, vel sermo non est de contritione perfecta, prout plures, & gravissimi Theologi defendunt, ut statim constabit; vel si sermo sit de contritione perfecta, solùm intelliguntur de dispositione sufficiente ad justificationem extra Sacramentum, ut alii Theologi docent.

Con-

318. Cæterùm, ut res adeò gravis, & hac noſtra tempeſtate apud Theologos acriter, hinc, indè diſcuſſa, pleniùs omnibus innoteſcat, operæ pretium erit, verum, & genuinum Tridentini ſenſum inquirere, & ſimul oſtendere, quàm alienum ſit à verò Tridentini ſenſu exigere contritionem perfectam, ſive dilectionem Dei ſuper omnia, ut neceſſariam ad juſtificationem cum Sacramento. Tripliciter enim poſſunt ea Trid. verba explicari, juxta triplicem probabilem Theologorum ſententiam. Prima quidem ſententia, quam cum plurimis noſtris, noviſſimè tenet Bonetus, diſſertatione *De timore pœnitente* part. 1. Tum etiam, & cum plurimis Thomiſtis, Gonetus diſput. 7. *De contrit.* art. 3. à n. 64. Yſambertus ad illud 6. caput Tridentini diſput. 15. *De pœnit.* docet, Trid. in his verbis, ſolùm agere de illa diſpoſitione, quæ eſt ultima diſpoſitio ad juſtificationem extra Sacramentum Baptiſmi in adultis, nondum Baptizatis; vel extra Sacramentum Pœnitentiæ, ex contextu, in Baptizatis; unde illa verba: *diligere incipiunt*: ſignificant amorem Dei ſuper omnia.

319. Ratio hujus ſententiæ eſt, quia ibi agitur de illa diſpoſitione, quâ poſitâ cauſatur ipſa juſtificatio; ut conſtat ex ipſo Tridentino, ibi dicente: *de hac diſpoſitione ſcriptum eſt: Accedentem ad Deum, oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit. Et, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Poſtquam autem addidit alia ſimilia Scripturæ teſtimonia, quibus hoc ſextum caput concludit, Concilium incipit c. 7. per hæc verba: *hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur*: atqui ſi illa diſpoſitio, de qua agit Concilium, non eſſet ſufficiens ad juſtificationem extra Sacramentum, illâ poſitâ, non poſſet Concilium dicere: *hanc diſpoſitionem juſtificatio ipſa conſequitur*: ergo, &c. Quapropter quando capite 14. ejusdem ſeſſionis, comparat diſpoſitionem ante Sacramentum Pœnitentiæ in Baptizato, cum diſpoſitione ante Sacramentum Baptiſmi in non baptizato, loquitur etiam de diſpoſitione ſufficiente ad juſtificationem extra Sacramentum Pœnitentiæ, quæ diſtinguitur in eo, quòd, cùm Contritio ſit votum adimplendi omnia, ad quæ homo tenetur, in non Baptizato eſt votum ſuſcipiendi Baptiſmum; in Baptizato eſt votum ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ; ac proinde illa eſt Baptiſmus in voto; iſta verò Sacramentum Pœnitentiæ in voto. Unde in peccatore non baptizato, nunquam obtinetur juſtificatio, abſque Sacramento Baptiſmi, vel in re, vel in voto; neque in Baptizato, abſque Sacramento Pœnitentiæ, vel in re, vel in voto.

320. Quod autem iſte ſit genuinus, & verus Trid. ſenſus, ex eo manifeſtiùs apparet, quod Contritio, quæ habetur, quando Baptiſmus in re ſuſcipitur, cùm tunc adimpleatur obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum; jam ea non eſt votum ſuſcipiendi Baptiſmum: ſicuti Contritio, quæ elicitur, quando quis confeſſus eſt peccata, jam non eſt votum confitendi ea peccata: atqui Tridentinum loquitur de ea diſpoſitione, quâ recipitur gratia, & eſt votum ſuſcipiendi Baptiſmum, ut conſtat ex illis verbis citatis n. 316. nimirùm: *dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum*: ergo &c. Pariter quando c. 14. ejusdem ſeſſ. 6. loquitur de diſpoſitione baptizati, dicit eſſe illam, quæ continet votum Sacramentalis confeſſionis: ſic etenim habet: *Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à Baptiſmali, eâque contineri, non modò ceſſationem a peccatis, & eorum deteſtationem .... verùm etiam eorundem Sacramentalem (confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam.* Si enim Concilium ad pœnitentiam, quæ proximè, & immediatè diſponit ad Baptiſmum, & confeſſionem, hanc Sacramenti ſponſionem, & votum poſtulâſſet, præſcripſiſſe utique videretur vitioſam hanc formulam, quam in rudioribus hominibus reprehendere ſolent Confeſſarii: illi enim, ubi ſua peccata Sacerdoti in aurem declararunt, doleo, inquiunt, ex toto corde, de his meis peccatis, & ſimul ſpondeo, me ea emendaturum, & Sacerdoti quantotiùs confeſſurum. En ſanè in ipſo confeſſionis uſu redundantem, & ſupervaneam additionem. Abſit tàm iniqua ſuſpicio à celeberrimæ Synodi ſapientiâ.

321. Hæc, quæ ſolida ſatis apparent ex ipſa expoſitione Concilii, non parum acquirunt roboris, ſi ad ipſius Concilii hiſtoriam aliquantulùm advertamus, quam refert Cardinalis Pallavicinus lib. 12. cap. 10. Diſceptatum quidem fuit in cœtu PP. ad ſeſſ. 14. prævio, an cum eo dolore, qui ad Sacramentum ſufficiat, Dei dilectio neceſſariò conjuncta ſit. Affirmabant nonnulli Doctores, ſuamque ſententiam aliquot ſcripturæ, & SS. PP. locis, ad rem, ut ipſis quidem videbatur, accommodatis exornabant, horúmque Theologorum ſuaſu, ſive aliam ob cauſam paratum fuerat decretum, inquit idem Pallavic. in hanc formam: *Illam contritionem, quam attritionem Theologi vocant, quod imperfecta ſit, & ſolùm, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipiatur, ſtatuit hæc Sancta Synodus, non ſolùm non facere hominem hypocritam, verùm etiam ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem, ac donum Dei eſſe, quo pœnitens adjutus, cùm ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat, viam ſibi ad juſtitiam munit, &c.* Quidam ex illis PP. ſive Illuſtriſſimus Petrus Guerrero Archiepiſcopus Granatenſis, ſive alius ex illis, ut alii judicant, reſtitit valde, proteſtans falſum eſſe, vix poſſe dari veram Attritionem abſque dilectione Dei, ſive dilectionis motu in Deum. Auditis itaque in Concilio Theologorum diſputationibus, & requiſitis PP. ſententiis, Synodus jubet expungi illa verba: *Cùm ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat*: & approbatum fuit decretum quo modo, habetur ſeſſ. 14. c. 4. Unde quando Concilium exigit Dei dilectionem in diſpoſitione ad juſtificationem, non loquitur de diſpoſitione neceſſaria ad juſtificationem cum Sacramento, ſed ad juſtificationem extra Sacramen-

mentum, & quam oportet agere adultum ante Baptismum, quando Baptismum in re recipere non potest, ut ei justificationis gratia extra Sacramentum conferatur. Et hæc pro prima Theologorum sententia ad hujus Tridentini loci expositionem.

322. Secunda Theologorum sententia, quam defendunt plures Recentiores cum Ledent, docet, Tridentinum illis prioribus verbis enumerâsse plura motiva timoris, spei, & amoris, ex quibus singulis concipi potest detestatio, & odium peccati efficax: nam hic, ut ipsi adversarii concedunt, agit Concilium contra Lutherum negantem, quòd Contritio perfecta, & dilectio possit præcedere justificationem; ideóque nec ad illam posse disponere. His ergo enumeratis motivis, subjungit Concilium: *ac propterea adversùs peccata moventur*: ubi ly *propterea* intelligitur de odio, & detestatione ex aliquo ex his motivis, nec solùm refertur ad motivum dilectionis, sed vel ad istud, vel ad aliquod ex priùs enumeratis: Verba enim illa: *per aliquod odium*: manifestè ostendunt, posse dari diversa odia pro diversitate motivorum.

323. Ratio, est quia ista verba Concilii: *hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*, non possunt rectè intelligi de solâ contritione perfecta; nam contritio imperfecta sufficit; nec possunt intelligi de sola Contritione imperfecta, nam etiam Contritio perfecta est sufficiens dispositio ad Baptismum. Quapropter probabiliùs est, ibi agi de quacumque pœnitentia, sive quæ sit ex motivo perfectæ dilectionis, & charitatis Dei, adeóque, & perfectum vorum Baptismi, quam consequitur justificatio, sive quæ sit ex motivo pœnarum, & gehennæ, quâ posita conjunctim cum Sacramento in re, adest etiam justificatio. Unde nunquam datur justificatio absque Sacramento, vel in re, vel in voto, pro quo requiritur dispositio, vel contritionis, vel attritionis. In quo autem distinguatur contritio perfecta ab imperfecta, noluit Concilium hìc explicare, sed distulit usque ad sess. 14. ibi enim c. 4. dilucidè explicat discrimen inter contritionem, & attritionem, appellans contritionem illam, quæ est charitate perfecta; attritionem verò, quæ voluntatem peccandi excludat, & non sit formata charitate. Unde actus attritionis ex mente Concilii non debet procedere ex motivo charitatis.

324. Cæterùm mens, & verus Concilii sensus perspicuus fiet, si sessio hæc 14. aliquantò attentiùs perlegatur, & simul intentio, quam in ea doctrina tradenda, Sacra Synodus habuit, non animo litigandi, sed veritatem inveniendi perspiciatur. Propalat Synodus intentionem suam in ipsius sessionis exordio, ita dicens: *Quamvis in decreto de justificatione multus fuerit de pœnitentia Sacramento, propter locorum cognationem, necessariâ quadam ratione sermo interpositus: tanta nihilominus circa illud nostra hac ætate diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem, & pleniorem definitionem tradidisse, in qua demonstratis, & convulsis, Spiritûs Sancti præsidio, universis erroribus, Catholica veritas perspicua, & illustris fieret, quam nunc Sancta hæc Synodus Christianis omnibus perpetuo servandam proponit.* Postmodùm incipit cap. 1. in quo actum pœnitentiæ theologicè sumptæ æquè necessarium agnoscit ad remissionem peccati actualis in Baptismo, & pœnitentiâ; sic etenim habet: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent.* Ex quo apparet intentionem Concilii esse pleniorem hic definitionem tradere de actu pœnitentiæ necessario ad justificationem, vel extra, vel intra Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ.

Rursus cap. 2. assignat differentiam inter Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ, jam ex parte materiæ, & formæ, jam ex parte finis, & effectuum. Deinde cap. 3. agit de partibus, & fructu Sacramenti pœnitentiæ; cujus præcipua pars, inter actus à pœnitente appositos, est contritio præscindens à perfecta, & imperfecta, quam ad fructum Baptismi, & ad Sacramentum pœnitentiæ Concilium exegerat. Demum cap. 4. hanc Contritionem explicat, & dividit in perfectam, quæ vocatur Contritio, & imperfectam, quæ appellatur attritio: ad utramque autem requirit, quòd sit: *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*: Dum verò eos actus inter se distinguit, & ad suas species contrahit, ait Sacra Synodus illum doloris actum charitate perfectum esse contritionem; adeóque illum, qui non est charitate perfectus, esse attritionem. Unde manifestè constat ex mente Concilii, Attritionem non debere esse dilectionem Dei, seu actum charitate perfectum. Et hæc pro secunda Theologorum sententia.

Tertia sententia Theologorum, quam defendunt plures cum Esparza quæst. 89. defendit, nullum requiri formalem amorem ad Attritionem sufficientem cum Sacramento ad justificationem, neque in locis citatis illum unquam exegisse Tridentinum: non enim loquitur hic Concilium de dilectione Dei super omnia, sive de dilectione Dei absolutè sumpta, quo in sensu solet intelligi dilectio ex charitate, sed cum addito limitante dilectione Dei tanquam *fonte omnis justitiæ*. Quinimò de hac non loquitur, tanquam de dilectione formali, sed initiali, ut constat ex illis verbis: *diligere incipiunt*: Dilectio autem initialis, inquit Esparza, est quicumque actus virtutis supernus, ex quovis motivo eliciatur, cùm charitas sit finis omnis virtutis illo: primâ ad Timoth. 1. *Finis autem præcepti est Charitas.* Unde omnes alii actus virtutis voluntatis sunt, tanquam medium respectu charitatis, ac proinde, sicut medium dicitur participare aliquid de fine; ita quicumque actus participare aliquid de charitate, ut habe-

D. Th. in 3. dist. 26. art. 2. ad 3. dicens: *omnes aliæ virtutes participant aliquid à charitate.* Cujus ratio sumitur ex Philosopho 7. *Ethic.* cap. 5. dicente: *sicut se habet primum principium in intelligibilibus, & prima causa in effectibilibus, ita se habet ultimus finis in appetibilibus.*

327. Quapropter cùm quicùmque actus pœnitentiæ theologicæ, sive sit Contritio, sive Attritio debeat esse virtuosus, debet habere aliquid de charitate, sive formaliter, sive participativè: ad dilectionem autem initialem, satis est, quòd sit charitas participativè, adeóque dilectio, & contritio benè converturtur, ita ut si sit dilectio Dei perfecta, sit etiam perfecta Contritio; Si verò sit dilectio Dei initialis solùm, & participativa, sit Contritio imperfecta, sive Attritio. Qua de causa Tridentinum, quando apposuit in Canone 3. doctrinam illius cap. 6. non dixit, requiri ad justificationem necessariò dilectionem, & pœnitentiam; sed dilectionem, aut pœnitentiam, ut constat ex illis verbis: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Unde ex illo Tridentini testimonio perperam infertur, requiri dilectionem Dei super omnia ad Attritionem sufficientem cum Sacramento ad justificationem. Et hæc pro tertia sententia. Quænam autem ex his expositionibus verisimilior apparear, non est facilè definire; verùm ne quicquam indecisum relinquamus, sit

SECTIO V.

Quænam sit dilectio, quam cum Sacramento exigit Tridentinum ad impii justificationem.

§. I.

328. EX sententiis, & doctrinis Theologorum, superiori sectione relatis, clarè constat plures esse solutiones, ex quibus perspicuum fit, nunquam exegisse Tridentinum perfectam Contritionem ad justificationem impii cum Sacramento. Cæterùm relictis illis in sua, quam habent probabilitate; viam aliam ingrediemur conformiorem, ni fallor, doctrinæ, & definitionibus Tridentini, exindéque manifestè apparebit, qualis fuerit Tridentini sensus in hac materia. Pro quo habendum est præ oculis, quod notavi n. 323. nimirùm Tridentinum sess. 6. incœpisse declarare dispositiones ad justificationem requisitas: Sessione verò 14. c. 4. quidquid reliquum erat, ad majorem præjactæ doctrinæ claritatem decidisse. Unde cùm una definitio Tridentini alteri contraria esse non possit, illa erit vera expositio, & ab omnibus tenenda, in qua, & omnino cohærentes appareant doctrina tradita sess. 6. & tradita sess. 14. Cùm autem in utráque sessione, quando homo advertit ad peccata sua, requirat Tridentinum spem; tanquam præviam dispositionem ad actum pœnitentiæ; declarandum breviter est, quemnam spei actum requirat.

Actus etenim spei theologicæ continet duas 329.
formalitates, nimirum fiduciæ, & desiderii: desiderium autem est amor objecti: quando enim objectum nolumus, non desideramus, sed timemus illud; at si desideramus absque fiducia obtinendi non est spes, sed purum desiderium. Qua de causa, ut eliciatur actus spei, debet proponi objectum, ut probabiliter futurum, saltem pro libito sperantis, ut sic desiderium illud procedat amor fiducialis objecti. Per spem autem Theologicam, possumus sperare, vel aliqua bona creata à Deo promissa, ut nobis bona; vel ipsum Deum, ut nobis bonum, innitendo Deo, ut auxiliatori. Qua de causa actus ille, secundùm formalitatem fiduciæ, semper habet pro objecto formali Deum; secundùm formalitatem verò desiderii, est amor objecti desiderati, ac proinde si est desiderium rei creatæ, erit amor rei creatæ; si autem sit desiderium Dei, ut nobis boni, erit amor Dei; at quia respicit desiderantem, ut finem cui non ultimatum, vocatur amor concupiscentiæ. Nullus quippe actus virtutis potest respicere creaturam, ut finem ultimatum, cùm sit medium ducens ad Deum ultimum finem, & ad ejus amorem, & dilectionem perfectam, adeóque cum quocùmque virtutis actu componi optimè potest dilectio Dei perfecta, & eò faciliùs, quò plures alios virtutis actus homo elicuerit. Unde cùm præceptum positivum charitatis diligendi Deum super omnia, non obliget semper, & pro semper, licèt obliget præceptum negativum non præferendi rem alteram Deo; ea de causa, sicut non pecco, quando nullum actum elicio; ita non pecco, quando per actum virtuosum concupiscentiæ, non præfero positivè Deum omnibus aliis rebus, sed de his, & variis spei acceptionibus, latè agitur in tractatu *De spe.* Quibus positis.

Assero cum pluribus Doctoribus. Dilectio, 330.
quam exigit Tridentinum ad justificationem cum Sacramento, præscindit ab eo, quòd sit solus amor spei, vel amor etiam charitatis. Probatur primò. Trident. illam exigit dilectionem, quâ *Deum, tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipimus:* ut constat ex n. 316. sed talis dilectio præscindit ab eo, quòd sit, vel solùm amor spei, vel amor etiam charitatis: ergo, &c. Probatur Min. Deum, ut omnis justitiæ fontem diligere possumus, vel tanquam nobis bonum, misericordem, largitorem gratiæ, & condonatorem peccati, quæ dilectio pertinet ad spem, non autem ad charitatem; vel tanquam justitiæ fontem, ut bonum sibi, quæ dilectio pertinet ad charitatem. Quando autem elicitur Contritio perfecta, tendit in Deum, ut bonum sibi; quando verò elicitur Attritio, adest amor Dei, ut nobis boni: licèt enim possim per virtutem spei sperare aliquod bonum extra Deum, qui actus non erit amor Dei, neque continebit

hanc

hanc utramque formalitatem, nimirum sperandi, & diligendi Deum, ut constat ex numer. superiori. At verò quando spero Deum, ut mihi bonum, & condonatorem mei peccati, desidero fiducialiter illum, ut meæ justitiæ fontem, & cùm desiderium objecti sit objecti amor, talis actus spei est vera dilectio, & amor Dei, adeóque continet hanc utramque formalitatem sperandi, & diligendi Deum, quod exigit Tridentinum citatum n. 327. Sed exinde manifestum est, dilectionem Dei tanquam omnis justitiæ fontis, præscindere ab eo, quòd sit solùm amor spei, vel amor etiam charitatis: ergo, &c.

331. Probatur secundò: Tridentinum sess. 14. cap. 4. contrahens contritionem ad perfectam, quæ justificat extra Sacramentum; & ad imperfectam, quæ solùm justificat cum Sacramento, ait, illam esse charitate perfectam; istam verò ait esse Attritionem, si voluntatem peccandi excludat: *cum spe veniæ*; atqui hoc idem est, ac dicere, talem attritionem deservire ad justificationem cum Sacramento, si conjungatur cum fiducia divinæ Misericordiæ, ut nobis bonæ; adeóque sit dilectio Dei, tanquam fontis justitiæ, ut boni nobis, ut constat ex num. 399. ergo eodem modo intelligendum est Concilium sess. 6. cap. 6. quando, inter dispositiones ad justificationem requisitas, exigit amorem, *quo Deum, tanquam justitiæ fontem diligere incipimus*: ita nimirum, ut illa dilectio tendat in Deum, ut sibi bonum, si sufficiens sit ad justificationem extra Sacramentum, vel saltem tendat in ipsum, ut nobis bonum, tanquam fontem justitiæ, sive gratiæ, ut cum attritione disponatur sufficienter homo ad justificationem cum Sacramento.

332. Probatur tertiò: Contritio præscindens à perfecta, & imperfecta est necessaria ad justificationem impii, sui peccati memoris, in hac divina Providentia; atqui talis Contritio contracta ad Attritionem semper fert secum, saltem per concomitantiam, dilectionem Dei, pertinentem ad spem, non minùs, quàm ferat secum, quando contrahitur ad Contritionem, dilectionem Dei per identitatem pertinentem ad charitatem: ergo non minùs requiritur dilectio Dei, pertinens ad spem, ut Attritio disponat ad justificationem cum Sacramento, quàm requiratur dilectio Dei, pertinens ad charitatem, ut Contritio disponat ad justificationem extra Sacramentum, Consequentia tenet, & Maj. constat ex num. 269. & admittitur ab omnibus adversariis: Minor verò constat ex Tridentino sess. 14. cap. 4. dicente: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic Contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ Misericordiæ, & voto præstandi reliqua, conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Ex dictis

§. II.

FIt primò contra primam sententiam appos. tam num. 318. Tridentinum sess. 6. cap. non solùm agere de dispositione sufficiente ad justificationem extra Sacramentum; sed etiam de dispositione sufficiente ad justificationem cum Sacramento. Ratio est, quia ut habetur eadem sess. 6. cap. 7. Tridentinum agit ibi de dispositione ad gratiam justificantem, cujus gratiæ Baptismus est causa instrumentalis, ut constat ex illis verbis: *hujus justificationis causæ sunt ....: instrumentalis item Sacramentum Baptismi.* Istud autem dupliciter est causa instrumentalis, nimirum, vel in voto, vel in re suscepto, ut certum est apud omnes Theologos, ut constat à num. 1. *De Baptismo.* Sed illa dispositio, quæ, ut votum Baptismi sufficiens sit ad conferendam gratiam, antequàm Baptismus in re suscipiatur, est dispositio ad gratiam extra Sacramentum; illa verò dispositio, quâ confertur gratia cum Sacramento solùm in re suscepto, est dispositio ad gratiam cum Sacramento: ergo, &c. Quod evidens apparebit, si attentè legatur illud 6. cap. Trid. citat. in quo opponit Concilium non solùm testimonia Scripturæ, in quibus est sermo de dispositione, quâ confertur gratia, & remittitur peccatum extra Sacramentum; sed etiam de illa, quâ confertur gratia, & remittitur peccatum intra Sacramentum. Sic enim habet: *de hac dispositione scriptum est. Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, & pœnitentiam agite, & Baptizetur unusquisque vestrùm in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.*

Qua de causa cùm hujusmodi pœnitentiæ actus in eò, qui se disponit ad suscipiendum Baptismum præcedat susceptionem Baptismi, de quo casu loquitur Concilium, optimè infertur, esse propositum suscipiendi Baptismum; item pœnitentiæ actus in eo, qui se disponit ad confitenda peccata, est votum, & propositum ea confitendi: unde paritas, quam ex dispositione ad Sacramentum pœnitentiæ assumebat ista prima sent. n. 320. manifestè pugnat contra illum: nam ibi agit Tridentinum de dispositione sufficiente ad remissionem peccati, aut solùm cum Sacramento, aut etiam sine illo, ut constat ex ipsius Concilii verbis, quæ sic habent: *Certissimi hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse à Baptismali, eâque contineri satisfactionem, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittuntur.* Neque quod ante approbationem decreti expuncta fuerint illa verba citata n. 321. nimirum: *cùm sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat:* favet ullo modo adversariis: Nam ille modus loquendi supra dilectionem spei, sive spem veniæ, quæ in eadem decreti parte committendo Attritionem apponebatur, videbatur significare dilectionem ex charitate, quæ ex mente Concilii necessaria non erat, cùm ad justificationem cum Sacramento sufficiat talis Attritio

Attritio designata in ipso decreto, ex quo potiùs roboratur nostra sententia.

335. Fit secundò contra secundam sententiam citatam n. 322. nunquam dari veram attritionem sufficientem ad conferendam gratiam cum Sacramento absque consortio alicujus dilectionis Dei. Ratio est, quia licèt attritio concipi possit ex quocùmque ex illis motivis à Tridentino assignatis, quin ex motivo amoris concipiatur, ut clariùs constabit n. 347. at verò in hac divina providentia semper præcedunt dispositiones à Deo ordinatæ ad illius fructuosam elicientiam: cùm autem una ex illis sit Dei dilectio, quâ Deus per amorem concupiscentiæ, sive per amorem spei ametur, ut constat à n. 330. exinde nunquam reperietur in Sacramento absque aliqua Dei dilectione. Neque favere potest adversariis fundamentum, quod assumunt ex Tridentino dicente, sufficere cum Sacramento Baptismi illum pœnitentiæ actum, qui sufficit cum Sacramento pœnitentiæ. Nam cùm Tridentin. exigat ad Sacramentum pœnitentiæ dilectionem aliquam procedentem saltem à spe, ex ipso adversariorum fundamento inferendum est, etiam requiri eandem saltem dilectionem cum Sacramento Baptismi.

336. Fit tertiò contra tertiam sententiam: non solum dari amorem Dei participativum, quando homo attritus justificatur cum Sacramento; verùm etiam amorem Dei formalem, sive charitatis, sive concupiscentiæ. Quapropter sicut ille, qui videre incipit, reipsâ videt, & qui intelligere incipit, reipsâ intelligit; ita etiam qui diligere incipit, reipsâ diligit. Unde fundamentum istud amoris initialis, quod pro se assumebat ista sententia, reipsâ pugnat contra illam. Nec refert, quod Tridentinum non dicat: *diligere, & pœnitere*, sed potiùs: *diligere aut pœnitere*: quia cum ibi extrahat doctrinam, de qua egerat cap. 6. absque eo, quòd contradistinguat dispositionem sufficientem extra Sacramentum ab illa, quæ solùm sufficit cum Sacramento; non debebat exigere dilectionem cum pœnitentia contradistinctam ab ea, quæ includitur in actu spei, si contrahatur pœnitentia ad illam, quæ sufficit cum Sacramento; cùm ista sufficiens sit, si conjungatur cum dilectione elicita à spe. Quod satis est ad intentum Concilii ibi damnantis eos, qui dixerint, actum salutarem pœnitentiæ, sive sufficientem ad justificationem cum Sacramento; sive etiam extra Sacramentum posse elici sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio.

337. Fit quartò: quamcumque contritionem theologicè sumptam, sive perfectam, sive imperfectam esse votum præstandi omnia, ad quæ homo tenetur. Ratio est, quia contritio quævis theologicè sumpta debet excludere voluntatem peccandi: sed contritio excludens voluntatem peccandi est votum præstandi omnia, ad quæ homo tenetur: ergo &c. Quapropter si aliquis per unum actum doleret de peccatis commissis propter motivum particulare, & per alium proponeret nunquam peccare de cætero, uti in casu posito n. 18. cùm illud propositum esset votum præstandi reliqua, conjungeretur illi dolori per physicam concomitantiam votum illud. Si autem dolor sit universalis conjungitur illi per identitatem Metaphysicam: quovis autem modo fiat, satis est, ut ibi diximus, & constat ex Trid. cit. n. 332. Unde in hoc sensu attritio potest dici contritio in voto, sive votum contritionis, & amor Dei super omnia in voto, cùm sit propositum, vel formale, vel virtuale eliciendi amorem Dei super omnia, quando adsit obligatio; quo in sensu admittemus sententiam eorum, qui ad justificationem cum Sacramento exigunt amorem saltem imperfectum Dei super omnia, nimirum in voto; secus autem si intendant formalem Dei amorem super omnia: exigere namquè hujusmodi amorem, valdè alienum judico à vera Trident. doctrina.

SECTIO VI.

Solvuntur Opposita.

§. I.

OBjicies primò: Trid. explicans dispositiones ad justificationem necessarias, annumerat non solùm spem, sed etiam dilectionem, ut constat ex n. 327. ergo sola dilectio elicita à spe non est sufficiens cum Attritione ad justificationem in Sacramento. Confirmatur: Tridentinum multis in locis evidenter significat, nunquam justificationis gratiam, sive extra Sacramentum, sive in Sacramento Pœnitentiæ adultis conferri, nisi contritio antecedat: Sic sess. 14. cap. 3. docet, materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse contritionem, eámque ad peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiri. Et Canone 4. anathemate damnat eos, qui negaverint, contritionem, confessionem, & satisfactionem esse tres partes pœnitentiæ; tum etiam c. 6. dicit, eum, cui nulla adest contritio, non benè absolvi in Sacramento pœnitentiæ: ergo ad remissionem peccatorum, sive extra, sive intra Sacramentum pœnitentiæ requiritur verus amor Contritionis, sive dilectionis Dei super omnia. 338.

Resp. dist. Antecedens, non solùm spem, sed etiam dilectionem, contradistingendo omnem actum spei, ab omni actu dilectionis Dei, nego; aliquem actum spei ab aliquo actu dilectionis Dei, conc. Anteced. & nego Cons. quia cùm possit dari actus spei theologicæ, qui non sit dilectio Dei, ut constat ex num. 329. & Tridentinum ad dispositionem justificationis requirat dilectionem, non solùm requirit, quòd homo speret, sed quod speret, & diligat Deum: Si autem hæc dilectio in aliquo spei actu contineatur, satis est, ut habeatur, quidquid Tridentinum exigit. Quinimò cùm ibi agat, non solùm de dispositione sufficiente cum Sacramen- 339.

to, sed etiam extra Sacramentum, ut constat ex n. 336. non solùm fecit mentionem de dilectione, quæ possit contrahi ad spem, sed etiam de ea, quæ possit contrahi ad charitatem, declarans, quamcumque ex his dilectionibus fieri non posse, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio. Ad Confirm. dist. Antec. Nisi antecedat Contritio præscindens à perfecta, & imperfecta, conc. solùm perfecta, nego Anteced. & Conseq. Ratio est, quia Tridentinum in illis locis agit de Contritione generatim sumpta, ut constat ex eadem sess. 14. c. 4. ubi hanc contritionem universaliter sumpram dividit in perfectam, quæ absolutè vocatur Contritio, & in imperfectam, quæ vocatur Attritio, dicens, illam sufficere ad justificationem extra Sacramentum; hanc verò cùm Sacramento. Unde nullibi Tridentinum exigit ad justificationem cum Sacramento dilectionem Contritionis, sive amoris Dei super omnia.

840. Objicies secundò: licèt Contritio perfecta valdè intensa sufficiens sit ad justificationem extra Sacramentum, si tamen non sit adeò intensa, sufficiens non est extra Sacramentum; sed omnino requisita ad justificationem cum Sacramento: ergo dilectio concupiscentiæ, sive spei sufficiens non est cum Attritione. Probatur Anteced. Peccati malitia sita est in pravo amore, quo homo creaturas Deo præposuit, eásque magis, quàm summum bonum, & finem ultimum dilexit: ergo ad justificationem etiam cum Sacramento, debet dari talis retractatio, quâ homo Deum magis diligat, quàm reliqua omnia: quæ quidem retractatio, ut per se patet, est verus actus charitatis. Confirmatur primò ex Augustino citato n. 254. dicente: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei:* ergo quicumque actus pœnitentiæ fert secum amorem charitatis. Confirmatur secundò ex D. Thoma in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiunculâ 1. dicente: *Confessio est actus virtutis, & pars Sacramenti. Secundùm autem quod est actus virtutis, est actus meritorius propriè, & sic confessio non valet sine charitate, quæ est principium merendi.* Quod quidem variis in locis etiam repetit: ergo, &c.

841. Resp. nego Anteced. Ad probat. concedo Antec. & nego Cons. quia ea peccatoris retractatio, & quæcumque alia assignabilis, ex se satis non est, ut remittatur peccatum independenter à promissione divina. Unde ad peccati remissionem, frustra requiritur ex parte peccatoris alius actus retractativus præter illum, qui annexam habet divinam promissionem de remissione peccati. Cùm autem non solum promiserit Deus remittere peccatum extra Sacramentum, si detur perfecta Dei dilectio in quacumque exigua intensione, ut constat à n. 284. & 350. sed etiam illud remittere, si detur vera Attritio, cum sola dilectione spei in Sacramento, ut clarè constat ex Tridentino sæpè citato. Exinde non solùm sufficit illa Contritio extra Sacramentum; sed etiam hæc retractatio per Attritionem cum Sacramento, ad remissionem peccati. Ad primam Confirm. conc. Antecedens, & nego Conseq. quia, ut diximus n. 254. Augustinus in illo, & similibus testimoniis non tractat de pœnitentia, quam homo suscipit ad justificationem, sed de illa, quam homo agit, ut justificetur, quod nunquam noluerunt, vel notare noluerunt adversarii, adeóque non agit de pœnitentia sufficiente cum Sacramento, sed extra Sacramentum, quæ est verus amor Dei, ejúsque dilectio super omnia, ut constat ex dictis. Ad secundam Confirm. nego Cons. quia in illo, & aliis similibus locis loquitur S. Thomas de confessione meritoria ex charitate, quæ talis esse non potest, charitate deficiente, ut ex ipsis terminis notum est. Quando verò loquitur præcisè de remissione peccati per Sacramentum, nequaquam requirit Contritionem, ut infra se evidenter explicat Angelicus Doctor dist. 22. q. 2. art. 1. q. 4. in corp. dicens: *Quando aliquis accedit ad confessionem attritus, non plenè contritus, si obicem non ponat, in ipsa confessione, & absolutione sibi gratia, & remissio peccatorum datur:* quo nihil clariùs dici potest pro nostra sententia, neque Trident. contrarium.

Objicies tertiò: Actus fidei, & spei sunt præcisè necessarii in adulto, tanquam præcisæ dispositiones ad infusionem habitûs fidei, & spei: ergo & actus charitatis est eodem modo necessarius, pro omni eventu, ad infusionem habitûs charitatis, adeóque & ad remissionem peccati, quæ absque infusione habitûs charitatis nunquam datur, Confirmatur primò. Sicut non potest esse dispositus ad magisterium divinum, & affectum divinarum promissionum, qui nihil Deo credit, nihil sperat in Deo, seu nihil fidit promissionibus Dei; ita nequit esse dispositus ad ineundam amicitiam cum Deo, qui Deum propter se non amat, sed solùm, quia amandi bonum: ergo sicut prærequiruntur actus fidei, & spei ad infusionem suorum habituum; ita etiam requiretur actus charitatis, ad infusionem habitûs charitatis. Confirmatur secundò. Attritio, quæ ex meru gehennæ concipitur cum sola dilectione Dei, ut nobis boni, & absque dilectione Dei propter se, non est honesta: ergo necessariò requiritur amor charitatis, sive dilectio Dei propter se. Probatur Antec. Dilectio Dei, ut nobis boni præfert amorem creaturæ amori Creatoris: sed talis dilectio non est honesta, sed inhonesta, ergo, &c.

Resp. concedo Antec. & nego Cons. quia actus fidei, & spei sunt dispositiones à Deo destinatæ in hac divina Providentia, pro adultis justificatione in quocumque casu, ut constat ex Tridentino, non solùm exigente fidem, & spem extra Sacramentum; sed etiam cum Sacramento, ut de spe habetur numer. 313. & *De fide* sess. 6. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire:* ut diximus numer. 110. de Sacramento.

At verò actus charitatis non eſt diſpoſitio à Deo deſtinata, ut conferatur gratia cum Sacramento; cùm hæc ex ipſo Tridentino conferri poſſit, absque actu Pœnitentiæ charitate formato, ut conſtat ab eo n. 330. Cùm autem, quando confertur gratia, detur habitus charitatis, exinde non eſt pro omni eventu neceſſarius actus charitatis, ut charitatis habitus conferatur. Ad primam Confirm. nego Anteced. nam homo benè diſponitur ad divinum Magiſterium, dum apponat conditiones à Deo in hunc finem deſtinatas; cùm autem Deus ad iſtum finem, licèt deſignaverit actum fidei, & ſpei cum Sacramento, non deſignaverit actum charitatis, exinde, ut Deus exerceat magiſterium divinum, quo doceat animam modum obtinendi Deum, neceſſe non eſt, ut anima eliciat actum charitatis erga ipſum.

844. Ad ſecundam Confimationem, nego Antec. Ad probat. nego Anteced. in hac enim materia, rudi, & ingente æquivocatione adverſarii laborant: aliud enim eſt, quòd per illum actum concupiſcentiæ, Deum non præferamus poſitivè omnibus rebus, & aliud eſt, quòd illum aliis rebus poſtponamus. Primum eſt verùm: non enim tenemur Deum, per quemcumque noſtrum actum, poſitivè præferre omnibus rebus, aliter teneremur ad continuum exercitium actûs charitatis. Secundùm verò eſt omninò falſum: nam per actum, quo ego diligo Deum, ut bonum mihi, nequaquam præfero me ipſi Deo; imò talis actus eſt optimè compoſſibilis cum actu, quo amem Deum ſuper omnia, illúmque poſitivè rebus omnibus præferam, ut notavi n. 329. Qua de cauſa jure merito Alexander VIII. inter illas 31. propoſitiones damnavit decimam, quæ ſic habebat. *Intentio, quâ quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.* Et 13. *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt Beatitudinis operatur:* Tum & 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.*

845. Ex quibus benè perpenſis, nulla mihi manet ratio, quâ intrinſecam ullam probabilitatem agnoſcere poſſim in ſententia contraria. Quòd, & ipſos agnoſcere, ſatis innuunt adverſarii, poſtquam Alexand. VIII. has damnavit propoſitiones, & librum Epiſcopi Caſtorienſis, cujus titulus: *Amor pœnitens:* macula inuſſit. Quapropter in novo factionis Janſenianæ fœtu, qui in lucem prodiit hoc inſignitus titulo: *Nona pars difficultatum propoſitarum D. Steyart de prohibitionibus librorum, & quibuſdam aliis materiis:* trecentas, & quinquaginta ſex paginas complectens, tantâ eſt audaciâ, ut dicere non erubeſcat Author ſuo, & ſociorum nomine, nullatenùs velle Pontificiæ definitioni, & condemnationi ſe ſubmittere. Pag. enim 21. loquendo de hoc Alexandri VIII. decreto contra lib. cit. Caſtorienſis, ſic habet: *An tibi perſuades, nos poſt unum, donec corrigatur, quod vocas ſolemne decretum Pontificis juſſu editum, debere S. illius Præſulis* (ideſt Caſtorienſis Epiſcopi) *excellens volumen rejicere, tanquam noxium?* Et pag. 63. *inter præcellentiæ opera D. Neercaſſel Epiſcopi Caſtorienſis plena SS. PP. doctrina, & unctione, quâ in animos influunt, ultimum, & præſtantiſſimum eſt, Amor pœnitens.* Et pag. 123. *Nihil magis malignum, & infidum, quàm expoſitio propoſitionum* 31. *ut ex variis exemplis fiet evidens, quibus demonſtrabimus decretum illud Alex. VIII. conſiderari debere, ut ſubreptitium.* Utinam illius libri Author, omnésque factionis ſuæ defenſores ſapiant, & reſipiſcant, memores verborum Domini, Lucæ 20. *Omnis, qui ceciderit ſuper illum lapidem, conquaſſabitur: ſuper quem autem ceciderit, comminuet illum.* Et memoriâ pariter retinentes, quod de Petro, ejuſque ſucceſſoribus, ipſe Dominus dixerat Matt. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hæc enim attentè meditantes non ſolùm nos, verùm etiam, & ipſi colligent fructum hujus Sanctiſſimi decreti, quem Author cognovit pag. 127. dicens: *En fructus, quem producet decretum propoſitionum* 31. *videlicet, quod Moliniſtis intra, & extra Societatem arma ſubminiſtraturum ſit, quibus impugnent.* Quid quæſo præſtantius dici poterat pro Schola noſtra, quàm quod ipſi fatentur, nimirum ad eos impugnandos, uti nos armis Pontificiis: dicam, & ego: *Obtinuimus tandem ſalutem ex inimicis noſtris.*

§. II.

OBjicies quartò: Si rebellis adversùs Regem, veniam deinde ab eo peteret, proteſtatus ſe velle ad obedientiam, & fidelitatem redire, quia Rex petenti veniam bonus eſt, & propter metum pœnarum, quas eidem Rex infligere poteſt, profectò non eſſet benè diſpoſitus, nec prudenter admitteretur ad reconciliationem amicabilem, & familiarem cum ipſo Rege, atque ad filiationem, & hæreditatem ejusdem, ſed ulteriùs exigeretur pro tali, ac tanto dignitatis affectu, amor ſubditi erga Principem propter ipſum Principem: ergo ſimiliter in peccatore reſpectu Dei. Confirmatur: actus pœnitentiæ, quicumque ſit, deſerviens ad juſtificationem, debet eſſe deteſtatio peccati ſuper omnia: atqui actus non procedens ex motivo charitatis, nequit eſſe deteſtatio peccati ſuper omnia: ergo, &c. Conſeq. tenet, & Min. conſtat, ex n. 257. Maj. verò probatur. Si non ſit deteſtatio peccati ſuper omnia, erit actus compoſſibilis cum voluntate peccandi: atqui actus compoſſibilis cum voluntate peccandi non eſt ſufficiens ad juſtificationem, ut conſtat ex n. 223. ergo, &c. 346.

Reſp. diſt. Antec. Si Rex promiſiſſet admittere rebellem illum ad ſuam amicitiam, & filiationem, eâ ſolâ poſitâ diſpoſitione, nego; ſi non pro- 347.

promisisset, omitto Antec. & nego Cons. quia in casu nostro posità in peccatore eâ dispositione, unà cum Sacramento, promisit Deus gratiam illi conferre, & ad filiationem admittere, ut constat ex dictis, unde paritas nullius est roboris. Dixi enim omitto Antec. quia Reges possunt, si velint, remittere injuriam nullâ prævià in rebelle dispositione, adeóque malè arguitur: ille non disponitur: ergo Rex non potest injuriam remittere. Deus autem etsi possit, de facto promisit, non remittere injuriam adulto absque prævia ipsius dispositione à Deo destinata; ut videas, quàm frustra in his rebus sumatur paritas ab humanis ad divina. Ad Confirmat. nego Maj. Ad probat. nego etiam Maj. quia ad Attritionem sufficientem cum Sacramento, satis est, quòd ex suo motivo, ita detestetur peccatum, ut reddat hominem incompossibilem cum voluntate peccandi, adeóque licèt in eo casu non esset detestatio peccati super omnia, cùm non esset supra suum motivum; nihilominùs esset satis ad justificationem cum Sacramento: illud enim motivum, prout propositum, & approximatum est ad elicientiam talis actûs, nunquam deservire potest ad committendum peccatum, ut satis constat ex n. 236.

348. Objicies quintò, instando simul solutionem: ordinare majus bonum ad minus bonum, malum ac vituperabile est; cùm in eo fiat injuria majori bono, quod ordinetur ad minus: sed ille, qui doler de peccatis propter solum gehennæ metum, comitante amore concupiscentiæ sine amore charitatis, ordinat majus bonum; scilicèt vitationem peccati ad minus bonum, nimirùm ad vitationem pœnæ: ergo malè agit, & peccat: adeóque, sine amore charitatis, nequit dari actus sufficiens cum Sacramento ad justificationem. Resp. disting. Maj. ordinare tanquam ad finem ultimatum, conc. non ultimatum, nego Maj. & distinctâ Min. nego Cons. Ratio est, quia cùm Deus solus sit ultimus finis noster, ordinare unum medium ad aliquid creatum, tanquam ad ultimum finem, esset maxima perversitas, utpote aversio à Deo ultimo fine: ordinare autem unum ad aliud, tanquam ad finem non ultimatum, præcisè est uti uno ad consequendum aliud per ordinationem compossibilem cum consecutione ultimi finis. Cùm autem Deus reliquerit creaturæ potestatem, ut licitè possit ipsum obtinere, vel per medium perfectius, vel per medium minùs perfectum, licitè potest creatura amplecti medium minùs perfectum; adeóque si ad illius consecutionem agnoscat, esse utile medium magis perfectum, licitè potest uti medio magis perfecto, ad obtinendum minùs perfectum intra eam viam, sibi à Deo licitè permissam.

349. Qua de causa, & apud adversarios, & apud omnes possumus ordinare sacrificia, & orationes, ut media ad obtinendam sanitatem corporalem, vel aliquod aliud temporale: Sicut Deus ordinavit tanquam in finem non ultimatum Incarnationem, & Passionem Christi in nostram salutem, & gloriam, ut dicitur in Symbolo Nicæno: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis.* Sic plurimi dicantes, se non obtenturos matrimonium conforme, nisi castè vivant, possunt ordinare castitatem ad matrimonium, neque illud ullo modo appretiare magis honestatem matrimonii quam honestatem castitatis, sed eligere pro sua libertate, & licita potestate, quam habent à Deo, veram matrimonii minùs perfectam compossibilem cum tendentia ad Deum, relinquendo veram castitatis magis perfectam, ad quam non tenentur. Unde sicut electio matrimonii, utpote certum est, non est conditionata voluntas eliciendi Deum, si solùm esset consequibilis per castitatem; ita electio medii minùs perfecti non est conditionata voluntas relinquendi Deum, si solùm esset consequibilis per medium magis perfectum: adeóque si actus elicitus à creatura, quo vel amplectitur bonum, vel fugit malum, sit compossibilis cum tendentia ad suum ultimum finem, nequaquam est peccaminosus, etsi absque ullo formali respectu in Deum eliciatur. Quapropter Alexander VIII. inter prædictas propositiones juremerito damnavit nonam, quæ sic habebat: *Revera peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensæ respectu.* Reliqua, quæ hic objici possint, facilius constabunt ex his, quæ statim dicemus.

SECTIO VII.

An perfecta Contritio habeat semper adjunctam remissionem lethalis?

§. I.

352. PRima sententia negat; Ira Episc. Castoriensis, plurésque, ut ipse ait, Lovanienses cum Sylvio, qui ad qu. 5. suppl. D. Thomæ art. 1. docuit, Contritionem perfectam, non semper sed rarò habere annexam remissionem mortalis, ante realem susceptionem Sacramenti: etsi fere per afferat secum jus ad justificationem, quamvis si novo peccato non impediatur, in fine vitæ debitur gratia propter illam: extra articulum veræ mortis, ait hic Author, solùm quando est intensissima, conferri statim gratiam, aut quando nonnisi difficillimè haberi potest copia confessarii, extra hujusmodi autem casus, nunquam dari gratiam positâ contritione perfectâ, nisi simul cum Sacramento. Secunda ferè reliquorum omnium Theologorum sententia docet, quamcumque contritionem perfectam statim ferè dare cum gratiam, imò reste Gonet. disp. 3. art. 2. n. 27. idem Sylvius, qui in impressione facta Duaci anno 1618. primam illam sententiam moderat, posteà in tertia editione ejusdem operis, eam retractavit, seu correxit, dicens, se id non intellexisse de contritione perfecta, sed de imperfecta, quæ communiter Attritio appellatur. Quæ-

Quidquid tamen de hoc sit, illam primam Sylvii sententiam P. Coninck tomo 1. *De Sacramentis* disp. 68. art. 2. ait, esse erroneam, Vazq. tom. 2. in 3. part. disp. 152. n. 3. dicit esse contra sententiam Catholicam: Alphonsus Curiel, teste Lugo, judicat eam esse periculosam, & parùm tutam in fide. Arriaga disp. 12. sect. 2. n. 15. ait; si non possit dici omninò hæretica, videri saltem erroneam. Verùm abstinendo à censura.

351. Assero cum secunda sententia. Contritio perfecta, quâ homo lethalia sua nondum remissa detestatur propter Deum summè dilectum, statim infallibiliter secum affert remissionem peccatorum. Probatur primò ex Scriptura, & SS. PP. Isaiæ enim 30. juxta versionem septuagintà Interpretum, dicitur: *Cùm reversus ingemueris, tunc salvus eris*: ubi notanda est quàm maximè particula, *tunc*, quâ significatur, nullam interponi moram, inter reversionem peccatoris per contritionis gemitum, & salutem ejusdem, per justificationis gratiam collatam, ut interpretantur SS. PP. Sic Leo Papa epist. 91. *Misericordiæ Dei, nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: cùm ingemueris, tunc salvus eris.* Item Cœlestinus Papa in epist. ad Episc. Galliæ cap. 2. *Vera conversio, mente potius, quàm tempore metienda est, dicente Propheta: Si conversus fueris, salvus eris.* Unde statim, atque David per veram Contritionem 2. Reg. 12. dixit: *Peccavi Domino*, audivit à Nathan, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*: quod etiam expressè docet D. Thomas cit. n. 286. & Chrysostomus hom. 7. in 2. ad Tim. *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala*: & infra: *Junctæ nempè scelera, quæ pacem perturbant, ubi charitas fuerit, solvuntur.* Vide plura alia testimonia apud Vazqu. 1. 2. disp. 103. cap. 4.

352. Probatur secundò ex illis Tridentini verbis, sæpè à nobis reperitis sess. 14. c. 4. *Etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominémque Deo reconciliare, priusquam Sacramentum hoc actu suscipiatur*: ubi pro eodem à Concilio usurpatur justificare ante Sacramentum, & contritionem esse charitate formatam; particula enim illa, *aliquando contingat*, non est posita à Concilio, ut doceat, contritionem charitate formatam, aliquando justificare, aliquando verò non; sed quia contritio usurpabatur à Trid. universaliter, ut habetur in ipsius capitis initio, prout abstrahit à perfecta, & imperfecta, quasi diceret: dolor de peccatis, aliquando est perfectus, & tunc actu ante Sacramentum justificat; aliquandò verò imperfectus, & hic nonnisi intra Sacramentum: hanc enim fuisse Concilii mentem, nullus, qui illud legerit, negare potest: ergo perfecta contritio statim secum affert remissionem omnium peccatorum.

353. Confirmatur primò ex ipso Tridentino sess. 13. c. 7. ubi necessitate urgente Sacerdoti existenti in lethali, & destituto copiâ confessarii, conceditur facultas celebrandi cum sola contritione; etsi posteà teneatur, quamprimùm possit, confiteri: ergo ex mente Concilii, statim appositâ Contritione, confertur gratia; aliter non permitteret Sacerdotem sui lethalis conscium, accedere ad Eucharistiam; quod quàm contrarium sit ipsi Concilio, & toti Ecclesiæ, nullus ignorat. Patet Consequentia, quia illa obligatio confitendi posteà, oritur ex speciali præcepto, Ecclesiastica consuetudine, satis nobis cognito, & à Tridentino declarato; non autem ex eo, quòd ille Sacerdos contritus gratiam non obtinuerit: Sic qui invincibiliter oblitus alicujus lethalis, confitetur reliqua, & obtinet gratiam in Sacramento Pœnitentiæ; si antequàm ad Eucharistiam accedat, illius lethalis recordetur, non excusatur ab obligatione illud confitendi, antequàm recipiat Eucharistiam, ut declaravit Inquisitio Hispana condemnans contrariam aliquorum sententiam. Confirmatur secundò ex Catechismo Romano, titulo *De pœnitentia*, dicente: *vehementer proderit, contritionis vim, & utilitatem sæpiùs proponere. Quin etiam statim, ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis à Deo tribui, alio loco ejusdem Prophetæ, verba illa declarant: Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei ..... Ex quo licèt cognoscere, veræ Contritionis, de qua supra dictum est, eam vim esse, ut illius beneficio, omnium delictorum veniam statim à Domino impetremus*: ergo, &c.

354. Respondebis primò cum Estio, Castorienſi, & Lovanienſibus recentioribus apud ipsum: in peccato mortali duo distinguenda esse, nimirum aversionem à Deo, & reatum pœnæ æternæ. Contritione verò perfectâ, ait, solùm tollitur aversio à Deo, reatus autem pœnæ, seu obligatio mortis æternæ tollitur, accedente absolutione Sacramentali. Unde fit, ut beneficio contritionis, homo vivere Deo incipiat, & vi absolutionis perfectè vivificetur; Deo quidem vi contritionis vivere incipit, quia dolor ille, & amor, quo jam uni Deo servire studet, & in ejus viis ambulare, alicujus vitæ actus, & signa sunt; adhuc tamen æternæ damnationis, quæ animæ secunda mors est, reus manet, donec reatus ille, & pœnæ acerbissimæ onus, Sacramento dissolvatur: reatus enim ille non dissolvitur, nisi meritum Passionis Christi applicetur, quòd non intuitu contritionis perfectæ; sed solùm intuitu Sacramenti applicatur, ideóque beneficium contritionis est distinctum à beneficio remissionis. Quapropter novæ, & juxta Augustinum, magnæ est misericordiæ; quod peccatoribus jam conversis, Deus peccata condonet. Hæc est summa doctrinæ Lovanienſium.

355. Contra tamen primò. Quando adversarii dicunt contritionem tollere aversionem à Deo, & absolutionem Sacramentalem solvere reatum, seu debitum pœnæ æternæ; vel sensus est, quòd contritio tollat reatum culpæ, & peccati maculam; Sacramentum verò reatum pœnæ æternæ; vel sensus est, quòd contritio tollat so-

lùm aversionem actualem ; absolutio verò Sacramentalis peccati maculam deleat, ac debitum simul æternæ mortis extinguat ? *Si primum* : hoc salvâ fide sustineri non potest, cùm reatus pœnæ æternæ simul cum culpa remittatur, sive remissio fiat cum Sacramento in re, sive cum Sacramento in voto, ut definit Trident. cir. n. 334. Si secundum: insoluta manent argumenta à nobis confecta, ex ipso Tridentino à n. 352. Constat enim ex Tridentino, elicitâ contritione perfecta, hominem extra Sacramentum justificari, atqui hominem justificari est recipere gratiam, quâ remittitur culpa, & extinguitur pœna æterna : ergo, &c. Contra secundò : licèt peccator non mereatur auxilia efficacia ad eliciendam contritionem, adeóque sit beneficium, quòd Deus illi talia auxilia conferat : & licèt contritio non habeat tantam bonitatem, quantam malitiam habet peccatum, adeóque sit diversum beneficium, quòd positâ contritione, Deus promiserit peccatum remittere, illúdque remittat ; attamen in hac Divina Providentia, collato primo beneficio, Deus ex sua promissione confert secundum ; ut constat ex testimoniis adductis: ergo, &c.

856. Contra tertiò. Pretium satisfactionis Christi non solùm applicatur nobis in susceptione Sacramentorum, sed in omnibus supernarum virtutum operibus, etsi aliter, & aliter applicetur; Sic applicatur in jejunio, eleemosynâ ; mærore animi, corporis maceratione, quibus Deo pro illatis injuriis satisfacimus, ejúsque justitiam mitigamus. Quamobrem Trid. sess. 6. cap. 14. *De pœnit.* Christiani hominis dicit, continere *satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia* : ergo contritioni disponenti ad justificationem applicatur pretium satisfactionis Christi. Contra quartò. Per ultimam dispositionem ad justificationem accedit homo ad Deum, tanquam filius ad Patrem ; atqui accedere non potest, nisi per ipsum Christum dicentem : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* : ergo, &c. Contra quintò ex D. Gregorio in cap. 2. lib. 1. Reg. dicente: *Nullus hominum, neque Angelorum est sanctus, nisi per Christum* : atqui positâ ultimâ dispositione ad justificationem, homo recipit sanctitatem : ergo illi dispositioni applicatur pretium satisfactionis Christi.

§. II.

857. Respondebis secundò ex Castorienſi : contritionem perfectam nunquam deleree peccatum, nisi continendo votum Sacramenti Pœnitentiæ ; adeóque infusionem gratiæ, & exclusionem peccati, contritioni simul, & Sacramento tribuendam. Quemadmodum, ait hic Author, antiquis Patribns, intuitu Christi meritorum, justitia, & sanctitas conferebatur, quamvis illi Christi venturi tempora longo intervallo anteirent ; Ita dici potest, virtute Sacramenti Pœnitentiæ, homines Deo reconciliari, licèt hujusmodi reconciliatio absolutionis exercitium antecedat. Responsio ista plura continet vera admixta falsis, quæ maximè oportet in præsenti separare, & dilucidare, ut adversariorum sensus pateſiat. Quapropter

Contra primò. Contritionem perfectam esse votum Sacramenti, eâque ratione conferre gratiam, non potest significare, conferre solùm gratiam ex vi Sacramenti prævisi absolutè futuri, sicut conferebatur gratia SS. PP. ex meritis Christi prævisis absolutè futuris ; sed solùm potest significare, quod quamvis statim, atque apponitur contritio, gratia conferatur, non exinde liberatur homo ab obligatione confitendi, si possit, sua peccata suo tempore, imò est formale, vel virtuale propositum ea confitendi : ex quo apparet diversus modus, quo contritio est votum confessionis, & votum restitutionis, aut quid simile : nam condonato debito, non tenetur homo ad restitutionem ; condonato verò peccato tenetur ad confessionem : modò sic. Quamvis peccator, qui modò elicit contritionem, & recipit gratiam, nunquam possit postèa per totam vitam suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, vel quia statim moritur, vel ob quamcumque alium inculpabilem titulum, habeat remissionem peccati, & pœnæ æternæ, non quidèm per Sacramentum in re, vel ut prævisum absolutè futurum, sed per Sacramentum in voto, quod non dicitur causare ex opere operato, sed ex opere operantis : ergo quando homo, per contritionem perfectam, justificatur extra Sacramentum, non potest ea justificatio attribui tantùm Sacramento, quantùm voto Sacramenti. 861.

Contra secundò. Ex eo gratia collata antiquis PP. procedebat ex meritis Christi, tanquam causa morali, quia causa moralis meritoria movet ut cognita, in suâque differentia temporis absolutè extitura, & Deus antequam antiquis PP. eas gratias conferret, jam videbat pro sua differentia temporis absolutè extitura merita Christi, ex quibus eas gratias conferebat : atqui non confertur gratia ex vi contritionis, eò quòd prævideatur Sacramentum Pœnitentiæ absolutè extiturum, ut pater in homine, qui post elicitam contritionem moritur inter barbaros, copiâ confessarii destitutus, aut in altero, qui antequàm cubitum discedat, conscientiam examinans, & lethalem suam culpam agnoscens, veram elicit contritionem ; moxque inter dormiendum, apoplexiâ extinguitur, & sic de millenis aliis : isti enim cùm post elicitam contritionem nunquam suscipiant Sacramentum Pœnitentiæ in re, recipere non possunt gratiam, ex vi talis Sacramenti prævisi absolutè futuri, aliter scientia divina esset falsa, quod blasphemum est : ergo ex vi contritionis confertur gratia ex opere operantis, tanquam ex vi dispositionis, cui annexa est divina promissio de gratia conferenda. 862.

Probatur tertiò Concl. ex definitionibus Pontificiis : etenim Pius V, & Gregorius XIII.

in Bulla contra Michaëlem Bajum, qui, ut ait Arriaga, fuit professor Sylvii, & à quo hic eam doctrinam didicit, damnârunt 79. propositiones, quas cum Pontificum Bullâ habes apud Exim. Doctorem, tom. 1. de gratia prolegom. 6. c. 2. quarum 31. sic habebat: *Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ, tam in Cathecumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum:* & 32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum:* & 70. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis:* & 71. *Per contritionem etiam cum charitate perfectâ, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctâ, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii sine actuali susceptione Sacramentorum:* quæ videtur ipsissima Sylvii doctrina: ergo &c.

861. Respondebis: in his propositionibus, Pontifices solùm damnare, posse habitualem charitatem stare cum peccato. Contra tamen primò: nam Bajus, quem damnare intendunt Pontifices, loquitur in citatis propositionibus de charitate actuali: de ea enim charitate loquitur, quæ ut dispositio prærequiritur ad remissionem peccatorum in Sacramento obtinendam, ut constat ex propositione septuagesima prima; sed hæc est actualis, cùm ad Sacramenta suscipienda non disponamur per habitus, sed per actus: ergo loquitur de charitate actuali. Contra secundò: loquitur de charitate, quâ lex, & præcepta adimplentur, ut constat ex propositione 32. atqui hæc non est habitualis, sed actualis, dum non per habitus, sed per actus præcepta adimpleantur: ergo &c.

862. Probatur quartò Conclusio ex duplici usu Ecclesiæ, quæ primò permittit, ut peccatores sibi conscii peccati mortalis accedant ad Sacramenta; etiam illa, quæ quia per se supponunt statum gratiæ, vivorum appellantur, dummodò præmittant actum contritionis, quod à Clemente VIII. in Pontificali Romano traditur: Exceptâ Evchariſtiâ, de quâ tamen id etiam permittit in casu necessitatis, ut constat ex nu. 353. ergo Ecclesia supponit, eos per contritionem statim justificari sine Sacramento Pœnitentiæ. Rursus Summi Pontifices indulgentias sæpè concedunt solis contritis, & non confessis: ergo hâc concessione supponunt, posse peccatores per solam contritionem consequi remissionem peccatorum, & statum gratiæ, qui necessarius est ad fructum indulgentiarum percipiendum. Confirm. Contritio non minorem habet virturem in lege Evangelica, & post institutionem Sacramenti Pœnitentiæ; quam habuerit in lege naturæ, & in lege Mosayca ante hujus Sacramenti institutionem: sin autem assignent adversarii, ubinam privaverit Deus hoc fructu contritionem: atqui in lege naturæ, & in lege Mosayca Contritio habebat vim statim justificandi, & remittendi peccata: tunc enim nullum supererat Sacramentum, quod redderet de attrito contritum: ergo contritio eâdem virtute pollet in lege evangelica, subindèque ad obtinendam remissionem peccatorum Sacerdotis absolutionem non expectat.

SECTIO VIII.

Solvuntur Opposita.

§. I.

OBjicies primò ex D. Thom. 3. parte quæst. 72. art. 7. ad secundum, de confirmatione dicente. *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequetur remissionem peccatorum:* ergo Contritio non conjungitur semper cum remissione peccatorum. Confirmatur: contritio ex Divo Thoma præcedit tempore justificationem: atqui si conjungeretur statim cum gratia, non præcederet tempore justificationem: ergo &c. Resp. concedo Antecedens, & disting. Conseq. Contritio imperfecta, sive attritio, concedo: Contritio perfecta, nego Conseq. quia D. Tho. ibi agit de Sacramentis vivorum causantibus per accidens primam gratiam; ut constat ex n. 292. de Sacramentis: hanc autem non causant cum contritione perfecta, sed cum imperfecta, quæ extra Sacramentum sæpè reperitur absque remissione peccatorum. Sed quid exinde ad casum nostrum de contritione perfecta? Ad Confirm. dist. eodem modo Maj. contritio imperfecta, concedo: perfecta, nego Maj. & dist. Min. nego Conf. quia in doctrina S. Th. Contritio perfecta non præcedit tempore justificationem, sed in eodem instanti cum ipsa conjungitur, ut constat ex n. 284. & 286. 363.

Objicies secundò: Christus Dominus Luc. 7. postquam asseruit, Magdalenam dilexisse multùm, ait: *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm:* ergo dilectio perfecta præcessit tempore remissionem peccatorum, aliter non dixisset Christus, remittuntur, sed remissa fuêre peccata, quoniam dilexit. Resp. nego Conseq. quia illa verba Christi non significabant, peccata lethalia remitti Magdalenæ, eo ipso tempore, quo illa Dominus proferebat, sed ex communi modo loquendi Hebræorum significabant declararionem internæ remissionis factæ, statim atque fuit verè contrita, cujus expositionis veritas ex ipso textu manifestè colligitur: nam ea verba protulit Christus, Simonem alloquens versic. 47. & posteà interjecto aliquo temporis spatio, conversus Christus ad Magdalenam versic. 48. iterum dixit ei: *remittuntur tibi peccata tua:* cùm autem ista verba, adhuc apud ipsos adversarios, non significent remissionem, quæ tunc fiebat, cum saltem jam remissa essent peccata, 364.

ra, quando Christus ea verba primò protulit, ea de causa necesse non est, ut significarent remissionem, quæ tunc fiebat, quando primâ vice illa protulit Christus.

365. Significabant ergo utrobique illa verba declarationem externam remissionis factæ internæ, & totum illud tempus præsens, quo Magdalena flere, dolere, & amare incæpit: sicuti Marci 5. dixit Christus mulieri, multo tempore postquam eam à fluxu sanguinis sanaverat: *esto sana à plaga tua.* Unde quando dixit Augustinus de Magdalena: *accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda: accessit ægra, ut rediret sana:* non debet intelligi accessus ille, quasi corporaliter, sed spiritualiter, quasi diceret: quando voluit accedere per fidem, antequàm perfectam haberet charitatem, tunc erat ægra, & accedendo per charitatem, sanata est. Sic Aug. tract. 48. in Joan. circa initium, de Judæis nolentibus ad Christum accedere, ait: *Hyems erat, & frigidi erant: ad illum enim divinum ignem accedere pigri erant: Si accedere est credere, qui credit, accedit, qui negat, recedit. Non movetur anima pedibus, sed affectibus; friguerant diligendi charitate, & ardebant nocendi cupiditate, longè aberant, & ibi erant; non accedebant credendo, & premebant persequendo.* Potest etiam dici, quòd primò remissa fuêre Magdalenæ lethalia, statim atque elicuit contritionem, deinde quando advenit ad Christum cum augmento contritionis, remissa fuisse alia, & alia venialia, quæ licèt non sint mors, sunt tamen animæ immunditia, & ægritudo ex num. 254. Videatur Bellarm. lib. 2. *De pœnitentia* c. 14. Vide aliam solutionem infra n. 224. *De Sacramento.*

366. Objicies tertiò ex Aug. tract. 13. in Jo. dicente: *Quantumcumque cathecumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: Non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum. Quomodo non caruit populus Israel populo Ægyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum; sic nec pressuris peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem Baptismi pervenerit: ergo pariter & peccata post Baptismum commissa, non remittentur, antequàm perveniat ad Sacramentum Pœnitentiæ.* Resp. cum Bellar. suprà cit. nego Conseq. quia non solùm in homine baptizato remittuntur omnia lethalia, statim atque datur perfecta contritio, sed etiam in cathecumeno. Augustinus enim ibi non loquitur de cathecumeno eliciente perfectam contritionem, sed de illis, qui ad Baptismum accedere negligunt culpabiliter, de quibus verè dicit, non obtenturos justificationem sine Baptismo: quantumvis in aliis operibus moralibus proficiant: hæc enim expositio colligitur ex ipso textu, ubi ait: *Ne quis arrogans, eo quòd habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignaretur baptizari Baptismo Domini:* post quæ statim subdit: *quantumcumque enim cathecumenus proficiat,* &c. Scio aliquos respondere, Augustinum loqui de his, quæ communiter contingunt, adeóque cùm communiter non contingat, cathecumenum elicere contritionem ante Baptismum, rectè infertur, non justificari ante Baptismum. Verùm mihi conformior Augustino videtur nostra expositio.

Objicies quartò. Si elicitâ contritione justificaretur peccator, non teneretur confiteri postea peccata: atqui tenetur: ergo quando elicit contritionem, non justificatur. Retorqueo argumentum. Si quando peccator in Sacramento Pœnitentiæ invincibiliter obliviscitur alicujus peccati, nihilominùs justificaretur, non teneretur confiteri postea illud peccatum; atqui tenetur, ut constat ex Trident. sess. 14. cap. 5. ergo quando invincibiliter obliviscitur in Sacramento Pœnitentiæ alicujus peccati, non justificatur. Resp. deinde, nego Maj. quia obligatio confitendi postea, ea peccata, venit ex præcepto Christi, quo tenemur, clavibus Ecclesiæ ea subjicere: unde Tridentinum loc. cit. ita definit: *Universa Ecclesia semper intellexit, institutum etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis, jure Divino necessariam existere.* Quapropter ipsa contritio, ut ait idem Concilium præcedenti cap. 4. continet votum illa confitendi, adeóque contritio nequaquam excusat à peccatorum confessione.

Objicies quintò. Si sola contritio peccata deleret, non requireret Tridentinum sess. 13. c. 7. ad Eucharistiam dignè suscipiendam, præter contritionem, Sacramentalem etiam confessionem: ergo per solam contritionem, non delentur peccata. Resp. nego Antec. quia ad suscipiendam Eucharistiam, propter reverentiam tanto Sacramento debitam, adest special præceptum confessionis Sacramentalis, Ecclesiastica consuetudine satis notum, ut ait ibi Tridentinum: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.* Unde in solo casu urgentis necessitatis, ut ibi loquitur Concilium, permittitur accessus cum sola contritione, etsi Sacerdos teneatur, postea, quamprimùm possit, confiteri. Ex quo rectè deducitur, contritionem satis esse ad suscipiendam gratiam, cùm in nullo casu permittatur homo accedere in mortali cognito ad Eucharistiam. Quinimò ad reliqua Sacramenta vivorum, licitè quis accedere potest cum perfecta contritione, quod illicitum esset, si elicita contritione, gratia non conferretur. Ex quibus satis apparet, quàm vera, & certa sit nostra sententia, quâ præmissâ facilis, jam patet aditus ad novam disputationem.

DISPU-

DISPUTATIO VI.

DE ATTRITIONE.

869. EX dictis tota disputatione præcedenti clarè constat, Attritionem Theologicam esse dolorem animi supernum detestativum peccati commissi cum proposito non peccandi de cætero; elicitum non quidem ex motivo charitatis, sed ex quocumque alio motivo ad illius eliciendam sufficienti, & satis approximato. Quapropter cùm solus amor ex motivo charitatis sit amor Dei super omnia; secùs autem ex alio inferiori motivo, cùm nullus actus excedat vim sui motivi, à quo accipit suam efficaciam; ita pariter sola detestatio ex motivo charitatis erit detestatio peccati super omnia; secùs autem detestatio habita ex quocumque alio motivo inferiori. Exinde cùm attritio nunquam possit esse amor Dei, aut detestatio peccati appretiativè super omnia, neque poterit unquam fieri Contritio, ex dictis n. 246. & 257. Quinimò aggregatum ex puro amore Dei super omnia, & attritione adhuc non contineret totum constitutivum perfectæ contritionis: quia licèt contineret formalitatem amoris Dei super omnia, non contineret formalitatem detestationis peccati super omnia, ex qua utrâque formalitate constituitur perfecta contritio, ex dictis à n. 287. Quando autem homo eliciens attritionem, simul elicit amorem Dei super omnia, talis amor non est purus amor, sed etiam dolor detestativus peccatorum: tunc enim, cùm eliciat contritionem, habet cognitionem peccati, sine qua contritio elici nequit. Repugnat autem, quòd quando homo amat Deum super omnia, utpote volens Deo bonum, quia ipsi bonum, non detestetur etiam, quod cognoscit, esse malum Dei, quia ipsi malum, ut constat à n. 269. His præmissis, præcipua hujus disputationis difficultas, ex qua ad reliquas quæstiones dissolvendas facilis erit progressus, consistit in attritione concepta ex metu gehennæ, pro qua pugnandum est nobis, partim contra hæreticos, negantes eam esse supernaturalem, & honestam; & partim contra aliquot catholicos, negantes sufficere ad justificationem cum Sacramento, ut utrumque præstemus, sit.

SECTIO I.

An Attritio ex metu gehennæ concepta sit actus honestus, & supernaturalis?

§. I.

370. LUtherani omninò damnant, non solùm operationem ex timore pœnæ, sed etiam timorem ipsum, ut diximus n. 23. Nonnulli verò Catholici, qui ante Trident. scripsêre, quanquam timorem reprobare non audeant; tamen operari ex timore, tanquam ex fine proximo, sive non ultimato, judicant esse malum, ut Gregorius in 2. dist. 26. q. 1. art. 3. Almainus tract. 1. *Moral.* c. 3. dub. ult. Adrianus Quodlib. 4. qu. 2. Post Trid. verò Estius, Sylvius, & Jansenius; aliique perpauci cum ipsis, etsi enim concedere videantur, attritionem, quâ quis dolet de peccato ex solo timore gehennæ, esse actum bonum, & honestum; negant tamen, illam esse sufficientem dispositionem ad dignè suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, ejùsque effectum consequendum. Reliqui autem ferè omnes Theologi docent, attritionem ex metu gehennæ esse honestam, & laudabilem, & ad justificationem cum Sacramento sufficientem.

Assero primò cum doctrina Catholica. Attri- 371.
tio ex metu gehennæ est actus bonus, laudabilis, & utilis ad salutem. Probatur primò, ex Scriptura: Prov. 1. dicente: *Timor Domini principium sapientiæ*: & Psal. 110. *Initium sapientiæ timor Domini*: quæ testimonia explicant SS. PP. de timore servili: hic enim sapientiam inchoat; non filialis, qui illam perficit, & consummat. Sic Aug. ser. 18. *De verbis Apostoli*, dicit, hunc timorem esse custodiam animæ, non salutem: en ejus verba: *Timor enim iste, quo gehennam times, & ideò mala non facies, continet te, & sic volentem peccare, animo interiore non sinet; est quidem custos timor, quasi Pædagogus legis, littera est minans, nondum gratia juvans. Custodiat tamen timor iste, dum non facis timendo, & veniet charitas.* Idem docent Cypr. Hier. Tertul. Chrysost. & Ber. apud Exim. Doct. disp. 5. sect. 2. Sic dicitur Ecclesiastici primò: *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari*: quòd saltem regulariter, & dispositivè intelligi debet; quatenus timor ad justificationem, & expulsionem peccati disponit, adeóque Attritio ex metu gehennæ verè disponit ad justificationem; atqui actus ad justificationem disponens est bonus, laudabilis, & utilis ad salutem: ergo &c.

Probatur secundò ex Aug. tom. 8. ad illa ver- 372.
ba Ps. 127. *Beati omnes, qui timent Dominum*: ubi exponendo discrimen inter amorem servilem, & filialem, sic habet: *Ille autem timor nondum castus præsentiam Domini, & pœnas timet, timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam: bonus est & iste timor, utilis est. non quidem permanebit in sæculum sæculi, sed nondum est iste casus permanens in sæculum sæculi*: ergo, &c. Confirm. Christus non hortabatur homines ad mala, sed ad bona: atqui hortabatur ad timorem gehennæ, Matth. 10. *Timete eum, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam*: ergo talis timor non est malus, sed bonus. Quapropter Tridentinum nostram definit sententiam, & contrariam damnavit sess. 6. can. 8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad Misericodiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, vel à peccato abstinemus, peca-*

catum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit. Quod etiam constat ex Alexandro VIII. cit. n. 344.

373. Probatur tertiâ ratione: Actus conformis naturæ rationali, ut rationali, non est malus, sed honestus, ut constat à n. 8. sed fuga gehennæ, quæ habetur per atrritionem ex metu gehennæ conceptam, est actus conformis naturæ rationali, ut rationali: ergo, &c. Probatur Min. status gehennæ est magnum malum naturæ, ut rationalis; affert enim secum plura naturæ, ut rationali difformia, & proximas occasiones peccandi: sed valdè conforme est naturæ, ut rationali fugere ipsius malum: ergo &c. Confirmatur primò: fugere mala, quæ torquent naturam sensitivam, conforme est naturæ, ut sensitivæ: ergo fugere mala, quæ torquent naturam rationalem, conforme est naturæ, ut rationali. Confirmatur secundò. Amare, secundùm rectam rationem, salutem, scientiam, & id genus alia, conforme est, apud ipsos adversarios, naturæ, ut rationali, adeóque est etiam ipsi conforme fugere secundùm rectam rationem opposita mala: ergo multò conformiùs erit fugere malum gehennæ, utpotè majus præ his omnibus malis. Ex dictis

374. Fit primò: fugam peccati esse actum honestum. Ratio est, quia est actus naturæ, ut rationali valde conformis. Fit secundò: amorem Beatitudinis oppositæ malo gehennæ, esse etiam actum honestum: Ratio est, quia Beatitudo est bonum naturæ, ut rationali valde conforme. Ex quo ulteriùs roboratur assertio Catholica de fugâ gehennæ, quia malum gehennæ est oppositum bono Beatitudinis: sed est honesta laudabilis, & naturæ rationalis conformis fuga mali oppositi bono naturæ rationali: ergo fuga gehennæ est honesta, laudabilis, & conformis naturæ, ut rationali. Fit tertiò: attritionem conceptam, vel ex metu gehennæ, & pœnarum, vel ex turpitudine peccati, vel ex amore Beatitudinis, dummodò sit universalis, & theologica, sive sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ, non solùm esse honestam, verùm & supernaturalem, ex n. 22. Quapropter cùm actus supernaturalis fieri nequeat sine gratia, ad illam attritionem eliciendam, opus est auxilio gratiæ: Sic Trident. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Cæterùm, ut hæc clariora fiant.

375. Assero secundò cum D. Th. Bonav. & communi Theologorum, quos citat, & sequitur Exim. Doct. disp. 3. sect. 6. contra Durandum, & Cajetanum. Non sufficit actus pœnitentiæ intrinsecè naturalis, & solùm denominativè supernaturalis ad Attritionem disponentem cum Sacramento ad justificationem, sed debet esse actus intrinsecè supernaturalis. Probatur primò ex Scriptura & SS. PP. Actus, qui elici nequit sine gratia, aut Spiritûs Sancti inspiratione, est intrinsecè supernaturalis: atqui actus pœnitentiæ disponentis ad justificationem nequit elici sine gratiâ aut Spiritûs S. inspiratione: ergo &c. Probatur Minor. ex Paulo 2. ad Tim. 2. dicente: *Ne quando det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis:* ergo Deum illis dare pœnitentiam, quâ resipiscant, sive pœnitentiam salutarem, significat, talem actum fieri non posse sine gratia Dei, aut inspiratione Spiritûs Sancti, ut habet Leo Papa epist. 93. dicens: *Pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: ne quando Deus det illis pœnitentiam.* Sic etiam Aug. lib. 5. contra Julianum cap. 3. *Nisi ipse dederit, quis agit pœnitentiam?* ergo &c.

Probatur secundò: actus elicitus ex gratia habitâ per merita Christi, & sine gratia probante non potens, est intrinsecè supernaturalis: sed talis est actus pœnitentiæ disponentis ad remissionem peccatorum: ergo &c. Probatur Min. ex illo Actor. 5. *Hunc Principem, & Salvatorem Deus exaltavit dexterâ suâ ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.* Quod olim promiserat Deus Ezech. 6. *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor novum.* Ex quibus verbis inter Aug. lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum c. 20. actum pœnitentiæ fieri ex gratia: ergo &c. Confirmatur omnibus illis testimoniis, in quibus à Deo petimus, ut nos convertat: ea enim salutaris conversio fit per gratiam ex Christi merito habitam, ut definit Trid. cit. n. 259. quod prius docuerat Hier. ad illa Jeremiæ verba c. 31. *Convertere me, & convertar, quia tu Dominus Deus meus: postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.* Tum, & Cœlestinus Papa in Epist. ad Episcopos Galliæ cap. 11. quod & Ecclesia in plurimis orationibus sæpè repetit, dicens: *Per Christum Dominum nostrum:* ergo &c.

Prob. tertiò ex Conciliorum definitionibus requiritur gratia, sive inspiratio Spiritûs Sancti ad talem actum eliciendum: ergo &c. Probatur Antecedens ex Arausicano 2. can. 4. *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendat; non autem ut etiam purgari velimus per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: præparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Tum etiam can. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salvari, idest evangelizanti prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: sine me nihil potestis facere, & illud Apostoli: nunquid idonei sumus cogitare aliquid*

aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: ergo. Confirmatur primò ex Trid. cit. n. 274. requirente gratiam ad eliciendum actum salutarem pœnitentiæ, non minùs quàm ad eliciendum actum fidei: sed ex hoc actus fidei salutaris est intrinsecè supernus: ergo & actus pœnitentiæ salutaris. Confirmatur secundò ex Arausicano 2. can. 25. *Prædicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia cum, & misericordia divina prævenerit*: ergo &c.

378. Respondebis: ad actum Contritionis, sive salutaris pœnitentiæ non requiri, quòd sit intrinsecè supernaturalis, sed satis esse, quòd sit supernaturalis extrinsecè, prout talis denominatur ab acceptatione divina, vel à gratia justificante, quâ informatur. Hoc est totum adversariorum fundamentum. Contra tamen primò: Arausic. & Trident. clarè definiunt, non solùm requiri gratiam ad eliciendum eos actus fidei, dilectionis, & pœnitentiæ collectivè sumptos, sed etiam ad eliciendum unumquemque eorum, sicut oportet, aliter fieret contra Concilia, non esse de fide, opus esse gratiâ ad ita credendum, ad ita pœnitendum: Sed ex eo, quòd sit necessaria gratia ad eliciendum actum pœnitentiæ salutarem, talis actus, utpote viribus naturæ non potens elici, est intrinsecè supernaturalis: ergo, &c.

379. Contra secundò, & explicatur vis hujus argumenti. Si actus pœnitentiæ salutaris, quoad omnia sua intrinseca, esset naturalis, solúmque diceretur esse supernaturalis per acceptationem extrinsecam Dei, sive quod idem est, quia acceptatur à Deo, exinde fieret, quòd ad talem actum eliciendum non requireretur Spiritûs Sancti inspiratio, ejúsque speciale adjutorium: sed hoc est contra Trident. n. 374. ergo, &c. Probatur Maj. Homo potest suis viribus elicere illum actum, & quidquid intrinsecè in illo est, cùm totum id, sit purè naturale, ac proinde ad hoc non requiritur illa inspiratio, vel adjutorium. Rursus postquàm homo suis viribus elicuit talem actum, Deus sua voluntate gratuita potest illum acceptare; atqui ad hanc acceptationem non est necessaria inspiratio, vel adjutorium Spiritûs Sancti, cùm ea acceptatio non sit operatio hominis, ad quam auxilia requiruntur, sed est sola Dei voluntas extrinsecùs acceptans: ergo, neque ratione actûs, neque ratione denominationis desumptæ ab acceptatione divina, requireretur illa Spiritûs Sancti inspiratio, & speciale adjutorium. Idem fit argumentum pro informatione gratiæ sanctificantis: nam hæc solùm consistit in infusione habitualis gratiæ, quæ sanctificando personam, morali quodam modo, dignificat, & sanctificat actum, ac proinde ad talem informationem nihil novi operatur homo, sed passivè se habet, suppposita priori efficientia actûs: ergo si actus est intrinsecè naturalis, neque ad eliciendum actum, neque ad illius informationem, erit necessaria gratia excitans, vel adjuvans. Exinde

Contra tertiò: vel actus pœnitentiæ salutaris acceptatur à Deo, seu informatur gratiâ, quia supernaturalis est; vel è converso; ideò tantùm est supernaturalis, quia acceptatur à Deo, & informatur gratiâ? Si primum: ergo supernaturalitas actus non consistit in sola acceptatione, vel informatione extrinseca, sed in natura intrinseca actus prævii ad acceptationem, & informationē. Si secundum: ergo ad eliciendum talem actum, necessaria non est gratia excitans, vel adjuvans: quòd manifestè pugnat contra Concilia superiùs allata. Contra quarto. Non minùs requirit Trid. gratiam, ad eliciendū actum pœnitentiæ, quàm actum fidei salutaris, ut constat ex n. 374. atqui actus fidei salutaris, non dicitur pendens à gratiâ à posteriori, quatenùs supervenit gratia acceptans, & informans, sed quatenùs necesse est, quòd præcedat gratia, ut ipse actus eliciatur: ergo eodem modo pendet à gratia actus pœnitentiæ salutaris, adeóque non minùs, quàm actus fidei erit intrinsecè supernaturalis. Probatur Min. ex Arausicano can. 35. dicente: *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est. Et quod de se ipso ait Apostolus: Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem*: ergo, &c. Ex dictis

380. 381. Fit primò: non sufficere ad valorem Sacramenti attritionem purè naturalem, explicatam n. 170. Ratio est, quia forma justificans est intrinsecè supernaturalis; Attritio autem, cùm sit dispositio ad talem formam, debet esse ad illam proportionata; nulla quippe esse potest dispositio ad ullam formam, quæ cum illa non habeat proportionem: hæc autem proportio inter alia exigit supernaturalitatem, ut ex adductis Scripturæ, & Conciliorum testimoniis, satis constat. Quapropter Innocentius XI. inter propositiones, quas damnavit, attinentes ad Sacramentū Pœnitentiæ, damnavit 57. quæ sic habebat: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem modò honestam*. Quid autem sit ens supernaturale, prout à naturali distinctum? hoc opus, hic labor. Non enim est facilè breviter definire, est quidem negotium magni moliminis apud Theologos, pro quo plures valdè insudárunt, & magna volumina impleverunt. Nihilominùs ne rem adeò celeberrimam insalutatam relinquamus; quæ latiùs olim tradidi, paucis modò illationibus comprehendam, quæ satis sint ad explicandos terminos, & ad rem abstrusissimam, non absque aliqua claritate enodandam; pro quo

382. Fit secundò: Distinctivum entis naturalis à supernaturali theologico desumendum esse ex doctrina Conciliorum, & Patrum. Ratio est, quia licèt vox ista *supernaturale*, originem debeat scholis, & authoritatem Sanctis Patribus scholæ stylo loquentibus, præsertim Cyrillo Alexandrino, ut constabit n. 389. Tum etiam Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla contra Bajum citata

num. 360. secundùm; quod sæpiùs definierunt Arausicanum, & Milevitanum; vocis tamen significatum eò tendit, ut ordo crearus gratiæ intrinsecè conducens ad Dei possessionem, sive ad regnum Cœlorum, & vitam æternam, in Sacra Scriptura, Conciliis, & Patribus nobis expositus, contradistinguatur ab ordine naturæ: unde aggregatum, & ordo rerum creatarum, contradistinctum ab eo ordine gratiæ, vocari debet natura theologicè sumpta; quidquid autem extra illud habet esse creatum, cùm per se conducat ad illum ordinem gratiæ, sive visionis beatificæ, & est, & vocari debet ens supernaturale Theologicum. Cæterùm quamvis hæc, primo quasi intuitu, satis cl[illegible]piciantur, sunt & multæ, & non leves difficultates, quibus tota hæc perspicuitas obscuratur:

383. Ratio est, quia in aggregato, & ordine rerum creatarum, per se non pertinentium ad ordinem gratiæ, aut visionis beatificæ, reperiuntur plura entia supernaturalia: etenim qualitas torquens animas in Inferno est supernaturalis, & tamen per se, neque disponit, neque conducit ad gratiâ: Sic etiam resurrectio mortui, curatio cæci nati, volatus hominis per aëra supernaturalia sunt, nec tamen conducunt per se ad ordinem gratiæ: Sic etiam casu, quo Deus revelaret Petro, nullum sibi dandum auxilium conducens ad ordinem gratiæ; & Petrus per actum fidei crederet Deo revelanti, talis actus fidei esset supernaturalis, quin per se ad ordinem gratiæ conduceret: unde aggregatum rerum creatarum per se non pertinentium ad ordinem gratiæ, continet plura entia supernaturalia, adeóque tale aggregatum nequit esse natura theologicè sumpta, supra quam debeat esse ens supernaturale. Cum ergo ens supernaturale debeat esse supra naturam, quid intelligitur pro natura? quid pro ente supernaturali?

384. Explicatur ulteriùs maxima hujus rei difficultas: nam pro natura nequit intelligi aggregatum omnium rerum de facto creatarum: est enim de fide, inter res de facto productas esse aliquas supernaturales. Rursùs pro natura nequit intelligi natura hominis, aliter quidquid vires hominis excedit, esse supernaturale, adeóque cum homo volare nequeat, & avis possit volare, volatus avis esset supernaturalis, tum etiam Angelus excedens hominem supernaturalis esset, quod est absurdum. Pariter nequit pro natura intelligi Angelus; aliter quidquid excederet vires Angeli esset supernaturale, adeóque sensatio, generatio, & id genus alia, ad quæ est impotens Angelus, essent supernaturalia: tum etiam quæcùmque creatura possibilis perfectior Angelo esset supernaturalis, quod absurdissimum est, cùm intra naturæ ordinem habeat Deus infinitas creaturas possibiles Angelo perfectiores: imò supernaturalitas non est metienda cum perfectione rei entitativa: perfectio enim entitativa, & physica Angeli, quinimò & perfectio entitativa hominis, major est perfectione physica, & entitativa auxilii gratiæ, sive ipsius gratiæ habitualis, ut defendunt Vazquez, Fonseca, Ripalda, Arriaga, pluresquè theologi: cùm homo, & Angelus possint Deum possidere; secùs gratia habitualis. Eximiè autè Doct. lib. 6. *De gratia* c. 13. n. 12. ait, rem hanc sibi incertam esse; cùm autem non sit incertum, sed omninò certum, dari ens supernum; non quidem ex perfectione physica, sed ex alio capite esse dendum est, quid, & quale sit. Ex quo crescit difficultas in decernendo, quid sit natura, intra quã non continetur ens supernum, & quid sit ens supernũ, quod continetur extra, & suprà naturam.

Pro clara, & solida decisione, inniteudo semper doctrinâ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum judico distinguendum esse duplex ens supernaturale, alterum Philosophicum, & alterum Theologicum. Ens supernaturale Philosophicum, quod præter naturale vocatur ab Eximio Doctore lib. 8. *De Angelis* c. 14. n. 48. est illud, quod advenit rei creatæ, aut contra, aut suprà suam exigentiam, in circumstantiis, in quibus effectus per se non conducens ad ordinem gratiæ, speciale tribuitur causæ primæ, ad eum modum, quo tribuuntur causæ primæ opera miraculosa. Sic restituere visum cæco, vitam mortuo, & id genus alia, sunt philosophicè superna. Quinimò cum hæc in duplici differentia sint miraculosa: alia enim sunt miraculosa quoad modum, & alia quoad substantiam; ea de causa sunt in duplici differentiâ entia supernaturalia philosophicè sumpta; alia quidem superna quoad modum, & alia superna quoad substantiam, ut ex philosophia satis notum suppono. Unde cùm effectus, qui posset provenire in aliis circumstantiis à causis secundis applicatis ad operandum, modò ab illis non proveniat, sed specialiter à causa prima; exindè, quamvis in aliis circumstantiis talis effectus non diceretur supernaturalis philosophicè; in his autem circumstantiis est philosophicè supernus; tum etiam & ipsa approximatio causarum, quotiescùmque est miraculosa, est etiam philosophicè superna. Quapropter natura philosophicè sumpta comprehendit omnes causas creatas, juxta regularem suum modum, cum universali Dei concursu, operantes; Ens verò philosophicè sumptum est supra talem modum operandi causarum. Exinde si aliquid reverà non esset miraculosũ, sed appareret solùm miraculosũ; pariter neq; esset reverà philosophicè supernum, sed appareret solùm philosophicè supernum.

Ens verò supernaturale Theologicum est donum creatum, intrinsecè pertinens ad intimam visionem, sive ad intimam Dei possessionem, vel identicè, ut ipsa visio, & amor beatificus; vel ordinativè, ut auxilia, habitus per infusi, actus meritorii, & id genus alia; vel proprietativè; sicut enim ens naturale habet suas proprietates naturales, ita ens supernaturale habet suas proprietates v.g. actus illi connexi cum visione beatifica, tanquam proprietates ipsius, characteres Sacramentales, qui ut veri Sacramenta racteres Sacramentales, qui ut veri Sacramenta rum effectus, connectuntur ex intrinsecis suis cum Sacramentis, ut operantibus ad vitam æternam, si ex parte suscipientis non deficiant, ut hanc, si ex parte suscipientis non deficiant, ut hanc tè constat ex toto tractatu *De Sacramentis*. Unde

ens creatum, quod ex intrinsecis suis non conducit ad vitam æternam, neque identicè, neque ordinativè, neque proprietativè, non est ens supernaturale Theologicum, sed de constitutivo naturæ theologicè sumptæ: natura enim theologicè sumpta est aggregatum rerum creatarum ex intrinsecis suis non pertinentibus ad intuitivam visionem, sive ad intimam Dei possessionem.

387. Ratio fundamentalis est: quia sensus, quem habent verba Scripturæ, Pontificum, Conciliorum, & SS. PP. circa ens supernaturale Theologicum, eò tendit, ut sciamus, ens supernaturale Theologicum esse naturæ indebitum, & pertinere ex intrinsecis suis ad visionem, sivè intimam Dei possessionem, hoc est ad gloriam, & vitam æternam: atqui in re dogmaticâ nobis non licèt sumere voces in alio sensu, quàm in sensu, quem habent in Scriptura, Conciliis, & SS. PP. ergo &c. Conseq. tenet, & Min. constat ex 6. Synodo generali act. 12. dicente: *omninò necesse est, non solùm secundùm sensum sequi SS. PP. dogmata, sed iisdem vocibus uti cum illis, nihilque pœnitùs innovari.* Maj. verò probatur ex Arausic. can. 7. definiente, ens supernaturale non posse haberi per naturæ vigorem, quod his verbis exprimit: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit,* &c. ut habetur n. 377. ubi pro eodem sumitur ens intrinsecè supernaturale, ac intrinsecè pertinens ad vitam æternam. Id ipsum explicant Milevitanum, Moguntinum, & Tridentinum per ea, quæ reperunt verba, *prout oportet*, idest, prout conducit ad vitam æternam, ut notavit Exim. Doct. disp. 3. de pœn. sect. 6. Sic etiam Fulgent. de Incar. & grat. c. 21. *Nemo sine gratia aliquid boni potest velle, quod pertinet ad vitam æternam:* quod priùs jam etiam dixerat c. 16. & 19. Tum etiam Aug. lib. 4. contra Julianum c. 3. Supernaturalia dona explicans, ait: *per quæ solùm potest homo ad æternum Dei donum, regnùmque perduci.* Et S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 2. ad primum, explicans excessum charitatis supernaturalis à naturali, ait: *Charitas diligit Deum super omnia eminentiùs, secundùm quod est objectum beatitudinis, & secundùm quod homo habet, supernaturalem quandam conjunctionem cum Deo: ergo &c.* Exinde

388. Fit tertiò: repugnare substantiam creatam intellectivam, aut volitivam intrinsecè, & theologicè supernaturalem. Ratio est, quia substantia creata intellectiva, aut volitiva, si esset intrinsecè supernaturalis, ex intrinsecis suis ordinaretur ad Dei possessionem, cùm conceptus iste sit de essentia entis supernaturalis, ut constat ex n. 386. adeóque cum aliunde sit capax possidendi Deum per intuitivam visionem, & amorem beatificum, non esset supra conditionem suæ naturæ ita possidere Deum: atqui ita possidere Deum est supra conditionem cujuscùmque naturæ creatæ: ergo &c. Prob. Min. Quæcùmque natura rationalis creata essentialiter est serva Dei, & Deus essentialiter est Dominus cujuscùmque creaturæ; visio autem intuitiva Dei est hæreditas propria filii, ut constat ex Paulo ad Rom. 8. *Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Quam hæreditatem in visione intuitiva reponit Apostolus 1. Cor. 13. dicens: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:* atqui ex ipsis terminis implicat, quod servus, ut talis ex intrinseca natura sua exigat, & habeat jus ad possessionem Domini propriam filii, & quod tale ens non sit supernaturale, sivè supra conditionem servi, ut servi: ergo &c. Ex quo præoccupata manent, quæ opponit Ripalda disp. 23. de supernaturalitate sect. 4. & plures recentiores ex ipso: nulla quippe fieri potest paritas ex substantia irrationali, v. g. unione hypostatica, quia natura irrationalis, sicuti est incapax servitutis, & amicitiæ cum Deo, ita est incapax videndi Deum, illumquè intuitivè possidendi, adeóq; cessat ratio, ob quam rationalis creatura esse non potest intrinsecè supernaturalis.

389. Confirmatur primò ex Aug. lib. 12. de Civit. Dei, c. 1. dicente: *Non est creaturæ rationalis, vel intellectualis bonum, quo beata sit, nisi Deus. Itaque quamvis non omnis beata possit esse creatura: neque enim hoc munus adipiscuntur, aut cupiunt feræ, ligna, saxa, & si quid hujusmodi est, ea tamen, quæ potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est:* ergo ipse titulus creaturæ præfert secum non ordinari ex intrinsecis suis ad possidendum Deum. Confirmatur secundò ex Cyrillo Alex. lib. 1. in Joan. Evang. c. 13. dicente. *Ascendamus igitur ad supernaturalem dignitatem per Christum: non ut propriè sicut ille, sed ut similitudine illius per gratiam filii Dei simus: verus enim ille filius Dei Patris est; nos verò misericordiâ ejus adoptati per gratiam audivimus: ego dixi: Dii estis. Creatura autem cùm serva sit, nutu solùm, & voluntate Patris ad supernaturalia vocatur:* ergo ratio servitutis essentialis creaturæ rationali impedit, ne ex natura sua ordinetur ad ita possidendum Deum, ac proinde ne sit intrinsecè; & theologicè supernaturalis. Vide ipsum Cyril. cap. 8. propè medium.

390. Confirmatur tertiò ex Pio V. & Greg. XIII. damnantibus has Michaëlis Baji propositiones, quarum 22. sic habebat: *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proindè naturalis dicenda est, & non supernaturalis* 24. *Absurda est sententia eorum, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito super conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret:* 25. *A vanis, & otiosis hominibus secundùm insipientiam Philosophorum excogitata est sententia: hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus:* 27. *Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* 34. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis, ut quo Deus amatur, ut author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana*

na est, & commentitia, & ad illudendum Sacris litteris, & pluribus Veterum testimoniis excogitata. 62. *Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariàm bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum, quod moraliter bonum appellari consuevit; vel quia est meritorium præmii æterni, eò quòd sit a vivo Christi membro per Spiritum Charitatis, rejicienda putatur.* Ex quibus patet, Ens supernaturale theologicum esse naturæ indebitum, & exaltativum illius, conducens ex intrinsecis suis ad vitam æternam, sive ad intimam Dei possessionem: ergo.

391. Fit quartò: Ens supernaturale Theologicum excedere appetitum naturæ rationalis innatum, non verò naturalem elicitum effectivè inefficacem; neque connexionem naturæ, in sententia aliquorum, quoad esse possibile; benè verò quoad esse actuale: Ratio eorum est, quia connexio cum termino, præcisè ut possibili, non impedit, ne talis terminus sit donum omninò gratuitum, si conferatur; connexio verò naturæ cum termino, ut actuali, impediret, ne esset donũ omninò gratuitum, si naturæ conferretur; adeóque impediret, ne esset supernaturale. Qua de causa Ens supernaturale Theologicum excedit vires inductivas naturæ rationalis tàm Physicas, quàm morales, sicque apertè est supra naturæ ordinem. Unde si principium supernaturale produceret actum aliquem naturalem, actus non haberet connexionem cum eo principio, sed posset elici ab alio principio purè naturali: actio verò cum eo principio connexa esset supernaturalis, licèt connecteretur cum termino naturali; actio enim supernaturalis connecti potest, & exigere ex intrinseca natura sua terminum naturalem, non è contra: Sic unio hypostatica ex natura sua exigit Humanitatem; Humanitas verò ex natura sua nequit exigere unionem hypostaticam. Fit quintò: Ens supernaturale Theologicum comprehendere sub se plura entia creata, secùs prædicata divina: Ratio est, quia vocis significatum extendi non debet ultrà instituentium intentionem: atqui ex Pontificibus, Conciliis, & PP. suprà adductis vox ista *supernaturale* in sensu Theologico instituta est ad significandum ea entia, quæ naturales vires, & jura excedunt, naturámque elevant ad certum gradum se habendi, aut vivendi planè gratuitum, simúlque sunt dona à Divina Voluntate strictè pendentia, quæ procul sunt à Divinis prædicatis: ergo &c. Videatur Ruiz de Montoya disp. 29. de Provid. sect. 2. n. 22. ubi 50. colligit loquendi modos ad significandam supernaturalitatem Theologicam, ex Conciliis, & PP. enti creato purè convenientibus: v.g. dona Spiritûs Sancti, infusio bonorum, promissa pretiosa, inspiratio, illustratio, & id genus alia.

392. Fit sextò: Deum non vocari Ens supernaturale cum ea restrictione, aut philosophicè, aut theologicè; cùm ejusmodi restrictiones contrahant illud ad ens creatum ex dictis: etenim, ut ait Ex. D. Tract. de Angelis c. 28. n. 1. Deus excellentiori modo est supra naturam omnis creaturæ, sivè absolutè absque ulla restrictione supernus. Qua de causa aptiùs vocatur auctor naturalis, & auctor supernaturalis: naturalis quidem in ordine ad dona naturalia, actúsque naturales; Supernaturalis verò in ordine ad dona supernaturalia, & actus supernaturales: cùm autem eadem realis, & virtualis Omnipotentia Virtus, quâ Deus constituitur author naturalis, sit etiam virtus, quâ constituitur author supernaturalis, effectus creati, qui connectuntur cum authore naturali, connectuntur etiam cum supernaturali; secus autem inter se effectus naturales cum supernaturali: nam effectus ex intrinsecis suis non conducens ad vitam æternam existit absque dependentia ab effectu ex intrinsecis suis ad vitam æternam conducente. Sic visio humana existit absque dependentia ab auditione, & è contra; quamvis ab eodem homine utraque pendeat, idémque evenit in omnibus effectibus disparatis, ab eodem indivisibili principio procedentibus. Ex quibus omnibus patet, attritionis, seu contritionem sufficientem ad valorem Sacramenti, non solùm esse honestam, sed etiam theologicè supernaturalem, cùm ex intrinsecis suis conducat ad justificationem, sive ad intuitivam visionem, intimámque Dei possessionem.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

§. I.

OBjices primò, contra primam Assertionem, ex Hæreticis. Qui ex metu Gehennæ dolet de peccatis, peccat: ergo attritio ex metu Gehennæ non est actus honestus. Probatur Antecedens ex Augustino dicente, quòd si fur desinat furari, ex eo solùm quòd videtur, furti est conscius: ergo similiter qui dolet de peccato, & desinit peccare, ex eò solùm, quòd timeat Gehennam, peccati conscius est. Confirmatur primò. Attritio pura ex metu Gehennæ est actus, quo quis magis dolet de pœna, quàm de culpa: ergo est actus vitiosus. Confirmatur secundò. Attritio pura ex metu Gehennæ includit virtualiter hunc affectum: *peccata non detestarer, si nulla ea esset imposita pœna:* ergo est viciosa. Confirmatur tertiò. Dolor ex timore mundano non est honestus: ergo neque dolor ex timore servili qualis est Attritio ex metu Gehennæ. Confirmatur quartò. Attritio non est actus virtutis: ergo neque actus honestus.

Respondeo, nego Anteced. ad probationem, nego Conseq. Nam D. Aug. dum ait, quòd si desinit furari, ex eo quòd videtur, peccati est conscius, supponit, quòd talis fur habeat intentionem furandi, & quòd retineatur solùm ab executione ex timore aliorum; at verò qui derestatur peccatum propter pœnas Inferni, non retinet ampliùs voluntarem peccandi: fatendum enim Infernum coram Deo, qui scrutatur corda, non satis est abstinere ab opere externo, si adest peccatum internum, adeóque dolor attritio, de qua loquimur, non solùm est incompossibilis cum peccato externo, sed etiam cum inter-

interno, ac proindè excludit omnem voluntatem peccandi, ut ex toto tractatu ſatis conſtat, & docet Auguſt. cit. n. 372. Ad primam Confirm. diſting. Anteced. magis dolet de pœnâ appretiativè, ſive præferendo malum pœnæ malo culpæ, nego; non appretiativè, ſed per affectum rectum compoſſibilem cum actu, quo magis doleat de culpa, quàm de pœna, tranſeat Anteced. & nego Conſeq. quia hujusmodi actus non eſt vitioſus, ſed virtuoſus, ut clarè conſtat ex n. 344. & 348.

395. Ad ſecundam Confirmationem, nego Antec. Attritio enim excludens omnem voluntatem peccandi, & compoſſibilis cum contritione perfecta, qualis eſt iſta, de qua agimus, nequaquam præſefert illam tendentiam conditionalem peccandi, ſi non eſſet pœna: imò potiùs illam excludit ex n. 233. Ad tertiam Confirmat. nego Conſequ. quia pro timore mundano intelligitur timor creaturæ, cujus affectu non veretur homo offendere Deum; qui quidem timor non tollit affectum peccandi, ſed potiùs eſt cauſa peccati, adeóque eſt malus; timor verò ſervilis, quem Attritio vera præſefert, eſt timor Dei, quê homo timet offendere metu pœnæ, quam Deus peccatis infligit; qui cum peccato, & affectu peccandi incompoſſibilis eſt, adeóque non eſt pravus, ſed honeſtus. Ad quartam Confirm. nego Conſequ. quia licèt attritio ſe ſola non ſit actus virtutis exigentis formari charitate, eſt actus virtutis diſponens ad habendam charitatem, ut conſtat ex n. 341. adeóque ex intrinſecis ſuis eſt naturæ, ut rationali conformis, & exindè virtuoſus ex n. 12.

396. Objicies ſecundò ex Janſenio, Lupo, & Lovanienſibus: Attritio ex metu Gehennæ retinet intùs voluntatem peccandi, & ſolùm reprimit ab opere externo ob timorem gehennæ: ergo eſt vitioſa. Probatur Antec. ex Auguſt. tract. 9. in Ep. Joan. ubi peccatores, ita timentes, atque à peccato ita abſtinentes, comparat adulteræ, quæ habens animum adulterandi, abſtinet ſolùm ab opere, timens, ne à marito deprehendatur, & ſeverè puniatur; vel Lupo invadenti ovile, metúque canum, & paſtorum recedenti, ſine præda quidem, ſed non ſine affectu auferendi, ſi potuiſſet: ergo talis Attritio de metu gehennæ retinet interiùs voluntatem peccandi. Confirmatur primò ex Auguſtino, qui timorem ſervilem diſtinguit à filiali pœnes fœdum animum, quo quis à conſpicuis, ideſt externis peccatis, ob annexi illius mali pœnalis metum abſtinet; ſed timor gehennæ eſt timor ſervilis: ergo ſolùm abſtinet à peccatis conſpicuis, ſive externis, ſecùs autem ab internis.

397. Confirmatur ſecundò. Juxta omnes Philoſophos: *metus cauſat involuntarium*: & ea, quæ aguntur purè ex metu, ſecundùm ſe ſpectata, ſunt involuntaria, eſto, prout hic, & nunc aguntur, ſint voluntaria, ſicque evadunt mixta ex voluntario, & involuntario, adeóque ea, quæ ex puro metu fiunt, hunc ſibi actum habent conjunctum: *nollem hoc facere, niſi mali impendentis metu cogerer*: ergo, qui proponit ſervare mandata ex puro metu gehennæ, involuntariè proponit, & hunc animum neceſſariò habet conjunctum: *Non proponerem, nec mandata ſervarem, ſi Infernus non eſſet; vel niſi metus Inferni cogeret*, qui quidem actus, ut ex terminis conſtat, malus eſt.

Reſp. nego Aeteced. Ad probat. diſtin. Antec. 398. Comparat adulteræ peccatores timentes pœnam infligendam à Judice, ſecreta cordis ignorante, concedo; pœnam infligendam à Deo ſecreta cordis videnti, nego Anteced. & Conſeq. Ratio eſt, quia Auguſtinus, quando agit de timore ſervili veræ attritionis, quando homo abſtinet à peccato, ne incurrat pœnam infligendâ à Deo ſecreta cordis videnti, clarè fatetur, illum rectè timere, eúmque timorem eſſe bonum, & excludentem omnem voluntatem peccandi ex n. 372. Quando verò agit de timore ſervili malo, agit de eo, quo quis abſtinet ab opere externo, ne incurrat pœnam ab hominibus: cùm autem propter peccatum internum talem pœnam non incurrat, ea de cauſa retinet affectum pravum internum, & ille timor eſt malus. Sed quid exindè ad rem præſentem? Plane hujusmodi argumentatio, non ſolùm contra Auguſtinum, & contra teſtimonia Scripturæ, & Conciliorum adducta militat; verùm etiam contra ipſum lumen naturæ: timor namquè efficax pœnæ neceſſariò apponit media, quibus pœna vitatur: adeóque carentiam actionum, ob quas pœna incurritur: cùm autem vitatio peccati externi ſit medium ad non incurrendam pœnam infligendam ab homine, ſecùs autem vitatio peccati interni: ea de cauſa talis ſervilis mundanus timor ſolùm removet peccata externa, ſecùs autem interna: ad fugiendam verò pœnam infligendam à Deo non ſolùm requiritur vitatio peccati externi, ſed etiam interni, adeóque talis timor ſervilis Dei non ſolùm vult vitare peccata externa, ſed etiam interna. Exindè

Ad primam Confirm. diſt. Maj. timorem ſer- 399. vilem mundanum, omitto: ſervilem efficacem erga Deum, nego Maj. & diſt. Min. nego Conſ. quæ omninò falſa eſt ex n. ſuperiori. Ad ſecundam Confir. diſt. Antec. cauſat involuntarium, eúmque actû conditionatum aliquando, omitto; ſemper, aut in noſtro caſu præſtat utrumque, nego Anteced. & Conſeq. Explico ſolutionem. Quando intervenit metus libertatem non evertens, poteſt homo operari, vel contra metum, vel juxta metum: v. g. poteſt committere peccatum non obſtante metu Inferni, & hoc eſt operari contra metum, vel poteſt abſtinere ratione metûs à peccato, & hoc eſt operari juxta metum. Aliquando verò evenit, ut intercedente metu velit homo efficaciter id, ad quod inclinat metus, licèt habeat volitionem inefficacem oppoſitam: v. g. quando mercator projicit merces in Mare propter metum ſubmerſionis in tempeſtate, habet volitionem efficacem projiciendi merces, & inefficacem retinendi, & tunc projectio à voluntate efficaci projiciendi dicitur ſimpliciter voluntaria, & ab inefficaci oppoſita dicitur ſecun-

cun-

cundùm quid involuntaria, adeóque mixta ex voluntario, & involuntario. Pariter qui non obstante metu Inferni efficaciter peccat, quamvis ratione metus inefficaciter displiceat in peccato, elicit peccatum simpliciter voluntarium, & secundùm quid involuntarium, ac proindè mixtum ex voluntario, & involuntario. Cæterùm si volitio illa inefficax sit absolutè libera, simúlque sit affectus conditionatus faciendi oppositum, si non esset metus, si illud oppositum sit peccatum, talis volitio re ipsa est formale peccatum.

400. Quando verò nulla datur volitio inefficax ad oppositum, sed solùm datur volitio efficax operans juxta metum, sicuti regulariter Christiani dolent de peccato ex solo metu Inferni, absque aliquo actu amoris ad peccatum, & absque actu nolitionis talis doloris, actus attritionis, quem habent, non est ullo modo involuntarius. Sic viri cordati, famæ, ut par est, consulentes, consideratâ sola infamiâ ex furto proveniente, à furto abhorrent, quin tamen foveant in animo affectum ullum furandi, si non esset infamia. Quinimò (quod notare maximè oporret) volitio inefficax metui opposita non causatur ab eo metu, sed ab alio comitante. Sic quando ex metu tempestatis aliquis, ne submergatur, projicit merces in Mare cum voluntate inefficaci, quâ nollet projicere, voluntas illa inefficax retinendi, & non projiciendi merces non causatur á metu submersionis, sed ab alio metu paupertatis, & damni in projiciendo merces. Undè timor pœnæ Inferni non causat involuntarium, sed timor amittendi proprium commodum, & præsentem voluptatem, aut quid simile: Qua de causa cessante alio contrario motivo, potest actus esse omninò voluntarius, absque mixtione involuntarii; sicuti est in illo, qui ex timore infamiæ furari non vult, quin habeat ullam volitionem furandi, si non esset infamia.

401. Ratio à priori horum omnium est, quia pœna, quæ timetur, v. g. Infernus, mors, aut infamia, allicit, & impellit voluntatem ad absolutam nolitionem furandi, eò quòd malum illud furto incurrat; non autem allicit ad volitionem furandi, si abesset periculum illius mali, nec ad hanc volitionem inducendam habet ullam proportionem: quia actus ille conditionatus, nec necessarius, nec utilis est ad evitandam illam pœnam, adeóque quando elicitur, aliundè provenit, quàm ex eo metu. Unde licèt dum voluntas operatur ex metu injusto, vel sibi involuntario impellente, possit esse, & sæpè adsit voluntas in oppositum conditionata, nimirùm si proponatur ab intellectu aliud hujus voluntatis motivum: at cùm contingens sit, quòd hoc aliud motivum proponatur, exindè evidenter apparet, opus non esse, ut sit volitio contraria, eámque, cùm adest, non sequi ex eo metu, juxta quem quis operatur, sed ex alia causa, & motivo.

402. Rursùs (quòd maximè nota) quando quis efficaciter operatur juxta metum, nunquam subsequi potest volitio opposita secum afferens malum, quod efficaciter à voluntate vitabit; alioquin voluntas efficaciter vellet illud malum vitare, & efficaciter vellet illud malum incurrere, quod in ipsis terminis evidenter implicat. Quapropter cùm quis ex timore gehennæ efficaciter detestatur, & fugit pœnam gehennæ, cohibet voluntatem ab omni eo, quo incurritur pœna gehennæ. Cùm autem pœna gehennæ incurratur per voluntatem conditionatam, quâ diceret; *si non esset gehenna, peccarem*, eâ de causâ illa volitio efficax ex timore gehennæ cohibet, & excludit talem voluntatem conditionatam, adeóque excludit omnem voluntatem peccandi, ut constat ex Trid. adducto sess. 14. c. 4. Nec video quomodò Adversarii oppositum concipere possint, nisi destituti sint istis principiis lumine naturæ notis, in Philosophia, & Theologia æque trimestris: laborant enim plures hac ingenti æquivocatione, rem rudi Minerva decidentes, & tamquam veritatem per se notam admirantes illam propositionem: *Metus causat involuntarium*, quæ si non explicetur, maximis erroribus viam aperiet.

Quapropter cùm aliquis ex metu gehennæ efficaciter fugit pœnam gehennæ, solùm potest cum ea volitione efficaci componere oppositum inefficacem volitionem, quâ pœnam illam non mereatur. Sic componi possunt propensio, & affectus indeliberatus erga res illas, quæ ex metu abdicantur: naturalis sensus, & displicentia doloris, qui ab earum rerum abdicatione efficitur. Hujusmodi enim animi motus indeliberati, cùm sint omninò naturales, & in anima semente excitentur, sunt omninò, rùm culpæ, tùm laudis expertes: Sic viri Sanctissimi hujusmodi motus citrà omnem culpam in se ipsis experiuntur. Quis enim neget, homines pœnitentes, voluntarias corporis macerationes; Martyres verò, Cruces, patibula, equuleos ex naturali doloris sensu exhorruisse. Quinimò Paulus ipse profitetur ingenuè, Rom. 7. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Equidem & Paulo custodia divinæ legis in rebus asperis, & martyribus cruciatus, graves, & molesti erant, carnèmque, & animam sensitivam affligebant. Nemo tamen dixerit, ob eam molestiam animi, & angorem, viris illis Sanctissimis, & fidei defensionem, & in cruciatibus perferendis constantiam non fuisse voluntariam, aut fuisse conjunctam cum voluntate peccandi, nisi majoris mali metus obstaret.

Hujusmodi quidem affectus naturales, & indeliberati erga res, quæ ex metu abdicantur, adeò longè abest, ut imputentur ad culpam, quin & occasio esse soleant, ut pœnitentiæ meritum augeatur; ad eum modum, quo Theologi communiter asserunt, opera externa occasionem esse, ut satisfactionis vis, ac pretium augeatur, quia videlicet, cùm voluntas ex metu à rebus jucundis abstinet, ad quas magnam habet propensionem; aut cùm malum aliquod subit, à quo maximè abhorret, major conatus adhibendus est ad illam propensionem, eumque horrorem cohi-

cendum, atque ex eo mentis fervore, & voluntatis contentione fit, ut opus Deo magis acceptum exiſtat, ejúsque Juſtitia æquiora præmia ſolvat. Unde timor ille laudabilis conjungibilis eſt cum vero Dei amore, & perfecta charitate. Quinimò & imperare poteſt perfectum charitatis actum, ut utilem ad finem ſuum obtinendum ex dictis à n. 85. adeóque nullam ſecum affert voluntatem peccandi ex dictis n. 344. & 349. ſed excludit quamcumque peccandi voluntatem, ut requiritur ad veram attritionem, non modò quando eſt purè voluntaria, verùm etiam quando eſt mixta ex voluntario, & involuntario, ut clarè patet ex dictis.

§. II.

405. OBjicies tertiò, ex Lupo, aliisque Lovaniensibus: qui ex metu operatur, non tam vult operari, quàm fugere malum imminens; ad hoc enim operatur, ut malum illud fugiat: ergo qui ex ſervili metu operantur, vellent, quòd nulla eſſet punitio, nullæ leges vetantes, & punientes, nulla Juſtitia pœnarum inflictiva, adeóque qui ex metu gehennæ proponit ſervare mandata, potiùs vult gehennam fugere, quàm rectè operari, affectúmque habet, quo vellet nullam eſſe gehennam, nullas leges, nullam Dei Juſtitiam pœnarum intentatricem, quod malum eſt. Confirmatur: Attritio ex metu gehennæ, quâ homo vult ſervare mandata, & Deum non offendere, non quia malum eſt Deo, ſed quia timenti malum, eſt amor ſui, & non Dei: ſed amor ſui, & non Dei præfert hominem Deo, quod malum eſt, eâque de cauſa amor ſui radix eſt omnium malorum: ergo &c.

406. Reſp. diſtinguo Anteced. non tam vult operari modo, quo neceſſarium eſt ad fugiendum malum, quod timet, nego; modo, quo neceſſarium non eſt, concedo Antecedens, & nego Conſ. quia ad fugiendum gehennam neceſſe eſt fugere non ſolùm opera externa, ſed etiam volitiones peccaminoſas internas: cùm autem illæ volitiones ab Adverſariis adductæ peccaminoſæ ſint, eas excludit timor, quo operamur ex metu gehennæ, ut conſtat ex dictis, & eſt expreſſa mens Auguſt. cit. n. 371. Ad Confirm. diſt. Maj. eſt amor ſui inordinatus, nego: ordinatus juxta licitas rationis regulas, concedo Maj. & diſt. Min. nego Conſeq. Amor enim, quo aliquis ſibi vult ea, quæ juxtà rectas rationis regulas velle licèt, & timet, quæ ita verè timenda ſunt, nec malus, nec inordinatus, nec radix malorum eſt, ſed honeſtus, & à Deo approbatus, ut conſtat ex n. 372. tunc quidem eſt malus, quando aliquis amat ſibi, aut timet, quòd juxta rationem rectam, Deique voluntatem, & præcepta amandum, aut timendum non eſt: talis autem timor quantùm diſtet à vera attritione, nemo eſt, qui non videat. Imò, ut ajunt illi, qui Lutheri Sermonem de Pœnitentia, & Lipſicam diſputationem legerunt, hæc omnia argumenta adducebat Lutherus contra Catholicos, ad probandum, attritionem eſſe vitioſam, ut exindè colligas, ex qua radice prodeant argumentationes adeò futiles: Videatur Maximilianus Ledent in Opuſc. de attrit. ex metu gehennæ.

Objicies quartò ex Caſtorienſi: Attritio ex 407.
metu gehennæ non odit propriè, neque fugit peccatum, ſed ſolùm odit, & fugit gehennam: ergo non eſt actus honeſtus incompoſſibilis cum peccato, ſed vitioſus, ſecum afferens affectum ad peccatum. Probatur Antecedens. Illud non propriè odio habetur, quod non propter ſe, ſed propter aliud odio habetur: Sic homines non propriè odio habentur, dum propter ſua vitia odio habentur. Pariter via Lupis infeſta non propriè horretur, dum nonniſi propter Lupos horretur: ergo horror, quo peccatum propter Infernum exhorreſcimus, non propriè peccatum, ſed Infernum exhorreſcit, adeóque non odit propriè, neque fugit peccatum, ſed Infernum, ſecúmque retinet affectum ad peccatum. Reſp. nego Antecedens: Ad probationem diſt. Antecedens: non propriè odio habetur, modo, quo neceſſarium eſt ad finem obtinendum, nego: modo, quo neceſſarium non eſt, concedo Antecedens, & nego Conſeq. ex n. 402. hæc enim argumentatio magnam patitur æquivocationem, nec capio quomodò efformari poſſit, niſi ab iis, qui in principiis Theologicis, & Philoſophicis claudicare velint: Incipiamus à philoſophicis.

Res nota eſt in Philoſophia, quam Tyrones, 408.
qui eam à limine ſalutârunt, non ignorant; duplex nimirùm eſſe objectum, aliud materiale, aliud formale; ita ut materiale verè, & propriè attingatur, quanquam propter formale attingatur: nam licèt objectum formale, ſeu virtus illa, quæ primariò movet ad amorem, aut odium, ſit aliquando extra materiale objectum; attamen ita denominat illud vel phyſicè, vel moraliter ut dignum reddatur, vel amore, vel odio, ſive amplexione, vel fuga: Sic ægrotus medicamentum expetit propter ſanitatem; ſanitas verò non eſt forma Phyſica, quæ medicamento inhæreat, ſed quâ illud reſpicitur, & denominatur utile ad finem obtinendum, & conſequendam ſanitatem: ea autem conveniens denominatio facit, ut deſiderium ægroti, ſimul in medicamentum, & in ſanitatem feratur; in ſanitatem quidem ut finem; in medicamentum verò, ut medium: adeóque eo modo, quo neceſſe eſt ferri in illud ad finem obtinendum: cùm autem non ſit neceſſarium ad finem obtinendum, ferri in medicamentum, excludendo voluntatem conditionatam, quâ ægrotus dicat: non ſumerem medicamentum, niſi timerem ægritudinem, ſufficiátque ad finem obtinendum illud ſumere, quamvis ſit cum iſta volitione conditionata, ea de cauſa intentio efficax talis finis non excludit eam voluntatem conditionatam.

Pariter qui efficaciter fugit viam, quia Lupis 409.
infeſtam, verè fugit viam, licèt retineat illam voluntatem conditionatam, quæ non obſtat ad finem intentum obtinendum: Voluntas autem fugiendi viam, in eo caſu, ſolùm excludit voluntatem incompoſſibilem cum conſecutione finis, nimi-

nimirùm voluntatem arripiendi viam inter eam partem, quæ adhuc patet Lupis infesta: ex quo apparet evidenter nostra ratio fundamentalis, cur scilicet Attritio ex metu gehennæ excludat non solùm peccata externa, sed etiam interna, adeóque & omnem voluntatem conditionatam peccaminosam: nimirùm quia ad obtinendum finem fugiendi gehennam, necesse est fugere omne peccatum, cùm per quodcumque peccatum incurratur gehenna. Implicat enim, quòd ego velim efficaciter gehennam fugere, quam non fugio, si vel unum lethale committam, & simul velim lethale committere, unde excludo omnem voluntatem peccandi, ex n. 402.

410. Nec minùs nota est res ista in Theologia. Dogma quidem est in Theologia Christiana Sanctissimum, præter charitatem perfectam, quâ Deus diligitur propter se, genus esse aliud dilectionis (sive spem, sive amorem concupiscentiæ dixeris) quâ Deus propter beneficia nobis collata diligitur. Jam verò si admittatur Adversariorum principium, quòd res illa verè non ametur, quæ propter aliud amatur, sequitur omninò, cùm Deus Optimus propter sua in nos beneficia diligitur, diligi quidem Dei beneficia, vitam, incolumitatem, æternámque in Cœlis beatitudinem; Deum autem verè, & propriè non amari, ac proinde nullam aliam esse Dei dilectionẽ, quàm perfectam charitatem, quâ Deus propter semetipsum diligitur; omnémque aliam dilectionem esse dilectionem Mundi, & peccaminosam, quod damnavit Alexander VIII. in septima ex damnatis ab ipso propositionibus, quæ sic habebat: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel Mundi. Si Dei, Charitas Patris est; Si Mundi, Concupiscentia carnis est, hoc est mala est.*

411. Rursùs, si nihil odio haberetur, nisi quod propter se odio haberur, exinde planè fieret, cùm quis, ob allatum sibi nocumentum, proximum, odio capitali prosequitur, non quidem Proximum, sed acceptum ab eo detrimentum aversari, & odio habere: atqui peccatum non est, horrere, odio prosequi, & aversari grande aliquod nocumentum: ergo proximum odio prosequi peccatum non est, sive potiùs odium proximi nunquam verè, ac propriè exercetur, adeóque nec divinâ lege vetandum fuit, nec in peccatorum numero reponendum. En quas in angustias, & quos in scopulos abripiat homines, vel una in principiis Philosophicis, & Theologicis æquivocatio. Non indiget sanè Divinus Amor adeò incongruo patrocinio: neque ejus causam agunt, qui ad has angustias homines redigunt.

412. Objicies quintò, contra secundam Conclusionem ex Jansenio. Attritio ex metu gehennæ non est supernaturalis: ergo vel Attritio non sufficit ad justificationem cum Sacramento, vel non requiritur actus supernaturalis. Probatur Antec. Suppositâ Fide de gehenna incurrenda propter peccatum, naturalibus voluntatis viribus pullulare potest gehennæ timor: unusquisque enim naturaliter timet, quod sibi malum proponitur, sive per cognitionem naturalem, sive per supernaturalem proponatur: atqui timor, qui naturalibus voluntatis viribus pullulare potest, non est supernaturalis, sed naturalis: ergo &c. Confirmatur: timor de metu gehennæ non est ex gratia Christi Salvatoris: ergo non est supernaturalis. Probatur Antecedens: Gratia Christi Salvatoris præstat in voluntate affectum talis timori oppositum: est enim inspiratio cœlestis delectationis, quâ incipit dulcescere Deus, quem timebat, quâque dulcedine perfusus animus, jam non formidine pœnæ, sed Justitiæ delectatione operatur bonum: ergo &c. Hoc argumentum non capio, in quo distinguatur ab argumento Lutheri, ut constabit, n. 439.

Resp. nego Antecedens: ad probat. dist. Maj. pullulare potest gehennæ timor, prout oportet ad salutem, sive ex intrinsecis suis conducens ad intuitivam visionem, & intimam Dei possessionem, nego Maj. prout ita non oportet, omitto Maj. & concessâ Min. nego Cons. Ratio est, quia timor naturalis nullam ex se habet connexionem cum illustratione superna: idem enim perseveraret, manente naturali objecti cognitione, quantumvis superna deficeret: actus quippe naturalis exigentiam ad superna nequaquam præsefert: est enim ens supernum supra exigentiam Entis naturalis, ut constat à n. 391. & fusiùs in ipso argumento Adversarii: timor autem supernaturalis non ita se habet, sed est affectus voluntatis exigens ad sui elicientiam præviam illustrationem supernam, cum qua connectitur; adeóque ad hunc eliciendum est imperens natura suis viribus relicta, indigétque gratiâ, qua potens reddatur: cùm autem ex motivo gehennæ ita procedit timor, de quo præsens agitatur controversia, tunc non est naturalis, sed supernaturalis. Quapropter Alexand. VIII. inter 31. propositiones damnavit 14. quæ sic habebat: *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Ex quo apparet, quàm destituta maneat patrocinio adversa sententia. Vide à n. 417. Hinc

Ad Confirm. nego Antecedens: ad Probat. nego Antecedens: gratia enim per Christum accepta, non solùm deservit ad eliciendum purum Dei amorem, quo dulcescit suaviter animus, sed ad eliciendum etiam actum timoris, prout oportet ad salutem, ut constat ex num. superiori, & habet expressè Trident. sess. 6. cap. 6. de modo præparationis ad justificationem, docens: *Per Redemptionem, quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, a Divinæ Justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo.* Pariter August. lib. de Catechizandis Rudibus cap. 5. dixit: *Rarissimè accidit, timorem nunquam, ut quisquam venias volens fieri Christianus, qui non sit aliquo timore Dei perculsus:* timor autem utilis ad salutem supernaturalis est, neque fieri potest absque illuminatione, & inspiratione Spiritûs Sancti: qui enim contrarium docet, hæretico fallitur Spiritu, ait Arauic. citat. num. 377.

Obj.

415. Objicies ſextò, ex Gabriele: Actus naturalis, quatenùs acceptatur à Deo ad ſalutem, includit totam illam ſupernaturalitatem, quam Concilia exigunt ad actum ſalutarem: ergo actus pœnitentiæ, ſive contritio perfecta, ſive imperfecta ſit, ſufficiens ad valorem Sacramenti, poteſt eſſe intrinſecè naturalis, & ſolùm extrinſecè ſupernaturalis ratione acceptationis Divinæ. Confirmatur primò ex Cajetano. Non ſolùm actus Contritionis intrinſecè ſupernaturalis, verùm etiam actus intrinſecè naturalis fieri poteſt per ſpeciale auxilium Dei: ſed actus contritionis elicitus ex ſpeciali auxilio Dei, ſufficit ad valorem Sacramenti: ergo actus contritionis intrinſecè naturalis, dummodò ratione auxilii Dei, à quo procedit, ſit extrinſecè ſupernaturalis, ſufficit ad valorem Sacramenti. Confirmatur ſecundò ex Durando: Actus contritionis naturalis, non ſolùm ab auxilio Dei, à quo procedat, poteſt denominari extrinſecè ſupernaturalis, ſed etiam ab auxilio, cum quo extrinſecè conjungitur, ſive ab occaſione benè operandi præparata ex ſpeciali Dei providentia: ſed talis ſufficit ad valorem Sacramenti: ergo &c.

416. Reſp. nego Anteced. quia ſupernaturalitas, quam exigunt Concilia in actu pœnitentiæ ſufficientis ad volorem Sacramenti, talis eſt, ut ratione illius requiratur ſpeciale Dei auxilium ad talem actum eliciendum, ut conſtat à num. 375. quòd ità non eſſet, ſi actus eſſet intrinſecè naturalis, ut conſtat à n. 379. Ad primam Confirm. diſt. Maj. per ſpeciale auxilium Dei, ſine quo elici non poſſet, cum ſolo principio naturali, nego, ſine quo poſſet elici, concedo Maj. & diſtinctâ Min. nego Conſeq. ut conſtat ex dictis. Ad ſecundam Confirm. diſt. eodem modo Maj. denominari extrinſecè ſupernaturalis per denominationem, quæ non impedit, ne tota entitas actus eliciatur à principio purè naturali, concedo: quæ requirat ad ſui elicentiam principium intrinſecè ſupernaturale, nego Maj. & diſt. Min. nego Conſeq. Ratio eſt, quia ut ex Scripturis, Conciliis, & PP. ſupra adductis clarè conſtat, eo quòd actus ſit ſupernaturalis, omninò requiritur ad illum producendum principium ſupernaturale, quòd verùm non eſſet, ſi ſupernaturalitas eſſet extrinſeca, & non intrinſeca actui: tunc enim actus elici poſſet absque principio ſupernaturali, & cum ſolo principio naturali, neque opus eſſet ad illius productionem ſpeciale adjutorium Spiritûs Sancti.

§. III.

417. OBjicies ſeptimò. Actus Contritionis excludens voluntatem peccandi, ſatis eſt ad valorem Sacramenti, atqui talis actus poteſt eſſe intrinſecè naturalis: ergo &c. Probatur Min. Peccatum eſſe offenſam Dei, ratione naturali cognoſcitur, adeóque prout ita cognitum ſub ratione univerſali, peccatum eſt verè deteſtabile: atqui deteſtatio peccati, prout naturaliter cogniti ſub ratione univerſali peccati, eſt deteſtatio naturalis excludens voluntatem peccandi: ergo &c. Confirmatur: Actus Attritionis procedens ex virtute morali univerſali ſufficiens eſt ad valorem Sacramenti, ſed eſt intrinſecè naturalis: nullæ quippè ſunt virtutes per ſe infuſæ morales, à quibus talis actus intrinſecè ſupernaturalis procedat: ergo &c. Reſp. diſt. Maj. actus contritionis, ad cujus elicientiam requiritur ſpeciale Dei adjutorium, concedo: ad cujus elicientiam non requiritur, nego Maj. & diſt. Min. nego Conſeq. Ad probationem diſt Maj. eſt verè deteſtabile per deteſtationem requirentem ad ſui elicientiam ſpeciale Dei adjutorium, nego: non requirentem, concedo Maj. & diſt. eodem modo Min. nego Conſeq. quæ falſa eſt, ut conſtat ex num. ſuperiori. Ad Confirm. diſtinctis pariter præmiſſis, nego Conſ. licèt enim à virtutibus naturalibus acquiſitis poſſint procedere actus virtuoſi naturales, actus verò virtutum moralium ſupernaturales, non quidem ab illis, ſed ab auxiliis Divinæ gratiæ, & ab habitibus per ſe infuſis procedunt, ex Viennenſi cit. num. 62.

418. Neque omittendum eſt maximum, quod adeſt diſcrimen inter contritionem naturalem, & ſupernaturalem: Contritio enim naturalis cùm procedat à voluntate ex illuſtratione naturali intellectûs, quam, & non ſupernam exigere valet ex viribus naturalibus, ſecum neceſſariò præfefert inefficaciam quandam in ordine ad propoſitum, propter quam, ut notavit. Ex. Doctor, Contritio naturalis abſolutè inefficax dici ſoler. Homo enim viribus naturæ relictus non poteſt totam naturæ legem multo tempore implere, adeóq; ille actus non poteſt eſſe conſtans, nec diù ſuis contrariis reſiſtere, cùm non poſſit habere majorem vim ſupra eam, quam à ſuis principiis, & motivis, cum quibus connectitur, deſumit. Quapropter ſi propoſitum aliquomodò non nitatur, tanquam in prævia diſpoſitione, in ſpe auxilii Divini naturæ indebiti ex n. 330. non poteſt omninò abſolutè ferri in illud objectum, quod homini ſecundum ſe moraliter eſt impoſſibile: eſſet enim magna præſumptio, ſi aliquis judicaret, ſe ſolis ſuis viribus omninò efficaciter victurum omnes occaſiones peccandi absque auxilio Dei, adeóque talis actus, neque eſſet honeſtus, neque vera contritio.

419. Supernaturalis verò Contritio, cùm ad ſui elicientiam exigat illuſtrationem ſupernam, cum qua connectitur, & in ſpe auxilii Divini nitatur, & productivè procedat à principio ſuperno, quod exigit, procedit omninò abſoluta, adeóque omninò abſolutè excludit voluntatem peccandi: Quinimò ut fatentur, Nominales, Durandus, utérque Hurtadus, Arriaga, & plures alii Theologi. Sicut ex actibus naturalibus voluntatis producitur habitus naturalis acquiſitus proportionatus cum viribus naturalibus; ita ex actibus ſupernaturalibus producitur habitus ſupernus acquiſitus proportionatus cum viribus ſupernaturalibus: undè Contritio ſupernaturalis, & ex parte principii, quod exigit, & ex parte ſingularis efficaciæ ſui modi tendendi, & ex parte effectûs ab ipſa relicti, diſtinguitur à contritione naturali, adeóque iſta non elicitur, ut opor-

oportet ad salutem, benè verò Contritio supernaturalis, ut definit Arauſ. cit. n. 377. & Trid. cit. n. 374. Qua de causa natura non potest mereri ens supernum; benè verò demereri, quia meritum respicit merentem, ut creditorem, ac proindè affert illi jus ad præmium; demeritum verò non respicit demerentem, ut creditorem, sed ut debitorem, adeóque non in demerente, sed in offenso datur jus ad puniendum, absquè ulla demerentis exigentia: nullus quippè sui punitionem exigit: Sic per peccatum possumus demereri, quin per bona opera possimus mereri Unionem Hypostaticam.

420. Objicies octavò. Repugnat Attritio intrinsecè supernaturalis, cui non correspondeat objectum supernaturale: sed Attritioni elicitæ à viribus moralibus universalibus voluntatis non correspondet objectum supernaturale: ergo &c. Probatur Min. inductione: Objectum temperantiæ, v. g. est moderatio in cibis, quod absquè dubio est objectum naturale: objectum Justitiæ est compensare, & dare unicuique, quod suum est, v. g. pecunias Petro, & sic de aliis: ergo &c. Respondent primò Scotus, Molina, Ripalda, Arriaga, aliique, negando Maj. quo tota argumenti vis evanescit. Ratio ferè omium eorum est, quia actus supernaturalis ex intrinsecis suis habet connexionem cum duobus extremis, nimirùm cum principio supernaturali, sive Deo, ut Authore superno operante ad sui elicientiam; & cum objecto, quod attingit: Sic actus Fidei intrinsecè connectitur cum principio superno, sine quo elici nequit, & cum objecto credito: repugnat enim metaphysicè ex parte actûs Fidei tendere in objectum, quod non ita se habeat, ut ab ipso asseritur: ad hoc autem, ut actus sit supernaturalis, non requiritur, quòd connectatur cum supernaturalitate ex parte utriùsque extremi, sed sat est, quòd connectatur cum supernaturalitate ex parte unius, nimirùm ex parte principii.

421. Sic Unio Hypostatica respiciens Humanitatem, & Verbum, supernaturalis est, licèt non connectatur cum extremo supernaturali ex parte Humanitatis, sed ex parte Verbi: Sic visio exterior, sensatio interior, apprehensio intellectualis humana, cognitio Angelica intuentes eandem albedinem. Antec. distinguuntur specie, non quidèm per diversitatem objecti, cùm objectum idem attingant, sed per diversitatem ex modo tendendi actus exigentis diversum principium. Pariter, inquiunt, actus supernaturalis, cùm ex intrinsecis suis exigat principium supernaturale, quod non exigit actus naturalis, quàm optimè distinguetur ab actu naturali ex parte Principii, licèt ab illo non distinguatur ratione objecti, si uterquè actus respiciat idem objectum. Quinimò, ut plures hujus sententiæ Recentiores defendunt, actus naturalis, cùm solùm exigat connexionem cum principio naturali, solùm arguit connexionem ex intrinsecis suis naturalem cum objecto: licèt enim quandòque attingat objectum, quod Metaphysicè nequit aliter se habere, quàm ut ab actu attingitur, id non se habet ex formali actûs exigentia, sed ex necessaria exigentia objecti, ita ut si per impossibile objectum aliter se haberet, non exindè naturalis actus deficeret, sicut nec deficeret principium actûs, ut patet in actibus attingentibus objectum aliter, ac est, quin ex eò deficiat virtus intentionalis naturalis.

Cæterùm in actibus supernaturalibus, è contra contingit, cùm ex intrinsecis suis exigant principium supernaturale non potens influere in actum, nisi objectum se habeat modò, quo ab actu attingitur, propter quod actus supernaturalis attingit majori cum efficacia objectum, quam actus naturalis. Sicuti actus Fidei attingit illud cum majori infallibilitate, quàm actus scientiæ naturalis. Ex quo plurimi Theologi cum Ripalda lib. 3. disp. 45. sect. 5. & Borrull disp. 11 de Visione Dei sect. 2. tenent, actum naturalem posse habere objectum formale supernaturale, quamvis ex suo modo tendendi, nullam possit includere cum tali objecto connexionem; adeóque distinguatur ab actu supernaturali versante circa idem objectum formale, cùm actus supernaturalis ex intrinsecis suis afferat connexionem cum suo objecto formali. Qua data solutione, nulla manet vis argumento. Verùm, nihilor, opus non est tanta Doctrina ad argumentum dissolvendum: adhuc enim permissâ Maj. nihilatenùs tenet intentum adversariorum. Qua de causa.

Resp. secundò, omitto Maj. & nego Min. Ad probat. dist. Antec. est objectum naturale, si voluntas feratur in illud, prout conforme dictamini, & legi naturali, concedo; prout conforme dictamini, & legi supernaturali, nego Antec. & Conseq. Ratio est, quia objectum temperantiæ, v. g. *moderatio in cibis* (idem suo modo esto de aliis) considerari potest, vel ut utile ad volitionem, aut ne homo impediatur ad eliciendas actiones naturales honestas: & sic per naturale dictamen repræsentatum, manet secundùm rectum, & obliquum purè naturale, atque illi correspondet virtus naturalis. Vel considerari potest, ut ex hoc objecto formali ordinabile per dictamen supernum ad Politicam supernaturalem agendam cum Sanctis, & Amicis Dei, quo in sensu dicit in obliquo terminum supernaturalem. Virtus autem supernaturalis moralis attingens objectum suum ita repræsentatum postulat actum exigentem eam repræsentationem saltem per nam ad sui elicientiam: Sicut enim voluntas, ut eliciat actum naturalem, debet illuminari per actum saltem naturalem intellectûs; ita ut eliciat actum supernaturalem, debet illuminari per actum intellectûs supernaturalem: cum autem denominatio ab ea ordinatione accepta sit supernaturalis, eámque attingat actus supernaturalis; exindè attingit saltem in obliquo objectum supernaturale, quod satis est, ut circa illud supernaturalis virtus se exerceat: nam licèt illa respectus sit extrinsecus objecto naturali, non est extrinsecus, sed intrinsecus actui attingenti, ex intrinseco, & essentiali suo modo tendendi, ob-

jectum

jectum illud cum eo reſpectu. Quæ eſt expreſſa mens D. Th. cit. n. 387. & q. 1. de Virtutibus artic. 10. quem variis in locis latè exponit, & ſequitur Ex. Doct. & innuit etiam in præſenti, diſp. 3. de pœnitentia ſect. 6. n. 9.

§. IV.

424. OBjicies nonò ex Arriaga, & Recentioribus, impugnando illationes doctrinæ noſtræ, Non repugnat creatura rationalis intrinſecè ſupernaturalis: ergo ſupernaturalitas à nobis explicata nulla eſt: Probatur Anteced. Non repugnat creatura rationalis ex intrinſecis ſuis ſufficiens ad intuendum Deum: ergo &c. Probatur Antec. Non repugnat in Humanis Servus ex intrinſecis ſuis ſufficiens ad intuendum Dominum: ergo neque repugnat creatura ſerva Dei ex intrinſecis ſuis ſufficiens ad intuendum Deum. Confirmatur primò à quodam Moderno, ut ipſe ait, efficaciùs: Ratio ſervitutis non obſtat, ne homo, cum gratia & lumine gloriæ, ſit ſufficiens ad intuendum Deum: ea enim dona hominem non extrahunt à ratione ſervitutis: ergo neque ratio ſervitutis obſtabit, ne homo ſine gratia ſit ſufficiens ad intuendum Deum. Confirmatur ſecundò ab aliis: Servitus naturalis non impedit, ne creatura rationalis ſit potens ſe ſola ad cognitionem Dei naturalem: ergo neque ad viſionem intuitivam. Confirmatur tertiò. Illa creatura non eſſet à ſe, ſed penderet à Deo: atqui creatura, quæ non eſſet à ſe, ſed quæ penderet à Deo, non repugnat: ergo &c. Confirmatur quartò. Cuicùmque accidenti correſpondet ſubſtantia, cui tale accidens debeatur: ſed Viſio beatifica eſt accidens reſpectu ſubſtantiæ rationalis creatæ: ergo correſpondet illi ſubſtantia rationalis creata, cui talis viſio debeatur.

425. Reſp. nego Anteced. ad probat. nego Antecedens, ad probat. concedo Antecedens, & nego Conſ. Ratio eſt, quia in humanis per viſionem Domini, non habet Servus Beatitudinem, felicitatem, neque poſſeſſionem hæreditatis Domini, ſecùs autem per Viſionem intuitivam Dei, quæ eſt tota merces, & Beatitudo, ut conſtat ex Verbis Chriſti. Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: etenim ex vi illius viſionis transformatur homo in imaginem ſupernaturalem Dei, ut docet Scriptura, 1. Joan. 3. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*, & 2. Cor. 3. *Nos verò omnes revelat à facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem Imaginem transformamur*. Quo explicatur diverſitas Viſionis, quâ facies Dei velata aliquando viſa eſt, ſicuti vidit Jacob, Gen. 32. Hæc enim dona adeò excedunt Creaturæ rationalis jura, ut non ſolùm ad ea habenda, verùm etiam ad ea verè cognoſcenda ſe ſola impotens ſit, ut ait Auguſtinus: *Quæris, utrùm poſſit Deus videri? Reſpondeo poteſt: Si quæras, unde ſciam? Reſpondeo, quia in veraciſſima Scriptura legitur: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Hinc

426. Ad primam Confirm. concedo Antecedens, & nego Conſ. quia ratio ſervitutis non obſtat, ne Dominus pro ſua liberalitate conferat beneficia, quæ ſervo independenter à Domini beneficio non debentur; adeóque non obſtat, ne conferat lumen gloriæ, quo reddatur potens ad viſionem beatificam: at verò ea ſervitutis ratio obſtat, ne ſervo ratione ſui ea elevatio debeatur, quæ eſt propria filii, adeóque ſolùm haberi poteſt per beneficium illius, à quo elevatur ad gratiam filiationis: Sic Paulus ad Rom. 8. *Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba (Pater:) ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quòd ſumus Filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Hæc autem eſt ratio à priori, propter quam Humanitas creata aſſumi poteſt per Unionem Hypoſtaticam, quin ratio creaturæ ad hanc aſſumptionem, & elevationem obſtet, quamvis eadem ratio creaturæ obſtet, ne ipſa Humanitas exigat ex intrinſecis ſuis talem elevationem: ut videas, quàm inefficax ſit hujus Recentioris efficacia, & quantùm pugnet, non ſolùm contra authoritatem Cyrilli ſuprà citati, verùm etiam contra ipſam rationem Theologicam. Ad ſecundam Confirm. concedo Antecedens, & nego Conſeq. quia cognitio naturalis, nequaquàm ſecum affert poſſeſſionem, & hæreditatem Dei, ſecùs autem viſio intuitiva.

Ad tertiam Confirm. diſt. Maj. dependeret à 427.
Deo per prædicatum reale, nego: per prædicatum chymæricum ab arguente confictum, concedo Maj. & diſt. Min. nego Conſeq. Ratio eſt, quia ſicut quodvis prædicatum eſt ſtrictè dependens à libera voluntate Creatoris, quoad produci, vel non produci, ita quodvis prædicatum eſſentialis ſervitutis ad Deum eſt ſtrictè dependens à libera voluntate Dei, quoad exaltari ad ſuperna, ſive ad Domini poſſeſſionem, vel non exaltari, ut ex terminis conſtat, & ajebat Cyril. n. 389. Undè ſicut caſu, quo fingeretur Creatura ſine libertate Dei ad illam producendam, vel non producendam, ſed quæ eſſentialiter exigeret ex intrinſecis ſuis produci à Deo ab æterno, fingeretur dependens à voluntate Dei, non quidem per prædicatum reale, ſed per prædicatum chymæricum, ita ſi fingeretur creatura rationalis ſine libertate Dei ad illam elevandam, vel non elevandam ad ſuperna, ſed quæ eſſentialiter ex intrinſecis ſuis eſſet ſuperna, fingeretur dependens à Deo, non quidem per prædicatum reale, ſed per prædicatum chymæricum. Ad quartam Confirm. nego Maj. etenim de ratione accidentis, ſicuti de ratione modi ſolùm eſt, quòd modus, vel accidens ſubſtantiam exigat, non verò, quod ſubſtantia exigat tale accidens: Subſtantia enim ſolùm exigit accidens intra ſuam lineam, ſecùs autem illud, quod eſt ſuæ lineæ exaltativum. Sic Unio Hypoſtatica Humanitatis humanitatem exigit; humanitas verò non exigit talem unionem. Sic etiam Viſio beatifica, utpotè actûs vitalis intellectûs, & accidens illius exaltativum, intellectum exigit; intellectus verò talem viſionem exigere nequit.

Objicies 10. Plura ſunt entia ſupernaturalia, 428.

quæ ut talia agnoscuntur, & admittuntur in Scholis, qualia sunt ea, de quibus diximus num. 383. sed illa non conducunt ex intrinsecis suis ad intuitivam Dei visionem, & possessionem: ergo malè à nobis assignatur iste conceptus pro constitutivo entis supérni. Confirmatur: actus naturalis potest attingere ens supernum; sed non potest attingere ens naturæ exaltativum, sive conducens ex intrinsecis suis ad intuitivam visionem, sive ad intimam Dei possessionem: ergo ut ens sit supernaturale, non requiritur, quòd conducat ex intrinsecis suis ad Dei possessionem. Resp. dist. Maj. quæ admittuntur in Scholis, vel ut supernaturalia Philosophica, vel ut Theologica, concedo: solùm, ut Theologica, nego Maj. & dist. Min. Non conducunt, si sint supernaturalia solùm philosophicè, concedo: theologicè, nego Min. & Conseq. Ratio est, quia nullum aliud agnoscimus Ens supernum theologicè, nisi quod à Scripturis, Pontificibus, Conciliis, & PP. agnoscitur, quando nobis Catholicam exponunt doctrinam. Cùm autem ab his solùm proponatur Ens theologicè supernum, quòd ex intrinsecis suis hanc habet conducentiam, ut constat ex n. 387. solùm est theologicè supernum, quod hujusmodi conducentiam præfefert, adeóque alia, quæ superna vocantur, manent intra lineam supernaturalis philosophi, ut constat ex n. 385.

429. Ad Confirm. dist. Maj. potest attingere, præferendo connexionem cum ente superno, nego, sine connexione cum ente superno, concedo Maj. & distinctâ Min. nego Conseq. Ratio est: quia actus naturalis debitus est naturæ illum elicienti, adeóque si ille ex intrinsecis suis afferret secum ens supernaturale, etiam istud deberetur naturæ, quod absonum est, & contra Concilia, & Testimonia adducta à n. 387. Quapropter actus naturalis ita attingit ens supernum, ut ex intrinsecis suis non exigat, quòd objectum se habeat, ut ab ipso exprimitur, licèt possit objectum ex sua veritate objectiva ita se habere: Sic quando per actum naturalem rusticus dicit: *Datur Trinitas, quia hic homo doctus dicit*: ille actus ex intrinseca sua expressione non exigit, quòd Trinitas ita se habeat, ut ab ipso dicitur: eodem enim modo posset elicere actum, quo diceret: *Non datur Trinitas, quia hic homo doctus dicit; vel datur Quaternitas, quia iste dicit*: qui quidèm actus, ut per se patet, non dicunt connexionem cum objecto, prout ab ipsis dicitur: actus verò supernaturalis ita attingit objectum supernum, ut cum eo dicat essentialem connexionem, ex quo patet magnum inter utrùmque discrimen. Reliqua, quæ hic objici possent, præoccupata jam sunt, ex dictis à n. 385.

SECTIO III.

An Attritio generalis Superna, ex metu Gehennæ, sit sufficiens ad valorem, & fructum Sacramenti Pœnitentiæ.

§. I.

PRima sententia negat, docens, necessariam esse perfectam Contritionem: ita Jansenius, & Lovanienses supra cit. cum paucis aliis Theologis. Secunda ait, sufficere in re Attritionem; debere tamen existimari, & cognosci, ut contritionem: ita Victoria, & Dominicus Soto. Tertia tenet, sufficere attritionem etiam cognitam, ut talem, ita Ex. Doctor, Vazquez, & fere omnes Theologi post Tridentinum. Vide Elbertum à n. 446. Assero cum tertia sententia, Attritio generalis superna ex metu gehennæ, cum spe veniæ, sufficit ad justificationem cum Sacramento Pœnitentiæ. Probatur primò ex Tridentino sess. 14. cap. 4. ubi Conclusionem nostram apertè docet: nam postquàm in proœmio hujus sessionis dixerat, vellr in præsenti tradere exactiorem, & pleniorem definitionem ad convellendos universos errores, quo Catholica veritas perspicua fieret, ut constat ex n. 324. ad hoc munus præstandum in isto c. 4. divitit Contritionem Theologicam universaliter sumptam in perfectam, quæ ex charitate procedit, ut constat à n. 247. & in imperfectam, quæ Attritio dicitur, de qua sic habet Concilium: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione; vel ex Gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat, non solùm non facere hominem Hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad Justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad Justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponat.* Quibus verbis duplex inter contritionem, & attritionem discrimen assignat Sancta Synodus. Unum, quod Attritio tendit in peccatum ex motivo inferiori, quàm perfecta Contritio, nimirùm ex motivo turpitudinis peccati, aut metu Gehennæ; non autem ex motivo Dei super omnia dilecti propter se, quod sæpè suprà notavimus. Alterum, quod Contritio perfecta per se sufficiat ad Justificationem obtinendam, id est sine Sacramento, cum solo illius voto: Attritio verò disponit quidem ad illam in Sacramento impetrandam, sed sine Sacramento re ipsa suscepto non sufficit: atqui hæc eadem est doctrina hic assertionis nostræ: ergo. 433.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Tridentinum hac sessione intendit tradere exactiorem, & pleniorem doctrinam, ac definitionem, ita ut Catholica veritas perspicua fiat, & illustris: Atqui dum agit de requisita dispositione ex parte

pœnitentis ad Justificationem cum Sacramento pœnitentiæ obtinendam, non meminit alterius contritionis, quàm imperfectæ, quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, nullâ factâ mentione contritionis perfectæ, sive amoris Dei propter se dilecti: ergo talis Contritio imperfecta, sive Attritio certè sufficit cum Sacramento pœnitentiæ: aliter Sancta Synodus, nec exactam, nec perspicuam tradidisset doctrinam, ut convellerentur universi errores, sed talem, quæ multos in errorem posset inducere, & de facto induxisset, si Conclusio nostra, ut ajunt adversarii, esset error intolerandus, & perniciosus: nam in eam inducti sunt ferè omnes Theologi hac tempestate ob authoritatem Tridentini, ut constabit à n. 448. ergo &c. Mirum est in quot, & quantos dicendi modos hæc nostra ratio fundamentalis contrarios diviserit.

432. Respondent primò Adversarii, Concilium ibi non loqui de dispositione ultima sufficiente cum Sacramento, sed de dispositione remota, & insufficienti. Contra primò. Hæc responsio manifestè repugnat Tridentino explicanti in hoc c. 4. præcipuam Sacramenti partem: titulus enim præcedentis c. 3. est iste: *De partibus, & fructu hujus Sacramenti*, in quo hæc habet: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempè Contritio, Confessio, & Satisfactio: Qui quatenùs in Pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem, ac ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Ex quo manifestè apparet, Concilium loqui de dispositione proxima ex parte pœnitentis. Deindè sequenti c. 4. hanc contritionem dividit in perfectam, quæ non solùm cum Sacramento disponit ad gratiam, sed etiam extra Sacramentum; & in imperfectam, quæ non extra, sed cum Sacramento disponit ad gratiam: ergo loquitur de attritione, tanquam de dispositione proxima. Contra secundò ex Tridentino: aliter Attritio in Sacramento, & aliter extra Sacramentum ad Justificationem disponit: sed extra Sacramentum remotè, & insufficienter disponit, quando aliquis ab illa ad contritionem perfectam ascendit: ergo ex Tridentino in Sacramento proximè, & sufficienter disponit ad Justificationem. Contra tertiò: Tridentinum loquitur de Attritione, prout cum Sacramento disponit ad Justificationem, sicut Contritio sine Sacramento; sed Contritio sine Sacramento, non quidem remotè, sed proximè disponit: ergo &

433. attritio cum Sacramento.

Respondent secundò adversarii: Concilium, cùm ait, attritionem in Sacramento ad Justificationem disponere, non loqui de illa attritione, quæ ex metu Gehennæ, & pœnarum est, sed de illa contritione, quæ ex charitate procedit, quæ quia non est valdè intensa, dicitur Contritio imperfecta. Contra primò: quia hæc responsio apertè contraria est Concilii doctrinæ, & ab ejus mente prorsùs aliena: loquitur enim non de illa, quæ concipitur ex motivo charitatis, qualis est Contritio minùs intensa, sed de illa, quæ ex Gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ut expressè habet Concilium: ergo &c. Contra secundò: de illa contritione loquitur Concilium, de qua ait, non facere hominem hypocritam, sicut docuerat Lutherus: sed Attritio, quam docuerat Lutherus facere hominem hypocritam, non erat illa, quæ ex charitate, sed ea, quæ ex Gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ex n. 370. & 393. & ex verbis etiam ipsius Lutheri constabit n. 439. ergo &c. Contra tertiò: Tridentinum loquitur de ea attritione, quæ est donum Dei, & impulsus Spiritûs Sancti, non adhuc quidem inhabitantis, sed animam moventis; atqui per contritionem ex motivo Charitatis Spiritus Sanctus jam inhabitat, ex n. 350. ergo &c. Contra quartò. Loquitur de attritione, ex n. 430. sed ad hoc opus est, ut habeat distinctum motivum à motivo Charitatis, ex n. 247. ergo &c.

Contra quintò. Postquam Concilium definivit, attritionem esse actum bonum ex impulsu Spiritus Sancti conceptum, atque ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere, in fine ejusdem Capitis contra Lutherum, ejúsque sequaces, sic concludit: *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit:* atqui Hæretici ex eo occasionem captârunt ita calumniandi Catholicos Scriptores, quòd existimârunt, attritionem, quæ est ex metu gehennæ, & pœnarum non esse actum bonum, sed malum, atque reddere hominem hypocritam: ergo de attritione ex metu gehennæ, & pœnarum concepta, docet Concilium, disponere ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. Undè Sancta Synodus sic tacitè argumentatur: attritio concepta ex metu gehennæ, utpotè ex impulsu Spiritûs Sancti elicita, est actus bonus: ergo quando Catholici Scriptores dicunt, in Sacramento Pœnitentiæ conferri gratiam cum sola attritione, ex metu gehennæ concepta, nunquam docent, conferri gratiam absque bono motu suscipientis, adeóque impostura est, & calumnia, id illis tribuere. Certè cùm hæretici nunquam negaverint, amorem charitatis erga Deum, quantumvis remissum, esse actum bonum, si talis charitatis actus requireretur ad Justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, opus non erat, quòd Concilium contra Hæreticos probaret, & definiret, esse actum bonum, adeóque nunquam conferri gratiam in Sacramento Pœnitentiæ absque bono motu suscipientis, quæ ratio mihi irrefragabilis apparet. 434

Respondent tertiò Lupus, aliique Lovanienses cum ipso: Concilium ibi non meminisse amoris Dei super omnia, quia id necesse non fuit, cùm per se manifestum sit, in omni pœnitentia debere reperiri amorem Dei super omnia. Contra tamen primò: quia id gratis dicitur, nec hoc, 435

sed

sed oppositum à Tridentino supponitur, & approbatur, ut constat ex numero superiori; ubi Tridentinum defendit Catholicos Scriptores, qui cum Rossensi docebant contra Lutherum, sufficere attritionem ad gratiam conferendam in Sacramento Pœnitentiæ: ergo &c. Contra secundò. Si juxta mentem Tridentini, hæc Attritio etiam cognita, ut talis, certò non sufficeret ad gratiam conferendam in Sacramento Pœnitentiæ, sententia Catholicorum id asserens esset unus ex præcipuis erroribus, & maximè perniciosis animarum saluti, quem errorem refellere deberet Sancta Synodus, cùm dicat, se velle convellere universos errores, qui ea ætate erant, circa Sacramentum Pœnitentiæ; adeóque Lutherus non falsò calumniatus esset Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre: atqui Concilium nullo loco, nullo Canone hunc errorem demonstrat, aut convellit, imò potius, ex n. 430. nostram sententiam apertè tradit, defendítque Catholicos Scriptores à calumnia, & impostura Lutheri, ut constat ex numero superiori: ergo &c.

436. Respondent quarto Lupus, eíusque sequaces: illa Tridentini verba de contritione imperfecta: *Quoniam ex gehenna, & pœnarum metu communiter concipitur*, debere intelligi, non quidem de ipso actu, quo quis ex puro metu gehennæ peccata detestatur, sed de alio actu charitatis distincto: nam ille actus timoris est initium Sapientiæ, seu charitatis, in quo actus charitatis includitur per timorem, sicut finis per fines, qua ratione in pomum, arbore, finis actus includit, ut explicat Augustinus. Unde quandoque introducit charitatem, interdum finem actus, sive finalem, sive intentionem, quæ est finis, alter charitatis per motivum liberi Dei, propter se dilectum: hic autem potest alius, quia hic modo possibiles timore, vocatur contritus ex timore, timor vero vocatur concipiens. Quapropter, cùm ait Tridentinum, contritionem imperfectam conjungi ex metu gehennæ disponere ad Justificationem cum Sacramento, non debet intelligi de prima actu timoris, sed de secundo actu charitatis, qui quia ex timore procedit, vocatur à Sancta Synodo ex timore conceptus, & sufficiens ad Justificationem in Pœnitentiæ Sacramento. Unde Attritio ex motivo gehennæ nunquam dicitur à Tridentino, disponere ad justificationem cum Sacramento. Hæc autem responsio, quantùm differt à mente Augustini, à veritate, & à pura Tridentini doctrina, facilè apparet ex dictis. Ex quibus

437. Contra primò: Tridentinum ex c. 4. contradistinguit contritionem, quæ sufficit ad Justificationem etiam extra Sacramentum, ab ea, quæ non sufficit, nisi cum Sacramento, ut constat ex illis verbis: *Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad Justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit:* atqui quævis Contritio charitate perfecta, sive ex motivo charitatis procedens, sufficit ex Tridentino ad Justificationem, etiam extrà Sacramentum, ut constat à num. 352. ergo Contritio imperfecta, quæ ex Tridentino est disposita cum Sacramento, non est actus charitatis, sed Attritio ex timore gehennæ. Contra secundò: Tridentinum, postquàm definivit, requiri ad Contritionem universaliter sumpeam, quòd sit animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, divisit perfectam ab imperfecta, ex eo quòd perfecta procedit ex motivo charitatis, imperfecta vero ex alio motivo, ex n. 247. & 430. & expressè habetur illis Concilii verbis: *Attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu communiter concipitur*: ergo non loquitur de illo actu charitatis ab adversariis excogitato.

Contra tertiò: quando homo dolet efficaciter de peccato per veram attritionem, & vult efficaciter peccati deletionem, potest il contingere, vel volendo deletionem statim, vel volendo efficaciter deletionem postea; sicut posset efficaciter velle sedere statim, vel sedere, ibi primum ad domum accedamus: atqui quando voluntas delendi peccatum posset non contingere cum deletione peccati illa anima, sine atque elicitur deinde cum posse ab homine contrarium voluntatem revocari, non potest cum necessariam deletionem peccati adeóque neque perfectam contritionem: ergo attritio qui attritio quamdiu manet cessabit Contritionem perfectam, nihilominus illam affert, qui talis finis, manet tunc homo extra Sacramentum existens gratiam peccatum delere per veram contritionem, cum tunc habeat, quod deficit, & Deum diligere gratiam; prout docet Augustinus, cum ait, *Servatum hominem, dum in ipsa fornace, dum in ipso ardore, dilectionem habere.* Sed quid ad divinum nolum, in quo homo eligit sine Sacramento? Nunc enim metu, sive timore gehennæ, charitate ejus non habita, atqui Tridentinum contradistinguens contritionem perfectam, quæ sufficit ad justificationem etiam extra Sacramentum, ab imperfecta, quæ non sufficit, nisi cum Sacramento, dicit, quæ non sufficit, nisi cum Sacramento, dicendo loquitur de illa multo, ut modo exponimus in superiori: ergo &c. Contra quarti, & ultimi vis argumenti. Si Attritio non salvatur extra Sacramentum in casu allegato, sed intra Sacramentum in casu allegato, sed intra Sacramentum, & extra Sacramentum semper contra, & extra Sacramentum semper contra, dem inducere, sicut actus filium in patrem, dum que filium ratione gratiam impetrandi, quæ am muniat ad charitatem, eandem quoque intra Sacramentum gratiam obtinere, cùm intra Sacramentum gratiam obtinere, cùm ubique, ut ajunt Adversarii, vim habeat ad charitatem, adeóque disponendi ad gratiam: sed hæc explicatio manifestè pugnat contra mentem Tridentini, dicentis, attritionem dispone re ad gratiam cum Sacramento, recta hanc illo: atqui hæc

Con-

439. Contra quintò, & explicatur ulteriùs verus Tridentini sensus. Eam Attritionem approbat Tridentinum sufficientem cum Sacramento, quam reprobabat Lutherus, calumniando Catholicos Scriptores, ex n. 434. atqui Lutherus reprobabat attritionem conceptam, non quidem ex motivo charitatis, sed ex motivo gehennæ: ergo &c. Probatur Min. verbis ipsius Lutheri Sermone secundo de Pœnitentia, quæ sic habent: *Contritio, sic enim cæpit vocari pœnitentia interior, duplici via paratur. Primò per discussionẽ, collectionem, detestationem peccatorum, quâ quis, ut dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deindè amissionem æternæ Beatitudinis, ac æternæ damnationis adquisitionem, & alia, quæ possunt tristitiam, & dolorem excitare, Spe satisfaciendi per bona opera. Hæc autem contritio facit hypocritam, imò magis peccatorum, quia solum timore præcepti, & dolore damni id facit. Et tales omnes indignè absolvuntur, & communicantur. Et si liberè deberent (remoto præcepto, & minis pœnarum) confiteri, certè deberent dicere, certè dicerent, sibi non displicere eam vitam præteritam, quam sic coguntur displicere confiteri: imò quò magis timore pœnæ, & dolore damni sic conteruntur, eò magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt, odisse. Et hæc est illa Contritio, quam ipsi vocant extra charitatem non meritoriam; alii vocant attritionem proximè disponentem ad contritionem, sic enim ipsi opinantur; quam opinionem errorem ego judico. Secundò paratur per intuitum, & contemplationem speciosissimæ justitiæ, quâ quis in pulchritudine, & Specie Justitiæ meditatus in eam ardescit, & rapitur, incipitque cum Salomone fieri amator Sapientiæ, cujus pulchritudinem viderat, & facit verè pœnitentem, quia amore Justitiæ id facit, & hi sunt digni absolutione,* Hucusque Lutherus, ubi manifestè reprobat, non quidem contritionem conceptam ex motivo charitatis, sed attritionem ex metu gehennæ conceptam: ergo &c.

§. II.

440. PRobatur secundò Conclusio. Sacramentum pœnitentiæ est Sacramentum mortuorum, adeóque institutum à Christo ad conferendam per se gratiam peccatorum remissivam, ita ut absolutio Sacramentalis non sit nudum Ministerium declarandi, peccata jam fuisse remissa, sed actio judicialis, quâ per se peccata veré delentur, & remittuntur peccatori accedenti, si apponat actus, ad quos ex Christi institutione tenetur in hoc Sacramento. Licèt enim homo possit accedere ad Sacramentum pœnitentiæ, quando jam sunt ei omnia lethalia remissa, adeóque quando nullum actu remittitur; confertur autem augmentum gratiæ remissivæ per se peccatorum, si inveniret. Quòd autem non inveniat, valdè per accidens se habet institutioni hujus Sacramenti, quod per se institutum est à Christo ad delenda peccata; atqui si non sufficeret attritio, sed requireretur contritio, ut homo accederet ad Sacramentum pœnitentiæ, non esset hoc Sacramentum per se mortalium remissivum, neque absolutio esset actus judicialis per se remissivus peccatorum, sed esset purum Ministerium declarandi, peccata jam fuisse per contritionem remissa: ergo ad fructum, & valorem Sacramenti pœnitentiæ ex Christi Domini institutione sufficit attritio, adeóque nequaquam requiri potest, ut necessaria, contritio. Consequentia tenet, & Min. constat: nam quæcumque contritio, sive magis, sive minùs intensa, sive multùm, sive parùm temporis durans, sufficiens est ad remissionem mortalium ex numero 284. eâ quippè ellicitâ, statim confertur gratia ex Tridentini, & Summorum Pontificum doctrina, ex num. 350. adeóque si ad susceipiendam absolutionem peccator debeat contritionem elicere, deberet esse in gratia ad absolutionem suscipiendam, & exindè Absolutio nunquam posset ex Christi institutione peccata remittere, aut peccatorem cum Deo reconciliare, solúmque esset nudum ministerium declarandi, ea peccata jam fuisse per contritionem remissa.

Maj. verò primi Syllogismi adeò certa est 441.
apud Theologos, ut nullus possit impunè dubitare. Cæterùm, quia in quodam Recentiore, quĩ de hac re aureum opusculum edidit anno 1694. lego, circa veritatem Majoris, aliquos alicubi mussitare, ut suam sententiam de necessitate perfectæ contritionis in hoc Sacramento defendat, operæ pretium erit breviter insinuare testimonia, quæ veritatem Majoris clarè demonstrent. Legatur Trid. sess. 14. c. 6. ubi hæc habet: *Quamvis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio; tamen non est solum nudum ministerium, vel enunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut à Judice, sententia pronunciatur, atque ideò non debet pœnitens adeò sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, & verè absolvendi desit: putet tamen se propter suam solam fidem, verè, & coram Deo esse absolutum,* & Can. 9. *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, anathema sit.* Videatur Bellarm. lib. 3. de pœnitentia, ubi contra Hæreticos hanc veritatem demonstrat ex Scripturis, Conciliis, & PP. primorum sæculorum.

Quinimò verba Christi Domini instituentis 442.
hujus Sacramenti ministros, adeò clara sunt, ut expositione non indigeant. Ait enim Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorũ retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus sexta Synodus generalis Can. 102. *Oportet autem eos, qui solvendi, & ligandi potestatẽ à Deo accepêre, peccati qualitatem considerare, & ejus, qui peccavit ad eam conversationem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam.* Si enim jam liber esset, non opus esset medicina,

& remedio, ex quo absolutio cum reliquis partibus constituens Sacramentum est causa moralis gratiæ per se peccatorum remissivæ, Deum movens ad delendam peccati maculam, hominemque pristinam in gratiam statim recipiendum. Quo in sensu judicium Sacerdotis prioritate naturæ præit judicium Dei. Sic Hilarius Can. 16. in Matth. de Petro Sacerdotum principe, ait: *O Beatus Cæli janitor, cujus terrestre judicium præjudicata authoritas sit in Cælo.* Et Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramento pœnitentiæ c. 8. *Sententiam Petri non præcedit, sed subsequitur sententia Cæli.* Videatur Trident. sess. 14. c. 1. 2. & 3. tum etiam Can. 5.

443. Ratio autem Theologica idipsum demonstrat, quam ad hunc syllogismum reduco: Certissima est Augustini regula lib. 1. de Doctrinâ Christianâ ab ipsis Hetherodoxis Sacramentorum hostibus impensè laudata, nimirùm Christo loquenti, utpotè Sapientissimo Legislatori eam reverentiam deberi, ut ejus verba in proprio, ac naturali sensu accipiantur, nisi necessitas cogat ea ad metaphoram, aut alienam aliquam sententiam detorquere; puta si hujusmodi verba, absque metaphora exposita, res inter se pugnantes, aut rationi, ac bonis moribus contrarias continere videantur; atqui neque cum bonis moribus, neque cum ratione ullatenùs pugnat, quod Christus numero superiori Joan. 20. loquens uni homini potestatem dederit alterius hominis peccata suo nomine condonandi: ergo verba, quibus dicitur, Christum Sacerdoti potestatem contulisse delictorum veniam petentibus indulgendi in germana, & naturali significatione intelligenda planè sunt, adeóque cùm verbis illis perspicuè significetur, concessam Sacerdoti potestatem, non declarandi remissa, sed verè remittendi peccata, omninò consequitur, potestatem hanc condonandi peccata Sacerdoti fuisse collatam.

Confirmatur ad homines contra eos Catholicos innuentes, esse meram potestatem declarandi, peccata jam esse remissa: minùs quippè concurreret Sacerdos ad remittenda peccata, si solùm declararet, jam esse remissa, quàm concionator excitans fidem, quâ solâ auditorum peccata delerentur: sed ex illis verbis Christi Domini, habetur contra Lutheranos, potestatem à Christo Sacerdotibus datam esse ad remittenda peccata, non ad excitandam fidem, quâ sola peccata remittantur: ergo ex eisdem verbis non minùs perspicuè habetur, talem potestatem non conferri ad declaranda peccata esse remissa, sed ad ea verè remittenda. Qua de causa Tridentinum testimonio citat. n. 441. ex Christi verbis, utriusquè sententiæ falsitatem damnavit. Exindè Universitas Sorbonica censurâ notavit duas propositiones Segvenoti, nimirùm eam, quæ dicit, non sufficere attritionem cum Sacramento, & illam, quæ asserit, absolutionem solùm esse declarationem juridicam peccati jam remissi. Sic enim habet ejus decretum promulgatum, die 2. Julii anno 1638. *qua tradit Auctor de Contritionis insufficientia, & Contritione ex perfectâ charitate, absoluta necessitate ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum; & quæ addit, & approbat de absolutione, quòd nihil aliud sit, quàm declaratio juridica peccati jam remissi, damnatis quoque facultas, & censuit, has propositiones quietis animorum perturbativas, communi, & omni tutæ, praxi Ecclesiæ contrarias, efficaci Sacramenti Pœnitentiæ imminutivas, & iniquæ temerarias, & erroneas.* Ut videas, quàm immeritò adversarii dicant, nunquam contra suam sententiam Universitates reclamâsse. Videâ n. 448.

Probatur tertiò Conclusio. Onus legis Evangelicæ suavius, & facilius est onere legis antiquæ ex illo Christi. Matth. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*; sed si in lege Evangelica ad reconciliationem peccatoris cum Deo non sufficeret attritio cum Sacramento, & requireretur adhuc cum Sacramento contritio, onus legis Evangelicæ gravius, & difficilius esset onere legis antiquæ: ergo &c. Probatur Min. quia Sacramentum pœnitentiæ affert in lege Evangelica onus confessionis omnium peccatorum mortalium post Baptismum commissorum secundùm speciem, & numerum, & circumstantias saltem mutantes speciem, quo onere nullum in lege nova gravius, ac difficilius est plerisquè Christianorum; in veteri autem lege hoc onus non erat, sed sufficiebat sola contritio, ad obtinendam remissionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo: ergo si ultra confessionem requireretur in lege Evangelica etiam contritio, esset onus gravius onere legis antiquæ. Confirmatur. Speciale beneficium Sacramenti pœnitentiæ, juxta commune Theologorum axioma, est, quod facit ex attrito, contritum, quatenùs attritio cum Sacramento æquivalet contritioni, & tam benè confert gratiam, & remissionem peccati, quàm ipsa contritio; atqui si requireretur Contritio, beneficium in hoc nullum esset, falsumquè esset Theologorum axioma: ergo &c.

Respondent adversarii. Contritionem perfectam requisitam cum Sacramento non esse adeò intensam, ut se sola posset sine Sacramento gratiam causare, adeòque esse speciale beneficium, quod eam causet cum Sacramento. Contra tamè primò: quia in lege veteri nulla unquam assignata fuit distinctio inter contrit. minùs intensam, & magis intensam, sed quæcumque ex illis ad remissionem peccati satis erat: ergo etiam in lege Evangelica quæcumque contritio pensata, sive magis, sive minùs intensa, se solo sufficiens est ad justificationem obtinendam. Contra secundò. Illa dispositio sufficiens est ad justificationem extra Sacramentum obtinendam, quæ positâ Deus in hac Providentia justificationem promisit; atqui posita extra Sacramentum contritione perfecta, absque exceptione ullâ intensa magis, & minùs perfectam, Deus promisit justificationem, ut ex Tridentino, & SS. PP. constat ex dictis à num. 284. & 350. ergo &c.

Quæ

Contra tertiò: actus, quo Deus super omnia appretiamur, sufficiens dispositio est ad justificationem extra Sacramentum ex n. 287. sed ita se habet actus Charitatis, sive perfectæ contritionis, quantumvis remissus, ut constat ex ibi dictis, & patet ex S. Th. 3. par. qu. 70. art. 4. in corp. dicente: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas nimia auri, & argenti:* ergo &c. Ex dictis plurimæ inferri possunt illationes, non modò utiles, verùm etiam omninò necessariæ pro praxi. Objectiones, quæ fieri hic possent, commodiùs dissolventur infrà, à n. 470. Nunc pro praxi sit.

SECTIO IV.

Prolegomenon pro praxi Ecclesiæ investiganda.

444. DUplicem in amore magnitudinem, *intensivam* videlicet, & *appretiativam*, tum Philosophi, tum Theologi agnoscunt, ex dictis n. 281. Discrimen autem inter utramque maximum si quis ignoret, minimè poterit præsentis controversiæ statum agnoscere: quamobrem necesse est accuratiùs in præsenti terminos explicare. *Appretiatio* enim est de actûs essentia, adeò ut si actus in gradu remisso suum non appretiet objectum super omnia, illud certè nunquam super omnia appretiare possit, ad intensissimum licèt usquè gradum se protrahat. *Intensio* verò est id, ex quo actus additamentum illud, ac detrimentum, sive *magis* & *minus* suscipit, eodem tamen semper tendendo, sive appretiativè, sive aliâ prorsùs tendat viâ. Undè planè consequitur, actum, qui ex se perfectæ charitatis formam non inducit semel, illam induere nunquam, quâcumque demùm intendatur vehementiâ. Quæ porrò est ratio D. Th. in supplemento qu. 1. art. 3. docentis, Attritionem nunquam posse fieri contritionem. Actus autem remissus (quis inficietur?) fieri potest intensus.

Cæterùm cùm actus perfectæ charitatis non possit non esse appretiatio Dei super omnia, ut docet Catechismus Romanus in primam petitionem Dominicam dicens: *Nec verò ex animo, & unicè potest amari Deus, nisi rebus, ac naturis omnibus ejus honor, & gloria præponatur*; cùmque appretiatio Dei super omnia maximus sit erga Deum amor, idcircò ex se illè valdè vehemens, acer, & incensus erga Deum sit amor, oportet: non aliter, ac profanus amor pluris creaturam faciens, quàm Deum, amor ex se valdè vehemens, acer & incensus erga creaturam appellatur. Quod ipsissimum Augustinus tom. 8. Enarratione in Ps. 121. in hunc planè modum asseruit: *Sicut amor immundus inflammat animam, & ad terrena concupiscenda, & peritura sectanda vocat perituram, & in ima præcipitat, atque in profunda demergit; sic amor Sanctus ad superna elevat, & ad æterna inflammat ::::: duobus præceptis dilectionis Dei, & proximi volat. Quo nisi ad Deum ascendit volando, qui ascendit amando.* His accinit D. Thomas in supplemento q. 1. art. 2. *Sicut inflammatio propriæ voluntatis ad malum faciendum importat, quantum est ex se, malum ex genere, ita illius voluntatis annihilatio, & comminutio quædam de se importat donum ex genere, quia hoc est detestari proprtam voluntatem, quâ peccatum est commissum. Et ideo Contritio, quæ hoc significat, importat aliquam rectitudinem voluntatis.*

Exindè facilè noveris, cùm contritio tanto- 445.
perè sibi displiceat in malo, quantùm placuerat peccatum, esse nullum actum posse, aut perfectam charitatem, aut contritionem, nisi Deum rebus omnibus prælabuerit. Sic D. Th. in Supplemento quæst. 3. art. 1. in corpore: *Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, in contritione est duplex dolor, unus est in ipsa voluntate, qui est essentialiter ipsa contritio* [non ait intensivè, sed essentialiter] *quæ nihil aliud est, quàm displicentia præteriti peccati, & talis dolor in contritione excedit omnes alios dolores, quia quantùm aliquid placet, tantùm contrarium ejus displicet. Finis autem super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur.* Quibus profectò verbis S. Th. apertissimè fatetur, contritionem, quòd aliis major consurgat doloribus, non ex sui intensione, sed ex essentiâ suâ hoc planè habere; exindèque dolorem valdè vehementem, valdè acrem, valdè incensum à Theologis passim perhiberi, quin ulla indigeat intensione, cùm id habeat ex essentiâ suâ: non minùs quàm minima scintilla ignis Inferni, adeò vehemens, acris, & incensa est, ut quamcùmque nostri ignis intensionem exsuperet.

Hujusmodi autem dolor tantus est, excellentisque adeò nobilitatis, ut vel cùm in humili, omniùmque maximè remisso gradu se contineat, ad ipsius aspectum non ausit peccatum accedere, minimeque possit cum ipso conjungi. Statim quippè gratissimâ gratiæ formam inducendo, acerrimam illam exercet, impacabilèmque cum peccato inimicitiam. Ut laudatus D. Th. in Supplemento qu. 5. art. 3. §. *Sed contra* concludit: *Quælibet gratia gratum faciens delet omnem culpam mortalem, quæ simul stare cum eâ non potest: sed quælibet contritio est gratiâ gratum faciente informata: ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam.* Quapropter Magister Prado Tomo de Pœnitentia qu. 1. de contritione dubio 3. §. 2. folio 494. D. Thomæ vestigiis inhærens, ita habet: *Asserendum est in omni eventu contritionem quamlibet perfectam quantùmvis minimo charitatis actu, afferre secum statim, & semper remissionem peccatorum, & oppositam sententiam non solùm esse periculosam, & parùm in fide tutam, sed & temerariam, & scandalosam.* Ex his se se ultrò profert, aperitque illud discriminis, quod nuper admonebam, contritionem nimiarum esse valdè vehementem, acrem & *incensam*, sibique ex se hoc omninò deberi, ut ipsa sibi constet; aut esse valdè *intensam*, quod quidem ipsi, tanquam extimum quoddam addi-

additamentum accidat, atque jam constituræ supervenis. Unde quando Catechismus Romanus titulo de Pœnitentiæ Sacramento, ait: *Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum sceleram magnitudine æquari, conferrique possit?* Valdè immutata quidem fertur ab illis, qui hæc Catechismi verba afferendo, particulam *incensam* omittunt, illiùsque loco substituunt *intensam*. Quare Synodus Agathensis celebrata Anno 1681. ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino D. Jacobo Circio à Monte Regali, & impressa Romæ in Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ, c. 10. de Pœnitentia, sic ait: *Et sat est ad veram contritionem detestatio super omnia, licèt dolor non sit ita intensus, ut alicujus mali temporalis.*

446. Verùm enim verò, ut hæc veritas clarioribus adhuc insignita votis appareat, simùlque constet, quàm conformis sit Ecclesiæ praxi Assertio nostra, quam præcedenti sectione docuimus propugnantes, non requiri ad fructum Sacramenti pœnitentiæ contritionem perfectam, sive magis, sive minùs intensam, sed sufficere supernaturalem Attritionem ex alio motivo conceptam, cum spe veniæ; illam à Tridentini Concilii publicatione, ad hæc nostra usquè tempora in Ecclesiæ praxi fuisse ostendemus, utque verum improbari non possit, quod omnibus verum, vel ferè omnibus visum fuit, Elenchum in hac sectione subnecto ex toto Orbe Christianno collectum, Authorum, Universitatum, Facultatum, Synodalium, Catechismorum, & id genus aliorum, quin possit ex adverso à Tridentini publicatione usquè ad annum 1640. longus Authorum syllabus reponi, qui hac de re, vel dubitaverint.

Moneo tamen, Censuras latas adversùs contrariam opinionem ab aliquibus Authoribus, quos hìnc indè refero, verba ipsorum adducendo, nequaquam à me adduci animo censurandi, à quo maximè abstineo, nec intendo ullo modo censurâ inurere sententiam contrariam: quod quidem prohibitum est jure merito ab Alexand. VII. Tantùm ergo refero, ne omittantur Authores, qui à publicatione Concilii Tridentini, usque ad Alexandri VII. decretum scripsêre, utque constet, qualis per hæc omnia tempora fuerit Authorum sensus. Catalogum subtexo ordine Alphabetico, quem jam subjicio.

A

ADamus Tannerus Societatis Jesu tom. 4. disp. 6. de pœnitentia quæst. 6. dub. 4. *Ad valorem, & effectum hujus Sacramenti non requiritur perfecta Contritio, aut re ipsâ existens, aut existimata, sed sufficit Attritio etiam cognita: ita habet nunc communis, & quasi omnium doctorum sententia.*

Ægidius de Coninck Societatis Jesu tom. 1. de sacr. quæst. 62. art. 1. dub. 2. postquam expositit Attritionem ex alterutro ex his motivis conceptam, ita habet. *Ad gratiam per Baptismum, vel pœnitentiam suscipiendam ob peccatum mortale commissum, tam ex parte medii, quàm præcepti sufficit perfecta Attritio, etiam cognita talis.*

Ægidius Estrix Societatis Jesu in lib. cui titulus. *Decertatio historico-theologica pro mente Concilii Tridentini de vi attritionis sine amore amicitiæ in Sacramento*: & in altero, cui titulus: *Confutatio suppositæ veritatis, & claritatis*: doctrinam nostram, ut certam, & tutam omninò defendit post Tridentinum.

Alexander Madernus Barnabita 3. par. tr. 4. q. 2. art. 16. n. 1. pag. 519. ita habet. *Jansenius verò, quem sequuntur Jansenistæ, vult, non sufficere Attritionem ex metu gehennæ, sed requiri Contritionem ex amore procedentem: communis tamen vera, & certa sententia docet, sufficere Attritionem ex metu gehennæ.*

Alphonsus Mendoza Ordinis Eremit. S. Augustini Salmanticensis Doctor in relectione de regno Christi quæst. 2. §. 8. de hac attritione ait: *Esse actum sufficientem, ut gratia sanctificationis per Sacramentum peccatori conferatur.*

Alphonsus Salmeron Societatis Jesu, Theologus ad Concilium Tridentinum à Summo Pontifice missus, tom. 11. tract. 22. de attritione, quæ non habetur ex charitate, sed ex timore justitiæ Dei, ita pronunciat: *Hic dolor, etsi per se sit imperfectus, in Sacramento tamen conjunctus remissionem efficit peccatorum.*

Alphonsus Antonius de Sarasa Societatis Jesu, tom. 2. cui titulus: *Ars semper gaudendi*: tract. 14. §. 2. sic asserit. *Attritio sola sufficiens est dispositio ad justificationem, & remissionem peccatorum in Sacramento pœnitentiæ recipiendam. Actus autem charitatis ineffacax, qui præterea à quibusdam requiritur, merum est figmentum, & quidem Novatricum.*

Alphonsus Vega in summa Hispana hæc in Latinum conversa habet. *Attritio est dolor imperfectus ex metu gehennæ, & pœnarum conformi conceptus juxta Concilium: alterum est, quod Theologi communiter dicunt, nimirum quod intercedente Sacramento pœnitentiæ, qui suscipit illud, fit de Attrito contritus. Attritio fit Contritio, non intrinsecè, hoc est ratione objecti, sed extrinsecè, hoc est ratione gratiæ superventientis.*

Angelus Maria de Vericelli in quæst. mor. tom. 1. tract. 2. quæst. 38. num. 8. ait: *opinatum esse falsum, temerarium, & erroneum.*

S. Antoninus Archiepisc. Florent. Ord. Præd. 3. parte tit. 14. cap. 19. §. 5. *Attritus accedit ad confessionem, ex quo ibi fit contritus ex quo fugatur fictio, & sic non habet dubium, quia & Sacramentum suscipit, & effectum ejus, scilicet remissionem peccatorum, unde non tenetur iterare, sit similiter, imo fortius, si accedit contritus.*

Antoninus Diana Clericus Regularis, 1. parte summæ

summæ editæ Lugduni 1644. verbo *Attritio* n. 3. *Ecclesia in Tridentino docet, ad salutem sufficere Attritionem cognitam cum Sacramento:* & n. 8. *Certum autem est, Attritionem ad Sacramentum Confessionis sufficere.*

Antonius Bonettus Societatis Jesu in Tract. de Timore Pœnitente integrum Librum impendit, probans doctrinam nostram esse tutam in praxi.

Antonius de la Parra Ordinis Clericorum Minorum Tom. de Sacram. tract. 2. disp. 3. qu. 2. artic. 1. de nostra sententia ait: *Sibi videri jam definitam in Tridentino.*

Antonius de Escobar, Societatis Jesu lib. 14. de Sacramen. Pœnit. sect. 1. cap. 5. n. 52. *Attritio cum Sacramento peccatorem justificat.*

Antonius de Litteratis, in summa Compendiosa Sacramen. Ecclesiæ, parte 1. c. 32. *Hæc tamen Attritio non est mala, quia timor iste servilis comparatur setæ Sutoris, quæ filum introducit, ut dicitur de Pœniten. dist. 2. cap. Sicut seta, ut inquit Sotus in 4. sentent. dist. 14. quæst. 2. artic. 5. & hanc Attritionem, inquit Concilium Tridentinum, esse donum Dei, & impulsum Spiritus Sancti, non adhuc inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justificationem parat, modò duo concurrant: primum, quod hic timor excludat voluntatem peccandi: secundum, ut sit cum spe veniæ, nam tunc adjuncto Sacramento sufficit ad veniam peccati.*

Antonius Fernandez de Moure, in Examine Theologiæ Moralis par. 3. c. 6. §. 5. *Quid est Attritio? Respondeo: difficillima est in hac quæstione resolutio, rectè tamen sic potest constitui, Attritio est dolor, per quem nobis displicet peccatum à nobis commissum super omne odibile cum proposito vitandi illud supra omne vitabile propter aliquod motivum supernaturale, quod non sit Deus ipse, quatenùs est summè bonus, à quo peccatum avertit, quem dolorem appellant Theologi imperfectum, quia per eum non statim justificatur attritus, ut justificatur per contritionem, perfectum dolorem: hæc est descriptio, per quam melius declaratur essentia attritionis, quavis alia descriptione: circa ea multa sunt adnotanda certa, & indubitanter asserenda. Primùm est, hanc Contritionem esse dispositionem ad gratiam: ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. Quid est hoc motivum supernaturale Attritionis? Respondeo. Duplex; nimirum metus gehennæ, & fœditas peccati: ita Concil. Trident. sess. 14. c. 4.*

Antonius à Spiritu Sancto ex Ordine Carmelit. Discalc. Episc. Angolensis Tract. 5. Directorii disp. 3. sect. 2. affirmat: *Contrariam sententiam, saltem post Tridentinum, non esse probabilem.*

Antonius Corduba, qui Concilio Trident. interfuit, lib. 1. Quæst. Theolog. qu. 2. opinione 3. postquàm doctrinam nostram ex Trid. sess. 14. c. 4. probaverat, ita infert: *Igitur taliter attritus, utiliter, & fructuosè confitetur, & virtute Sacramenti justificatur, nam non potest decretum hoc aliter intelligi, cùm in ultimis verbis expressè dicat, quod in Sacramento, & non extrà, illa Attritio ad gratiam obtinendà disponit.*

Armaldus Joannes S. R. E. Cardinalis de Richelieù, in tract. de Perfectione Christiana, c. 10. ex Gallico in Latinum, sic habet: *Contritio perfecta habet Deum pro unico, seu ad minus pro principali objecto: talis dolor non est absolutè necessarius ad obtinendam remissionem peccatorum cum Sacramento Pœnitentiæ, quia ex se ipsa contritio peccata remittit. ::: Tertia est Attritio, quæ est media inter perfectissimam, & invalidam, est illa, quæ est necessaria, & sufficiens ad obtinendam remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitent. iste dolor communiter concipitur ex apprehensione gehennæ, privationis cœlestis Paradisi, & turpitudinis peccati.*

S. Augustinus Hipponensis Episc. quamvis exigat Contritionem perfectam ad justificationem extra Sacramentum, sive ad obtinendam gratiam per pœnitentiam, quam agimus, solùm exigit attritionem ad Sacramen. Pœnit. quod suscipimus: cùm nullam aliam exigat ad obtinendam gratiam per Sacramentum mortuorum: ait enim Tom. 4. lib. de Catechizandis rudibus c. 17. non esse Christianum verum (id est bonum, ut patet ex contextû) qui ex motivo temporalis commodi accedit ad Baptismum; benè verò qui ex motivo gloriæ promissæ, & timore gehennæ Baptismum suscipit: en ejus verba: *Sunt enim qui propterea volunt esse Christiani, ut, aut promereantur homines, à quibus temporalia commoda expectant, aut quia offendere nolunt, quos timent, sed isti reprobi sunt :::::: qui autem propter Beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in Regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est:* En attritionem cum spe veniæ, absque motivo charitatis sufficientem ex Augustino ad Sacramentum Baptismi fructuosè recipiendum, ac proindè sufficientem ad conferendam gratiam cum Sacramento Pœnitentiæ, cùm eadem utróbique ratio militet.

B.

BArtholomæus Mastrius Ord. Min tom. 4. in 4. disp. 5. de Pœnit. q. 6. art. 1. n. 137. *Attritionis duplex assignat motivum Trident. unum ex turpitudinis peccati consideratione, alterum ex pœnæ, & gehennarum metu,* & q. 15. n. 413. *Dicendum est, Attritionem in Confessione Sacramentali necessariam, & sufficientem esse debere supernaturalem, & ex duobus motivis à Concilio Tridentino assignatis loco citato.*

Bartholomæus de Medina Ord. Prædic. in Instructione, c. 2. p. 5. ex Hispano in Latinum conversa hæc habet: *Quamvis pœnitens accedat in peccato, cum sola attritione, recipit virtutem Sacramenti, gratiam, & remissionem, ut definit Sacrum Concilium Trid. sess. 14. c. 4.*

Benedictus Pereyra Societatis Jesu in Promptuario Theologico-Morali, tr. 39. sect. 2. q. 3. n. 1149. *Attritio verò est quævis alia honesta, &*

supernaturalis detestatio ex motivo inferiori, scilicet peccati, quà opponitur beatitudini æternæ, vel honestati virtutum: statimque subjungit: *Dicendum tamen est, supernaturalem, & integram attritionem peccatorum mortalium, absolutè loquendo, sufficere ad valorem, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ.*

C

Concilium Diœcesanum Agathense, ab Illustrissimo & Reverendissimo D. Jacobo Circio à Monte Regali, Romæ ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ, Anno MDCLXXXII. de Sacram. Pœnit. tit. 26. c. 10. sic habet: *Peccatum contritum, confessũ, & satisfactioni expositum, est materia proxima hujus Sacramenti; est autem contritio, præteriti peccati, ut est Dei offensa, voluntaria super omnia detestatio, cum proposito futura vitandi, & cõmissa confitendi: Contritio propriè non est tristitia, aut dolor, sed actus, cujus comes dolor, ex quo nollet homo peccâsse: sed considerans, non posse non esse factum, fit tristitia in sensu, & prorumpitur in lacrymas, & sat est ad veram contritionẽ detestatio super omnia, licèt dolor non sit ita intensus, ut alicujus mali temporalis, & non aufert contritio totam pœnam, sed posset esse tanta, & talis, ut auferret, nec est necessaria singulorum mortalium particularis Contritio, sat est una generalis: non tenetur quis conteri magis de uno, quàm de alio peccato, & cùm in memoriam subit peccatũ, non tenetur quis conteri. sat est in ipso non se complacere, & contritio de per se, etiam sine Sacram. remittit peccatum mortale, dat gratiã, & si contritio moriatur, salvabitur: quando autẽ actus non est perfectus, dicitur Attritio ut si peccatũ detetur alio fine, quàm Dei offensa, vel non super omnia.*

Concilium Diœcesanum Alexandrinum, Anno 1602. sub Illustris. & Reverend. D. Petro Georgio Odescalco Episcopo Alexandrino, postquam Tit. de Pœnit. dixit, interrogandos esse pœnitentes, an doleant de peccatis, quia Dei offensa sunt, subdit: *Quod si perfecta hujusmodi displicentia in eo excitari minimè possit, ea saltem sit, ut Sacramenti virtute accedente, beneficium Absolutionis impendi ei possit.*

Concilium Diœcesanum Placentinum celebratum 1589. sub Illustrissimo & Reverendissimo D. Philippo Sega Episc. Placentino tit. de Pœnit. circa initium, hæc habet: *Ut contritio, contemptis aliis Pœnitentiæ partibus, non delet peccatum, ita quamvis adsint aliæ partes, sine cordis contritione, vel saltem competendi Attritione, non admittur peccatum.*

Catechismus, cui titulus Praxis Catechistica, à Jacobo Marchant in cõmunem fidelium utilitatem deprompta, Venetiis, Ao. 1667. agens de Pœnit. Sacram. lectione 3. & 4. hæc habet: I. *Quid si quis doleat propter pœnas Inferni, quas timet? Resp. tunc est solùm Attritio* I. *Poterit ne talis justificari? Resp. Poterit cum Sacram. Absolutionis, si verè proponat emendationem.*

Catechismus Romanus cap. de Pœnit. Sacram. post definitam contrit. in communi, definit ita contritionem perfectam: *Perfecta Contritio est charitatis actio, quæ ab eo timore, qui filiorum est, proficiscitur*: & post pauca: *Quamquam si ita minùs consequi nobis liceat, ut perfecta sit, vera tamen, & efficax contritio esse potest.* En contritionem, & quidem efficacẽ, & partem Sacramenti, quæ non est Contritio perfecta, hoc est: *Quæ non est charitatis actio, quæ ab eo timore, qui filiorum est, proficiscitur.* Neque effugium est in illis voculis, *si minus*, cùm latinè locuti sint Catechismi Authores, terse sermonis viri. Idem quippè illis fuit, *si minùs*, ac *si non*, quod & contextus ipse hoc loco declarat. Idem habet in quintam Petitionem: *Dimitte nobis &c.* sic exponens: *Hæc sanè minùs movent rupta fœdera charitatis, movent certè calamitates, & ærumnæ, in quas per peccatum incidimus.* Continuò calamitates illas copiosè explicat, & subjungit: *Sed ne peccatorum pravitate deterritus populus, veniam impetrare posse desperet, ipsum ad spem vocare Pastor debebãt, his rationibus, quod & Ecclesia (hortatur Dominus potestatẽ dedit ad remittenda peccata.*

Catechismus Compositus à Petro Antonio Petri Canonico, & Vicario Generali Sublaci, ejusque Abbatiæ, Romæ editus, Ao. 1667. Italicè sub hoc titulo: *Il Giovinetto addottrinato, overo con brevi, e semplici risposte s'insegna tutto quello si hà da credere, sperare, & operare da Cristiani. Ridotto in questa forma secondo la direttione del Catechismo Romano.* Explicans Attritionem, & quartum Ecclesiæ Sacram. ita habet: *P. Se uno havesse questo dolore per paura dell' Inferno? G. Non saria contrit. ma attrito. P. Che effetto fà l' attritione? G. Unita con il Sacramento della penitenza, rimette li peccati.*

Catechismus ad Parochianos, & Scholares Scholarum Piarum, compositus à Rever. P. Philippo Angelini Ordinis Prædic. Parocho S. Mariæ supra Minervam, in editione Romana Anni 1627. sub hoc titulo: *Avviamento christiano, e facile al Sacramento Santo della Confessione &c.* ubi per interrogationes Magistri, & Discipuli Responsiones, Ecclesiæ praxim ostendit, titulo autem de Contritione hæc habet: *M: Ma chi del peccato commesso il dolore, ed il proposito di non più peccare, con grazia non potesse havere, e se pure l' havesse, non fusse per Iddio, cioè perche il peccato è offesa di Dio, ma si dolesse per la bruttezza di esso, e per la paura dell' Inferno, e delle pene sue, sarà questo dolore alla Confessione sufficiente? D. Chi così del peccato si duole, ò per la bruttezza del peccato, ò per la paura dell' Inferno, e delle sue pene, e non si ferma quivi, ma fà un passo avanti, ed anche esclude la volontà di più peccare, con isperanza del perdono, questo si fatto dolore da' Dottori chiamato attritione, cioè (come afferma il Concilio Sacro di Trento) dono dello Spirito Santo, non per gratia habituale, ma movente alla gratia, sarà bastante alla Confessione, ed un tal pentente nell' atto della assolu-*

lutione di attrito diventaria contrito, ciosè che in virtù delle chiavi della Chiesa, cioè dell' assolutione riceveria la gratia; e lo Spirito Santo, che era movente, si faria per gratia habitante in lui, come negl' altri giusti. Quid quæso clariùs dici poterat, ad ostendendam in ipsa Romana Curia praxim Ecclesiæ.

Catechismus Joannis à S. Thoma, Ord. Præd. ex Hispano idiomate in Italicum traductus à quodam ejusdem Ord. Religioso, & Romæ, & Todi edito, per Vincentium Galatii, Anno 1678. c. 10. fol. 66. ita habet: *D. Basta per il perdono del peccato qualsivoglia pentimento? M. La vera contritione (che non è senza la carità) anche avanti di ricevere il Sacramento, è per se sola sufficiente al perdono de' peccati, con desiderio però, & obligo di confessarlo, ma la attritione non basta senza il Sacramento.*

Catechismus compositus à D. Joanne Laurentio Guadagno Neapol. Theologo, editus Venetiis, Anno 1690. sub hoc titulo: *Tesoro della Dottrina di Christo Nostro Signore*: ubi explicando Confessionem Sacramentalem, hæc habet: *Uno si pensa veramente essere attrito, & non è, se pecca, e se riceve la gratia, andandosi à confessare? Rispondo. Colui non pecca per la buona credenza, con la quale si pensa essere attrito, ma non riceve la gratia, perche non hà la dispositione, che si ricerca per ricevere questo Sacramento, che è la vera attritione.*

S. Carolus Borromæus in Sacramentali Ambrosiano eandem Ecclesiæ praxim supponit, dum sub eo titulo. *Quæ in ministratione Sacramenti Parochus, & Confessarius observet*, sic præscribit: *Quod si pœnitens nullam Contritionem, nec verò saltem attritionem, aut neque propositū abstinendi in posterum ab aliquo mortali peccato ostendet, eum minimè Confessor absolvet*: quibus in verbis manifestè supponit praxim absolvendi, si pœnitens accedat cum attritione licèt non accedat cum contritione.

Concilium, sivè Synodus Catanensis, celebrata anno 1668. die 11. 12. & 13. Maj. ab Illustrissimo, & Reverendissimo Michaële Angelo Bonadies Episcopo Catanensi Comite Mascalarum Regio Consiliario sess. 1. decreto 6. de Sacram. pœnitentiæ sub titulo, Materia proxima, n. 5. fol. 117. post pauca. *Si verò angor ille ob patrata crimina ex inferiori motivo nempè, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, vel æternæ gloriæ jactura, aut ipsius peccati turpitudine oriatur, erit imperfecta contritio reputanda, atque attritio communiori voce dicenda, quæ quidem, & sine actuali Sacramenti susceptione, hominem per se justificare nequit, nihilominùs si peccandi voluntatem excludat, veniæque spem obtinendæ adnexam habeat, illum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit, & quidem dispositione ultimâ, & proximâ; unde illud vulgare emanavit effatum: homo Sacramentali confessione ex attrito fit contritus.*

Concilium, sivè Synodus Parmensis 1690. & promulgata 1691. primò decreto de Sacram. pœnit. hæc habet. *Actus odii in peccatum propter summam charitatem erga Deum, vel obtimorem gehennæ, & turpitudinem culpæ elicitos, si cum absolutione Sacerdotis conjungantur, ad dignitatem Sacramenti producentis infallibiliter gratiam Jesus Christus in Novo Testamento elevavit.*

Concilium, sivè Synodus insignis Abbatiæ Sublacensis, nullius Diœceseos celebrata per Eminentissimum, & Reverendissimum D. D. Carolum Barberinum S. R. E. Cardinal. 1674. sub titulo de Sacram. pœnit. c. 11. hæc habet. *Quos animi sensus, si confessarius pœnitentem, nec habere, nec in eo excitari animadvertat, eum iterùm, atque iterùm opportunè, & importunè arguat, obsecret, increpet, in omni patientia, & doctrina, donec aut contritionem, aut certè attritionem eliciat, sed si frustra laborare se idem confessarius, agnoscat, caveat ne impœnitentibus beneficium Absolutionis, etiam in ipso mortis articulo, impertiatur.* Quod idem omninò repetit in Synodo Diœcesana Farfensi, c. 11. de Sacram. pœnit. Quid intelligat nomine Attritionis? constat ex Catechismo ejusdem Abbatiæ superiùs adducto.

Christophorus Haunoldus Societatis Jesu lib. 4. Theol. specul. tom. 4. n. 986. *Dico ad Sacramentum pœnitentiæ sufficere Attritionem, cujus ne quidem partiale motivum sit, motivū charitatis, adeoque sufficere dolorem ex metu inferni, vel amore præmii, advertendo ad honestatem objectivam talis motivi.*

Cursus Salmanticensis PP. Discalc. tract. 6. de Pœnit. c. 1. puncto 4. *Attritio Christiana dicè solet, & est detestatio, & dolor imperfectus de peccato, qui non attingit ad fructum charitatis ::::: disponens tamen ad gratiam remotè, & insufficienter ex se sola, proximè, & sufficienter, cum Sacramento Pœnitentiæ.*

D

DEcretum Gratiani, emendatum, & Notationibus illustratum unà cum glossis, Gregorii XIII. Pontif. Max. jussu editum: Romæ in ædibus Populi Romani Ao. MDCXXXII. cum Bulla ejusdem Gregorii XIII. *Ad futuram rei memoriam*, quæ incipit: *Cùm pro munere Pastorali*, in qua præcipit, ut Romæ typis detur, ut *hoc juris Canonici corpus fideliter, & incorruptè ::::: imprimi possit.* In secunda autem parte hujus Decreti xxxiii. quæst. iii. quæ est Distinctio prima de Pœnitentia, cui titulus: *Utrùm solâ cordis contritione, & secretâ satisfactione, absque oris confessione, quisque possit Deo satisfacere &c.* ad hanc Glossam: *Dic, quod, nec cordis contritione, nec oris confessione peccata dimittuntur, sed tantùm gratiâ Dei*: superaddita fuit jussu Pontificis Maximi in emendatione, hæc altera Glossa marginalis: *Id est solus Deus peccata dimittit: sed per meritum Christi, & Ministerium Sacerdotis, atque in pœnitente requirit contritionem (aut saltem Attritionem) quæ*

quæ deindè virtute clavium fit contritio) confessionem, & satisfactionem &c. Rursus ibidem ad illam ultimam tituli Glossam : *Si tamen subtiliter intueamur; gratiæ Dei, non contritioni est attribuenda remissio peccatorum, ut dixi &c.* Hæc altera marginalis Glossa adjuncta fuit. *Adde, multò tutiùs hominem sibi posse persuadere, post confessionem se esse contritum, & in ipsa confessione, & absolutione collatam sibi esse gratiam, quàm antea, nam sæpè virtute clavium ex attrito fit contritus : Vide S. Thomam 4. dist. 17. q. 2. art. 1. qu. 1. ad 3.* Quibus ex Glossis, & quidem jussu Gregor. XIII. Pontif. Max. superadditis perspicuum fit, non solùm accedentem ad Sacramentum Pœnit. cum contritione; verùm etiam accedentem cum attritione suscipere gratiam.

Didacus de la Fuente Hurtado, Societatis Jesu, in Theologia Reformata, in qua exponit propositiones ab Innoc. XI. damnatas differt. 6. c. 4. n. 32. de Attritione non includente dilectionem ex charitate, ait : *Posita vera attritione non requiri, quòd illa existimetur vera contritio ad valorē, aut fructum Sacramenti, & hoc est, quod ex Concilio efficaciter colligitur.*

Didacus de Oropega in lib. cui titulus: *Confutatio libelli Anonymi*, toto c. 2. de attritione, ut certam in praxi hanc Assertionem defendit: *In Sacramentis mortuorum sufficere attritionem etiam ob pœnas peccati à Deo infligendas.*

Duran à Sancto Portiano Ord. Præd. in 4. dist. 17. q. 1. explicat Attritionem distinctam ratione motivi à contritione, quia ex motivo pœnæ concipitur, quo præmisso dist. 18. qu. 2. ita asserit : *In Pœnitente, antequàm actualiter suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ, quandoque præcedit sufficiens dispositio, delens culpam, & conferens gratiam, & tunc Sacramentum superveniens culpam non aufert, quia non invenit, nec gratiam confert, sed prius collatam auget; quandoque verò non præcedit sufficiens contritio, quæ culpam deleat, sed Attritio, quæ superveniente Sacramento, virtute clavium efficitur sufficiens, & tunc per Sacramentum Pœnitentiæ actu susceptum, & delentur culpa, & confertur gratia.*

E

EManuel Rodriguez Ordinis Minorum in summa casuum, approbata anno 1592. cap. 50. *Ad recipiendum hoc Sacramentum sufficit attritio agnita pro tali, sic enim dicunt Canus, Medina; quæ & videtur approbata a Concil. Trident. ob quod debet teneri.*

F

FLorimondus Plessæus Doctor Pictavensis lib. cui titulus *Veteres Theologi*, p. 220. magna eruditione probat ex veteribus theologis sufficientiam attritionis ad gratiam causandam in Sacramento pœnitentiæ.

Facultas Sorbonica Anno 1638. has duas sequentes propositiones damnavit, his verbis : *Quæ tradit Author de attritionis insufficientia, & contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate, ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, & quæ addit, & approbat de absolutione, quòd nihil aliud sit, quam declaratio juridica peccati jam remissi, damnavit quoque Facultas, & censuit, has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi, & omni tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti pœnitentiæ imminutivas, & insuper temerarias, & erroneas.*

Franciscus Amicus Societatis Jesu disput. 3. de Attrit. sect. n. 31. *Sola attritio supernaturalis, quoad substantiam, est sufficiens dispositio cum Sacramento ad justificationem, ex Trid. sess. 14. c. 4. & disp. 6. de Sacramen. sect. 4. de Baptismo, & Pœnitentia, ait: Dico secundo : non est necessaria contritio, sed sufficit attritio ad effectum horum Sacramentorum consequendum, ita puto, ex Tridentino manifestè deduci, ut oppositum nequeat hoc tempore sine nota defendi.*

Franciscus Araujus Episcopus Segobricensis Ordinis Præd. in disput. Moralibus, disp. 5. de statu Civili Assert. 3. n. 21. ait: *Quod contrariæ opinioni videtur adversari Concilium Tridentinum.*

Franciscus de Lugo Societatis Jesu lib. 1. de Sacramen. c. 1. qu. 4. fol. 53. *Licitum esse, ac tutum præsertim post Trid. recipere pœnitentia Sacramentum cum attritione cognita, quæ sententia negans, illam sufficere, jam improbabilis est, & communiter rejicitur.*

Franciscus Ortiz Ordinis S. Francisci, c. 23. de Pœnit. n. 32. *Paraque la attricion disponga en el Sacramiento à la gracia, hà de tener un querer efficaz, y proposito firme, y hà de ser dolor de todos los peccados, accordados, y olvidados ::::::: dixe que la tal attricion sea por razon sobra naturales, que nos dize la fe.*

Franciscus Annatus Societatis Jesu, Tom. 2. cui titulus: Augustinus à Bajanis vindicatus, hoc est Jansenianis, lib. 2. cap. 2. de timore pœnæ, quærens quænam sit Attritio sufficiens ad Sacramentum, ita habet: *Ex verbis, tùm Lutheri, tùm Tridentini manifestum est illam ipsam attritionem à Tridentino asseri, quam Lutherus impugnat : atqui est etiam evidentissimum, Lutherum impugnasse Attritionem ex solo metu pœnarum, aut ex peccati turpitudine, non verò ex amore justitiæ conceptam : ergo illa est, quam Tridentinum asserit.*

Franciscus Pinthereau Societatis Jesu: *Opusculo de sufficientia Attritionis*, per totum Libertij doctrinam nostram latè propugnat & graviter pro ipsa Authores adducit.

Franciscus Suarez Societatis Jesu tom. 4. tertiam partem, disp. 20. sect. 1. n. 10. de hac sententia ait : *Hanc Conclusionem existimo hoc tempore, adeo certam, ut non possit, absque errore negari.*

Franciscus Toletus, S. R. E. Cardinalis, Societatis Jesu, in summa edita, Romæ Anno 1601. lib. 3. c. 11. *Si sit vera detestatio culpæ propter turpitudinem, & propositum cavendi ob pœnas Inferni, puto, quod licet sciat homo, se esse attritum, ipse non*

vera confessio, & accedentibus hoc modo, absolutio dat gratiam, ut colligitur, ex Concil. Trident. sess. 14. c. 4. Omitto plura alia ipsius testimonia, quæ habentur in scriptis illius originalibus in hoc nostro Collegio Romano servatis.

Franciscus à Victoria, Ordinis Prædicat. in summa Sacramen. postquàm dixit, partes Sacramenti Pœnitentiæ esse contritionem, Confessionem, & satisfactionem, accedit ad explicandam contritionem, & titulo de Contritione, paginâ mihi 140. hæc habet: *Potest tamen esse, quòd ex voluntate non sit alius actus, quàm iste: doleo, quia offendi Deum, qui nec est elicitus, nec imperatus à charitate, & iste talis actus sine alia dilectione sufficit ad remissionem peccatorum.*

G

Gabriel Vazquez Societatis Jesu tom. 4. in tertiam partem, quæst. 92. artic. 1. dub. 2. n. 2. agens de contraria sententia, ait: *Hæc sententia quàm sit periculosa, satis ostendimus, eo Artic. 3. ex ea enim probavimus, tolli efficaciam clavium, quam secundùm fidem tenemur concedere.*

Gabriel à Sancto Vincentio Carmelit. Discalceat. disp. 2. qu. 7. de Sacramen. Pœnitent. editionis Romanæ anno 1657. *Attritio, quæ est dolor de peccatis propter pœnas, v. g. Inferni primo, & secundo loco explicata, est actus bonus, & laudabilis, & sufficiens simul cum Sacramento, ad peccata quæcumque etiam ingentia delenda: Hæc Conclusio est Catholicorum sensus adversùs nostri temporis hæreticos, qui volunt, talem attritionem hypocrisim esse, & peccatum.*

Gaspar Hurtadus Societatis Jesu, Tract. de Pœnitentia, disput. 6. diffic. 2. ait: *Ad percipiendum fructum Sacramenti Pœnitentiæ, non prærequiri contritionem perfectam, sed sufficere imperfectam, seu attritionem, quod efficaciter deducitur ex Trident.*

Gaspar Sanchez Societatis Jesu. Conc. 5. fer. 4. post Dom. 1. Quadragesi. commendata vehementer charitate, ita subjungit: *Fortassè dicet aliquis, dolor ille, qui ab animo proficiscitur, ex metu scilicet gehennæ, vel consideratione beatitudinis &c. :::::: nonnè bonus est? Deóque pergratus? Ita sanè: id sciari non possum, cùm Concilium Trident. id satis esse declaret ad peccatorum veniam à Domino per Confessionem impetrandam.*

Georgius Gothardus, in Tract. de Confess. *Omnis Attritio, sive habeatur Contritio, sivè non, sufficit ad assequendam gratiam, unà cùm Sacramento: dummodò habeat omnes conditiones ::::::: conditiones autem hæ sunt. Primò talis dolor debet proficisci à turpitudine peccati, vel à metu interitus sempiterni. Secundò debet esse incussus à Deo. Tertiò debet habere spem veniæ, & desiderium perfectæ contritionis.*

Georgius Rhodes Societatis Jesu: de Pœnitentia, disput. 2. quæst. 3. sect. 2. §. 1. ait: *Attritionem etiam cognitam omninò ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficere*, & citatis authoribus addit: *Post Tridentinum, communissimâ voce, ferè omnes.* Posteà citatis verbis Tridentini sess. 14. cap. 4. subjungit: *Quæ verba tam perspicuè rem definiunt, ut meritò neget Suarez, contrariam asseri posse sine errore.*

Gregorius de Valentia Societatis Jesu, tom. 4. disput. 7. q. 8. de Contritione, puncto 4. *Concilium autem illam attritionem, etiamsi nullum aliud objectum formale habeat, præterquàm peccatum, ut turpe, aut quatenus inducens pœnæ reatum, asserit sufficere in Sacramento ad gratiam impetrandam.*

Gregorius XIII. Pontif. Max. hujus nostri Romani Collegii, ejúsque Academiæ fundator, totiúsque Societatis Jesu optimus Parens in Decreto Gratiani, sententiam nostram, ut tutam in praxi, satis indicavit: Vide supra verbo *Decretum Gratiani.*

Gregorius XV. in Lib. cui titulus: *Memoriale sciendorum à Confessariis, quod est Appendix ad Memoriale sciendorum à Clericis. Jussu Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Alexandri Cardinalis Ludovisii, Archi: Bon. & Principis, qui posteà fuit Papa Gregor. XV. editum, & indicat omnia scienda à Confessariis, ac præsertim Centum casus obligantes ad restitutionem.* Firmi anno 1624. pag. mihi 180. cap. 3. de Contritione. Sic habet: *De Contritione, quæ est prima pars materiæ proximæ, & propriæ Sacramenti pœnitentiæ, scire debet Confessarius præcipuè duo: Primò quid sit: Secundò quotuplex sit, atque utrumque discendum in primis est, ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. Non omissis tamen iis, quæ utilia ad praxim adduntur à gravioribus DD. docet autem Concilium, contritionem esse dolorem, ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: esse verò duplicem, unam charitate perfectam, quæ delet peccata etiam ante Confessionem, non tamen absque voto, seu proposito confitendi, (& hæc sola absolute Contritio dici solet, & ità deinceps à nobis dicetur) alteram imperfectam, quæ attritio vocatur, & concipitur ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, ac pœnarum metu, & hæc quidem ante Confessionem non justificat, ut facit Contritio, sufficit tamen cum Sacramento ad justificandum, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ. Hæc omnia docet Concil. Trid. citatum.*

H

Hieronymus Llmas Ordin. S. Bernardi in methodo Curationis Animarum par. 2. c. 2. §. 6. *Colligitur secundò, quòd quamvis attritio secundùm sententiam Philosophicam, & Theologicam, nequeat fieri contritio, cùm sint dolores specie diversi, sicut homo nequit equus fieri, tamen virtute Sacramenti, attritus homo fit contritus, ad quod parum facit, aut nihil, quòd attritus sciat, vel cognoscat, vel suspicetur se attritum.*

Henricus Henriquez, Societatis Jesu lib. 1. de Sacramen. Pœnit. c. 26. nostram sententiam ex Trident. sess. 14. c. 4. approbat, Scriptori-

busque permultis citatis, sic adnotat: *Quod in publicis actibus Salmantic. Penna, & posteà Gallo, Sancius, & alii doctissimi reputarunt, ita certum, ut sine temeritate, vel errore negari non possit, & idem planè fatetur Scotus distinct. 14. quæst. 2.*

Henricus de Villalobos Ordinis Minorum, in summa par. 1. Tract. 9. de Sacramen. Pœnit. difficul. 23. ex Hispano in Latinum, sic habet: *An Attritio cognita, ut talis sufficiat ad Sacramentum Pœnitentiæ? Conclusio est affirmativa, eámque defendunt S. Thomas, Scotus, Antoninus, Sylvester, Canus, Capreolus.*

Henricus Wagnereck Societatis Jesu, in Commentario Exegetico SS. Canonum, lib. 4. tr. 7. Controvers. 2. n. 986. *Dico, ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficere attritionem, cujus ne quidem partiale motivum sit motivum charitatis.*

I

JAcobus Illsung Societatis Jesu in theologia practica tract. 6. disp. 6. qu. 3. art. 2. *Ad valorem Sacramenti, neque requiritur dolor nixus motivo perfectæ charitatis, adæquatè movente ad detestationem peccatorum, neque etiam tantùm inadæquatè movente ..... sed sufficit mera attritio etiam cognita, ut talis.* Ita in editione facta Dilingæ anno 1693.

Jacobus Laromns in tract. de secura confessione pag. 107. *Ante confessionem non requiritur charitas, neque contritionem tibi credas, futuram inutilem, nisi priùs gratuitam Dei dilectionem, & procedentem ex ea peccati dolorem adeptus fueris,* & pag. 108. col. 2. *Igitur qui firmi propositi est abstinendi à peccatis, & de præteritis dolet, eo dolore, quem attritionem diximus, & accedat cum fiducia, & reverentia ad pœnitentiæ Sacramentum per puram, & integram Confessionem, tamquam ad vasa gratiæ divinitùs constituta, ad humanæ fragilitatis subsidium, & penuriæ supplementum: hac enim ratione non tam gravis, quàm amabilis peccatori debet videri confessio, cui certa via ad gratiam, veniam, & Absolutionem pertingendi.*

Inquisitio generalis Hispana, ut habet Richardus Arsdekin tom. 2. par. 2. tract. 1. cap. 3. q. 21. hanc propositionem damnavit. *Confessio ex solo pœnarum metu facta, & non etiam ex amore Dei, nulla est, adeóque iteranda.* Eadem generalis Inquisitio, ut habet Didacus de Oropega cap. 2. de altritione sub interminatione excommunicationis &c. prohibuit, quæ sequuntur: *Potest statui duplex genus attritionis, unum, quo peccatum displicet, super omne odibile quidem, & propter Deum summè dilectum, sed cum remisso, ac debili voluntatis conatu, & hujus generis Attritio propriè dicta contritio censeri potest, & imperfecta, sufficiens ad hominem Deo reconciliandum, accedente Sacramento. Alterum genus est, quo peccator, etsi peccatum detestetur, non tamen propter Deum, sed tantùm propter pœnas, aut propter Deum quidem, sed non summè dilectum, cujusmodi Attritionem supra notavimus, non esse sufficientem ad hominem reconciliandum, ne quidem accedente Sacramento.*

Joannes Azor Societatis Jesu par. 1. institutionum moralium lib. 2. c. 12. *Cujus oppositam alii opinantes, dixerunt sufficere solam Attritionem, etiamsi peccator, eam Attritionem esse cognoscat; dummodo tamen talis sit, quæ omnem peccandi voluntatem, & pravum affectum excludat, qualis est peccatorum dolor conceptus ex metu gehennæ, aut desiderio, & studio vitæ æternæ, aut odio turpitudinis peccatorum ex Spiritus Sancti dono, cum spe veniæ impetrandæ. Hoc tradit Canus de pœnitentia par. 5. circiculo Deindè etiam attritio efficax. Primum non est dubium, tutius esse, tamen secundâ sudere, & eligere possumus, citra ullum animæ periculum,*

Joannes Henrico Manigart Leodius S. Theol. Lovanii Licent. Pastor S. Remigii Leodii, & Exam. Synodalis, in praxi Pastoralipart. 1. c. 5. de Sacramen. Pœnit. hæc habet: *Attritio in Sacramento semper fit contritio, quia infunditur gratia sanctificans, & habitus charitatis, & sic æquivalenter quasi, & quoad ultimum Contritionis effectum fit contritio, qua remissionem peccati, & justitiam consequitur.*

Joannes Benedicti Seraphici Ordinis eruditus scriptor, in summa de peccatis ex Gallico in Latinum sic de Attritione loquitur. *Non procedit ex charitate, neque ex timore filiali, sed ex timore servili, tamen dicit Sacrum Concilium Tridentinum, bona est, & habet donum a Deo .... qua Attritione peccator adjutus se disponit ad justificationem, cùm ipse ex se sciens non sit ad illam impetrandam, ut Contritio, nisi juncta cum Sacramento confessionis.*

Joannes Caramuel Episcopus Vigevanensis Ordinis S. Benedicti in Theologia fundamentali an. 1619. *In lege naturæ debebat, Deo peccatum contritionis lachrymas, seu dolorem: & modò satisfacit, si confessionem cum attritione ponat.*

Joannes de Cardenas Societatis Jesu, tomo posthumo crisis theologicæ differt. 2. qu. 1. n. 6. de nostra sententia ait: *Respondeo; non adstante ea opinatione Lovaniensium, nostram doctrinam esse certam, & omninò tutam.*

Joannes de la Cruz Ord. Prædic. in directorio conscientiæ par. 2. q. 3. de confessione. *Actus dolor attritionis est perfectus, & efficax, excludens omninò affectum peccati, & inducens voluntatem absolutâ vitandi omnia peccata: ipse dolor, non solùm est pars constituens Sacramentum validum, ut prior: sed etiam est sufficiens dispositio ad effectum gratiæ in Sacramento.*

Joannes de Dicastillo Societatis Jesu de Pœnitentia disp. 6. n. 34. *Post Tridentinum oppositam sententiam non esse probabilem, quod etiam mihi placet .... & n. 142. Res tam clara est (ex Tridentino) ut quamvis non sit res de fide, non relinquat locum prudenti dubitationi: quam moralem certitudinem fatentur Salas, & Coninck.*

Joannes

Joannes Duns Scotus, Doctor subtilis Ordin. Minorum in quartum dist. 14. quæst. 4. art. 3. de homine absque contritione, cum sola attritione accedente ad Sacramentum pœnitentiæ, ait: *Recipit non ex merito, sed ex pacto divino effectus istius Sacramenti*: quare Doctorem suum intelligunt in sensu à nobis exposito Scotistæ, ex quibus solis longissimus, & gravissimus Auctorum Catalogus efformari posset pro nostra sententia.

Joannes Henriquez Ord. Eremit. S. Augustin. *Stà definito nel Concilio di Trento.*

Joannes de Lugo S. R. E. Cardin. Societatis Jesu tom. de pœnit. disp. 4. sect. 9. num. 137. *Supposità ergo doctrinà certà, & communi, quod Attritio ex illis motivis positis à Tridentino sufficiat ad justificationem in Sacramento, etiamsi non adsit dolor propter Deum summè dilectum,*

Joannes Præpositus Societatis Jesu de pœnit. quæst. 2. de contritione n. 56. *Respondeo nihilominùs licere, quia ut ex dictis facilè patet, nostra sententia ita videtur certa, ut moraliter loquendo, non superfit solida ratio, quæ ostendat, contrarium esse vel tenuiter probabile: ex hac autem morali certitudine possumus ad praxim procedere.*

Joannes Puteanus Ordinis Erem. S. Augustin. in Commentariis par. 1. in supplemento, dubio 1. *Constat est omnium sententia, Attritionem cum Sacramento sufficere ad justificationem impii.*

Joannes Martinon Societatis Jesu, disp. 22. de Sacramen. sect. 8. n. 101. *quartò certum esse quoque debere censeo: Attritionem supernaturalem perfectam, ideſt excludentem peccandi voluntatem, cum spe, & desiderio veniæ, sufficere ad justificationem obtinendam, per Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ.*

Joannes à S. Thoma de Sacramen. Pœnitent. quæst. 84. disput. 23. artic. 4. §. 1. *Oportet, Ministrum esse valdè vigilantem, præsertim cum hominibus rudibus, ut accedant cum dolore supernaturali, hoc est regulato per fidem, seu concepto ex motivis, quæ docet fides, ut ex timore Inferni, turpitudine peccati, amore ipsius Dei, & virtutis.*

Joannes Baptista Bizozero, in tract. de septem Ecclesiæ Sacramentis, par. 5. cap. 8. num. 8. *Ultimò Contritio semper constituit hominem in gratiâ, & propterea nunquam potest esse informis, ideſt sine gratiâ. Attritio verò non constituit hominem in gratiâ, & propterea, si illi non addatur Sacramentum, quod facit de attrito, contritum, potest esse informis.*

Joannes Baptista Corradus Ordin. Prædicat. in Responsionibus editis Anno 1603. q. 58. *An ad Justitiam, & remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ, satis sit habere attritionem cognitam, etiamsi pœnitens non existimet probabiliter, eam esse contritionem? Respondetur Affirmativè.*

Joannes Baptista Gonet Ord. Prædic. tom. 5. *R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.* disput. 7. de Contritione artic. 2. num. 30. ità de contraria sententia pronuntiat: *Verùm post Tridentinum communiter rejicitur à Theologis, qui unanimi ferè consensu docent, attritionem ex metu gehennæ, non solùm esse actum bonum, & honestum, sed etiam ad Dei gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, disponere, eique sententiæ videtur apertè favere Concilium sess. 14. cap. 4.*

Joannes Gabriel Boyvin. Ordin. Minorum, in Theologia Quadripartita Scoti, Tract. de Sacramen. quæst. 3. *Ad remissionem peccati sufficit attritio cum Sacramento; undè homo attritus potest recipere fructuosè absolutionem à peccatis: sic Concilium Trident. sess. 14. c. 4.*

Joannes Martinez de Ripalda, Societatis Jesu, disput. 17. de Spe, totam sectionem decimam impendit, probans, contra Michaëlem Bajum, Conclusionem nostram, quam sub hoc titulo apponit: *Refutatur Bajana sententia, quia Attritio non elicita ex Charitate, sed ex metu gehennæ concepta, confert cum Sacramento gratiam.*

Josephus Maria Requesenius Societatis Jesu, in opusculis Theologicis, opusc. 2. de Attritione & Contritione, disp. 2. sect. 4. *An Attritio supernaturalis sufficiat ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ? Partem affirmativam amplector, ad cujus evidentem probationem, &c.* & infra sic concludit: *Hinc infero, attritionem supernaturalem non necessario indigere consortio amoris formalis, ut sit sufficiens ad causandam gratiam in Sacramento.*

L

Leander à Sanctissimo Sacramento, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis. Tomo in septem Ecclesiæ Sacramenta, par. 1. tract. 5. de Sacramento Pœnitentiæ disp. 7. quæst. 8. *An ad recipiendum effectum Sacramenti Pœnitentiæ, sufficiat habere Attritionem? Sed jam certissimè Respondeo sufficere, quia sic clarè colligitur ex Tridentino ::::::: & jam communis omnium, ut dicunt Bonacina, Ægydius, & Layman relati à Palao Tomo 4. tract. 23. puncto 3. num. 2.*

Lælius Zecchus, Tract. de Pœniten. cap. 7. *Attritio, accedente Sacramento, verè justificat.*

Leonardus Lessius Societatis Jesu, in Additionibus ad D. Thomam, quæst. 1. num. 13. de Attritione, vel ex metu gehennæ, vel ex turpitudine peccati concepta, ait: *Certum est, eam Attritionem sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ.*

Ludovicus Abelly Doctor Parisinus, & Episcopus Ruthenensis, in Medulla Theologiæ, ex Sacris Scripturis: Concil. PP. &c. par. 2. cap. 5. de Sacramento Pœnit. sect. 10. *Quid verò sufficiat Attritio quinto modo sumpta, id est quatenùs per auxilium gratiæ concipitur ex motivo aliquo bono supernaturali, quodcumque illud sit; evidens est, tùm ex verbis Concilii Tridentini, tùm ex rationibus.*

Ludovicus Granatensis Ord. Prædic. Tom. 2. Concionum de Tempore, Conc. 2. de Pœnitentia par. 2. puncto 3. *Sunt quidam, qui magis suppliciorum metu concutiuntur, quam Dei amore alliciantur: num igitur istos à spe salutis, & consequendæ veniæ excludemus? Nequaquam: horum enim solatio Tridentina Synodus providisse videtur, quæ sic ait: Illam verò Contritionem imperfectam &c. ex quibus virtus Sacramenti Confessionis apertè colligitur, quæ ex attrito contritum hominem facit.*

Ludovicus Molina Societatis Jesu, quæst. 14. artic. 13. disput. 45. de Attritione ex timore servili orta, §. *Quod si quis*: hæc habet: *Eo autem timore liberum arbitrium adjutum, & excitatum elicere potest dolorem supernaturalem de peccatis ex Dei timore, ac gehennæ; qui dolor est Attritio supernaturalis, cum Sacramento sufficiens ad gratiam justificationis comparandam.*

Ludovicus Bail Abbavillæus Doctor Theologus, ac Propœnitentiarius Parisiensis, in lib. cui titulus *de Triplici Examine Ordinandorum Confessariorum, & Pœnitentium* par. 3. pag. mihi 727. Ut omninò certam supponit sententiam docentem, sufficere Attritionem ex metu gehennæ conceptam ad causandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Sic enim ait: *Definitum est siquidem à Facultate Parisiensi in Comitiis ordinariis, quibus aderam, habitis die 3. Maji Anno 1638. in Aula Collegii Sorbonæ, contra Librum inscriptum: De la Sainte Virginitè: non necessariò requiri contritionem perfectam, ut quis particeps efficiatur Sacramenti;* & concludit, apponendo censuram supra à nobis adductam.

M

Martinus Becanus Societatis Jesu, Tom. 1. cap. 35. de Sacramentis in specie, quæst. 6. *Omnes fatentur, Contritionem non esse necessariam in Sacramen. Pœnitentiæ, quia ibi sufficit attritio.*

Martinus Bonacina, disputat. 5. de Sacramen. Pœnitentiæ, quæst. 3. sect. 5. puncto 3. *Tertia Propositio: Non quælibet Attritio sufficiens est ad gratiam, & ad fructum in Sacramento Pœnitentiæ suscipiendum, sed requiritur, & sufficit attritio supernaturalis, & efficax.*

Martinus de Esparza Societatis Jesu, Tom. 2. lib. 10. quæst. 89. artic. 8. ait: *Apparet itaque, quod præcipuè intentum est, per omnia, quæ hucusque præmissa sunt, non solùm repugnare Concilio Tridentino, sed etiam dissonare optimæ rationi Theologicæ necessitatem formalis dilectionis Dei, conceptæ immediatè ex motivo charitatis, & insufficientiam puræ attritionis honestè, ac laudabiliter conceptæ ex solo metu pœnarum, vel ex sola consideratione turpitudinis peccati, ad valorem, & effectum hujus Sacramenti.*

Matthæus de Moya Societatis Jesu, in quæstionibus Moralibus selectis, Tract. 3. de Sacramen. Pœniten. disp. 5. quæst. 1. *Supponimò ex communi Theologorum: Attritionem sufficere ad valorem Sacramenti, & distingui à Contritione per ordinem ad diversa motiva; contritio enim est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum. Attritio verò dolor de peccato propter ejus turpitudinem, vel ex metu gehennæ, & pœnarum, seu amissionis beatitudinis conceptus.* Qui in eadem disputat. plurimos pro hac sententia citat Authores. Nimirùm Cardin. de Lugo dicentem, *Oppositum esse Improbabile.* Joannem Martinez de Prado asserentem quod, *Oppositum non sit opinabile.* Vincentium Baronem asserentem, *Oppositum esse apud Theologos improbabile.* Verricelli, qui oppositum vocat, *falsum temerarium, & erroneum*: & tandem n. 7. ita concludit: *Hæc est communis Doctorum sententia, quam cum D. Thoma, Caprevlo, Durando, Antonino, & Sylvestro, tenent Suarez, Vazquez, & alii, quos citatos sequitur Leander.*

Mauritius Philippy, Ordin. Minorum, in directorio Conscientiæ, quæst. 3. de Pœnitent. Conclus. 2. *Attritio cum Sacramento Pœnitentiæ est proxima dispositio ad justificationem. D. Thomas 3. par. quæst. 80. artic. 4. ad 2. Patet ex Concilio Tridentino.*

Maurus Antonius Berardusius, S. Th. Doctor, in libro, cui titulus, *Summa Sacra &c.* edita Neapoli, Anno 1581. cap. 3. fol. 44. *Sæpe quandoque dolor est sufficientissimus: non tamen est propter Deum, idest, quia Deus non offendendus, ut requiritur ad veram contritionem: sed dolet de præteritis, etiam cum proposito abstinendi in futurum, vel ea peccata sunt contra bonum vitiuli, vel propter pœnas temporales, quas incurrit propter peccata, scilicet in Bonis, corpore, aut infama, vel propter pœnas Inferni, vel denique propter amissionem beatitudinis. Sic dolor per se non est sufficiens ad deletionem peccatorum; cum absolutione tamen sufficit, quia tunc accedente Absolutione, virtute Sacramenti pœnitens ex attrito fit contritus.*

Melchior Zambranus in decisione Causum Conscientiæ, cap. 6. de Pœniten. dub. 1. habet: *Dico tertiò: extra articulum mortis non est peccatum mortale absolvere pœnitentem cum sola attritione, etiam cognita, sufficiente propter metum gehennæ, vel amissionis gloriæ, vel gratiæ, hoc enim sonat in Trident. Sess. 14. de Pœniten. cap. 4. Turpitudo peccati, ideſt macula, quæ est privatio gratiæ.*

Maximilianus le Dent. Societatis Jesu, plurib. in Opusculis, & præsertim in Lib. cui titulus: *Ad Epistolam Familiarem, & in alio cui titulus: De Attritione ex metu gehennæ* nostram sententiam defendit, utramq; pro

pro ea citat Joannem Fischerum Episcopum Rossensem, Tilmannum Segerbergensem, Paulum Cortesium, Cunerum Petri, Thomam Stapletonum, Mecerum, Guidum de Monte Rocherii, & alios.

Melchior Canus Ordinis Prædicat. de Pœniten. par. 5. versiculo *Deindè etiam Attritio efficax*, nostram sententiam nervosè probat, & defendit, dicens, *Communis Ecclesiæ sensus id confirm.*

Michaël de Palacio, Tom. 2. in 4. dist. 17. disp. 1. *Attritio fruens Sacramento pœnitentiæ, sufficit homini justificando, juxta decretum Concil. Trident. sess. 14. cap. 4.*

N

NIcolaus Ysambertus Doctor Sorbonicus, Tom. 3. disp. 14. de Pœnit. artic. 4. & sequentibus, fusissimè, ac doctissimè ostendit, nostram sententiam ex Tridentino clarè deduci.

P

PAulus Layman Societatis Jesu, Tract. 6. de Pœniten. c. 1. num. 2. *Non est necessaria vera contritio homini suscipienti Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ, sed sufficit attritio etiam cognita.*

Paulus Mezger Ordinis S. Benedicti. Tom. 4. edito Dilingæ, Anno 1695. tract. 15. disput. 46. artic. 2. §. 1. *Attritio absque motivo dilectionis Dei est sufficiens dispositio ad conquirendam gratiam justificationis intra Sacramentum: ita Authores priùs citati, & censet Amicus hic disputat. 12. post Concilium Trident. non posse in dubium revocari.*

Paulus de Palacio, Enarratione in cap. 16. Matthæi: *Certissima sententia est, Petrum absolvere eum, qui vinculis peccatorum ligatus venit, modo dolorem quendam adducat, quem Theologi dicunt Attritionem, & super hac re jam opinari non licet: est enim definita à Concilio Tridentino, ubi habetur, eum, qui dolet de peccato, vel propter peccati turpitudinem, vel propter gehennæ metum, vel propter pœnarum timorem, quem Ninivitæ habuerunt; si voluntatem peccandi excludat, & à Sacerdote absolvatur, absolutum coram Deo esse.*

Paulus Segneri Societatis Jesu, in Lib. cui titulus: *Il Penitente istruito à ben confessarsi*, c. 6. *Del dolore richiesto nel Penitente*, ita habet: *Che se l' Anima in ritornare à Dio, si lascia guidare, non dall' amore, ma ò dalla speranza de' beni promessi à buoni, ò dal timore de' mali minacciati à i cattivi, ò veramente dalla bruttezza, che porta seco il peccato, e per questi motivi detesta le sue colpe; all' hora si dice avere Attritione, cioè una contritione imperfetta, e un dolore imperfetto de' suoi peccati; ma per motivo sopranaturale, la quale dispone l' Anima à ricever la gratia per mezo della Confessione, ma essa senza la Confessione non la conferisce.*

Paulus Rosmer Societatis Jesu, disput. de dolore Sacramentali, artic. 2. fol. 64. *Infero secundò: hoc Sacramentum conferre gratiam homini attrito immediatè, neque ideò justificare hominem, quatenùs disponit illum ad habendum novum actum contritionis, vi cujus justificetur: hoc clarè patet ex dictis.*

Petrus Arcudius, in Concordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis: *Porrò circa materiam hujus Sacramenti nulla prorsùs est difficultas; confitentur enim pœnitentes singillatim sua peccata, à quibus requiritur contritio, seu saltem attritio.*

Petrus Binsfeldius, par. 1. c. 9. §. 4. *Quæ est ista salutaris attritio, virtute cujus, accedente Sacramento, homo ex attrito sit contritus secundùm probatam Doctorum sententiam, & Concilii Tridentini? Sic describi potest ex dicto Concilio sess. 14. cap. 4. Est dolor minùs perfectus ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter conceptus.*

Petrus de Comitibus Ordinis Eremit. S. Augustini, in Cursu Theologico. Tract. de Pœnitentia, disp. 7. de Contritione, art. 3. *Attritio, hoc est dolor de peccatis, proveniens ex metu gehennæ, & amissionis gloriæ, non solùm est actus in se bonus, & laudabilis, sed etiam est ex se sufficiens ad valorem Sacramenti*, & artic. 4. ait: *Attritio, ut formaliter sufficiens Sacramento Pœnitentiæ, non necessario involvit dilectionem Dei.*

Petrus du Fay Ordinis Præd. de Pœniten. qu. 9. artic. 1. disp. 3. *Prima Conclusio: Ut Sacramentum Pœnitentiæ conferat gratiam, sufficit attritio perfecta, & cognita. Tertia Conclusio: Præter motivum Fidei, & Spei supernaturalis, requiritur, quòd Attritio sit supernaturalis objectivè; videlicet, quòd quis doleat propter pœnas Inferni, aut alias cognitas lumine supernaturali.*

Petrus à Sancto Joseph Congregationis Fulien. sis in summulis casuum c. 2. de secundo Ecclesiæ præcepto, art. 3. *Etsi peccator, cùm accedit ad Confessionem, debeat conari ad concipiendam veram contritionem peccatorum; valebit tamen illius Confessio, effectúmque obtinebit, si accedat cum vera Attritione supernaturali per fidem concepta ex metu gehennæ, vel ex amore cœlestis beatitudinis: ille enim est communis Ecclesiæ sensus, ut apertè sumitur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4.*

Petrus de Ledesma Ordinis Prædicat. Tract. de Sacramen. Pœnitentiæ, cap. 7. de hac nostra doctrina ait: *Hanc Conclusionem docent omnes Theologi moderni, & maximè Thomistæ: & sanè quod ad secundum Attritionis modum attinet, illud expressè definit Concilium Tridentinum, ubi supra.*

Petrus Marchant Ordinis S. Francisci, in Tribunali Sacramentali, Tract. 4. tit. 2. qu. 4. *Attritio est actus supernaturalis hominis pœnitentis, quo dolet, & detestatur peccatum contra legem Dei commissum; non ex motivo dilectionis Dei super omnia, sed ex alio supernaturali, & salutari, excludens omnem voluntatem peccandi,*

candi, cum spe veniæ, & proposito firmo de cætero non peccandi. Ex dictis patet, minùs benè expendere naturam Attritionis, qui eam à sufficienti medio cum Sacramento ad remissionem peccatorum excludunt: est enim medium sufficiens: & §. 3. *Attritio non ab amore, sed à turpitudine peccati, vel à timore, & metu pœnarum oritur propter Deum justũ judicem &c.*

R

Raymundus Capisucchus S. R. E. Cardinalis Ordinis Prædicat. apud Didacum de Oropega, c. 2. de Attritione, consultus à Sebastiano du Pasquier S. T. Doctore, ita respondit: *Ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam requiritur, & sufficit amor erga Deum, qui dicitur Concupiscentiæ, quo scilicet homo Deum, ut bonum ipsius hominis, amat.* En clarè sententiam nostram.

Raphael Aversa Clericus Minorum, de Pœnitentia, qu. 11. sect. 5. de Attritione, quæ habet pœnas Inferni pro motivo, ait: *Constans tamen esse debet, hunc modum attritionis, & doloris sufficere, stante, quòd Attritio sufficiat, ut dictum est.*

Richardus Arsdekin Societatis Jesu, Tom. 2. par. 2. Tract. 1. c. 3. qu. 21. de sententia nostra, ita loquitur: *Nam si tam pauci ante Tridentinum pro illa sententia suffragium tulerunt, & tamen post cognita Concilii decreta teste Alexandro VII. capit illa esse communior inter Theologos, quorum aliqui etiã Synodo interfuerunt; necessarium profectò est, illos, ex actis Concilii, omninò collegisse, pro Attritionis formidolosæ sufficientia in eo absolutè pronunciatum fuisse.*

Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis, Societatis Jesu, lib. 2. de Pœnitentia, c. 18. *Una quidem adhuc quæstio tractari potuisset: An videlicèt Attritio, sive imperfecta Contritio, quàm certum est, sine Sacramento non sufficere ad justificationem, sufficiat cum Sacramento, ita ut pœnitens ex attrito, virtute absolutionis, fiat contritus, & justificetur. Lutherus enim id aliquando negavit, ut perspicuum est ex ejus responsione ad Dialogum Sylvestri Prieratis, ubi de Conclusione sexta loquens: Error est, inquit, quòd attritus fiat contritus virtute Clavium: Discipuli ejus, qui contritionem in terroribus constituunt, & soli fidei, ex verbo absolutionis conceptæ, quæ terrores illos consequitur, justificationem adscribunt, nullo modo negare possunt, quin Attritio sola non sufficiat, & cum absolutione sufficiat, ut in Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. declaratum est.* Idem in additionibus ad c. 4. sess. 14. Concilii Tridentini, ita loquitur: *Illud certum videtur, Attritionem hanc, de qua in textu (nimirùm ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu conceptam) sufficere ad gratiam consequendam cum Sacramento Pœnitentiæ.*

Rodericus Arriaga, de Pœniten. disp. 11. sect. 7. subsect. 2. n. 41. *Si verò justificatio ea intra Sacramentum Pœnitentiæ contingat, sufficere, si post illum timorem, aut amorem beatitudinis & odium peccati, ob aliquod ex illis motivum confiteatur suum peccatum, & accipiat absolutionem, eo enim ipso sine ulteriori actu justificabitur.*

Ruardus Tapperus Doctor Lovaniensis, p. 113. col. 1. *Attritio verò ex timore pœnarum superadditarum naturalium idonea dispositio est ad Sacramentorum Baptismi, & Pœnitentiæ gratiam percipiendam, ut cùm quis detestatur omnia peccata mortalia, & propterea confitetur, ne pro peccatum excludatur à gloria, vel ne in supplicium ignis sempiterni conjiciatur.* Cui adjungi possent plures alii, & Antiquiores, & moderniores idem sentientes, ut Fisherus Roffensis, Joannes à Daventria, Tilmannus Segebergensis, Paulus Cortesius, Jacobus Latomus, Gabriel Biel, Petrus Guerrerus, Dominicus Soto, Ambrosius Catharinus, Lindanus, Cunerus Petri, Ludovicus Lopez, Scapletonus, Henricus de Cerf, S. Theologiæ Doctor in Universitate Duacena, & alii non pauci.

S

Seraphinus à Conceptione Ordinis Carmelit. Discalceat. de Pœniten. lib. 2. disp. 4. dub. 2. n. 251. *Secunda Conclusio: Ad effectum hujus Sacramenti consequendum, non requiritur formalis contritio perfecta, sed sufficit attritio: hanc Conclusionem puto certissimam, tenenque communiter docent Doctores.*

Sylvester de Prierias, Ordinis Prædicat. verbo *Confessio*, §. 21. *Sufficit, si quis velit habere displicentiam, & à Deo gratiam cavendi in posterum: quia talis est attritus virtualiter, id est displicentiam habens: cùm nulli placeat displicentia rei placitæ, & habet etiam voluntatem cavendi, licèt imperfectam: unde in confessione virtute clavium justificatur, ejusdem rei placitæ ponat, quia de attrito facimus contritum secundùm doctrinam Sanctorum; maximè S. Thomæ.*

Stephanus Fagundez Societatis Jesu, Tract. in secundum Ecclesiæ præceptum lib. 2. c. 5. n. 11. *Dicendum tamen est, in his duobus Sacramentis, Baptismo videlicet, & Pœnitentia, notam attritionem esse debitam dispositionem, ut peccatores per ejusmodi Sacramenta frustum gratia recipiant,* & postquam plures Authores citaverat, addit: *& patet ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4.*

T

S. Thomas de Aquino, Doctor Angelicus, in quartum dist. 6. qu. 1. artic. 3. quæstiun. 1. ad quintum, agens de Baptismo, de quo eadem est ratio, ac de Pœnitentia, sic habet: *Ad hoc, quod homo præparet se ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides; sed non charitas, quia sufficit Attritio practica.* Quod etiam de Pœnitentia tradit, ibid. dist. 17. qu. 3. art. 5. Quæstiun. 1. in Corp. & dist. 22. qu. 2. art. 1. & 3. Par. qu. 80. art. 4. ad 2. dum ait: *Baptismus, & Pœnitentia sunt sacra-*

Me-

Medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati. Quàm perſpicua ſit authoritas D. Thomæ, agnoſcunt Adverſarii, eaque de cauſa D. Ægidius de Witte, cùm ei objiceretur Doctoris Angelici authoritas, reſponſum paucis abſolvit, *ſe non jurare in verba S. Thomæ.* Exindè ferè omnes Diſcipuli S. Thomæ, & ferè omnes Scholæ hanc doctrinam ſequuntur. Quamobrem Marcus Serra, Ordinis Prædicat. in 3. par. S. Thomæ, quæſt. 69. art. 9. hæc habet: *Dicendum eſt ſecundò: ſufficère ad prædictum effectum, Attritionem ſupernaturalem, etiam cognitam. Docent hoc communiter Theologi aſſerentes, hanc Attritionem ſufficere ad Sacramenta mortuorum, & eorum effectum ſuſcipiendum.*

Theophylus Raynaudus, Societatis Jeſu, Tom. 2. Heteroc. Spir. puncto 8. num. 21. *Contraria ſententia, quæ agnoſcit, absque contritione perfecta ſingula peccata diſtinctè recogitata ex motivo charitatis deteſtante, imò cum ſola attritione cognita Sacramentum pœnitentiæ poſſe eſſe validum, certa eſt.* Quod etiam latè oſtendit, Tom. 18. Theol. Polemicæ à pag. 250.

Thomas Hurtado Ordinis Cleric. Minorum, Tom. 2. Reſolut. Moral. Tract. ultimò: Sufficientiam Attritionis ad cauſandam gratiam cum Sacramento latè defendit.

Thomas Comptonus, Societatis Jeſu, diſp. 87. de dolore ad hoc Sacramentum requiſito, ſect. 1. de Attritione ex metu gehennæ concepta, ait: *Hic actus non eſt dilectio Dei, ſed ex longè inferiori motivo conceptus; ergo ad Sacramentum pœnitentiæ, non requiritur actus, vel Contritionis, vel dilectionis Dei, ſed alius ſufficit ſubſtantialiter multò his inferior.*

Thomas Tamburinus, Societatis Jeſu, in Opuſculis, lib. 1. cap. de dolore, §. 1. *Dolor ad Sacramentum pœnitentiæ requiſitus, vel eſſe Contritio poteſt, vel Attritio etiam cognita.*

Thomas Zerola Epiſcopus Minoren. in Praxi Sacramenti Pœnitentiæ, cap. 6. de Attritione à nobis explicata, ait: *Cùm hac ergo accedens pœnitens ad ſuorum peccatorum integram Confeſſionem, ſit de Attrito Contritus virtute abſolutionis: iſta patent ex communi ſententia D. Thomæ, &c.*

Thyrſus Gonzalez de Santalla, Societatis Jeſu Generalis, Tom. 3. Selectarum Diſputat. 41. ſect. 3. num. 19. *Concilium nomine Contritionis non intelligere Contritionem illam perfectam, quæ dolet de peccatis propter Deum ſummè dilectum, & eſſentialiter diſtinguitur ab Attritione, pœnes motivum: ſed intelligere Contritionem quandam communem Contritioni perfectæ, & Attritioni, quæ intra Sacramentum ſufficit ad cauſandam gratiam, ad illamque ſufficienter diſponit.*

V

Vincentius Baronus Ordinis Prædicat. 1. par. Theologiæ Moralis, Diſputat. 2. ſect. 1. artic. 3. ait, oppoſitum, *poſt Tridentinum eſſe apud Theologos improbabile.*

Vincentius Filliucius Societatis Jeſu, tom. 1. quæſtio: Moral. tract. 7. de Confeſſ. cap. 6. *Quartò quæro, an Attritio cognita ſit ſufficiens medium ad effectum Confeſſionis? Reſpondeo Affirmativè ex Doctoribus citatis, & eſt practicè certa ex Suario diſput. 20. num. 20.*

Vincentius Candidus Ordinis Prædicat. Sacri Palatii Magiſter, in Compendio Diſquiſitionum Moralium, Diſquiſit. 31. de Dolore requiſito in Confeſſione Sacramentali artic. 3. *An ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ, & ejus effectum conſequendum ſufficiat Attritio? Reſpondeo ſic, quia licèt ex ſe ſola non ſufficiat, ſufficit cum Sacramento: ita Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. & D. Thomas 3. par. in Addit. quæſt. 1. art. 1. & 3. par. quæſt. 80. artic. 4. ad 2. & in 4. diſt. 27. quæſt. 3. artic. 1. quæſtiun. 1.*

Vincentius Juſtinianus Ordinis Prædicat. Anno 1575. in Academia Valentina, teſte Navarro, Sacræ Theologiæ Gymnaſtes egregius, reprehendit: *Navarrum, ut ipſe in ſumma fatetur, vel hoc nomine, quòd docuiſſet, non ſufficere in Sacramento Attritionem cognitam, contendente Juſtiniano ex decreto Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 4. eam ipſam ſufficere, quæ eſſet expers amoris, ut intelligitur ex Reſponſionibus Navarri.*

Z

Zacharias Paſqualigus, Clericus Regul. in Sacra Morali doctrina diſputat. 80. ſect. 6. *Secunda ſententia aſſerit, ſufficere veram attritionem* Ita D. Thomas, 3. Par. quæſt. 80. artic. 4. ad 2. Scotus in 4. diſtinct. 14. quæſt. 4. artic. 3. Capreolus, Artic. 3. ad 4. Durandus, & alii communiter: *Dicendum eſt, ad validitatem, & effectum hujus Sacramenti ſufficere veram Attritionem: ita determinatum eſt in Tridentino ſeſſ. 14. c. 4.*

SECTIO V.

Illationes doctrinæ noſtræ.

§. I.

Fit primò, ex dictis: Aſſertionem noſtram datam n. 430. poſſe privatis Authoribus eſſe certam certitudine Theologicâ privatâ, quamvis certa non ſit certitudine Theologica authentica. Ratio eſt: quia, ut eſſet certa certitudine authentica; requirebatur, quòd oppoſita non poſſet publicè, absque digna cenſuræ no- 447

tâ, defendi: in nostro autem casu, absque digna censuræ notâ, defendi potest opposita, in quem finem, ad extinguendas lites, & pacem fovendam, expedivit decretum Alexander VII. die 5. Maji 1667. in quo facta partibus potestate sentiendi, quod vellent; prohibuit, ne altera alteri ullam contumeliæ notam inureret, hanc ibi rationem assignans: *Enixè cupiens, pacis vinculum inter fideles servari, omnem scissuræ fomitem extingui* (idque præcipit) *donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid in hac re definitum.* Undè opinio requirens aliquam dilectionem Dei super omnia ad valorem Sacramenti non est authenticè falsa; adeóque neque opinio negans est authenticè vera, ex quo, absque ullâ censuræ nota, manet utrique parti potestas sentiendi, quod velit.

448. Verùntamen, ut doctrina nostra certa sit privatis Doctoribus certitudine privata theologica, satis est, quòd per privatum discursum ex infallibili Ecclesiæ doctrina, hanc colligant veritatem, clarè dissolvendo quæcumque in oppositum objici possent, simúlque probando, stare non posse verum sensum principiorum illorum infallibilium, quin Conclusio ex illis descendat. Quod majorem planè vim obtinebit, si talem esse demonstretur communem totius Ecclesiæ sensum. In re autem nostra, utrumque, ni fallor, mihi præstitum esse videtur. Indagavimus enim genuinum Tridentini sensum, ex quo Conclusionem nostram intulimus: expendimus omnia argumenta, quæ hùc usque ab adversariis tanto labore, & ingenio conquisita sunt. Sanctorum Patrum, & præcipuè D. Thomæ doctrinam pro nobis stare, demonstratum esse, non ambigo: nec dubito, nostrum esse communem totius Ecclesiæ sensum, ut ex tota sectione superiori satis constat.

Quin potiùs, etsi authenticè loquamur, dubitare minimè possumus, sententiam nostram inter omnes probabiles probabilissimam esse: idque satis in suo decreto insinuavit Alexander VII. dum eam ad praxim deduci in Ecclesia permisit: non enim permisisset, cum periculo frustrationis Sacramenti, sciens sententiam nostram esse apud Doctores, eo tempore, communem: ait enim, *quæ hodiè inter Scholasticos communior videtur.* Suadet hoc ipsum Concilii Tridentini doctrina hùc usque exposita, & Ecclesiæ praxis allata: sed certum est, posse nos uti opinione practicè probabili inter omnes probabiles probabilissima, ut constat ex Alexandro VIII. inter triginta unam propositiones, damnante tertiam, quæ sic habebat: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam:* ergo certum est, posse nos practicè sententiam nostram licitè sequi. Rursùs quòd nequaquam aliter, nisi recurrendo ad solutionem nostram, adversarii possint impunè defendere, sufficere amorem Dei super omnia, sive attritionem cum eo amore conjunctam, ut Sacramentum pœnitentiæ validè conficiatur, ex eo patet, quia plures Doctores negant id sufficere. Lodulphus enim, Raymundus, & Sylvester citati num. 99. requirunt ad valorem Sacramenti actum, qui procedat ex motivo omnium virtutum, cum nullum agnoscant actum proprium Pœnitentiæ, qui ex tali motivo non procedat. Canus autem; Richardus, & alii citati num. 102. requirunt ad verum actum pœnitentiæ, quando opportunitas adest, tot detestationes, quot sunt peccata commissa.

Cajetanus verò, & alii citati num. 105. hoc omninò exigunt ex præcepto ad Sacramentalem Confessionem. Tannerus citatus, n. 312. exigit ad actum verum pœnitentiæ, atque adeò sufficientem ad pœnitentiæ Sacramentum, dolorem procedentem, non quidem ex sola charitate, aut alia quavis virtute, nisi ex speciali præ aliis virtute morali pœnitentiæ. Alii citati num. 81. de Pœnitentiæ Sacramento defendunt, satis non esse dolorem subsequentem confessionem, quantumvis ex perfecta charitate eliciatur, sed necessariò requiri dolorem præcedentem, à quo confessio sit dolorosa. Modò sic Adversarii docentes, sufficere Contritionem perfectam ex motivo divinæ Bonitatis elicitam, non possunt certò procedere certitudine authentica, cùm contrariæ sententiæ ab Auctoribus Catholicis defendantur, nec ab Ecclesia Catholica, hùc usque damnatæ sint: ergo solùm possunt certò procedere certitudine privata, vel certitudine ex communi Ecclesiæ praxi desumpta, prout expositum est à nobis. Sin autem; quæso ab ipsis, quânam alia via securè possint incedere?

Qua de causa quamvis aliqua principia ab Adversariis assumpta defendi amplius non possint post Alexandrum VIII. ex n. 345. ex quo sententiæ nostræ robustiores vires accrescunt; nihilominùs ob reverentiam Sedi Apostolicæ debitam, nulla censurâ hùc usque dignam oppositam sententiam arbitramur, quamvis nostram certam esse non dubitemus: sed totum judicium nostrum, infallibili Sedis Apostolicæ decisioni libenter submittimus. Quo in sensu Censeo cum Cardenas supra propositiones ab Innocentio XI. damnatas dissertat. 2. num. 64. ubi

Hæc habet: *Respondeo: non obstante ea opinione Lovaniensium, nostram doctrinam esse certam, & omnino tutam propter suprà dicta. Quod autem Pontifex jusserit, neutram quæstionis partem censurari, aut injuriâ affici, non probat, illam esse probabilem, quia solùm intendit Pontifex compescere dissidia, quæ violant charitatem, & pacem, ut constat ex illis verbis decreti: enixè cupiens pacis vinculum inter fideles servari &c. Ex quo minimè infertur, nostram doctrinam esse incertam, sed solùm voluisse Pontificem consulere paci fideliũ, & relinquere hanc materiam sub judice. Cum hoc tamen stat, quòd privati Doctores habeant principia certa ab intrinseco:* Hùc usque Cardenas, qui n. 61. benè notaverat, decretum Innocentii XI. prohibentis, in administratione Sacramentorum usum opinionis probabilis, minùs tutioris, solùm tendere contra opiniones meras probabiles; secùs autem contra certas, sive certitudine privata, sive certitudine authentica: eramus

etenim opiniones merè probabiles, quantumvis illæ, quæ veræ ſunt, quia res ita ſe habet, ut ab ipſis dicitur, adeóque ſint objectivè tutæ; nihilominùs non ſunt formaliter tutæ, ſive quoad nos: quo in caſu tenemur tutiorem eligere, nimirùm & objectivè, & formaliter tutam quoad nos.

451. Aliâ incedit viâ quidam Recentior in opuſculo cui titulus Timor pœnitens, ut oſtendat, nequaquam pugnare privatam certitudinem cum decreto Alexandri VII. nam in illo decreto nulla habetur mentio de dilectione Dei ſuper omnia, tanquâ neceſſaria ad Sacramentum, ſed de aliqua dilectione Dei, quam aliqui Theologi, Tridentini ſenſum exponentes, & cum ipſius definitionibus ab ipſo traditis comparantes, neceſſariam autumant cum attritione; ſive dilectio illa ſpectet ad charitatem; ſive ad ſpem pertineat. Hæc autem ſententia, licèt inter Theologos non ſit communior, neque ab hoc Recentiore defendatur; apparet tamen verior, ſi doctrina tradita ſeſſ. 6. cum ea, quæ traditur ſeſſ. 14. rectè comparetur, & expendatur: cùm autem hæc opinio nequaquam ſit cenſurâ digna, quia probabilis eſt, ait ille recentior (etſi addere debuiſſet, quia abſolutè veriſimilior, & probabilior apparet, ex num. 330.) ea de cauſa decretum Alexandri VII. nequaquam favet adverſariis, dilectionem Dei ſuper omnia cum Sacramento exigentibus. Quòd autem iſte ſit verus decreti ſenſus, patet ex ipſius Decreti verbis. Quid enim ibi prohibet Pontifex cenſurare? En verba. Alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei, in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodiè inter Scholaſticos communior videtur; ſive aſſerentem. Ad hoc autem, ut ſit aliqualis Dei dilectio ſufficit, quòd talis ſit, vel in re, vel in voto, quam admittunt omnes, qui generalem attritionem cum Sacramento requirunt. Rurſùs, ut ſit formalis, ſufficit, quòd talis ſit, vel ex charitate, vel ex ſpe, quam admittimus, cum pluribus Recentioribus, ex n. 330. adeóque huic ſententiæ favet Pontifex; ſecùs autem exigenti dilectionem Dei ſuper omnia, de qua decretum non loquitur.

Quidquid tamen de hoc ſit, certum eſt, non
452. licere cenſurâ inurere ſententiam oppoſitam ex decreto Innocentii XI. publicato 3. Martii 1679. ubi poſt damnatas 65. propoſitiones concludit per hæc verba: *Tandem ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque in poſterum ſe abſtineant; & ut paci, & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, eis præcipit, ut tam in Libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus, diſputationibus, ac prædicationibus; caveant ab omni cenſura, & nota, necnon à quibuscumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos, hinc inde, controvertuntur; donec à Sancta Sede recognitæ, ſuper eiſdem propoſitionibus judicium proferatur.* Quapropter nihil detrahere intendimus ſententiæ oppoſitæ, neque illam, ut authenticè falſam rejicimus; ſed ut nobis licet, intendimus certitudinem privatam noſtræ ſententiæ per privatum diſcurſum inferri.

§. II.

FIt ſecundò: attritionem ex peccati turpitudine conceptam ſufficere ad valorem Sacramenti, eadem certitudine, ac ſufficiat attritio concepta ex metu gehennæ, & pœnarum; cùm utrumque eodem modo conſtet ex Tridentino citato num. 430. Fit tertiò: attritionem conceptam ex metu pœnæ temporalis, ut ab hominibus infligendæ, ſufficientem non eſſe. Ratio eſt: quia timor pœnæ, ut ab hominibus infligendæ, licèt ſatis ſit ad fugienda peccata externa, eſt inſufficiens ad fugienda interna, ex n. 398. adeóque non excludit voluntatem peccandi: ſed attritio ſufficiens cùm Sacramento excludit voluntatem peccandi, ut conſtat ex Tridentino ſæpè citato: ergo &c. Quapropter in contraria opinione non invenio fundata adhuc ſpeculativam probabilitatem, ſicuti neque in illa, quam cum Soto, Cano, Durando, Capreolo, pluribuſque aliis, defendebat Thomas Hurtado tom. 2. variarum Reſolut. tract. ult. à n. 504. quæ docebat, ſufficere attritionem naturalem. Ratio eſt: quia Innocentius XI. non ſolùm damnavit uſum, verùm etiam opinionem dicentem, *probabile eſſe, ſufficere attritionem naturalem*, ex numero 381. ergo talis opinio, non ſolùm practicè, verùm neque ſpeculativè eſt probabilis. 453.

Fit quartò: opinionem docentem, attritionem conceptam ex metu pœnarum temporalium, ut à Deo infligendarum, ſufficere ad Juſtificationem cum Sacramento pœnitentiæ, eſſe verè ſpeculativè probabilem, non autem practicè. Ratio eſt, quia ut aliqua ſententia ſit practicè probabilis in confectione Sacramentorum, adeò certa eſſe debet, ut non exponat Sacramentum fruſtrationi, juxta dicta à num. 302. de Sacramentis; ſed iſta opinio non nititur principio infallibiliter certo, ſed ſolùm probabili, neque ut certa, ſed ut probabilis à ſuis Authoribus reputatur: docent quidem plures Doctores, eam non ſufficere, neque ex timore pœnæ temporalis concipi dolorem ſupernaturalem: ergo talis opinio non eſt practicè probabilis. Cæterùm cùm alii graviſſimi Doctores probabiliſſimè doceant, eam poſſe eſſe ſupernaturalem propter rationes inſinuatas à numero 420. idque valdè probabiliter colligatur ex Tridentino inſinuante, motivum gehennæ contradiſtinctum eſſe à motivo pœnarum; cùm ibi in exemplum adducat pœnitentiam Ninivitarum, quæ concepta fuit ex metu ſuæ Urbis excidii, quod Deus comminatus fuerat; quod exemplum ſolùm afferri poteſt in ordine ad attritionem, de qua ibi agit Concilium, ſecùs in ordine ad contritionem, ad quam poſteà progreſſi ſunt: nam iſta juſtificavit extra Sacramentum, non verò cum Sacramento, 454.

quod posteà institutum fuit ad faciendum de attrito, habitualiter contritum, quæ quidem attritio excludit omnem voluntatem peccandi, licèt non sit concepta ex metu pœnarum æternarum damni. & sensus, sed ex metu pœnarum temporalium, ut à Deo infligendarum, ex num. 398. adeóque sententia docens, sufficere hujusmodi attritionem, est verè speculativè probabilis, & ut talem eam defendunt Exim. Doctor disputat. 5. de pœnitentia sect. 2. Lessius, Granado, Reginaldus, Lugo, Leander, & alii quamplures, quos sequitur P. Matthæus de Moya disp. 9. quæst. 4. n. 5.

455. Quapropter hujusmodi opinio, sicut & aliæ verè speculativè probabiles, pluribus in casibus deservire possunt, juxta plures Doctores, ad praxim; non quidem, ut aliquis scienter accedat ad Sacramentum, defendendo, licitum esse, cum ea, ut tali cognita, accedere: tunc enim peccaret, cùm scienter exponeret frustrationi Sacramentum: deserviet tamen ad hoc, quòd si bona fide inculpabiliter confessus est cum ea sola attritione, non teneatur postea iterùm declarare peccata, nec repetere eam confessionem: quia quando est verè probabile, fecisse bonam Confessionem, non tenetur eam repetere: Quod maximè notare debent Confessarii, ne obligent ad repetendas confessiones, quas pœnitens repetere non tenetur. Ex quo Cardenas disserr. 2. c. 6. à n. 74. docet, non teneri ad repetendam confessionem illum, qui bonâ fide confessus est sola venialia, sine explicito, & cum solo implicito supernaturali dolore incluso in voluntate confitendi ea peccata, licèt ita confiteri cum sola probabilitate cognita illius doloris, sit peccatum mortale; sicuti in aliis pluribus casibus, quos illi afferunt: undè sententia dicens, licitum esse facere adverrenter confessionem venialium, absque aliquo dolore explicito, incurreret damnationem comprehensam in prima ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. ac proindè non est practicè probabilis: sententia verò docens, non esse obligationem repetendi eas confessiones inculpabiliter factas, damnationem illam non incurrit, quia est verè speculativè probabilis. Verùm de his agemus latiùs in tractatu de Sacramento, & ex professo in tractatu de Conscientia.

456. Fit quintò, cum Exim. Doctore, Vazquez, & aliis, quos citat, & sequitur Lugo disp. 14. num. 70. contra Durandum, Sylvestrum, Navarrum, & alios, quos citat Exim. Doctor disp. 20. sect. 4. n. 3. & Quintanaduennas tom. 2. singularium, tract. 3. singulari 26. non sufficere ad valorem Sacramenti attritionem existimatam, quæ verè attritio non sit. Ratio est, quia nullum Compositum existere potest, absque suis partibus essentialibus: sed una ex partibus Sacramenti pœnitentiæ, est vera saltem Attritio, sive animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, ex Tridentino sess. 14. cap. 4. ergo &c. Confirmatur: quando dicit Concilium, contritionem Charitate perfectam justificare extra Sacramentum, non potest intelligi de contritione existimata; neque quando dicit, per Absolutionem remitti peccata, intelligi potest de absolutione existimata: ergo quando dicit, attritionem disponere ad Justificationem cum Sacramento, non potest intelligi de attritione existimata; aliter liceret viro Theologo impunè discurrere, eadem libertate dici potest, sufficere ad Baptismum aquam existimatam, & ad consecrationem Panem triticeum existimatum, vinumque existimatum de vite, quod absurdissimum est.

Fit sextò, contra Authores secundæ sententiæ citatæ num. 430. sufficere ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ attritionem cognitam, ut talem, quin opus sit necessitate Sacramenti, ut existimetur contritio. Ratio est, quia ad valorem, & fructum Sacramenti Pœnitentiæ sufficit dispositio à Christo instituta, & requisita ad valorem, & effectum Sacramenti; atqui dispositio à Christo instituta, & requisita, est, non solùm Contritio, sed etiam Attritio, ut satis constat ex dictis: ergo &c. Confirmatur ex Exim. Doctore disput. 20. sect. 1. à num. 20. Existimatio illa, quâ quis judicaret, se habere Contritionem, quando re vera non habet nisi attritionem, non potest esse necessaria, ut det sufficientiam, & efficaciam attritioni: cum enim sit existimatio falsa, nullam dare potest sufficientiam, aut virtutem attritioni, quam ita vel ex se, vel ex Christi institutione non habeat, solúmque posset deservire ad vitandum peccatum, si esset præceptum accedendi cum Contritione. Deindè nullibi constat de tali præcepto accedendi cum Contritione, neque in Scriptura, neque in Conciliis, neque in Sanctis Patribus, neque in Ecclesiæ traditione; imò potiùs oppositum constat ex dictis cum Tridentino; ergo ex nullo capite est necessarium, quòd attritio existimetur Contritio, adeóque Attritio, ut talis existimata (extra casum moribundi, de quo à n. 459.) sufficiens est ad valorem, & fructum Sacramenti, & sententia id docens est practicè certa, ut ait Exim. Doctor, ubi supra, ideóque contrariam post Tridentinum improbabilem appellavit, numero 13.

Ratio autem doctrinæ nostræ est, quia existimatio illa falsa non est necessaria ad dandum valorem attritioni, ut constat ex numero superiori. Rursùs, ut ibi diximus, necessaria non est ratione præcepti; imò potiùs, licèt esset probabile, extare præceptum de illa elicienda; id non obstaret certitudini practicæ nostræ doctrinæ: nam cùm illud præceptum non tendat ad valorem, sed ad licitum usum, quomodocumque homo excusetur à transgressione præcepti, apponendo attritionem cognitâ, ut talem, apponit actum requisitum ad valorem: à transgressione autem præcepti excusatur per principia sententiæ nostræ, quæ est valdè probabilior oppositâ, utpotè fundata, in eo quòd Sancta Sanctè tractanda sunt. Ex quo malè infertur, debere peccatorem prudenter existimare, se habere Contritionem, quando

quando accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, ut excusetur à Præcepti transgressione; ad hoc enim ut Sancta Sanctè tractentur, satis est, ut tractentur sanctè, vel præsuppositivè, vel concomitanter, juxta Sacramenti naturam; adeóque ut homo licitè accedat ad Sacramenta vivorum, debet prudenter judicare, se esse in gratia præsuppositivè: ut autem accedat ad Sacramenta mortuorum, satis est, quòd prudenter judicet, se apponere quidquid debet, ut concomitanter maneat in gratia virtute Sacramenti, quod suscipit. Quapropter Corduba præcipuus sententiæ adversæ patronus lib. 1. quæst. Theologicarum quæst. 2. benè notavit, quacumque ratione homo excusetur ab actuali peccato, sive per ignorantiam facti, ut quia putat se esse contritum, vel per ignorantiam Juris, ut quia invincibiliter credit, se licitè accedere cum sola attritione, consequi effectum Sacramenti: ergo in nostra sententia, cum attritione, ut tali, certissimè consequetur homo effectum Sacramenti. Exindè

§. III.

459. Fit septimò: (quod notandum est quàm maximè) esse duo toto Cœlo diversa in susceptione, vel confectione Sacramentorum, requiri aliquid necessitate solâ præcepti, vel necessitate Sacramenti. Ratio est, quia quando aliquid requiritur sola necessitate præcepti, quomodocumque inculpabiliter omittatur, non impedit fructum, & valorem Sacramenti; si verò requiratur necessitate Sacramenti, impeditur valor, & fructus Sacramenti, quantumvis inculpabiliter omittatur: v. g. ad conficiendum Sacramentum Evchariſtiæ, requiritur necessitate Sacramenti panis triticeus; ad conficiendum hoc Sacramentum non requiritur necessitate Sacramenti, sed necesitate præcepti, quòd homo jejunus accedat. Exindè si aliquis non jejunus invincibiliter oblitus, & judicans, se jejunum esse, accederet ad conficiendam Evchariſtiam; & conficeret Sacramentum validum; & illud recipiendo, reciperet fructum Sacramenti. Si verò invincibiliter judicaret, se consecrare hostiam triticeam, quando non habet, nisi hordeaceam, neque Sacramentum validum conficeret, neque quando susciperet illam hostiam, reciperet fructum Sacramenti. Quod suo modo dicendum est de dispositionibus requisitis, vel necessitate medii, vel sola necessitate præcepti. Ex quo facilè decidemus difficilem illam quæstionem de contritione requisita ad veram confessionem moribundi, quam plurimi minùs rectè decidunt judicantes, moribundum non conficere veram confessionem, absque contritione perfecta; citantes, tanquam præcipuum hujus sententiæ Patronum, Exim. Doctorem, quem inter alios citat Caramuel in Theologia fundamentali, à num. 524. & Diana 3. parte, tractatu 4. resolut. 78. immeritò tamen, quia Exim. Doctor nunquam exigit contritionem necessitate Sacramenti, sed necessitate præcepti, quod ad amorem Dei super omnia præsertim obligat in articulo mortis.

Neque agnoscit Exim. Doctor, ut probabilem sententiam contrariam, ut constat, ex num. 449. licèt ut probabiliorem agnoscat eam, quæ ex præcepto contritionem requirit ad confessionem in articulo mortis, quæ erat, apud antiquos, sententia communis, & contraria eo tempore, nec valdè antiqua, nec multùm communis erat, ut ait disputat. 15. sect. 4. num. 17. adeóque tunc facilè generans morale dubium: cùm autem ille, qui cum morali dubio de sua obligatione, nollet præceptum implere, peccaret; exindè validam confessionem non efficeret. Si verò ab actuali peccato excusaretur in omissione contritionis, vel per sententiam verè probabilem, vel per ignorantiam juris, aut facti, salvaretur moribundus, ut habet ibi num. 20. rationem reddens per hæc verba: *Quia tunc necessitas talis actus non est necessitas medii in re ipsa omninò requisiti, sed præcepti, à cujus transgressione tunc excusabitur propter aliquam ex dictis circumstantiis.* Si autem hæc notâssent Lovanienses, non allegarent pro se Exim. Doctorem. Quòd autem Exim. Doctor ibi solùm exigat contritionem ex præcepto, & in moribundo; secùs autem ex necessitate Sacramenti, patet evidenter: quia quando agit infra de attritione requisita ex necessitate Sacramenti, eodem tomo disputat. 20. sect. 1. num. 10. Sententiam requirentem solam attritionem vocat, adeò certam, ut non possit eo tempore, absquo errore negari: ergo, quando supra de præcepto dixit, sententiam negantem requiri contritionem, non esse eo tempore valdè communem, non loquebatur de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti in moribundo propter ingentes rationes, quas attingemus, agentes de præcepto pœnitentiæ, & numero sequenti aliquid insinuabimus. Videatur Cardenas 2. part. Crisis Theologicæ disputat. 49. num. 7. Exim. Doctorem defendens contra eos, qui sensum illius traducere volunt ad sententiam oppositam. Exindè 468.

Fit octavò: moribundum accedentem ad confessionem cum sola attritione cognita, ut tali, habere actum pœnitentiæ sufficientem ad valorem Sacramenti. Ex præcepto tamen Charitatis teneri ad dilectionem perfectam, adeóque si hanc culpabiliter elicere nolit, quando contingit, neque eliciturum tunc attritionem, neque validè susceperum Pœnitentiæ Sacramentum; benè verò, si eam tunc, ut contingere potest, omittat inculpabiliter. Ratio est, quia ex necessitate Sacramenti, solùm tenetur homo ad actus à Christo institutos ad valorem, & fructum Sacramenti, sed ad hoc instituta est attritio cum Sacramento, neque requiritur perfecta contritio, ut satis constat ex dictis: ergo moribundus ex necessitate Sacramenti non tenetur ad perfectam contritionem, sed sat est, quòd cum Sacramento eliciat attritionem. 461

Rursùs certum est, teneri nos ex præcepto charitatis, sæpè Deum super omnia diligere: etenim Innocent. XI. inter 75. illas propositiones damnavit quintam, quæ sic habebat: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei, semel tantùm in vita, eliceret, condemnare non audemus.* Sextam. *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum:* & septimam. *Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possimus.* Ex quibus omnibus patet, frequenter in via teneri nos elicere actum dilectionis Dei super omnia.

462. Si autem in aliquo tempore vitæ tenemur, maximè in articulo mortis, cùm hoc sit tempus opportunissimum ad actum charitatis eliciendum; & præsertim pro eo tempore obliget præceptum charitatis erga nos, ad securitatem nostræ salutis procurandam, ob rationes insinuatas, num. 303. ut docent Theologi in tractatu de Charitate: ergo si instet obligatio gravis eliciendi actum charitatis pro tempore, quo moribundus confitetur, vel quia antèa non elicuit, vel quia prudentissimè timet, ne statim post susceptam absolutionem moriatur, aut rapiatur extra sensus, vel incidat in amentiam, aut propter aliam quamcumque similem rationem, & culpabiliter perfectam Dei dilectionem omittat, peccabit; ac proindè cùm non possint, simul cum actuali peccato, stare vera attritio, neque vera confessio; ille moribundus non susciperet validum pœnitentiæ Sacramentum. Si autem moribundus ante plures dies elicuisset contritionem perfectam, ad satisfaciendum huic præcepto in illo articulo, & posteà confiteretur cum sola Attritione; tunc inculpabiliter omitteret contritionem, & reciperet validum Sacramentum, nec teneretur ad contritionem repetendam, quando prudentissimè judicat, se illam elicuisse. Secunda enim contritio non est medium securius, quàm prima, nec obligant præcepta, nisi ad illorum prudentem adimpletionem: aliter peccarent illi, qui non essent in continuò contritionis exercitio: quod quàm absurdum sit, nemo est, qui non videat.

463. Fit nonò: neque ad fructum, neque ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, sufficere solum dolorem ex motivo particulari de solis lethalibus, quæ menti occurrunt post diligens examen; quando propositum est etiam particulare, sed requiri saltem, vel dolorem ex motivo universali, qui est virtuale propositum sufficiens ad valorem, & fructum Sacramenti, ex dictis à num. 223. vel simul cum illo particulari dolore, propositum universale, quod tunc, eò quòd dolorosè procedat, sit dolor virtualiter de omnibus lethalibus commissis, ex dictis n. 230. ita ut non extet valor Sacramenti absque dolore, vel formali, vel saltem virtuali de omnibus commissis. Ita cum pluribus Doctoribus Esparza qu. 89. dicens, hanc esse communem sententiam. Ratio est, quia actus pœnitentiæ à Tridentino requisitus ad valorem Sacramenti, debet esse animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero; adeóque positum illud non solùm tendit contra peccata non commissa, de quibus homo non dolet, sed etiam contra peccata commissa, de quibus homo dolet: etiam ut sit propositum universale, se debet extendere non solùm, ad non committenda ea, quæ homo, nondum commisit; verùm etiam ad non committenda ea, quæ jam commisit, de quibus dolet, ex quo propositum ad Sacramentum requisitum, dolorosè procedit; cum autem non possit dolorosè procedere, ex motivo universali, quin sit virtualiter dolor, de omnibus commissis, etiam de oblitis, quæ memoriæ non occurrunt; exinde propositum dolorosè procedens, est virtualis dolor de omnibus aliis peccatis: Sicuti dolor formalis, de omnibus peccatis commissis, quæ memoriæ occurrunt, & virtualis dolor de illis, quæ non occurrunt, atqui si dolor, simul & propositum conciperentur, ex motivo particulari non daretur virtualis dolor de omnibus commissis, adeóque neque id quod exigit Tridentinum, ad valorem Sacramenti: ergo &c.

Confirmatur primò, Tridentinum sess. 14. cap. 4. de Contritione præscindente à perfecta, & imperfecta, quæ est pars Sacramenti pœnitentiæ, hæc habet: *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non solam cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris, etiam odium continere, juxta illud propheticè à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum:* ergo non solùm ad fructum, verum neque ad valorem hujus Sacramenti sufficit, solum odium, & detestatio peccatorum, quæ menti occurrunt, sed etiam omnium commissorum, quæ menti non occurrunt, cùm etiam ita peccata sint iniquitates nostræ, in quibus prævaricati sumus, adeóque si dolor sit particularis non se extendens, ad ea peccata detestanda, necessarium erit propositum virtuale dolorosè procedens, quo pœnitens ea peccata detestetur, ut detur actus pœnitentiæ sufficiens, juxta doctrinam Tridentini, ad valorem Sacramenti.

Confirmatur secundò, juxta adversarios, & omnes Theologos, ad fructum Sacramenti pœnitentiæ, sive ad effectum remissionis peccatorum non sufficit dolor, de solis expositis in confessione, sed requiritur etiam dolor, virtualis de oblitis: atqui idem dolor, qui requiritur ad effectum remissionis in Sacramento pœnitentiæ, requiritur etiam ad valorem tanquam Sacramenti pars, ex Christi Domini institutione: ergo &c. Probatur Min. ex Tridentino sess. 14. cap. 3. de actibus pœnitentis dicente: *Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenámque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur:* atqui requisiti, ut

partes

partes eâ ratione, quâ requiruntur ad peccatorum remissionem, est requiri ad effectum remissionis eâ ratione, quâ requiruntur ad valorem, cùm repugnet Sacramenti valor sine suis partibus: ergo &c. Confirmatur tertiò. Quotiescumque confessarius faciendo ex se, quod facere debet, impertitur Absolutionem, pœnitens per se loquendo recipit gratiam, nisi velit ipse eâ fraudari, & Spiritui Sancto resistere: atqui si posset per se pœnitens apponere actus sufficientes ad valorem, & non sufficientes ad remissionem peccatorum, contingeret quandoque in casu appositio, quòd pœnitens non reciperet gratiam, quin se ipsum vellet eâ fraudare, aut Spiritui Sancto resistere: ergo &c. consequentia tenet, & Min. est Adversariorum: Maj. verò constat, ex testimoniis Tridentini adductis, ex quibus, Cathechismus Rom. titulo de Sacramentis, hæc habet: *Hi quidem Ministri quoniam in sacra illa functione non suam, sed Christi personam gerunt, hinc fit, ut sive boni, sive mali sint, modo & formâ, & materiâ utantur, quam ex Christi institutione semper Ecclesia Catholica servavit, idque facere proponant, quod Ecclesia in ea administratione facit, verè Sacramenta conficiant, & conferant, ita ut gratiæ fructum, nulla res impedire possit, nisi qui ea suscipiunt, se ipsos tanto bono fraudare, & Spiritui Sancto velint obsistere*: ergo &c.

466. Confirmatur quartò: ex Tridentino sess. 14. cap. 5. dicente: *Constat enim, nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut postquàm quisque diligentius se excusserit, & conscientia suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem confessione inclusa esse intelliguntur*: atqui non possunt intelligi inclusa in ipsa confessione, nisi per dolorem virtualem de illis: ergo, sive ratione propositi universalis, dolorosè procedentis, sive ratione doloris ex motivo universali concepti, requiritur dolor virtualis se extendens ad peccata oblita, ut detur valor Sacramenti. Probatur Min. examen conscientiæ, & manifestatio, specifica & numerica omnium peccatorum requiruntur, ex divino præcepto, adeóque homo illud transgrediens nequit elicere veram attritionem, cùm ista incompossibilis sit cum actuali peccato: Si autem homo inculpabiliter omittat diligens illud examen, & specialem singulorum peccatorum manifestationem, ut contingere sæpè solet in moribundo, qui non habet tempus ad examen conficiendum, sed ad manifestandum se peccâsse, & eliciendum contritionem generalem, sive perfectam, sive imperfectam, tunc quidem omnia sua peccata in illa confessione comprehenduntur; non autem ratione diligentis examinis, cùm illud non potuerit conficere; non ratione confessionis verbalis, cùm jam loqui non possit, nec numerum peccatorum definire, sed ratione contritionis generalis ad omnia peccata se extendentis, manifestatæ per signa, quibus petit absolutionem: ergo &c. Confirmatur quintò, qui confitetur peccata expressè, sine expresso dolore peccat, & non facit validum Sacramentum: ergo, qui ea confitetur virtualiter sine virtuali dolore, peccat, & non facit validum Sacramentum. Exinde

§. IV.

FIt decimò: propositum universale elicitum ab eo, qui expressè dolet de peccatis, quæ memoriæ occurrunt, esse dolorem virtualem de oblitis. Ratio est, quia quando aliquis proponit, non iterùm facere ea, de quibus dolet, tale propositum, utpotè dolorosè procedens, est dolor expressus de his, quæ memoriæ occurrunt, ex num. 218. atqui dolor expressus de peccatis, quæ memoriæ occurrunt, si attingat illa, ex motivo universali, se extendente ad omnia peccata commissa, quæ memoriæ non occurrunt, est etiam dolor virtualis de oblitis. ergo &c. Min. patet, quia hoc intelligunt Theologi nomine doloris virtualis: sic enim peccatorem, qui tria peccata commisit, & post diligentissimum conscientiæ examen, solùm recordatur duorum, quæ confitetur, si ex generali motivo, se extendente ad omnia peccata, eliciat dolorem formalem de illis duobus, ex vi talis actus fatentur omnes habere virtualem dolorem de peccato oblito: ergo, idem dicendum est, de proposito dolorosè procedenti, ex motivo universali. Ex quo clariùs apparet, quare Tridentinum, non solùm exigat, ad valorem Sacramenti, juxta Christi institutionem dolorem utcumque, sed pœnitentiam, quæ sit dolor de peccatis commissis, cum proposito, nunquam peccandi de cætero: sine qua, sive per unum, sive per duos actus constituatur, ex num. 18. non datur Sacramentum Pœnitentiæ validum. Quando autem duo actus concurrunt, etsi physicè duo sint, constituunt tamen eundem pœnitentiæ actum adæquatè sumptum in consideratione Theologica, ut dicemus agentes de Sacramento, & constat, satis ex dictis. 467.

Fit undecimò. Propositum formale ex universali motivo dolorosè procedens, perindè se habere, quàm dolorem formalem ex motivo universali procedentem. Unde cùm ille dolor sufficiens sit, ad reviviscentiam Baptismi validi, & informis, ita & hujusmodi propositum sufficiens erit. Quinimò ille dolor virtualis, etsi philosophicè solùm dicatur virtuale propositum; in consideratione Theologica acceptus vocari potest formale propositum. Ratio est, quia nomine propositi intelligitur à Tridentino actus excludens omnem voluntatem peccandi, ut constat, ex num. 223. sed talis dolor, ut ex ibi dictis, constat, excludit omnem voluntatem peccandi: ergo &c. Quapropter Authores requirentes ad valorem, ex necessitate Sacramenti formale propositum intelligendi sunt, de proposito Theologicè sumpto, 468.

secùs philosophicè accepto. Undè Soto, qua in quartũ dixerat esse perniciosum errorem docere, non requiri necessitate Sacramenti formale propositum, se posteà explicans lect. 17. de Pœnitentia, ait illud intelligi, quando dolor non est universalis: nam quando est universalis, est etiam sufficiens propositum. Quod etiã fecit Adrianus in quartum quæst. 1. de pœnitentia exponens, quod dixerat Quodlibeto 5. artic. 3. Pariter etiam se explicavit Medina codice de Pœnitentia tract. 1. quæst. 3. cum id satis non declarâsset, codice de Confessione, quæstione de Confessione ficta iteranda. Videatur Exim. Doctor disp. 4. de pœnitentia sect. 3. num. 2.

469. Quo in sensu intelligendus est etiam Bellarmin. lib. 2. de pœnitentia cap. 6. Requirit enim formale propositum Theologicè sumptum, prout excludit omnem voluntatem peccandi, sive prout contradistinguitur à dolore particulari. Dolor quidem particularis, licèt inseparabilis sit à proposito non committendi ea peccata, non tamen est inseparabilis, à proposito non committendi alia: adeóque non secum affert debitum propositum, quod Concilia exigunt. Quando ergo dolor, est particularis, debet addi universale propositum; aliter frustrà exegissent Concilia propositum non peccandi de cætero, si sufficeret propositum particulare inclusum in eo particulari dolore, & ab eo inseparabile. Quod autem ista, sit mens Bellarmini apparet, ex ejus fundamentali ratione, quæ ita se habet: *Nam cùm propositum implicitum à peccati detestatione nullo modo separari possit; sine causa Concilia addidissent illa verba, cum proposito non peccandi de cætero.* Evidens enim est propositum non peccandi de cætero separabile esse à detestatione particulari peccati, adeóque quando docet non sufficere, illud propositum virtuale, clarè loquitur de proposito incluso in particulari detestatione, quod sanè insufficiens est, ut contra aliquos Recentiores, diximus à n. 152. Hæc autem est ratio, quare Bellarminus in Tridentino, adeò versatus non objicit contra se Textum Tridentini dicentis, sufficere attritionem, si voluntatem peccandi excludat; nam talis attritio, jam dicitur propositum formale Theologicè sumptum, contra quod ipse non pugnat. Quinimò, si inadvertentia non adsit, statim oritur ex illa attritione formale propositum, ut diximus, num. 224. quod etiam notat ipse Bellarminus cap. 7. ad tertiam object. dicens: *Dico igitur non posse fieri, ut verus sit animi dolor de peccatis admissis, quin continuò oriatur etiam propositum vitandi peccata futura.* Quòd si authores in genuino sensu explicentur, vix aut ne vix quidem invenies, qui sententiam nostram tanquam veram non supponat. Exindè facilis est via ad opposita argumenta dissolvenda. Pro quo sit.

***

SECTIO VI.

Solvuntur Opposita.

§. I.

OBjicies primò. Supernaturalis attritio ex metu gehennæ concepta non est materia certa Sacramenti pœnitentiæ: atqui post damnatam ab Innocentio XI. primam illam propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore*, tenemur apponere materiam certam: ergo licitum non est accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ, cum sola attritione. Confirmatur præoccupando nostram ex Conciliis solutionem: Concilia Oecumenica, quæ à Spiritu Sancto diriguntur, statuere nihil possunt, quod Dei Verbo scripto, aut tradito adversetur: atqui necessitatem Divini amoris super omnia, ad veram pœnitentiam, & multa Scripturæ loca, & traditio ipsa confirmat: ergo &c. Probatur Min. ea quæ à Christo, & Apostolis accepta unanimi ad nos consensu Patres, ac Theologi transmiserunt, dicuntur habita, traditione: atqui homini in veterum Scriptorum lectione versato, liquidò constabit, Patres, ac Theologos, ferè omnes, qui à primis Ecclesiæ temporibus medium sæculum 16. floruerunt apertissimè docuisse, nemini, absque Dei dilectione super omnia, peccata in Sacramento pœnitentiæ condonari: ergo &c. Probatur Min. adducendo longum catalogum Sanctorum Patrum, ac Theologorum, qui visi sunt huic sententiæ favere, ut demonstrat Joan. Lavnojus supra 40. testimonia numerans, quorum plura dissolvimus à num. 202. Altera præcipua hæc sunt.

Ex primò, quidem sæculo Ignatius Martyr hæc habet: *Omnibus pœnitentibus remittit Deus, si pœniteant in unitatem Dei.* Ex secundò sæculo Justinus Philosophus, ac Martyr: *Qui diligit Dominum Deum, ex toto corde, & proximum sicut se ipsum, is demùm verè justus fuerit*, tum Irenæus: *Justis autem, & aquis, & in dilectione perseverantibus; quibusdam quidem ab initio, quibusdam ex pœnitentia vitam donans.* Ex tertio sæculo Clemens Presbyter Alexandrinus: *Absque charitate nihil gratum est Deo*: tum & Tertullianus: *Pœniteat errorum, repertâ veritate, pœniteat amâsse, quæ Deus non amat.* Demùm Origenes ad illa Christi Verba: *Mandatum novum dò vobis*: ita habet: *Peccatori autem, & charitatis fœdera non servanti etiam Evangelica veterascunt.* Ex tertio, ad quartum sæculum Hilarius in Evangelium Matth. *Quia Charitas plurimum peccatorum tegit, novissimum pœnæ quadrantem solvemus, nisi pretio ipsius aliquantorum criminum culpa redimatur.* Tum etiam Ambrosius ser. 46. sic de pœnitentia Petri disserens: *Qui enim Dominum tertio negaverat, tertio confitetur, & quoties culpam delin-*

linquendo contraxerat, toties gratiam diligendo conquirit: atqui in istis, aliisque similibus testimoniis, clarè docemur, non haberi pœnitentiam sufficientem ad Justificationem, absque dilectione Dei super omnia: ergo attritio ex metu gehennæ, absque dilectione Dei super omnia, insufficiens est ad justificationem, cum Sacramento Pœnitentiæ.

472. Respondeo distinguo Maj. Non est materia certa, certitudine authenticâ, concedo: certitudine privatâ, nego Maj. & dist. Min. nego Cons. Ratio est, quia pro sufficientia attritionis habemus privatam certitudinem, quæ satis est, ad suscipiendum validè, & licitè Sacramentum, ex num. 447. Cæterùm quamvis, quæ ibi dicta sunt, satis superque sint ad clarè, & solidè dissolvendum argumentum, operæ pretium erit, breviter ostendere ipsos adversarios teneri, velint, nolint solutionem nostram approbare, ipsósque potiùs contra se, quàm contra nos, sua ipsorum arma, ut se vulnerent, retorquere. Etiam tutius est, ad valorem Sacramenti elicere intensam dilectionem Dei super omnia, quàm dilectionem, minùs intensam. Quærimus modò, an ad Sacramentum pœnitentiæ adhibenda sit contritio charitate perfecta ea scilicet, quæ seorsim à Sacramento hominem potest cum Deo reconciliare? an sufficiens sit tenuis illa dilectio Dei super omnia? Respondent: sufficere istam tenuem, & neutiquam requiri aliam. Modò sic: Sententia requirens illam aliam contritionem perfectam tutior est, tum etiam charitas perfecta certior est pœnitentiæ materia, quàm tenue illud charitatis initium. Undè igitur Adversariis certò constat, charitatem tenuem, inchoatam, remissam sufficere, esséque certam, ac idonem materiam Sacramenti? id enim nullo Tridentini, aut alterius Concilii decreto authenticè sancitur, neque ab ipsis Adversariis, clarè & evidenter explicari potest, quæ sit natura hujusmodi charitatis inchoatæ, quæ habeat vim in Sacramento obtinendi veniam peccatorum, non tamen extra Sacramentum, imò latè probavimus, à n. 350. nullam talem extare dilectionem, in præsentique Providentia esse chimæram. Undè ergo constat ipsis, certò extare? Undè certò cum Sacramento sufficere? non quidem authenticè, cùm talis certitudo extare nequeat cum decreto Alexandri Septimi citato, num. 447. adeóque ad summum [quod ipsi nunquam probabunt] constare ipsis potest certitudine privata: dum autem dicant, hanc privatam certitudinem sufficientem illis esse, ad non exponendum frustrationi Sacramentum, jam ipsorum arma contra ipsos retorta esse, nemo est, qui non videat. Hæc insinuâsse sufficiat, quæ quisque facilè potest, si velit ex dictis, longè latèque amplificare. Vide n. 448.

473. Ad Confirmationem, Concedo Maj. & nego Min. Ad probat. concedo Maj. & nego Min. Ad probat. concedo Maj. quæ continet testimonia Sanctorum Patrum, & dist. Min. non haberi pœnitentiam sufficientem, ad justificationem, absque dilectione Dei super omnia, si sit pœnitentia, solùm quam agimus, concedo, quam suscipimus, nego Min. & Conseq. Ratio est, quia ut constat, ex Tridentino sæpè citato sess. 14. c. 4. duplex est pœnitentia, sufficiens ad Justificationem; alia quidem quam agimus, & hæc est contritio charitate perfecta sufficiens ad Justificationem, antequam Pœnitentiæ Sacramentum suscipiamus: altera verò quam suscipimus, nimirùm Pœnitentiæ Sacramentum, hæc autem ita includit, ut partem pœnitentiam, quam agimus, ut sine pœnitentia, quam suscipimus, non satis sit, ad justificationem ex necessitate Sacramenti, ut ibidem habet ipsum Concilium. Et de qua loquitur Augustinus tom. 10. homil. 41. probans hominem debere abstinere à peccatis, rationem istam assignans: *Quia si ad ultimum vitæ steterit, nescit, si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo & Sacerdoti peccata sua confiteri poterit.* Quando verò Sancti PP. exigunt amorem Dei super omnia, ad Justificationem per pœnitentiam, loquuntur de pœnitentia, quam agimus, ut & loquitur ipsum Tridentinum, & advertimus, num. 254. Quando autem dicunt, utilem esse pœnitentiam habitam per timorem ex metu pœnarum, uti habetur, à num. 371. loquuntur de utilitate ad Justificationem, cum Sacramento, sive cum pœnitentia, quam suscipimus; sicuti & loquitur ipsum Concilium: Nulla quippè melior, aptior, & dignior Sanctorum Patrum expositio excogitari potest, quàm quæ verum Oecumenici Concilii sensum secum admittit, Pontificiisque definitionibus aptè conformatur: neque enim quærendus est sensus, quo definitiones Ecclesiæ conformentur Testimoniis PP. quasi Ecclesiæ sensui prævalentibus, sed è converso. Quapropter Alexander VIII. inter supradictas propositiones damnavit tertiam, quæ sic habebat: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam?*

Cæterùm quod mirandum est, inter tot, & tanta testimonia, adeò laboriosè ab adversariis conquisita, nullum reperiri testimonium, quod speciem difficultatis contra distinctionem nostram, à Tridentino traditam præseferat. Quorsùm verò tendat tam improbus labor, planè non capio, quamvis sciam præclarum esse industriæ specimen, quo exigua opuscula, dum tor, & tanta coagulantur Patrum testimonia, magno laboris impendio in molem ingentem excrescant. 474. Sic conquestus est Augustinus contrà Julianum Pelagianum tom. 7. lib. 3. cap. 10. *Per Scripturarum testimonia conaris ostendere, & laboras inaniter, non ut respondere nobis, sed ut libros possis implere.* At quis nescit libros æstimandos non esse molis pondere, sed pondere rationis. Planè si eandem eruditionis pompam amaremus, facilè nobis esset recensere majorem numerum PP. & Theologorum, qui salutarem pœnarum timorem impensè commendant, hominés-

quo

que in scelus omne ruentes hac Inferorum imagine, velut injecto fræno coërcent. Verùm quid ad rem præsentem juvaret tantus utrorumque conatus? neque enim agitur de præstantia, & utilitate, seu Dei dilectionis, seu timoris; sed solùm quæritur, quid juvent hujusmodi actus ad Sacramentum pœnitentiæ; an scilicet perfecta Dei dilectio ita necessaria sit, ut eà deficiente, etiamsi maximè adsit pœnarum metus, Sacramentum frustrationi exponatur. Hoc autem non modò non probant, sed nec attingunt quidem Patrum loca tanto apparatu, tantoque studio conquisita. Quod ut omnibus perspicuum fiat, expendamus breviter sua speciosiora testimonia, num. 471. ab adversariis adducta.

475. Etenim Ignatius Martyr citatus pro primo sæculo, neque de pœnitentibus in Sacramento sine Charitate, neque de dilectione Dei super omnia, sine Sacramento ullam facit mentionem, sed de pœnitentia in unitatem Dei, quæ unitas habetur per gratiam. Si ergo hæc gratia acquiratur per attritionem cum Sacramento, jam acquiritur illa unitas. Quomodò ergo ex ea unitate probatur, necessitas dilectionis Dei super omnia, cum Sacramento? Planè parvuli baptizati verè filii Dei sunt, illámque habent unitionem cum Deo ratione gratiæ sanctificantis; sicuti & justi dormientes: ergo Deum super omnia diligunt? En absurdam consequentiam, ex ipso adversariorum ratiocinio deductam. Ut quid ergo citant pro se Ignatium Martyrem? Nec minùs incongruè citant pro se Justinum, & Irenæum, ex secundo sæculo: Illa enim testimonia si ad Sacramentum pœnitentiæ transferantur, ex iis conficeretur, Justinum non modò Dei dilectionem, sed etiam charitatem erga proximum requisiisse ad Sacramentum; quod & ipsi adversarii dicere non audebunt, nec ulli hactenùs venit in mentem. Pariter fieret, Irenæum dilectionem actualem, & habitualem exegisse, hoc est, perpetuam in gratia permansionem, quam perseverantiam vocant; quod quidem naturam everteret Sacramenti Pœnitentiæ, utpotè divinitus per se instituti, non ad eorum salutem, qui in gratia perseverant, sed eorum, qui in peccatum lethale prolapsi, à Sanctitate, & gratia exciderunt. Ut quid ergo pompa hæc testimoniorum extra rem, quam agimus?

476. In tertio autem sæculo Clemens loquitur de opere elicito ab homine, quo fit gratus amicabiliter Deo; secùs de opere, quod Deo infra amicitiam placeat, aut simul cum Sacramento susceptо deserviat, ad amicitiam obtinendam: dicere enim, nullum opus placere Deo nisi sit ex motivo charitatis, damnatum jam est ab Alexandro VIII. in decima propositione adducta, num. 344. Quod autem Tertullianus, & Origenes commendent pœnitentiam, & reprehendant peccatorem divinæ amicitiæ fœdera disrumpentem, quomodo adducitur ad casum nostrum; quandoquidem de Sacramento Pœnitentiæ, sive de pœnitentia, quam suscipimus, mirum est utrobique silentium? At quid mirum, quòd hæc afferantur, si ex tertio ad quartum sæculum affertur Hilarius loquens ibi de charitate fraterna, ut manifestè probant Patres Apostoli verba (1. Petr. 4.) ad quæ Sapientissimus hic Pater alludit: *Ante omnia autem mutuam in vobis metipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Tandem Ambrosius non loquitur de confessione Sacramentali, sed de confessione fidei conjuncta, cum dilectione perfecta, 475
quâ Petrus amissam gratiam obtinuit, & auxit. Sed quid exindè deducitur ad probandam necessitatem dilectionis Dei super omnia, ut obtineatur gratia simul cum Sacramento Pœnitentiæ? Ex his unusquisque videre potest, quam debilia sint testimonia contra nos conquisita.

Objicies secundò: Alexander VII. citatus n. 447. permisit, ut defenderetur sententia exigens dilectionem Dei super omnia, simul cum Sacramento Pœnitentiæ: ergo nostra sententia negant ejus dilectionis necessitatem non est certa, adhuc certitudine privata, ac proindè, neque in praxi tuta. Resp. Antecedens dubium esse, ut constat, ex num. 451. eo tamen permisso, nego Consequentiam, quia permissio facta ab Alexandro VII. eò tendebat, ut nullus censurâ inureret alterutram sententiam, relevando sibi controversiæ decisionem authenticam, & diligentius examen. Propositiones autem, quæ ita relinquuntur, nullam accipiunt à Sancta Sede approbationem, sed relinquuntur in ea, quam habent, vel non habent, intrinseca probabilitate. Quod ut omnibus clarius constaret, Alexander VIII. post damnatas 31. propositiones in suo decreto, hæc addidit: *Non intendit tamen Sanctitas Sua, per hoc decretum alias propositiones in majori numero ultra supradictas 31. jam exhibitas, & in hoc decreto non expressas approbare.* Quapropter unicuique licet sententiam suam, absque injuria alterius, promovere.

§. II.

OBjicies tertiò: præcipuè contra illationes. Ex D. Thom. quæst. 9. supplem. artic. 1. ut habetur in quartum dist. 17. qu. 3. art. 4. quæstiunc. 1. ubi ait: *Confessio potest esse, etiam in eo, qui non est contritus, quia potest peccata sua confiteri Sacerdoti, & clavibus Ecclesiæ se subjicere, & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipit: & sic etiam in aliis Sacramentis. Unde monetur iterare confessionem, qui fictus accedit: tenetur post modum fictionem suam confiteri:* ergo Sacramentum pœnitentiæ potest ejs vego Sacramentum pœnitentiæ potest ejs vego Sacramentum pœnitentiæ potest ejs vego

defendunt communiter Thomiſtæ, Sacramentum Pœnitentiæ, validum & informe, pluresque ex illis, quos impugnavimus in illationibus, docebant, non requiri neceſſitate Sacramenti ſupernaturalem dolorem, ſed ſufficere diſplicentiam, ſive dolorem naturalem, aut nullum, cum ex S. Thoma maneat, ſine contritione ſacramentum validè conſtitutum. Cæterùm hæc parùm urgent, quia D. Thom. ſententiam illam retractavit. Quapropter.

479. Reſp. cum Vazquez quæſt. 92. artic. 2. n. 13. nego Conſeq. quia D. Thom. infra in eodem tomo diſtin. 23. quæſt. 1. num. 4. in corp. ſententiam illam retractavit, docens contritionem eſſe de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ. Quin imò mirari ſatis non poſſum Thomiſtas ſic arguentes, quandóque iidem Sacramento ſe obſtringunt, ad defendendam quàm judicant D. Thom. doctrinam. Conſtans autem apud ipſos doctrina D. Thom. eſt, quæ habetur in partibus ſummæ Theologicæ, quàm confecit poſt expoſitos Libros ſententiarum, adeòque tenentur, hanc defendere rejectâ contrariâ, quandocumque in Libris ſententiarum reperiatur. In ſumma autem Theologica 3. par. qu. 85. art. 3. in corp. expreſsè docet, actum pœnitentiæ Theologicæ elici ex motivo univerſali, ſive eſſe dolorem de peccato commiſſo, in quantum eſt offenſa Dei, ut conſtat ex num. 76. Rurſùs ibi quæſt. 90. artic. 2. in corp. docet, actum pœnitentiæ eſſe partem eſſentialem Sacramenti, per hæc verba: *Dicendum quod duplex eſt pars, ut dicitur in quinto metaphyſicæ, ſcilicet pars eſſentiæ, & pars quantitatis. Partes eſſentiæ ſunt, naturaliter, quidem forma, & materia, Logicè autem eſt genus, & differentia. Hoc autem modo quodlibet Sacramentum diſtinguitur, in materiam, & formam, ſicut in partes eſſentiæ: Undè, & ſupra dictum eſt, quòd Sacramenta conſiſtunt in rebus, & verbis: Sed quia quantitas ſe tenet ex parte materiæ, partes quantitatis ſunt partes materiæ, & hoc modo Sacramento pœnitentiæ ſpecialiter aſſignantur partes (ut dictum eſt) quantum ad actus pœnitentis, qui ſunt materia hujus Sacramenti.* Supra quæ verba optimè notat Cajetanus non excludi ab eſſentia Sacramenti contritionem internam, quæ, utpotè materia, eſt pars eſſentialis Sacramenti, ut ait D. Thom. ſed opera externa, quæ in ſatisfactionem intenduntur; & dicuntur partes quantitatis virtuteque clavium ſpecialem hauriunt valorem, quòd à Concionatoribus ſæpè repetendum, & prædicandum eſt, inquit, ibi Cajetanus. Ex quo D. Thom. noſtram ſententiam expreſsè tenet, & retractat, quæ in quartum dixerat; Sicuti etiam eadem 3. par. qu. 70. artic. 4. in corpore, ait ſe ibi retractare ſententiam contrariam; quæ priùs ipſi placuerat.

480. Objicies quartò: Juxta traditam numero ſuperiori D. Thomæ requiritur ad valorem ſacramenti pœnitentiæ contritio perfecta ex charitate: ergo inſufficiens eſt ſola attritio. Probatur Anteced. dolor peccati debet proportionari cum accuſatione peccati, ut eâdem tendat viâ pœnitentia oris, & cordis: ſed accuſatio, utpotè de offenſa Dei, procedit ex charitate: ergo dolor, qui etiam ex D. Thom. eſt de offenſa Dei procedet ex charitate. Confirmatur: peccator in hoc ſacramento fit de attrito contritus, ſed non fit contritus, niſi per contritionem: ergo requiritur contritio. Reſp. nego Anteced. Ad prob. omitto Maj. & diſt. Min. procedit ex charitate ſi ſit de offenſa Dei, ut Deo mala, Concedo; ut mala pœnitenti, nego Min. & Conſeq. quia liberum eſt peccatori elicere verum actum pœnitentiæ ad ſacramentum ſuſcipiendum ſive contritionis, ſive attritionis, adeòque liberum illi eſt, dolere de offenſa Dei prout Deo mala, quod pertinet ad charitatem, vel prout mala pœnitenti, quod pertinet ad virtutem diſtinctam à charitate ex num. 128. & 135. Ad conf. diſt. Maj. fit de attrito contritus actualiter nego: habitualiter conced. Maj. & diſt. Min. nego Conſeq. Cujus falſitas clarè conſtat ex num. 256.

481. Objicies quinto: præſertim contra neceſſitatem doloris ſuperni, & doctrinam noſtrarum illationum. Voluntas ſuſcipiendi ſacramentum pœnitentiæ, utpotè peccatorum deſtructiva, eſt in peccatore voluntas deſtruendi peccata: ſed voluntas deſtruendi peccata ſufficiens eſt ad valorem ſacramenti pœnitentiæ: ergo voluntas ſuſcipiendi ſacramentum pœnitentiæ abſque ullo alio dolore ſufficiens eſt ad valorem ſacramenti. Confirmatur primò: Per dolorem naturalem tollitur obex, ſive peccatoriæ adhæſio ad peccata præcedentia: atqui ſacramenta ex Trident. ſeſſ. 7. Can. 6. conferunt gratiam non ponentibus objicem: ergo dolor naturalis ſufficiens eſt ad valorem, & fructum ſacramenti pœnitentiæ. Confirmatur ſecundò: dolor eſt pars ſacramenti pœnitentiæ quatenus redditur ſenſibilis per confeſſionem vocalem, aut alia ſigna externa pœnitentis: ſed confeſſio vocalis aliaque ſigna externa non magis ſignificant dolorem naturalem quam ſupernaturalem: ergo non minùs ſufficit dolor naturalis, quàm ſupernaturalis. Confirmatur tertiò: Ad valorem baptiſmi nullus ex parte pœnitentis requiritur actus ſupernaturalis, adeòque & poteſt eſſe validus, & informis: ergo neque ad valorem ſacramenti pœnitentiæ requiritur ex parte pœnitentis ullus actus ſupernaturalis.

482. Reſp. omitto Maj. & diſt. Min. Voluntas deſtruendi peccata ſufficiens eſt, qualis eſt à Chriſto inſtituta, concedo: Voluntas qualis à Chriſto inſtituta non eſt, nego Min. & Conſeq. Nam voluntas à Chriſto inſtituta eſt ſupernaturalis ex num. 375. & 381. adeòque debet eſſe honeſta, & quæ ad ſui elicientiam exigat prævenientem inſpirationem Spiritus Sancti, ejusque adjutorium, firmitatemque ex parte motivi, quod longè abeſt à voluntate naturali ex nulli-

num. 418. Quin imo voluntas naturalis suscipiendi pœnitentiam potest esse peccaminosa, ut patet in voluntate, qua peccator vult hodiè peccare, & crastina die confiteri, peccataque destruere: cum autem talis voluntas destruendi peccatum sufficiens non sit ad valorem sacramenti pœnitentiæ, ut & adversarii ipsi negare non possunt, exinde apparet manifestè non sufficere ad valorem sacramenti pœnitentiæ quamcumque voluntatem destruendi peccatum, sed requiri voluntatem, qualem Christus instituit.

483. Ad primam Confirmationem dist. Maj. tollitur obex adhæsionis actualis ad peccata præterita, conc. tollitur obex adhæsionis habitualis nego Maj. & dist. Min. nego Conseq. nam absque pœnitentia salutari, sive supernaturali nullum peccatum personale remittitur peccatori adulto in hac providentia, ut constat ex Tridentino cit. num. 377. Ad secundam confirm. dist. Maj. dolor à Christo institutus Conc. non institutus nego Maj. & dist. Min. non magis significat in circumstantiis, in quibus Sacerdos prudenter absolvit nego; seclusis illis circumstantiis permitto Min. & nego Conseq. quia in illis circumstantiis, tenetur peccator elicere actum pœnitentiæ supernaturalem, & confessarius discurrens ex notis ad ignota prudenter judicat illum facere, quod debet ad talem actum eliciendum. Cùm autem Deus facienti, quod est ex se, non deneget gratiam, prudenter discurrit habere gratiam, quâ eliciat talem actum supernaturalem. Si autem judicaret pœnitentem non esse ita paratum, deberet illum instruere, nec posset licitè aliter absolutionem impendere.

484. Ad tertiam Confirm. conc. Anteced. & nego Conseq. quia actus pœnitentiæ non est pars constitutiva sacramenti baptismi, adeòque potest dari totum essentiale constitutivum baptismi absque supernaturali actu pœnitentiæ; validum, & informe: voluntas enim suscipiendi sacramentum (quæ voluntas est purus terminus, sine quo baptismus in adulto non esset validus ex tractatu de sacramentis à num. 102.) solùm requiritur, ut susceptio sit ipsi voluntaria, ad quem finem satis est voluntas naturalis, etsi ex alio capite peccaminosa: tunc enim daretur baptismus validus, & non conferret gratiam peccatori adulto ex defectu pœnitentiæ salutaris, quàm elicitâ salutari pœnitentiâ, posteà conferret, & baptismus reviviscceret, ut constat à n. 215. de baptismo. At verò actus pœnitentiæ salutaris est pars sacramenti pœnitentiæ, ex numero 463. adeòque eo actu deficiente nequit dari sacramentum validum, repugnat enim totum constitutum deficiente parte constitutiva. Quin imò actus pœnitentiæ salutaris est dispositio ad gratiam ex num. 381. adeòque intrinsecè superna, secùs autem confessio vocalis, aut materiæ aliorum sacramentorum; quæ non sunt dispositio, sed res institutæ constituentes totum impetratorium cum Christi institutione, ut constat à num. 193. de sacramentis adeòque entitativè possunt esse naturales.

§. III.

OBjicis sextò: Dolor requisitus ad confessionem venialium non debet excludere omnem voluntatem peccandi venialiter: ergo dolor requisitus ad confessionem mortalium non debet excludere voluntatem peccandi mortaliter: ac proinde non erit necessarius neque ex formalitate propositi dolor universalis. Retorqueo argumentum. Venialia non sunt materia necessaria confessionis: ergo neque mortalia. Resp. deindè negando Conseq. quod ad valorem sacramenti pœnitentiæ requiritur contritio sive perfecta, sive imperfecta; sine qua nullum mortale in hoc sacramento remitti potest. Insuper cum nullum peccatum remitti possit sine dolore, & ad valorem hujus sacramenti requiratur ex Tridentino citato num. 465. de Virt. idem dolor ad valorem, qui requiritur ad fructum remissionis; exindè planè fit, contritionem ad hoc sacramentum requisitam debere esse universale de omnibus mortalibus: cumque non possit dari hoc sacramentum quin dentur per se partes à Christo Domino requisitæ, semper debet dari voluntas excludens omnis mortalis, ut detur valor sacramenti, quod ex Christi institutione semper est per se mortalium remissivum: nec adhuc per accidens potest illi deficere talis virtus, etsi possint per accidens non apponi mortalia non remissa, sed potiùs sola jam remissa, aut sola venialia. Unde qui sine hujusmodi voluntate accederet ad hoc sacramentum, faceret illud irritum, & peccaret, adeòque sive confessio sit de mortalibus jam remissis, sive de solis venialibus, semper debet elici hic actus pœnitentiæ universalis, nempe dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero ex Trid. sess. 14. cap. 4.

Cæterùm cum unum veniale remitti possit sine alio, qui confitetur sola venialia non tenetur supra illum actum à nobis expositum elicere alium actum doloris, & propositi universalis circa omnia venialia, sed satis est, ut habeat circa aliquod: sine dolore quippè, & pœnitentia peccati, nequit in hoc sacramento peccatum remitti, ut constans est graviorum Theologorum sententia cum Augustino cap. *Nemo* num. 43. de pœniten. distinctione prima, dicente: *Neminem ab errore ad veritatem, vel à peccatumque, seu magno, seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentiâ posse transire*; supponitque qui sola venialia confiteretur, sine ullo dolore peccaret mortaliter, eo quod frustraretur sacramentum; si autem haberet dolorem de omni cum voluntate exclusiva omnis mortalis, ille dolor jam esset propositum vitandi illud veniale, & cum haberet voluntatem simul excludevam omnis mortalis jam apponeret materiam sufficientem sacramenti, adeòque & valorem,

& sine

& fructum ſacramenti reciperet: haberet quidem dolorem de peccato commiſſo, & propoſitum illud non committendi cum voluntate non peccandi mortaliter de cætero: quod ſatis eſt pro pœnitentia à Chriſto inſtituta in materiam hujus ſacramenti. Quin imo illud propoſitum univerſale, utpotè dolorosè procedens ſatis eſſet ad finem per ſe intentum ab hoc ſacramento ex numero 463. ille verò efficax dolor de venialibus, cùm ſit etiam propoſitum ſaltem non committendi illud peccatum, jam eſſet pœnitentia ſufficiens ad remiſſionem venialis, cùm ſit materia libera, poſſitque unum veniale abſque alio remitti.

487. Non deſunt tamen aliqui Authores, qui affirment eſſe mortale, accedere ad ſacramentum pœnitentiæ ſine attritione omnium venialium, ſaltem quæ clavibus ſubjiciuntur. Verùm de hoc, omnibúsque pertinentibus ad remiſſionem venialium, agemus ſuo loco. Inſinuabo modò ea ſolùm, quæ ex ratione fundamentali Authorum iſtius ſententiæ poſſunt cum tractatu de ſacramento aliqualem habere connexionem. Reſponſio igitur eorum Authorum eſt, quia qui non dolet de omnibus venialibus à ſe confeſſis, proponet pro materia ſacramenti aliquod, quod non poteſt eſſe materia. Undè ſicut graviter peccaret ille, qui hoſtiam papyraceam proponeret cum triticeis ad conſecrandum; ſic ille, qui proponit in confeſſione aliqua venialia, de quibus non dolet, peccat mortaliter. Verùm hæc ſententia, ait Gonettus diſputatione 7. articulo 4. num. 77. videtur nimis rigida, adeòque improbabilis. Planè in hoc authore majorem claritatem deſiderarem, ſimúlque omninò neceſſariam diſtinctionem pro praxi inter requiſita neceſſitate præcepti, vel neceſſitate ſacramenti. Etenim ſi loquamur de ſententia requirente ex neceſſitate præcepti dolorem omnium venialium, non eſt quare cenſeatur improbabilis: eam enim defendunt plures, quos inter Caſtro Palao tomo 4. tract. 23. diſp. unic. punct. 7.

488. Opinio igitur docens requiri attritionem omnium venialium, intelligenda eſt de neceſſitate præcepti, ſecùs autem de neceſſitate ſacramenti. Ratio eſt: quia ille, qui confitendo plura venialia efficaciter, & bonâ fide doleret de uno, & non de aliis, jam apponeret unum peccatum veniale cum attritione; quod eſt materia ſufficiens ad ſacramentum. Ut ſi quis adhibeat conſecrationi unam hoſtiam triticeam, & aliam papyraceam, validum eſſet ſacramentum circa hoſtiam triticeam. Pariter ſi confiteretur mortale, de quo dolet cum venialibus, de quibus dolorem non concipit, eſſet validum ſacramentum, cùm eſſet materia ſufficienter certa abſolutionis. Quapropter noſtra ſententia eſt tuta in praxi. Sic Cardenas diſſert. 2. cap. 6. quæſt. 5. num. 83. dicens: *Dicendum tamen eſt eam ſecundam opinionem non ſubjacere huic damnationi. Ratio eſt clara, quia ſi pœnitens confiteatur unum peccatum veniale cum attritione, & reliqua ſine illa, præbet ſufficientem materiam ad abſolutionem, & ſi accedat bonâ fide per hanc ſecundam opinionem, quæ probabilis eſt etiam apud authores prioris ſententiæ, ſacramentum eſt certò validum. Non ergo verſatur quæſtio circa valorem ſacramenti, atque adeò ea ſecunda opinio non eſt minùs tuta circa valorem.* Hæc Cardenas.

Quòd autem per principia noſtræ ſententiæ poſſit aliquis abſque transgreſſione alicujus præcepti manifeſtare confeſſario plura venialia cum efficaci dolore unius, & non alterius, conſtabit alibi latè, & infertur ſatis ex num. 486. ubi habetur ratio fundamentalis communis ſententiæ Theologorum, quos citat, & ſequitur Lugo diſputat. 14. num. 118. & Arriaga diſputat. 31. ſect. 7. num. 53. ex qua fundamentali ratione conficitur, quòd ſicut non tenemur peccata venialia confiteri, ita ea poſſumus, ſine debito dolore Sacerdoti manifeſtare, non quidem ad petendam abſolutionem de illis, ſed ad majorem noſtri confuſionem, & erubeſcentiam, dummodò ad validitatem ſacramenti de aliquo ſufficientem dolorem aſſeramus juxtà dicta n. 486. illi enim qui ità confitentur ſua venialia, planè non id faciunt ex fine obtinendi abſolutionem ab illis, de quibus non dolent, ut praxis, & uſus demonſtrat, adeóque ea non apponunt ipſi pro materia Sacramenti, nec de illis propriè confitentur, ſed potiùs illâ inter confitendum exponunt, quod licitè facere poſſunt ad ſui confuſionem, humiliationem, & ad majorem ſui notitiam confeſſario dandam. Sicut etiam poſſunt habitus ſuos vitioſos, propenſiones naturales, & peccandi occaſiones, & tentationes ſibi occurrentes, aliáque multa, quæ peccata non ſunt, nec materia abſolutionis exponere licitè, & laudabiliter. 489.

Confeſſio enim non ſolùm refertur ad abſolutionem à peccatis, ſed etiam tendit ad medendum infirmitatibus pœnitentis, ad regimen conſcientiæ, novæque vitæ cuſtodiam, ut ex Eccleſiæ praxi patet, & ſupponit ſatis apertè Tridentinum ſeſſione 14. capite 8. dicens: *Habeant autem, præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem: nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed etiam ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.* Undè aliqua peccata venialia declarare poſſunt, quæ non proponuntur, ut materia Sacramenti Pœnitentiæ; ac proindè, licèt pœnitens de ipſis non doleat, non peccat mortaliter, dummodò atteratur, & doleat de aliis, ne fruſtretur Sacramentum, quod pro materia habet dolorem, ſeu peccata cum attritione vel contritione confeſſa: ex quo paret diſparitas ad exemplum, quod adducebant adverſarii, de conſecratione, numero 490.

487. Nam consecratio Eucharistiæ refertur solùm ad transubstantiationem, & effectionem Sacramenti. Undè non potest proponi aliquòd ut consecrandum, quod materia consecrationis non est, adeóque nec hostia papyracea, cum triticeis misceri, & ad consecrandum offerri. E' contra verò, cùm confessio non solùm referatur ad absolutionem à peccatis, sed etiam tendat ad medendum infirmitatibus pœnitentis, ad regimen conscientiæ, & novæ vitæ custodiam, licèt in confessione exponere, quæ ad hunc finem conducunt, licèt non exponantur pro materia, neque ad finem absolutionis.

491. Neque opus est, ut pœnitens, qui certam materiam Sacramento apponit, anxius sit in explicando veniali, circa quod habet dolorem: Nam absolutio Sacramentalis ex Christi institutione cadit supra illam, & non supra aliam materiam: sensus enim illius est: Absolvo te à peccatis, quantum est ex me secundùm Christi institutionem, id est à peccatis, quæ ritè confessus es, cum sufficienti dolore, & proposito, sive quæ in ipsa confessione directè, aut indirectè ritè includuntur. Sicut enim, quando confessio est de mortalibus, ex eo quòd non possint remitti, quæ manifestantur, quin etiam remittantur indirectè alia, si sunt inculpabiliter oblita, absolutionis vi remittuntur, non solùm directè ea, quæ manifestantur, sed etiam indirectè ea, quæ oblita sunt. E' converso, quando confessio est de solis venialibus, cum unum sine aliis remitti possit, non extenditur necessariò absolutio ad omnia, quæ manifestantur, sed ad ea, quæ ritè, & propriè confessa sunt, cùm ad illud in eo casu, & ad hoc in illo se extendat Christi institutio, à qua Sacerdotis absolutio vim habet.

Casu autem, quo pœnitens non declaret, quænam sint ea venialia, de quibus doler, potest Confessarius imponere pœnitentiam correspondentem omnibus, ad aliquem saltem finem obtinendum ex enumeratis. Quapropter Sacramentum ex nulla parte est irritum, cùm nihil desit, quod necessarium sit ad illius valorem. Quod autem non habeat tantam efficaciam, quantam habere posset, si dolor fuisset universalis, id non est contra reverentiam debitam Sacramento, neque per se malum, cùm non teneamur accedere ad Sacramenta, cum dispositione ad habendam efficaciam, quantam habere possunt. Sic non tenemur accedere ad Eucharistiam cum summa dispositione, ut conferat gratiam, quantam conferre potest, neque ad pœnitentiam, cum dilectione Dei super omnia. Ex quibus præoccupata manent, quæ contra nostram doctrinam possunt adduci.

TRA

TRACTATUS DE POENITENTIA

PARS SECUNDA.

DE SACRAMENTO.

1. POenitentiam habere rationem Sacramenti negârunt olim Montanistæ, qui appellationem habuerunt à Montano: Montanus autem erat natione Phryx, exindéque dicebantur etiam ejus discipuli Catophryges; tum etiam & Pepusiani à Pepusia vico Phrygiæ. Postmodùm Novatiani, sic dicti à Novato Episcopo Africano qui corrupit Novatianum Presbyterum Romanum, licèt absolutè non negaverint peccata remitti; docebant tamen illam remissionem non fieri per Ministros Ecclesiæ, sed à solo Deo, adcóque pertinaciter respuebant Pœnitentiæ Sacramentum, & necessitatem confessionis, eo hæretico ptincipio ducti, quòd in Ecclesia Dei nulla esset collata Ministris potestas absolvendi à peccatis: ac proinde nequaquam exigi debere peccatorum confessionem. Andiani, & Messaliani tempore Valentiniani senioris docebant, nullam in confessione Sacramentali imponendam fore pœnitentiam, & si joco potiùs, quàm seriò ministerium confitendi usurpabant, ideóque pœnitentes existimantes confessionem peccatorum à se exigi per jocum, solùm levia quædam peccata confitebantur, ut nunc Lutherani faciunt. Wiclefus ex Thoma Waldensi tom. 2. de Sacram. cap. 135. apertè confessionem Sacramentalem negare cœpit, asserens ex sola institutione esse inductam. Petrus de Osma circa annum Christi 1371. temporibus Sixti IV. & postea Rhenanus, & Erasmus in adnotat. ad epist. Hieronymi intendebant, confessionem nec esse de jure divino, nec fuisse in antiquo usu Ecclesiæ. Lutherus lib. de captiv. Babylonica cap. de pœn. scribit, *confessionem secretam, sicuti nunc fit, sibi placere multùm, illam tamen non posse probari ex scriptura, nec esse necessarium confiteri omnia peccata Sacerdotibus, ac denique damnandos esse illos, qui volunt, circumstantias peccatorum, etsi mutantes speciem, esse aperiendas.* Propter hanc Lutheri clausulam, omnes Lutherani negant integritatem confessionis, nec volunt singula peccata esse aperienda. Calvinus denique lib. 3. institutionem cap. 3. negat, confessionem esse juris divini, docens illius usum, quamvis vetustissimum, semper fuisse in Ecclesia liberum. Contra has omnes hæreses Concill Trid. sess. 14. Can. 6. ita definit. *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.* Hanc autem catholicam Trid. doctrinam in hac prima disput. ex Scriptura, Conciliis, & PP. probabimus, ostendendo Christi Domini institutionem, Sacramenti virtutem, & fidelium obligationem. Ex quo inferemus doctrinam moralem, simulque argumenta hæreticorum convellemus.

DISPUTATIO I.

DE INSTITUTIONE, ET NECESSITATE SACRAMENTI POENITENTIÆ.

2. COnstans est omnium catholicorum sententia, Christum Dominum ante mortem promisisse, & aliquomodò inchoâsse institutionem Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio est, quia Matth. 18. dixit Apostolis: *quæcumque solveritis super terram, erunt soluta, & in Cælis; & quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata. & in Cælis.* Quibus in verbis continetur promissio dandi Apostolis, eorúmque successoribus potestatem ligandi, & solvendi. Sic in illis verbis Christi ad Petrum, Matth. 16. *Tibi dabo claves regni Cælorum*: continebatur vera promissio dandi Petro, ejúsque successoribus supremam clavium potestatem; quam tunc non dedit, sed postea Jo: ult. quando dixit: *pasce oves meas.* Undè tunc Christus præcipuè instituit Sacramentum Pœnitentiæ, quando Apostolis dedit completam potestatem absolvendi. Quando autem dedit radicalem, seu inchoatam, tunc dicitur quasi institutionem inchoâsse. Cùm autem in nocte cœnæ, quando Christus ordinavit Apostolos, contulerit illis characterem Sacerdotalem, qui est fundamentũ potestatis absolvendi, & inchoatio potestatis completæ, ea de causa dicitur, tunc inchoatam fuisse Sacramenti Pœnitentiæ institutionem; tunc verò præcipuè Sacramentum istud institutum fuisse, quando posteà dedit eis potestatem peccata remittendi. Sic modò in Ecclesia istæ duæ potestates sunt separabiles: etenim cùm Episcopus dicit: *accipite potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia*: suscipitur actualis potestas consecrandi; cùm verò posteà dicit: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* suscipitur actualis potestas absolvendi. Cæterùm quia per prima verba confertur character ordinis, qui non confertur novus per alia verba, sed tantùm augetur, aut extenditur juxta varias sententias, ideò potestas radicalis traditur per prima, & completur per secunda verba. Quærimus modò, quando Christus hanc potestatem absolvendi dederit, sive quando præcipuè Sacramentum Pœnitentiæ instituerit.

SECTIO I.

De tempore institutionis, & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

§. I.

ASsero primò: tunc præcipuè instituit Christus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ, quando post resurrectionem suam dixit Apostolis Jo: 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Conclusio est de fide, & constat ex Tridentino sess. 14. cap. 1. dicente: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum PP. consensus semper intellexit.* Probatur facilè primò ex dictis num superiori. Tunc præcipuè instituit Christus Sacramentum Pœnitentiæ, quando non modò radicalem, sed completam quidem potestatem dedit Apostolis, ejúsque successoribus absolvendi à peccatis: sed quamvis in nocte cœnæ dederit potestatem radicalem; post resurrectionem suam dedit completam potestatem absolvendi à peccatis: ergo &c. Confirmatur: potestas, quam Apostoli, eorúmque successores acceperunt à Christo ad absolvendum à peccatis, erat judicialis, adeóque, & Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuit per modum judicii: sic enim acceperunt potestatem judicandi in terra, ut judicium ratum haberetur in Cælo, ut Cate-

constat ex verbis Christi, & diximus cum SS. PP. num. 442. de virtute. Atqui nullum institui potest judicium, si nulla adsit potestas judicialis: ergo tunc præcipuè instituit Christus istud Sacramentum, quando post resurrectionem suam dedit Apostolis, eorumque successoribus Jo: 20. eam potestatem judicialem.

4. Respondebis ex hæreticis: ex Christi verbis non inferri, Pœnitentiam esse Sacramentum: quia ab antiquis Ecclesiæ PP. non ita intellecta sunt, neque ab ipsis Pœnitentia Sacramentum vocatur. Contra tamen primò, quia hæc responsio magnam continet insciti am, & SS. PP. ignorantiam; August. enim in expositione psal. 146. versum illum interpretans: *qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*: ita disserit: *quæ sunt ista alligamenta, nisi temporalia Sacramenta:* & in exemplum adducit Eucharistiam, & manûs impositionem, quâ per presbyterum peccatores reconciliantur. Unde planè patet, ipsum loqui de Sacramento propriè dicto. Item Greg. Nyss. in lib. de vita Moysis sic habet: *Moysem per lapidem inundare aquis eremum fecit: quæres, quantum, qualeque sit Pœnitentiæ Sacramentum, docet.*

5. Contra secundò PP. primorum Ecclesiæ sæculorum per exomologesim Sacramentum Pœnitentiæ intelligebant, sive signum sensibile remissivum peccati, vel, ut ipsi dicebant, extinctivum gehennæ: ergo falsò, & imprudenter asserunt hæretici, Patres primorum Ecclesiæ sæculorum non vocâsse Sacramentum, Pœnitentiam à Christo institutam. Probatur Antec. licèt nomine exomologesis aliquando à PP. comprehendatur contritio, confessio, & simul satisfactio; aliquando sola sacramentalis confessio, nunquam tamen apud ipsos est hujus nominis significatum sine sacramentali confessione, sive signo sensibili gratiæ, aut extinctivo gehennæ, ut constat ex Tertul. qui floruit circa annum 200. Hic enim, lib. de pœn. agens de iis, qui à confessione ex pudore ac verecundia abhorrebant, ait: *Plerosquè hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumunt, pudoris magis memores, quàm salutis.* Et circa finem libri: *Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguit.* Tum & Origines, qui floruit circa ann. Christi 224. hom. 2. in Levit. ait: *Est adhuc septima, & durâ per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, in quo impletur, & illud, quod Apostolus dicit: Si quis infirmatur, vocet presbyteros.* Quod etiam tradunt alii plurimi PP. infra citandi: ergo &c. Exinde.

Probatur secundò Conclusio contra omnes hæreses relatas num. 1. Signum sensibile collativum gratiæ à Christo Domino institutum est verum legis novæ Sacramentum: atqui Christus Dominus eo cap. 20. Joannis instituit signum sensibile collativum gratiæ: ergo & instituit verum legis novæ sacramentum; adeoque sacramentum pœnitentiæ est unum ex sacramentis verè à Christo Domino in lege nova institutis. Cons. tenet, & Maj. admittitur etiam ab hæreticis, cum sit ipsum constitutivum sacramenti ex num. 14. de sacramentis. Min. verò probatur. Potestas judicialis, quâ Judex reum juridicè absolvit, non exercetur, nisi per signum sensibile manifestativum remissionis, vi cujus, & Judex absolvit, & reus manet absolutus, ac proinde cùm Christus hanc conferebat potestatem, verissimè constituebat signum illud sensibile: atqui signum illud sensibile erat collativum gratiæ, sive, quod idem est, remissivum peccati, cùm peccata nunquam à Deo nisi per gratiæ infusionem remittantur: ergo &c. Confirmatur: verba Christi, utpotè sapientissimi Legislatoris, accipienda sunt in sensu proprio, quando nulla ratio in contrarium cogit, ut & ipsi hæretici fatentur ex Aug. citato n. 443. de virtute: atqui sensus propositus istorum verborum Christi significat signum sensibile à Christo institutum, quo Apostoli, eorumque successores per hanc potestatem verè peccata remittant, adeoque, & sunt veré constitutiva sacramenti pœnitentiæ, prout à Romana Ecclesia traditur, ergo &c. Mirum est in quot, & quantos dicendi modos argumenta ista hæresiarcas diviserint.

7. Respondent primò Montanistæ, & Novatiani: per illa verba non conferri potestatem Ecclesiæ ministris ad remittenda peccata, cùm solus Deus peccata remittat: Ratio eorum est, quia nunquam ab Ecclesia Dei, aut SS. PP. in sensu nostro intellecta

cta fuerunt ea verba. Cæterùm ex dictis facilè apparet, quàm debilis sit ista responsio, & quàm ingens mendacium contineat. Quapropter contra primò: licèt Deus sit causa principalis peccatorum remissiva, & sacerdotes hoc sacramentum conficientes sint causa minùs principalis, utpotè non suo, sed nomine Christi, & ut Christi Ministri operantes; attamen per potestatem à Christo acceptam verè peccata remittunt: non enim dicit Christus: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata sed quorum peccata remiseritis*; ergo &c. Contra secundò: ex istis verbis inferunt SS. PP. peccata declaranda esse Ecclesiæ Ministris, ut ea remittant, ne claves Ecclesiæ Dei ipsis frustrà collatæ sint. Sic Aug. lib. 50. homiliarum hom. 49. *Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia: nemo dicat sibi, occultè ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago: ergo sine causa dictum est: quæ solveritis in terra, soluta erunt in Cælo? ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi?* ergo &c.

8. Respondent secundò Andiani, & Messaliani: Christum per ea verba non instituisse sacramentum, quale ministratur in Ecclesia Dei, cum non dederit potestatem, ut pœnitentibus imponerentur pœnitentiæ, & satisfactiones, uti imponuntur, sed solùm ad purè remittenda peccata. Contra tamen primò: Per illa verba dedit Christus Apostolis potestatem judicialem, ut constat ex SS. PP. cit. num. 3. sive potestatem clavium, ut constat ex ipsis verbis Christi, & expresè habet Aug. cit. num. superiori: atqui Judex non solùm habet potestatem ad peccata utcùmque remittenda, sed etiam ad imponendam mulctam, & satisfactionem: ergo per eam potestatem à Christo collatam, acceperunt Apostoli, & Ecclesiæ Ministri potestatem ad imponendam mulctam, & satisfactionem. Contra secundò, quia ejusmodi potestas adeò clarè includitur in ea potestate judiciali à Christo Domino collata, ut nullum sit Ecclesiæ catholicæ œcumenicum Concilium, quod eam non definierit, quoties sese obtulit occasio. Sic Laodicenum circiter quartum sæculum Can. 2. dixit. *His, qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt, & instant orationi, confessioni, & pœnitentiæ pro qualitate peccati tempus pœnitentiæ tribuendum est*: ergo &c. Vide alia plura Conc. à num. 12.

Respondent tertiò Wicleffus, & Erasmus; confessionem (qualem docet Ecclesia Romana) non esse sacramentalem: Ratio eorum est, quia non est de jure divino, sed de Summi Pontificis institutione. Contra tamen primò, quia tale ingens mendacium ab hæreticis solùm potuit confingi: Pontifex enim, aut Ecclesia nequit sacramenta instituere, neque circa substantiam aliquid immutare, ut Ecclesia Dei semper constantissimè tenuit, & docet Trid. sess. 21. cap. 2. ut diximus num. 58. de sacram. neque dare valet potestatem homini ad remittenda peccata, quam Christus non dederit. Christus autem eam dare potuit, & dedit, ut constat ex num. 3. ergo confessio sacramentalis, qualis fit in Ecclesia Dei, non quidem à Romano Pontifice, sed à Christo Domino habet institutionem. Contra secundò: Confessio sacramentalis, qualis fit in Ecclesia Dei, ab eo habet institutionem, à quo Ecclesia habet potestatem clavium à Summo Pontifice, sed à Christo Domino, aliter qui virtute suâ frustraret potestatem clavium, non frustraret verba Christi, sed verba Pontificis contra expressam Augustini doctrinam traditam num. 7. ergo. Contra tertiò, quia nullus est assignabilis Romanus Pontifex, neque ipsius verba, ex quibus, vel apparenter confingi possit sacramentalis confessionis institutio: assignantur autem, & clarissimè Jo: 20. verba Christi Domini, ex quibus habetur talis institutio: ergo &c.

Respondent quartò Lutherus, & Calvinus: confessionem, qualem docet Ecclesia Romana, non esse à Christo institutâ, quia Christus, inquit Lutherus, non exegit, quod singula peccata sacerdotibus manifestarentur, sive quia, ut inquit Calvinus, talem confessionem non præcepit, sed liberam fecultatē fidelibus reliquit, ut qui sua peccata lethalia vellent confiteri, possent; qui autē nollent, possent etiam licitè confessionem peccatorum suorum, aut omnium, aut aliquorum pro libito omittere: ad eum modum, quo instituit ordinem, & matrimonium, ut possent, qui vellent ea sacramenta susciperē: qui autem nollent, possent licitè illa omittere. Contra tamen, quia hæc

hæc responsio solum tradi potest ex spiritu hæreticali, & malitia se perdendi, aliósque decipiendi, cùm manifestè pugnet contra veritatem Scripturæ, Conciliorum, & PP. juxtà communem totius universalis, & antiquæ Ecclesiæ intelligentiam: ergo &c. Cæterùm ut hoc meridiana luce clarius appareat.

§. II.

11. Assero secundò contra Lutherum, & Calvinum: jure divino obligantur fideles ad pœnitentiam Sacramentalem. Probatur primò ex Scriptura. Licèt enim privati possint componere lites, quas habent cum aliis privatis, quin recurrere velint ad judices à principe constitutos, attamen lites, quas habent cum principe, non possunt componere, nolendo recurrere ad judices constitutos à principe ad tales lites componendas, modo, quo princeps recursum exigit, sive in re, sive in voto: atqui Sacerdotes constituti sunt à Deo judices ad solvendum, vel ligandum peccata, quibus homines rei sunt apud Deum, ut constat à n. 3. ita ut nunquam Deus velit fidelium peccata remittere sine recursu vel in re, vel in voto ad eos judices: ergo &c. Probatur Min. ex una parte Deus justificationem promisit verè contritis, sive Deum super omnia diligentibus ex num. 350. de virtute; ex altera verò parte voluit omnia peccata ad judices ab ipso constitutos deferri ex num. 3. adeóque qui per contritionem justificatur, obligatus manet ad subjiciendâ iis judicibus ea peccata, sicque contritio dicitur votum pœnitentiæ; sed in hoc stat doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quod peccata non remittantur sine pœnitenti vel in re vel in voto; adeóque, & quod fideles obligati sint ad Sacramentum pœnitentiæ modo dicto: ergo &c. Confirm. ex Basilio, qui floruit circa ann. 360. in regulis brevioribus reg. 228. dicente: *necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio regni cœlestis*; tum ex Ambr. qui floruit circa annum 364. lib. 2. de pœn. cap. 6. dicente: *Si vis justificari, fatere delictum tuum: solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum*: Quod autem Ambrosius confessiones sacramentales audire solitus fuerit, habetur in ejus vita scripta à Paulino his verbis: *Quotiescúmque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsos suos confessus fuisset, ita flebat, ut illum flere compelleret*: ergo ex SS. PP. primorum sæculorum, juxta Scripturæ doctrinam, fidelis, qui vult justificari, obligationem habet confitendi; adeóque sine Sacramento pœnitentiæ, vel in re, vel in voto non obtinetur justificatio. Vide Sozomenum num. 15.

12. Probatur secundò Institutio divina sacramentalis confessionis nunquam fuit ab Apostolis prædicata, ut libera neque ab Ecclesia Dei fuit unquam, ut libera reputata, sed ut necessaria pro fidelibus, qui habent peccata mortalia. Sic in Concilio Carthaginensi III. ante 1100. annos, Can. 31. præcipitur Episcopis: *ut pœnitentibus secundùm peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur* eo enim tempore non conferebatur jurisdictio Presbyteris, nisi absente Episcopo, & urgente necessitate, ut habet ibi Can. 32. *Ut Presbyter in consulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente.* Unde ibi clarè agitur de potestate Ministri ad pœnitentiam determinandam; de libertate autem pœnitentis ad confitendum, vel non confitendum sua peccata, nulla fit mentio; sed omnino supponitur ex vi pœnitentiæ obligatio, ita ut Concilium Cabilonense primum circa annum 800. Can. 32. increpet eos, qui non plenè confitentur peccata sua Sacerdotibus, simúlque præcipiat, ut solerti indagatione omnia peccata ex fragilitate animæ, & corporis commissa inquirantur: atqui si fideles non tenerentur confiteri peccata sua, nulla illis esset obligatio adeò accuratè examinandi, & inquirendi sua peccata, ut ea confiterentur, neque esset potestas in Ministris ad obligandum ad talem accuratam confessionem, & ad suscipiendam pœnitentiam pro eorum peccatis: ergo &c.

13. Probatur tertiò: Et explicatur ulteriùs hæc ratio fundamentalis: obligatio, quam ex vi hujus Sacramenti institutionis habent fideles, optimè colligitur ex constanti, & immemorabili totius Ecclesiæ usu: sed ex illo peccatores fideles accedunt ad hoc Sacramentum ex obligatione, & alligatione à Christo imposita: ergo &c. Probatur Min. Ab initio Ecclesiæ, per singula antiqua sæcula, constat, peccatores fideles accessisse ad hoc Sacramentum; nullibi ali-

tem fit vel minima mentio de eo, quòd obligati non essent ad confessionem ; imò contrarium constat ex Oecumenicis antiquis Conciliis, obligationem hanc supponentibus, eàmque ad nos, tanquam fide certam, transmittentibus, ex Laodiceno cit. num. 8. ex sexta Syn. sive Trullanâ cit. n. 442. de virt. omnibùsque aliis Ecclesiæ Græcæ Conciliis, ut ex eo manifestè patet, quòd in Concilio Florentino, ubi plura capita à PP. Latinis contra Græcos objecta fuêre, nulla circa hanc obligationem lis oborta fuerit inter Ecclesiam Græcam, & Latinam. Quinimò Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in censura confessionis Augustanæ cap. 11. increpavit Lutheranos dicentes, non esse necessarium omnia peccata per singulas species confiteri, adeóque Ecclesia Orientalis semper ab initio eam obligationem agnovit. Pariter Ecclesia Occidentalis, ut constat ex Conc. III. Carthag. cit. nu. superiori, ex Turonensi circa ann. 800. ex Monguntino sub Rabano Archiepiscopo, & Wormacensi eodem sæculo congregatis idemque præscribunt generalia Concilia, Lateranense sub Innocentio III. capit. 21. anno 1225. Constantiense sess. 8. Florentinum in decreto Eugenii IV. & Trid. sess. 14. sed obligatio, quæ ab universa Ecclesia agnoscitur jure divino recepta ; quàmque Concilia provincialia supponunt, & generalia Concilia definiunt, ut divino jure præceptam, talis est, ut non sit liberum fidelibus, eam pro libito suo adimplere, vel non adimplere : ergo &c.

14. Respondebis ex Calvino : pœnitentiam esse verum Sacramentum, sive signum sensibile collativum gratiæ, aut remissivum peccati ; cæterùm non distingui à baptismo, sed esse ipsum Baptisma solâ apprehensione, fide, & memoriâ repetitum. Contra tamen primò. Si Sacramentum Pœntientiæ esset ipsum Sacramentum Baptismi, solâ memoria fide & apprehensione repetitum, sicut adulti non tenentur fateri peccata sua ad suscipiendum Baptisma ; ita néque tenerentur confiteri ad suscipiendũ Sacramentum pœitentiæ ; sed hoc expresè est contra scripturam, & SS. PP. citatos num. 11. ergo &c. Contra secundò : Christus dedit Apostolis, eorúmque successoribus potestatem retinendi peccata, ut constat ex scriptura, & PP. à num. 3. atqui non dedisset potestatem ad retinenda peccata, si Sacramentum pœnitentiæ esset ipsum sacramentũ baptismi sola apprehensione, fide & memoriâ repetitum, cùm non dederit eispotestatem, quâ facerent, ut baptizati, vel non essent baptizati, vel non haberent apprehensionem, fidem & memoriam, ut crederent, ipsis per baptismum remissa fuisse peccata : ergo &c. Contra tertiò : Nulla ratio patitur, ut Deus faciliùs ignoscat iis, qui scienter post fidem, & baptismum peccârunt, quàm iis, qui antequam essent domestici fidei, deliquerunt : atqui ex data responsione id fieret, cùm facilius sit cogitare de Baptismo, quàm illum suscipere : ergo &c.

Contra quartò : Quia SS. PP. de baptismo, & de pœnitentia, ut de Sacramentis omninò diversis loquuntur : Sic Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio : *Non solùm Sacerdotes regenerant, sed etiam condonandorum peccatorum obtinent potestatem.* Cyrillus Alexan. lib. 12. in Jo. cap. 56. *Duobus modis Dei spiritu pleni, vel afflati homines peccata remittunt, ac retinent, vel cum dignos admittunt ad baptismum, ac indignos excludunt, vel cùm filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, ac pœnitentibus ignoscunt.* Item Ambr. lib. 1. de pœn. cap. 7. de potestate remittendi peccata, dicens : *non interest utrùm per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum vendicent Sacerdotes : idem in utroque mysterio est.* Sozomenus lib. 7. hist. cap. 16. *Pœnitentibus, quamvis frequenter deliquissent, veniam dare, Deus jussit, & ad impetrandam veniam confiteri peccata necesse est :* ergo &c. Exinde Trid. sess. 14. cap. 2. definit, Sacramentum pœnitentiæ distingui à Sacramento Baptismi ratione materiæ, & formæ, qua in utróque diversa sunt, & ratione fructûs, qui in Baptismo est regeneratio, adeóque, & plena peccatorum remissio, quo ad culpam, & pœnam, ad quem fructum per pœnitentiam *sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia, perveniri nequaquam possumus, ut meritò quidam pœnitentia laboriosus quidam baptismus a SS. PP. dictus fuerit : est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus :* Ex quo, & catholica veritas definita, & anathemat. zati manent errores hæreticorum.

§. II.

§. III.

16 Asſero tertiò : non ſolùm obligantur fideles ad confeſſionem Sacramentalem utcúmque faciendam, ſed etiam ad omnia, & ſingula peccata à tempore Baptiſmi commiſſa in confeſſione explicanda. Probatur primò ex ſacra Scriptura; ex qua univerſalis Eccleſia, omnia, & ſingula lethalia clavibus ſubjicienda eſſe cognovit: etenim Act. 19. dicitur: *multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos:* ibi enim agitur de fidelibus, qui dicebantur credentes: ſed iſti confitebantur peccata ſua in particulari, quæ Lucas vocat actus ſuos, non quidem ſoli Deo, ſed Paulo miniſtro Chriſti inſtituto, ad quem accedebant; ergo &c. Confirmatur primò ex Paulo 2. ad Cor. 5. de ſe, aliisque hujus Sacramenti miniſtris dicente: *Dedit nobis Miniſterium reconciliationis: & poſuit in nobis verbum reconciliationis: pro Chriſto ergo legatione fungimur:* ubi adeò clarè loquitur de poteſtate clavium, ut neque ipſe Clavinus negare audeat lib. 1. inſtit. cap. 1. atqui legatis à Rege miſſis non licet pro arbitrio ſuo inauditos abſolvere, ſed oportet, ut peccata agnoſcant, ſalutarémque imponant ſatisfactionem juxta Regis præſcriptum; at cujus præſcripti adimpletionẽ, ut ex num. ſuperioti conſtat, opus eſt in noſtro caſu, ut pœnitentes de ſingulis peccatis ſe accuſent: ergo &c.

17 Confirmatur ſecundò ex prima Jo. 1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra:* ibi enim non agitur de confeſſione ſoli Deo facta, ſed ipſius miniſtris, ut indicant illa verba *fidelis, & juſtus*, quæ referuntur ad promiſſionem Chriſti ſuis miniſtris factam Jo. 20. neque agitur de confeſſione peccatorum in communi, ſed in particulari, aliter non diceret: ſi confiteamur peccata noſtra, ſed ſi confiteamur, nos eſſe peccatores; ergo &c. Confirmatur tertiò ex Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra:* ibi enim agit de confeſſione juxta doctrinam ſcripturæ, ut optimè notavit Beda in expoſitione hujus loci, Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacr. pag. 14. cap. 1. quaſi diceretur: *O vos, qui abſolutione indigetis, confitemini illis, qui poteſtatem habent abſolvendi:* atqui confeſſio juxta doctrinam ſcripturæ debet eſſe de ſingulis peccatis: ergo &c. Quapropter locum iſtum intelligunt de confeſſione Sacerdotibus facienda ex ſecundo ſæculo Origenes hom. 2. in Levit. ex quarto ſæculo Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio, & Auguſt. lib. 50. homil. hom. 12. ex quo hanc veritatem Concluſionis noſtræ definierunt Concilia generalia citata num. 13.

Probatur ſecundò Concluſio à primis 18
Eccleſiæ ſæculis ex SS. PP. quos admittunt hæretici: Irenæus enim Apoſtolorum diſcipulus, qui floruit circa ann. Dom. 160. lib. 1. cap. 9. loquens de quibusdam fœminis, quas Marcus hæreticus circumvenerat, ait: *Hæ ſæpiſſimè converſæ ad Eccleſiam Dei, confeſſæ ſunt*, ibique de una ex illis addit: *cùm magno labore eam fratres convertiſſent, omne tempus exomologeſi conſumavit plangens.* Idem in ſecundo ſæculo docent Tertull. & Origenes num. 5. citati. Sic etiam Cyprianus, qui floruit circa ann. 226. ſer. 5. de lapſis ait: *Denique quantò, & fide majore, & timore meliore ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore obſtricti, quia tamen de hoc, vel cogitaverunt hoc ipſum, apud Sacerdotem Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes, exomologeſim faciunt.* Idem docet in tertio ſæculo Lactantius lib. 4. divinarum inſtitut. cap. 17. & Baſilius cit. num. 11. Denique in quarto ſæculo Chryſoſtomus homil. 13. in Gen. Hieron. ad cap. 16. Matth. & Auguſt. cit. num. 4. & 7. qui homil. 12. ejus libri docet, confeſſionem peccatorum à Deo eſſe præceptam, quam explicat Sanctus Petrus Damian. ſer. de S. Andrea dicens: *Quartus gradus eſt confeſſio oris, hæc purè facienda eſt, quia non eſt pars peccatorum dicenda, & altera retinenda*, ubi loquens de confeſſario hæc habet: *Videat ne unquam de his, quæ de ſignaculo confeſſionis accepit, aliquam faciat mentionem:* ergo ante Concilia, & decreta Pontificum uſus confeſſionis ſingulorum peccatorum ex præcepto, & jure divino agnitus eſt in Eccleſia, adeóque non fuit humano jure introductus. Vide alia SS. PP. teſtimonia apud Bellarm. toto lib. 1. de pœnitentia.

***

SECTIO II.

Illationes doctrinæ moralis.

§. I.

19. Fit primò contra Lutherum, & Calvinum: verba absolutionis Sacramentalis non esse concinatoria ad excitandam fidem pœnitentis, quâ ipsi peccata remittantur, sed esse verè judicialia, & peccatorum remissiva: Ratio est, quia Christus non instituit hoc Sacramentum, ut pœnitens sibi peccata remittat, sed ut Sacerdos ea verè remittat, quando conficit istud Sacramentum, ut manifestè constat ex ipsis Christi verbis num. 3. 11. & 14. Neque Christus instituit actum fidei in Sacramentum, sed contritionem, confessionem, & satisfactionem, ut infra dicemus, & constat ex num. 110. de Sacr. vide ibi à num. 63. Fit secundò: ex jure divino teneri omnes fideles baptizatos, postquam rationis usum attigerint, confiteri omnia sua peccata mortalia post baptismum, aut in susceptione Baptismi commissa: Ratio est, quia hoc Sacramentum institutum est ad remissionem peccatorum mortalium, quæ ab homine Christiano committuntur, ut deferantur ad judices à Christo institutos, ut constat à n. 11. atqui homo, & post baptismum, & in instanti baptismi jam est Christianus: ergo jure divino tenetur confiteri omnia sua peccata mortalia, vel post Baptismum, vel in instanti Baptismi commissa. Quapropter cùm Trid. dicit. sess. 14. cap. 5. *Hoc Sacramentum esse necessarium lapsis post Baptismum*, ly *post* intelligitur negativè, sicuti quando dicimus, hominem non esse capacem peccandi, nisi post usum rationis, ly *post* sumitur negativè, negando tempus præcedens ad usum rationis: cùm etiam in ipso instanti usûs rationis sit capax peccandi ex num. 39. de Baptismo.

20. Fit tertiò: ex jure divino teneri per se fideles ad confitenda peccata sua mortalia, saltem in articulo mortis: Ratio est, quia præceptum divinum confessionis per se aliquando obligat; si autem aliquando, maximè in articulo mortis. Per articulum, aut periculum mortis intelligitur, nedùm gravis morbus, sed & navigatio periculosa, vel prœlium, aut quæcumque alia occasio, in qua moraliter mors imminet. Ratione hujus præcepti Pius V. ann. 1566. renovavit prohibitionem latam in cap. *Cùm infirmitas*, de pœnitentiis, & remissionibus factam medicis, ne curarent infirmos, quin monuerint eos priùs de confessione facienda, ibique addit Pius V. ut medici ultra tertium diem visitent ægrotum, nisi de illius confessione sibi constet per fidem confessarii in scriptis datam, & ut ante gradum doctoratûs exigatur ab iis juramentum hanc consuetudinem servandi, quod ita fit. Hoc autem non de omni ægritudine; sed de morbo gravi, vel de quo prudenter judicat medicus in principio, periculum morale esse, ne grave fiat, intelligendum esse, censet communis sententia Theologorum.

Circa hoc autem præceptum Exim. Doctor disp. 35. sect. 3. num. 5. hæc valdè notanda habet: Secundò est notandum hoc authores docere, satisfacere medicum huic obligationi, admonendo, & inducendo infirmum, non tamen teneri illum deserere, si confiteri nolit, quia hoc videtur repugnare charitati, quod quidem juxta antiquum jus non habet difficultatem. Tamen Pius V. videtur amplius præcipere, & hanc imponere veluti justam pœnam ei, qui in illo articulo confiteri non vult. Quia tamen videtur hæc lex sic exposita valdè rigida (hoc enim modo constituitur proximus in gravi periculo corporis, & animæ) ideo videtur lenienda: nam si non immineat probabile periculum, potest, & fortè debet medicus abstinere à curatione ejus, si nolit hanc legem observare; si tamen probabile mortis periculum sit, si illum deserat, & tamen æget pertinax sit, non credo teneri, nec debere medicum illum deserere, quia non credo, hanc fuisse mentem Papæ, neque legem cum hoc rigore receptam esse. Tertiò addit Cajetanus, & alii, satisfacere medicum, si admoneat infirmum, vel per se, vel per eos, qui ejus curam gerunt, si sint fide digni, & timorati, & hanc credo esse communem consuetudinem, juxta quam jam non servatur, ut medicus exigat fidem confessarii in scriptis. Unde juxta hanc consuetudinem erit interpretandum juramentum servandi hanc legem, scilicet prout usu recepta est, & obligat

ligat: cùm enim hæc lex positiva sit, non est dubium, quin in totum, vel in partem potuerit consuetudine abrogari, ut Cajet. & alii dicunt.

22. Eodem præcepto divino mulier, quæ primâ vice paritura est, aut quæ jam peperit cum periculo vitæ, tenetur ad confessionem, sicuti & condemnatus ad mortem, & ægrotus, qui in diuturno morbi periculo peccavit post confessionem factam: licèt enim non teneatur de novo Eucharistiam sumere, quam antea sumpsit (quia non est medium ad salutem absolutè necessarium) tenetur autem confiteri iterum. An autem extra periculum mortis, & independenter ab Ecclesiæ determinatione teneatur aliquis per se de jure divino confiteri peccata? negant D. Thom. & Scotus in quartum dist. 17. art. 4. Alii verò probabiliùs cum Bonav. sentiunt, quòd si Ecclesia non determinâsset præceptum confessionis ad singulos annos, non exinde differri posset usque ad mortem, sed debere adimpleri intra tempus, quod juxta prudentum judicium destinandum esset, ne longa appareret mora, omissio adimpletionis talis præcepti: sic ante ullam determinationem Ecclesiæ, præceptum diligendi Deum super omnia ita obligat, ut non possit ultrà quinquennium differri ex Innoc. XI. num. 284. de virt. sed de his latiùs in disp. de præcepto pœn.

23. Fit quartò: præceptum divinum de confessione aliquando etiam per accidens obligare, nimirum quando aliquis intendit id, ad quod jure divino necessaria est confessio. Sic qui conscius peccati mortalis Eucharistiam sumere intendit, tenetur jure divino ad confessionem, pro eo quidem casu, dum adest copia confessarii, non sufficit contritio; Concil. enim Trid. sess. 13. cap. 7. definit, hanc necessitatem confessionis esse de jure divino ex verbis Apostoli 1. Cor. 11. dicentis: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*; ut constat ex num. 368. de virtute. Ad susceptionem autem aliorum Sacramentorum vivorum non requiritur confessio, sed sufficit perfecta contritio, cùm nullum sit præceptum divinum, aut Ecclesiasticum de confessione pro eo casu. Unde Trid. sess. 24. cap. 1. de Reform. matrimonii hortatur quidem conjuges, ut conficeantur peccata, antequam contrahant, non tamen præcipit. Quòd, si urgente necessitate Sacerdos absque confessione celebraverit cùm solâ contritione, tenetur post celebrationem, quàm primum confiteri, id est primâ, quæ haberi possit, copia confessarii. Hoc autem præceptum non est divinum, sed tantùm Ecclesiasticum latum in Concil. Trid. ea sess. 13. c. 7.

Quapropter laici, qui accesserunt ad 24.
Altare sumpturi Eucharistiam, & recordantur alicujus peccati mortalis, quod ob scandalum non possunt confiteri ante communionem, non tenentur post illam citiùs confiteri peccatum, quia Concilium obligat tantùm Sacerdotes; & leges rigorosè extendi non debent. Cæterùm quia præceptum confitendi ad suscipiendam Eucharistiam ordinatur ad dignam Eucharistiæ sumptionem, adeóque ad unum actum virtutis perfectè constituendum; exindè qui sine confessione indignè accederet ad Eucharistiam, quando aliundè non teneretur confiteri, non committeret duo peccata, unum nempè contrà præceptum confessionis, & alterum contrà præceptum suscipiendi dignè Eucharistiam, sed unum tantùm peccatum committeret: sicut & ille, qui non jejunus Eucharistiam susciperet; ut habet communis sententia cum Exim. Doctore. Ratio est, quia transgressio præceptorum, quæ ad unum eundem finem tendunt, est unum solùm peccatum: Sic quando aliquis in die vigiliæ simul, & Quadragesimæ jejunium frangit, non committit duo, sed unum peccatum, cùm duo illa præcepta tendant ad eundem finem macerationis corporis.

Si verò præcepta ad diversum finem 25.
tendant, tunc peccata diversa sunt: sic qui die Quadragesimæ vovet jejunium, illúdque frangit, duo peccata committit; unum quidem contra jejunium, sive honestatem macerationis corporis, ad quod tendit Ecclesiæ præceptum, alterum verò contra religionem, ad quod respicit votum. Sic enim præcepta annuæ confessionis, & annuæ communionis, cùm respiciant diversos fines, ut constabit à num. 31. per eorum transgressionem committuntur duo peccata. Unde qui excusatus est à communione, non exinde manet deobligatus à confessione. Quapropter

pueri, qui mortaliter peccavêre, tenentur ad confessionem; quamvis non teneantur adhuc eo tempore ad communionem. Qua de causa Trid. sess. 14. can. 8. anathematizat eos, qui dixerint, ad confessionem Sacramentalem, *non teneri omnes, & singulos utriúsque sexus Christi fideles juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem semel in anno*: ubi loquitur independenter à præcepto Eucharistiæ; cujus nulla ibi fit mentio. Neque adimplentur, hæc præcepta per confessionem, & communionem sacrilegas. Qua de causa Alex. VII. damnavit 14. propos. quæ sic habeat: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Et Innoc. XI. damnavit 55. quæ sic habebat: *Præcepto communis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

§. II.

26. FIt quintò cum communi Doctorum: Ecclesiam habere à Christo Domino potestatem determinandi tempus, pro quo obliget divinum præceptum de confessione ante articulum mortis. Ratio est, quia Ecclesia habet potestatem judicandi de peccatis, ut constat à num. 3. ergo habet potestatem determinandi tempus, in quo fieri debeat tale judicium: cùm tale tempus expressè à Christo Domino determinatum non sit: Eáque de causa semper visum est, factam esse ab Ecclesia talem determinationem: ideóque sentiunt gravissimi Doctores, contingere non posse, quòd hoc aliquando Ecclesia non determinet: nam esset intolerabilis error. Olim ter in anno obligabantur fideles ad confessionem, ut constat ex Fabiano Papa cap. *Etsi non frequentiùs &c.* De consec. dist. 2. & ex Conc. Turon. 3. cap. 50. Postea verò ad confessionem faciendam saltem semel in anno imposita fuit obligatio per Concil. Lateranense, ut habetur in cap. *Omnis utriúsque sexus de pœnitentiis, & remissionibus*, sub his verbis: *Omnis utriúsque sexus fidelis postquàm ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minùs in Paschate Eucharistiæ Sacramentum.* Quapropter obligatio ad confessionem oritur ex præcepto divino: determinatio verò ad confessionem intrà annum oritur ex præcepto Ecclesiastico, quod satis expressè tradit Trid. sess. 14. cap. 5. per hæc verba: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur.* Quòd autem hoc Ecclesiasticum statutum non sit pura exhortatio, sed præceptum obligans sub mortali, constat ex pœna gravissima, quæ ferenda statuitur contra ejus transgressores, ejectio scilicet ab Ecclesia; & carentia Ecclesiasticæ sepulturæ. Tùm ex Can. 8. Trid. cit. num. superiori. Quinimò in pluribus diœcesibus insuper est apposita pœna excommunicationis, quæ omnia manifestè demonstrant præceptum, quod agnoscit Ecclesia obligans sub mortali.

Fit sextò: decisionem illius dubii, quod Scotus, Richardus, & Navarrus late promovent: an scilicet Summus Pontifex obligetur hoc præcepto annuæ confessionis pendere: à principiis, quæ unusquisque jacit in materia de legibus. Communis nostrorum cum Exim. Doctore sententia est, quòd, quando Legislator fert legem, eámque est ratio in actu præcepto pro ipso, & pro aliis, obligatur ad servandas hujusmodi leges à se latas, quoad vim directivam, non quoad coactivam. Ratio est, quia ipsum dictamen rationis naturalis postulat, ut caput conformetur corpori suo: unde veluti sub hac conditione intelligitur Princeps accepisse potestatem ferendi leges: ex quo principio fit, non obligari Pontificem quoad vim coactivam ad observantiam hujus præcepti, cùm sit supremus Legislator, & supra ipsa Concilia generalia ferentia legem; obligari tamen quoad vim directivam, cùm ratio, propter quam lata est lex, non minùs reperiatur in ipso, quam in aliis orbis Christiani membris, ut rectè notavit Covarruvias, alios referens in Cap. Alma Mater par. 1. cap. 1. §. 5.

Fit septimò cum communi contra Abulensem, & alios: præceptum annuæ confessionis non obligare per se eos, qui non pec-

peccavêre mortaliter, solúmque habent venialia; sed solùm obligare habentes mortalia, quæ debent confiteri, & intra annum nondum ritè de illis confessi sunt. Ratio est, quia ut definit Tridentinum cit. num. 26. hoc præceptum nullam obligationem imponit, quæ non esset divino præcepto mandata, præter temporis determinationem: atqui ex præcepto divino non tenentur confiteri, qui solùm habent venialia, sed solùm, qui habent mortalia quæ nondum ritè confessi sunt: ergo &c. Ex qua doctrina inferunt plures Theologi: sufficere Sacramentum validum, & informe, non solùm ad non transgrediendum, sed etiam ad implendum præceptum. Verùm, ut infrà dicemus, nullum est Sacramentum pœnitentiæ validum, quod non sit fructuosum, adeóque præceptum nunquam adimpletur, nisi per Sacramentum validum, & formatum. Meliùs inferunt ex hoc principio Card. de Lugo disp. 15. sect. 8. à num. 164. Arriaga disp. 52. sect. 8. à num. 55. & communiter Recentiores, illum, qui hoc anno semel confessus est de mortalibus, quæ post diligens examen memoriæ occurrebant, non teneri intra eundem annum ampliùs confiteri, licèt denuò peccet mortaliter, imò licèt aliquorum oblitus esset inculpabiliter: nam Ecclesia solùm præcipit confessionem semel in anno, ad quam tenemur ex præcepto divino, ut ait Trid. quod sess. 14. cap. 5. ita explicat præceptum divinum, ut teneatur homo confiteri omnia peccata, quæ examine diligenti præmisso memoriæ occurrunt; atqui per primam confessionem totum hoc præstitum est isto anno: ergo ille ex vi præcepti annuæ confessionis per se non tenetur ad aliam confessionẽ intra eundem annum.

29. Quando verò aliquis non confessus esset omnia lethalia, quæ memoriæ occurrebant, sed ob justas causas reticuit aliqua, v. g. vel quia timebat fractionem sigilli, vel quia habens lethalia reservata, & non reservata, & ad tollendum scandalum debebat celebrare, nec habebat confessarium potentem absolvere à reservatis; ideóque ea reticuit, & alia dixit, vel ob alios similes casus juxta varias sententias, tunc enim licèt Sacramentum fuerit validum, & formatum, videtur probabilius, quod contra Scotum, & Cordub. docet Arriaga, nempè teneri illum ad confitenda ea peccata si possit, intra eundem annum. Ratio est quia licèt ille non transgressus fuerit divinum præceptum de confessione, tacendo ob justas causas ea peccata, quæ memoriæ occurrebant, non tamen videtur adimpleviſſe divinum præceptum, prout traditur à Trident. num. superiori: ergo tenetur ad confessionem eorum peccatorum, quâ præceptum adimpleatur. Addit Card. de Lugo aliam rationem pro casu reservatorum, nempè quòd ille non esset proprius Sacerdos pœnitentis; confessio autem adimpletiva præcepti debet fieri proprio Sacerdoti, ut expressè habet Lateran. citat. num. 26. Pariter, qui intra annum confessus fuisset sæpè sola venialia, & posteà mortalia committeret, teneretur ad confessionem de mortalibus eo anno: Ratio est, quia ex numero superiori divinum præceptum non obligat ad confessionem venialium, sed ad confessionem mortalium. Præceptum autem Ecclesiasticum annuæ confessionis est determinatio temporis, quo adimpleri debet præceptum divinum, ut constat ex num. 26. ergo &c. Quid autem dicendum de illo, qui toto anno noluit confiteri, utrùm inchoato novo anno teneatur quamprimùm confiteri, resolvemus à numero trigesimo quinto.

Cæterùm quamvis hæc, quæ hucúsque 30.
diximus ita se habeant, si loquamur de obligatione per se ex præcepto annuæ confessionis; potest adhuc suboriri obligatio per accidens, si talis homo, aut debeat, aut velit communicare juxta dicta à num. 24. Qua de causa si ante communionem Paschalem recordetur peccati obliti, tenetur illud confiteri ex num. 353. de virt. Si autem omnia lethalia, quæ diligenti præmisso examine memoriæ occurrebant, sint ritè confessa, & speciatim in confessione declarata, nec intra totum annum habeat ullum mortale, tenetur saltem in Paschate ratione sumendæ Eucharistiæ suum proprium Sacerdotem adire, & dicere, se non habere conscientiam peccati mortalis, ideóque sine confessione accedere ad Eucharistiam, cui esset fides adhibenda, quando contrarium evidenter non constaret: quia in hoc foro unicuique credendum est, tam pro se, quàm contra se loquenti. Verùm cùm adeò facilè hu-

jusmo-

jusmodi homini esset, confiteri venialia; & faciliùs ei adhiberetur fides intrà, quàm extra confessionem de eo, quod lethale non haberet, ut conferretur ei Eucharistia ad adimplendum præceptum Paschalis communionis: ea de causa illi, qui nullo sunt lethali gravati, ad confessionem eo tempore accedunt. Unde casus adeundi proprium Parochum, ut aliquis se excuset à confessione annuali, aut rarò, aut nunquam venit ad praxim.

31. Fit octavò cum communi Doctorum contra Petrum, Sotum, & alios: hanc esse differentiam inter præceptum annuæ confessionis, & annuæ Communionis, quod præceptum annuæ communis per se obligat in determinata parte anni; præceptum verò annuæ confessionis non obligat per se in determinata parte anni, sed relinquitur determinatio fidelium arbitrio intra annum: Sicuti præceptum audiendi Sacrum die Dominica obligat tempore matutino, non tamen pro determinata hora illius, sed hoc relinquitur hominis arbitrio. Ratio est, quia ex Tridentino cit. num. 25. & Lateran. cit. num. 26. nullum est determinatum tempus pro confessione; sed solùm imponitur obligatio ad confessionem semel in anno. Pro Communione verò determinatur tempus Paschale, ut constat ex illis Concilii Lateranensis verbis, *saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, suscipiens reverenter ad minùs in Paschate Eucharistiam, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum ad tempus.* Ex quibus constat: Concilium voluisse obligare per se ad Communionem pro determinata parte anni, ideóque illam partem expressisse; ad confessionem verò noluisse obligare per se pro determinata parte anni, ideóque nullam partem expressisse, sed solùm dicit semel in anno. Insuper susceptio Eucharistiæ per se obligat, licèt homo nunquam peccaverit, intenditque inter alia per eam Concilium augmentum fervoris fidelium, & vinculum charitatis ex num. 40. de Eucharistia, & propter memoriam institutionis hujus Sacramenti, quæ eo tempore facta fuit à Christo, adeóque voluit, ut pro aliquo anni tempore universa Ecclesia conveniret in participatione tanti Sacramenti.

Præceptum verò confessionis non obligat per se, nisi supposita culpa mortali, & ex vi Sua tendit in illius remedium. Cum autem valdè expediens sit, ut statim post commissum peccatum adhibeatur illius remedium, noluit Concilium occasionem ullam præbere, ut differretur, præcipiendo pro aliqua determinata parte anni susceptionem Sacramenti pœnitentiæ: ideóque solùm indeterminatè præcipit semel in anno. Tempus autem Paschale pro Eucharistia non sumendum est indivisibiliter, sed moraliter, complectendo dies, qui in singulis Diœcesibus destinati sunt pro adimpletione præcepti de Paschali communione. Pro quo communiter designatum esse solet totum tempus inter Dominicam Palmarum, & Dominicam in Albis inclusum, & in aliquibus locis paulò ampliùs. Potest autem proprius Sacerdos ob rationabilem causam Consulere, ut pœnitens abstineat à communione Paschali, ut fieri solet respectu puerorum. Habetur hæc facultas in capite. *Omnis utriusque sexus*: ut diximus numero superiori; ubi, ut notavit Boivin quæstione tertia de Eucharistia, Conclusione secunda, per proprium Sacerdotem intelligitur quilibet Sacerdos, qui eo tempore excipere potest confessionem.

Quomodò autem debeat annus Ecclesiasticus; quoad præceptum confessionis computari, variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima docet, computandum esse à primo peccato mortali post confessionem. Secunda ab ultima confessione. Tertia ab usu rationis uniuscujusque. Quarta à Paschate in Pascha. Cæterùm hæc sententiæ impugnantur facilè, quia initium anni, sumpto anno absolutè, & absque addito limitante, ut à Lateranensi, & Tridentino sumitur, non pendet à peccato, neque à confessione, neque ab usu rationis peccatoris: neque per initium anni, absolutè in Ecclesia Catholica significati, intelligitur unquam, nisi prima dies Januarii; sicuti per finem anni absolutè dicti, intelligitur solùm ultima dies Decembris: ergo computatio anni pro adimpletione præcepti annuæ confessionis facienda est, à prima die Januarii usque ad ultimam diem Decembris. Insuper voces absolutè sumptæ accipi-

accipiendæ sunt in sensu vulgari, quem habent: Sensus autem vulgaris, quem sine ullo addito limitante habet apud Catholicos hæc vox *annus*, dumtaxat comprehendit illud tempus, quod intercedit inter primam diem Januarii, & ultimam Decembris: ergo &c. Quapropter hanc sententiam tenet Vazquez, Nunnus, Sylvius, Diana, Lugo, Arriaga, & communiter Doctores. Exindè

84. Quandò Concilium Trident. sess. 14. cap. 5. dicit: *unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi, sacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ, quem morem hæc Sancta Synodus maximè probat, & amplectitur, tanquam pium, & merito retinendum*, non præcipit confessionem eo tempore faciendam (aliter contra ipsos adversarios determinatum esset ab Ecclesia tempus confessionis, sicut tempus communionis) Concilium enim cùm haberet potestatem præcipiendi, si eam consuetudinem voluisset reddere obligatoriam, usum fuisset claris verbis id significantibus, à quibus cùm abstinuerit, satis apertè ostendit, non voluisse ad eam obligare; ideò verò eam consuetudinem probat, & laudat, quia cùm Communio debeat esse circa illud tempus, pro majori dispositione ad illam expedire videtur, ut confessio immediatè antè fiat, licèt in rigore, qui antè fuit confessus, & non habet conscientiam mortalis, non teneatur confiteri ante Communionem. Si autem habeat novum lethale, aut occurrat aliquod priùs oblitum, tenetur per accidens eo tempore ad confessionem, ideóque ex dictis num. 30. rarus, aut nullus accedit eo tempore ad Communionem sine Confessione. Quò tendunt verba Sixti in Extravag. 2. de tregua, & pace dicentis, Parochianos teneri saltem in Paschate proprio Parocho confiteri; assignat enim illud tempus ratione Communionis, & quia tunc Parochi inquirunt de adimpletione præcepti Confessionis, ut exponunt Doctores, & colligitur clarè ex novo Jure Tridentini præcipientis, non quidem, juxta Sixti IV. sed juxta Lateranensis constitutionem indeterminatè semel in anno confessionem. Unde consuetudo Fidelium eo tempore confitendi nullam inducit obligationem per se de annua confessione eo tempore facienda, ut rectè declarat Ex. Doctor disput. 36. sect. 3. num. 4. & reliqui Doctores cum ipso.

§. III.

FIt nonò cum communi Doctorum contra Tabienam, Megalam, Sylvestrum, & alios, illum qui lethali gravatus, 85.
non est confessus intra annum, teneri statim confiteri initio sequentis anni. Ratio est, quia dupliciter possunt præcepta respicere tempus, nimirum, vel assignando aliquid, ut onus unius, & non alterius temporis, ut præceptum jejunii, auditionis Missæ, recitationis Officii, & sic de aliis, vel assignando onus, quòd debeat impleri, aut intra hoc, aut intra aliud tempus præcipiendo simul, ut intra hoc impleatur, v. g. quando præfigitur certum tempus debitori ad solvendum, & ille jurat se intra illud tempus soluturum: inter utramque hanc obligationem est magnum discrimen, quòd in primo casu, transacto tempore, præceptum, & obligatio expirat: Sic qui die Dominica non audivit Sacrum, non indè tenetur illud audire die Lunæ; in secundo autem casu obligatio non exspirat transacto tempore. Sic qui eo præfixo tempore non solvit, non exindè excusatur à solutione, quàm primùm possit: atqui præceptum Ecclesiasticum de annuæ confessione non habet tendentiam, juxta genus primæ, sed juxta genus secundæ obligationis: ergo qui non satisfecit hoc anno præcepto annuæ confessioni, tenetur anno sequenti, quàm primùm possit, confiteri. Maj. & Conseq. tenent: Min. verò patet; quia intentum Concilii est, ne nimis differatur Confessio: Si autem transeat integer annus, crescit dilatio, adeóque non cessat, sed crescit intentum Ecclesiæ præcipientis: illa enim Lateranensis verba, *saltem semel in anno confiteatur*, æqui pollent istis, ne ultra annum confiteri differat, sicuti dicebamus de debitore: ergo &c.

Quapropter qui omisit per aliquos an- 86.
nos confessionem (idem suo modo esto de Communione) tenetur quàm primùm possit confiteri: ea autem confessio satis erit ad adimplendum præceptum illius anni, cùm jam sit verum, quòd homo ille semel in anno sit confessus; nec tenetur ad repetendas tot confessiones, quot omisit,

cùm per eam confessionem omnia sua debita, sive omnia sua peccata dissolvantur, adeóque & habeatur Ecclesiæ intentum, ut benè notavit Cardinalis de Lugo disput. 15. sect. 7. à num. 180. Quando autem aliquis post diligens conscientiæ suæ examen, solùm recordaretur peccati mortalis dubii, & de eo confiteretur; si post factam confessionem peccaret mortaliter, teneretur intra annum ad confessionem juxta sententiam ferè omnium Doctorum dicentium, teneri illum ad confitendum peccatum dubium, non tamen esse validum Sacramentum, si peccatum re ipsa non præcessit, de quo posteà: juxta sententiam verò eorum, qui docent Sacramentum illud esse certò validum, non teneretur ille homo per se, ex vi præcepti ad ulteriorem confessionem intra annum propter rationem datam num. 28. ut notavit Arriaga disput. 52. sect. 8. num. 61. qui cum expositione à nobis data intelligi debet.

37. Fit decimò, illum qui probabiliter valdè timet, aut certò scit, quòd, si modò non confiteatur, ante finem anni non poterit confiteri, quia nimirùm navigaturus est in longinquam patriam, in qua non habeat copiam confessarii, teneri confessionem anticipare, & confiteri, antequàm annus compleatur: Ratio est, quia cùm confessio non sit onus anni, sed onus, quod implendum est cum præcepto, ne differatur ultra annum ex num. 35. qui intra annum modò potest, & posteà non, ex nullo capite excusari potest, si modò illam obligationem non adimpleat. Si autem aliquis non posset confiteri, nisi per interpretem, communis sententia docet, non teneri tunc ad Confessionem, quia Lateranense citatum num. 26. quando dicit: *Omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur: per ly solus* excludit interpretes, neque Christus talem præcepit confessionem, ut infertur ex Tridentino sess. 14. cap. 5. dicente: *Cæterùm quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tùm ob Ecclesiæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit; non est tamen hoc Divino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda:* atqui confessio per interpretem non fieret apud solum Sacerdotem: ergo &c.

Quapropter qui solùm posset confiteri scripto peccata sua in circumstantiis, in quibus eorum revelationem prudenter timeret, non teneretur tunc ad confessionem. Ex quo communis sententia docet, non teneri scribere sua peccata illum, qui timet, ne statim obliviscatur, cùm non teneatur, se exponere periculo, ut aliter quàm apud solum Sacerdotem revelentur. Si autem pœnitens ita posset confiteri scripto, ut non timeretur prudenter revelatio confessionis, & si aliter confiteri non posset, tunc teneretur ad confessionem apud Sacerdotem, ut constat ex dictis. Addunt aliqui, in articulo mortis teneri Fideles confiteri per interpretes, aut coram aliis, si aliter non possint: quia licèt ad id non obligentur ex præcepto Divino, obligantur tamen ex præcepto Charitatis ergà ipsos etiam cum notabili detrimento famæ. Ratio est, quia cùm in eo articulo agatur de æterna animæ salute, quæ præponderanda est omni temporali bono, non debemus propter omissionem temporalis famæ, quæ ex peccatorum confessione sequeretur, dubiam reddere æternam nostram salutem. Cæterùm communis sententia apud Arriagam disput. 51. sect. 7. num. 53. adhuc pro eo casu negat, illum teneri ad confessionem per interpretem, quia ut constat ex num. superiori, Christus ad eam confessionem non obligavit; nec confessio est tunc unicum medium ad salutem, cùm per perfectam contritionem possit haberi salus. Hæc sententia pro aliquibus fortàsse erit favorabilis; de communi autem fidelium non credam, quod possint, & nolint in eo articulo confiteri.

Fit undecimò: præceptum Ecclesiasticum de annua confessione obligare omnes baptizatos, cùm ad annos discretionis pervenerint, ita ut non solùm Catholici, verùm etiam hæretici, & publici peccatores teneantur ad confessionem. Ratio est, quia Lateranense nomine *Fidelis* intelligit idem, ac Christianus, aut baptizatus, ut fusè demonstrat Lugo, & patet, quia ex Tridentino citato num. 26. hoc præceptum est determinatio præcepti Divini: atqui præce-

præceptum Divinum omnes Christianos obligat: ergo &c. Quòd autem posito hoc præcepto Ecclesiastico habeant Hæretici plura peccata, quàm haberent, si latum non esset, parùm refert, quia hoc non ex culpa Ecclesiæ, sed ab eorum nequitia desumitur. Tempus autem, in quo Christiani obligari incipiunt, est tempus discretionis, seu usus rationis ex numero 26. Pueri tamen juxta communem, & veriorem sententiam puniri non solent Ecclesiasticis pœnis usque ad duodecimum, vel decimum quartum annum: Pœnæ autem habentur in eo cap. *Omnis utriúsque*: sub his verbis: *Ut arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & priventur sepulturâ.* Quæ, ut ait Exim. Doctor, non significant pœnam latam, sed ferendam. Cæterùm quia ibi apponitur pœna contra eos, qui utrúmque præceptum, nempè Confessionis, & Communionis non impleverint, sufficit ad incurrendum pœnam, vel unius ex his præceptis transgressio. Quando verò in aliquibus Diœcesibus statuitur pœna excommunicationis ipso facto incurrenda statim incurritur, etsi delictum sit occultum.

40. Pueri autem, juxta communem Ecclesiæ consuetudinem, intelliguntur excluſi, si positivè includantur in ordine ad pœnam, ex Gregorio IX. dicente: *Pueros sæpè delinquere, non tamen in illis puniendà esse delicta, sicut in majoribus.* At verò in aliquibus Diœcesibus includuntur in excommunicatione lata contra omnes, qui post octavum ætatis annum non confitentur, ut in quadam Synodo Compostellana refertur factum. Videatur Cardin. de Lugo disput. 15. sect. 7. num. 150. Quoad potestatem autem Ecclesiæ disputant plures, utrùm si Christus libertatem reliquisset ad Confessionem, posset Ecclesia illam præcipere, vel an possit præcipere Confessionem venialium, vel plures eorundem mortalium confessiones. Cæterùm hæc nihil conducunt ad praxim, & pro utráque parte inveniuntur Auctores. Si autem in aliquibus Religionibus inveniatur statutum confitendi semel, & iterùm eadem peccata, cùm illud statutum non obliget absque implicito, vel explicito subditorum consensu, ut notavit Carleton. nequit ad casum nostrum adduci.

41. Fit duodecimò: Sacramentum Pœnitentiæ necessarium esse, vel in re, vel in voto lapsis in mortale post Baptismum. Ratio est, quia ut constat ex num. 11. & 14. Ministri hujus Sacramenti acceperunt à Christo Domino potestatem non solùm ad remittenda, sed etiam ad retinenda peccata contrà Deum commissa, sive quibus homines fideles constituti sunt inimici Dei: atqui si Sacramentum istud necessarium non esset, vel in re, vel in voto, nulla esset potestas ad retinenda peccata, ut per se patet: ergo &c. Unde cùm hæc potestas per se primò data sit propter peccata mortalia, quæ cùm simpliciter sint injuria Dei, claudunt homini januam Cœli; claves ad aperiendum, & claudendum per hanc potestatem, sive quod idem est ad remittenda, & retinenda peccata, per se datæ sunt respectivè ad mortalia. Per extensionem verò data est per se ea potestas ad venialia cum debita proportione, nimirùm ad remittendum: sunt enim temporale impedimentum ad intrandum in Cœlum, cùm illis debeatur pœna temporalis, adeóque potestas sufficiens in Judice ad tollendum impedimentum perpetuum benè sufficiet ad tollendum, & remittendum temporale. Potestas autem clavium non est data ad retinenda venialia, quia illud impedimentum temporale in Purgatorio potest auferri, adeóque non est necessarium Sacramentum pœnitentiæ, neque in re, neque in voto ad remittenda venialia. Videatur Exim. Doctor disput. 17. sect. 2. à num. 22. Exinde.

42. Sacramentum pœnitentiæ non solùm est necessarium necessitate medii, sed etiam necessitate præcepti, ex dictis supra, & habet Trid. sess. 14. cap. 1. & 2. Ratio est, quia omnia, quæ sunt necessaria necessitate medii, sunt etiam necessaria necessitate præcepti, si sint in nostra libertate. Ex eo enim, quòd homo teneatur ad procurandam vitam æternam, tenetur ad id, quod apponere potest, & sine quo vitam æternam non obtinebit: atqui Sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto est necessarium necessitate medii ex dictis, & insuper est in nostra potestate illud suscipere: ergo &c. Unde nulla tenet paritas ad primam gratiam, quæ necessaria est necessitate medii, non autem necessitate præcepti, quia prima gratia non est in nostra potestate, sed misericorditer fit

à Deo in nobis sine nobis liberè concurrentibus. Quodnam autem sit discrimen inter necessitatem medii, & præcepti, diximus num. 459. de virtute, ibique num. 358. assignavimus diversitatem, quâ contritio est votum Sacramenti pœnitentiæ, aut votum restitutionis alteriusvè rei ab hoc Sacramento distinctæ. Quinimò ex eo, quòd contritio, aut attritio generalis à Christiano elicita sit virtuale votum hujus Sacramenti, quatenùs præcepti, & instituti à Christo Domino, ut per se remissivi peccatorum, respicit hoc Sacramentum tanquam necessariũ necessitate medii in re, vel in voto; secùs alia, de quibus est votum, cùm non respiciat illa, tanquam instituta à Christo, ut per se remissiva peccatorum: Etenim ob hanc rationem in non baptizato contritio dicitur votum Baptismi, tanquam necessarii in re, vel in voto ad salutem, & non ita dicitur votum aliarum rerum, quæ per se non sunt à Christo institutæ, ut remissivæ peccati. Qua de causa ait Boivin quæst. 1. de pœn. Conclus. 3. necesse non est discrimen aliud quærere. Cæterùm Exim. Doctor disp. 17. sect. 2. num. 7. aliam rationem tradit: quia nimirùm Sacramentum Pœnitentiæ est complementum contractûs, ratione cujus, tanquam virtutis per se ad hoc institutæ, peccata remittuntur, quòd non habent alia, quorum contritio est votum. Hæc autem ratio non pugnat, sed potiùs corroborat rationem à nobis assignatam eo num. 58. de virtute.

SECTIO III.

Solvuntur Opposita.

§. 1.

43. Objicies primò contra primam Conclusionem. Tunc institutum fuit Sacramentum pœnitentiæ, cùm potestas clavium Apostolis collata est: sed talis potestas fuit ipsis collata Matth. 18. quando Christus ante suam Resurrectionem illis dixit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in Cælo:* ergo tunc fuit institutum Sacramentum pœnitentiæ. Resp. concedo Maj. & nego Min. quia potestas clavium collata fuit Jo. 20. post Christi Resurrect. Per illa quippe Matth. verba, non dedit potestatem clavium, sed eam promisit, ut constat ex num. 2. Quare autem Joan. 20. potestatem illam contulerit Christus, nulla assignabilis est ratio à priori, præter voluntatem ipsius, à qua omnia Sacramenta sunt instituta. Congruentiam verò assignavit D. Thom. nimirùm remissionem peccatorum fieri media charitate. Cùm autem Spiritus Sanctus sit charitas, congruentissimum fuit, ut Christus Apostolis eam potestatem conferret, quando per mysticam illam insufflationem contulit illis Jo. 20. Spiritum Sanctum, tùm quia per Baptismum renascimur, per peccatum morimur, per pœnitentiam resurgimus, adeóque post Resurrectionem Christi institutum fuit hoc Sacramentum in symbolum Resurrectionis nostræ. Addunt ex doctrina D. Thomæ aliqui Recentiores, posse etiam concedi per illa Matth. verba, datam fuisse Apostolis potestatem ad puniendenda peccata in foro externo, puniendo rebelles pœnis, & censuris Ecclesiasticis, ut colligi potest ex ipso textu: nam ibi Christus posito præcepto ordinis servandi in correctione fraterna addit: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus, & Publicanus*, id est separatus, & excommunicatus per sententiam excommunicationis latam ab Ecclesia. Ut autem appareat efficacia potestatis Ecclesiasticæ ad hanc pœnam inferendam, immediatè subjungit Christus: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram &c.* Ubi ait D. Thom. *Sic dicitur alligari, quia non solvit, vel quia excommunicat.*

Objicies secundò ex Montanistis, & Novatianis ea omnia testimonia Scripturæ, & PP. quæ dedimus à num. 98. de virtute, ex quibus constat, peccata post Baptismum commissa esse irremissibilia: atqui non essent irremissibilia, si Christus instituisset Sacramentum pœnitentiæ ad remittenda peccata post Baptismum commissa: ergo &c. Confirm. ex Concilio Cabilonensi II. Can. 33. dicente: *Secundùm constitutionem Apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra:* ergo Sacramentum pœnitentiæ non fuit institutum à Christo, sed à Jacobo Apostolo. Resp. nego suppositum Maj. ex illis enim Scripturæ, & PP. testimoniis nequaquam infertur peccata post Baptismum commissa esse irremissibilia, etsi plura sint finalia, quæ non remittentur

tur, non quidem ex eo, quòd deſit Sacramento pœnitentiæ virtus ad ea remittenda, ſed quia hæc virtus non applicabitur, ut latè patet ex dictis ab eo num. 98. de virt. Ad Conf. nego Conſeq. quia illa Concilii verba nequaquam ſignificant, inſtitutum fuiſſe ab Apoſtolo pœnitentiæ Sacramentum, ſed declarari per eam Apoſtoli conſtitutionem, Canonicam inſtitutionem à Chriſto factam: in hac enim providentia nunquam agnovit Eccleſia Dei, ſibi collatam à Chriſto poteſtatem ullam ad inſtituenda Sacramenta, ut conſtat à num. 9.

45. Objicies tertiò: ad omne Sacramentum requiritur Verbum, & elementum ab aliquo Miniſtro adhibitum, juxta illud Auguſtini tract. 80. in Jo. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: ſed in pœnitentia nullum eſt elementum: ergo pœnitentia non eſt Sacramentum. Reſp. primò: nego Antecedens: nam Auguſtinus ibi non loquitur de Sacramento quolibet, ſed de Baptiſmo tantùm, ut ex textu manifeſtum eſt, ſic enim habet: *Quare non ait, mundi eſtis propter Baptiſmum, quo loti eſtis, ſed ait propter verbum, quod locutus ſum vobis: niſi quia, & in aqua verbum mundat? detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Reſp. ſecundò: quòd ſi dictum illud Auguſtini extendatur ad alia novæ legis Sacramenta, non debet ſumi elementum ſtrictè, & propriè; alioqui ne quidem Euchariſtia eſſet Sacramentum: nam panis, & vinum, quæ ſunt ipſius materia non ſunt elementum ſtrictè, & propriè, ſed per ly *elementum* intelligenda eſt quæcumque res ſenſibilis à Chriſto inſtituta, quo in ſenſu poſſumus dicere, verbum in Sacramento pœnitentiæ accedere ad elementum, ſcilicet ad confeſſionem pœnitentis.

46. Objicies quartò: in lege veteri pœnitentia non erat Sacramentum: ergo neque in nova. Probatur Conſequent. Non minùs pœnitentia fuit neceſſaria ad remiſſionem peccati in lege veteri, quàm in nova: ergo ſi pœnitentia legis veteris non fuit Sacramentum, neque pœnitentia legis novæ erit Sacramentum. Confirmat. Non minùs præcipiebatur à Deo peccatorum Confeſſio in lege veteri, quàm in nova, ex illo Numerorum 5. *Vir, ſive mulier cùm transgreſſi fuerint mandatum Domini, confitebuntur peccatum ſuum*: ergo ſi illa antiquæ legis Confeſſio non fuit Sacramentum, neque iſta novæ legis Confeſſio erit Sacramentum. Reſp. Concedo Anteced. & nego Conſeq. Ad prob. diſt. Anteced. Non minùs, & eodem modo, nego: & diverſo, concedo antecedens, & nego conſeq. quia in lege veteri non fuit dictum, ſicut in nova: *quorum remiſeritis peccata &c.* neque voluit Deus hoc beneficium ad remiſſionem peccatorum antiquis conferre, quod reſervabat filiis legis novæ, adeóque non erat eodem modo neceſſaria pœnitentia ad peccatorum remiſſionem in lege antiqua, ac in nova.

Ad Confirm. diſt. anteced. Non minùs præcipiebatur confeſſio aliqua legalis, concedo: Confeſſio Sacramentalis, ſive omnium peccatorum, nego anteced. & conſeq. Ratio eſt, quia in lege veteri ſolùm præcipiebatur confeſſio de aliquibus peccatis exterioribus, non de internis, quæ nos ipſi tenemur fateri, adeóque ea Confeſſio erat tantùm figura noſtræ. Confitebantur autem illi ea peccata externa graviora per certa quædam Sacrificia, quæ pro illis peccatis deſtinabantur, & quæ tenebantur offerre, in quo Sacrificio conſiſtebat illorum confeſſio: ea verò confeſſio nequaquam inſtituta erat ad remittenda peccata, neque gratiam cauſabat: Sacerdotes enim tunc diſcernentes inter lepram, & lepram ſolùm agebant de lepra corporali, judicantes, qualis eſſet lepra, & an eſſet perfectè ſanata; illi verò neque lepram corporalem, neque Spiritualem ſanare poterant, cùm nequaquam ipſis datæ fuerint claves regni Cœlorum: noſtra autem confeſſio non ſolùm eſt de aliquibus, ſed de omnibus peccatis, tum externis, tum internis, conſtituíque cum Sacerdotali abſolutione, & actibus pœnitentis Sacramentum peccatorum remiſſivum, ad quod data fuit poteſtas à Chriſto Domino Miniſtris hujus Sacramenti, ut conſtat à num. 3. adeóque Confeſſio noſtra eſt verè Sacramentalis; ſecùs autem confeſſio legis antiquæ. 47.

Objicies quintò ex Calvino. D. Aug. lib. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 33. ait *lavacro regenerationis non tantùm peccata præterita, ſed etiam poſteriùs admiſ-* 48.

sa remittuntur: ergo non indigemus Sacramento pœnitentiæ distincto à Baptismo ad obtinendam remissionem peccatorum, adeóque ad hoc sufficiet Baptismus in memoriam revocatus, per quam excitetur fides, quâ peccata remittuntur. Confirmatur ex Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 30. ubi Baptismum vocat: *Sacramentum fidei, & pœnitentiæ*, Juxta id, quod de Joan. dicitur Lucæ 3. *Venit prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*: ergo &c. Resp. nego conseq. quia Augustinus non tribuit Baptismo virtutem per se proximam ad remittendum peccata post ipsum commissa, sed radicalem, quatenus per Baptismum, qui est janua omnium Sacramentorum, ex num. 88. de Confirmat. capaces reddimur ad suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ, si peccavimus. Quòd autem hæc interpretatio legitima sit, patet tùm ex his verbis quæ ibidem addit: *quid enim prodesset, vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet?* tum etiam quia Epistola 23. apertè docet, aliquod Sacramentum à Baptismo distinctum necessarium esse ad delenda peccata post Baptismum commissa; ait enim: *Si parvulus baptizatus grandævus factus, propria incœperit habere peccata, per quam gratiam remittentur? Non regeneratione, sed alia curatione resarciri possunt.* Ad Confirm. nego conseq. quia Fulgentius ex eo vocat Baptismum Sacramentum pœnitentiæ, quatenùs in adultis, qui lethaliter peccârunt, ante susceptionem Baptismi requiritur ad legitimam illius, & fructuosam susceptionem aliquis actus virtutis pœnitentiæ, ex illo Petri Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm*: Verùm hæc longè distant à re præsenti, in qua non agimus de pœnitentia virtute, sed de pœnitentia Sacramento.

§. II.

49. OEjicies sextò ex Luthero, & Calvino contrà secundam Assertionem. Primus, qui Confessionem instituit, fuit Innocentius III. electus Anno 1198. ille enim in cap. *Omnis utriúsque sexus* annuam confessionem præcipit omnibus Christi fidelibus sub pœna, quòd vivens *arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & moriens Christiani careat sepulturâ*: ergo Sacramentum pœnitentiæ, saltem quantùm ad confessionem peccatorum non fuit immediatè à Christo institutum, adeóque nullum est Christi præceptum de confessione. Confirmatur primò ex Nectario Patriarcha Constantinopolitano prædecessore Chrysostomi. Nectarius enim, ut referunt Socrates lib. 5. hist. cap. 19. Sozomenus lib. 6. cap. 16. & Nicephorus lib. 12. cap. 28. confessionem abrogavit: ergo non fuit à Christo præcepta. Confirmatur secundò ex Chrysostomo successore Nectarii, qui multis in locis confessionem abrogare videtur, præcipuè hom. 2. in Psal. 50. ubi sic habet: *Peccata tua dicito, ut deleas illa: si confundaris alicui dicere, quæ peccâsti, dicito ea quotidiè in anima tua: non dico, ut confitearis ea conservo tuo, qui exprobret, dicito Deo, qui curat ea*: ergo &c.

Resp. nego Antecedens: Innocentius enim III. confessionem peccatorum nequaquam instituit, sed solùm determinavit tempus, præcipiendo, quòd non differretur confessio ultrà annum ex dicta num. 26. Præceptum enim Christi de Sacramentali confessione facienda ab initio Ecclesiæ agnitum fuit ex num. 11. Sic Augustl. lib. 50. homiliarum, hom. 12. *Deus noster, quia pius est, & misericors, vult, ut peccata confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis postmodùm confundamur in futuro*: & hom. 41. docet, homines debere abstinere à peccatis, tradens rationem, quâ peccatorem convincat, per hæc verba: *quia si ad ultimum vitæ steterit, nescit, si ipsam pœnitentiam acciperet, ac Deo, & Sacerdoti peccata sua confiteri poterit*: ubi non loquitur de pœnitentia, quam agimus, sed de pœnitentia, quam suscipimus, adeóque de Sacramento pœnitentiæ juxta ea, quæ contra Lovanienses diximus num. 473. de virtute. Unde semper in Ecclesia Dei fideles pœnitentiæ Sacramentum suscepêre ex Scriptura, & PP. primorum sæculorum à num. 16. Sic enim Chrysostomus homil. 30. in Gen. expressam facit mentionem de Sacramentali confessione; quæ juxta antiquum Ecclesiæ jus, de quo num. 26. & 51. in hebdomada Sancta fieri solebat: ait enim Chrysostomus: *quia in magnam hanc hebdoma-*

domadam pervenimus, Dei gratiâ nunc maximè, & jejunii curſus intendendus: & magis continuandæ ſunt preces: faciendáque diligens, & pura Confeſſio peccatorum. Quòd autem ad illam Sacerdotis Miniſterium requirat, conſtat ex lib. 2. de Sacerdotio, ubi ſic ait: *Quamobrem multâ quidèm arte opus eſt, ut qui laborant Chriſtiani, ultrò ſibi perſuadeant, Sacerdotum curationi ſeſe ſubmittere oportere,* & lib. 3. dicit, Leviticos non purgâſſe à lepra corgorali, ſed tantùm de ſanata lepra judicium tuliſſe: Sacerdotes autem Evangelicos non declarare ſolùm, ſed verè ſanare à lepra ſpirituali.

51. Plura ſunt etiam Concilia ante Lateranenſe celebrata, in quibus fit expreſſa mentio de confeſſione Sacramentali, nempè Concilium Laodicenſe ſub Sylveſtro Papa celebratum, Cabilonenſe ſub Vitaliano, Turonenſe, & Rhemenſe ſub Leone III. Moguntinum ſub Leone IV. Wormatienſe ſub Adriano II. ut diximus à num. 12. Hunc confeſſionis uſum habuit ab initio Eccleſia Catholica, ut patet ex Scriptura nu. 16 & PP. primorum ſæculorum n. 18. Ex quibus conſtat, quam falsò ſcripſerit Calvinus in antidoto Tridentini ſeſſ. 6. cap. 15. per mille annos nullum fuiſſe uſum confeſſionis Sacramentalis in Eccleſia, *donec*, inquit, *Innocentius III. cùm pauculis cornutis beſtiis* (ſic mille ducentos PP. qui Concilio Lateranenſi interfuerunt, ſanctitate, & doctrina conſpicuos impudens hæreſiarca appellat) *laqueum hunc populo Chriſtiano induit, quem Tridentini PP. adſtringunt.* Tanta quidèm eſt hæreſiarcarum excæcatio, ut ne ipſam quidèm lucem conſpicere valeant. Etenim in Eccleſia Dei nunquam fuit minor obligatio ſingulis annis ad confeſſionem, quàm ad communionem: ex quo infert Exim. Doct. diſp. 36. ſect. 1. num. 1. ex jure antiquo fuiſſe olim fideles obligatos ad confeſſionem ter in anno faciendam, cùm obligati fuerint ter ad communicandum. Fabianus quidèm Papa de conſecratione diſt. 2 Can 16. ita habet: *Etſi non frequentius, ſaltem in anno ter laici homines communicent* (*niſi fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur*) *in Paſcha videlicet, & Pentecoſte, & Natali Domini.* Expreſsè etiam Sacramentalis confeſſionis antiquus uſus habetur in decreto 26. quæſt. 7. can. 1. & 27. quæſt. 1. Can. 5. & ſæpè alibi. Exindè

Ad primam Conf. concedunt aliqui Antecedens, & negant Conſeq. quia Nectarius confeſſionem è ſua Eccleſia ſuſtulit, deceptus ab hæreticis Novatianis, quorum conſilio in rebus ad fidem pertinentibus ſæpè utebatur teſte Socrate apud Baronium ann. 56. n. 28. Sed meliùs reſpondetur cum Exim. Doct. & Bellarm. negando Antec. quia Nectarius nequaquam abrogavit Sacramentalem confeſſionem; hujus rei ſignum evidens eſt, quòd Eccleſia Conſtantinopolitana nunquam apud veteres de hoc errore malè audivit, neque à Summis Pontificibus de illo reprehenſa eſt; ſed abrogavit confeſſionem publicam, quæ ultra auricularem, & ſecretam fieri ſolebat, cujus rei cauſa fuit iſta. Mos inoleverat, ut in qualibet civitate deputaretur Sacerdos pœnitentiarius, qui exciperet confeſſionem quorundam peccatorum publicorum, aut graviorum ad imponendam pro illis pœnitentiam. Aliquandò cauſâ majoris humiliationis pœnitentis, & audientium ædificationem, & terrorem, fieri ſolebat hæc confeſſio publicè, & inter ſolemnia miſſarum. Quàdam autem die mulier nobilis ſe accuſando, accuſavit Diaconum, cùm quo peccaverat, de qua re grandis tumultus factus eſt in Eccleſia, quem audiens Nectarius prohibuit, ne deinceps publicè fierent confeſſiones, cùm ad remiſſionem peccatorum ſatis eſſet ſecreta, & Sacramentalis confeſſio; ad pœnitentiam verò agendam pro peccatis neceſſe non eſſet ea poſtea hominibus dicere, ſed ſatis erat, ſi corde verè pœnitente dicerentur coràm Deo. 52.

Ad ſecundam Confirmationem, Reſpondeo, Chryſoſtomum neque in illo, neque in ullo alio loco abrogâſſe confeſſionem Sacramentalem, quam à Chriſto inſtitutam eſſe ubique docet, ut conſtat ex num. 50. càmque ex verbis Chriſti probat hom. 85. in Jo, dicens: *Inſufflavit enim, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum cumque remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: quemadmodùm enim Rex præfectos mittens, ut in carcerem reos introducant, ut liberent, poteſtatem præbet; ita Jeſus diſcipulos dimittens hac munivit auctoritate.* Et infrà docens, non conſiderandos 53.

dos esse Sacerdotes, tanquàm conservos, sed tanquàm Dei Ministros à Deo institutos, ait: *Quare Paulus dixit: pro Christo legatione fungimur, tanquam Christo exhortante per nos: nonnè videtis sæculi principibus omnes subesse, & sæpè genere, vitâ, & prudentiâ potioribus deteriores præponi? Nihilominùs principis, qui eos præposuit, reverentia, nihil quales illi sint, cogitat; quòd si homo aliquem constituerit, tantus subit metus, si Deus quem constituit, despicimus, maledicimus, innumeris afficimus contumeliis; & cùm fratres nostros judicare prohibemur, contra Sacerdotem linguam acuimus.* Ex quo juxta phrasim Chrysostomi, honor, reverentia, & confessio facta Sacerdoti non est facta conservo, sed soli Deo.

54. Chrysostomus igitur nullatenùs abrogavit confessionem, quam Christus instituit, ut hæretici vanè gloriantur, sed rejecit eam aliam confessionem publicam abrogatam per Nectarium antecessorem suum ex num. 52. Docet itàque Chrysostomus, quòd postquàm pœnitens sua peccata confessus fuerit Sacerdoti, non tanquam homini, nec tanquam conservo suo, sed tanquam Deo, cujus vices tenet, posteà secretam pœnitentiam faciat de peccatis suis, non illa declarando iterùm hominibus, ut fieri solebat, sed soli Deo inter privatos parietes: hoc enim significant illa Chrysostomi verba: *non dico, ut confitearis ea conservo tuo, ne exprobret*; in quibus apertè loquitur de confessione publica, ex quo opprobrium, & confusio pœnitentium sequi solebat. Id etiam constat ex hom. 4. de Lazaro circa medium, ubi hæc habet: *Cave enim, homini dixeris, ne tibi exprobret: neque enim conservo confiteris, ut in publicum proferas, sed ei, qui Dominus est, ei qui tui curam gerit, & qui humanus est, & qui medicus est, ostendis vulnera.* Et infra inducit Deum sic cum peccatore loquentem. *Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes: mihi soli dic peccatum privatim, ut sanem ulcus, teque dolore liberabo.* Et hom. 31. in epistolam ad Hebr. sic exponit dicenda peccata: *Non dico tibi, ut ea tanquam pompam in publicum proferas, neque ut te accuses, sed ut pareas Prophetæ dicenti: Revela Domino viam tuam, apud Deum ea confitère, apud judicem confitère peccata tua, orans si non linguâ, saltem memoriâ: id est confitere apud Sacerdotem à Christo Judicem constitutum, petens veniam cum contritione, vel attritione habita si non exteriùs linguâ, saltem interiùs memoriâ.* Quibus in locis solùm intendit eam publicè confessionem abrogare, quæ hominibus fieri solebat; non autem secretam, & Sacramentalem, quæ fit Sacerdoti constituto Judici à Deo, illamque audienti nomine Dei, adeóque dicitur non homini, sed soli Deo facta: sic homil. 85. in Jo. dicit: *quidquid enim conatur Sacerdos, solius Dei donum est.* Ex quibus apparet, quàm longè distet verus Chrysostomi sensus à prava hæreticorum expositione.

Ex his apparet etiam magna, quæ semper adfuit, concordia in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ inter Ecclesiam Occidentalem, & Orientalem; nam illam confessionem publicam, quæ fieri solebat, non solùm rejecit Ecclesia Orientalis, verùm etiam sustulit illam Occidentalis, ut constat ex Leone Magno epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, ubi hæc habet: *Illam etiam contra Apostolicam Regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submovere, ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta confessio publicè recitetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus judicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, qua propter timorem Dei apud homines erubescere non veretur; tamen quia non omnium sunt hujusmodi peccata, ut qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare; removeatur tàm improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur &c. sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.* Quin imò Tridentinum, ex num. 37. non solùm declarat, nullum esse Divinum præceptum de confessione publica faciendâ, verùm addit, quòd talis confessio non à-tis consultè humana aliqua lege præciperetur, adeóque ex facto Nectarii, & Chrysostomi, potiùs roboratur concordia inter Ecclesiam Occidentalem, & Orientalem in administratione hujus Sacramenti, quàm impugnetur Christi institutio, quam Universa agnoscit Ecclesia.

§. III.

56. OBjicies ſeptimò contra tertiam Concluſionem. Ex illis Verbis Joan. 20. quibus Chriſtus inſtituit Sacramentum pœnitentiæ, non ſolùm inferimus poteſtatem ad remittenda mortalia, ſed etiam venialia: atqui non eſt obligatio declarandi in confeſſione omnia, & ſingula venialia: ergo neque omnia, & ſingula mortalia. Confirmatur primò ex Calvino: Contritio non eſt minoris efficaciæ in lege gratiæ, quàm in lege veteri: atqui in lege veteri peccator elicita contritione juſtificabatur, abſque ulla obligatione manifeſtandi alteri omnia, & ſingula ſua peccata, adeóque quin contritio eſſet votum Sacramenti pœnitentiæ: ergo etiam in lege Gratiæ. Confirmatur ſecundò: ex verbis Chriſti non colligitur, datam fuiſſe Apoſtolis poteſtatem inſtar judicii, ut eis omnia peccata manifeſtarentur, & pœnitentiam imponerent: ergo ex Verbis Chriſti non poteſt inferri obligatio manifeſtandi omnia peccata. Confirmatur tertiò: in aliis judiciis remitti ſolent peccata, quin omnia declarentur, neque maneat obligatio ea declarandi: tum etiam quin reus omnia declaret, ſufficitque, quòd per alium ea manifeſtet, ſivè reus ſit præſens, ſivè abſens: ergo ex poteſtate, quantumvis collata eſſet per modum judicii, non oritur hæc obligatio manifeſtandi omnia, & ſingula peccata. Confirmatur quartò: non minùs ex inſtitutione Baptiſmi confertur Miniſtro poteſtas ad ligandum, & ſolvendum, quàm ex inſtitutione pœnitentiæ, cùm non minùs ſit neceſſarius, neceſſitate medii, Baptiſmus, quàm pœnitentia: atqui poteſtas ad baptizandum non eſt per modum judicii: ergo neque poteſtas ad abſolvendum.

57. Reſp. diſt. Maj. inferimus eodem modo, nego: proportione ſervata, concedo Maj. & conceſsâ Min. nego conſeq. Ratio eſt, quia ſicut Dominus, quando dat famulo poteſtatem faciendi magnas Eleemoſynas, dat etiam faciendi exiguas, & non è contra; ita Chriſtus quando dedit poteſtatem Miniſtris remittendi peccata gravia, dedit etiam poteſtatem remittendi levia. Cæterùm cùm ea poteſtas clavium ſit ad aperiendum Cœlum peccatori clauſum propter peccatum, vel ad retinendũ clauſum, ſi peccatum non remittatur, & inter peccatum mortale, & veniale ſit hoc grande diſcrimen, quod per mortale claudatur Cœlum, nec aperitur, ſi in hoc Mundo non remittatur; ſecùs autem per veniale, quod poteſt in alia vita remitti Purgatorio; exindè mortale manet materia Confeſſionis neceſſaria; veniale verò materia libera, adeóque licèt non ſit obligatio confitendi materiam liberam, malè exindè infertur, non eſſe obligationem confitendi materiam neceſſariam. Ad primam Confirmat. diſt. Maj. Non eſt minoris efficaciæ, neque invenit in lege gratiæ obligationem, quam non inveniebat in lege veteri, nego; & invenit, concedo Maj. & conceſsâ Min. nego conſeq. quia contritio eſt ex ſe votum ſaltem implicitum adimplendi omnia, ad quæ homo tenetur, ut ſæpè diximus, cùm autem non teneretur ad confeſſionem in lege veteri, & teneatur in lege nova, ex eo non erat votum confitendi omnia, & ſingula peccata in lege veteri; benè verò in lege nova. Quod quidem immemores ſui docent Adverſarii de contritione infidelis adulti, reſpectivè ad Baptiſmum, quæ eſt in lege nova, apud ipſos, votum ſuſcipiendi Baptiſmum, & in lege antiqua non erat tale votum; non autem propter aliam, niſi propter rationem à nobis aſſignatam.

Ad ſecundam Confirmat. nego Antecedens: quia ex verbis Chriſti Domini habetur poteſtas, non ſolùm ad remittendum peccata: retinere autem propriè ſignificat aliquod poſitivum, quo res aliqua retinetur, adeóque in præſenti dicit, tanquam munus primarium, actum judicialem, non quidem meram negationem abſolutionis, ſed ſententiam latam retentionis, donec pœnitens reſtituerit, occaſionem aliquam peccandi præſciderit &c. à quibus peccatis, ne per contritionem quidem pœnitùs ſe liberare poteſt, niſi animum habeat ſe Sacerdotis arbitrio, & ſententiæ ſubmittendi. Retentio itaque propriè eſt actus judicialis in ſubditum prolatus, quando diſpoſitus accedit ad abſolutionem validè recipiendam, ſed nondùm fecit, quæ Confeſſarius neceſſariò facienda judicat, eáque fieri præcipit ante abſolutionem. Si enim accedat indiſpoſitus, non eſt, propriè loquendo, retentio, cùm nullum in eo effectum habeat

58.

beat circa permanentiam peccati; eodem quippè modo permaneret, licèt Sacerdos actu illo id non retineret. Munus secundarium hujus potestatis ligandi est obligatio ad satisfactionem, non tamen est propriè retentio peccatorum, cùm ea jam remissa sint per sententiam judicialem, nec ulteriori Sacerdotis judicio submitti debeant. Undè licèt possit etiam Sacerdos differre alicujus Baptismum; hoc tamen non est retinere alicujus peccata propriè, & juridicè, cùm non fiat in subditum, nec causâ cognita, nec per sententiam judicialem, adeóque ad summum potest vocari retentio impropria, & negativa. Quo in sensu explicandi sunt aliqui PP. ut notavit. Exim. Doctor disput. 17. sect. 2.

59. Ad tertiam Confirmationem, nego Conseq. quia pro diversitate Principum instituentium judicium, habentur respectu illius diversæ obligationes, & requisita: Christus autem non minùs potuit, quàm alii Principes, requisita propria apponere pro Judicio ab ipso instituto. Sic voluit, quòd Sacramentalis absolutio non conferretur absenti; quòd judicium hoc esset secretum, nec indigeret testibus, sed ipse pœnitens esset reus, & accusator sui, ut constat ex universæ Ecclesiæ consensu, à num. 11. & ex Regula, quam tradit August. lib. 4. de Bapt. cap. 24. ubi sic ait: *Quòd Universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Ad quartam Confirm. distin. Maj. non minùs, & eodem modo, nego, & diverso modo, transeat Maj. & concessâ Min. nego Conseq. quia per institutionem Baptismi, nulla fuit collata potestas ad inquirenda peccata baptizandi, neque ad imponendam satisfactionem pro peccatis; adeóque neque ad retinenda peccata propriè per modum judicii: neque unquam hanc judicialem potestatem agnovit Ecclesia Dei in Ministro Baptismi, ut constabit à num. 71. benè verò in Ministro Sacramenti pœnitentiæ, ut constat ex dictis: Minister enim Baptismi solùm habet potestatem ad retinendum negativè, & impropriè, ex numero superiori, quatenus ex judicio privato repellit indignos: non verò ex judiciali potestate collata à Christo pro remissione peccati, & retentione propriè & absolutè dicta, qualem habet Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

Objicies octavò ex Kemnitio Jo. 20. dixit Christus Apostolis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* atqui Christus ad absolvendum à peccatis non exigebat singulorum peccatorum confessionem, ut constat de Magdalena, Lucæ 7. & de Paralytico, Matth. 9. ergo, ut Ministri absolvant à peccatis, non exigitur singulorum peccatorum confessio. Confirmatur primò. Confessio publica abrogata fuit, & mutata in privatam tempore Decii Imperatoris; confessio autem privata abrogata fuit tempore Nectarii, ideóque præter Chrysostomum, Cassianus, Collat. 20. c. 8. Origenes Hom. 9. in Levit. Aug. lib. 10. Confes. cap. 3. & Ambros. lib. 10. in Lucam. c. 96. latè clarè insinuant, Confessionem Sacramentalem non esse Divini: ergo &c. Confirmatur secundò: quia confessio, quâ debeant declarari singula peccata, est carnificina Conscientiarum, nullam in Verbo Dei promissionem habens, in legem enumerationis peccatorum transformans Evangelium, & substituens gratuitæ Christi remissioni meritum enumerationis, & satisfactionis, adducendo conscientiam in dubitationem, & desperationem, cùm præcipiatur res impossibilis: constat enim, nos plura peccata, nec intelligere, nec meminisse ergo &c. Hæc sunt fundamenta Kemnitij, quibus imprudenter se jactat.

Resp. distin. Maj. sumptè ly *sicut* per identitatem, nego; per similitudinem, concedo Maj. & concessâ Min. nego Conseq. Ratio est, quia ut detur similitudo inter potestatem unius, & alterius; nequaquam requiritur, quòd sit eadem in utroque potestas; aliter non esset similitudo, sed identitas, quam & ipsi negant inter Apostolos, & Christum. Ad similitudinem autem non requiritur, quòd Apostoli habeant illam potestatem excellentiæ, quam habet Christus, ut remittere posset peccata, non solùm intra, sed etiam extra Sacramentum, ut præstitit cum Magdalena, & Paralytico; sed sat est, quòd habeant potestatem participatam ad remittenda peccata intra Sacramentum, quæ quoad speciem, & numerum debent Fideles ad Ministros Christi differre, prout ex jure Divino tradidit ab initio semper Ecclesia, ut constat à num. 11. Ad primam Confirmat. nego Antecedens, eternum

etenim tempore Decii Imperatoris non fuit abrogata, sed potiùs introducta publica confessio, ut latè ostendit Bellarmin. lib. 3. de pœnitentia. Quidquid tamen de hoc sit, privata, & secreta confessio jure Divino præcepta, nunquam fuit in Ecclesia Dei abrogata, neque tempore Nectarii, ex num. 52. sed ab initio Ecclesiæ fuit semper in usu, ut constat ex Scriptura, à num. 16.

62. Solùm ergo fuit abrogata secunda confessio publica peccatorum, de qua dumtaxat loquitur Cassianus, Chrysostomi discipulus: August. autem loquitur ibi de peccatis, quæ ipse commisit ante Baptismum, sicuti & Ambrosius, eo loco ab adversariis adducto, loquitur de peccatis, quæ Petrus commisit, antequàm institutum esset Pœnitentiæ Sacramentum, cùm autem peccata ante Baptismum commissa, non sint materia Sacramenti Pœnitentiæ, in vanum affertur locus ille Augustini, qui aliter loquitur de peccatis post Baptismum commissis, ex num. 7. 18. 48. & 50. Tum etiam cùm pecta Petri, quæ remissa fuêre, antequam institutum esset Pœnitentiæ Sacramentum, non fuerint remissa per hoc Sacramentum, sed per contritionem perfectam, imprudenter affertur pro re præsenti ille locus Ambrosii, qui aliter loquitur de remissione peccatorum fidelium post hujus Sacramenti institutionem, ex num. 11. ex quo ad secundam Confirmat. nego Antecedens, in quo solùm continentur impostura Kemnitii contra potestatem expressam, quam Christus dedit suis Ministris, & contra totius Ecclesiæ sensum, ut constat ex Scriptura, & PP. adductis, à num. 16. Quapropter meritò Tridentinum sess. 14. cap. 5. & per 15. insuper Canones Pœnitentiæ errores illos singillatim condemnat.

§. IV.

63. OBjicies nonò, contra doctrinam nostrarum illationum. Ex testimoniis Lateranensis, & Tridentini à nobis adductis non colligitur, obligari fideles ad confessionem validam semel in anno: ergo doctrina nostra ex his principiis deducta nulla est. Probatur Antecedens: quando dicimus præceptum Ecclesiasticum determinare tempus, in quo fieri debeat istud Sacramentale judicium, vel intelligimus determinare tempus, præcipiendo confessionem; vel solùm intelligimus determinare tempus, ut fiat confessio, non quidem præcepta ab Ecclesia, sed à solo Christo? Si primum: ergo pugnamus contra Tridentinum num. 26. citatum, dicens: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur.* Si secundum: ergo cùm præceptum non impositum violari non possit, qui non confitetur, non violat præceptum Ecclesiasticum de confessione facienda, adeóque ad nihil tenetur, vi talis præcepti Ecclesiastici. Confirmatur. Confessio Sacramentalis dolorem de peccatis exigit, & includit: atqui dolor, cùm sit actus purè internus, non potest cadere sub præcepto Ecclesiæ, actus enim purè interni, cùm per se non cadant in notitiam sensibilem, non possunt esse intra sphæram humanæ gubernationis, solúmque subjiciuntur illi, qui omnium hominum secreta novit: ergo confessio Sacramentalis non potest cadere sub præcepto Ecclesiæ.

64. Resp. nego Antecedens. Ad probationem dico: Ecclesiam determinando tempus præcipere, ut confessio à Christo præcepta, & instituta, adeóque valida fiat eo tempore, neque per hoc opponimur Tridentino, quòd eo loco solùm intendit docere, Concilium Lateranense non statuisse, confessionem fieri, quasi præciperet, quòd Christus non præceperat; non autem negat, quòd Lateranense præceperit confessionem à Christo præceptam fieri, semel saltem in anno, imò hoc supponit Tridentinum variis in locis; præcipuè sess. 14. Can. 8. dicens: *Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam, & ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta Magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, ... anathema sit.* Cùm autem constitutio Concilii Lateranensis non sit Consilium, sed rigorosum præceptum, ex num. 26. exindè manifestè patet, per Lateranense, & Tridentinum præcipi confessionem à Christo præceptam, determinando, ut saltem fiat semel in anno. Quinimò si Ecclesia confessionem non præciperet, qui non confiteretur, non transgrederetur Eccle-

siæ præceptum : nemo enim violat præceptum Ecclesiæ, quando Ecclesia præceptum non imposuit : dicere autem non violari tunc Ecclesiæ præceptum, damnatum est ab Alexandro VII. ex n. 25.

65. Ad Confirmationem, concedo Maj. & dist. Min. Non potest cadere sub præcepto Ecclesiæ dolor purè internus, nudè sumptus, permitto : dolor constituens totũ mixtum ex interno, & externo, nego Min. & conseq. Ratio est, quia Ecclesia potest præcipere, ut actus externus dignè moraliter fiat; cùm autem, ut fiat dignè moraliter, requiratur opus mixtum ex interno, & externo, præcipit directè totum mixtum ex interno actu, & externo. Sic quando Tridentinum citatum num. 23. ait, quòd percipiatur Eucharistia dignè, & sine conscientia peccati mortalis, in casu, quo Sacerdos debeat celebrare, & non sit copia Confessarii, clarè docet, illum debere elicere perfectum actum contritionis constituentem unum totum morale cum externa sumptione, simúlque præcipiens, ut Sacerdos, quàm primùm possit, confiteatur, directè præcipit contritionem internam constituentem unum totum morale cum confessione externa. Finis enim potestatis Legislativæ, quam Christus Dominus contulit Ecclesiæ, est in ordine ad finem supernaturalem, ad quem non conducit opus externum, nisi quando constituit totum cum interno, adeóque se extendit ad præcipiendum directè opus mixtum ex interno, & externo; aliter qui solùm haberet peccatum purè internum, non obligaretur ex præcepto Ecclesiæ ad annuam confessionem, quod dici non potest.

66. Qua de causa in jure Canonico sunt plures textus, in quibus Ecclesia directè præcipit, aut prohibet hæc opera mixta, quos textus habes apud Exim. Doctorem lib. 4. de leg. cap. 13. num. 3. per hæc verba: *Primum sit Caput, omnis utriúsque, de pœnitentiis, & remissionibus, quatenùs præcipiendo confessionem annuam, præcipit dolorem necessarium, & confessionem cogitationum merè internarum. Secundum est Caput, Dolentes de Celebrat. Miss. & Clementina 1. ubi præcipitur Clericis recitatio attenta, & devota. Tertium ex Cap. Commissa §. Cæterùm, de electione in sexto, ubi punitur, qui recipit beneficia absque intentione suscipiendi debitum ordinem intra annum, nisi mutatâ voluntate ordinetur. Quartò ex Clement. 1, §. Verum de Hæreticis, ubi Inquisitores, qui ex odio, vel intentione turpis lucri omittunt contra justitiam, & conscientiam procedere contra aliquem in casu fidei, excommunicantur. Quintò ex Clement. 1. de Statu Monach. ubi Monachus Benedictinus, sine licentia se conferens ad Curiam animo accusandi Prælatum, excommunicatur, & non sine tali intentione. Sextò ex cap. si quis ollarum dist. 30. ubi excommunicatur, qui ex contemptu, vel externa superstitione jejunium Ecclesiasticum non servaverit, & non aliàs, cùm tamen contemptus, actus interior sit. Et eodem modo solent jura Canonica excommunicare facientes hoc, vel illud scienter, aut temerè &c.* Hucúsque Exim. Doctor.

Consultò dixi in responsione : Ecclesiam præcipere directè opus mixtum, ne incongruenter loquerer cum illis, qui dicunt, Ecclesiam præcipere in opere mixto directè actum externum, & indirectè internum, contra quos vehementer invehitur, & meritò Caramuel in Theologia fundamentali editionis anni 1657. fundamento 24. num. 700. Ratio est, quia illa præcipiuntur indirectè, sine quibus poni non possunt, quæ præcipiuntur directè : atqui sine attentione interna (idem suo modo de aliis) potest poni mera, & pura Psalmorum lectio externa : ergo cum mera lectio externa directè præcipitur, non ex eo præcipitur indirectè attentio interna. Consultò etiam permisi, quòd Ecclesia non possit præcipere actum internum nudè sumptum, nam probabilius judico, quòd Ecclesiæ potestas etiam se extendit ad ita imperandum : nam cùm Christus Dominus concesserit potestatem illimitatam Ecclesiæ ad ea omnia, quæ conducunt in gubernatione ad vitam æternam consequendam, & non solùm conducant opera mixta, sed etiam actus purè interni, non est ratio, cur limitetur ea potestas ad actus externos. Quinimò si Ecclesia exercet potestatem directè in actum mixtum, præcipiendo directè internum, & externum, cur potens præcipere duo, non poterit præcipere unum, nimirùm solum internum ? Quapropter

D. Thom.

D. Thom. & alii, qui negare videntur hanc poteſtatem, eam reverâ non negant quoad poteſtatem directivam obſtringentem conſcientiam, neque quoad coactivam internam, quâ Eccleſia præcipiat ſub pœna latæ excommunicationis actum purè internum; ſed ſolùm quoad poteſtatem coactivam, quâ per publicam ſententiam ſtatim poſt commiſſum delictum ferat ſententiam contra transgreſſorem, quam poteſtatem Eccleſia non habet, cùm occulta cordis non agnoſcat. Videatur Cardenas ſupra propoſitiones ab Innocentio XI. damnatas diſſert. 34. cap. 2. num. 17.

68. Objicies decimò: Qui ſingulis annis tenetur ſolvere unum nummum aureum, ſi præterito anno non ſolvit, tenetur anno præſenti duos ſolvere, unum quidem pro anno præterito, & alium pro præſenti: ergo idem dicendum erit de eo, qui ſingulis annis tenetur ad unam confeſſionem faciendam. Confirmatur: Eccleſia præcipiens confeſſionem ſemel in anno præcipit, ut fiat confeſſio de omnibus peccatis, quæ commiſſa ſunt intra annum: illa enim verba, *omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno confiteatur*, non ſolùm ſignificant, teneri quempiam ad confitendum eo anno omnia peccata, quæ habet, quando confitetur, ſed etiam quæ poſt illam confeſſionem committat intra eundem annum; aliter poſſet abſque hujus præcepti violatione per 23. menſes non confiteri, nimirum ſi hoc anno ad initium Januarii, & anno ſequenti ad finem Decembris confiteretur: ergo &c. Reſp. concedo Antec. & nego conſeq. Ratio eſt, quia ſolutio illa præcipitur propter æqualitatem juſtitiæ conſtituendam, quæ non ſervatur, niſi ſolvantur duo nummi aurei; at verò confeſſio præcipitur, ut quis cum Deo reconcilietur, ſubjiciendo Eccleſiæ clavibus omnia, quæ poſt diligens conſcientiæ examen memoriæ occurrunt, quod jam obtinetur per illam unicam confeſſionem, quod etiam Adverſarii fatentur, docentes, non teneri intra hunc annum facere 30. Confeſſiones, qui 30. annis non eſt confeſſus. Ad Confirmat. nego Antec. illa enim verba nequaquam ſignificant obligationem confitendi iterum intra eundem annum alia peccata mortalia, quæ poſt ultimam eam confeſſionem committantur: Neque ullum eſt in eis verbis fundamentum ad talem expoſitionem. Qui enim hodiè confitetur omnia peccata, quæ poſt diligens conſcientiæ examen memoriæ occurrunt, adimplet præceptum à Chriſto, & Eccleſia impoſitum ex num. 28. adeóque, qui in caſu appoſito per 23. menſes non confiteretur, ſi aliundè confeſſus eſſet ſemel in anno omnia peccata, quæ poſt diligens conſcientiæ examen memoriæ occurrebant, nequaquam transgrederetur præceptum de annua confeſſione. Si autem poſt eam confeſſionem peccaret, ſicut non tenebatur tunc ad confitenda peccata futura, ita neque ad ea eo anno iterum confitenda ex vi adimpletionis præcepti, quod jam adimpletum erat. Neque unquam fideles de tali transgreſſione ſe accuſant, neque Eccleſia ullibi talem obligationem proponit. Reliqua argumenta, quæ hìc fieri poſſent, præoccupata jam ſunt in fundamentis doctrinæ noſtræ.

* * *

DISPUTATIO II.

DE ESSENTIA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

69. DUplex eſt in quovis Sacramento compoſito ex num. 42. de Sacramentis: prima ex rebus, & verbis, v. g. in Baptiſmo ex ablutione, & verbis, in Confirmatione ex Unctione Chriſmatis, & verbis, in Pœnitentia ex actibus pœnitentis, & verbis. Res autem dicuntur materia, & verba dicuntur forma primæ hujus compoſitionis. Cæterùm quia hæc compoſita accidentalia, ad placitum inſtituta ſunt à Chriſto in Sacramentum, reſultat ſecunda compoſitio ex talibus compoſitis, & Chriſti inſtitutione. In hac autem ſecunda compoſitione totum primum compoſitum eſt materia, & inſtitutio Chriſti forma. Sic in ramo, ut eſt ſignum vini venalis, conſideratur duplex compoſitio, prima ex partibus phyſicis rami, ex quibus una eſt materia, & altera forma. Cæterùm quia totum illud com-

positum rami ex materia, & forma instituitur à voluntate hominum in signum vini venalis, resultat secunda compositio, in qua institutio hominum est forma, compositum autem ex materia, & forma rami est materia talis institutionis. Sacramentum istud fuisse institutum à Christo, constat ex tota disputatione præcedenti, adeóque & constat ratio, propter quam institutio Christi est forma secundæ compositionis. Quærimus modò, quid instituat Christus in hoc Sacramento: sivè quænam sit materia, & forma primæ compositionis.

SECTIO I.

De Metaphysico, & Physico constitutivo.

§. I.

70. Asfero primò. Sacramentum pœnitentiæ Theologicè sumptum pro significatione practica effectus interioris, ita metaphysicè definitur: *Sacramentum per se remissivum peccatorum ab homine Christiano commissorum.* Probatur primò, & explicatur simul Conclusio: *Sacramentum per se remissivum peccatorum: est genus*, quo pœnitentia convenit cum Baptismo, nec convenit cum ullo alio Sacramento; ideóque strictissimè est genus proximum. Neque damus hìc definitionem Sacramenti, quam notam supponimus ex tractatu de Sacramentis, pro qua apponimus particulam *Sacramentum*, ut præcidatur scrupulus apponendi definitum in definitione; reliquæ autem particulæ sunt differentia, quâ hoc Sacramentum distinguitur à Sacramento Baptismi. Neque dicimus: peccatorum hominis Christiani, sed ab homine Christiano commissorum, ut natura hujus Sacramenti clariùs innotescat. Peccata enim adulti baptizati, quæ commisit ante Baptismum fictè susceptum, sunt modò peccata hominis Christiani, & tamen Sacramentum pœnitentiæ non est per se remissivum illorum peccatorum: quia peccatum solùm committitur, quando fit, adeóque illa sunt peccata commissa ab homine non Christiano; Sacramentum verò pœnitentiæ per se solùm est remissivum peccatorum, quæ ab homine Christiano commissa sunt: ergo data definitio per rectum genus, & differentiam explicat naturam hujus Sacramenti.

Probatur secundò, & explicatur ulteriùs Conclusio contra novam aliquorum Recentiorum sententiam: peccata ante Baptismum commissa nullatenùs sunt materia remota Sacramenti pœnitentiæ, adeóque qui ea sola confiteretur, vel qui ab illis absolveret, peccaret mortaliter contra institutionem hujus Sacramenti: ergo adæquatum, & Metaphysicum constitutivum Sacramenti pœnitentiæ stat in definitione à nobis exposita. Probatur Antecedens contra eos Recentiores, qui hac tempestate acerrimè defendunt, peccata ante Baptismum commissa esse materiam Sacramenti pœnitentiæ, non quidem necessariam, sed sufficientem: etenim Sacramentum pœnitentiæ solùm potest remittere peccata, ad quorum remissionem fuit à Christo institutum: atqui non fuit institutum ad remittenda peccata commissa ante Baptismum, sive quod idem est, ab homine non Christiano: ergo &c. Probatur Minor ex Tridentino sess. 6. cap. 14. dicente: *Etenim pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus Sacramentum instituit pœnitentiæ, cùm dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Unde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multò aliam esse à Baptismali.* Sic etiam sess. 14. cap. 1. *Sacramentum pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur*: tum etiam cap. 2. *constat certò, Baptismi Ministrum judicem esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi (inquit Apostolus) de iis, qui foris sunt judicare? Secùs est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi, sui corporis membra semel effecit. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cùm id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc Tribunal, tanquam reos sisti voluit.* Ergo &c.

Con-

Confirm. ex Consensu ferè omnium
72. Theologorum: etenim Exim. Doctor disp. 18. sect. 1. cum D. Thoma, & antiquis Theologis de peccatis ante Baptismum commissis hæc habet: *Talia peccata non tantùm non sunt materia necessaria, verùm nec sufficiens, nec debet illa quis Sacramentaliter confiteri, cùm ab eis non possit Sacramentaliter absolvi. In quo etiam Theologi conveniunt, quamvis sine fundamento sentiat oppositum Angelus, verbo confessio.* Idem docet Vasquez quæstione 90. dub. 2. art. 1. Turrianus disput. 2. de pœnitentia dub. 1. & Martinus Perez disput. 16. sect. 5. num. 2. ajunt, hoc esse certum. Bonacina disput. 5. de pœnitentia, quæst. 3. punct. 1. num. 4. dicit, hoc videri, tanquam de fide definitum, quod apud reliquos Theologos adeò certum est, ut potiùs hanc veritatem supponant, quàm probent. Aliter eâdem libertate, quâ dicitur, peccata sola post Baptismum commissa esse materiam necessariam; secùs autem sufficientem, adeóque Tridentinum, quando dicit institutum hoc Sacramentum pro hominibus post Baptismum lapsis, intelligi de necessitate; secùs de facultate illud suscipiendi; posset etiam dici, peccatum originale non esse materiam necessariam, benè verò sufficientem Sacramento pœnitentiæ; adeóque quando Tridentinum dicit, dolorem de peccato commisso esse materiam hujus Sacramenti, intelligi de materia necessaria, secùs de sufficiente, ad quam sufficeret dolor de peccato contracto: sed hoc neque ipsi Adversarii audent dicere: ergo &c.

73. Assero secundò: Contritio, Confessio, & satisfactio sunt partes materiales intrinsecæ Sacramenti pœnitentiæ in prima sui compositione: Absolutio verò est pars formalis intrinseca. Constat Conclus. ex tract. de Sacram. à num. 29. Nunc autem probatur facilè ex Trident. sess. 14. cap. 3. ubi hæc habet: *Docet præterea Sancta Synodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ejus vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c.* & subjungit: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio.* Modò sic: in ea parte formali consistit præcipuè vis Sacramenti pœnitentiæ, quæ est pars formalis intrinseca; pars enim extrinseca non est adeò præcipua, sicut intrinseca: atqui absolutio ex Tridentino est forma, in qua vis hujus Sacramenti præcipuè consistit: ergo est forma, sive pars formalis intrinseca. Rursus: non potest dari forma intrinseca alicujus totius absque materia intrinseca, neque virtus magis principalis absque minùs principali: atqui ex Tridentino forma absolutionis constituit hoc Sacramentum, tanquam cum materia, cum contritione, confessione, & satisfactione: ergo contritio, confessio, & satisfactio sunt partes intrinsecæ hujus Sacramenti, licèt minùs principales.

Respondebis: Tridentinum non dixisse de contritione, confessione, & satisfactione esse materiam, sed quasi materiam, adeóque exindè non inferri, esse partes intrinsecas, sed extrinsecas. Contra tamen primò: ly *quasi* licèt significet aliquando similitudinem, etiam significat aliquando identitatem, ut constat ex Jo. 1. ubi de Christo dicitur: *Vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre:* Sic quando admiramur Regem magno cum splendore venientem, dicimus venit quasi Rex, adeóque significatio illius particulæ, an sit de identitate, an de similitudine, inferenda est ex contextu: sed ex contextu constat, ly *quasi* significare identitatem, seu materiam intrinsecam: ergo &c. Probatur Min. in illo textu Tridentinum non loquitur de absolutione, tanquam de forma extrinseca, sive quasi forma, solùm per similitudinem, sed de absolutione, quæ est vera, & intrinseca forma, ut constat ex numero superiori: atqui non potest dari intrinseca forma totius, absque intrinseca totius materia: ergo quando Tridentinum pro materia, quâ absolutio componit hoc Sacramentum, assignat contritionem, confessionem, & satisfactionem, non loquitur de materia extrinseca, adeóque ly *quasi* non significat apud Concilium similitudinem, sed identitatem. Contra secundò ex Catechismo Romano titulo de pœnitentia, de actibus pœnitentis ita loquente: *neque enim hi actus, quasi materia à Sancta Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptis-*
74.

Baptismo, & Chrisma in Confirmatione: ergo &c. Ex his autem oritur nova difficultas, nam partes intrinsecæ aliæ sunt essentiales, aliæ integrales, ut constat ex aliis compositis. Quærimus ergo inter istas partes: quænam sint essentiales, & quænam integrales.

75. Assero tertiò: Absolutio, Contritio, & Confessio sunt partes essentiales; satisfactio verò est pars integralis Sacramenti pœnitentiæ. Probatur primò: Illæ sunt partes essentiales, quæ sunt partes intrinsecæ totius, & quibus deficientibus totum deficit: Sic materia prima, & anima rationalis sunt partes essentiales hominis; illa verò est pars integralis, quæ est pars intrinseca totius; attamen illâ deficiente, non ex eo deficit totum. Sic brachium dicitur pars hominis integralis: atqui licèt Absolutio, Contritio, Confessio, & Satisfactio sint partes intrinsecæ Sacramenti pœnitentiæ ex num. 73. ita tamen illud constituunt, ut deficiente absolutione, contritione, vel confessione, deficiat Sacramentum, secùs autem deficiente satisfactione: ergo &c. Probatur Min. deficiente absolutione, & accusatione deficit judicium absolutivum rei, adeóque & Sacramentum pœnitentiæ, quod ut definit Tridentinum sess. 14. cap. 5. institutum est per modum judicii.

76. Deficiente etiam Contritione, ut & ipsi Adversarii fatentur, Sacramentum deficit, quod est reconciliativum hominis fidelis cum Deo, ut definit Tridentinum ea sess. 14. cap. 1. quæ reconciliatio in hac Divina providentia requirit actum pœnitentiæ ex illo Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Quinimò hoc Sacramentum dicitur pœnitentia ab actu pœnitentiæ, quo essentialiter constituitur, ideóque ut definit Tridentinum cap. 4. actus contritionis est præcipuus inter pœnitentis actus hujus Sacramenti constitutivos: undè non minùs deficeret Sacramentum ex defectu contritionis, quàm confessionis. Cæterùm deficiente satisfactione, non exindè deficit Sacramentum, ut patet quando Confessarius invincibiliter obliviscitur injungere pœnitentiam, vel quando illam injungere non potest, ut constat in moribundo sensibus destituto, quibus in casibus, ut constat ex praxi, & totius universalis Ecclesiæ consensu, datur, essentiale Sacramentum pœnitentiæ: ergo &c.

Probatur secundò ex Tridentino sess. 14. cap. 3. dicente: *Sunt autem, quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentiæ actus, nempè Contritio, Confessio, & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Ex quibus constat, non solùm loqui Concilium de partibus à Deo institutis ad essentiam, sed etiam ad Sacramenti integritatem habendam, adeóque ex contextu Concilii, & praxi Ecclesiæ, à Theologis inferendum est, quænam ex his sint essentiales, quænam autem integrales; certum enim est, Concilium non loqui de his partibus, tanquam de puris dispositionibus ad Sacramentum requisitis; sed ut institutis à Christo Domino ad essentiam, & integritatem Sacramenti pœnitentiæ constituendam: absolvit enim præsens caput per hæc verba: *Hæc de partibus, & effectu hujus Sacramenti Sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui pœnitentiæ partes incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt.*

Terrores autem conscientiæ dispositiones congruæ sunt, ut peccator obtineat remissionem peccatorum: fides etiam est dispositio essentialiter requisita, ut constat ex ipso Concilio sess. 6. cap. 8. dicente: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire*, ut diximus num. 110. de Sacramentis, adeóque ex eo, quòd ex hac definitione Concilii, diverso modo requirantur ex Christi institutione Contritio, Confessio, & Satisfactio, quàm fides, certum est, eas non requiri, ut extrinsecè se habentes, sed ut intrinsecè, ex Christi Domini institutione, Sacramentum istud constituentes; adeóque proindè, tanquam partes essentiales, aut integrales, cùm istæ solùm partes sint intrinsecè constitutivæ totius: atqui ex praxi, & usu totius Ecclesiæ satisfactio, non est pars essentialis: benè verò Absolutio, Contritio, & Confessio, ut constat ex numero superiori: ergo &c.

Confirmatur ex Catechismo Tridentini doctri-

doctrinam nostram, titulo de Pœnitentia, clarè tradente per hæc verba: *Hæ autem partes ex earum partium genere esse dicuntur, quæ ad aliquod totum constituendum necessariæ sunt: quoniam quemadmodum hominis corpus ex pluribus membris constat; manibus, pedibus, oculis, & aliis hujusmodi partibus, quarum aliqua si desit, meritò imperfectum videatur; perfectum verò, si nulla desideretur; eodem etiam modo pœnitentia ex hisce tribus partibus ita constituitur, ut quamvis, quoad ejus naturam attinet, Contritio, & Confessio, quibus homo justus efficitur satis sit: tamen nisi etiam tertia pars, id est satisfactio, accedat; aliquod ei omninò ad perfectionem desit necesse sit*: ergo &c. Ex quibus præoccupatæ manent Adversariorum responsiones, quas dedimus, & impugnavimus à num. 39. de Sacramentis. Exindè.

§. II.

10. Fit primò: Absolutionem, Contritionem, & Confessionem, utpotè partes essentiales hujus concreti moralis *Sacramentum*, debere omnes existere moraliter per virtualem ipsarum permanentiam, ut Sacramentum constituatur, ex num. 132. de Sacramentis. Ratio est, quia sicut partes physicæ requiruntur ad constituendum compositum physicum; ita partes morales requiruntur ad constituendum compositum morale: atqui partes, quæ simul physicè non existunt, non possunt simul constituere compositum physicum: ergo partes, quæ simul moraliter non existunt, nequeunt constituere simul compositum morale. Permanentia autem moralis partium, ut aliquis effectus adhuc ab ipsis oriri possit, non potest ex alia regula, quàm ex prudentum judicio definiri, consideratâ uniuscujusque partis naturâ: etenim secundùm diversam naturam, & significationem partis deducenda est sufficiens, vel insufficiens illius existentia, & permanentia. Quapropter Absolutio, cùm tendat in præsentem, ut patet ex illis verbis *absolvo te*, non potest constituere unum totum morale cùm reliquis partibus, si conferatur absenti, ut infrà ex Conciliis probabimus. Sic etiam Contritio, sive perfecta, sive imperfecta, quæ ex dictis à num 430. de Virtute, satis est ad constituendum hoc Sacramentum, si taliter non permaneat, ut ex vi illius adhuc ille, qui confiteatur, verè pœnitens reputari possit, non erit sufficiens; benè verò, si ita permaneat virtualiter, idque certum esse, juxta omnes Theologos, testatur Exim. Doctor disput. 20. sect. 4.

11. Fit secundò: non sufficere ad praxim opinionem solùm speculativè probabilem de sufficientia doloris, sed requiri tutam ex Innocentio XI. citato num. 470. de Virtute, & latè diximus à num. 308. de Sacramentis. Materia autem tuta est dolor antecedens confessionem, relatè ad illam elicitus, vi cujus Confessio fit. Totum hoc fieri communiter solet, quando quis recogitat peccata sua in ordine ad confitendum illa, & tunc dolet de peccatis in ordine ad confessionem. Ratio est, quia ut defendunt Coninck disput. 4. dub. 6. Layman lib. 5. cap. 4. aliique Recentiores, & favere satis videtur Exim. Doctor disput. 20. sect. 4. num. 29. cùm sola confessio, & dolor sint inter actus pœnitentis partes essentiales Sacramenti, & istæ debeant fieri sensibiles; dolor qui in se sensibilis immediatè non est, debet fieri sensibilis per confessionem: atqui si confessio ex eo dolore non procedat, non potest reddere dolorem sensibilem: ergo debet procedere ab eo dolore, adeóque dolor debet esse prior confessione cum ea prædicta relatione ad illam. Quamvis enim hæc ratio demonstrativa non sit, contrariúmque doceant plures Doctores, quos citat, & sequitur Arriaga disp. 37. sect. 2. & Tamburinus in Methodo lib. 2. c. 2. §. 4. nihilominùs est probabilis, & tutior, adeóque in praxi amplectenda.

12. Qua de causa, quando aliqui bonâ fide confessi sunt, absque prævio dolore ante absolutionem, admonentur à Confessario, ut dolorem eliciant de illis peccatis in ordine ad Absolutionem; manifestatio autem illius doloris in eis circumstantiis in ordine ad confessionem est accusatio, & confessio peccatorum, quorum particularem notitiam habet jam Confessarius; ac proinde sufficiens est, ut validè, & licitè impendatur absolutio, prior enim accusatio verbalis quasi retrotrahitur, ut ex Ecclesiæ praxi satis constat. Quinimò Cardenas dissertat. 2. num. 88.

judicat, dolorem ita elicitum esse certò validum, quantumvis uno, vel duobus diebus ante confessionem habeatur, si posteà absque illius retractatione homo ex tali dolore moveatur ad confessionem. Ratio illius est, quia cùm tempus unius, vel alterius diei sit adeò breve, optimè intelligitur, quomodò dolor ille possit in confessionem influere; secùs autem si diuturnitas temporis esset major, cùm valdè dubium sit apud prudentes, an post majorem temporis distantiam dolor ille possit influere. Cæterùm si iste author loquatur de dolore nullum sui effectum relinquente, non benè illum appellat moraliter permanentem, & virtualiter perseverantem, ex num. 132. de Sacramentis. Si verò aliquem relinquat effectum sui, non est cur, si ad duos dies extendi possit, non valeat etiam ad aliquod amplius extendi, & majorem habere durationem, ut patet in illo, qui ex intenso dolore per plures dies conscientiam examinat, & se ad Absolutionem disponit. Videatur Gobat tract. 6. de contr. casù 6. à num. 46. usque ad 148. Exindè.

83. Fit tertiò: sententiam docentem, non requiri novum dolorem, quando quis confitetur peccata jam olim confessa, non manere practicè probabilem, licèt re verâ probabilis sit speculativè, ut defendunt Cardin. de Lugo, Dicastillo, & plures alii, quos citat, & sequitur Moya tom. 1. select. tract. 3. disput. 5. quæst. 8. Ratio est, quia ista opinio non est certa, neque sui Authores defendunt illam, ut certam, sed ut probabilem. Quinimò Enriquez in summa lib. 4. cap. 26. num. 7. Filliucius tom. 1. tract. 6. plurésque alii oppositam sententiam defendunt, eâ ducti ratione, quòd non minùs requiratur dolor, ut pars essentialis, quàm confessio: sed unica confessio non potest deservire ad duas absolutiones, seu ad duo Sacramenta numero distincta constituenda: ergo neque idem dolor. Unde ea opinio non manet practicè, sed solùm speculativè probabilis, cùm probabile sit, sufficere eundem dolorem ad duas absolutiones; sicuti idem Christi Corpus ad constituendum duo Sacramenta Evchariſtiæ numero diversa.

84. Fit quartò, cùm Cardin. de Lugo, Cardin. Pallavicino, Dicastillo, & aliis: propositum vitandi mortalia, & venialia, ex motivo universali conceptum, non intelligi retractatum per aliquod veniale postea commissum; adeóque sufficere ad confessionem mortalium, imò & ad venialium diversæ speciei, quorum dolor retractatus non est: Ratio est, quia dolor, licèt sit universalis de omnibus peccatis, inæqualiter tamen ad illa, juxtà eorum inæqualitatem, terminatur, ità ut magis mortalia, quàm venialia, detestetur, ut ex ipsa virtuosi actus natura manifestè constat. Quapropter licèt per veniale commissum post illum dolorem, & ante Absolutionem retractetur dolor, prout ad venialia illius speciei terminatus, perseverat tamen, prout ad mortalia, & venialia graviora se extendit, quod satis est, inquiunt Authores citati, ut sine scrupulo possit quis non iterato doloris actu recipere Absolutionem.

Fit quintò: confessionem formaliter integram requiri necessitate Sacramenti; Confessionem verò integram materialiter necessariam esse necessitate præcepti. Ratio est, quia Confessio materialiter integra est ea, in qua declarantur omnia peccata mortalia, quæ habet pœnitens, alias nondùm ritè confessa; formalis verò est ea, in qua aperiuntur omnia modo, quo hìc, & nunc pœnitens tenetur, & potest; etiamsi aliundè taceat, quæ declarare non tenetur. Ratio est, quia qui confitetur omnia, ad quæ tenetur, adimplet obligationem ad validam confessionem, & sui accusationem requisitam, adeóque & potest elicere veram Contritionem, sivè perfectam, sivè imperfectam, constitutivam Sacramenti; sicque Sacerdos impendere potest Absolutionem: atqui posita vera confessione, Contritione, & Absolutione, datur verum pœnitentiæ Sacramentum, quod dari non potest deficiente requisito essentiali Sacramenti: ergo Confessio formaliter integra est necessaria necessitate Sacramenti; secùs integra materialiter. Quando autem aliquis culpabiliter non facit confessionem materialiter integram, neque potest elicere Contritionem ad Sacramentum requisitam, utpotè cum actuali peccato incompossibilè, adeòq; non recipiet validum pœnitentiæ Sacramentum. Cæterùm de his infra latiùs agemus, quando 87.

do de cauſis ab integritate materiali confeſſionis excuſantibus ſermo ſit.

86. Fit ſextò: Satisfactionem non eſſe partem eſſentialium Sacramenti Pœnitentiæ, non ſolùm ut opere impletam, verùm neque ut injunctam à Confeſſario, neque ut acceptatam à pœnitente: Ratio eſt, quia Sacramentum pœnitentiæ dari poteſt ſecundùm tota ſua eſſentialia, quin detur ſatisfactio opere impleta, vel injuncta, vel acceptata, ut patet in caſibus appoſitis num. 76. vel quando conſtaret, omnem pœnam eſſe remiſſam, & opus non eſſet ulla pœnitentia medicinali, vel quando confeſſio eſſet ultima diligentia, ad lucrandum Jubilæum, vel Indulgentiam Plenariam: cùm enim in his caſibus detur tota eſſentia Sacramenti, quin detur ſatisfactio, aut opere impleta, aut injuncta, aut acceptata, talis pœnitentia nequit eſſe pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ. Unde in eo Sacramento, in quo ſatisfactio eſt pars intrinſeca, non eſt eſſentialis, ſed integralis, cùm hoc ſit diſcrimen aſſignatum à Philoſophis, & Theologis inter partem eſſentialem, & integralẽ. Si verò Peccata jam ſint omninò remiſſa, quoad culpam; cùm tunc pœnitentia neceſſaria non ſit, ne aliquid de perfectione Sacramenti deficiat, Sacramentũ illud non erit abſque ſatisfactione imperfectum, adeóque ſatisfactio non erit pars integralis illius Sacramenti: ſic capilli in barba ſunt de integritate hominis adulti; ſecùs autem pueri: quia licèt ſint perfectio ſtatûs adoleſcentiæ, non ſunt perfectio ſtatûs pueritiæ. Pariter ſatisfactio Sacramentalis eſt perfectio Sacramenti, quando adeſt pœna remittenda, ut conſtat ex num. 77. ſecùs autem quando non adeſt, ut ex dictis, & ex univerſali praxi Eccleſiæ conſtat.

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

§. I.

87. OBjicies primò, contra primam Concluſionem. Sacramentum pœnitentiæ, non ſolùm eſt per ſe remiſſivum peccatorum ab homine Chriſtiano commiſſorum, ſed etiam commiſſorum ante Baptiſmum, ſi poſteà ab homine Chriſtiano clavibus Eccleſiæ ſubjiciantur: ergo data definitio non explicat adæquatam eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ. Probatur Antecedens: Jurisdictio in foro Sacramentali poteſt exerceri in perſonam ſubditam, licèt delictum commiſſum fuerit ab illa perſona, qnando ſubdita non erat: Sic qui Neapoli, dum ſubditus eſſet ejus Epiſcopi, delicta commiſit gravia, & poſteà tranſiit Mediolanum, ibique domicilium figit, debet ab illis abſolvi ab Epiſcopo Mediolanenſi, cui ſubditur tempore confeſſionis, quamvis ſubditus non eſſet, quando ea peccata commiſit: perſona enim modò huic Epiſcopo ſubjecta, quæ extra ejus Diœceſim peccatum aliquod commiſit, non poteſt abſolvi ab eo Epiſcopo, in cujus Territorio peccavit, ſed à ſuo proprio, cui ſubjecta eſt. Quòd ut certum docet Exim. Doctor diſputat. 25. ſect. 1. num. 18. qua de cauſa poteſt quis in Religione abſolvi à peccatis, quæ commiſit in ſæculo, quia licèt non eſſet ſubditus Religioni, quando ea commiſit; ſubditus tamen eſt, quando ea confitetur, ut docet Cardin. de Lugo diſput. 19. num. 9. & Arriaga diſput. 39. num. 34. ergo eodem modo qui commiſit peccata, quando non erat ſubditus Eccleſiæ poterit abſolvi ab illis in Sacramento pœnitentiæ, quando jam eſt Chriſtianus, & Eccleſiæ ſubditus.

88. Confirmatur primò. Partes eſſentiales Sacramenti Pœnitentiæ ſunt, ultrà abſolutionem, Confeſſio, & dolor de peccatis commiſſis: ſed citrà peccata ante Baptiſmum commiſſa poteſt dari Confeſſio, & dolor: ergo &c. aliter ſi requirerentur peccata poſt Baptiſmum commiſſa, eſſent pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ, contra doctrinam Tridentini citati à num. 73. Confirmatur ſecundò. Peccata jam ſemel per Sacramentum pœnitentiæ remiſſa, ſunt materia ſufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ: ergo etiam peccata ſemel jam per Baptiſmum remiſſa. Probatur Conſequentia, quia ad materiam remotam parùm refert, quod fiat ante, vel poſt Baptiſmum, ut conſtat paritate aliorum Sacramentorum: etenim quod Hoſtia conſecranda confecta ſit à fideli, vel infideli, nihil conducit ad valorem Sacramenti Evchariſtiæ, idemque ſuo modo eſt de Oleo, & Balſamo reſpectu Unctionis, & Confirmationis: cùm enim Sacramenta

non consistant in materia remota, sed in proxima; sufficit, quòd hæc fiat à debita persona, quidquid sit de materia remota: atqui ex parte pœnitentis materia proxima pœnitentiæ est Contritio, & Confessio, quæ modò apponuntur ab homine fideli circa peccata, quæ ante Baptismum commisit: ergo &c. Confirmatur tertiò: Si adultus post Baptismum, reddatur perpetuò amens, ita ut post illum nec venialiter peccare potuerit; potest nihilominùs recipere Sacramentum extremæ Unctionis, & in eo verificari forma ratione peccatorum, quæ commisit ante Baptismum, ut cum Exim. Doctore docet Diana par. 3. tract. 4. resolut. 181. ergo etiam, quando manet sui compos, poterit suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, & in eo verificari forma absolutionis ratione peccatorum, quæ commisit ante Baptismum. Hæc sunt fundamenta, quæ paucis ab hinc annis maximas apud Recentiores lites excitârunt, eaque hic breviter colligere placuit: non enim ea invenies apud Doctores, cùm à suis Patronis nondum sint huc usque typis data.

89. Resp. nego Antecedens. Ad probat. distin. Antecedens: potest exerceri in personam subditam, si adsint omnia requisita ab institutione Christi Domini sibi essentialiter præfixa; concedo: si non adsint, nego Antecedens, & Conseq. Ratio est: quia Sacramentum est concretum ad placitum ex materia, & forma, à voluntate Christi Domini institutum, ex num. 69. institutio autem illa Christi præfixit sibi plures terminos, quibus deficientibus non datur illa institutio, circa illam materiam, & formam; ac proindè neque Sacramentum; sicuti evenit in reliquis signis ad placitum, ut latè diximus à num. 98. de Sacramentis, quæ in præsenti omninò videnda sunt. Sic voluntas hominum instituit non quidem januam, sed ramum in signum vini venalis; verùm quia non vult instituere ramum, quando non appenditur, sed quando appenditur ad januam; appensio, & janua dicuntur puri termini illius institutionis, quibus deficientibus non datur institutio circa illum ramum; ideóque ramus, dum manet in arbore, vel in agro, non est institutus in signum vini venalis. Pariter in casu nostro. Institutio Christi circa Sacramentum pœnitentiæ præfixit sibi, tanquam purum terminum, peccata post Baptismum commissa, circa quæ versari deberent confessio, & dolor ex Tridentino citato num. 1. ac proindè si non præcedunt talia peccata, nulla datur institutio Christi circa confessionem, & dolorem; adeóque nequo materia proxima Sacramenti pœnitentiæ.

Peccata verò ab homine baptizato commissa, vel extra hanc Diœcesim, vel extra Religionem, jam sunt peccata commissa post Baptismum, adeóque possunt remitti, vel ab hoc Episcopo, vel à Prælato, cujus modò pœnitens subditus est. Quinimò cùm voluntas instituens ad placitum præfigat sibi liberè hunc terminum, & non illum; non quidem per argumentum à paritate, aut ex cerebro nostro, sed per Scripturam, aut Concilia, aut Patres, debemus quærere, quem sibi terminum præfixerit, quemnam autem non: Paritas enim in his rebus facilè viam aperit ad hæreses inducendas, ut patet in exemplis ab Adversariis adductis: etenim Fidelis, qui in aliena Diœcesi commisit peccata, quando non erat subditus hujus Sacerdotis, aut Episcopi, tenetur modò ea confiteri huic Sacerdoti, aut Episcopo, cujus subditus est: ergo Infidelis, qui commisit peccata, antequam esset subditus Ecclesiæ, tenetur modò ea confiteri Ecclesiæ, cujus est subditus? en hæreticam Consequentiam ex ipsissima adversariorum paritate deductam. Exindè

Ad primam Confirmat. distin. Maj. de peccatis commissis ab homine Christiano; concedo, ab infideli, nego Maj. & distinguo, Min. Confessio, & dolor à Christo institutus, nego, non institutus, Concedo Min. & nego conseq. Neque exindè fit, quòd peccata post Baptismum commissa sint pars essentialis Sacramenti, sed purus terminus, ex num. 89. Ad secundam Confirmat. concedo Antecedens, & nego conseq. Ad probat. distin. Maj. parùm refert; si fieri ante, vel post Baptismum, non sit terminus ab ea Christi institutione sibi præfixus, concedo: si sit, nego Maj. & distincta ut suprà Min. nego conseq. Ratio est, quia ex eo, quòd peccata post Baptismum commissa, sint tanquam materia remota, terminus ab institutione Christi præfixus, ut confessio, & dolor instituantur, deficiente illâ materiâ

tiâ remotâ, deficit inſtitutio Chriſti circa illam confeſſionem, & dolorem; adeóque arguitivè deficit Sacramentum ex defectu talis materiæ remotæ, & formaliter ex defectu inſtitutionis. Quod manifeſtum ſit in ipſis exemplis adductis ab Adverſariis: Nam ex eo, quòd Chriſma ex Oleo, & Balſamo (idem ſuo modo de Oleo) non ſit nudè ſumptum materia remota confirmationis, ſed Chriſma benedictum ab Epiſcopo, ex num. 28. de Confirmatione; quamvis detur Chriſma, ſi non ſit ita benedictum, non datur materia remota, circa quam cadat materia proxima à Chriſto inſtituta. Pariter igitur in noſtro caſu.

92. Ad tertiam Confirmationem diſt. Antecedens: poteſt recipere Sacramentum extremæ Unctionis, ſi peccata poſt Baptiſmum commiſſa ſint purus terminus reſpectu inſtitutionis illius Sacramenti, nego; ſi non ſint, concedo Anteced. & nego Conſeq. quia peccata poſt Baptiſmum commiſſa ſunt materia remota Sacramenti pœnitentiæ, & terminus ſibi præfixus ab inſtitutione hujus Sacramenti ex Trident. cit. num. 71. & ex omnium Theologorum conſenſu num. 72. An verò ita ſe habeant reſpectu Sacramenti extremæ Unctionis, non eſt conſtans apud Theologos, neque hùc usque definitum eſt à Conciliis. Undè qui judicant, non eſſe purum terminum talis inſtitutionis, ſed ſufficere, quòd adultus Baptizatus ſit ratione ægritudinis in articulo mortis; concedunt, poſſe illi miniſtrari Sacramentum extremæ Unctionis, quod non ſolùm tendit ad remittenda peccata, ſi ſint; ſed ad conferendam gratiam, & allevandum infirmum, ſi expediat. Ideóque cum pluribus docet Arriaga, Beatam Virginem extremam Unctionem recepiſſe. Qui autem docent, peccata poſt Baptiſmum commiſſa eſſe purum terminum reſpectu talis inſtitutionis, conſequenter negant, poſſe conferri illi, qui poſt Baptiſmum non peccavit. Eligant modò adverſarii quamcúmque ex his ſententiam voluerint, & in illa invenient noſtram ſolutionem.

§. II.

93. OBjicies ſecundò contra ſecundam Aſſertionem ex Scoto: Sola abſolutio ſignificat remiſſionem peccati; non verò actus pœnitentis: ergo ſola Abſolutio erit de conſtitutivo Sacramenti pœnitentiæ; ſecùs actus pœnitentis. Confirmatur primò: pœnitens non remittit peccata, ſed ſolus Sacerdos, qui ſolus eſt Miniſter: ergo actus pœnitentis non ſunt partes hujus Sacramenti remiſſivi peccatorum: aliter ſicut in matrimonio uterque contrahens eſt Miniſter, quia uterque præſtat conſenſum, qui eſt pars illius Sacramenti, ita in hoc Sacramento, & Sacerdos, & pœnitens eſſent Miniſtri. Confirmatur ſecundò: dolor non eſt ſenſibilis: ergo neque pars Sacramenti, quod eſſentialiter eſt ſenſibile. Reſp. diſt. Maj. ſola Abſolutio ſecundum ſignificationem, quam habent verba, impoſitam ab hominibus, concedo; ſecundùm ſignificationẽ, quam habet Sacramentum, impoſitam à Chriſto, nego Antec. & Conſeq. ut latè conſtat à num. 50. de Sacramentis. Ratio eſt, quia ea omnia ſignificant remiſſionem peccati juxta Chriſti inſtitutionem, quæ à Chriſto ſunt inſtituta ad conſtituendum iſtud Sacramentum: cùm autem conſtituant illud non ſolùm Abſolutio, ſed etiam actus pœnitentis, exindè & Abſolutio, & actus pœnitentis ſignificant remiſſionem peccati juxta ſignificationem à Chriſto impoſitam.

Cæterùm non ſunt Miniſtri, neque remittunt peccatum omnes, qui partes illas apponunt, ſed qui nomine Chriſti apponant formam ad conſtituendum illud concretum, ex num. 193. de Sacramentis. Cùm autem in pœnitentia ſolus Sacerdos apponat formam, licèt in matrimonio eam apponat uterque contrahens; exindè in Sacramento pœnitentiæ ſolus Sacerdos remittit, & eſt Miniſter, licèt in Sacramento matrimonii uterque contrahens ſit Miniſter. Ad ſecundam Confir. diſt. Antec. non eſt ſenſibilis immediatè & per ſe, concedo mediatè, & per confeſſionem validam, humilem, & devotam, nego Antec. & Conſeq. quia in illis circumſtantiis iſta ſunt ſigna doloris ſufficientia ad reddendum apud homines dolorem ſenſibilem, ita ut ſi apparentia ſit recta, reddatur rectè ſenſibilis, & ſimulatè, ſi apparentia ſit ſimulata, prout contingere poteſt in prolatione verborum, aliisquè Sacramentorum conſtitutivis, ex num. 56. de Sacram. 94.

95. Objicies tertiò ex Soto Tridentinum sess. 14. can. 4. tres solas partes Sacramenti pœnitentiæ enumerat; nimirùm actus pœnitentis: ergo Absolutio non est pars hujus Sacramenti; aliter daretur quarta pars contra Tridentinum. Confirmatur: Absolutio non est actus pœnitentiæ: ergo non constituit pœnitentiam Sacramentum. Resp. dist. Anteced. secundùm quod se habet ex parte materiæ, concedo; ex parte formæ, nego Anteced. & Conseq. quia ipsum Tridentinum ultrà eas tres partes, quas assignat, ut materiam; assignat etiam Absolutionem, ut formam, ex num. 73. Ad Confirm. dist. Antec. non est actus pœnitentiæ virtutis, concedo: pœnitentiæ Sacramenti, nego Antec. & Conseq. Absolutio enim, utpotè actus judicialis, est præcipuus actus pœnitentiæ Sacramenti constituti per modum judicii, ut ait Tridentinum citatum. Neque video consequentiam Soti. Quid enim refert, quod Absolutio non constituat pœnitentiam virtutem, ne constituat pœnitentiam Sacramentum; quandoquidem apud ipsum Confessio verbalis constituit pœnitentiam Sacramentum, quin constituat pœnitentiam virtutem?

96. Objicies quartò, contra tertiam Assertionem. Ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiritur acceptatio, sive propositum adimplendi pœnitentiam; cùm requiratur propositum adimplendi omnia, ad quæ pœnitens tenetur, & teneatur acceptare pœnitentiam justam, quam confessarius imponit: atqui ea omnia, quæ sunt necessaria ad valorem, sunt de essentia Sacramenti: ergo acceptatio pœnitentiæ est de essentia Sacramenti. Confirmatur primò: judicium Sacramenti pœnitentiæ debet esse essentialiter justum: sed tale non esset absque satisfactione: ergo satisfactio est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ. Confirmatur secundò: si satisfactio esset solùm pars integralis, posset dari hoc Sacramentum sine satisfactione, sed hoc implicat: implicat enim Sacramentū integraliter mutilum, quale esset absque sua parte integrali: ergo &c. Confirmatur tertiò: Tridentinum eodem modo loquitur de satisfactione, ac de aliis actibus pœnitentis: ergo satisfactio est pars essentialis, non minus quam alii actus. Respon. dist. Maj. requiritur acceptatio distincta à contritione, nego; indistincta, quando pœnitentia obligat sub gravi, concedo Maj. & distinguo Min. Sunt de essentia, si sint de constitutivo Contritionis, Confessionis, & Absolutionis, concedo: Si non sint, nego Min. & Conseq. Ratio est, quia Contritio, ut sæpè diximus, est votum adimplendi ea omnia, ad quæ homo sub gravi tenetur; adeòque quando sub gravi tenetur ad admittendam, & implendam pœnitentiam, est votum, & acceptatio illius; At non quærimus de acceptatione in hoc sensu, an sit de Sacramenti constitutivo essentiali, sed de acceptatione sumpta pro actu distincto à Contritione, & Confessione, de qua dicimus, non esse partem essentialem Sacramenti, cùm sine illa possit stare tota essentia Sacramenti, ex num. 71.

Ad primam Confirmationem dist. Maj. essentialiter justum, id est justificativum, remissivum, aut sanctificativum, concedo, compensativum per satisfactionem, aut pœnam impositam, nego Anteced. & Conseq. Ad secundam Confirmationem: concedo Maj. & nego Min. sicut enim homo sine brachio dicitur integraliter mutilus, ita Sacramentum pœnitentiæ sine satisfactione, quando hæc requiritur ad partem pœnæ delendam, dicitur mutilum integraliter, quamvis tale non sit, quando necessaria non est satisfactio ex num. 84. Ad tertiam Confirmationem, dist. Antecedens: eodem modo loquitur sub conceptu communi abstrahente à partibus essentialibus, & integralibus, concedo; sub conceptu specifico contracto ad partes essentiales præ integralibus, nego Anteced. & Conseq. Ratio est, quia Tridentinum quando loquitur de his partibus intrinsecis, agit de illis prout requisitis non solùm ad essentialem peccatorum remissionem, sed etiam ad integralem, ex num. 77. sub quo conceptu non solùm includuntur partes essentiales, sed etiam integrales. Quæ propter inferendum est per principia Theologica, quænam ex illis sint essentiales, quænam verò integrales. Ex principiis autem Theologicis in universali Ecclesiæ praxi fundatis, clarè deducitur, satisfactionem non esse partem essentialem, sed integralem, ut constat ex dictis. Quinimò, si quando satisfactio imponi debet, esset pars essentialis; ipsa deficiente, deficeret Sacramentum, quamvis ex culpabili,

bili, vel inculpabili oblivione Confeſſarii deficeret: cùm autem ex defectu illius Sacramentum non deficiat, exindè manifeſtè fit, non eſſe partem eſſentialem.

98. Objicies quintò: pars integralis Sacramenti pœnitentiæ pertinere dumtaxat poteſt, vel ad materiam, vel ad formam: atqui ſatisfactio, neque ad materiam pertinet, neque ad formam: ergo &c. Probatur Min. materia debet antecedere formam, quæ ſolùm ſe habet ex parte Miniſtri; ſed ſatisfactio, neque ſe habet ex parte Miniſtri, ſed ex parte pœnitentis; neque antecedit formam Abſolutionis, ſed eam ſubſequitur: ergo &c. Confirmatur: materia eſt illa, quæ ad conſtituendum ſuum compoſitum cum forma determinatur à forma: ſed ſatisfactio non determinatur à forma: illa enim verba formæ: *Abſolvo te à peccatis*, ſolùm ſignificant Abſolutionem à culpa, & pœna æterna, habentque totam ſuam verificationem, quamvis nulla ſit imponenda ſatisfactio: ergo &c. Reſp. concedo Maj. & nego Min. Ad prob. nego Maj. Materia enim, quæ ab homine per nutritionem acquiritur, eſt vera pars integralis compoſiti humani, & non præcedit formam, ſed eam ſubſequitur, undè neceſſe non eſt, quòd materia integralis præcedat formam; adeóque parum refert, quòd ſatisfactio ſubſequatur formam, ne ſit pars integralis.

Ad Confirmationem diſt. Maj. determinatur à forma, vel eſſentiali, vel integrali, concedo; ſolùm eſſentiali, nego Maj. & diſt. Min. nego conſeq. Ratio eſt, quia licèt forma eſſentialis conſiſtat in illis verbis: *Abſolvo te à peccatis*: integratur tamen per præceptum ſatisfactionis exhibendæ impoſitum à Confeſſario; ſive verbis, ſive nutibus imponatur, cùm impoſitio ſatisfactionis ſit de integritate judicii; & ſententiæ judicis. Qua de cauſa quodcumque opus pœnale faciat pœnitens poſt Abſolutionem, non erit ſatisfactio Sacramentalis, niſi à Confeſſario injungatur, qui eſt verus judex à Chriſto inſtitutus in hoc Sacramento, ut definit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. per hæc verba: *Dominus noſter JEſus è terris aſcenſurus ad Cœlos, Sacerdotes, ſui ipſius Vicarios, reliquit, tanquam Præſides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, quo pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient.* 99.

* * *

DISPUTATIO III.

DE MATERIA REMOTA, ET OBLIGATIONE POENITENTIS.

100. MAteria remota Sacramenti pœnitentiæ ſunt peccata, quæ pœnitens confiteri tenetur, aut licitè poteſt, in ordine ad Abſolutionem: Cùm autem talia ſint peccata poſt Baptiſmum commiſſa; ſecùs autem ea, quæ commiſſa fuerunt ante Baptiſmum ex num. 71. ea de cauſa illa, & non iſta ſunt materia remota Sacramenti pœnitentiæ. Peccata autem jam ritè confeſſa, ſive venialia, ſive mortalia, ſunt materia libera, & ſufficiens, ut conſtat ex Benedicto XI citato num. 54. de virtute. Peccata verò mortalia quoad ſpeciem, & quoad numerum peccatorum, adeóq; & quoad circumſtantias mutantes ſpeciem, ſunt materia neceſſaria, ſi nondum ſint ritè confeſſa, ex num. 16. & ex Tridentino ſeſſ. 14. Can. 7. ubi hæc habet: *Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, ſed eam Confeſſionem tantùm eſſe utilem ad erudiendum, & conſolandum pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantùm ad ſatisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demùm, non licere confiteri peccata venialia, anathema ſit.* Exindè ortum habent plures, & graviſſimæ apud Theologos difficultates, in hac diſputat. decidendæ jam circa peccata dubia,

bia, jam circa circumstantias, intra eandem physicam speciem notabiliter aggravantes, jam circa modum peccata confitendi, sive Sacerdoti absenti, sive præsenti, sive verbo, sive scripto; jam circa obligationem manifestandi iterùm peccata aliàs ritè confessa, si confessarius necessarium esse judicet ad pœnitentis consuetudinem agnoscendam, ad quorum claram, & solidam decisionem, oportet plura in præsenti notare, ne inter se, quæ valdè diversa sunt, confundantur. Pro quo sit.

SECTIO I.

De principiis ad disputationem requisitis.

§. I.

101. COncilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. sex apponit principia, quæ ad Canonem 7. num. superiori citatum, posteà detulit, ex quibus ferè tota hujus disputationis resolutio dependet. Primum est: *ex institutione Sacramenti pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem; & omnibus post Baptismum lapsis Jure Divino necessariam existere.* Secundum. *Constat enim: Sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat; & non potiùs in specie, ac singillatim sua peccata ipsi declarâssent.* Tertium. *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantùm adversus duo ultima decalogi præcepta commissa.* Quartum. *Qui verò secùs faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Quintum. *Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas, quæ speciem peccati mutant.* Sextum. *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem confessione inclusa esse intelliguntur.* Ex quibus constat: triplicem esse integritatem materialem; alia quidem est specifica, in qua omnes peccatorum species: alia numerica, in qua omnes numeri: & alia circumstantiarum, in qua omnes circumstantiæ declarantur. Pro claritate, & brevitate sex illa Tridentini principia ad hæc tria membra, illorumque explicationem reducemus. Circa primum igitur divisionis membrum.

Suppono primò: peccata mortalia dupliciter posse specie distingui; primò specie physica, & materiali, nimirùm quando actus habent objecta specie physicâ distincta v. g. furtum auri, & furtum argenti. Secundò specie morali; nimirùm quando malitiæ notabiliter diversæ sunt in ordine ad mores. V. g. furtum rei profanæ, & furtum rei sacræ. Exinde Exim. Doct. disput. 22. sect. 2. Sotus, Coninck, Bonacina, & alii docent, explicandas esse species morales; non autem esse necessarium ad integritatem confessionis Sacramentalis, explicare omnes species purè physicas peccatorum. Ratio est, quia, ut constat ex Trident. cit. num. superiori, eatenùs debent declarari Jure Divino peccatorum species, quatenùs Confessarius judicium exercere non potest, incognitâ causa; adeóque neque curationem, & medicinam afferre valet opportunam; at qui species purè physicæ non immutant judicium Confessarii; benè verò species morales: etenim in humana æstimatione, & in ordine ad judicium Confessarii, perinde est, si furtum quatuor juliorum committatur, furando aurum, vel argentum; E' contrà verò sæpè contingit, ut peccata non differant specie physicâ, & tamen differant specie morali, ut peccatum veniale, & mortale ejusdem speciei physicæ in eadem materia, v. g. auri, vel argenti, ut furtum unius argentei, & furtum, quod habet aliquid ampliùs. Idemque est de duobus peccatis in eadem materia, quorum unum fiat cum perfecta advertentia, & deliberatione; aliud verò cum imperfecta. Sic etiam comestio carnis die Jovis, die Veneris physicè ejusdem speciei sunt, & tamen moraliter distinguuntur specie. Cæterùm de his infra latiùs agemus.

Suppono secundò, cùm omnibus Theologis recentioribus, teste Gobat. tractat. 6. numero 357. adversus Cajetanum, & Navarrum: debere exprimi in Confessione non

non solùm species supremas, & subalternas, sed etiam infimas, & ultimas in esse moris; ita ut liberè omitti non possint, quæ notæ sunt Theologis benè doctis; quamvis ignotæ sint Theologis mediocriter doctis. Ratio est, quia cùm Tridentinum num. 101. citat. doctrinam tradat instructivam morum, debet intelligi de speciebus in esse moris: atqui dum definit, explicandas esse has omnes species, & circumstantias mutantes speciem, nullam excipit, sive nota sit, sive ignota solùm mediocriter doctis: ergo &c. Quà de causa Vasquez, quæst. 91. dub. 1. n. 9. contrariam sententiam falsissimam vocat, & Tridentini verbis repugnantem: exindè non satis est occidenti, & furanti, dicere: commisi duo peccata contra justitiam: sed opus est dicere: commisi homicidium & furtum.

104. Neque satis est dicere: commisi duo peccata contra religionem, quando aliquis violavit votum, & præceptum audiendi Sacrum. Neque satis est dicere: peccavi contra temperantiam, & justitiam; sed necesse est dicere, in qua specie injustitiæ; & intemperantiæ: Valdè enim in esse moris diversæ sunt, judiciumque per se variant Confessarii, licèt per accidens ratione ignorantiæ non varient. Peccata autem æromantiæ, hydromantiæ, & alia similia, quorum meminit S. Thom. 2. 2. quæstion. 95. art. 3. probabile est, non esse distinctas specie in esse moris, sed purè in esse physico: tota enim peccati ratio stat in pacto cum dæmone ad divinandum: quod autem exerceantur in hac, vel illa materia, aquâ vel terrâ, non variat per se rationem malitiæ, ac proinde juxta hanc sententiam opus non erit, in ejusmodi peccatis, diversas species physicas explicare: nisi fortè aliquando adsit pactum explicitum, & aliquando solùm implicitum: quia illud, & non istud addit commercium cum dæmone, & malitiam notabiliter diversam; quod dictum etiam habet de similibus casibus.

105. Suppono tertiò: opus non esse pluribus actibus specie morali distinctis, ut dentur plures malitiæ distinctæ in Confessione explicandæ: Ratio est, quia in eodem actu possunt dari plures malitiæ specie moraliter distinctæ: actus enim cùm extrinsecè specificentur ab objectis, & intrinsecè ex suo modo tendendi circa illa, ut habet S. Thom. 1. 2. quæst. 18. art. 2. 3. 4. ex eo sunt boni, vel mali, quia ad objectum bonum, vel malum, bono, vel malo fine tendunt; induuntque speciem bonitatis, aut malitiæ, in qua est objectum. Quapropter quando circumstantiæ diversam speciem bonitatis, aut malitiæ addunt objecto, refunditur in actum præcipuè juxta finem ipsius actus. Sicut enim contingit in una specie peccati, dari plura individua, & numerum peccatorum majorem, vel minorem; ita etiam contigit, in eodem actu realiter indivisibili, dari plures species malitiæ invicem formaliter separabiles, & secundùm conceptum formaliter distinctas: etenim qui furatur in Ecclesiâ propter mœchiam, & cum scandalo adstantium, exercet realiter unum actum, cui tamen inest multiplex species malitiæ, nimirùm furti, sacrilegii, luxuriæ, & scandali, ex quibus quælibet ex suo conceptu, & quidditate est distincta, & separabilis à reliquis.

Inter prædictas autem realiter identificatas formalitates, illa, quæ est veluti fundamentum, & subjectum cæterarum, eò quòd sit universalior, vel majoris indifferentiæ, vel magis nota, vel ex se, aut per rationem prior; cùm sit id, quòd intenditur ab operante; ut in prædicto exemplo ratio furti; dicitur communiter pertinere ad substantiam actûs; reliqua verò ad circumstantias. Cæterùm quæcumque circumstantia addat malitiam specie diversam, infertur, vel ex eo, quòd opponatur diversæ virtuti; adeóque spectet ad diversum vitium, ut ajunt Moya tr. 3. sect. 1. & Tamburin. lib. 2. de expedita Confessione cap. 1. vel ut ait Scotus in quartum dist. 17. ex eo quòd speciali, & diversa prohibitione interdicatur, vel ut clariùs D. Thom. in quartum, dist. 16. quæst. 3. art. 2 ex eo quòd habeat specialem repugnantiam cum ratione diversam ab ea, quæ est in ipsa substantia actûs. Undè quoties actio ex motivo duplicis virtutis prohibetur ut occisio clerici ex justitia, & religione: vel ex eadem suprema virtute sub diverso formali titulo notabiliter distincto, ex quo substantiæ actui diversa advenit repugnantia cum ratione: ut omissio actionis debitæ ex voto, & juramento: totiès datur circumstantia addens substantiæ actui malitiam specie distinctam. 106.

107. Quando ergo tales circumstantiæ mutant speciem, graviter declarandæ sunt; adeòque si quis occidat Clericum, non satisfaciet dicendo: occidi hominem: quia ea occisio, præter malitiam homicidii, habet etiam clericidii. Pariter si conjugatus, vel ligatus voto castitatis, peccaverit cum consanguinea, vel conjugata, vel habente votum castitatis; non satis erit, si explicet peccatum fornicationis sed debet explicare circunstantiam adulterii, vel Sacrilegii, vel incestûs, & sic de aliis similibus de quibus infrà. Si autem circumstantiæ speciem solùm leviter mutent: V. g. si aliquis occidat ob levem vanam gloriam, vel juret falsò cum modico præjudicio proximi, sicut non obligatur ad confitendum peccatum veniale, ita neque ad illam circumstantiam, solùm venialiter malam. Et hæc pro præambulis circa primum assignatæ divisionis membrum.

108. Suppono quartò circa secundum membrum divisionis: teneri pœnitentem certum, ac determinatum numerum peccatorum declarare, in quem finem tenetur diligens conscientiæ examen præmittere; non minorem diligentiam adhibendo, quàm adhibere solent prudentes ad res graves obtinendas, ut benè notavit Gasp. Hurtado disp. 9. dist. 8. quo satisfit obligationi examinandi conscientiam. Ratio est, quia Deus non præcipit impossibilia, sed ea, quæ humano, & prudenti modo agendo, valent adimpleri: atqui apponere diligentiam, quæ adhiberi solet à prudentibus, ad res graves obtinendas, est humano, & prudenti modo agere: ergo &c. Undè neque satisfit per levem conscientiæ discussionem, neque requiritur exquisitissima, quæ potiùs ad generandos scrupulos, quàm ad certificandum pœnitentem de adimpletione præcepti, deserviret. Quapropter adhibitio examine modo explicato; ea, quorum pœnitens obliviscitur, in ea Confessione comprehensa esse intelliguntur, juxtà doctrinam Tridentini traditam num. 101. Notat opportunè Exim. Doctor disp. 22. sect. 5. illum, qui multa commisit peccata solo numero distincta, non teneri ea successivè narrare, sed sufficere, si dicat numerum uno verbo, v. g. mille juramenta: etenim quando Tridentinum ait, singula singillatim esse aperienda, solùm significat aperiri debere, ostendendo, unum peccatum distingui ab alio; quod satis præstatur, declarando uno verbo eorum numerum: siquidem qui dicit esse mille, satis declarat, ea distincta esse. An autem oblita comprehendantur ratione examinis, vel ratione doloris, diximus agendo de virtute, & infrà latiùs constabit.

Suppono quintò: quando post diligens conscientiæ examen, non occurrit numerus omninò certus; benè verò talis, qui plus minusvè creditur, parùm à certo distare eo modo, quo memoriæ occurrit, declarandum eum numerum esse. Ratio est, quia sic fit, quod humano, & prudenti modo agi debet; adeóque sufficit ad pœnitentis obligationem implendam; secùs autem impleretur, si numerus ille non ita exponeretur, ut est in conscientia. Quapropter reus esset mortalis criminis, qui certus de contracto majori numero peccatorum, confiteretur illum, apponendo minorem numerum cum particula circiter. V.g. qui certò scit pejerâsse duodecies, si dicat: pejeravi circiter decies, paulò plùs, minusvè. Ratio est, quia ille haberet peccatum in conscientia, & non confiteretur illud, ut certum; sed ut dubium; adeóque non confiteretur illud, prout est in conscientia, contra textum Tridentini datum principio tertio. Ex quo Catechismus Tridentini tit. de pœnit. ita habet: *enim Confessio esse debet, quæ nos tales Sacerdoti aperiat, quales nos ipsos novimus, certóque pro certis, ac dubia pro dubiis demonstret.* Quod maximè notandum est pro his, quæ infrà circa peccata dubia dicemus.

Unde si quis modò confitetur, dicens peccavi decies paulò plus minusvè, & postea occurrat numerus certus duodecimus; probabilius judico, ipsum teneri postea reperire, ut certa ea duo peccata, quæ Confessus fuerat, ut incerta; licèt plures Doctores oppositum censeant: Ratio est, quia ille nunquam confessus fuit illa peccata, prout sunt in conscientia: atqui tenetur illa confiteri, prout sunt in conscientia; certa quidem pro certis, & dubia pro dubiis ergo &c. Quinimò, & apud ipsos Adversarios; si aliquis confiteatur modò peccatum, ut dubium, & postea agnoscat, se certò illud perpetrâsse, tenetur postea illud confiteri, atqui non ex alio titulo, nisi ex ratione à nobis assignata: ergo &c. Sin autem rogo: ille, qui dicit: decies paulò plùs,

plùs, minusvè pejeravi: confitetur duo suprà decies, ut certa, vel ut dubia? Si primùm: ergo non confitetur illa, ut sunt in conscientia: Si secundùm: ergo si quando confitetur peccatum, ut dubium, tenetur posteà illud confiteri, si appareat, ut certum: eodem pacto qui dicit decem paulò plùs, minusvè, si posteà certò sciat, fuisse duodecim, tenebitur confiteri, ut certa illa duo; secùs esset, si postea inveniret, non fuisse decem, sed octo, quia illa octo, quæ certò sunt in conscientia, jam fuerunt confessa, ut certa. Quidquid tamen sit de probabilitate sententiæ contrariæ.

§. II.

111. SUppono sextò: Doctores sententiæ contrariæ nobiscum convenire in eo, quòd teneatur pœnitens confiteri, ut certum numerum, quem sub illis particulis, *paulò plùs*, *minusvè*, confessus fuerat, ut incertum; si posteà appareat notabilis excessus supra numerum priùs expressum. Quantum autem requiratur ad notabilem excessum, non est constans apud Doctores. Aliqui enim dicunt, eas voces *paulò plus*, *minusvè* solùm extendi ad duo peccata; rectiùs tamen plures alii Doctores, quos sequitur Diana par. 3. tract. 4. resol. 94. dicunt, id esse judicio prudenti committendum, quamvis prudenter solùm possint extendi ad parvum numerum. Card. de Lugo disput. 16. num. 96. ait, in hoc judicio servandam esse hanc regulam, ut quò major est numerus, qui exprimitur, eò etiam major, proportione servatâ, possit sub illis verbis comprehendi. Gobat num. 422. ait, quòd ipse non compelleret iterum confiteri illum, qui confessus, se centiès pejerâsse paulò plùs, minusvè, posteà inveniret decies ampliùs se pejerâsse. Card. de Lugo num. 86. eodem modo discurrit de illo, qui decies quinquies, & postea inveniret vicies pejerâsse Largiùs locutus est Tannerus quæst. 7. dub. 3. num. 45. dicens: qui 20. circiter pejerâsse confessus est, non teneri, si posteà deprehenderit, esse 30. Largissimè autem omnium Vivaldus in candelabro de Confessione num. 7. excusans eum, qui confessus est, se circiter centies blasphemâsse, & posteà benè memor invenit, id contigisse ducenties: quem meritò omnes rejiciunt.

Quando autem factâ debitâ diligentiâ, neutro ex dictis modis potest affirmari certus numerus peccatorum; sufficiet declarare consuetudinem peccandi, quam pœnitens habuit, & tempus, quod in illa perduravit, & modum frequentiæ per dies, aut hebdomadas, aut menses, aut annos, ad quod explicandum, debet quoque confessarius juvare pœnitentem modo, quo possit, sicque licitè, & validè conficietur Sacramentum. Ratio est, quia ille homo hoc modo adimpleret, quod docet Tridentinum; nimirùm aperire peccata sua post diligens examen, prout sunt in conscientia: ergo qui post diligens conscientiæ examen, non potest alio modo ea in species, & numerum redigere; benè verò modo à nobis exposito, licitè, & validè confitetur, suam conscientiam eo modo manifestando. Quinimò confessarius in his casibus certiorem numerum non debet inquirere, nec pœnitentem extorquere, cùm hoc sufficiens sit, ut morale, & rectum judicium concipiat circa pœnitentem: accutatiorem enim numerum definire, est moraliter impossibile, vel ita incertum, ut nulla fides possit adhiberi, ut notavit Exim. Doctor disput. 22. sect. 5. num. 39. Sciendum tamen est, in quo mortale differat à veniali; secundùm quod in tractatu de peccatis docent Theologi; ut confessarius rectè procedere possit in hoc Sacramento. Illud quippè est peccatum mortale Theologicè sumptum, quod sub gravi à Deo prohibetur, sicque affert jus ad determinatam inimicitiam, éstque valdè dissonum naturæ rationali, secundùm se consideratæ. Peccatum autem veniale ob suam levitatem, sive non adeò notabilem cum rationali natura dæformitatem, non affert jus ad determinatam inimicitiam; adeóque neque à Deo sub gravi prohibetur, etsi fervorem charitatis minuat, & temporalem pœnam mereatur. 112.

Neque conducit ad praxim quæstio illa, quam Doctores exagitant circa numerum peccatorum: An scilicet quando per unum actum vis occidere decem homines, dentur ibi decem peccata numero distincta, vel unum peccatum habens decem malitias: quia, sive plura peccata sint; ut docent 113.

docent plures cum Vazquez; sive unum, plures malitias continens, ut alii docent cum Bonacina; cùm hoc unum illis decem æquivaleat, explicari debet in Confessione; nec sufficit dicere: volui semel occidere plures. Ratio est: quia sicut furtum leve unius Julii, & furtum grave quatuor juliorum sunt una, & eadem species physica; non verò una, sed duplex species moralis; ita actus, quo vis occidere decem homines, etsi sit unum peccatum physicè, non est unum, sed decem peccata moraliter, utpotè decem peccatis æquivalens: atqui nequit explicare peccatum pœnitens, prout est in conscientia, qui moraliter habet decem peccata, & ea non confitetur: ergo &c. Eodem modo, qui per multum temporis perseverat in voluntate prava, tot multiplicat actus, quot objecta variat, & quot interruptiones immiscet, sive minimas, sive voluntarias, sive involuntarias, sive ex quacumque distractione naturali, vel somno, etiam modici temporis; ut habet Exim. Doctor disp. 22. sect. 5. Ratio est, quia nequit variari objectum actus peccaminosi, quin actus peccaminosus varietur, adeóque detur novum peccatum: neque potest voluntas, post interruptionem, pristinum objectum amplecti, nisi per novum moralem actum, adeóque, & per novum peccatum: talia enim peccata, cùm per distinctum usum libertatis committantur, diversis, coram Deo, pœnis punientur, habéntque malitias moraliter distinctas, adeóque augent numerum peccatorum. 114.

Præceptum autem Confessionis non induxit novum modum distinguendi numero peccata, sed suppositâ distinctione, quam in se habent, obligat ad numerum illum declarandum, sive, quod idem est, ad ea peccata singillatim aperienda, ut definit Trident. num. 101. Ob hanc namque rationem peccata, quæ in esse peccatorum inter se specie distinguntur, etiam inter se distinguuntur in ordine ad confessionem; sive illa distinctio sit magna, sive parva, sive cognitu facilis, sive difficilis, ex num. 103. Undè peccata, quæ inter se numero distinguuntur, talia etiam sunt in ordine ad confessionem; ac proinde tenetur homo confiteri eam multitudinem eo modo, quo potest. Quapropter cùm quis ea peccata confitetur per modum unius moræ in peccando, juxta dicta num. 112. non est confiteri illa per modum unius peccati, sed per modum unius confusæ multitudinis in illa mora inclusæ, quæ neque aliter ab homine fieri solet, neque aliter ab homine cognosci, aut explicari. Si autem aliqui agnovissent adeò crassam distinctionem inter unum peccatum, & unam moram in peccando, agnovissent etiam metaphysicam concordiam, quâ semper inter se observat Exim. Doctor.

Quando verò actus internus peccaminosus, vel ex natura sua, vel ex humano operandi modo, ordinatur ad actum externum; declaratio peccati externi censetur communiter apud Doctores sufficiens ad declarandam multitudinem peccatorum concatenatorum. Sic declarato peccato fornicationis, censetur declarati tactus, & actus impudici præcedentes in ordine ad talem finem eliciti; secùs autem subsequentes, cùm illi, & non illi ordinentur ad eum finem peccaminosum, eáque de causa sint, quasi partus ejusdem integri peccati; quod ad tactus subsequentes, extendit Lugo cum pluribus, eò quòd sint complementum actus præcedentis, adeóque constituant unum integrum peccatum. Etsi doctrina hæc extendi non possit ad secundam copulam, cùm unaquæque sit ex natura sua opus consumatum, nec ad aliam ordinetur. Hæc doctrina propter Doctorum auctoritatem probabilis est, & ad tollendos plures scrupulos, tum in pœnitente, tum in Confessario; licèt probabilius judicem, obligationem ea singillatim manifestandi, modo, quo pœnitens possit, cùm debeat se talem manifestare coram Confessario, qualem se nosci coram Deo, ut constat ex num. 109. illaque omnia sint verè, & coram Deo peccata numero distincta, ex num. 113.

Exindè qui volens interficere inimicum, parat arma, occasionem quærit, & alia ad finem intentum præstat, plures simiscens interruptiones, quamvis occisio non sequatur; non benè confitetur, dicens dumtaxat: volui occidere inimicum; cùm ea verba non satis exprimant numerum peccatorum, juxta nostram dictam doctrinam de numerica multiplicitate; etsi Doctores, num. superiori citati, con-

consequenter ad sua principia doceant, constitui ex omnibus his mediis, prout ordinatis ad finem, unum solùm peccatum, cùmnon discontinuentur moraliter, etsi discontinuentur Physicè. Juxta nostra verò principia tot sunt peccata, quot etsi minimæ interruptiones. Qua de causa Exim. Doctor. disp. 22. sect. 5. num. 29. hæc habet: *Itaque non satis dicere: desideravi occidere hominem: sed oportet dicere: decrevi, & deliberavi, & de mediis ad interficiendum mecum statui.* In quibus, & similibus casibus melius exprimitur numerus, declarando illum per modum unius moræ, quod facile fieri potest, quàm ad ulteriora descendendo ex regula, & ratione data ex num. 112. Actûs verò intensio, inquit Exim. Doctor, non solet esse ab homine discernibilis, nisi per effectus, in quos prorumpit, aut prorumpere intendit; adeóque his explicatis, manet quoque apud homines ea intensio explicata. V. g. quando aliquis occidens inimicum, non contentus homicidio, postea illum in frusta secat, & multiplicat vulnera, manifestando, inquam, humanos actus externos, satis declarat magnitudinem actus interni. Si autem magis extraordinaria, & discernibilis à peccatore aliquando esset, teneretur eam intensionem aperire. Si autem discernibilis non sit, jam manet in eadem confessione inclusa juxta Trident. num. 101.

117. Beneficia autem determinata majora vel minora, major vel minor advertentia, longior duratio actûs absque ulla interruptione, & id genus alia, etsi ad varios pœnitentiæ fines assignatos num. 490. de virtut. convenienter explicari possint; non tamen est obligatio ex vi Sacramenti explicandi. Ratio est, quia determinata beneficia, advertentia, & tempus ex se sunt indifferentia, & ad actum bonum, & ad malum, ideóque nullam secundùm se malitiam formalem continent: Deus enim neque tempus, neque advertentiam, neque sua beneficia prohibet, sed confert: adeóque ita non redduntur prohibita per conjunctionem cum actu pravo: neque gratitudo obligat sub gravi ad compensandum beneficium, eliciendo actum bonum, & omittendo malum: aliter non esset gratitudo, sed justitia: inclinat verò extra gravem obligationem, & movet ad correspondentiam, adeòque non correspondere dicitur circumstantia intra eandem speciem, & numerum & physicum, & æquivalentem peccati, ut benè notavit Esparza quæst. 90. art. 3. ad. 8: Quam circumstantiam pœnitens confiteri non tenetur, ut magis infra constabit. Neque innotescit nobis temporis constitutio; An scilicet per indivisibilia, an per partes constituatur, adeóque neque innotescit duratio actûs non interrupti. Undè, talis, qualis, sit, manet verè in ea confessione comprehensus.

Quapropter satisfacit pœnitens, declarando in confessione numerum peccatorum modò à nobis exposito; ita tamen, ut teneatur manifestare peccata mortalia, quæ confitetur, esse commissa post ultimam confessionem: tali nempe modo, ut nequaquam indicet, esse aliàs ritè confessa. Quinimò etsi suo confitendi modo nequaquam intendat, neque dicat, neque indicet peccatum novum fuisse antiquum, & jam confessum; si tamen advertat Confessarium decipi, & putare peccatum jam fuisse confessum, debet illam monere, & detegere apertiùs veritatem, ut tenet Castro Palao, Hurtadus, & Moya cum omnibus antiquis, & ferè omnibus Recentioribus contra aliquos modernos. Ratio est, quia si peccata nova confiteantur, ut antiqua, ea confessio potiùs erit palliata, quàm aperta, qualem exigit Tridentinum ea sess. 14. cap. 5. dicens: *Verùm cùm universa mortalia peccata etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessarium est, omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confessione, à Deo quærere.* Sine aperta autem confessione non posset Confessarius pœnam, quam oportet, pro illis peccatis imponere: ergo &c. Confirmatur: quia ex adversa sententia sequerentur varia absurda, quæ vel ipsi adversarii non auderent concedere: v. g. qui singulis diebus peccaret contra Luxuriam, posset quotidiè confiteri de venialibus; addendo insuper: accuso me ex vita præterita de uno peccato luxuriæ; talis enim non negaret per ea verba peccatum esse novum; indicaret autem modo loquendi, esse antiquum, & jam aliàs ritè confessum: adeóque ex adversariorum principiis fasitfaceret obligationi confitendi: sed hoc absurdum est, & manife- 118.

stissimè pugnans contra Tridentin. citat. ergo &c.

119. Quapropter audiendi non sunt qui dicunt, posse pœnitentem sine gravi peccato sive sponte, sive interrogatum à Confessario, positivè dicere, novum peccatum jam esse antiquum, & confessum, ea ratione ducti, quòd substantia peccati est eadem in novo, & antiquo; adeóque circumstantia novitatis est res levis non pertinens ad confessionem. Cùm autem mendacium de re levi, quando apponitur materia gravis, non invalidet Sacramentum, ea de causa, ajunt mendacium illud nequaquam invalidare Sacramentum. Quantùm verò hæc opinio à veritate distet, facilè patet ex dictis: nam pœnitens non tenetur iterùm confiteri peccatum jam ritè confessum, & remissum; benè verò non remissum; adeóque circumstantia novitatis in casu nostro, cùm sit ea, quæ per se affert obligationem confessionis sub gravi, omninò liberè, & absque fundamento vocatur res levis: est enim res gravissima, ac proindè peccaret mortaliter, qui ita confiteretur, nullúmque esset Sacramentum: quænam enim major excogitari posset perversio hujus Sacramentalis judicii? Ad quid deserviret potestas à Christo collata suis Ministris ad retinendum, si in re adeò gravi possent pœnitentes confessarium decipere, ut nunquam posset peccata retinere? Sanè ipso naturæ lumine apparet ea nova opinio hujus Sacramenti institutioni omninò contraria: magísque conducens ad ipsum pœnitentem in æternum damnandum, quàm ad se ostendendum coram Ministro, qualem se agnoscit coram Deo.

§. III.

120. SUppono septimò, circa tertium membrum divisionis: circumstantias, quæ ad præsens pertinent institutum, septem communiter numerari, hoc versiculo comprehensas. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quandò.* Quarum brevis expositio hæc est. *Quis* inquirit statum personæ, quæ peccavit, an libera sit, an vinculo matrimonii, vel castitatis voto ligata. Quocircà considerandum est, an peccet quis per puram delectationem, & complacentiam; an verò per desiderium præsertim de re venerea: nam desiderium, cùm sit ex se inductivum operis, affert obligationem manifestandi statum personæ desideratæ; pura verò complacentia, & delectatio ex se inductiva non est; adeóque non esse obligationem manifestandi tunc personam, circa quam complacentia versatur, docent non improbabiliter Vazquez, Sayrus, Diana, plurésque alii: saltem si complacentia mente præscinderet statum à persona, solúmque attenderet ad personam secundùm se, ut benè probat Cardin. de Lugo omninò videndus disp. 16. sect. 6. à num. 363. usque ad 390.

Ratio est, quia si complacentia versetur circa conjugatam v. g. non ut conjugatam, sed mente præscindendo personam à statu, delectatio habebit ex objecto illam solam malitiam, quæ desumi potest à malitia objectiva, quæ non præscinditur: status enim in alterius mente præcisus delectationem suam non prohibet, quæ statum non inducit; sed malitia, quæ non præscinditur, est illa, quæ communis est omnibus, qui in illa materia intemperatè versantur: ergo illa complacentia non contraheret adulterii malitiam; adeóque ultra communem se habentem ex parte objecti, solùm adderet peculiarem se habentem ex parte personæ, quæ complacet: si hæc habeat votum castitatis, cùm ratione voti prohibita sit habenti quæcumque similis complacentia; sive præscindens, sive non præscindens à voto habentis; quæcumque satis erit ad Sacrilegium. Exindè Lugo docet peccare contra votum qui inducit ad luxuriã eos, qui non habent votum castitatis, secùs, qui non inducit; quâvis non impediat debens ex obligatione charitatis. Ratio est, quia qui inducit, peccat contra castitatẽ, ad quam ex voto tenetur, adeóque non solùm obligatur directè ad servandam castitatem propriam, sed etiam indirectè ad non violandam alienam; at verò qui non impedit, quando ex charitate tenetur, non peccat contra castitatem, adquam obligatur ex voto, sed contra charitatem, ad quam ex voto non tenetur: oppositum autem defendit Sanchez, judicans, votum castitatis, neque directè obligare ad non violandam alienam, sed solùm ad conservandam propriam. Nihilominùs Lugo juxta principia Theologica consequentiùs procedit.

Quid inquirit factum ipsum commis-

sum

sum, & materiam, circa quam, ad dignoscendum cui, vel quibus virtutibus opponatur. *Ubi*: circumstantiam loci, ut si in loco sacro. *Quibus auxiliis*: utrùm nempè alios ad hoc, vel simile factum invitaveris, utrùm pecuniam abstuleris, percutiendo, aut vulnus alteri infligendo, aut simoniacè agendo &c. *Cur*: quo fine: si enim præter opus illicitum v. g. furtum, addatur ulteriùs malus finis, ut ad explendam libidinem: finis hic est in Confessione explicandus? quinimò malus finis sufficit ad operationem aliàs honestam vitiandam: v. g. restituere ensem amenti, ex fine, ut se interficiat. *Quomodo*: utrùm ex ignorantia, & quali, vincibili scilicèt, vel invincibili; utrùm te defendendo alium occideris, &c. *Quando*, circumstantiam temporis, an scilicèt eo tempore, quo actio illa fuit ab Ecclesia prohibita, &c. Quæ omnia explicanda sunt juxta doctrinam datam circa expositas species, & numerum peccatorum; ne ob culpabilem defectum integritatis confessionis Sacramentum sit nullum. Si verò sint causæ legitimè excusantes ab integritate materiali Confessionis, Sacramentum erit validum, cùm tunc sit formaliter, etsi non materialiter integrum, ex dictis num. 85.

123. Causæ autem ab integritate materiali Confessionis excusantes contingere possunt, vel ex parte Confessarii, vel ex parte pœnitentis. Ex parte Confessarii v. g. quando omnes per tempus audire non licèt in casu necessitatis, ut imminente naufragio, vel quando morbo aliquo contagioso laborantes adit, estque periculum ratione angustiarum loci, ne à pœnitente, si diutiùs maneat Confessarius, inficiatur, vel quando morbus ipsi Confessario subitò obveniret cum periculo mortis instantaneæ, Ex parte verò pœnitentis, ut si subitò obmutescat post unum, vel alterum peccatum manifestatum, & omni sensu destituatur, sitque periculum, ne moriatur ante Absolutionem; si prudenter timeat pœnitens, ne Confessarius violet sigillum Confessionis; quando non potest confiteri, nisi alius audiat, de quo diximus à num. 37. vel quando adesset periculum alicujus gravis extrinseci nocumenti temporalis, vel spiritualis, quod sibi, vel alteri pœnitens, prudenter timet ex Confessione alieujus peccati: v. g. si pœnitens prudenter timeret, se, vel alium occidendum à confessario, si ei detegat aliquod peccatum, vel aliquod simile grave damnum extrinsecum eventurum: quæ omnia reducuntur ad impotentiam physicam, vel moralem. Ratio horum est: quia præceptum Confessionis est morale positivum, quod non solùm cum physica, verùm etiam cum morali impossibilitate, aut gravi damno extrinsecùs adveniente præcepto non obligat: ex vi enim talis præcepti solùm tenemur ad incommoditates, & damna præcepto illi extrinseca; v. g. ad informationem propriam coram Confessario, qualem affert peccatorum manifestatio, & ad id genus alia, vel quæ ex tali manifestatione per se sequuntur, aut juri pœnitentis non prævalent. Aliæ verò minores causæ non excusant. Unde Innocent. XI. damnavit 59. propositionem, quæ sic habebat: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magnæ concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ.*

Quapropter licèt quando quis facilè 124.
potest adire Confessarium, non cognoscentem personam complicis, teneatur id facere, si aliquæ causæ non excusent, de quibus statim dicemus; attamen si non adsit Confessarius, cui manifestari possit peccatum, nisi revelato complice, teneris non obstante illo detrimento complicis confiteri peccatum, nec potes Confessionem facere dimidiatam, ut contra Dianam, Navarrum, Victoriam, Bannes, & alios, docet Exim. Doctor, Vazquez, Coninck, Ludo, & alii cum S. Thoma, & S. Bernardo, qui in formula honestæ vitæ ait: *De nullo prorsus siniſtrè loquaris, quantumcúmque sit verum, vel manifestum, nisi in confessione, & hoc ubi non potest aliter manifestari peccatum tuum.* Ratio est, quia præceptum charitatis, & jus naturale complicis ad suam famam solùm se extendit ad casum, in quo bonum manifestationis non prævaleat bono suæ famæ; secùs autem ad casum, in quo prævaleat bonum manifestationis; in quo pœnitens habet jus.

Qua de causa, ut benè notat Lugo disp. 125.
16. sect. 8. num. 424. Dicastillo disput. 9. dub. 12. num. 946. & alii, etiamsi peccatum

tum possit declarari cum omnibus suis circumstantiis, non declarato complice; tenetur pœnitens complicem, vel ipsi Confessario, vel alteri declarandum, prout opus sit ad pœnitentis emendationē; vel ad correctionem ipsius complicis, vel ad evitationem scandali, & ruinæ aliorum, vel ad infamiam, aut alia damna communitatis, tis, aut reipublicæ præcavendā: ad hæc enim tenetur pœnitens ex præcepto charitatis, utpotè prævalentia bono juris proximi, adeóque si declaratio complicis sit medium necessarium, nolitque pœnitens illud adhibere, non est benè dispositus, nec debet, nec potest absolvi; quare cogendus est, ut declaret complicem, vel ipsi Confessario, vel Superiori, vel alteri, prout charitas postulaverit.

126. Bonum autem integritatis confessionis à Christo præceptæ secum affert, tanquam onus sibi intrinsecum, manifestationem delicti, adeóque modo, quo delictum manifestari non valet, non manifestato complice, affert secum complicis manifestationem. Undè si utilius sit pœnitenti, Confessario noto complicis personam declarare, ob consolationem, quam sentit, aut expectat à Confessario pio, amico, & docto, vel si dubitans de sua contritione, velit se cum Deo reconciliare, & aliùm Confessarium non habeat, nisi cui persona complicis nota est, potest illi complicem manifestare. Idem est in aliis similibus: v. g. si absque scandalo non possit Communionem omittere, ut benè advertunt Reginaldus, & Tamburinus.

127. Ratio est, quia infamatio complicis sub sigillo confessionis apud Confessarium non est tanta, ut in his casibus non prævaleat jus pœnitentis ad hunc fructum juri complicis ad suam famam. Undè si tunc pœnitens non faceret confessionem integram, peccaret mortaliter: quia dum pœnitens confitetur, tenetur facere confessionem integram, si licitè potest: atqui tunc pœnitens dum confitetur, potest licitè facere confessionem integram: ergo &c. Si autem nulla esset necessitas faciendi tunc Confessionem; neque ullum specialem fructum expectaret pœnitens à Confessario noto præ ignoto; ordo charitatis postularet, ut confiteretur Confessario, cui complicis persona ignota esset. Quinimo, si intra duos dies talis Confessarius possit facilè haberi, judicat Eximius Doctor disput. 34. sect. 2. nu. 13. charitatem obligare ad expectandum; secus autem si necessaria esset dilatio longi temporis, aut nimia intermissio utilis consuetæ frequentiæ.

Exindè communior Theologorum sententia cum D. Thom. Exim. Doctore, Coninck, Lugo, & aliis, contra Paludanum, & alios, docet, nunquam licere, præcisè propter casus reservatos, dimidiare Confessionem, confitendo nimirum solà mortalia non reservata inferiori, & postea sola reservata superiori. Ratio est: quia si pœnitens confiteatur Superiori, debet omnia lethalia ei manifestare, ut ab eis directè absolvatur, cùm Superior possit ea omnia directè absolvere. Si verò confiteatur inferiori, tenetur, vel per se, vel per Confessarium, aut quemvis alium facultatem obtinere, ut ab omnibus directè absolvatur. Si autem Confessio absque scandalo omitti non possit, vel pœnitens debeat communicare, aut celebrare, aut ex quocúmque alio capite Confessio non possit omitti, & tunc solùm adsit Confessarius inferior, tenetur pœnitens omnia sua lethalia reservata, & non reservata confiteri inferiori, ut status ejus Confessario innotescat, & servetur præceptum divinum de integritate Confessionis, quamvis solùm absolvatur directè à non reservatis, & indirectè à reservatis, adeóque reservata debeant posteà Superiori manifestari. Ratio est, quia licèt inferior tunc non habeat jurisdictionem ad absolvendum directè reservata, habet tamen jus ad cognoscendum, utrùm pœnitens sit dispositus hic, & 130.
nunc ad Absolutionem directam de non reservatis, adeóque habet jus cognoscendi integrè pœnitentis statum, etiam quoad reservata, quatenus possunt impedire Absolutionem de non reservatis, ad quam pœnitens non erit dispositus, nisi extendat dolorem, & propositum ad non reservata; relinquat occasionem eorum & proponat satisfacere, si exindè debet: ergo &c.

Suppono octavò: iterandum esse Confessionem, quando Sacramentum fuit irritatum, undecúmq; proveniat. Ex parte autem integritatis tunc provenit, quandocúmque quis scienter peccatum aliquod mortale in Confessione reticet sine legitima causa: tunc enim nihil divinæ bonitati remittendum

dum proponitur ex num. 101. Smúlque additur novum peccatum Sacrilegii. Quando verò Confessio fuit invalida, si fiat eidem Sacerdoti memori adhuc illorum peccatorum, sufficit uno verbo, ea iterum repetere, dicendo: accuso me de iis omnibus, quæ aliàs confessus sum, explicando, si fuit commissum novum peccatum Sacrilegii: Imò sufficit, juxta plures, si confessarius generatim meminit statum pœnitentis. Quod si confessio posteà alteri fiat, debent omnia peccata quoad speciem, & numerum repeti, ac si nunquam essent confessa, idque ex quocúmque capite contingat, Sacramentum fieri irritum. Si autem aliquis validè fuit confessus, non tenetur, per se loquendo, peccata illa iterum in Confessione aperire; aliquando verò teneri potest per accidens, ut si integrè confiteatur, & solùm indirectè absolvatur à reservatis, juxta dicta numero Superiori, tenetur posteà reservata iterum confiteri ad habendam directam Absolutionem de illis, vel si opus sit ad pœnitentis consuetudinem agnoscendam. Undè Innocentius XI. damnavit 58. propositionem; quæ sic habebat: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem,*

SECTIO II.

Qualis debeat esse Sacramentalis Confessio?

§. I.

130. Assero primò. Nullum est validum pœnitentiæ Sacramentum, absque Confessione formaliter integra, neque absque Confessione integra materialiter, quoad species, & numerum peccatorum, si nulla sit causa rationabilis excusans ab ea integritate. Probatur facilè Conclusio ex dictis. Confessio formaliter integra est necessaria necessitate Sacramenti; Confessio verò integra materialiter est necessaria necessitate præcepti, ex n. 85. atqui absq; Confessione necessaria necessitate Sacramenti, non potest dari validum Sacramentum, absque sua parte essentiali, quod evidenter repugnat. Insuper quando nulla causa rationabilis excusat ab adimpletione præcepti de integritate Confessionis materiali, tenemur sub gravi ad eam integritatem; ita ut omissio unius solius lethalis satis sit ad frustrationem Sacramenti, sive ad hoc, ut nihil Deo remittendum proponatur, ex num. 101. & 108. Quandò autem Sacramentum Pœnitentiæ frustratur, non est validum: ergo &c.

Assero secundò, cum Exim. Doctore, & omnibus antiquis videndis apud Cardenas tom. 2. Chrisis Theologicæ tract. 6. disputat. 46. contra Caramuelem, & aliquos Recentiores: Peccata strictè, & negativè dubia declarari debent in Confessione. Probatur primò. Tunc datur peccatum strictè, & negativè dubium, quando aliquis dubitans an peccaverit, non habet motiva sufficientia ad prudenter judicandum, quòd non peccaverit, vel saltem manet intellectus anceps inter utramque rationem, quin alterutri parti possit prudenter assentiri, sicuti non habemus fundamenta sufficientia, ad assentiendum alterutri parti, quando quærimus, an grana arenæ sint paria, vel imparia: etenim quod in hoc casu præstat ignorantia, in casu nostro præstat dubium: si enim sint rationes sufficientes, ad prudenter judicandum, peccatum re vera esse commissum, jam non dicitur strictè, & negativè dubium, sed verè probabiliter commissum, sive, ut alii vocant, dubium positivè; sicuti si adsint rationes sufficientes ad prudenter judicandum, re vera non esse commissum: dicitur verè, & probabiliter non commissum, de quo agemus posteà: atqui quando aliquis dubitans, an peccaverit, non habet motiva sufficientia ad prudenter judicandum, quòd non peccaverit, vel manet anceps, tenetur peccatum illud confiteri: ergo &c. 131.

Probatur Min. qui ita dubitat, tenetur, quantum est ex se, agere pœnitentiam, ut illud peccatum ei remittatur, si fortè quid commisit: qui enim cum eo dubio diligentiam illam omitteret, imprudentissimè se gereret, & contra charitatem propriam peccaret: atqui pœnitentia hominis Christiani, vel est Sacramentalis Confessio in re, vel in voto, quo obligatur ad Sacramentalem Confessionem: ergo qui ita dubitat, tenetur ad Confessionem. Probatur Min. ex Tridentino sess. 6. c. 14. dicente; *Undè docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum, multò aliam esse à Baptismali, eâque contineri* 132.

non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum, humiliatum, verùm etiam eorundem Sacramentalem Confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam: ergo &c. Confirmatur primò. Non minùs requiritur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, quòd peccata sint commissa post Baptismum, quàm quòd peccata sint verè commissa, ut adversarii fatentur, & constat à num. 71. sed qui dubitat, an commiserit hoc peccatum mortale ante, vel post Baptismum, tenetur cum eo dubio illud confiteri, & sub conditione Absolutionem suscipere: ergo &c. Confirmatur secundò, ex Catechismo citato num. 109. Conclusionem nostram expressè docente.

133. Respondebis primò: hominem dubitantem de peccato commisso, præsumendum esse innocentem, cùm possessio sit pro Innocentia, ut constat in regulis Juris, ex quibus, *in dubiis melior est conditio possidentis, & in obligationibus, pœnisque imponendis benignior interpretatio est facienda, statuque pro libertate Innocentia, & possessio.* Contrà tamen primò. Ex his regulis juris ad summum, potest esse in dubio pro libertate possessio, quoad effectus onerosos, v. g. restituendi, subeundi condemnationem, solvendi pœnam, aut quodvis aliud simile onus; secùs verò quoad effectus favorabiles, ex quorum omissione summa reo infelicitas prudenter imminere posset: atqui in casu nostro obligatio pœnitendi, adeóque & confitendi, est effectus reo favorabilis, ex cujus omissione summa ipsi infelicitas prudenter imminere posset: si enim moreretur absque pœnitentia de eo peccato, quod re ipsa fuerit commissum; damnaretur in æternum, quæ summa est omnium infelicitas; ergo &c. Contrà secundò, ad homines: licèt de dubio quoad effectus purè onerosos non teneatur ex regulis juris homo ex naturali charitatis præcepto pœnitere, attamen de dubio peccati commissi, tenetur saltem præcepto naturali charitatis pœnitere, ut adversarii fatentur: ergo illæ regulæ Juris inutiliter adducuntur ad casum nostrum.

134. Respondebis secundò. Pœnitere ex solo præcepto charitatis, non esse tantùm onus, quantùm obligari ad Confessionem: cùm autem per hujusmodi pœnitentiam præcaveatur malum illud imminens; iste solus est effectus reo favorabilis, adeóque obligatio ad Confessionem, jam esset effectus onerosus, ad quem homo non tenetur propter solum dubium. Qua de causa Tridentinum solùm obligat ad confitenda peccata, quorum quis conscientiam habet, ex num. 101. Conscientia autem idem est, ac cognitio cum scientia, quæ ex dubio non habetur. Undè si ad hanc obligationem Confessionis teneretur homo, obligaretur ad pœnam certam, propter delictum non certum; adeóque contingere posset, quòd innocens teneretur ad subeundam pœnam, quod naturæ lumine est planè dissonum. Contra tamen primò. Nullus est actus pœnitentiæ, cui ratione sui debeatur remissio peccati; ut constat ex num. 305. de Virtute, nisi ex acceptatione, & promissione divina, ut ipsi adversarii, cum quibus disputamus, fatentur, adeóque Fidelis non potest præcavere malà ex peccato imminentia, nisi pœniteat modo, quo Deus exigit pœnitentiam ad remissionem; atqui pœnitentia, quam Deus exigit, est Confessio Sacramentalis in re, vel saltem in voto, quo pœnitens obligatur ad Confessionem, ex num. 132. ergo pœnitentia favorabilis Fideli pro peccato dubio nunquam datur absque Sacramentali illius Confessione, vel obligatione illud confitendi.

Contrà secundò. Non solùm potest homo habere scientiam de eo, quod peccavit, sed etiam de eo, quod dubitat, an peccaverit: etenim non est minùs, quod scit id, quod scit, quàm quod dubitat de eo, de quo dubitat: atqui utràque certitudo sufficiens est ad scientiam, & conscientiam, juxta Tridentinum: ergo &c. Probatur Min. utràque certitudo sufficiens est, ut homo non possit se excusare à faciendâ pœnitentiâ, ex num. 132. sed pœnitentia 137.
fit de peccato, prout est in scientiâ, & in conscientia, ita nimirùm, ut si peccatum sit in conscientiâ certum, pœnitentia fiat de peccato, ut certo; si autem sit in conscientia dubium, pœnitentia fiat de peccato, ut dubio: ergo &c. Contrà tertiò. Utràque certitudo sufficiens est, ne dicatur, quod peccatum illud memoriæ non occurrit: atqui pœnitens tenetur confiteri peccatum, prout memoriæ occurrit, solùm-

solúmque excusatur à Confessione illius, quod post diligens conscientiæ examen memoriæ non occurrit, ut constat, ex 6. principio dato num. 101. ergo &c. Undè juxta Tridentinum, idem omninò est, meminisse peccati, ac peccatum memoriæ occurrere.

136. Contra tertiò: quia Conscientia in jure Canonico, nihil aliud significat, nisi certitudinem prout à nobis expositam: Sic in Decretalibus cap. *Petitio de Homicidio voluntario*, Honorius Tertius ita ait: *Mandamus, quatenùs si de interfectione cujusdam in illo conflictu tua conscientiate remordeat, à Ministerio Altaris abstineas reverenter, cùm sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare*; & Capite Inquisitioni de sententia Excommunicationis, Innocentius Tertius, ita habet: *Inquisitioni tuæ respondentes, credimus distinguendum, utrùm alter conjugum certò sciat impedimentum conjugii, propter quod sine mortali peccato non valeat carnale commercium exercere; quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit: an non sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potiùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo distinguimus, utrùm habeat conscientiam hujusmodi, ex credulitate levi, & temerariâ, an probabili, & discretâ.* Ex ore Pontificis haberi conscientiam, ex credulitate levi: *Verùm cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili &c.* Ex iterùm conscientiam ex credulitate probabili: ergo cum certò aliquis scit, se dubitare, an peccatum commiserit, verè habet conscientiam de peccato dubio; adeóque obligatio confitendi non erit tunc effectus purè pœnalis, sed favorabilis pœnitenti.

137. Probatur secundò Conclusio: Christus Dominus ita potuit hoc pœnitentiæ Sacramentum instituere, ut fideles, non solùm essent obligati ad confitendum peccata certa, sed etiam peccata dubia: atqui ex universâ Ecclesiæ praxi colligitur, hoc modo instituisse hoc pœnitentiæ Sacramentum: ergo &c. Probatur Min. Usus confitendi peccata dubia, ac persuasio de obligatione ea confitendi, semper rejecta est ab Ecclesia omnibus retrò sæculis nec ullus Sanctorum Patrum, aut antiquorum Theologorum, de hoc unquam dubitavit: Dubium enim apud modernos Theologos 40. ab hinc annis in cœpit; sed dici non potest, Ecclesiam tot sæculis fuisse deceptam eâ existimatione: ergo dicendum est, ita fuisse à Christo institutum hoc Sacramentum, universæque Ecclesiæ ita fuisse traditum per Apostolos. Hæc ratio adeò efficax est, ut Arriaga, Oviedus, Moya, aliique quamplures eâ solâ nitantur, quam insolubilem judicant, & confirmant ex regulâ Augustini tradita numero 59.

Respondebis; ex usu fidelium non inferri traditionem: quia de tali usu semper retento non constat, cùm antiqui Patres de eo non meminerint. Quinimò licèt retentus fuisset; non constat, eum ortum ex obligatione, & non ex aliis capitibus devotionis, aut majoris securitatis conscientiæ. Contra tamen: traditio præcepti Christi per Appstolos, & iste usus semper in Ecclesia retentus, clarè constat, ex antiquis Patribus, & Concilis: ergo &c. Probatur Antecedens: *Universa Ecclesia semper intellexit institutam fuisse à Christo integram peccatorum Confessionem*, ut definit Tridentinum citatum numero 101. ad quam integram Confessionem tenentur fideles aperire omnia lethalia, quorum conscientiam habent, ut definit idem Tridentinum ibidem citatum; atqui non solum sunt in conscientia peccata certa, sed etiam peccata dubia, ex num. 135. ergo &c. 138.

§. II.

139. Assero tertiò. Non tenentur fideles ad aperiendas circumstantias, intra eandem speciem aggravantes; benè verò ad declaranda peccata, sive formaliter, sive æquivalenter peccatorum numerum augentia. Probatur primo. Circumstantiæ, quæ intra eandem speciem purè circumstantiæ sunt, superadduntque substantiæ actus malitiam venialem, quam in Confessione pœnitens exprimere non tenetur: Supposito enim, quod ad furtum grave requirantur quatuor Julii; qui furaretur quinque, superadderet peccato gravi circumstantiam unius Julii, intra can-

eandem speciem aggravantem. Si autem furaretur octo, quatuor illi superadditi jam non essent pura circumstantia, sed novum æquivalenter peccatum, supra alios quatuor julios, quod pœnitens teneretur explicare: ergo &c. Probatur Antecedens: eatenùs circumstantiæ intra eandem speciem sunt circumstantiæ puræ, quatenùs rectam, & necessarium judicium Confessarii circa pœnitentem non immutant: si enim immutarent, jàm non essent circumstantiæ, sed peccata confitenda, ut in pœnis imponendis posset æquitas servari in isto Sacramentali judicio, ex Tridentino citato num. 101. in principio secundo: atqui circumstantiæ, quæ malitiam dumtaxat venialem superaddunt, non immutant necessarium, & rectum Confessarii judicium circa pœnitentem; benè verò illæ, quæ æquivalenter peccatorum numerum augent: siquidem diversissima injungenda est pœnitentia illi, qui furatus est centum millia, quàm illi, qui furatus est solùm quatuor: ergo &c.

140. Respondebis: Nomine circumstantiarum intra eandem speciem intelligi ab Authoribus, non solùm illas, quæ venialem malitiam superaddunt, sed eas etiam, quæ æquivalenter augent numerum peccatorum, ut constabit authoritates legenti. Cùm autem Trident. ex professo explicans obligationem pœnitentis solùm doceat, teneri ad confitenda peccata, quoad speciem, & numerum, & quoad circumstantias mutantes speciem, nullámque obligationem proponat, quoad circumstantias intra eandem speciem aggravantes, nulla est obligatio pœnitentis ad eas in Confessione aperiendas; ac proindè, si semel pœnitens furatus est quatuor, satisfaciet dicendo, se semel commisisse furtum grave; eodémque modo satisfaceret, si semel furatus esset centum millia, dicendo, se semel commisisse furtum grave, quin quantitatem illam magnam furti teneretur aperire. Contra tamen primò: circumstantiæ, quæ æquivalenter augent numerum peccatorum, nunquam vocantur ab Authoribus circumstantiæ nudè sumptæ, sed cum addito extrahente eas à pura ratione circumstantiarum: Sic vocantur à pluribus circumstantiæ, non quidem aliqualiter, sed absolutè, intra eandem speciem notabiliter aggravantes, id est peccatorum numerum æquivalenter augentes, ut antiquos legenti planum fiet, & constabit ex D. Thom. num. 143. ergo licèt non sit obligatio confitendi eas puras circumstantias, cùm necessarium Confessarii judicium non immutent; necessarium erit confiteri circumstantias non puras, sive peccatorum numerum æquivalenter augentes, utpotè necessarium Confessarii judicium immutantes.

Contra secundò. Non solùm tenetur pœnitens confiteri, se peccâsse; sed tenetur ex Tridentino aperire singillatim peccata sua, declarando, unum ab alio distingui, ex num. 108. atqui si unâ vice aliquis furatus fuisset quatuor, & alterâ vice furatus fuisset centum millia, non aperiret singillatim sua peccata, solùm dicendo, se bis commisisse furtum grave: Licèt enim actus solùm fuerint duo, objecta tamen per eos actus ablata, sunt plus quàm duo furta gravia, ut per se notum est: ergo pœnitens, qui tenetur singillatim aperire peccata, tenetur aperire quantitatem illam magnam, per secundum furtum ablatam. Contra tertiò ad homines: qui per unum actum decem homines interfecit, non satisfacit in Confessione dicendo, semel occidi; sed tenetur dicere, occidi decem homines: ergo qui per unum actum furatus est quantitatem per se sufficientem, ad constituendam decem furta gravia, non satisfaciet in Confessione, dicendo, semel commisi furtum grave; sed tenebitur dicere quantitatem sufficientem ad decem furta gravia.

Contra quartò: Simúlque impugnantur Adversariorum responsiones: Nullus ex Authoribus antiquis, usque ad tempus D. Thomæ, vocavit puram circumstantiam actûs, illam, quæ numerum lethalium æquivalenter auget, sed eam, quæ malitiam solùm venialem superaddit, neque de hac, sed de illa erat apud Antiquos controversia, quoad obligationem confitendi: ergo Tridentinum docens, singillatim confitenda esse peccata, pariter docet, juxta Antiquorum sententiam, obligationem confitendi æquivalentem numerum peccatorum; ac proindè, quando de circumstantiis intra eandem speciem nihil addit, ex eo silentio, dumtaxat excluditur circumstantiæ, quæ æquivalenter non augent numerum peccatorum. Conse-

quen-

quentia tenet; quia Concilia in suis definitionibus supponunt terminos notos, & admissos apud Theologos. Antecedens patebit, inquit Esparza lib. 10. quæst. 90. art. 3. ad octavum, si legantur Alexander Alensis par. 4. quæst. 18. memb. 4. artic. 3. D. Thom. in quartum, dist. 16. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 4. & 5. Scotus in quartum, dist. 17. quæst. unica, artic. 2. Cæterùm ut clariùs appareat, en D. Thomæ verba eâ quæstiunc. 5.

143. *Ad quintam quæstionem dicendum, quod omnes circumstantias confiteri, est impossibile: quasdam autem confiteri, est necessitatis: sed in hoc est differentia opinionis. Quidam enim dicunt, quod omnes circumstantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri, necessitatis est, si memoriæ occurrant. Alii verò dicunt, quòd non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius est, sed addendum est, quæ ad aliam speciem mortalis trahunt, cujus ratio est, quia venialia non sunt de necessitate Confessionis, sed solùm mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodò habent. Et quia circumstantiæ aggravantes, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate Confessionis, tamen eadem confiteri perfectionis est, sicut, & de venialibus dictum est.* Statimque addit. *Ad primum ergo dicendum, quòd* ..... *de venialibus, & circumstantiis, quæ venialibus æquivalent, potest homo sine Confessione exire.* Undè juxta Antiquos, sicut, aliqua venialia sunt aliis graviora, ita aliquæ circumstantiæ, addunt aliquam notabilem quantitatem, quæ semper manet in genere venialis; adeóque sicut non tenemur confiteri venialia; ita neque eas circumstantias, utpotè æquivalentes venialibus; ex quo magnam accipit lucem Assertio nostra.

144. Probatur secundò Conclusio. Pœnitens, qui taceret circumstantiam furti facti in Ecclesia, non confiteretur integrè peccatum, dicendo solùm, se furatum fuisse quantitatem gravem: ergo qui taceret quantitatem centum aureorum, quos furatus est, non confiteretur integrè peccatum suum, dicendo solùm, se furatum esse quantitatem gravem. Probatur Consequentia: circumstantia mutans speciem in unico actu furti Sacrilegii non facit, quòd sint duæ malitiæ specificè realiter distinctæ; aliter essent duo peccata realiter distincta, sed solùm facit, quòd in eo peccato sint duæ malitiæ specificæ æquivalenter distinctæ; altera quidem furti, & altera Sacrilegii: atqui in furto centum aureorum sunt etiam æquivalenter plura peccata numero distincta: ergo &c. Confirmatur ex variis absurdis, quæ ex adversâ sententiâ sequuntur. In primis enim nulla esset obligatio aperiendi in Confessione opus ullum externum, cùm juxta probabiliorem, & communiorem sententiam, tota malitia peccati desumatur ab affectu interno, non autem ab opere externo, à quo solùm potest sumi æquivalentia ad duo, vel plura peccata specie, vel numero distincta, ex num. 139. Insuper: qui immaniter amputâsset alicui aures, brachia, & pedes, linguâmque ei abscidisset, atque oculos effodisset; satisfaceret præcepto Confessionis, dicendo, se graviter aliquem vulnerâsse; tum qui displosione tormenti bellici occidisset mille homines; sufficienter delictum suum explicaret, dicendo, se semel occidisse; Item: qui edicto injusto, bona totius Reipublicæ expoliâsset, & cives omnes bonis propriis expoliâsset, satisfaceret, dicendo, se semel grave furtum commisisse; idemque esto de aliis similibus: sed hoc ipso naturæ lumine apparet absurdum: ergo &c.

145. Probatur tertiò. Qui necessitatus esset ad eligendum unum è duobus furtis inæqualibus ejusdem speciei, v. g. ad furandum quatuor, vel centum, si eligeret majus furtum, præ minori, peccaret sine dubio, & teneretur confiteri tale peccatum, atqui tantùm peccaret eligendo illum malitiæ excessum, quo non augetur formaliter, sed solùm æquivalenter numerus peccatorum in actu, quo quis ea centum omninò liberè furaretur: ergo qui omninò liberè furatur centum, non solùm tenetur confiteri, se commisisse furtum grave, sed tenetur declarare, se furatum fuisse centum. Confirmatur primò, quia alioquin in casu prædictæ necessitatis, qui furaretur centum, non teneretur peccatum furti confiteri, sed hoc dici non potest: ergo &c. Probatur Maj. volitio furandi illum excessum supra quatuor æquè libera est,

& moraliter mala, sive detur, sive non detur necessitas ad furandum quatuor: atqui si non datur necessitas, non tenetur ad confitendum excessum: ergo neque teneretur, quando daretur necessitas ad furandum quatuor. Probatur Conseq. Homo ille non teneretur fateri, se furatum esse materiam gravem: erat enim, ut supponimus, necessitatus ad eam furandam; adeóque prout furatus est quatuor, non peccavit: atqui juxta Adversarios non tenetur confiteri excessum, quamvis æquivaleat furto gravi: ergo &c. Confirmatur secundò. Qui furatus est centum millia, non satisfacit in Confessione, dicendo, se furatum esse quatuor: ergo non satisfacit, quin declaret numerum æquivalentem peccatorum. Probatur Conseq. quia tacere materiam Confessioni non necessariam, non reddit Confessionem invalidam: atqui si non esset obligatio confitendi illum numerum æquivalentem peccatorum, qui confiteretur, se furatum fuisse quatuor; & omnem aliam quantitatem taceret, taceret materiam Confessioni non necessariam: ergo &c.

146. Assero quartò: licèt necessaria non sit necessitate Sacramenti Confessio propriâ pœnitentis voce facta; quando tamen ita fiteri potest, est necessaria necessitate præcepti, Ecclesiasticâ saltem consuetudine introducti. Probatur primò. Ex praxi, & usu Ecclesiæ, pœnitens voce destitutus, per signa, & nutus petens Absolutionem, licitè, & validè absolvitur, adeóque certum omninò est, Confessionem propriâ pœnitentis voce factam necessariam non esse, necessitate Sacramenti. Insuper licèt sit dubium, an ex præcepto Christi, quando fieri potest, debeat Confessio fieri propriâ voce, juxta ea, quæ tradit author de vera, & falsa pœnitentia apud August. tomo 4. cap. 10. dicens: *Quem ergo pœnitet, omninò pœniteat, & dolorem lacrymis ostendat, repræsentet vitam suam Deo per Sacerdotem, præveniat judicium Dei per Confessionem; præcepit enim Dominus mundatis, ut ostenderent omnia Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per Nunicum, non per scriptum manifestanda.* Hæc enim verba còm eò tendant, ut explicent, Confessionem non faciendam esse absenti ad recipiendam Absolutionem ab absente, possunt etiam rectè intelligi de Nuncio, & scripto ad absentem misso, ut conferat Absolutionem, de quo agemus infra; adeóque ex illis verbis non arguitur certò præceptum divinum de Confessione ore faciendâ. Cæterùm de Ecclesiastica consuetudine, quâ scimus, Confessionem fieri propriâ voce pœnitentis, quando pœnitens propriâ voce confiteri potest, non est dubium, sed res certa omnibus fidelibus nota; quam consuetudinem sub gravi obligare, censent communiter Doctores in Ecclesia, ut constabit numero sequenti; sed nemini licèt talem consuetudinem violare: ergo &c. Exindè.

Probatur secundò: Ecclesiastica consuetudo, quæ sub gravi obligatione, aut introducta, aut recepta est, sub gravi obligat, licèt sub gravi non obliget illa, quæ ut liberè implenda proponitur, & ut talis admittitur, & agnoscitur: atqui ecclesiastica consuetudo confitendi propriâ voce, quando pœnitens potest, sub gravi obligatione est recepta: ergo &c. Probatur Min. judicium de obligatione ortâ ex consuetudine, nullo aptiori modo colligi potest, quàm ex communi omnium, & præcipuè Doctorum consensu atqui ex communi Doctorum consensu: consuetudo in casu nostro ita est obligatoria, ut certissimè obliget ad minus sub levi, teste Arriaga disput. 51. sect. 8. num. 59. & valdè probabiliter sub gravi, quandoquidem esset nimia levitas animi contra talem communem consuetudinem in re adeò gravi agere: ergo &c. Confirmatur: licèt ex nullo textu possit certò probari consuetudinem inductâ esse ad obligandum sub gravi, ut notavit Card. de Lugo; attamen communis Doctorum consensus gravem obligationem agnoscens satis est, ut ea consuetudo vim legis obtineat obligantis sub gravi, quando nullum est grave fundamentum pro opposito, ut contingit in casu nostro. Ex dictis

§. III.

147. Fit primò: nullum esse peccatum, si pœnitens paucis verbis se accuset, omnia sua peccâta sufficienter clavibus subjiciendo. Ratio est, quia plures sunt casus, quos Doctores admittunt, in quibus paucis verbis servari potest consuetudo confitendi verbaliter: v. g. si pœnitens tradat

tradat omnia sua peccata scripta in schedula Confessario, cui, postquam legerit, dicat pœnitens: de his omnibus me accuso; ut notavit Lugo disp. 15. sect. 2. num. 80. & cum eo Arriaga supra cit. tum etiam si Confessarius extra Confessionem noverit peccatum pœnitentis, sufficiet, si pœnitens dicat: *accuso me de peccato, quod scis me commisisse*, ut notavit Exim. Doctor disput. 22. sect. 6. num. 5. qui etiam notat, sufficere, quando quis in Confessione invalida omnia sua peccata declaravaverat, si eidem Confessario eorum peccatorum memori dicat, *accuso me de omnibus peccatis, quæ in præcedenti Confessione dixi*, ut præmonui num. 82. & 129. Quod idem est de aliis similibus casibus, qui excogitari possunt: cum autem nulla verecundia excusare possit à prolatione eorum verborum: *accuso me de his peccatis, quæ nosti, vel legisti*, quæ satis sunt ad Confessionem vocalem; ea de causa à Confessione vocali excusare nequit verecundia, ut Lugo, Arriaga, & Martinus Perez distincte notarunt. Quinimò cum hoc sit onus Sacramento intrinsecum ex num. 123. ex nullo capite patitur exceptionem.

149. Fit secundò: illum, qui confiteri non potest, nisi publicè, vel per interpretem, non teneri ad declaranda singillatim omnia sua peccata, saltem extra articulum mortis ex num. 37. Si autem pœnitens velit, quoties præcepto naturali Confessio publica prohibita non sit, ut quando ex eà scandalum, vel quid simile oriretur, poterit publicè singillatim omnia sua peccata confiteri. Ratio est, quia ut constat ex Tridentino eo n. 37. Confessio publica per se non est jure divino prohibita, licèt non sit præcepta. Unde quando jure naturali prohibitum esset, aliqua peccata publicè confiteri, si pœnitens aliter non posset, quàm publicè confiteri, posset ea peccata confiteri, quæ jure naturæ non prohiberetur declarare, & dicere: *de his, & de omnibus meis peccatis me accuso*. Teneretur autem postea, quando posset, in Confessione secreta confiteri directè ea peccata, quæ tacuit. Quando verò pœnitens scripto dat Confessario legenti omnia peccata, & posteà dicit: *de his omnibus me accuso*, non tenetur ea posteà itetum confiteri, cùm omnia in ea Confessione directè confiteatur. An verò Confessio per litteras facta Confessario absenti licita sit, vel prohibita? constabit, cùm de Absolutione agamus disputatione sequenti.

Fit tertiò: multipliciter posse reddi in- 150.
validum Sacramentum, & vitiosam confessionem. Ratio est, quia quotiescumque deficit materia proxima Sacramenti; nempè contritio præscindens à perfecta, & imperfectâ, deficit Sacramentum; cùm talis materia proxima sit pars essentialis, ut constat à num. 75. atqui materia proxima, sive talis contritio multipliciter potest deficere ex vitiosa confessione: ergo &c. Probatur Min. Si aliquis in Confessione mentiatur advertenter, addendo aliquod mortale, quod non commisit, vel tacendo aliquod, quod commisit; cùm tunc mortaliter peccet, impedit veram Contritionem, & Attritionem, quæ cum actuali lethali componi non possunt. Pariter si aliquis confiteretur solùm unum veniale, absque ullo dolore de illo, peccaret contra institutionem Sacramenti, exigentem actum pœnitentiæ circa materiam, quæ ad conficiendum Sacramentum, ita apponitur necessaria, ut sine illa tale Sacramentum extare non possit: licèt enim ex se veniale leve sit, in hoc casu est quid grave, in ordine ad finem Sacramenti. Sic paucissima aqua, quæ vino admiscetur, in se est quid leve, in ordine tamen ad finem præcepti significantis conjunctionem Christi cum Fidelibus, sive membrorum cum capite, ut diximus in Tractatu de Eucharistiâ, est res gravissima: adeóque graviter peccaret, qui ad conficiendum Sacrificium, nollet aquam vino immiscere. Sic etiam tenuis cibus in se est res levis, in ordine tamen ad servandum jejunium naturale requisitum ab Ecclesiâ, ad recipiendam Eucharistiam, est res gravis: ergo etiam dolor requisitus ad retractationem venialis, quod unicè apponitur pro materiâ Sacramenti, est res gravis in ordine ad conficiendum Sacramentum; adeóque qui solùm unum veniale confiteretur, illudque dumtaxat apponeret pro materiâ Sacramenti, peccaret mortaliter, si non doleret de illo, ad conficiendum Sacramentum.

Fit quartò: Mendacium in confessione 151.
de re levi, non pertinente ad materiam

Sacra-

Sacramenti, per se loquendo, non esse mortale; adeóque neque invalidare Sacramentum. Ratio est: quia tale mendacium nequaquam impedit materiam remotam, & proximam necessariam ad Sacramentum; adeóque ex nullo titulo potest per se inducere malitiam gravem. Pariter qui aliis Confessariis confitetur omnia sua mortalia, & post ea suo ordinario Confessario confitetur solùm venialia, non peccat mortaliter, ut contra Sylvestrum docent Exim. Doctor, Navarrus, Reginaldus, Lugo, & alii communiter. Ratio est, quia pœnitens ritè confessus est mortalia, ut supponimus, nec per se loquendo, tenetur ea bis confiteri; adeóque cùm non dicat, se solùm commisisse venialia peccata ab ultima confessione facta, apud ipsum ordinarium confessarium, nequaquam mentitur in re gravi. Quòd autem dicat, se nihil aliud habere pro materia confessionis, nullum est crimen, cùm nullam aliam materiam teneatur declarare ordinario confessario peccata commissa ab ultima Confessione, apud ipsum facta. Per accidens tamen potest esse lethale, negare Confessario interroganti, ea peccata commissa, si necessarium sit ad cognoscendam pravam consuetudinem pœnitentis, ejus occasionem, & periculum peccandi mortaliter, ex propositione damnata ab Innocentio XI. num. 129.

152. Fit quintò: Facilè resolvi posse ex dictis difficultatem, quam aliqui longè controvertunt, nimirùm an reddatur nulla Confessio, quando intentio confitendi, & recipiendi Sacramentum pœnitentiæ, vitiatur ex aliquo alio fine, aut motivo malo, v. g. quando quis vult confiteri, & recipere Sacramentum, referens hoc ad turpem finem inanis gloriæ, aut vanæ existimationis apud Confessarium, aut alios? Etenim quando intentio confitendi, ex motivo malo, redditur mortaliter mala, tunc Sacramentum est nullum, quia tunc datur actuale peccatum mortale; atque adeò deficit debitus dolor, & propositum, ex dictis. Quando autem intentio solùm redditur venialis, hoc motivum leviter malum tunc per se non invalidat confessionem, cùm non impediat debitum dolorem versantem circa materiam, quæ apponitur ad conficiendum validum Sacramentum; dolor enim supernaturalis, licèt componi non possit cum actu naturali pravo mortaliter peccaminoso, potest componi cum actu naturali venialiter malo. Undè ex illo non invalidatur Sacramentum. Quod idem dicendum est de quocúmque alio peccato de re levi commisso in confessione; peccatum quidem leve non solùm habituale, sed etiam actuale, stare potest simul cum vera generali attritione, & vera confessione de mortalibus, sive de aliis venialibus; atqui peccatum veniale, quod stare potest cum verâ Confessione, & Contritione requisitis ad valorem Sacramenti, non invalidat Sacramentum: ergo &c.

SECTIO III.

Solvuntur Opposita.

§. I.

OBjicies primò, contra primam Conclusionem. Potest aliquando fieri confessio non integra materialiter, quoad species, & numerum peccatorum pro solo habito pœnitentis: ergo &c. Probatur Antecedens: Quando pœnitens magnam habet Sanctitatis existimationem apud confessarium, & alios, si committat peccatum mortale, potest confiteri venialia, & tacere mortalia: ergo &c. Probatur Antecedens. Plus amitteret ille pœnitens, quoad suam famam, & existimationem, quàm perderet alius, cujus revelationem peccati pœnitentis apud Confessarium, prudentissimè imminueret grave detrimentum in pecunia, aut re familiari, cùm bonum famæ æstimabilius sit bono pecuniæ; atqui quando prudenter imminueret alteri detrimentum in pecunia, aut re familiari, non teneretur pœnitens illud peccatum declarare confessario: ergo &c.

Resp. nego Antecedens: ad probat. nego Antecedens. Ad probat. dist. Maj. Plus amitteret ratione oneris intrinseci Sacramento, concedo: extrinseci, nego Maj. & permissâ Min. nego Consequentiam. Ratio est, quia ex institutione Sacramenti pœnitentiæ, non tenentur fideles ad onera Sacramento extrinseca, sed ad intrinseca, ex num. 123. illud autem detrimentum famæ pœnitentis apud confessarium, est onus intrinsecum Sacra-

mento

mento exigenti manifeſtationem delicti pœnitentis: Detrimentum autem in pecuniâ, aut re familiari non eſt onus Sacramento intrinſecum, ſed valdè extrinſecum Sacramento, ad quod Chriſtus ex ſua inſtitutione non obligavit: quapropter licèt hoc ſufficiens eſſet, ne homo teneretur ad integritatem materialem confeſſionis; ſecùs illud.

155. Objicies ſecundò, contra ſecundam Concluſionem. Obligatio confitendi per ſe gravis non eſt imponenda fidelibus, absque fundamento claro; ſed præceptum clarum, & certum non datur confitendi peccata dubia: ergo &c. Maj. communis eſt inter Authores, eámque tenent Thomas Sanchez lib. 1. ſummæ cap. 10. num. 32. plurésque alii, & ſumitur ex lege, quidquid aſtringendæ ff. de verborum obligationibus: *Quidquid adſtringendæ obligationis causâ dictum eſt, id nipalam exprimatur, omiſſum eſſe cenſendum eſt.* Conſtat etiam ex cap. 1. de jurejurando, in quo dicitur: *Ubi agitur de obligatione inducenda, interpretatio debet eſſe mitis*, & ex Cap. grave 22. quæſt 3. Tum etiam ratione, quia præceptum dubium non videtur ſatis promulgatum, ſive intimatum intellectui, ut homo cenſeatur illo adſtrictus. Min. autem probatur: nam tale præceptum, nec conſtat authoritate; Scriptura enim Concilia, & Patres docent obligationem quidem confitendi peccata; ſed de dubiis nihil loquuntur.

156. Inſuper Tridentinum, quod accuratiùs de confeſſione egit, huic ſententiæ potiùs favet, cùm ſeſſ. 14. cap. 5. dicat, ſolùm teneri pœnitentem confiteri *ea peccata, quibus Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe, meminerit*: Meminiſſe autem certam ſcientiam ſignificat. Qua de causâ, qui meminit, ſe recitâſſe Officium, non tenetur recitare; ſecùs qui dubitat, Pariter qui meminit, ſe confeſſum tale peccatum à ſe commiſſum, non tenetur confiteri; ſecùs qui dubitat, & ſic de aliis. Pariter nemo poteſt jurare ſe meminiſſe de hoc, quod dubitat, adeóque, qui dubitat, non meminit: ergo &c. Confirmatur, quia ut ex Ariſtotele lib. 1. de memoria, tradit ibi S. Thomas, ſemper cùm anima memoratur, pronunciat, ſe priùs vel audiviſſe, vel ſenſiſſe, vel intellexiſſe, ſed qui de his dubitat, non pronunciat, ſe audiviſſe, ſeu ſciiſſe, aut intellexiſſe, ſed dubius eſt, an audierit, ſenſerit, vel intellexerit: ergo, qui dubitat non meminit. Undè dixit Plato, meminiſſe, eſſe quoddam ſcire.

Reſpondeo, permiſsâ majori, cujus examen pertinet ad Tractatum de Conſcientiâ nego Min. ad Probat. nego Antecedens: quia ut docet Tridentinum citatum num. 101. tenentur Fideles confiteri omnia lethalia, quorum conſcientiam habent: conſcientia autem habetur, non ſolùm de peccato certo, ſed etiam de peccato dubio, ex num. 136. Undè peccaret lethaliter, qui de tali peccato dubio non ageret pœnitentiam; adeóque nec confiteretur, nec eliceret votum confitendi, ex num. 132. quapropter *meminiſſe*, etſi aliquando ſignificet ſcientiam directam de objecto; aliquando autem ſignificat ſcientiam reflexam de probabilitate, vel de dubio, quod habemus, ex num. 135. Quando ergo aliqua teſtimonia, ut ea, quæ in argumento adducuntur, ſignificant ſcientiam directam, aſſumunt ly *meminiſſe* in uno ſenſu; quandò verò ſignificant ſcientiam reflexam, ſumitur ly *meminiſſe* in alio ſenſu. Undè non ſufficit quodlibet meminiſſe, ſive quævis memoria, ut aliquis excuſetur à recitatione Officii, ſed ea, quæ ſufficiens ſit, ad deponendum prudenter ſcrupulum de oppoſito, juxta ea, quæ tradunt Theologi in Tractatu de Conſcientia. Ad Confirmat. diſtin. Maj. pronunciat, vel per memoriam reflexam, vel directam, concedo, ſemper directam, nego Maj. & diſtin. Min. nego conſeq. ut conſtat ex dictis. 157.

Objicies tertiò. Præceptum Confeſſionis, quoad totam ſuam integritatem, obligat ante ſuſceptionem Euchariſtiæ, adeòque quæ non ſunt ex neceſſitate præcepti confitenda ante ſumptionem Euchriſtiæ, non cadunt per ſe ſub præceptum confeſſionis: ſed per Tridentinum non ſunt confitenda ante ſumptionem Euchariſtiæ, niſi omnia peccata, quorum quis habet conſcientiam certam, & directam: ergo &c. Probatur Min. nam ſeſſ. 13. cap. 7. ſic proponit præceptum Confeſſionis antè ſuſceptionem Euchariſtiæ: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantúmvis ſibi contritus* 158.

videatur, absque præmissâ Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat: ubi verbum *conscius* solam notitiam certam, & directam denotat, non autem dubiam, aut reflexam: etenim qui dubitat de Sacrilegio commisso, non dicitur conscius Sacrilegii commissi: inauditum quidem est. ait Cardenas, quod nomen *conscius* dicatur de eo, qui dubitat: nil enim absurdiùs, quàm quod quisque velit dare vocibus significationem, in qua nunquam usurpantur. Confirmatur: si esset obligatio confitendi peccatum dubium, etiam esset obligatio confitendi peccatum probabiliter non commissum, cùm eadem sit de utroque ratio; sed non est obligatio confitendi peccatum probabiliter non commissum: ergo &c.

159. Respon. concedo Maj. & nego Min. Ad probat. concesso textu Tridentini, nego quod ly *conscius* sumatur ibi pro solâ notitiâ certâ, & directâ. Ratio est, quia conscius est, qui habet conscientiam, undè quot modis potest quis habere conscientiam; tot modis potest dici conscius, ex dictis num. 136. Quod etiam patet ex ipso Tridentino sess. 13. Can. 11. ubi doctrinam cap. 7., recolligens hæc habet: *Statuit, atque declarat ipsa Sancta synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis grâvat, quantumcúmque etiam sè contritos existiment, habitâ copiâ Confessarii præmittendam esse confessionem Sacramentalem.* Ubi Concilium pro eodem sumit, habere conscientiam; & conscium esse. Quapropter absurdum valdè esset, nomen conscium non assumere in ista significatione, quæ neque nova est, neque in inusitata, utpotè à Conciliis, & Jure Canonico sæpiùs assumpta; quod Adversarii notare debuissent.

160. Ad Confirmat. distin. Maj. Si etiam esset probabile, quod fuit commissum, concedo; si non sit probabile, sed imprudenter ita judicetur, nego Maj. & distin. Min. nego Conseq. Ratio est, quia si sit verè probabile, quòd fuit commissum, cùm non possit prudenter deponi, manet in conscientiâ, adeóque talis tenetur agere pœnitentiam de illo, debétque confiteri, ex num. 132. Si verò non sit verè probabile, quantumvis scrupulosè ità judicetur, sicut imprudenter formatur Judicium, ità prudenter deponitur, quod notandum maximè pro iis, qui scrupulis laborant: tales enim ex consilio Confessarii prudenter deponunt scrupulum; adeóque nulla manet eis obligatio pœnitendi. Undè depositio prudenter scrupulo, liberantur licitè ab onere Confessionis, cui solùm teneamur confiteri peccata, prout sunt in conscientia, & tunc jam illa in conscientiâ non manerent. Si autem ità prudenter deponi non possent, deberent confiteri, ut benè notavit P. Salas. prim. 2. tract. 8. quæst. unicâ, num. 6. pluresque cum ipso.

Objicies quartò. Omnia jura clamant, in delicto dubio, reum esse absolvendum, & consequenter esse liberum ab obligatione, quam ratione delicti subiturus erat; à quâ regulâ juris, utpotè rationi consonâ, non est recedendum, absque textu expresso; sed nullus est textus pro obligatione confitendi peccatum dubium: ergo &c. Confirmatur primò: *In dubio melior est conditio possidentis*: ergo in dubio, an peccaveris, decernendum est pro libertate. Confirmatur secundò: in Tribunali forensi non admittuntur delicta dubia: non enim admittitur Accusator, qui dicat: accuso Petrum, si forte occiderit Joannem: ergo neque in Tribunali confessionis tenetur quis se accusare de peccato dubio. Respon. distin. Maj. Omnia jura Tribunalium forensium, Concedo; Tribunalis pœnitentiæ, nego Maj. & distin. Min. nego consequentiam. Ratio est, quia accusatio apud Tribunal forense tendit ad damnandum reum; in Tribunali autem pœnitentiæ tendit ad reum absolvendum; adeóque diversæ leges institutæ sunt pro uno, quàm pro alio; undè quamvis nulla esset lex de accusando reo pro delicto dubio, apud Tribunal forense; malè infertur exindè, non apponendam legem de accusatione rei in Tribunali pœnitentiæ. Quinimò cùm leges hujus Tribunalis appositæ sint voluntate Christi instituentis, hinc que legem appositurit, ut patet ex Tridentino numero 132. exindè nulla est paritas in præsenti ab aliis ad hoc Tribunal.

Ad

162. Ad primam Confirmat. distin. Antecedens: in dubiis, quæ solùm afferunt onus pœnitenti, transeat, quæ afferunt favorem, & impediunt magnum detrimentum, nego Antecedens, & Conseq. Sic quando dubitatur, ad quem pertineat dominium rei, cæteris paribus, standum est pro eo, qui possidet, nam perseverantia in possessione nullum ei affert detrimentum, & aliundè est jus prævalens; at verò in eo, qui dubius est, an peccaverit, possessio de non agenda pœnitentia pro eo peccato, maximum ei affere posset detrimentum. Contingere quidem potest, quòd peccaverit. Si autem peccaverit, & moriatur absque pœnitentia, in æternum damnabitur, quod detrimentum evitat per Confessionem; undè nulla tenet paritas ex illo ad nostrum casum. Ad secundam Confirmat. concedo Antecedens, & nego Conseq. quia ut constat ex dictis numero superiori, accusatio in Tribunali forensi tendit ad damnationem, quæ non est imponenda certa pro delicto incerto; at verò accusatio in foro Sacramentali tendit ad liberandum pœnitentem à gravissimo malo imminente, adeóque potest poni certa pœna pro certâ securitate, quam exindè habet.

§. II.

163. OBjicies quintò. Præceptum Confessionis, tam jure Divino, quàm humano solùm est præceptum confitendi mortalia: ergo dubitare, an culpa sit mortalis, est dubitare, an culpa sit sub præcepto; sed quando constat de præcepto, & dubitatur, an res aliqua sub illo contineatur, nemo illo tenetur, ut docent Sanchez in summa cap. 10. num. 32. Salas de Legibus tract. 8. disput. unica sect. 25. num. 258. aliique cum ipsis: ergo qui dubitat, an peccaverit mortaliter, non tenetur præcepto Confessionis. Confirmatur primò. Omne dubium facti pertinentis ad materiam præcepti reducitur ad dubium juris, ut videri potest apud Castro-Palaum de conscien. punct. 34. num. 4. & puncto. 35. num. 2. In dubio autem Juris nemo tenetur, ut docent communiter Theologi. Quapropter dubitans post sufficientem diligentiam, an hodiè sit dies Veneris, vel an dies Festus, vel an 21. annum compleverit, nullo præcepto ligatur abstinendi à carnibus, audiendi Sacrum, vel jejunandi, quia materia horum præceptorum est abstinentia à carnibus die Veneris, auditio in die Festo, & jejunium. 21. anno completo; ac proindè de prædictis dubitare, est dubitare de præceptis, eo quòd sit dubium facti pertinentis ad materiam præcepti, quod proindè ad dubium juris reducitur: atqui peccatum mortale est materia præcepti Confessionis: ergo dubitare de peccato mortali est dubium facti pertinentis ad præceptum confessionis, adeóque ad dubium juris reducitur.

Confirmatur secundò, ut docent Exim. 164.
Doctor, Navarrus, Sanchez, Arriaga, aliique quamplures, quandocúmque dubium est circa actionem, ex quâ primò lex nascitur, sive primò incurritur legis obligatio, standum est pro libertate, & negandum quem teneri lege: sed commissio peccati mortalis est actio, ex qua primò nascitur lex Confessionis, seu primò ejus obligatio incurritur: ergo qui de eo dubitat, non tenetur lege; Sic qui dubitat de voto, aut juramento emisso, non tenetur lege naturali ad implenda vota, & juramenta. Item qui dubitat de peccato reservato commisso, non tenetur præcepto confitendi superiori peccata reservata, & sic de aliis. Confirmatur tertiò, ex Regula 65. de Regulis Juris in sexto: in dubiis melior est conditio possidentis: quod Juris principium non solùm habere locum in materia Justitiæ, sed generaliter verum esse in aliis materiis, & præceptis, probat cum communi sententia Exim. Doctor. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 5. & Oviedus primâ 2. tract. 5. controvers. 4. punc. 6. sed qui dubitat, an primò contraxerit obligationem præcepti alicujus, præsupponitur cum libertate à tali obligatione; aliter non præsupponeretur liber: ergo in hoc dubio melior est conditio possidentis libertatem, & pro ejus possessiione debet stari, à quâ non deturbatur per dubium superveniens: etenim qui dubitat de facto; per quod obligatio præcepti primò contrahitur, dubitat de obligatione: sic obligari quem ad confitendũ reservatum superiori, stat in duobus; in eo nempè quod præceptũ adsit obligans confiteri Superiori reservata, & quod reservatum

tum commiserit, adeóque ex cujuscúmque dubio, obligatio adveniens est dubia, nec debet vincere possessionem libertatis certæ.

165. Resp. dist. Maj. est præceptum confitendi mortalia, utcúmque, nego; quorum habemus conscientiam, concedo Maj. & dist. Min. Si præceptum non se extendat ad dubium, concedo; Si se extendat ad dubium, ut in casu nostro, nego Min. & Conseq. Ratio est, quia Tridentinum num. 101. definit, præceptum confitendi peccata, se extendere ad ea, quorum pœnitens conscientiam habet. Cùm autem conscientia non solùm habeatur de peccato certo, sed etiam de peccato dubio, ex num. 136. Exindè si quis habet peccatum dubium, adest certum præcepto, de obligatione Confessionis, & non potest dubitare de præcepto nisi dubitet, an peccatum sit in conscientia, de quo sanè dubitare non potest, existente conscientia dubia: nam dubitanti evidens est se dubitare, ex num. 135. Explicatur exemplo: quia irregularitas imposita est, non solùm ex homicidio secundùm se, sed etiam ex homicidio, ut dubio; dubitare de homicidio non est dubitare de irregularitate. Rem ampliùs explico: dubitat quis, an ex actione sua Clericum occiderit? Consequenter dubitat de excommunicatione, & ideò non tenetur excommunicatione, juxta communem sententiam, quia hæc imponitur ex percussione Clerici secundùm se, adeóque ubi percussio Clerici est dubia, dubia est excommunicatio, & ideò illam non contrahit: contrahit tamen irregularitatem: quia hæc imposita est, non solùm ex homicidio dubio. Pariter ergo in nostro casu.

166. Ad primam Confirmat. dist. Maj. dubium facti reducitur ad dubium Juris, quando obligatio non est imposita pro facto, ut dubio, omitto; quando imposita est pro facto etiam, ut dubio, nego Maj. & dist. Min. nego Conseq. Nam in casu nostro, cùm præceptum Confessionis obliget ratione peccati dubii, ubi adest peccatum dubium, adest certa obligatio, præceptúmque est in possessione obligandi, neque dubitans gaudet libertate, utpotè ratione dubii deturbatus ab illa. Ad secundam Confirmat. distinctis eodem modo præmissis, & probationibus, nego Conseq. Ad tertiam Confirmat. distinctis eodem modo præmissis, nego Conseq. Illa enim exempla ab Adversariis adducta nihil probant, cùm non imponant obligationem ex dubio, quæ in nostro casu clarè apposita est in dubio per præceptum Confessionis, ut constat ex dictis. Undè advertenter dixerunt, Sanchez, & Lugo, in nostro casu possessionem certam stare pro obligatione confitendi peccata dubia.

Objicies sexto. Dubium, quod vinci non potest, æquivalet ignorantiæ invincibili, ut docet Sanchez lib. 1. de Matrimonio disput. 41. num. 46. §. 2. ergo dubium de peccato lethali, quod factâ sufficienti diligentiâ vinci non potest, æquivalet ignorantiæ invincibili de culpa mortali: sed tacere in Confessione culpam, quæ ex ignorantiâ invincibili non existimatur commissa, vel mortalis, non opponitur præcepto Confessionis, ut omnes fatentur: ergo tacere culpam mortalem dubiam, cujus dubium, factâ diligentiâ, vinci non potest, non opponitur præcepto Confessionis. Confirmatur: qui habet dubium peccati negativum, re verâ non scit se commisisse peccatum: ergo habet ignorantiam de tali peccato: ad ignorantiam enim negativam opus non est scire, aut judicare prudenter, peccatum non esse commissum, sed satis est, non scire, peccatum esse commissum, cùm ignorantia hæc in solâ negatione scientiæ consistat; aliter nemo ignoraret peccatum, nisi qui errans existimaret, se non habere peccatum, quod re verâ habet: hoc autem apertè est falsum, cùm possit esse ignorantia sine errore: aliundè verò ea ignorantia fit invincibilis, quando post sufficientem diligentiam veritas inveniri non potest, neque ignorantia potest expelli, adeóque tunc dicitur ignorata non posse illam vincere: ergo &c.

Resp. dist. Maj. æquivalet in aliquibus, concedo: in omnibus, nego Maj. & dist. Min. nego Conseq. Ratio est, quia dubium non æquivalet ignorantiæ invincibili in ordine ad excludendam conscientiam de peccato, licèt æquivaleat in ordine ad excludendam scientiam directam: cùm autem ex eò, quòd quis habeat conscientiam de peccato, obligetur præcepto Confessionis; exindè non excusatur à Confessione, ratione dubii, quamvis excusetur ratione ignorantiæ omninò invincibilis. Ad Confirmat. dist. Antecedens: non scit, id est, non habet conscientiam de peccato, nego; id est non habet scientiam directam, con-

concedo Antecedens; & nego Conſeq. Dubium enim nequaquam æquivalet, quoad omnes effectus, ignorantiæ invincibili, ex dictis; aliter ſicut, qui cum ignorantia omninò invincibili non poteſt confiteri peccatum, adhuc ut dubium; imò peccaret, ſi ita confiteretur; ita pariter, qui habet peccatum dubium, non poſſet, quantumvis vellet, confiteri peccatum, ut dubium, ſed peccaret, ſi ita confiteretur, quod ipſi Adverſarii dicere non audebunt: eſſet enim in Eccleſia Dei omninò inauditum.

169. Objicies ſeptimò: Peccatum dubium non eſt materia certa Confeſſionis, neque ſatis eſt, ut detur certò validum Sacramentum: ſi enim re ipsâ non præceſſit peccatum, Abſolutio erit nulla: ergo ex peccato dubio non oritur obligatio confitendi. Confirmatur primò: pro peccato dubio non poteſt quis obligari ad pœnam certam, qualis eſt ipſa confeſſio, & pœnitentia à Confeſſario imponenda: contingere quidem poſſet, quòd ille homo eſſet innocens: innocenti autem nulla debet imponi pœna: ergo &c. Confirmatur ſecundò. Si hoc dubium ſatis eſſet ad obligationem confitendi, qui multis ab hinc annis fecit Confeſſionem generalem, & modò dubitat, an confeſſus fuerit hoc peccatum, nec ne, teneretur illud confiteri: ſed hoc valdè arduum eſt, & difficile: ergo &c. Reſp. diſtin. Antecedens: Si non ſit certò commiſſum, concedo: ſi ſit, nego Antecedens, & Conſeq. Ratio eſt, quia ſivè ſit, ſivè non ſit certò commiſſum, eſt verè in conſcientia; adeòque adeſt obligatio confitendi: ut autem non irrogetur injuria Sacramento, quando ſolùm peccatum dubium apponitur pro materia, debet impendi Abſolutio ſub conditione, quo & Confeſſarius fungitur ſuo munere, & pœnitens adimplet ſuam obligationem.

170. Ad primam Confirmat. diſt. Antecedens: Ad pœnam certam correſpondentem peccato certo, concedo; peccato dubio, nego Antecedens, & Conſeq. Ratio eſt, quia ſicut habetur beneficium certum, & deobligatio pœnitentis, ex Confeſſione peccati dubii, ex num. 158. ita ex Chriſti inſtitutione debet haberi correſpondens pœnitentia. Ad ſecundam Confirmat. diſt. Maj. Si ſolùm dubitat negativè, nego Maj. verè probabiliter, concedo Maj. & diſt. Min. nego Conſeq. Ratio eſt, quia ille, qui multis ab hinc annis fecit Confeſſionem generalem, ex animo adimplendi totam, quantam habebat obligationem, præſummendus eſt, eam adimpleviſſe, dum prudenter contrarium poſitivè non conſtat: Interim autem poſſeſſio eſt pro Confeſſione facta, in quâ omnia ſua peccata remiſſa fuêre, non ſolùm, quæ memoriæ tunc occurrere, ſed etiam ea, ſi quæ fuêre inculpabiliter oblita: Undè deturbandus nunquam eſt à ſua poſſeſſione, quâ prudenter gaudere præſumitur, ſine ullo periculo ſe exponendi æternæ damnationi. Hoc autem non evenit reſpectu illius, qui dubius eſt, an peccaverit, & nunquam confeſſus eſt peccatum, quod habet in conſcientia. Hic enim neque contritionem elicere poteſt, quæ non ſit votum ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, ut definit Tridentinum citatum num. 132.

171. Objicies octavo, contrà tertiam Concluſionem: Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. doctrinaliter definiens obligationem pœnitentis, quoad Confeſſionem Sacramentalem meminit ſolùm earum circumſtantiarum, quæ ſpeciem mutant, non autem earum, quæ æquivalenter augent numerum peccatorum: ergo non eſt obligatio confitendi tales circumſtantias. Confirmatur: Tridentinum poſt allatam ibi doctrinam, ait: *Nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi*; atqui ſi eſſet obligatio confitendi æquivalentem numerum peccatorum, aliquid aliud in Eccleſia exigeretur: ergo &c. Reſp. nego Antecedens, quoad ſecundam partem, nam ut conſtat ex num. 121. Tridentinum ibi docet, peccata declaranda eſſe in ſpecie, ac ſingillatim; quo ſatis oſtendit, non ſolùm declaranda eſſe peccata realiter, quoad numerum diſtincta, ſed etiam diſtincta æquivalenter.

172. Quod manifeſtum ſit ex ipſa ratione ibi à Tridentino aſſignata, quæ hæc eſt: *Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc incognitâ cauſâ exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie, ac ſingillatim ſua ipſi peccata declarâſſent.* Judicium autem Confeſſarii validè diverſum eſſe, quando ſunt plura æquivalenter pec-

cata, quàm quando unum solùm est, nemo est, qui dubitet; adeóque satis clarè hæc obligatio colligitur ex Tridentino, quamvis non sit obligatio manifestandi puras circumstantias, intra eandem speciem. Ad Confirmat. concedo Maj. & nego Min. quia ut constat ex dictis, satis apertè docuit ibi Tridentinum hanc obligationem. Undè quando dicimus, non esse obligationem confitendi circumstantias, intra eandem speciem, sermo est de circumstantiis, quà circumstantiæ sunt; non autem quatenùs augent, vel minuunt æquivalentem numerum peccatorum; quoad istum namque respectum, non sunt circumstantiæ, ut per se patet.

§. III.

173. OBjicies nonò: Ex S. Thomâ citato num. 143. non est obligatio confitendi circumstantias, nisi quæ ad aliud genus, & speciem peccati mortalis trahunt: ergo non est obligatio confitendi illas circumstantias, solùm æquivalenter augentes numerum peccatorum. Resp. distin. Antecedens: quæ solùm ad aliud genus, & speciem peccati mortalis trahunt, comprehendendo eas, quæ purè dicuntur circumstantiæ, concedo: quæ æquivalenter augent numerum peccatorum, nego Antecedens, & nego conseq. Ratio est, quia ut habet D. Thomas eo num. 143. solùm excluduntur ab obligatione illæ circumstantiæ, quæ superaddunt malitiam levem, quales non sunt illæ, quæ æquivalenter augent numerum peccatorum mortalium: istæ enim apud Antiquos non vocabantur puræ circumstantiæ.

174. Quod ex fine D. Thomæ, manifestius apparet. Fuerunt enim quidam tempore D. Thomæ, qui docebant, aliquas circumstantias, quæ æquivalenter non augebant numerum peccatorum mortalium, esse necessariò confitendas, ut si ille, qui commisit peccatum, esset Episcopus, vel Generalis Ordinis, vel si commisit peccatum in die Festo; quia existimabant, illas circumstantias notabiliter aggravare, adeóque afferre obligationem confitendi: contra quos ait D. Thomas, eas circumstantias solùm addere malitiam levem, adeóque non adesse obligationem eas in confessione aperiendi. Undè inferes, Sotum, Canum, & alios Thomistas, non benè exposuisse D. Thomam, dicendo, hæc fuisse dicta à S. Doctore, non in propriâ, sed in alienâ sententiâ.

Objicies decimò. Circumstantiæ intra eandem speciem non addunt novum peccatum, sed unicum constituunt: ergo non est obligatio eas confitendi. Confirmatur. Non obligatur pœnitens ad id, de quo nullum extat præceptum: sed nullum extat præceptum de confitendis circumstantiis intra eandem speciem: ergo &c. Resp. distin. Antecedens: non addunt novum peccatum realiter, concedo, æquivalenter, nego Antecedens, & conseq. ut constat ex dictis, à num. 139. Ad Confirmat. concedo Maj. & nego Min. nam ut habet Tridentinum citatum num. 101. extat præceptum confitendi omnia lethalia singillatim, & prout sunt in conscientiâ: cùm autem æquivalens pluribus peccatum verè sit in conscientiâ, prout distinctum ab illo, quod pluribus non æquivalet, ex num. 139. exindè adest præceptum confitendi tale peccatum.

Objicies undecimò. Si adesset obligatio confitendi circumstantias augentes æquivalenter numerum peccatorum, etiam esset obligatio confitendi circumstantias æquivalenter minuentes numerum peccatorum; sed hoc videtur falsum, cùm Sacramentum pœnitentiæ non sit ad excusandum, sed ad accusandum: ergo & illud. Confirmatur primò. Non est obligatio confitendi majorem, vel minorem actûs intensionem: ergo neque circumstantias augentes, vel minuentes æquivalenter numerum peccatorum. Confirmatur secundò. Beneficia Divina majora, vel minora, major, vel minor advertentia, longior duratio actûs, absque interruptione, immutant judicium Confessarii, non minùs, quàm illæ circumstantiæ, quæ æquivalenter augent, vel minuunt numerum peccatorum: sed non est obligatio confitendi illas circumstantias: ergo neque istas.

Resp. concedo Maj. & nego Min. quia hoc necessarium est ad declarandum singillatim peccata, ex num. 171. Undè ex hoc capite potiùs roboratur, quàm infirmetur nostra sententia, licèt enim Sacramentum pœnitentiæ non sit ad se excusandum, sed ad accusandum, est tamen ita ad se accusandum, ut ex ipsa accusatione possit

possit Confessarius agnoscere mensuram delicti, & juxta eam, debitam tantùm, & non excedentem satisfactionem imponere. Undè si hæc æquivalens multiplicitas, vel æquivalens peccatorum diminutio se habeat, vel ex parte objecti, vel ex parte actus pravè tendentis, duplicatâ quasi libertate sibi intrinseca, probabilius est, totum hoc debere in Confessione explicari, si totum hoc per opus externum non explicetur, ut cum Exim. Doctore notavimus num. 116. Ex quo non solum plures nostri, sed etiam plures Thomistæ, cùm Gonet docent, eodem modo de aliis similibus casibus discurrendum esse. V. g. si mulier metu mortis consenserit in fornicationem, debere talem circumstantiam explicare in Confessione; sicuti & qui peccat ex ignorantia, vel ex aliquâ vehementi tentatione, ad hoc, ut Sacerdos possit de ejus crimine rectum judicium ferre.

178. Cæterùm cùm hæc rarò discernibilia sint, quoad æquivalentem numerum augendum, vel minuendum, nisi per opus externum, quod factum fuit, vel fieri intendebatur, exindè rarò adest obligatio, ad majorem explicationem, quàm ad eam, quàm in eis circumstantiis secum affert opus externum. Ad primam Confirmat. distin. Antecedens: Si non sit aliter discernibilis, quàm per opus externum, concedo, si sit, nego Antecedens, & conseq. ex num. 116. Ad secundam Confirmat. dist. Maj. Si sint ex se discernibilia, ut augentia, vel minuentia æquivalenter numerum peccatorum, concedo; Si non sint, nego Maj. & distin. Min. nego Conseq: quia illa per se nudè sumpta sunt puræ circumstantiæ, nisi ex alio capite ab eis per pravam tendentiam actus vitietur. Quando igitur actus novam acciperet ab eis malitiam, vel augeret numerum æquivalentem, deberet explicari, vel per se, vel per opus externum; secùs quando ita non eveniret, ex num. 117.

179. Objicies duodecimò: Difficile est discernere inter illas circumstantias, quæ sunt puræ circumstantiæ, vel quæ augent, vel minuunt æquivalenter numerum peccatorum: quis enim definiet, saltem in communi modo operandi, utrùm ex parte actûs, vel quoad libertatem, vel quoad intensionem augeatur, vel minuatur æquivalenter numerus peccatorum; atqui jugum Confessionis non est adeò difficile: ergo quoad istum numerum æquivalentem, vel minuentem, nulla datur obligatio Confessionis. Resp. dist. Min. Regulariter loquendo, transeat; semper, nego Maj. & dist. Min. non est adeò difficile, ut exigatur, quòd declarentur ea, quæ discerni non possunt, concedo, quæ per diligens examen possunt discerni, nego Min. & conseq. Ex eo enim Confessionis jugum facile est: quia ea, quæ post diligens examen memoriæ non occurrunt, ex misericordi Christi Domini institutione, eâdem Confessione, quoad Absolutionem inclusa esse intelliguntur, ut ait Tridentinum cit. num. 101. Cùm autem istud non sit intolerabile, sed facile jugum, eâ de causâ Tridentinum sess. 14. cap. 5. hæc superaddit: *Sed & impium est, Confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare.*

180. Objicies decimotertiò, contrà quartam Conclusionem. Plures sunt consuetudines in Ecclesia, quæ non obligant sub gravi, neque adhuc sub levi; qualis est consuetudo confitendi venialia, quam pii, & timorati homines observant: ergo ex consuetudine faciendi Confessionem verbalem, non rectè inducitur obligatio confitendi verbaliter. Resp. dist. Antecedens: Plures consuetudines, quæ communiter in Ecclesiâ acceptatæ sunt, ut obligatoriæ, nego, ut liberè implendæ, concedo Antecedens, & nego conseq. quia consuetudo confitendi venialia semper cognita fuit à Fidelibus, ut liberè implenda; secùs autem consuetudo confitendi verbaliter, ex numero 146. Quo in sensu debet intelligi Concil. Florent. in decreto Eugenii, ubi explicans partes Sacramenti Pœnitentiæ, nempè Contritionem, Confessionem, & satisfactionem, de Confessione ait: *Secunda est oris Confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter.* Undè oris Confessio requiritur ex præcepto, saltem ex consuetudine introductio, aliter non vocaret illam oris Confessionem, sed absolutè Confessionem. Exindè Trident. sess. 14. cap. 3. ut omnem æquivocationem auferret pro Confessione requisitâ necessitate Sacra-

men-

menti, non vocavit illam oris Confessionem; sed purè confessionem. Cæterùm quia ex præcepto, quando potest, facienda est ore, non licet extra casum necessitatis eam aliter facere, ut expressè habet Benedictus XI. Extravag. inter cunctas, de Privil. cap. 1. dicens: *Nisi articulus necessitatis occurrat, Sacerdoti facienda est Confessio, prout scriptum est: corde ad justitiam creditur, ore autem Confessio fit ad salutem.*

* * *

DISPUTATIO IV.

DE ABSOLUTIONE, ET ADÆQUATO SACRAMENTI ESSENTIALI CONSTITUTIVO.

181. PLures sunt sententiæ circa essentiale constitutivum Absolutionis. Prima est Durandi existimantis, omnia illa verba; *Ego te absolvo à peccatis tuis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, nullo prætermisso, esse de essentiali constitutivo. Secunda est Gabrielis docentis, ea verba, *absolvo te ab omnibus peccatis tuis*, esse essentialia. Tertia est Dominici Soto in quartum distin. 22. quæst. 1. artic. 1. docentis, sufficere hoc solùm verbum *Absolvo*. Quarta est Goneti, & aliquorum Thomistarum docentium, sufficere ista *absolvo te*. Quinta dicit, sufficere pro forma essentiali dicere: *absolvo te à peccatis:* ita Paludanus, Petrus Soto, & alii quamplures apud Lugo disput. 13. sect. 1. §. 2. Ante resolutionem, certum est apud omnes, preces illas, quæ præcedunt formam, scilicet *Misereatur tui &c.* & quæ sequuntur, ut *Passio Domini Nostri JEsu Christi*, non esse de substantia formæ, licèt utiliter, vel ut plures docent, ex obligatione adhibendæ sint, quando nulla causa excusat. Constat ex Trident. sess. 14. cap. 3. dicente: *Docet præterea Sancta Synodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in quâ præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: ego te absolvo, &c. quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more, preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.* Quærimus modò, an, & quæ verba ad essentiam Absolutionis requirantur.

SECTIO I.

De Verbis Absolutionis.

§. I.

ASsero primò, cum omnibus hujus temporis Theologis contra aliquos Antiquos citatos num. 234. Absolutio Sacramentalis, sive forma Sacramenti pœnitentiæ necessariò requirit verba propriè dicta, & humano modo prolata. Probatur primò. Talia verba exigit necessariò Christi institutio nobis nota per Concilia: ergo &c. Probatur Antecedens, ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, & ex Tridentino citato numero superiori, in quibus dicitur, formam hujus Sacramenti consistere in verbis illis: *Ego te absolvo &c.* Hæc autem intelligenda esse de verbis propriè sumptis, non verò de impropriè acceptis, ut sunt nutus, & Scriptura, constat ex ipso Florentino, quod cùm generaliter dixisset, omnia Sacramenta perfici verbis, postea de Matrimonio specialiter subdit, regulariter perfici verbis, indicans, aliquando posse perfici, absque verbis propriè sumptis, & cum solis nutibus, aut Scriptura, sicuti perfici solent alii contractus propter rationem, quam dedimus, num. 31. de Sacramentis: ergo quando agit de aliis Sacramentis, manifestè loquitur Florentinum de verbis propriè sumptis, aliter sine fundamento dixisset de solo Matrimonio, regulariter perfici verbis: nam sine verbis propriè, vel impropriè acceptis nunquam perfici potest.

Probatur secundò, ex traditione, & perpetuo usu Ecclesiæ; quæ est in hac materia efficacissima ratio, ut ait Exim. Doctor disputat. 19. sect. 1. Ex tali quippe usu,

su, & praxi semper in Ecclesia observatâ infertur, fuisse voluntatem Christi Domini, ut Absolutio non esset valida sine verbis propriis, undè cessant omnes conjecturæ, quæ objici poterant: Nam illis non obstantibus potuit, & voluit Christus Absolutionem Sacramentalem debere perfici per verba propriè accepta, sicuti ex iisdem capitibus colligimus, formam aliorum Sacramentorum: (uno dempto Matrimonio) v. g. Baptismi, Confirmationis, Ordinis &c. perfici verbis: Sicut enim Christus instituit pœnitentiam his verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* ita instituit Baptismum his aliis; *Baptizantes eos in Nomine Patris, &c.* ergo sicut Christus, quamvis ex vi verborum instituentium non expresserit, proferenda esse in Baptismo hæc verba: *Ego te aptizo &c.* & tamen ex usu, traditione, praxi Ecclesiæ, & suprà citatis Conciliis constat, hanc fuisse Christi voluntatem, idem etiam dicendum est de Pœnitentia Sacramento, cùm eadem fundamenta militent.

184. Quapropter licèt in aliis judiciis possit validè dari sententia sine verbis, & ita etiam conferatur Absolutio à Censuris; remissioque offensæ inter homines possit fieri scripturâ, aut nutibus; in hoc tamen judicio Sacramentali à Christo instituto, præscripsit ipse, formam constituendam esse ex verbis propriis, quæ si non apponantur, nullum erit Sacramentum, ut patet in aliis Sacramentis, præter Matrimonium. Undè sustinenda nequaquam est sententia Paludani, Medinæ, & Soti apud Lugo disputat. 13. sect. 1. num. 1. qui significare videntur, Absolutionem Sacramentalem non requirere indispensabiliter verba propriè sumpta, sed sufficere scripturam, vel nutus, quibus Sacerdos significet, se remittere peccata pœnitentis: hæc enim sententia opposita est totius Ecclesiæ praxi, & insolubilibus suprà positis fundamentis, quæ ulteriùs roborantur decreto Clementis VIII. declarantis, Absolutionem datam absenti per Epistolam, vel Internuncium in nullo casu esse licitam: Si autem fieri posset per Scripturam, nihil esset, cur absenti non posset in aliquo casu licitè dari: nam per Scripturam possumus loqui cum absente, ut patet in Absolutione à Censuris, quæ datur, quin requiratur præsentia absolvendi.

185. Assero secundò: Absque his verbis, *Absolvo te à peccatis*, aut aliis perfectè æquivalentibus stare nequit essentia Sacramentalis Absolutionis; in illis verò, etsi alia non superaddunt tota essentia reperitur. Probatur primò. Et in primis, quod pronomen *ego* expresè prolatum non requiratur, patet: quia in verbo absolvo includitur, & nihil expresè significat quod etiam expresè non significet Verbum *Absolvo*, ex se, & independenter à quacumq; circumstantia: id enim est proprium verborū in prima, & secunda personâ, quæ absque ullo alio addito significant personam absolventem, aut agentē: ergo sufficit verbum absolvo, non prolato pronomine ego, ut de forma Baptismi, & aliorum Sacramentorum docent communiter Doctores, cum S. Thomâ. Quia verò ejus omissio est contra usum, & praxim observandam in formis, eo modo, quo à Conciliis præscribuntur, esset peccatum saltem veniale talis omissio; Rursus, quod verba illa duo: absolvo te: sint necessaria; præterquàmquod ferè omnes asserunt, facilè ostenditur, quia Absolutionis verba debent exprimere remissionem peccatorum, & personam præsentem, cui illa remittuntur, sed hoc exprimi non potest sine dictis verbis, aut aliis perfectè æquivalentibus? etenim absquè verbo absolvo dificit significatio actus judicialis sententiæ remissivæ, & sine pronomine te deficit significatio practica talis remissionis, seu sententiæ remissivæ: non enim significatur practicè remissio judicialis, quando non significatur cui fit: ergo sine istis verbis absolvo te deficit sensus formæ.

186. Præterea quod illa particula *à peccatis*, sit etiam necessaria, patet: quia Tridentinum citatum num. 181. assignans formam hujus Sacramenti dicit, esse illa verba *absolvo te &c.* quo modo loquendi clarè indicat, aliquid aliud requiri ad formam, præter illa verba *absolvo te*, aliter otiosè addita esset particula &c. Ratio autem Theologica est: quia verba formæ debent determinatè, & practicè significare, non quamcumque Absolutionem, sed Absolutionem, à peccatis: atqui hoc non præstant absque particula *à peccatis*: ergo hæc

hæc requiritur: Probatur Min. Illa duo verba *absolvo te*, sunt ex seindifferentia ad significandã remissionem culpæ, velCensuræ, vel alterius delicti: ergo ut verba ex se, determinatà significent remissionem peccati, debet apponi illa particula, *à peccatis*.

187. Respondebis, verba illa *absolvo te*, prolata in his circumstantiis, & suppositâ confessione peccatorum, determinari ad significandam Absolutionem à peccatis, adeóque per se sola esse adæquatè constitutiva formæ essentialis. Contra tamen primò: verba necessaria ad formam Absolutionis debent se solis, & per se, independenter à circumstantiis extrinsecis, significare remissionem peccatorum: atqui non significant hanc per se illa duo verba *absolvo te*, ergo &c. Probatur Maj, Circumstantiæ extrinsecæ non concurrunt partialiter ad significationem formæ Absolutionis, aliter, cùm significatio sit de essentia, circumstantiæ illæ essent de essentia; quod absurdum est, neque admittitur ab ipsis adversariis. Voluit enim Christus Dominus, ut forma Absolutionis constaret solis verbis, & non rebus, quales sunt illæ circumstantiæ extrinsecæ: ergo verba formæ se solis, & per se debent habere significationem determinatam, & perfectam independenter à circumstantiis.

188. Contrà secundò: Ideò Verbum *absolvo* sine particula *te* non sufficit apud adversarios ad formam Absolutionis, quia per se solum non significat Absolutionem personæ præsentis: licèt illam significet in his circumstantiis personæ præsentis: sed eadem est ratio de his verbis *absolvo te*, absque particula *à peccatis*, ut per se patet: ergo &c. Contrà tertiò. Si pœnitens post Confessionem peccatorum interroget ita Confessarium: *Absolvis me à peccatis?* & Confessarius respondeat, *absolvo*, vel respondeat *etiam*, jam ex circũstantiis, ly absolvo, vel ly *etiam*, determinaretur ad significandam Absolutionem à peccatis personæ præsentis confessæ; sed apud adversarios verbum *absolvo* non sufficit, & particula *etiam* in nullius sententia sufficit: ergo verba, quæ hanc determinationem, & significationem ex se non habent, sed à circumstantiis extrinsecis, non sufficiunt ad essentiam formæ Absolutionis: verba enim, & non circumstantiæ instituta sunt à Christo in formam hujus Sacramenti.

Respondebis secundò: voluisse Christus, ut exprimeretur persona ipsa, cui Sacramentum confertur; quoad significationem verò remissionis peccati fuisse contentum, ut ex verbis, & aliis circumstantiis constaret. Contrà primò, quia in rebus adeò gravibus non est fingenda Christi voluntas; sed ex nullo capite constat, voluisse Christum unum, & non aliud; imò ex institutione hujus Sacramenti apparet, voluisse Christum utrumque verbis significare: verba enim, quibus hoc Sacramentum instituit, fuerint ista: *quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* quæ verba expressè significant remissionem peccatorum in particula *quorum peccata*, & personam remittentem includam in verbo *remiseritis*, & personam, cui remittuntur in particula *quorum*: ergo &c. Contra secundò. Si pœnitenti interroganti: *absolvis me à peccatis?* vel roganti Sacerdotem, *absolve me à peccatis*, Sacerdos respondeat, *facio tibi, quod petis*, jam verbis istis exprimeretur persona, cui conferretur Absolutio, & eadem illa verba ex circumstantiis significarent remissionem à peccatis; sed hoc non obstante talia verba sunt inutilia pro forma Absolutionis: ergo dicendum est, voluisse Christum formam hujus Sacramenti esse verba ex se, & expressè significantia remissionem à peccatis personæ præsentis; ad quod omninò necessaria sunt illa verba: *absolvo te à peccatis*.

Probatur secundò Conclusio: ista verba *absolvo te à peccatis* necessaria sunt ad essentiam Absolutionis, sed nulla alia præter ista requiruntur: ergo in istis stat tota, & adæquata essentia Absolutionis; Maj. constat ex dictis à num. 185. Probatur Min. nam particula ego, ut eodem numero constat, nequaquam requiritur. Propter eandem rationem particula *tuis* non requiritur, quia includitur in particula *te*. Idemque expressè significant hæc verba *absolvo te à peccatis tuis*, quàm ista *absolvo te à peccatis*. Deinde nec requiritur particula *omnibus*; quia licèt à Concilio Moguntino cap. 24. apponatur ea particula in forma Absolutionis, hoc tamen non fit, quia sit de essentia formæ, sed quia tunc erat talis consuetudo absolvendi, quam observari monet prædictum Concilium; ea autem particula expuncta est à forma

forma Absolutionis à Rituali Romano reformato: & hic mos est doctissimorum, & piissimorum Confessariorum. Deindè, quia multa sunt peccata venialia pœnitentis, quæ non absolventur, vel quia pœnitens non doleat de illis, vel quia non confitetur de illis. Dicitur autem à peccatis tuis, quia unum mortale non deletur sine altero, & verba Absolutionis indirectè extenduntur ad peccata, si quæ sint inculpabiliter oblita, cùm in eadem Confessione inclusa esse intelligantur, ex Tridentino citato num. 101. Unde particula *peccatis* rectè apponitur, quantumvis pœnitens unum solùm lethale declaret.

191. Præterea neque est necessaria invocatio Trinitatis, quia ex nullo capite id constat: Christus enim in institutione hujus Sacramenti invocationem Trinitatis non apposuit, neque ex ullo Concilio constat, esse necessariam, ut ex institutione Christi, & Conciliis constat, requiri in Baptismo, ex ibi dictis num. 51. Quare qui sine causâ omitteret nomen Trinitatis in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, non omitteret quidquam essentiale formæ, etsi faceret contra Ecclesiæ consuetudinem, ratione cujus non licèt illam omittere: neque opus est mentio Trinitatis, vel Christi, ex eo quòd Minister operatur nomine Christi, nam in omnibus Sacramentis ita operatur, & non requiritur hujusmodi mentio, vel invocatio in multis Sacramentis, ut certum est apud omnes: ergo istâ verba *absolvo te à peccatis* necessaria sunt, & sufficientia ad essentiam Sacramentalis Absolutionis. Ex dictis

§. II.

192. Fit primò: mutationem horum verborum substantialem invalidare Sacramentum; secùs accidentalem, ex num. 67. de Sacramentis; non autem judicatur ab Auctoribus substantialis mutatio, si Sacerdos auctoritatis gratiâ dicat: *Nos te absolvimus*, aut si absolvens Papam, aut Regem, dicat: *absolvo sanctitatem vestram*, &c. vel si utatur verbis æquivalentibus, ut *condono, remitto tibi peccata*, &c. Ratio est, quia Christus non determinavit materialiter verba quoad essentiam, sed quæcùmque expresè significent Absolutionem à peccatis pœnitentis, factam à Confessario: omnes autem prædictæ formæ idem significant: ergo &c. Cæterùm quamvis hoc non impediat Sacramenti valorem; non exinde potest Confessarius saltem latinus licitè uti aliâ formâ, quàm hâc consuetâ, nempè: *ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, neque licitè potest omittere, aut mutare aliquam ejus particulam. Ratio est, quia Ecclesia saltem latina semper utitur his omnibus verbis; & plura Concilia ponunt expresè particulam *ego*, & *tuis*. Utrùm autem sit mortale, vel veniale, aliqua ex his omittere, vel mutare.

Sotus, & alii tenent, per se loquendo, esse veniale; Vasquez, ait, se mortale judicaturum, saltem in mortis articulo ob aliquale periculum nullitatis Sacramenti, & damnationis pœnitentis. Granadus ait, vix excusari posse à mortali, qui omitteret invocationem Trinitatis, quam graves Authores judicant, esse de essentia formæ, ut Major, Gerson, & alii apud Lugo disput. 13. sect. 1. §. 2. quod majorem vim habet post Innocentium XI. ex dictis num. 298. de Sacramentis; tùm quia sub gravi peccato tenemur nos in re gravi generali Ecclesiæ praxi conformari: etenim si cuilibet liceret mutare, vel omittere verba pro suo libito, in re tanti momenti; magna sequeretur confusio, & sæpè magna pericula, ut infra dicemus juxtà Græcorum consuetudinem; tum etiam quia peccare mortaliter Sacerdotes, qui omittunt formas, & materias consuetas Sacramentorum, aliâsque similes substituunt, ait Cardenas in Christi Theologicâ disput. 23. cap. 5. num. 64. esse certum apud Authores, cujus rationem, ait, ex Diana, non provenire ex defectu opinionis, aliàs ratione periculi, & irreverentiæ Sacramenti, sed quia contravenitur Ecclesiæ consuetudini, quæ vim præcepti habet. Verùs autem judico, illicitam esse, ex his omnibus capitibus, mutationem, ut latè diximus ab eo num. 298. de Sacramentis. Unde quando D. Thomas 3. par. quæst. 84. artic. 3. ad 3. dixit: *relinqui invocationem Trinitatis arbitrio Sacerdotis*: intelligendus est de probabilitate speculativa, de quâ agit; secùs de practicâ. 193.

§. III.

194. OBjicies primò, contra primam Conclusionem ex Plaudano, Medina, & Soto. Ad conferendam Absolutionem in aliis judiciis non requiruntur verba propriè dicta, sed conferri potest per Scripturam, aut nutus: ergo neque requiruntur verba propriè dicta ad conferendam Absolutionem Sacramentalem. Retorqueo Argumentum. Ad conferendam Absolutionem in aliis judiciis, non requiritur Confessio neque retractatio pœnitentis, neque quod pœnitens, aut Judex præsentes sint: ergo neque ad conferendam Absolutionem in Sacramento pœnitentiæ. Resp. deindè concedo Antecedens, & nego conseq. quia Absolutio in aliis judiciis instituta est, ex libito Principum, qui neque requisierunt præsentiam pœnitentis, neque ejus Confessionem, aut retractationem, neque verba formalia ad Absolutionem, ut constat ex praxi; at verò Absolutio Sacramentalis instituta fuit ex libito Christi, qui, ut ex totius Ecclesiæ praxi constat, verba propria requisivit. Undè sicut ista esset inepta argumentatio. Alii Principes hoc voluerunt: ergo voluit Christus; pariter & hæc est argumentatio omninò nulla; Alii Principes voluerunt posse validè conferri per Scripturam Absolutionem: ergo & voluit Christus.

195. Objicies secundò, contra secundam Assertionem. Ista verba *absolvo te* in circumstantiis confessionis pœnitentis significant remissionem à peccatis: ergo adæquatè constituunt essentiam Absolutionis. Confirmatur Ex eo quòd ista verba: *Ego te baptizo in Nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta*, corruptè prolata à balbutiente significent in illis circumstantiis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, sunt sufficientia ad constituendam adæquatam, & essentialem formam Baptismi, ut declaravit Zacharias Papa, cap. Retulerunt de Consecrat. dist. 4. ergo ex eo quòd ista verba: *Absolvo te*, in istis circumstantiis significent Absolutionem à peccatis, satis erunt ad constituendam adæquatam, & essentialem formam Absolutionis Sacramentalis.

196. Resp. dist. Antecedens: Significant per se sola, nego: per circumstantias extrinsecas, omitto Anteced. nego & Conseq. quia Christus solùm instituit in Sacramentalem Absolutionem verba, quæ per se sola significarent remissionem à peccatis ex num. 187. Ad Confirmat. dist. Antecedens: ex eo quòd ista verba tunc per se significent, concedo: ab extrinsecis circumstantiis, nego Antecedens, & conseq. ex dictis à num. 70. de Sacramentis. Ratio autem est: quia non solùm sunt instituta ab hominibus verba prolata ab illis, qui expeditè loquuntur, sed etiam prolata à balbutientibus, vel ab illis, qui non perfectè callent linguam, quam loquuntur, ut ex communi omnium existimatione constat; aliter non essent verba, sed sonus, quod nemo dixit: adeóque licèt illa verba prolata à balbutiente satis sint ad constituendam formæ Baptismalis essentiam; ista verò *ego te absolvo*, sufficientia non sunt ad constituendam adæquatam essentiam formæ Sacramenti Pœnitentiæ; hæc enim per se sola non significant Absolutionem à peccatis, sed indifferentia sunt ad Absolutionem, vel à peccatis, vel à Censuris, vel ab alio debito ex num. 186.

SECTIO II.

De sensu legitimo verborum Absolutionis Sacramentalis.

§. I.

SAcerdos per Absolutionem non solùm declarat, peccata esse remissa, sed verè illa remittit, ut constat ex Christi institutione per totam primam disputationem, ex num. 442. de Virtute. Dubium ergo est, casu, quo peccata jam sint pœnitenti remissa, vel per contritionem, vel per aliam præcedentem Absolutionem, quomodò possint verificari verba formæ Absolutionis, non enim tunc videntur peccata remitti, cùm jam supponantur remissa. Quomodò ergo verum est, quod dicit Sacerdos: *Ego te absolvo à peccatis*. Difficultas enim magna est, quæ ad hunc syllogismum tota reduci potest. Vincula destructa dissolvi non possunt: atqui per primam Absolutionem vincula peccati sunt destructa: ergo per secundam Absolutionem solvi non possunt. Quomodò ergo tunc dicit Sacerdos: *Ego te absolvo à pecca-*

peccatis ? Variæ sunt sententiæ Doctorum quærentium varios sensus his verbis, ut possint in his casibus rectè verificari.

198. Prima Sententia est Magistri Sententiarum, & aliorum Antiquorum apud Exim. Doctorem disputat. 14. sect. 2. num. 6. qui existimant, Sacerdotes verbis Absolutionis non absolvere pœnitentem, sed solùm declarare, esse absolutum, ita ut sensus sit: *Ego te absolutum ostendo, & declaro.* Secunda est docentium, per verba Absolutionis non remitti vinculum pœnæ æternæ, alii dicunt pœnæ temporalis; alii dicunt exilii à Gloria; alii demùm obligationẽ confitendi. Vide hos apud Exim. Doctorem loco citato, & Lugum disp. 13. sect. 2. Tertia Sententia est Cajetani dicentis, casu, quo remissa sit culpa, & tota pœna temporalis, pœnitentem liberari à peccati commissi reliquiis quibusdam, scilicet inclinationibus pravis à peccato relictis. Quarta est recentiorum Thomistarum asserentium, sensum esse hunc: *Ego tibi Sacramentum Absolutionis impendo.* Quinta est Coninck disputat. 4. dub. 8. num. 52. dicentis, hominem per peccatum fieri magis indignum ad divina beneficia, quàm foret, si nunquam peccâsset, ac proindè per Absolutionem semper liberari, vel à culpa, vel à pœna, vel ab obligatione confitendi, vel a prædicta indignitate, quam, etsi inextinguibilem in hac vita, minuit, & aliqualiter tollit Absolutio, quòties ea confertur, quia conferendo judicialiter gratiam, reddit hominem minùs indignum ad beneficia Divina.

199. Sexta Sententia distinguit duplicem sensum in verbis Absolutionis; primò quem habent, ut Sacramentalia, & ex Christi institutione significantia: secundò ut humana, & significantia ex hominum institutione. Primò modo hunc habent sensum: *Ego, quantùm est ex me, confero tibi gratiam, ex se remissivam peccati*, qui quidem verus est, quando Sacramentum est validum, & informe, quia tum Sacerdos per Absolutionem, quantum est ex se, confert gratiam, licèt hæc propter obicem ex parte pœnitentis impediatur. Tunc quando peccatum jam est remissum, quia tunc confertur gratia ex se remissiva peccati, licèt, quia jàm anteà est remissum, non remittatur. Primarium autem significatum ex Christi institutione est collatio gratiæ; secundarium verò expulsio peccati. Secundò modo ajunt habere sensum non omninò absolutum, sed conditionatum, quo significant directè remissionem peccati conditionatè, videlicet, si adsint requisita ad talem remissionem, & peccatum nondùm sit remissum.

200. Septima Sententia est P. Antonii Perez disput. 2. de pœnitent. cap. 3. dicentis, triplex esse vinculum peccati. Primum vinculum culpæ, & pœnæ æternæ. Secundum reatus pœnæ temporalis in Purgatorio. Tertium reatus ad pœnas hujus vitæ, tam temporales, quàm spirituales, quales sunt permissi tentationis, afflictionis internæ, & id genus alia, inter quæ numerari debet ipsa capacitas dolendi de peccato præterito; Ex qnibus licèt primũ, & secundum in hac vita pœnitùs solvantur; tertium tamen non pœnitus solvitur, sic disponente Deo ad nostram utilitatem. Ait ergo verba Absolutionis significare solutionem à vinculo peccati, abstrahendo à qualitate vinculi.

201. Pro clara & solida solutione difficultatis, suppono primo, significationem, quam habent verba ex institutione Christi Domini, supponere verba secundùm propriam suam significationem, quam habent ab institutione humanâ. Sic in Sacramento Baptismi, ista verba formæ. *Ego te baptizo*, sive *Ego te abluo*, quia juxta significationem ab hominibus impositam significant ablutionem, quæ actu fit, significatio ex institutione Christi Domini supra illa verba non cadet, nisi illa habeant istum verum significatum, adeóque non satis est dicere, quòd Minister, quantum est ex se, abluit, dummodò verè non abluat. Quapropter si Sacerdos verè non absolvat, parum referret, quòd quantum est ex se, absolveret: adeóque ut significatio habita ex institutione Christi cadat supra ea verba, ita debet habere suam significationem, ut quando proferuntur à Ministro, Minister per illa verè absolvat. Si enim nihil absolvitur, neque institutio Christi supta illa cadet.

202. Suppono secundò, per peccatum mortale (idem suo modo de Veniali) non solùm manere peccatorem uno vinculo moraliter ligatum, sed multiplici. Ratio est, quia ligatur vinculo inimicitiæ, &

pœnæ æternæ : ligatur vinculo pœnæ temporalis, & ligatur vinculo amaritudinis, & privationis solatii animæ. Qua de causa soluto vinculo culpæ, & pœnæ æternæ, manere potest vinculum pœnæ temporalis, ut definit Tridentinum sess. 6. cap. 14. ubi docet, imponendam esse pœnitentiam: *Non quidem pro pœnâ æternâ, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut Sacræ Litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contristaverunt, & Templum Dei violare non sunt veriti, de qua pœnitentia scriptum est: Memor esto, unde excideris: age pœnitentiam, & prima opera fac.*

203. Insuper quando absoluta essent hæc duo vincula culpæ & pœnæ æternæ, & pœnæ temporalis, semper supereſt in viatoribus aliud vinculum amaritudinis, & privationis solatii animæ, juxta illud Hieremiæ secundò: *Vide quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.* Hoc autem vinculum potest magis, & magis solvi secundùm majorem tranquillitatem, solatium, & serenitatem animæ, quæ ex vi hujus Sacramenti per Absolutionem confertur, ut ait Tridentinum sess. 14. cap. 3. dicens: *Sanè verò res, & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim, & efficiam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, & serenitas cum vehementi Spiritus consolatione consequi solet.* Quapropter cùm nunquam in hac vita sit tanta serenitas animæ, ut major, & major esse non possit, nunquam tantùm solvitur amaritudo de peccato commisso, ut ampliùs, & amplius per Absolutionem ex vi hujus Sacramenti dissolvi non possit.

204. Suppono tertiò, vinculum inimicitiæ, & pœnæ æternæ contractum per peccatum lethale impedire remissionem vinculi pœnæ temporalis: hæc enim à Deo nunquam remittitur, pœnâ æternâ non remissa. Qua de causa, qui est in peccato mortali, nunquam lucratur Indulgentias pœnæ temporalis remissivas. Vinculum verò pœnæ temporalis etiam impedit solatium ex vi hujus Sacramenti communicatum, quoad serenitatem conscientiæ, de Absolutione debiti pœnæ. Verùm hoc pœnæ debito remisso, non exindè remittitur totum debitum, sive vinculum amaritudinis relictæ ex minori solatio: Sicut enim in hac vita semper possumus dolere magis, & dolere de eo, quod Deum offendimus, absque minori, & minori animæ tranquillitate; ita possumus magis, & magis ab hoc tertio vinculo semper absolvi; cùm ab his omnibus absolvi possimus virtute hujus Sacramenti, ut ex Trid. cit. à n. 202. clarè constat, ex quo facilis est resolutio nostra.

§. II.

Assero primo ex dictis: Sensus verborum Absolutionis est iste: Absolvo te à vinculo peccatorum, abstrahendo à qualitate vinculi. Probatur primò. Absolutio à peccatis, juxta Christi institutionem semper operatur in Anima effectum solutionis alicujus vinculi, quo constringebatur ratione peccati: remittit enim, si inveniat, reatum culpæ, & pœnæ æternæ, sin autem, reatum, si inveniat, pœnæ temporalis: sin autem, reatum, quem semper invenit, amaritudinis, destitutionis majoris, & majoris solatii animæ, ex dictis num. 203. Sed ex eo quod semper operetur effectum alicujus solutionis vinculi peccatorum, habet sensum, quem requirit significatio imposita ab hominibus: hæc enim verba *absolvo te à peccatis* verè verificantur, dummodò operentur solutionem alicujus vinculi à peccatis habiti, adeóque optimè supra ipsa cadere potest significatio à Christo imposita: ergo sensus verborum Absolutionis, est iste &c. Probatur Consequentia, quia ille est sensus verborum Absolutionis, quo deficiente, verba verificari non possunt; quo verò præcisè appósito, verba optimè verificantur: sed sic se habet sensus à nobis expositus: ergo &c. Probatur Minor: nullo soluto vinculo, non est verum dicere, quod Sacerdos absolvit, aliquo verò ab ipso soluto, verùm est, quod absolvit, sed absque sensu à nobis exposito nullum intelligeretur vinculum, quod à Sacerdote solveretur: ergo &c.

205. Probatur secundò. Gratia per se remissiva peccatorum, per Sacerdotis Absolutionem collata, aliquem debet habere effe-

effectum, per quem remissiva peccatorum per se vocetur, & absolntiva peccati, & Sacerdos actu dicatur absolvens: atqui non semper debethabere effectum solvendi à debito culpæ, & pœnæ æternæ, neque effectum solvendi à debito pœnæ temporalis: quandoque enim potest peccator accedere ad pœnitentiam, his omnibus debitis remissis, ex Tridentino sess. 14. cap. 2. dicente: *Alius est præterea Baptismi, & alius pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes nova prorsùs in illo efficimur Creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus.* Ex quo constat, pervenire nos posse appositis istis magnis fletibus. & laboribus per Sacramentum pœnitentiæ ad obtinendam remissionem totius culpæ, & pœnæ: adeóque tunc non manebit vinculum peccatorum, quo ligemur reatu culpæ, & pœnæ, sive temporalis, sive æternæ: ergo solùm manebit vinculum, quo ligemur reatu amaritudinis suprà dictæ, qui magis, & magis per Absolutionem potest absolvi, adeóque & per hunc effectum verificantur optimè verba Absolutionis.

207. Quamvis autem hæc, quæ hùc usque dicta sunt in prima Assertione, satis sint, ad inteiligendum sensum verborum Absolutionis, quæri nihilominùs insuper potest, an attento solummodò reatu culpæ, & pœnæ æternæ, quo ratione peccati commissi ligatur peccator, possint verba Absolutionis aliquem verum habere sensum, quantumvis peccata essent jam verè remissa? Moveor ad hanc quæstionem ita proponendam, quia video communem Theologorum sententiam id affirmare, quod mihi magni ponderis fundamentum semper est, etsi speciali via communem aliorum sententiam ponam. Pro cujus resolutione. Suppono primò, verba Absolutionis esse judicialia; cùm Sacramentum istud institutum sit per modum judicii, ut definit Tridentinum sess. 14. cap. 6. dicens: *Quamvis autem Absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum Ministerium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi, remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut à judice, sententia pronunciatur.*

Suppono secundò: vincula peccatorum, in judicio dissolvenda, aliqua dici vincula in re ligantia, alia ligantia in retrotractione juris, sive ex natura judicii ad ulteriorem, & ulteriorem eorum solutionem. Ratio est, quia de natura judicii est, ut ille, qui semel verè absolutus est à judice competente, possit, si velit, ad alium æqualem judicem recurrere, se tanquam reum coram ipso sistendo, declarando delictum, & quærendo secundam Absolutionem, tunc enim ille non appareret ligatus in re, sed in retrotractione juris, quâ positâ retrotractione, satis est, ut absolvatur non fictè, sed verè. Ratio est, quia si in hoc casu detur à judice vera Absolutio, quamvis per possibile, vel impossibile, prima Absolutio revocaretur, dummodò ista secunda non revocaretur, maneret ille homo verè absolutus; undè ut vera, & realis judicii Absolutio præstet verè, & realiter suum effectum, satis est, quòd reus appareat, vel in re ligatus cum suis delictis, vel ligatus ex retrotractione juris. 208.

Quod ut clariùs percipiatur, apponam exemplum omnibus notissimum, & ab omnibus admissum, & admittendum. Sicut enim per peccatum ligatur homo, ita, & per votum Deo factum, castitatis, v. g. homo ligatur. Undè sicuti libertas, quæ ante votum erat, non ita manet post votum; ità libertas, quæ antè peccatum erat, non ità manet post peccatum: sed hoc non obstante ex retrotractione libertatis potest homo iterum vovere, & ligare iterùm libertatem, quam in re non habet, sed ex retrotractione, ita ut, quamvis dispensaretur in primo voto, si non dispensaretur in secundo, libertas non fictè, sed verè maneret ligata voto: ergo ex retrotractione juris peccator apparens in judicio iterùm ligatus, non fictè, sed verè, & realiter absolvitur, ita ut si per possibile, vel per impossibile. prima revocaretur solutio, si non revocaretur secunda, maneret, non quidèm fictè, sed verè, & realiter solutus. His positis. 209.

Assero secundò. Verba absolutionis Sacramentalis supra peccata ritè confessa semper habent verum hunc sensum: *Absolvo* 210.

Solvo te à peccatis juxta Christi institutionem, sive, quod idem est, *confero tibi gratiam per se remissivam tuorum peccatorum.* Probatur primò. Ista verba: *absolvo te à peccatis*, verum habent sensum impositum ab hominibus, dummodò sit vera remissio cadens supra peccata, sive in re, sive in retrotractione juris ligantia: atqui quoties pœnitens verè confitetur sua peccata, verba Absolutionis cadunt supra illa peccata ligantia, vel in re, si antea non fuerunt remissa, vel in retrotractione juris, si antea remissa fuêre, dummodò veram, & realem afferant remissionem peccatorum: ergo quomodocúmque verè confiteatur sua peccata, verba Absolutionis secundùm significationem, quam habent ab hominibus, verè cadunt supra talia peccata. Undè cùm significatio imposita à Christi institutione verè cadat supra verba, quæ habent sensum impositum ab hominibus, cadet supra illa verba ita prolata. Modò sic Verba Absolutionis, supra quæ cadit significatio institutionis Christi sunt illa, vi quorum constituitur Sacramentum, & confertur gratia per se remissiva peccatorum, adeòque & quæ verè peccata remittunt, sive remissa priùs fuerint, sive non: etenim, ut verè remittant, satis est, quòd peccata, vel ut in re, vel ut in retrotractione juris existentia, apponantur, tanquam materia hujus judicij, sive hujus Sacramenti per modum judicij instituti, ut patet ex num. 208. ergo &c.

211. Probatur secundò, ex Benedicto XI. in Extravag. inter cunctas de Privileg. dicenta: Salubrem esse, atque adeò validam Confessionem peccati iterum validè confessi, ac proindè condonati: en ejus verba: *Cæterùm, licèt (sicut prædicitur) de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre, &c.* Sed salubris non esset talis confessio, si verba Absolutionis supra ea peccata jam remissa non haberent suam significationem impositam ab hominibus: ergo ut habeant suam significationem impositam ab homnibus, satis est, quòd cadant supra peccata, quantumvis pridem ritè confessa, & condonata: ac proindè talia verba Absolutionis verè, & realiter ea peccata iterùm remittunt, quantumvis in re jam sint remissa, si ex retrotractione juris iterùm remittenda proponantur: ergo illa verba verè significant: *Absolvo te juxta Christi institutionem, sive confero tibi gratiam per se remissivam tuorum peccatorum.* Confirmatur: si in aliis judiciis, quando iterùm remittenda proponuntur delicta, judex veram, & realem non conferret remissionem delictorum, ea verba judicis non haberent significationem impositam ab hominibus: ergo si Sacerdos absolvens non conferret veram, & realem remissionem peccatorum, non haberent ea verba significationem ab hominibus impositam; adeòque neque supra illa caderet significatio imposita ab institutione Christi: atqui si Sacerdos absolvens non conferret gratiam per se remissivam peccatorum, juxta Christi institutionem, non conferret veram, & realem remissionem peccatorum: ergo &c. Ex dictis.

SECTIO III.

Illationes doctrinæ Moralis.

§. I.

FIT primò. Absolutionem Sacramentalem conferri non posse per verba purè deprecatoria, v. g. Sacerdos dicat: *Absolvat te Christus. Deus condonet tibi peccata: absolvatur Servus Dei: Rogo Deum, ut te absolvat.* Ratio est: quia Absolutio in hoc judicio est sententia judicialis, ut definit Tridentinum citatum num. 207. Sed sententia judicialis debet à judice proferri, non quidem verbis purè deprecatoriis, sed enunciativis, & auctoritativis: ergo &c. tum quia Absolutio est actus potentiæ remittendi peccata, quæ data fuit à Christo verbis illis: *quorum remiseritis &c.* non verò est usus potestatis soliùs orandi: ergo debet dari verbis significantibus, remissionem dari à Sacerdote, qualia non sunt verba purè deprecatoria. Sicut enim data potestate obligandi per leges; nihil faceret Pontifex vi hujus potestatis, si soliùm diceret: vobis præcipiat Deus, vel rogo Deum, ut vobis præcipiat; sic nihil faceret vi potestatis absolvendi; si soliùm diceret: Deus vos Absolvat. Alia est ratio extremæ Unctionis, cujus administratio est

est usus rogandi Deum, ut patet ex forma, quam docet Ecclesia.

213. Fit secundò: Absolutionem in aliquibus Regionibus datam à Græcis, modo deprecatorio, non esse validam, nisi adjungantur alia verba enunciativa, ut peritiores eorum solent, quorum omnium formulas invenies apud Arcudium lib. 4. de Sacramento Pœnitentiæ toto cap. 3. Si autem aliqua verba, quæ apparent deprecatoria, talia non essent, sed imperativa, vel saltem haberent sensum verè imperativum, valida essent: quod apud modum loquendi eorum aliquando contingere, apparet certum ex forma Baptismi, quâ dicunt: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, &c.* Nam, ut post aliquos notavit Bussembaum tract. 2. de Baptis. dub. 3. artic. 2. ly *baptizetur* ex Græcorum phrasi per se ipsum significare forsan valebit: *absolvatur à me*, adeóque habebit modum imperativum. Quod autem talem habeat significationem, credibile apparet ex eo, quòd in Concilio Florentino, ubi contrà Græcos objecta fuêre ea, in quibus ab Ecclesia Latina discordes erant circa formam Sacramenti Pœnitentiæ, nihil contra ipsos objectum fuit: Quapropter si hanc habeat significationem, & Sacerdos intendat facere, quod facit Ecclesia, prævalet intentioni peculiari Ministri, ex dictis num. 130. de Sacramentis circa Baptismum hæreticorum negantium Trinitatem Divinarum Personarum Cæterùm cùm certum non sit, an ea verba per se ipsa talem habeant significationem, non licet eis uti in Sacramentis conferendis, ut constat ex prima ex 65. propositionibus ab Innocentio XI. damnatis. Quapropter tenentur Græci uti forma, quæ perfectè æquivaleat formæ Ecclesiæ Latinæ.

214. Fit tertiò: Absolutionem sub conditione de futuro invalidam esse, v. g. *Absolvo te, si cras restitueris.* Ratio est; quia nullum est tempus, in quo Sacramentum datum sub conditione de futuro esset validum: non enim quando existit Contritio, Confessio, & Absolutio, cùm Sacramentum non sit validum, quando intentio Ministri non est de faciendo tunc Sacramento, sed de faciendo posteà, quando ponatur conditio. Deindè neque esse validum posteà, quando poneretur conditio, quia Minister non potest facere, quòd Sacramentum sit postea validum, quod modò validum non est: & si modò illæ partes non habent virtutem ad causandam nunc gratiam, non potest Minister facere, ut posteà habeant talem virtutem: non enim dedit Christus Ministro potestatem ad suspendendam virtutem Sacramenti, sed ad conficiendum, vel non conficiendum Sacramentum; hæc autem ratio non militat, si conditio sit de præsenti, v. g. *absolvo te si modò Deus scit, te manè restituturum*, cùm opus non sit ullâ Sacramenti suspensione. Quinimò apponero conditiones impertinentes in re adeò gravi, omninò illicitum est: quod licèt aliqui Authores admittant in Matrimonio propter rationem assignatam num. 31. de Sacramentis. Plures autem negant, posse Matrimonium validè celebrari sub conditione, quæ sit futura respectu voluntatis actualis, quamvis concedi posset, validè celebrari sub conditione futura, quæ posteà conjungatur cum voluntate virtuali sufficiente ad constitutionem Matrimonii, coëxistente conditioni tunc verificatæ, ut evenit in aliis contractibus. Cætera autem Sacramenta cùm non habeant rationem contractûs, neque possunt ita validè conjungi cum illis conditionibus.

Fit quartò: non posse Sacerdotem suspendere remissionem culpæ in futurum, licèt remissio pœnæ temporalis suspendatur in futurum, usque ad satisfactionis adimpletionem. Ratio est, quia culpa remittitur per Sacramentum essentialiter completum, quo ita completo, non est in voluntate Sacerdotis, quod culpa non remittatur. Pœna verò remittitur per Sacramentum integraliter completum, quo integraliter completo, non potest facere Sacerdos, quòd non remittatur pœna temporalis, nec potest eam suspendere usque ad aliam conditionem futuram. Quapropter licèt remissio pœnæ suspendatur, hoc non est, quia à Sacerdote pro libito suspendatur, sed quia ex institutione divina differtur, usque ad positionem partis integralis Sacramenti, per quam illa remittitur, sicut in Sacramentis, quæ reviviscunt ablato obice, non provenit ea virtus à voluntate Ministri suspendentis, sed à voluntate Christi instituentis: ergo sicut posita satisfactione, per quam remittitur pœna temporalis, non potest Sacerdos suspendere remis- 215.

remissionem ejus usque ad conditionem aliam contingentem; ita neque positis partibus essentialibus Sacramenti poterit suspendere remissionem culpæ.

§. II.

216. Fit quintò: non posse licitè offerri Sacrificium Missæ pro eo, quem Deus scit primò oblaturum esse eleemosynam. Ratio est: quia hic modus offerendi prohibitus est à Congregatione Concilii, assentiente Pio V. ad instantiam Cardinalis de Guevara Archi-Episcopi Hispalensis, ut periculosus, & scandalosus, atque contrarius Ecclesiæ consuetudini. Undè quamvis validè posset offerri, si Sacerdos applicet pro necessitate præsenti, & non pro futurâ, ut defendunt plures cum Lugo quia sic non suspenderetur fructus Sacrificii, qui suspenderetur, si necessitas de re futura nondum esset presens: at ex illcito usu, offerendi Sacrificium; cùm fructus suspenderetur, infertur quàm optimè illicitus usus absolvendi sub conditione omninò impertinente. sive conditio sit præsens erga rem contingentem, sive erga rem futuram.

217. Fit sextò: posse Absolutionem Sacramentalem licitè, & validè aliquandò conferri à duobus Sacerdotibus. V. g. si pœnitens bonâ fide duobus, vel pluribus Sacerdotibus confiteatur eadem peccata, vel quia bonâ fide putat, id sibi licitum, vel quia in incendio, aut naufragio Absolutionem petit coram duplici Sacerdote, & ambo eum absolvunt; vel quia morti proximus confessionem petit, & postea duo Sacerdotes accedentes, invenientes illum sensibus destitutum, ambo istum absolvunt. Ratio est: quia si uterque Sacerdos simul perficit formam Sacramentalem, utraque est à Ministro legitimo, utraque supra materiam debitam, & subjectum benè dispositum. Neque est major ratio, cur una præ alia habeat valorem, & effectum: ergo utraque valida est, & suum effectum sortitur. Quo in casu est duplex Sacramentum physicè inadæquatè distinctum: quia materia proxima est eadem in utraque, & formæ sunt physicè distinctæ; sicuti evenit in duabus Hostiis consecratis, in quibus Christus idem est in utraque, etsi species, & verba sint distincta, ex dictis in tractatu de Evchariſtia. Quod idem suo modo dicendum est, si eadem Hostia à duobus Sacerdotibus simul consecraretur.

Fit septimò. Quod si duo Sacerdotes dicant simul: *Nos te absolvimus*, ita ut uniuscujúsque intentio sit absolvendi, ut causa partialis, nullius Absolutio est valida: Ratio est, quia Christus non dedit potestatem Sacerdotibus, ut concurrant, tanquam causa partialis, sed ut causa totalis, & Judex in solidum: ex eo enim quod data sit potestas, ad hoc, & non ad causam partialem, invalidum esset Sacramentum, si ut causa partialis unusquisque vellet concurrere. Casu autem, quo forsim, & totaliter absolvant simul eundem pœnitentem, eandem gratiam causant; Sacramentum enim illud, etsi sit duplex inadæquatè distinctum, est unum Theologicè, cùm ad eundem finem tendat, & cum æquali efficaciâ utriusque Absolutio. Sic casu, quo duo Sacerdotes simul eandem Hostiam Consecrarent, Sacerdotum illud esset unum Theologicè, idemque effectus, qui ab uno solo præstaretur, etiam ab aliq, etsi physicè essent duo Sacramenta inadæquatè distincta.

Fit octavò. Sine justa causa illicitum esse repetere formam Sacramentalem Absolutionis in eadem Confessione, etiam sub conditione; *Si non rectè pronunciavi si non absolvi &c.* quando non est nulla prudens dubitandi ratio. Ratio est: quia sine nova materia non licèt repetere formam: sed quando nulla adest prudens dubitandi ratio in eadem Confessione, nulla apponitur nova materia, & prudenter dubitari non potest de valore præviæ formæ ergo &c. Videatur Bonacina disput. 1. de Sacramentis quæst. 2. puncto 1. num. 36. post Valentiam, Coninck, & alios, quos sequitur Gobat. tract. 7. Plurimi tamen ex iis, qui eam ita repetunt, excusantur ab omni, aut certè à gravi peccato, eo quòd non apprehendant inanitatem sui scrupuli invincibiliter suborientis; aut in eas redigantur angustias, ut apprehendant peccatum, si formam non repetant. Aliam etiam rationem tradunt aliqui, nimirùm, quia illi, qui formam ita repetunt, non habent otium examinandi, sine tædio, aut rubore pœnitentis, utrùm liceat iterare, ex quo eligunt minus malum: minus quippè malum est repetere formam, quando non est repetenda, quàm non repetere, quando est repetenda; non enim temeri-

tas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis, inquit S. Leo cap. si nulla, de Consecrat. distinct. 4. Quin etiam Tamburinus lib. 1. de Sacramentis cap. 1. §. 3. absolutè damnat de solo veniali eum, qui mero scrupulo, dubióque levi laborans, an formam substantialem ritè protulerit, repetit illam sub conditione ex solâ causâ amovendi à se scrupulum: sic enim non irrogat gravem, sed solùm levem imprudentiæ injuriam Sacramento, dum repetit ex metu offendendi Deum, & nocendi proximo. Quam doctrinam extendit Gobat cum Leandro etiam ad Sacramenta imprimentia characterem.

220. Fit nonò: Confessarium toties teneri formam sub conditione repetere, quoties rationabiliter dubitat, utrùm eam protulerit, nec ne, quæ conditio, vel mente, vel verbis exprimi potest. Ratio est, quia Confessarius tenetur non exponere Sacramentum frustrationi, ut latè constat ex dictis à num. 298. de Sacramentis. Potest autem rationabile adesse dubium ad dandam Absolutionem sub conditione his casibus. Primò, quando dubitatur, an Persona absolvenda adhuc vivat, an exspiraverit. Secundò, an sit prædita sufficiente usu rationis ad peccandum. Tertiò, an sit benè dispositâ quoad dolorem, propositum, & integritatem, modo statim explicando. Quartò, an verè peccaverit. Quintò, an Confessarius veram habeat jurisdictionem in illam. Sextò, an super ejus peccatis. Septimò, an forma sit rectè pronunciata. In primo casu absolvenda est sub conditione; si adhuc vivat. In secundo, tam in casu necessitatis, sive præcepti Confessionis, sive in articulo mortis, quàm extra casum necessitatis, absolvenda est sub conditione, quòd capax sit; etiamsi solùm fateatur veniale: fortè quippè habet aliquod mortale occultum, quod indirectè remittetur per eam Absolutionem, & licèt mortale non habeat, non debet privari beneficio, & gratia Absolutionis, cùm suppetat sufficiens causa eam exhibendi sub conditione. In tertio, danda itidem est Absolutio sub conditione, si adhibitâ Confessarii diligentia,
221. nequeat tolli dubium.

In quarto casu, ait Lessius in Auctuatio, verbo Confessarius cap. 6. pueri videntur ea paces rationis, si scient, quid eventurum sit male agentibus, quid benè agentibus: tunc enim incipiunt timorem Dei, & affectum securitatis ergà Deum habere. Itaque de hoc interrogandi sunt. Si autem dubitetur, docent aliqui, absolvendos non esse. Cæterùm Dicastello disputat. 9. num. 758. ait, absolvendos sub conditione, si fateantur aliquod veniale, ne priventur fructu Sacramenti, quod priùs docuerat Cardinalis de Lugo. Ratio est, quia habent jus ad Absolutionem, quinimò fortè habent occultum aliquod mortale, â quo indirectè absolventur. In quinto vel novit, se aliquandò habuisse jurisdictionem, nunc autem ambigit; & in hoc casu deberet abstinere, nisi adveniat casus necessitatis, vel prudenter possit dubium deponere. In sexto, vel sciviſti, te habere Jurisdictionem in omnia peccata, nunc autem dubitas in aliqua, & necessitas urget, v. g. si cæpisti bonâ fide audire confitentem, & posteà oritur tibi dubium supra unum, alterúmque peccatum, quando pœnitens deberet communicare sine omni Confessione, vel omittere Confessionem annuam, vel manere diù in statu peccati; quibus in casibus docent plures, posse Absolutionem impendi, monendo pœnitentem, ut posteà accedat ad alium Confessarium habentem jurisdictionem certam. Verùm in his, & similibus casibus oportet Confessarium cautiorem esse, In septimo est repetenda sub conditione.

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

§. I.

OBjicies primò, contrà primam Con- 222.
clusionem. Absolutio Sacramentalis verè remittit, & solvit peccata: sed destructo peccato, quamvis maneat aliquod ex duobus ultimis vinculis, non manet peccatum: ergo non est Absolutio à peccatis, adeóque non verificatur forma Absolutionis. Respon. distin Maj. verè remittit, & solvit peccata; quoad omnia, nego; quoad aliqua, concedo Maj. & distin Min. non manet peccatum, quoad omnia, concedo, quoad aliqua, nego Min. & Conseq. quia licèt tunc non maneat peccatum, quoad culpam, & pœnam æternam,

nam, manet tamen quoad aliquod vinculum solubile per Sacramentum Pœnitentiæ, ut constat ex dictis.

223. Objicies secundò, contra secundam Assertionem. Remisso peccato, quoad culpam, & pœnam æternam. manet destructum jus totum in ordine ad culpam, & pœnam æternam, nullúmque manet vinculum culpæ, & pœnæ æternæ: Sed destructo omni vinculo culpæ, & pœnæ æternæ, non potest amplius per novam Absolutionem dissolvi, quod enim jam omninò destructum est, destrui jam ampliùs non potest: ergo &c. Respon. distin. Maj: manet destructum in re, concedo, in retrotractione juris, nego Maj. & dist. Min. nego Conseq. Ratio est, quia jus inditum naturæ rationali affert potestatem ad adducenda iterùm in judicium peccata in re omninò destructa. Cùm autem illa iterata adductio proponat peccata, qualia fuerunt, quando verè ligabant vinculo culpæ, & pœnæ æternæ, dicitur retrotractio peccatorũ quoad vincula culpæ, & pœnæ æternæ. Hæc autem retrotractio satis est, ut detur in judicio vera, & realis eorum iterata solutio, ex dictis nu. 208.

224. Ex quo satis probabile est, Christum Dominum semel, & iterùm remisisse verè, & realiter peccata Magdalenæ, quando Lucæ cap. 7. dixit primò Simoni: *Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa;* & quando secundò Magdalenæ dixit: *Remittuntur tibi peccata.* Ratio est, quia id, quod fieri potest, & licèt, ex vi retrotractionis juris fieri etiam potest, & licèt Christo Domino, ex vi supremæ Potestatis Suæ; Cùm autem ex vi retrotractionis juris peccata jam semel remissa valeant iterùm, iterúmque verè, & realiter remitti, pariter ex visupremæ potestatis suæ iterùm, iterúmque Magdalenæ verè, & realiter potuit peccata remittere. Undè non exigua sumitur sententiæ nostræ roboratio.

225. Objicies tertiò. Forma non potest bis cadere super eandem materiam: sic enim non potest quis super hostiam consecratam secundò verba consecrationis proferre, adhùc retrotrahendo substantiam panis destructam: ergo pariter in nostro casu. Confirmatur: si Sacramentum Pœnitentiæ circa eadem peccata iterari posset, etiam posset iterari Sacramentum Matrimonii circa easdem personas Matrimonio jàm ligatas: sicut enim per novam Sacramentalem Confessionem, & dolorem eorundem peccatorum ponitur nova materia proxima, & retrotrahuntur peccata verè commissa, ut possit cadere Absolutio Sacramentalis, ita per novos actus, & consensus conjugum super eadem corpora, ponitur nova materia proxima, & retrotrahitur libertas capax novi Sacramenti Matrimonii: sed ista rotrotractio non sufficit ad constituendum novum Matrimonii Sacramentum: ergo neque retrotractio peccatorum sufficiens erit, ut appositio novo dolore, possit confici validum pœnitentiæ Sacramentum.

Respon. distin. Maj. super eandem materiam remotam, nego; proximam, Concedo Antecedens, & nego Conseq. peccata enim sunt materia remota, species Sacramentales panis sunt materia proxima; & quamvis super eandem materiam proximam non cadat bis forma eadem Sacramentalis, cadere quàm optimè potest super eandem materiam remotam. Sicum eâdem aquâ possunt plures Baptizari, eo quòd mutetur materia proxima, quæ est ablutio, quamvis manaat eadem materia remota, quæ est aqua: Pariter in nostro casu, materia proxima pœnitentiæ sunt Confessio, & Contritio; peccata verò sunt materia remota: ac proindè apposita novâ Confessione, & Contritione, potest impendi Absolutio supra eadem peccata. Ad Confirm. nego Maj. quia in rebus Sacramentalibus non debemus quærere, quid fieri potuit, seu quid de facto factum fuerit, sive quid instituerit Christus.

Potuit enim Christus instituere Sacramentum Matrimonii, ita ut illa retrotractio libertatis satis esset ad secundum Sacramentum suscipiendum: sed noluit ita instituere, quia noluit, Sacramentum Matrimonii super easdem personas posse iterari: materia enim proxima Sacramenti Matrimonii à Christo instituta, est prima sui traditio Conjugi per verum contractum: prima autem traditio non potest iterari circà eandem personam. In Sacramento verò pœnitentiæ materia proxima non est prima Confessio, & primus dolor de peccatis, sed indifferenter, prima vel secunda Confessio, primus, vel secundus dolor, ut constat ex Benedicto XI. citato num. 211. tùm etiam ex Ecclesiæ pra-

xi;

xi; tùm etiam ex Canone. *Quem pœnitet*: de Pœnitentia, diſtin. 1. ubi ſic dicitur: *Undè patet, quod quantò pluribus confitebitur in ſpe veniæ turpitudinem criminis, tantò facilius conſequetur indulgentiam remiſſionis.* Quapropter forma Abſolutionis non ſignificat determinatè primam remiſſionem peccatorum, ſicut Matrimonium primam, ſui traditionem conjugi, ſed indifferenter, primam, vel ſecundam remiſſionem, juxtà capacitatem ſubjecti.

§. II.

228. OBjicies quartò, contrà Illationes. Hieronymus ſupra illud Matth. 12. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*, hæc habet: *Hunc locum quidam non intelligentes, aliquid ſervant de ſupercilio Phariſeorum, ut damnare innoxios, vel ſolvere ſe putent noxios, cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed eorum vita quæratur. In Levitico ſe oſtendere Sacerdotibus jubentur Leproſi, quos illi non faciunt leproſos, vel mundos, ſed diſcernunt, qui mundi, vel immundi ſint.* Quibus verbis videtur, Sacerdotes Evangelicos legalibus æquiparare in hoc, quod illi non mundabant leproſos, ſed eos mundos eſſe judicabant; ita Sacerdotes Evangelici non juſtificant peccatores, nec eos mundant, ſed eos mundos eſſe oſtendunt: ergo ſenſus formæ Abſolutionis eſt iſte præcisè: *Ego declaro, te eſſe abſolutum, & à peccatis mundatum*: quod non ſolùm per ſententiam auctoritativam, ſed etiam per deprecativam fieri poteſt. Confirmatur exemplo Lazari, qui priùs fuit à Chriſto reſuſcitatus, & poſtea à diſcipulis vinculis ſolutus: ex quo Auguſtinus, peccatorum priùs à Deo intùs per gratiam vivificari, quàm à Sacerdote à vinculis abſolvi: ergo &c.

229. Reſpon. Hieronymum comparare Sacerdotes Evangelicos legalibus, non quidem in eo, quod, ſicut legales non mundabant, ſed tantùm mundatos declarabant, ſed in eo ſolùm, quòd, ſicut legales non poterant ſuo arbitrio diſcernere inter lepram, & lepram ſed ſolùm juxta merita cauſæ; ita neque Sacerdotes Evangelici judicare debent, aut poſſunt de peccatis juxtà ſuum beneplacitum, ita ut damnare poſſunt innoxium, vel abſolvere indiſpoſitum; in reliquis verò nulla eſt inter legales, & Evangelicos Sacerdotes comparatio, ut conſtat ex Tridentino ſeſſ. 14. Can. 9. dicente: *Si quis dixerit, Abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum Miniſterium pronunciandi. & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modò tantùm credat, ſe eſſe abſolutum, aut Sacerdos non ſeriò, ſed joco abſolvat, aut dixerit, non requiri Confeſſionem pœnitentis, ut Sacerdos eum abſolvere poſſit, anathema ſit*, & cap. 3. *Res, & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo.* Undè ſententia Sacerdotis judicialis eſſe debet, & auctoritativa, non autem purè deprecatoria.

Quod ex ipſo Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. manifeſtè convincitur; ibi enim docet, *Sacramenti pœnitentiæ formam, in quâ præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo &c. quibus quidem de Eccleſiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.* Si enim preces ſatis eſſent ad abſolvendum; illæ, quibus Eccleſia utitur ante Abſolutionem nimirùm: *Abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens, & Miſericors Dominus*, ſatis eſſent ad verè abſolvendum, quod manifeſtè eſt contrà Tridentinum. Nec fieri poteſt paritas à Sacramento Extremæ Unctionis, cujus forma debet eſſe per modum Orationis, ut conſtat ex forma, quam apponit Florentinum in decreto Eugenii per hæc verba: *Forma hujus Sacramenti eſt hæc: Per iſtam Sanctam Unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum &c.* Et conſtat ex Jacobi quinto, ubi de illa dicitur: *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* 230.

Ad Confirmat. Reſpondeo cum. D. Thoma Opuſc. 22. cap. 2. negando Conſeq. Ratio eſt, quia comparatio illa peccatoris cum Lazaro moralis eſt, non litteralis; ſubindéque ex illâ nullum firmum argumentum poteſt deduci. Quandò verò Auguſtinus, & alii Sancti Patres dicunt, peccatorem priùs à Deo vivificari 231.

per gratiam, quàm à Sacerdote absolvatur, non loquuntur de vivificatione amicabili habita per gratiam habitualem, sed de vivificatione consistente in auxiliis vitalibus supernaturalibus à Deo collatis, quibus peccator fit potens ad eliciendam veram pœnitentiam, sive perfectam Contritionẽ, ut justificetur extra Sacramentum, antequàm in re Absolutionem suscipiat, ut loquitur Tridentinum sess. 14. cap. 4. vel solam Attritionem generalem, sive Contritionem imperfectam, qua justificetur per Sacramentum: illa quidem vivificatio habita per auxilia pratiæ certissimè habetur ante Absolutionem Sacerdotis, adeóque ita priùs vivificatur peccator, quàm per Absolutionem Sacerdotis à vinculis peccatorum absolvatur. Vivificatio autem habita per gratiam habitualem, quæ in Sacramento pœnitentiæ recipitur, nequaquam confertur prius à Deo, quàm à Sacerdote Absolutio impendatur.

* * *

DISPUTATIO V.

AN ABSOLUTIO POSSIT ABSENTI CONFERRI.

232. CElebris fuit apud Antiquos ista controversia. Docuerunt aliqui, Confessionem, & Absolutionem Sacramentalem validè posse absenti conferri; adeóque pœnitentem posse, sive per epistolas, sive per internuncium Sacerdoti absenti confiteri peccata, & ab ipso absente Sacramentalem Absolutionem suscipere: quam sententiam meritò condemnavit Clemens VIII. per hæc verba: *Propositâ quæstione utrùm liceat per litteras, seù internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Absolrtionem obtinere? Sanctissimus Dominus Noster auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illustrissimis, & Reverendissimis DD. Cardin. contrà hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus maturè, ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet: licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Absolutionem obtinere, ad minùs, uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, ac prohibuit, præcepitque, ne deinceps ista propositio publicis, privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neque unquam, tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea disputativè tractaverit, nisi forsan impugnando, vel ad praxim, sivè directè, vel indirectè deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & à quo non possit præterquàm in articulo mortis ab alio, quacumque etiam dignitate fulgenti, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ majori Pœnitentiario, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis subjaceat.* Ex hoc decreto plura decidenda modò sunt ad praxim conducentia, simulque exponenda.

SECTIO I.

De statu, & progressu controversiæ.

§. I.

SUppono primò, damnatam propositionem duas continere partes, alteram de confessione facta absenti; alteram de Absolutione absenti collata: non enim dicitur in decreto, damnari duas, sed unam propositionem. Cùm autem propositio continens duas partes sanctissimè damnetur, sive illarum utraque, sive alterutra solùm falsa sit, quærendum est in præsenti, an utraque pars ejus propositionis falsa sit, & damnata, an verò una solùm ex illis, & quænam? Suppono secundò: Sententiam, quæ modò doceret, Confessionem Sacramentalem posse fieri absenti, simulque ab absente posse Absolutionem Sacramentalem haberi, incurreret pœnas ab ipso decreto latas. Quærendum modò à nobis est, quinam fuerint illi Authores, qui propo-

propoſitionem illam, quoad utrámque partem, defendebant, nec ſuam ſententiam retractárunt ante hujusmodi damnationem?

834. Tres fuerunt præcipuæ apud Antiquos ſententiæ. Prima docebat, Coſeſſionem Sacramentalem poſſe fieri abſenti, ſimulque ab abſente poſſe Abſolutionem Sacramentalem conferri. Ita graves Theologi Paludanus in quartum, diſtin. 17. quæſt. 2. artic. 1. S. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 9. & tit. 17. cap. 21. qui refert, in Concilio Baſilienſi tractatam eſſe quæſtionem, quid faciat Sacerdos, qui ſine jurisdictione audivit Confeſſionem, & abſolvit pœnitentem, multósque dixiſſe, poſſe poſteà petere jurisdictionem, & abſolvere illum, ubicúmque ſit. Eandem opinionem tenet Sylveſter verbo *Confeſſio;* Author Margaritæ confeſſorum, cùm agit de modo, quo fieri debet Confeſſio, Turrecremata in caput: *Quem pœnitet* de pœnitentia, diſtinct. 1. artic. 2. Petrus de Tarantaſia (poſtea Innocentius V.) in ſumma de Confeſſione, quem adducit, & ſequitur Rainerius in Pantheologia par. 1. tract. de Confeſſ. cap. 9. Fumus verbo Confeſſio, num. 23. Tabiena eodem verbo, num. 34. Petrus Soto lect. 11. de confeſs. dicens, hanc ſententiam poſſe ſecurè teneri, quam tenent, inquit, plures noſtrûm. Magiſter Penna apud Henriquez cap. 2. §. 7 in eventu Abſolutionis collatæ præſenti, abſque jurisdictione, poſtea comparata, cùm jam procul abeſt pœnitens, qui putetur benè diſpoſitus; eosque ferè omnes Authores citat, impugnat Eximius Doctor diſput. 19. de Pœnitentia, ſect. 3. num. 2.

835. Quæ cùm ita ſint, non ſatis mirari poſſum, quàm negligens ſit Magiſter Gonet in legendis noſtris Authoribus: nam diſput. 12. de Abſolutione Sacramentali artic. 4. §. 1. ait, nullum ex Thomiſtis hanc ſententiam tenuiſſe, idque, ait, oſtenſum eſſe à Vincentio Barone, & eam ſententiam ab antiquis traditam, & jam obſoletam, à Jeſuitis fuiſſe in Scholas revocatam, & typis, & libris mandatam; & num. 54. addit, quod hæc quæſtio, magno animi ardore, & contentione agitabatur in Hiſpania inter Dominicanos, & Jeſuitas (aſſerentibus Jeſuitis, & negantibus Dominicanis) hancque ait fuiſſe occaſionem, cur Clemens VIII. cauſam ad ſe avocavit, & ediderit decretum citatum num. 232. quo damnavit ſententiam, quam Jeſuitæ libris defendebant, & ut rumor erat, ad praxim deducebant. Sed in his omnibus Magiſter Gonet valdè peregrinum ſe oſtendit à veritate, & puncto quæſtionis, quæ tunc temporis verſabatur inter Dominicanos, & Jeſuitas.

Quæſtio enim tunc erat. An qui ſcripto, vel internuncio confeſſus eſt peccata Confeſſario abſenti, & poſteà veniens confeſſarius, inveniensque pœnitentem morbo correptum, & ſenſibus jam deſtitutum, poſſet eum abſolvere? Item, an moribundus, qui in abſentia confeſſarii petiit Confeſſionem, & dedit ſigna doloris, idque reſciens confeſſarius teſtimonio adſtantium, poſſet eum in præſentia abſolvere? hæc inquam erat quæſtio. Negabant tunc temporis aliqui Dominicani, affirmabant aliqui Jeſuitæ, & ad praxim deducebant, hancque ſententiam defendit Exim. Doctor interpretans Decretum Clementis, diſput. 21. ſect. 4. & aſſerens, Confeſſionem abſenti factam non damnari à Clemente, ut illicitam in omni caſu, ſed ſolam Abſolutionem. 836.

Neque ſententiam contrariam, quam defendebant antiqui illi Doctores, defendit unquam Author ullus è Societate tam poſt, quàm ante decretum Clementis citatum, præter Patrem Sà, qui ante decretum Clementis tot antiquorum authoritate ductus aſſeruit, in caſu neceſſitatis poſſe practicari eorum ſententiam. Cæterùm dictum hoc retractavit etiam ante ipſum Decretum in ſecunda editione, Matriti, Anno 1600. antè duos annos, quàm Clemens edidiſſet ſuum Decretum. Eandem illam antiquorum ſententiam defenderunt plures extra Scholam Thomiſticam, nimirùm Adrianus, Palacius, Vivaldus, plurésque alii, quos citant, & impugnant, Eximius Doctor diſput. 19. ſect. 3. & Theophilus Rainaudus in diſſertatione de Epiſtolari Confeſſione, cap. 2. 837.

Cæterùm Adverſarii in hac controverſia novam litem excitárunt. Doctor enim Eximius typis tunc dabat tractatum de Pœnitentia; in quo, ut diximus antiquam illam ſententiam latè impugnabat, nec audebat illam cenſurâ inurere, quia ab Eccleſia nondum erat damnata. Cæterùm 838.

dum

dùm opus hoc sub Typis sudabat, accessit Decretum Clementis. Qua de causa disp. 19. ad calcem sect. 3. hæc addidit Exim. Doctor. Tandem etenim quæri potest, quam censuram contraria opinio mereatur. Respondeo: hactenùs ego non audebam aliam inferre, præter eam, quæ ex assertione sumitur (scilicet esse falsam) idque præcipuè propter authoritatem Antiquorum; nunc autem verbis Sanctissimi Domini Nostri Clementis VIII. respondendum est: *Ille enim authoritate suâ illi opinioni sequentem censuram apposuit.* Et post traditum supra dictum Decretum subjungit. In quo Decreto directè solùm videtur Pontifex prohibere, dicere, aut docere, licitum esse absentem absolvere in aliquo casu, vel id facere, an verò si fiat, factum teneat, non declarare. Credo tamen, mentem ejus fuisse, hoc etiam declarare, & contrarium in eodem gradu damnare; tùm quia in hoc Sacramento hæc duo per se non separantur; tùm etiam quia hic erat cardo controversiæ, nam si ex se non licèt, ideò est, quia Sacramentum non potest ita perfici. Undè clarè apparet, qualis fuerit tunc temporis inter Patres Dominicanos, & Nostros controversia.

239. Ex occasione hujus Decreti novam exagitavit quæstionem Exim. Doctor disputat. 21. sect. 4. in qua quærit, utrùm de necessitate Confessionis sit, ut pœnitens Sacerdoti præsenti immediatè, & per se ipsum revelet peccata sua? & resolvit, non esse ita essentiale Sacramento Pœnitentiæ, quòd Sacerdos in præsentia ejus Confessionem audiat, ut in aliquo extremo necessitatis casu non possit aliter contingere. V. g. in eo casu, in quo Sacerdos veniens ad absolvendum pœnitentem morti vicinum, & inveniens illum ita privatum usu omnium sensum, ut nullum signum peccati, aut doloris ab eo possit obtinere, tunc enim posset esse contentus aliorum relatione ad absolvendum illum, quamvis non audierit Confessionem in præsentia, & nihilominùs sufficit hæc Confessio, ut licitè, & validè detur Absolutio. Hæc fuit Eximii Doctoris resolutio, quam eâ Sect. 4. latè probavit, eamque absolvit his verbis. *Nihilominùs declarationem hanc ejusdem Pontificis censuræ subjicio, sicut cætera omnia, quæ tam in hoc, quàm in cæteris operibus meis continentur.* Hæc pro sua in S. Sedem veneratione Exim. Doctor. Ex hac resolutione occasionem arripuere æmuli Exim. Doctoris dicentes, fuisse in Clementem irreverentiam, ipsius mentem, ipso vivente, interpretari, adeòque duxerunt illam ad Legatum Pontificis, qui Matriti aderat; ipse autem eam detulit ad Clementem.

Clemens verò morte præoccupatus non potuit mentem suam per decretum novum exponere. Cæterùm æmuli Exim. Doctoris fortiter iterùm institerunt apud Paulum V. qui Clementis mentem optimè norat, timens, ne eo tempore in quo adeò exardescebat controversia, permittendo, quòd doceretur, posse Confessionem absenti fieri, ansam arriperent DD. contrarii, qui defendebant, totum Sacramentum Pœnitentiæ posse confici in absentia, ad tuendum suum errorem, noluit hanc locutionem eo tempore permittere. Ratio est: quia Confessio aliquando sumitur pro toto Sacramento. Nihil enim Catholicis frequentius, quàm dicere se accedere ad Confessionem, vel obiter velle Sacramentum Confessionis; per synecdochen enim nomen Confessionis totum Sacramentum Pœnitentiæ designat; éstque id adeò receptum in Ecclesia jam olim, ut S. Aug. ser. 48. *De temp.* adactus fuerit dedocere Afros suos, ne existimarent, quoties scriptura meminit Confessionis, & ad eam hortatur, agi de Sacramento Pœnitentiæ; ut rudes illi arbitrabantur; qui cùm S. P. inter concionandum protulisset *confitendi, aut Confessionis vocabulum*, illicò tundebant pectora, rati Sermonem esse de Sacramento Pœnitentiæ. Propria sanè hujus Sacramenti appellatio est *Sacramentum Confessionis*, eamque appellationem, licèt non benè, præfert Durandus in 4. dist. 14. quæst. 1. num. 5. nolens dici *Sacramentum Pœnitentiæ*, sed Sacramentum Confessionis. Ne igitur Adversarii ansam erroris haberent ad publicandum eo tempore permitti à Pontifice sententiam docentem, integrum Pœnitentiæ Sacramentum posse in absentia Sacerdotis fieri, noluit permittere, quod tunc temporis diceretur, posse Confessionem fieri in absentia.

***

§. II.

§. II.

241. QUòd autem hæc fuerit Pontificum mens, teſtatur Exim. Doctor litteris ſuis apud Tamnerum quæſt. 9. *de Pœnit.* dub. 1. num. 16. dicens, ſe Clementis, ac Pauli mentem ex ore utriusque percepiſſe, & ſibi certè conſtare, nunquam veniſſe illis in mentem, ut vellent obſtare Abſolutioni ægri, qui abſente Sacerdote, ante oppreſſionem expetiiſſet Confeſſarium, & ſigna doloris Sacerdoti per aliorum teſtimonium ſignificata edidiſſet: additque eisdem litteris Exim. Doct. de hujusmodi Abſolutione nunquam fuiſſe excitatam controverſiam. Tantùm itaque Pontificis Miniſtros Auctores poſteriorum decretorum, de quibus ſtatim agemus, vel ſi lubet, Pontifices ipſos noluiſſe, ut diceretur, Confeſſionem in eo eventu fieri abſenti propter rationem ſupra à nobis attactam. Ratio eſt: quia cùm in decreto Clementis ſermo non ſit de quacumque declaratione, ſed de Confeſſione Sacramentali: Confeſſio autem Sacramentalis non dicatur talis, dumtaxat intrinſecè, prout ordinatur ad ſuſcipiendum præſente Sacerdote integrum Pœnitentiæ Sacramentum, uti in circumſtantiis præſentis controverſiæ accipitur, ſed etiam dicatur ea, quæ actu denominatur ab Abſolutione, quâ conficitur Sacramentum: exindè, ſi permitteretur, quòd poſſet Confeſſio Sacramentalis fieri abſenti, dabat tunc temporis anſam errori dicentium, totum Sacramentum poſſe fieri inter abſentes.

242. Hæc eſt ratio, propter quam Paulus V. præcepit, ut amoveretur eo tempore à ſuo Tomo expoſitio Exim. Doctoris: Prodiit enim decretum factum in generali Inquiſitione his verbis expreſſum. *Die 14. Julij 1605. propoſitâ causâ P. Franciſci Suarez Jeſuitæ, & conſideratis his, quæ ſcripſit tom. 4. in 3. par. Divi Thomæ ſect. 4. diſput. 21. interpretando decretum felic. recordat. Clementis Papæ VIII. die 20. Junii 1602. quo damnavit hanc propoſitionem: videlicèt, licere per litteras, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem Abſolutionem obtinere, ac etiam maturè diſcuſſis his, quæ idem Pater Suarez adduxit in defenſionem ſuæ interpretationis, auditis votis Illuſtriſſimorum Dominorum Cardinalium, SS. decrevit, dictam interpretationem non ſubſiſtere, & ideò amovendam eſſe ab ejus libris juxta decreta aliàs facta à felicis recordationis Clemente Papa VIII. de quibus in actis S. Officii.* Item in alio decreto ejusdem Congregationis 20. Julii ejusdem anni ſic habetur. *Ex lib. Franciſci Suarez Jeſuitæ tomo 4. ad 3. par. diſput. 23. ſect. 1. num. 12. amoveantur infraſcripta verba, videlicet; Atque ex hac reſolutione uſque in abſentia Confeſſoris: Idem P. Suarez corrigat ſuum librum, & antequam evulget, oſtendat huic Congregationi.* Et rursùs die 18. Auguſti ejusdem Congregationis aliud editum fuit decretum hujus tenoris. *SS. decrevit ex tomo 4. Pater Suarez Jeſuitæ in 3. par. S. Thom. diſput. 21. de Confeſſione ſect. 4. cui titulus eſt. Utrùm de neceſſitate Confeſſionis ſit, ut pœnitens Sacerdoti abſenti immediatè, & per ſe ipſum revelet peccata ſua? Totam eſſe amovendam, nec aliam ejus loco ſubrogandam.*

243. Cæterùm cùm deficiente fine legis, lex deficiat, & finis horum decretorum nequaquam fuerit prohibere, ne Abſolutio conferretur ægro deſtituto ſenſibus, qui in præſentia teſtium petierat Confeſſionem, & poſteà adveniens Sacerdos jam nullum in ægro ſignum advertere poteſt, ea de cauſa cùm frigeſcente fervore controverſiæ, & admiſſis ubique Pontificis decretis, jam nullum eſſet periculum, ut admitteretur ea Antiquorum ſententia, quæ docebat, integrum Pœnitentiæ Sacramentum poſſe confici inter abſentes, ceſſavit exindè vis horum decretorum contra doctrinam illam novis iſtis circumſtantiis veſtitam, ut ex teſtimonio ipſorum Pontificum, ex doctrina antiquorum Conciliorum ſect. ſequen. demonſtrabimus. Quapropter, cùm antequam è vivis diſceſſiſſet Eximius Doctor, iterùm ejus opera typis data eſſent Lugduni anno 1613. tota ea doctrina, & integra ſect. 4. diſp. 21. in totum reſtituta ſunt: illa enim verba, in quibus dicebatur, P. Suarii expoſitionem non poſſe ſubſiſtere, non tendebant contra ſolliditatem doctrinæ ab Exim. Doctore propoſitæ, neque illam ut à nobis expoſitam reprobant, ſed prout adjunctam in illis circumſtantiis decreto Clementis, quibus deficientibus circumſtantiis, nullo

manente timore à ferè omnibus Theologis illa doctrina, ut solida, fuit admissa, & propugnata; quidquid reclamet secunda sententia. Ad eum modum, quo homo in circumstantiis sanitatis comprehenditur sub præcepto prohibente comestionem carnis die Veneris; secùs autem in circumstantiis infirmitatis, & ægritudinis.

244. Secunda ergo in hoc puncto modernorum aliquorũ sententia docet, nunquam posse, neque validè conferri Absolutionem, ægroto, qui in absentia Confessarii petiit Absolutionem quamvis per litteras peccata sua absenti Confessario declaraverit, nisi postea, adveniente Confessario, in ejus præsentia dicat pœnitens, quòd de omnibus illis peccatis se accusat. Ita plures, quos citat Raynaudus per totam dissertationem de Confessione Epistolari, & fatetur Gonet. disp. 12. de Absolutione artic. 4. §. 1. Sic docuerunt Victoria, Canus, Ledesma, Candidus, & alii quamplures. Tertia Theologorum sententia docet cum Eximio Doctore, in eo casu licitè, & validè posse conferri Absolutionem ægroto, qui Confessionem petiit, nec animum retractaverit, quando accedit Sacerdos. Ità omnes nostri, quos citat, & sequitur Moya disp. 6. quæstio 1. & hac tempestate ferè omnes externi, adeò ut F. Ludovicus Caspensis Ordinis Capucinorum, tract. de pœnit. disp. 4. sect. 22. post approbatam per omnia Eximii Doctoris de hoc puncto doctrinam contra Sotum, opponens sibi, quòd ea doctrina fuerit à Clem. VIII. damnata, & expungi jussa, respondet, doctrinam Exim. Doctoris de Absolutione moribundi sensibus destituti per Sacerdotem præsentem, cui per internuntium voluntas consequendæ Absolutionis sit intimata, nequaquàm esse damnatam à Clemen. VIII. quia alioqui tot Sapientes DD. post Clementem ei doctrinæ non adhæsisent: & ipse Clemens non dixisset (ut certò postea dixit) se nihil tale unquam vetuisse: imò in eo eventu se omninò impensurum ægro Absolutionem; & puniturum Parochum, qui absolutionem negaret. Quomodò hæc omnia vera sint, comprobabit subsequens.

* * *

SECTIO II.

Resolvitur Controversia.

§. I.

Assero primò contrà Antiquos citatos num. 234. Absolutio absenti collata ex natura sua, & ex Sacramenti institutione invalida est: atque adeò etiamsi pœnitens Confessario præsenti confiteretur, si tamen postea à Sacerdote absente absolveretur, Absolutio esset invalida, & Sacramentum nullum. Probatur primò, quia Absolutio, sicut & formæ aliorum Sacramentorum (excepto matrimonio) ex Christi institutione consistit in verbis v. g. *Absolvo te à peccatis*, aut aliis perfectè æquivalentibus, quæ materiam præsentem significant: etenim particula te est pronomen demonstrativum personæ pœnitentis, quod ad absentem per voces dirigi non potest: quare sicut non potest Sacerdos consecrare materiam absentem, quia pronomen demonstrativum; *hoc est Corpus: hic est Calix* contentum in forma consecrationis significat materiam præsentem; ita neque potest absolvere absentem, quia pronomen demonstrativum te inclusum in forma absolutionis significat personam præsentem: ergo sicut consecratio materiæ absentis est invalida, ità Absolutio personæ absentis est invalida.

Probatur secundò: de ratione formæ Absolutionis est, quòd verbis propriè dictis proferatur, & sine illis est nulla, ex numero 182. idémque patet ex perpetua Ecclesiæ traditione, & praxi, ita ut per ea verba verè Sacerdos pœnitentem alloquatur, illum demonstrando, ita ut possit dicere: hic est pœnitens, quem Absolvo; quæ omnia requiruntur ad verificationem horum verborum: *Absolvo te*: Sed ad hujusmodi locutionem requiritur præsentia pœnitentis: si enim præsens non esset, non diceret, absolvo te, sed absolvo illum ex dictis num. 76. de Eucharistia: ergo &c. Confirmatur ex Tridentino sess. 14. cap. 2. ubi de Baptizatis dicit: *Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cùm id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc Tribunal, tanquam reos, sisti voluit, ut per*

Sacer-

Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Quibus in verbis clarè ostenditur, ex institutione Divina pœnitentes, ut reos, ante Sacerdotum Tribunal sisti debere, ut possint per eorum sententiam absolvi: Sed sisti ante hoc Tribunal est pœnitentem præsentem esse Sacerdoti: ergo nisi sit præsens non poterit per sententiam, id est per Absolutionem liberari.

247. Probatur tertiò. Absolutio Sacramentalis est actus judicis proferentis, & promulgantis sententiam absolutoriam criminis, non quolibet signo, sed verbis propriè dictis: nullus autem Judex promulgat sententiam inter homines verbis, nullo alio homine præsente: ergo neque potest Sacerdos proferre sententiam Absolutionis, nullo alio præsente: Sed ex Christi institutione nullus est, qui debeat esse præsens coram Sacerdote, nisi ipse pœnitens, cùm judicium hoc ex Christi institutione non sit publicum, sed secretum; ipse enim pœnitens est testis, accusator, & reus, & propter ipsum non propter alios, sententia profertur: ergo &c. Confirmatur: posità valida Sacramentali Absolutione, ponitur validum Sacramentum: sed validum Sacramentum inter absentes poni non potest, ut constat ex decreto Clementis citato num. 233. ergo Absolutio Sacramentalis dari non potest absenti.

248. Respondebis: Clementem non decrevisse in suo decreto, Absolutionem datam absenti esse invalidam, sed esse illicitam. ut constat ex illis verbis: *Utrùm liceat per litteras*: clarè autem patet, posse Absolutionem esse illicitam, quamvis aliundè sit valida, & Sacerdos peccet eam conferendo, uti contingit, quando Sacerdos in peccato mortali existens absolvit. Contrà tamen: quia hæc responsio manifestè pugnat contrà tenorem decreti, quia in eo decreto præcipitur, quòd ea opinio nunquam, & in nullo casu, tamquam probabilis defendatur: atqui si Absolutio absenti collata non esset invalida, posset in aliquo extremo necessitatis casu absenti conferri: ergo ex tenore decreti talis Absolutio, non solùm est illicita, verùm etiam invalida. Confirmatur: in casu urgentissimæ necessitatis, in quo æterna animæ salus periclitatur, omnia media valida sunt licita, id exigente supremo periculo æternæ damnationis, ut si aliter moribundus salutem consequi non valeat, adeóque si validè quis confiteri, & absolvi ab absente posset, hoc nulla humana potestate, nec pontificia prohiberi posset in tali casu, cum dispendio salutis æternæ: atqui ex vi illius decreti est prohibita Absolutio absentis in omni casu: ergo ex vi talis decreti manifestè constat, esse invalidam.

Assero secundò contra modernos citatos num. 244. Si ægrotus dedit signa doloris, quando absens erat Confessarius, petens Confessionem, & veniens posteà Confessarius inveniat illum sensibus destitutum, satis est, quòd testes affirment illam petitionem Confessionis non retractatam, ut licitè, & validè, saltem sub conditone, absolvat. Vide Auctores apud Dianam part. 3. tract. 3. resolut. 4: qui duos supra triginta Auctores pro hac sententia adducit. Alios præterea invenies apud Raynaudum in dissertatione de Confessione epistolari cap. 4. Plures alios apud Moyam disput. 6. quæst. 1. éstque expressa sententia D. Thomæ opusc. 65. quod est de officio Sacerdotis, ubi hæc habet: *Si infirmus, qui petit Unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniat ad eum, nihilominùs unget eum Sacerdos: quia in tali casu debet etiam baptizari, & à peccatis absolvi.* 249.

Probatur igitur Conclusio ex Conciliis. Concilium enim Aurasicanum primum cap. 11. (& refertur cap. qui recedunt, 26 quæst. 6.) sic statuit: *Subitò obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium, aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Pariter Concilium Carthaginense tertium cap. 34. (& refertur cap. ægrotantes de consecratione dist. 4.) sic definit: *Ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimoniũ sui dixerint, baptizentur: Similiter & de pœnitentibus agendum est.* Ita refert hunc Canonem contextus Concilii Carthaginensis, ac Concilii Africani, & Ivonis citantis Isidorum, ut notant Emendatores editionis Gratiani, apud quem pro verbis illis: *Cùm voluntatis eorum testimonium sui dixerint*, corruptè habebatur: *Cum voluntas eorum testimonium sui dixerunt*: Sed omnes 250.

omnes vetusti codices Gratiani legunt eo modo, quo priùs retuli : Sicquè adest in summa Conciliorum apud Carranzam.

251. Rursùs Concilium Carthaginense quartum cap. 76. (& refertur cap. is qui. 26. quæst 6. hæc habet : *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, admoneatur à supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis Pœnitentiæ legibus.* Pariter Synodus Visensis in Lusitania Anno 1617. celebrata sub Joanne Emanuele lib. 1. tit. 5. constitut. 2. num. 10. præcipit, ut is, ad quem jam planè sopitum Sacerdos pervenerit absolvatur, si qui adfuerunt, cùm is sui compos esset, testentur, quòd petierit Confessionem : ergo &c.

252. Probatur secundò, ex S. Leone Papa, epist. 89. aliàs 91. quæ est ad Theodorum Forojulienſem Episcopum, ubi hæc habet : *Si aliqui ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulò ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium & circumstantium prodesse debebunt, ut simùl, & Pœnitentiam, & reconciliationis beneficium consequantur, servatâ tamen regula Canonum Paternorum circà eorum pœnitentiam, qui in Deum à fide discedendo peccârunt.* Modò sic : tales ægroti non vult S. Leo ut maneant absque Sacramento Pœnitentiæ, neque absque reconciliatione, sive Absolutione à censuris, si fortè sint innodati juxta ea, quæ præscripserat Concilium Carthaginense quartum citatum num. superiori : ergo in tali casu licitè ægrotus absolvitur. Mirum est, quot, & quantas tentaverint vias Adversarii, ut testimoniis citatis, tum ex Conciliis, tum ex S. Leone respondeant.

253. Respondet primò Dominicus Soto in 4. distin. 18. quæst. 2. artic. 1. in prædictis testimoniis solùm agi de Absolutione à censuris, quæ conferri potest ab absente, non verò de Absolutione à peccatis. Respondet secundò Alvarez quæst. 2. disput. 8. in difficultate Appendice, sive Additicia num. 27. & 28. solùm agi in illis testimoniis de Absolutione Cæremoniali; non verò de Sacramentali. Respondet tertiò Canus in Relectione de Pœnitentia part. 5. concedendo ibi agi de Absolutione à peccatis, verùm non quoad omnes, sed quoad eos dumtaxat pœnitentes, qui priùs explicitè peccata sua omnia confessi fuissent Sacerdoti initio Quadragesimæ, non tamen accepissent Absolutionem Sacramentalem, differri solitam usque ad tempus sub Pascha, hoc est feriam 5. in Cœna Domini. Cæterùm quàm malè exponant Conciliorum, & Pontificis mentem istæ responsiones, facilè conspicitur. Quapropter.

Contrà primò : in prædictis testimoniis sermo est *de Pœnitentia*, ad quam vocandus erat Sacerdos, adeóque non satis erat Diaconus, atqui ad Absolutionem à censuris satis erat, quod facultas committeretur Diacono : sic enim S. Cyprianus epist. 15. testatur, se commisisse Diacono Absolutionem ægroti : quæ non poterat esse Absolutio à peccatis, cùm hæc sit actus proprius solius Sacerdotis ; & in illis testimoniis sermo est de Absolutione à peccatis : ergo &c. Contrà secundò. in illis testimoniis, sermo est de quocúmque ægroto subitò obmutescente, postquàm petierat Confessionem : sed plures ex illis nequa habeant censuras, neque ad tempus Paschale distulerant Absolutionem. Absurdum quidem maximum est, cogitare esse censurâ irretitos omnes ægrotos in articulo mortis obmutescens, vel omnes eos non suscepisse usque ad Pascha Absolutionem, vel Sacramentaliter confessos fuisse sua peccata, ante ægritudinem, Sacerdoti : ergo omnes datæ responsiones manifestè pugnant contra mentem Conciliorum, & S. Leonis.

Contra tertiò, quia Clemens VIII. interrogatus de moribundo, qui post præmissa pœnitentiæ signa, saltémque postquam jussit vocari Sacerdotem, subitò obmutuit, essetnè absolvendus ? Respondit, se hunc eventum à S. Leone propositum non intendisse comprehendere in suo decreto citato num. 232. & talem moribundum omninò debere absolvi à Sacerdote, cùm venerit, seque, si occasio se daret, Absolutionem impensurum. Ita respondisse Clementem, testati sunt Cardinalis

nalis Bellarminus, & Archiepiscopus Armacanus, quorum utérque id testatus est Francisco Flerontino, & Leonardo Lessio Societatis Jesu, cùm Romæ essent, & scripto etiam manu sua obsignato id firmavit. Posteáque Armacanus Antistes simile scriptum, quo de responso illo Clementis testabatur, misit Lovanium ad aliquos illius Academiæ Doctores. Quod quidem scriptum verbatim refert Ægidius Coninck lib. *de Absolutione moribundi sub fine*: ergo expositio Adversariorum pugnat contra antiquas, & recentes Ecclesiæ definitiones.

256. Probatur tertiò ex Rituali Romano titulo *de Sacramento Pœnitentiæ* §. *Ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ* versiculo *quod si inter*, ubi agens de Absolutione ægro impendenda sic præscribit: *Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat; nutibus, & signis conetur, quoad ejus fieri potuerit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcúmque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Habentur ista non modò in anterioribus Ritualibus, sivè Romanæ, sive aliarum Ecclesiarum, puta in Pastorali Leonis X. & in simili opere Cardinalis Ludovisii (postea Gregorius XV.) quod confecit pro Ecclesia Bononiensi, cui tunc præerat, sed etiam in Rituali per Paulum V. recognitum, & approbatum 17. Junii. 1614. contestatur enim Pontifex, visum sibi esse è re Ecclesiæ, ut volumen unum de ritibus, cùm in aliis Ecclesiasticis functionibus, tùm præsertim in Sacramentorum administratione servandis, ab his, qui curam animarum gerunt, Apostolica auctoritate prodiret, ad cujus voluminis præscriptum in tanta Ritualium multitudine sua illi ministeria, tanquam ad publicam, & obsignatam normam peragerent, unóque, ac fidei ductu inoffenso pede ambularent cum consensu. In hoc námque rituali Pauli V. prædicta verba pro Absolutione ægroti continentur: cujus Ritualis tanta est auctoritas, ut Paulus V. in Brevi expedito Romæ die 17. Junii 1614. testetur, illud à Congregatione plurium Cardinalium ad hoc deputatorum compositum fuisse, ordinétque, ut omnes Archi-Episcopi, Episcopi, &c. ab omnibus Parochis faciant inviolabiliter observari, ut patet in Bulla illi Rituali affixa. Ex dictis

§. II.

FIt primò: etiamsi testes in absentiâ infirmi exponant Confessario pœnitentiæ signa ab illo data, antequâm esset sensibus destitutus, posse Confessarium, posteà advenientem talem infirmum sensibus destitutum absolvere. Ratio est, quia quod internuncius manifestet Confessario signa doloris, quæ dedit infirmus, eáque manifestatio fiat in præsentia infirmi sensibus destituti, vel in absentia, nihil facit ad rem præsentem. Nec etiam facit, ut Sacerdos magis certus fiat de statu Pœnitentis, & de ejus permanentia in proposito concepto, neque ut Confessio fiat à pœnitente in præsentia infirmi: Nam licèt testis deponat in præsentia corporali infirmi; hic tamen moraliter est absens: Etenim sensibus destitutus in ordine ad loquendum moraliter absens est, cùm depositionem testis confirmare, aut ratificare aliquo signo exteriori nequaquam valeat; ideóque Canones, & Concilia supra adducta non exigunt testimonium dari Sacerdoti in præsentia infirmi, ut patet ex eorum tenore, quod satis firmavit responsio Clementis VIII. supra adducta, de qua Ægidius Coninck in opusculo de Absolutione moribundi: ergo &c. 257.

Fit secundò: sufficere ad eam Absolutionem, quòd Sacerdoti constet de voluntate infirmi, non per ipsos, qui immediatè audierunt ab infirmo, sed mediatè ab aliis, qui ab illis audierunt. Ratio est, quia Conciliorum testimonia supra adducta non exigunt immediatam auditionem. Si enim semel non requiritur, id immediatè à Confessario audiri, parùm refert, quòd uno, vel duobus gradibus mediatè audiatur: semper enim desiderium confitendi exteriori signo ostenditur, sivè per testes, qui immediatè, vel mediatè audierunt, Sacerdoti referatur. Quapropter Jo. Sanchez, Diana, Lugo, & alii non requirunt plures testes, sed ajunt unum sufficere. Quando enim non agitur de præjudicio alicujus, creditur uni testi. Undè sicut non requiritur probatio juridica per testes oculatos; ita neque requiritur probatio 258.

plena per duos testes, nec requiritur, quòd testis juret, quia maximè impium esset, in casu moribundi mentiri: adeóque neque requiritur, quòd testis sit fidelis, sed infidelis sufficeret, vel etiam Hæreticus, nisi præsumeretur mentiri ad illusionem Sacramentorum? Neque obstat, quòd Concilia loquantur in plurali de testibus, cùm requirunt testimonium aliorum, nam id intelligi debet in sensu distributivo, non copulativo: sicut etiam cùm dicitur in Conciliis, animam defuncti aliorum Fidelium Suffragiis juvari, intelligitur distributivè, quia singulorum Suffragiis juvari possunt.

259. Fit tertiò: non posse absolvi infirmum, qui nec Confessionem petiit, nec dedit in ordine ad illam ulla certa, aut dubia signa doloris, quantumvis Sacerdos attenderet ad alias actiones antecedentes, quæ ab aliquibus vocantur signa, v.g. Si Christianè vixerit, Sacramenta frequentaverit, & fidelis, ac pius habitus sit. Est illatio ista contra aliquos Doctores citatos num. 252. de Sacramentis, quorum Sententia, ut ibi dixi, non parùm conducit ad praxim: Speculativè verò loquendo, tenenda omninò est doctrina nostra. Ratio est: quia Ritualia, & Concilia permittentia absolvi agonizantem, requirunt testes petitæ Absolutionis, aut manifestationem doloris, quæ accusatio anteactæ vitæ sit: Confessio enim, ut per se patet, debet esse externa accusatio anteactæ vitæ, quâ peccator se reum manifestat, & peccata sua, ut potest, declarat, fatendo se hìc, & nunc peccatorem: sed qui nec Confessionem petiit, nec in ordine ad illam dedit ulla certa, aut dubia signa doloris, talem non exercet accusationem: ergo &c.

260. Respondebis: vitam Christianam anteactam esse accusationem sufficientem pro hoc casu tantæ necessitatis, cùm non possimus prudenter non censere, talem ægrotum in eo articulo non petiturum Absolutionem, si posset. Undè illam censendum est petere per vitam Christianam, sivè malè, sivè benè vixerit, non est signum voluntatis præsentis sufficiens ad veram accusationem de peccatis commissis, licèt sit signum præsumptionis talis voluntatis, & accusationis habendæ, si posset: ergo, &c. Probatur Antecedens: Homo Christianus semper, etiam quando actu peccat, præsumitur habere voluntatem recipiendi Absolutionem in articulo mortis, vel antequam exeat de vita: adeóque illa voluntas compossibilis est cum actuali peccato: sed voluntas compossibilis cum actuali peccato non est sufficiens accusatio de omnibus peccatis commissis: ergo &c.

Contra secundò, & explicatur ulteriùs hæc ratio fundamentalis. Voluntas confitendi, & obtinendi Absolutionem per mores Christianos, & vitam anteactam in Ecclesia Dei non est sufficiens accusatio, quæ requiritur pro materia hujus Sacramenti, quòd cùm judicium sit, essentialiter constat accusatione, & Absolutione. Undè accusatio sufficiens ad hoc Sacramentum debet esse talis, ut fiat post peccatum, eáque homo confiteatur se reum peccati, quæque incompossibilis sit cum peccato: qua de causa debet esse dolorosa, & dolorem internum significare: atqui voluntas recipiendi Sacramenta, externè significata per vitam Christianam, ne significat hominem alicujus peccati reum, nec ullum dolorem verum efficacem significat: quandóquidem est compossibilis cùm actuali peccato: ergo sufficiens non est ad Absolutionem, sivè ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. Exindè Rasleus tract. *de Pœnitentia* cap. 5. docet, priorem opinionem esse improbabilem: Et Gobat tract. 7. num. 602. notat, paucis abhinc annis fuisse prohibitum à Superioribus Societatis, ne quis doceret hanc propositionem. *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit Contritionis, adèò ut Sacerdos, nec sciat, nec prudenter putare possit, præcessisse sensibilem aliquam Confessionem, absolvi potest.* Hæc omnia intelligenda sunt de quæstione speculativè sumpta, quam propter assignatas rationes veram judico.

Cæterùm practicè loquendo, existimo, Confessarium non solùm posse licitè, verùm etiam teneri in prædicto casu moribundum absolvere sub conditione. Ratio est, quia Præceptum Charitatis obligat ad succurrendum proximo constituto in extrema necessitate, & periculo æternæ damnationis, remedio saltem dubio, quod in ne peccato potest adhiberi, quando aliud non suppetit. Absolutio autem in tali casu potest dari sine peccato: quia licèt aliqui improbabilem putent hanc opinionem, a-

lii ta-

Hi tamen existimant probabilissimam, saltem ob auctoritatem Doctorum eam defendentium, contrà quam metaphysicam evidentiam non habemus : & quamvis sententia ista speculativè vera, aut probabilis non esset, negari non potest, esse in eo casu remedium dubium, adeóque adhibita Absolutione sub hac conditione, *si capax es*, vel *si sis dispositus*, præcavetur irreverentia : periculum enim nullitatis, ubi periclitatur salus æterna hominis, in cujus remedium sunt instituta Sacramenta, non est irreverentia ex dictis num. 300. de Sacramentis: ergo practicè loquendo, debet dari Absolutio sub conditione.

263. Vide P. Moya disput. 6. quæst. 4. §. 1. & 2. afferentem pro hac sententia plures DD. quos inter P. Bonagratia Franciscanus in summula quæst. Regularium extendit suam opinionem etiam ad casum, quo ille moribundus laborat infamiâ maledicti. Vide etiam Leandrum à Sacramento tract. 5. disput. 6. quæst. 46. Delgadillum de pœnitentia cap. 13. Ludovicum à Conceptione tract. 5. quæst. 1. qui omnes sententiam istam defendunt, pro qua citant Augustinum tom. 6. de adulterinis conjugiis, ubi docet, infirmum, qui repentè destituitur sensibus, nec ulla signa dare potest, si Catechumenus est, esse baptizandum ; si verò baptizatus est, esse reconciliandum, quòd de Sacramento Pœnitentiæ ab Auctoribus istis intelligitur. Exindè pro praxi

264. Fit quartò : validè, & licitè absolvi moribundum, qui non potest in specie ullum peccatum declarare ; attamen ab ipso Sacerdote præsente petit Absolutionem. Tum etiam sufficere ad Absolutionem dandam, si moribundum coram Sacerdote edidit signa Contritionis, & doloris in ordine ad Absolutionem ; tunc enim præsumendum est, nisi contrarium constet, ea signa doloris tendere in ordine ab Absolutionem. Quinimò juxta Layman tract. lib. 5. 6. cap. 8. signa sunt Contritionis, quando æger percutit pectus, aut quandò manus, oculósve in Cœlum tollit, & juxta Dianam tract. 3. Resolut. 2. quando aliquam imaginem intentè respicit, vel juxta Lugo disput. 17. sect. 2. quandò dicit *Miserere mei Deus*, si videlicèt hæc faciat, sciens esse periculum mortis, sitque mentis compos, esto solitus idem facere, nihil cogitans de morte. Si verò omnibus pensatis, dubium sit, an hæc faciat in ordine ad Absolutionem, absolvendus est sub conditione, si sit capax juxta citatos Doctores.

Fit quintò : rectè absolvi morientem, 265.
licèt prædicta signa dederit Confessario absente, sed aliis præsentibus, qui Confessario retulerunt, sivè in præsentia ægroti, sivè in absentia, si quando accedit Sacerdos, nullo alio modo possit ægrotus animum suum manifestare : re enim vera si præsens præsentem absolvis, adest, quidquid requiritur ex institutione Sacramenti ad ejus valorem. Quinimò sufficienter diceris absolvere confitentem tibi in præsentia, vel tibi præsenti, quia quamdiù vivit, tamdiù continuat moraliter Confessionem peccatorum suorum : vivit autem adhuc coràm te, ut benè notavit Gobat. Tùm etiam moribundum sensibus destitutum debes absolvere, tametsi nemo expresè testetur, illum edidisse signa doloris, modò prudenter præsumi possit, dedisse re ipsa : quia fas est administrare Sacramenta in necessitate, quandò deficientibus aliis probationibus, prudenter præsumitur, adesse omnia essentialiter requisita : etenim præsumptio habetur pro veritate, quamdiù ea non eliditur, & demonstratur hic, & nunc fallere, ut habent Doctores in cap. *Semel malus*, de Regulis juris in sexto. Prudenter autem præsumi de quolibet bono Christiano, qui prævidit periculum instantis mortis, quòd dederit signum Contritionis in ordine ad Confessionem : illud quippè prudenter præsumitur factum, quod plerumque fieri solet, ut habent Doctores in legem *in Obscuris*, tit. de Regulis juris. Imò id videtur etiam præsumendum de eo, qui perditè vixit, si advertit, se esse in mortis discrimine : quia etiam tales homines, ubi vident se in extremæ damnationis periculo, etiam solent ad Deum converti, saltem timore pœnæ.

Fit sextò : etiam esse absolvendum 266.
eum, de quo non constat, an vitæ discrimen prævideri, sivè benè, sivè malè vixerit, & invenitur sensibus destitutus, & morti proximus : quia vita, & fides Christiana, quam professus est, fundamentum præbet, ut judicemus, eum, si vitæ periculum advertit, in tali discrimine velle Absolutio-

solutionem, & Sacramentum, sine quo credidit, vel timet non posse salvari, & ex alia parte nescimus, an id adverterit, vel voluerit, aut aliquibus signis significaverit, quantùm potuerit, neque scimus, an externis sensibus sit destitutus, an etiam internis: sæpè enim hujusmodi homines in eo periculo eas actiones agunt ex fine petendæ Absolutionis, quæ à circumstantibus non advertuntur, aut putantur fieri vi morbi; nec denique constat, an prædicta voluntas sufficienter significetur vitâ anteacta, & fide Christiana. Undè absolvendus est sub conditione, *ut si sis satis dispositus, beneficium Absolutionis consequatur.* Quapropter etsi fortè quis actualiter peccando, subitò destituatur sensibus, regulariter sine Absolutione dimittendus non est: cùm rarissimè contingat, ut morti vicinus non velit suæ saluti consulere, saltem per Attritionem, quâ non constat interne carere, quamvis externè sit sensibus privatus: per conditionem enim evitatur injuria Sacramenti, & ex alia parte consulitur, quantum fieri potest, saluti moribundi, qui per mores Christianos anteactos in tali articulo, & attritus, & satis, supérque Confessionem petere præsumitur. Sic Bonagratia supra citatus. Vide Gobat. tractat. 7. numer. 597. usque ad 625.

SECTIO III.

Solvuntur Opposita.

§. I.

867. OBjicies primò contra primam Conclusionem. In aliis judiciis Absolutio potest absenti conferri: ergo etiam in judicio Sacramentali pœnitentiæ. Confirmatur ex historia, quam Scotus refert de S. Thoma Cantuariensi, dicens, eum petiisse à Pontifice Romano absente Absolutionem. Sic Cyprianus epist. 13. aliàs lib. 1. epist. 17. significat, se recepisse Confessiones aliquorum absentium per Scripturam, & in eum modum aliqui interpretantur historiam, quæ est apud Eusebium. lib. 6. cap. 34. aliàs 36. de Serapione ægrotante, qui misit ad Presbyterum etiam ægrotantem, ut eum absolveret, & per aliquem Ministrum Eucharistiam mitteret: Eusebius autem refert misisse Eucharistiam, adeóque videtur supponere, datam fuisse in absentia Absolutionem. Præterea historia de Concilio Basilienſi adducta à Sancto Antonino citato num. 234. ostendit illos Patres fuisse in illa sententia: ergo &c.

Respon. concedo Antecedens, & nego Consequentiam; quia sicut alia judicia habent peculiares conditiones, & requisita, ut sint valida, juxta voluntatem Principum potentium hæc, vel alia apponere requisita; ita Absolutio in hoc Sacramentali judicio pœnitentiæ habet requisita, apposita à Christo, qui potuit, & voluit ea apponere: unum autem ex requisitis, ut sit valida, est, quòd præsenti conferatur, ut constat à num. 245. quamvis non sit requisitum pro aliis judiciis à suis Principibus appositum: unde in hac parte nulla est paritas ex illis ad istud judicium. Si esset ineptissima ista argumentatio: in aliis judiciis Absolutio non remittit peccata contrà Deum: ergo neque in isto. Ad Confirmationem, nego conseq. quia Historia de S. Thoma Cantuar. neque apparet, undè accepta sit, neque id Scotus refert. Quinimò per Absolutionem ibi optimè intelligimus indulgentiam aliquam plenariam, & Pontificiam benedictionem, pro qua fortasse S. Thomas Romam misit, vel fortè etiam pro Absolutione à quacumque censura, quæ ad cautelam sæpè peti, & dari solet, etiamsi non agnoscatur.

Rursùs locus Cypriani posset potiùs in contrarium induci; nam receptis libellis confessionem eorum, qui absentes erant, non dicit, se absolvisse illos, sed commisisse, ut aliquis Presbyter ex iis, qui præsentes aderant, pacem eis daret, ubi omninò videtur requirere præsentiam. Attamen dum negotium illud commisit Diacono, dicens ut si Presbyter non adesset, Diaconus id faceret, argumentum est, non loqui de Absolutione Sacramentali, sed de aliqua reconciliatione ad publicam pœnitentiam pertinente. Ex quo à fortiori potest induci argumentum: si illam reconciliationem commisit Ministro præsenti, quantò magis Sacramentalem: & ferè idem responderi potest ad factum Serapionis apud Eusebium. nam ille etiam erat velut in statu pœnitentium, quoniam propter metum coram tyranno fidem non negâ-

gaverat. Et hoc modo intelligitur Canon *Qualis* 30. quæſt. 5. ubi dicitur, Confeſſionem quandam ſuscipiendam eſſe per ſcriptum, ubi ſermo non eſt de Abſolutione Sacramentali, ſed de alia judiciali, quo in ſenſu intelligendi ſunt PP. illi Concilii Baſilienſis: quamvis nihil obſtaret contrà noſtram Concluſionem, quòd aliqui, ut Auctores privati, contrarium ſenſerint; quandoquidem jam noſtra ſententia eſt definita à Clemente VIII. ex numero 232.

270. Objicies ſecundò contrà ſecundam Concluſionem ex Nunno. Concilium Florentinum in tract. *de Confeſſione*, ait, Confeſſionem, quæ eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ fieri ore: ergo in caſu moribundi non potentis loqui, non datur valida Confeſſio, adeóque neque impendi poteſt valida Abſolutio. Ex hoc argumento manifeſtè patet, Adverſarium non vidiſſe Florentinum, ſed ad ſummum vidiſſe citatum in aliquo Auctore: Florentinum enim non habet tract. *de Confeſſione*, ſed in decreto pro inſtructione Armenorum explicat materias, & formas omnium Sacramentorum. Unde ſicut ex eo non poteſt dici, quòd habeat unum tractatum de Baptiſmo, alterum de Confeſſione, &c. ita neque dici poteſt, habere tractatum de Confeſſione. Hoc prænotato. Reſpondeo: diſt. Antecedens, fieri ore, neceſſitate præcepti, Concedo, neceſſitate Sacramenti, N. Antec. & conſeq. ex dictis n. 146. & expreſsè habet Benedictus XI. citat. n. 180.

271. Objicies tertiò: materia, & forma Sacramentorum debent eſſe indiſtantes, ſic non poſſum hodiè abluere puerum, ut eum baptizem, & intra aliquas horas proferre formulam: ergo neque poteſt infirmus modò petere Confeſſionem, & intra aliquas horas, quando advenit Sacerdos, accipere Abſolutionem. Reſpondeo: diſt. Antecedens, debent eſſe indiſtantes phyſicè, nego, moraliter, concedo Antecedens, & nego conſeq. Ablutio enim, quæ tangit puerum, & verba quæ proferuntur à Miniſtro, non ſunt phyſicè indiſtantes, ſed ſolùm moraliter: indiſtantia autem moralis debet eſſe talis, qualis requiritur, ut forma verè cadat ſupra materiam: cùm autem in Baptiſmo (idem de aliis ſimilibus Sacramentis) non poſſet cadere forma ſupra materiam, ſi quando profertur forma, non apponeretur materia: forma enim dicit: *ego te baptizo*, ſivè *te abluo*; quod verum non eſſet, ſi tunc non abluеret: ea de cauſa non poteſt modò ablui, & intra aliquas horas proferri forma: tanta enim diſtantia non eſt ſufficiens, ut in judicio prudentum eſſet verum dicere, quòd Miniſter proferens verba, tunc abluеret.

In Sacramento verò Pœnitentiæ contrà 272
contingit; nam materia non apponitur à Miniſtro, ſed à pœnitente, adeóque poteſt cadere forma ſupra materiam, quin tunc à Miniſtro apponatur, dummodò apposita fuerit à pœnitente, & perſeveret moraliter, quod adeò notum eſt ex univerſa praxi Eccleſiæ, ut non poſſim non mirari validè Auctorem ſic arguentem. Quis enim dubitat ſæpè ſæpiùs in Eccleſia Dei pœnitentes, qui de tota vita conficiunt Confeſſiones generales, quandóque impendere unum, vel plures dies, & rectiſſimè cadere Abſolutionem ſupra omnia illa peccata confeſſa, cùm Confeſſio tunc virtualiter perſeveret, ſitque verus verborum ſenſus, quando tunc Miniſter dicit: *Ego te abſolvo.* Quænam ergo in hac re eſt paritas ex Baptiſmo ad pœnitentiam? Vide num. 66. de Sacramentis.

Objicies quartò ex Nunno, & Alvarez: 273
Confeſſio ſumpta pro expoſitione Sacramentali peccatorum, eſt actus perſonalis æquè, ac Abſolutio: ergo non poteſt per alium obiri, ſed tantum à præſente præſenti fieri. Reſpondeo, concedo Antecedens, & nego conſequentiam. Ratio eſt, quia ſicut Abſolutio non poteſt dari ab alio, niſi à Sacerdote, ita Confeſſio pœnitentis non poteſt fieri ab alio, niſi à pœnitente: ſed quid indè? Quod modo quærimus valdè diverſum eſt: quærimus enim, utrum illa Confeſſio facta à pœnitente, vel per litteras, vel per nutus, vel per ſigna poſſit per teſtes manifeſtari Sacerdoti? quod certum eſſe dicimus ex praxi Eccleſiæ, ex definitionibus Conciliorũ, & Pontificum. Nec video cohærentiam doctrinæ in Adverſariis, quandoquidem ipſi docent id, quod dicimus: docent enim prædicti Auctores ſufficere expreſſionẽ doloris concepti de peccatis, & voluntatis ea confitendi, quæ eſt virtualis eorundem expoſitio, ſi in præſentia ægroti fiat Sacerdoti ab iis, qui adfuerunt, cùm æger voluntatem ſuam aperuit. Quis, quæſo, tam ineptus erit, ut non videat, verba prolata à teſtibus non eſſe actionẽ perſonalem

lem infirmi, sivè ea verba proferantur in absentia, sive in præsentia infirmi ? Undè difficultas desumpta ab actione personali, si non fallor, voces continet, præterea nihil.

274. Objicies quintò ex Nunno, & Alvarez. Ex perpetuo usu Ecclesię confessio est secreta, sitque soli Sacerdoti : sed si fieret per litteras, internuncium, aut testes, neque esset secreta, neque fieret soli Sacerdori : ergo, &c. Confirmatur à Nunno : quia Rex Castellæ Ildefonsus, cognomento sapiens, vetuit, Confessionem per litteras, aut internuncium fieri: ergo non satis est ad Absolutionem. Respondeo : dist. Maj. soli Sacerdoti, ideſt ut absolvat solus Sacerdos, concedo, ideſt, ut sit invalida, si in alterius notitiam veniat, nego Ma: & dist. eodem modo Mi: nego Conseq. Aliter si quando Adversarii confitebantur Sacerdoti sua peccata, alter audiret, Confessio eo ipso esset nulla, quod est ridiculum. Quinimò nemo posset confiteri per interpretem, quamvis aliter se non posset explicare, quod inauditum est in Ecclesia Dei. Ad Confirmationem nego Conseq. quia Rex Castellæ Ildefonsus solùm prohibuit, ne ministraretur integrum Sacramentum pœnitentiæ absenti, præcipiens, quod docebat Ecclesia. Cæterùm in quem finem adducit Regem, si contrarium dixisset ; An ne Rex Castellæ in mente adversarii erat Summus Ecclesiæ Pontifex ;

275. Objicies sextò ex Coquetio, Goneto, & recentioribus Thomistis : ista propositio : *Licet per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Absolutionem obtinere,* condemnata est ad minus ut falsa, temeraria, & scandalosa à Clemente VIII. ex n. 232. ergo condemnata sunt utráque membra propositionis: quorum unum est, posse confessionem absenti fieri. Confirmatur primò ab Alvarez : Particula *est* in rigore sermonis sumitur complexivè, nisi ponatur ex parte subjecti, eique correspondeat verbum pluralis numeri : nam tunc sumitur divisivè, ut in ista: *tria, & quatuor sunt septem:* atqui in propositione damnata particula & non ita ponitur : ergo sumitur complexivè, & non divisivè, adeóque utráque propositionis pars manet damnata. Confirmatur secundò : si non maneret damnata utráque pars illius propositionis, nulla maneret damnata, cùm non sit potior ratio de una, quàm de alia : adeóque esset derisoria prohibitio Pontificia ; ergo, &c.

Respondeo : concedo Antecedens, & nego Conseq. quia ibi solùm condemnata fuit propositio contrà Auctores intendentes, posse integrum Sacramentum pœnitentiæ, confici inter absentes : non autem comprehensus fuit casus, de quo agebat S. Leo Concilium Arausicanum, Rituale Pauli V. ex num. 250. Quod manifestè patet ex ipso Clemente VIII. id attestante, ut constat ex testibus omni exceptione majoribus, nimirùm Cardinali Bellarmino, & Archiepiscopo Armacano citatis num. 255. ex quo manifestè patet, eam propositionem in sensu à nobis exposito condemnatam fuisse, non quidem complexivè, sed divisivè ratione secundi membri cùm Absolutio absenti collata invalida sit : Imò nequit esse valida, quin validum foret Sacramentum : Si enim pœnitens validè esset absolutus : pœnitentiæ Sacramentum esset validè confectum : cùm autem per eam prohibitonem hoc condemnetur, plane sit condemnatam esse ratione secundi membri. Vide num. 279.

Ad primam Confirmationem, nego Ma: nam illa doctrina Adversarij non solùm est contrà bonos Summulistas, verùm etiam contrà S. Scripturam, ut constat ex illo Marci 10. *Quicúmque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium commisit super eam,* ubi ly & non ponitur ex parte subjecti, aliter quàm in propositione damnata in decreto Clementis : nec ei conjunctioni à Marco adhibitæ correspondet verbū pluralis numeri, & tamen, & sumitur complexivè, non divisivè. Certum quidem est, non esse adulterūillum qui præcisè dimisit uxorem suam, nisi insuper aliam ducat, quà committat adulterium, Undè evidens est, discursum Alvaris manifestè dissolvi ex scriptura.

Idem constat in hac propositione damnabili : *licet dare mutuum infideli, & aliquod ab eo ultra sortem accipere,* ubi conjunctio & sumitur complexivè, ita ut secunda tantùm pars propositionis, si divisim sumatur, damnari debeat, & tamen conjunctioni & non correspondet verbum pluralis numeri, nec ponitur ex parte subjecti, sed nectit utrámque enunciationem partialem

tialem reſpectu totalis copulatæ ex duabus integræ. Idem omninò eſt in decreto Clementis.

279. Ad ſecundam Confirmationem, nego Antecedens: nam pro damnatione ſecundæ partis habemus graviſſima fundamenta adducta à num. 245. Quinimò cùm damnatum ſit, quòd integrum pœnitentiæ Sacramentum confici poſſit inter abſentes manifeſtè deducitur, condemnatum eſſe, Abſolutionem abſenti datam eſſe validam, cùm non poſſit eſſe valida, cùm Sacramentum invalidum ſit. Quæ ratio nequaquam militat in Confeſſione: quando enim pœnitens rectè ſua peccata confitetur, Confeſſio illa valida eſt ante Abſolutionem, & tamen ante Abſolutionem non eſt validum Sacramentum. Quomodò ergo Adverſarii ex uno ad alterum damnatæ propoſitionis membrum, vel minimam invenire poſſunt umbram paritatis?

280. Objicies ſeptimò ex iisdem. Doctrina Eximii Doctoris explicantis damnationem à Clemente factam intelligendam eſſe complexivè, & non diviſivè, prohibita fuit ſub Paulo V. ex num. 242. ergo certum eſt, eam propoſitionem prohibitam eſſe, non complexivè, ſed diviſivè, hoc eſt quoad utrúmque illius membrum. Reſpondeo: diſt. Antecedens: prohibita fuit, ſecundùm ſubſtantiam doctrinæ, ut à nobis expoſitæ, nego: ut conjunctæ cum periculo illius temporis, concedo Antecedens, & nego conſeq. quia ut conſtat ex num. 240. eo tempore periculum erat, ut per Confeſſionem integrum acciperetur pœnitentiæ Sacramentum, quod periculum intendebat removere Paulus V. At illo periculo ceſſante, nulla in primo propoſitionis membro permanſit prohibitio ut conſtat ex ipſo Paulo V. qui poſteà in ſuo Rituali eam primam partem propoſitionis toti Eccleſiæ propoſuit, ex num. 256. tùm ex Cardinali Bellarmino, atque Armacano, qui teſtes ſunt omni exceptione majores.

Objicies octavò ex Nunno: Clemens VIII. vivæ vocis Oraculo teſtatus eſt, *ut ſcit univerſalis Eccleſia*, declarationem peccatorum per litteras, aut internuncium referentem pœnitentis voluntatem, non eſſe ſufficientem, ut Sacerdos adveniens conferat in præſentia Abſolutionem: ergo &c. Reſpondeo, nego Antecedens: nam univerſalis Eccleſia oppoſitum ſcit, ut conſtat ex Rituali Pauli V. ſucceſſoris Clementis, & ex ipſo Clemente ſuam mentem declarante teſtibus num. ſuperiori citatis. 281.

Undè niſi nomine totius Eccleſiæ venia ſolus unus, exprimendo figuratè totum pro parte, non apparet, qua veriſimilitudine Auctor iſte verba ea typis dederit Scio non eſſe ſingulare, in his materiis, ut ab iis, quorum intereſt, multa referantur prodita vivæ vocis Oraculo à Pontificibus, de quibus ipſi ne cogitaverunt quidem. Exempla quamplura ſignant P. Annatus in quæſtione hiſtorica de auxiliis ſubjecta operi de Scientia media, & P. Joannes Martinez de Ripalda tom. 2. de Ente ſupernaturali, diſput. 113. ſect. 8. 11. & 13. 282.

DISPUTATIO VI.

AN DARI POSSIT SACRAMENTUM POENITENTIÆ VALIDUM, ET INFORME?

283. PLura quæſtionem hanc concernentia didimus à num. 463. de Virtute, ex quibus facilè in præſenti controverſiam iſtam decidemus. Pro majori autem claritate, ſcire oportet, Sacramentum validum, & informe tale dici, non quidem, quia careat forma intrinſecè ejus conſtitutivâ (ſic enim non eſſet validum); ſed quia cùm ſit conſtitutum adæquatè in ſua eſſentia, cum omnibus ſuis partibus eſſentialibus; illud tamen defectu diſpoſitionis in ſubjecto, aut ratione obicis, non cauſat gratiam, quæ eſt effectus, & fructus Sacramenti, & forma Animam ſanctificans. Sic poteſt quis ſuscipere cum actuali peccato Baptiſmum, Confirmationem, Ordinem, & tamen exiſtet tota eſſentia Sacramenti, ex dictis num. 24. de Baptiſmo: quærimus ergo in præſenti, an etiam Pœnitentiæ Sacramentum poſſit conſtare omni-

omnibus suis partibus essentialibus à Christo institutis, quin gratiam conferat, adeóque si maneat informe.

SECTIO I.

Resolvitur Controversia.

§. I.

284. Asfero cum pluribus nostris. Nullum est Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe. Ita Adrianus, Medina, Gabriel, quos citat, & sequitur Vazquez disputat. 92. de pœnitentia artic. 2. Tum etiam Coninck, Fagundez, plurésque alii, quos citat, & sequitur Arriaga disputat. 13. de Sacramentis in genere sect. 2. num. 9. Probatur primò. Si posset dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, vel tale esset ex aliquo defectu se habente ex parte Ministri, vel ex parte pœnitentis: sed ex neutro capite id contingere potest: ergo &c. Probatur Min. Ex parte Ministri habentis facultatem absolvendi solùm requiritur, quòd proferat formam cum intentione saltem faciendi, quod facit Ecclesia, ita ut si hoc modo se gerat, apponat, quidquid necessarium est ad valorem, & fructum ex parte sui; Si autem deficiat, vel in ea intentione, vel in prolatione formæ, Sacramentum erit invalidum. Ex parte autem pœnitentis solùm requiritur Confessio eorum quæ memoriæ occurrunt inculpatè facta, & Contritio, prout præscindens à perfecta, addendo dolorem de veniali, si hoc solùm apponatur pro materia necessaria, juxta dicta à num. 486. de Virtute. Si enim aliquis accederet omisso culpabiliter examine, aut omissa Contritione, Sacramentum esset nullum: Si autem nulla sit culpa, neque ex parte Confessionis, neque ex parte Contritionis, apponitur ex parte pœnitentis quidquid requiritur non solùm ad valorem, sed etiam ad fructum: ergo &c.

285. Respondebis primò, cùm aliquibus Doctoribus. Ex parte Ministri, posse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, casu, quo Confessarius pœnitentem ex parte sui rectè dispositum vellet absolvere tantùm de uno peccato, & non de alio: Tunc enim in pœnitente daretur dolor de omnibus commissis, & eorum Confessio; insuper daretur vera Absolutio: nam Confessarius proferret verba Absolutionis, cùm intentione absolvendi ab uno mortali, adeóque darentur omnes partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ. Ex alia parte Sacramentum illud esset informe, cùm non causaret gratiam: etenim cùm Sacerdos nollet absolvere ab aliis peccatis, & gratia non conferatur, quin omnia remittantur, tunc non conferretur gratia. Contra tamen; quia vel ille Sacerdos haberet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia prævalentem suæ particulari intentioni, vel non haberet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, nisi casu, quo ipse posset unum peccatum absque alio remittere? Si primum: Sacramentum esset validum, & fructuosum, ut constat in Hæretico baptizante, & non credente Trinitatem, ex numero 130. de Sacramentis. Si secundum: Sacramentum esset invalidum: ergo ex parte Ministri Sacramentum nunquam potest esse validum, quin gratia conferatur.

Respondebis secundò ex Lugo, posse ex parte pœnitentis dari Sacramentum validum, & informe: nam ad valorem sufficit dolor de peccatis, quæ memoriæ occurrunt, & pœnitens confitetur; ad fructum verò requiritur dolor etiam de peccatis oblitis, & quæ pœnitens non confitetur: exindè potest Sacramentum illud esse validum, & informe. Ratio ejus est, quia dolor, qui est pars Sacramenti pœnitentiæ, est ille, qui est sensibilis per Confessionem, per quam solùm fit sensibilis dolor de peccatis, quæ confitetur: adeóque dolor de oblitis non requiritur ad valorem, sed ad fructum: ad eum modum, quo, si adultus susciperet Baptismum sine dolore sufficiente de mortalibus commissis, & postea in Sacramento pœnitentiæ reciperetur gratia, deberet habere dolorem de illis: dolor autem de peccatis ante Baptismum commissis non est pars Sacramenti Pœnitentiæ; adeóque non requiritur ad valorem, sed solùm ad fructum. Hæc est communis Doctorum solutio, in qua plura invenio non modò falsa, verùm etiam minùs rectè examinata. Quapropter.

Contra primò. Dolor, qui est pars Sacramenti pœnitentiæ, non debet heri sensibilis per Confessionem nudè sumptam, sed ut ordinatam ad reconciliationem cum Deo;

Deo: sed Confessio quæcúmque valida ordinata ad reconciliationem cum Deo significat dolorem necessarium ad remittenda omnia mortalia: ergo &c. Min. & conseq. tenent, & Maj. est evidens: etenim ille, qui nullum in particulari peccatum confitetur, ob instantem mortem; vel per sola signa petit Absolutionem, certum est, manifestare satis suum dolorem: atqui non manifestat illum per ullum particulare peccatum, sed per eam Confessionem ordinatam ad reconciliationem cum Deo: ergo &c. Contra secundò: dolor necessarius ad reconciliationem cum Deo se debet extendere ad omnia commissa, non iterum committenda, qui quidem continetur in proposito non peccandi de cætero, dolorosè procedente, ex dictis num. 463. de Virtute, sine quo proposito Sacramentum est invalidum; adeóque est formalis dolor de illis, quæ memoriæ occurrunt, & virtualis de illis, quæ non occurrunt, quantumvis sint ante Baptismum commissa, cùm dolorosè proponat ea iterum non committere: ergo quæcúmque Confessio valida significans dolorem sufficientem ad valorem, significat etiam dolorem sufficientem ad fructũ Sacramenti: cum hoc tamen discrimine, quod si notâssent, deposuissent æquivocationẽ, quâ laborant Adversarii; nimirùm, quòd ad peccata ante Baptismum commissa se extendit ille dolor, quamvis pœnitens nolit illa examinare, cùm non sint materia Confessionis, adeóque non adsit præceptum ea examinandi. Ad peccata verò post Baptismum commissa se extendit, tanquam ad materiam liberam, si aliàs sint jam ritè confessa, vel tanquam ad materiam necessariam, quam ex præcepto tenetur pœnitens examinare, & declarare Sacerdoti, si nondum sint ritè confessa.

288. Probatur secundò Conclusio. Idem dolor, qui requiritur ad valorem Sacramenti, satis est ad illius fructum, idémque esto de Confessione, & Satisfactione, ut habet Tridentinum sess. 14. cap. 3. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempè Contritio, Confessio, & Satisfactio, qui quatenùs in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur*: sed implicat, quòd dolor, & reliqui actus pœnitentis, qui requiruntur ad Sacramenti valorem, sufficientes sint ad fructum ipsius Sacramenti, & quòd simul ex parte Pœnitentis possit Sacramentum istud esse validum, & informe: ergo &c. Reliqua, quæ ad hanc rationem roborandam adduci possent, latè dedimus à n. 464. de Virtute.

289. Probatur tertiò. Forma Absolutionis *absolvo te à peccatis* non potest esse valida, nisi gratiam conferat: ergo Sacramentum Pœnitentiæ nunquam potest esse validum, & informe. Probatur Antecedens: Non potest esse valida forma Absolutionis, nisi Christi institutio cadat supra illam: sed institutio Christi non cadit supra illam, si gratiam non conferat: ergo &c. Probatur Mi. Institutio Christi non cadit supra verba, nisi ipsa habeant significationem impositam ab hominibus: atqui ea verba formæ non haberent significationem impositam ab hominibus, nisi gratiam conferrent: ergo &c. Consequentia tenet: Maj. autem est certa, & constat, ex dictis à num. 201. Min. verò patet, quia hæc verba: *absolvo te à peccatis* secundùm significationem, quam habent ab hominibus, significant Ministrum remittentem peccata: atqui Minister, si gratiam non conferat, peccata non remittit: ergo &c.

290. Respondebis primò: Rationem istam non tenere, quia in Sacramento Ordinis dicitur: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* & tamen etiamsi quis in peccato accedat, & consequenter non accipiat Spiritum Sanctum, verba sunt vera, & validè confertur Sacramentum Ordinis. Quapropter poterit eodem modo absolutio esse vera, & valida in casu præsenti, licèt actu non remittatur peccatum.

291. Contra tamen primò. Si in Sacramento Ordinis per ea verba non conferretur Spiritus Sanctus, Sacramentum non esset validum, eo præcisè, quòd ea verba non haberent significationem impositam ab hominibus: ergo responsio Adversariorum pugnat contra ipsos. Probatur Antecedens: Duobus modis Spiritus Sanctus potest conferri: primùm quoad inhabitationem ipsius per gratiam in Anima: Secundò, quoad effectum recipiendi Corpus Christi, & remittendi peccata, quæ potestas specialiter Spiritui Sancto tribuitur: Sicut enim ea, quæ pertinent ad Omni-

potentiam tribuunturPatri, quæ ad Sapientiam Filio, quæ ad gratiam pertinent cuicùmque conferendam, tribuuntur Spiritui Sancto: atqui, si Spiritus Sancti non conferretur in Sacramento Ordinis, neque quoad inhabitationem per gratiam in anima, neque quoad effectum recipiendi eas potestates, Sacramentum Ordinis esset invalidum: ergo &c.

892. Contra secundò: ReceptioSpiritûsSancti, quæ significatur per ea verba, est quoad potestatem remittendi peccata: dicitur enim: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Sed si Spiritus Sanctus ita significatus non reciperetur, Sacramentum Ordinis esset invalidum: ergo si remissio peccatorum significata per ista verba: *Ego te absolvo* non conferretur à Sacerdote, Sacramentum Pœnitentiæ esset invalidum: adeóque nunquam potest esse validum, informe. Quomodò autem hæc verba intelligantur, quando peccata, quæ quis confitetur, sunt jampridem remissa, constat ex dictis à num. 210.

893. Respondebis secundò. Verba Baptismi significare primariò, & per se interiorem Ablutionem per gratiam à peccato: Non enim credendum est, Christum Dominum solùm voluisse directè significare Ablutionem physicam: id enim esset quasi ridiculum, & identicum. Quid enim esset necessarium dicere, *ego te lavo exteriùs*, cùm id ipsum clariùs ostendatur per ipsam Ablutionem. Undè sensus solùm verborum: *Ego te baptizo &c.* est iste: *Ego te abluo à macula Originalis peccati, & aliorum, quæ contraxisti:* id autem non est verùm, quandò Baptismus suscipitur in peccato, & tamen tunc Sacramentum est validum. Idem ergo dicendum est de illis verbis: *Ego te absolvo &c.* Ne autem ea verba maneant sine sensu proprio vero, explicari possunt: *Ego te absolvo, quantum est ex parte mea à peccatis tuis, & ego te abluo quantum est ex parte mea ab Originali &c.*

894. Contra tamen primò. Licèt illa verba: *Ego te baptizo*, ex significatione à Christo imposita significent Ablutionem internam; ex significatione tamen imposita ab hominibus significant externam, quâ significatione non posita, non cadit super ea verba significatio imposita à Christo: Si enim Minister diceret: *Ego te abluo*, & non ablueret, reverâ non baptizaret: atqui ista verba: *Ego te absolvo à peccatis*, significant remissionem peccatorum: ergo si Minister peccata non remittat, significatio Christi non cadet super ea verba; adeóque si gratiam non conferat, Sacramentum erit invalidum: undè nunquam poterit esse validum, & informe. Contra secundò. Verba Absolutionis absoluta sunt, & non limitata ea limitatione *quantum est ex me*: hoc enim verba non dicunt, sed absolutè ait, *ego te absolvo à peccatis*: ergo si absolutè non absolvat, non conficiet validum Sacramentum. Contra tertiò. Licet Minister Baptismi diceret: *Quantum est ex me te abluo*, si reverâ non ablueret, non daretur validum Sacramentum Baptimi: ergo si Minister Pœnitentiæ dicat, *quantum est ex me te absolvo*, si reverâ non absolveret, non daretur verum Sacramentum Pœnitentiæ. Undè instantia de Baptismo clarè pugnat contrà Adversarios.

Quapropter paritas de Baptismo nulla est: nam licèt intentum Christi fuerit hominem purgare à peccato, & abluere per Baptismum, sicut & in aliis Sacramentis conferre gratiam; id tamen verba formæ, prout est pars Sacramenti, non exprimunt: ergo absolutè dicunt: *Ego te Baptizo in nomine Patris &c.* ideóque solùm immediatè significant, Ablutionem illam fieri à Ministro in nomine Patris &c. quod Ablutio ipsa per se non significat. Rursùs, si ea verba significarent immediatè, & directè eam interiorem Ablutionem per gratiam, posset validè ita conferri Baptismus (quod nemo concedet): *Ego te abluo interiùs per gratiam à peccato Originali, & aliis peccatis, quæ commisisti*, quia verba immutata, dùm substantialem sensum non immutent, non invalidant Sacramentum, ex dictis num. 68. de Sacramentis.

Præterea. aliud est abluere, & aliud est mundari: potest enim Æthiops ablui, & non mundari, & vestis ablui, & non mundari: potuit ergo anima ablui verè, & in re, & non mundari ab Originali: ergo in fictè baptizato poterit esse verum, quod abluitur, & verè ablui, ex qua Ablutione remanet impressus character, & non mundari: atque adeò verba illa *ego te baptizo*, potuerunt esse vera, & quod vera dicitur Ab-

luit;

lutio externa, & interna, quin tamen suscipiatur gratia; at verò verba Absolutionis immediatè, & directè significant remissionem peccati: undè & posset validè conferri his verbis (etsi non licitè) *Remitto tibi peccata*, quæ non possunt remitti, nisi per infusionem gratiæ expellentem peccata: ergo verba non possunt esse vera, nisi infundatur gratia, & consequenter sine ejus infusione Sacramentum non est validum. Ex dictis

§. II.

297. Fit primò contrà Bernardum de Gammaco, Canum, & alios, non posse dari Sacramentum validum, & informe sine ullo, vel sine debito dolore, aut proposito, licèt defectus doloris inculpabiliter ignoretur, quia pœnitens existimat, se jam habere dolorem, quandò re ipsa non habet, neque satis est, ut intendebat Riccardus, quando talis defectus, & ignorantia est mortaliter culpabilis, quamvis in eadem Confessione se accuset de tali defectu. Ratio est: quia tunc non datur dolor, qui est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ à Christo instituta, videlicèt dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: atqui deficiente parte essentiali à Christo instituta, non datur Sacramentum Pœnitentiæ validum: ergo, &c.

298. Fit secundò contrà Navarrum, Henriquez, Ledesma, & alios: non posse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, ob defectum intensivum doloris, sivè defectum intensionis. Ratio est, quia non est à Christo institutus dolor remissus pro valore, & intensus pro fructu: hoc enim gratis excogitatum est ab Adversariis, & contra definitiones Florentini, & Tridentini, ex quibus constat, sufficere, & ad valorem, & ad fructum ex parte doloris, actum, qui sit Contritio à perfecta, & imperfecta præscindens, quin distinguat inter intensionem, & remissionem: ergo &c.

299. Fit tertiò contrà Dianam, & alios: non posse esse informe Sacramentum Pœnitentiæ, eo quòd aliquis obliviscatur in Confessione alicujus mortalis ob insufficiens examen, etiam mortaliter culpabile. Ratio est, quia pœnitens accedendo ad Absolutionem cum negligentia, vel oblivione mortaliter culpabili, mortaliter peccat in ipsa Confessione, omittendo peccatum ex culpa sua; ideóque non habet dolorem efficacem de omnibus suis peccatis, sivè excludentem omnem voluntatem peccandi, qui requiritur à Tridentino ad valorem Sacramenti, & qualis non est ille, qui componitur cum actuali peccato mortali illius negligentiæ; tum quia pœnitens, vel advertit malitiam illius ignorantiæ, aut oblivionis, vel non advertit? Si non advertit, saltem dubitando, vel formidando malitiam ejus ignorantiæ, non peccat mortaliter, & sic non est iste casus, de quo loquimur: adeóque potest fieri Sacramentum formatum, vel nullum, juxta modum pœnitentis. Si autem advertit, & confitetur, ea non est Confessio, sed jactantia: quia confitetur peccatum absque ejus dolore, & retractatione, imò cum voluntate efficaci illius: si non confitetur, deficit formalis integritas Confessionis; tacet enim peccatum, quòd advertit: ergo &c.

300. Fit quartò contrà Gasparem Hurtado: non posse dari Sacramentum validum, & informe ex defectu fidei, & spei, quando aliundè datur vera Confessio, & Contritio præscindens à perfecta, & imperfecta. Ratio est, quia sine prælucentia fidei, ex parte intellectûs, non prorumpit voluntas in detestationem supernaturalem peccatorum, neque unquam quis accedet ad Confessionem, ut reconcilietur cum Deo, nisi cum spe veniæ. Quinimò, ut constat ex Tridentino, & latè diximus à num. 303. de virtute, attritio non est à Christo instituta pro constitutivo Sacramenti Pœnitentiæ, nisi quandò datur actus spei, sivè spes veniæ, ad quam spem eliciendam prælucet fides: atqui absque attritione à Christo instituta non datur validum Sacramentum: ergo in casu Adversarii nunquam potest esse Sacramentum Pœnitentiæ validum.

301. Fit quintò contrà Lugum, Dicastillo, Gobat, & alios: non posse esse Pœnitentiæ Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris non se extendentis ad peccata invincibiliter oblita. Ratio est, quia dolor Contritionis constitutivæ Sacramenti, non solùm est formalis de illis peccatis, quæ memoriæ occurrunt, sed etiam virtualis de oblitis, quatenùs est propositum dolorosè

lorosè procedens ex num. 467. de Virtute: ergo, vel dolor pœnitentis non est sufficiens ad valorem Sacramenti, vel si sufficiens sit ad valorem, sufficiet quoque ad
302. fructum Sacramenti suscipiendum.

Fit sextò contrà Joannem à S. Thoma: non posse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, ex defectu integritatis, ex ignorantia invincibili v. g. casu, quo quis in examine se negligenter gerat, putans invincibiliter, se satisfeciſſe examini, & posteà confiteatur peccata, quæ meminit cum dolore universali, & proposito non peccandi de cætero. Ratio est: quia diligens examen necessarium non est necessitate medii ad justificationem, sed solùm necessitate præcepti ad Confessionem, integrè faciendam: ergo ex quocumque capite excusetur quis à culpa in defectu examinis, defectus iste non impediet gratiam, & remissionem peccati, si cætera necessaria ad valorem Sacramenti existant. Consequentia tenet, & Antecedens patet in moribundo non potente examinare conscientiam, & tamen apponente omnia necessaria necessitate Sacramenti. Quo in casu datur examen in voto, & Confessio formaliter integra, quamvis non materialiter, in qua omnia peccata includuntur ex dictis num. 466. de Virtute.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

§. I.

303. OBjicies primò: qui commisit duo peccata, & invincibiliter oblitus unius, fatetur alterum, cùm dolore particulari ipsius, apponit quidquid requiritur ad valorem Sacramenti: sed non apponit quidquid requiritur ad fructum, cùm non remittatur sine retractatione peccati obliti: ergo in illo casu Sacramentum poterit esse validum, & informe. Confirmatur: Baptismus potest esse validus, & informis ex defectu doloris, & similiter alia Sacramenta cum obice ad gratiam: ergo similiter alia Sacramenta cum obice ad gratiam: ergo similiter Sacramentum Pœnitentiæ. Respondeo: dist. Maj. si non habeat cum illo dolore propositum non peccandi de cætero, nego; si habeat, concedo Maj. & dist. Min. non apponit, si non adsit illud propositum, cone. Min. si adsit, nego Maj. & conseq. Ratio est, quia ut constat ex n. 467. de Virtute propositum illud, ut positè dolorosè procedens, est dolor virtualis: Undè non solùm satis est ad valorem, sed etiam ad fructum.

Si autem propositum illud deficiat, deficit pars essentialis Sacramenti, cùm Contritio ad Sacramentum requisita includat tale propositum, ut constat ex Trid. sess. 14. cap. 4. adeóque Sacramentum erit invalidum. Undè nunquam erit validum, & informe. Ad Confirmationem: concedo Antecedens, & nego conseq. Ratio est, quia dolor in aliis Sacramentis non est pars constitutiva Sacramenti, sed solùm dispositio ad gratiam: adeóque sine illo potest esse tota essentia Sacramenti. In Sacramento verò Pœnitentiæ dolor est pars constitutiva Sacramenti, adeóque nulla est paritas.

Objicies secundò: Si non posset dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe; maximè quia idem dolor requisitus ad fructum Sacramenti, requireretur etiam ad valorem: sed hoc est falsum; ergo &c. Probatur Min. Qui ex justa causa tacet aliquod peccatum v. g. Homicidium, & confitetur alia, dolens de singulis propter speciales turpitudines, tunc dolor peccati commissi requiritur ad fructum Sacramenti, sed non ad essentiam ejus: ergo, &c. Probatur Min. quia dolor, qui est materia Sacramenti, & spectat ad ejus essentiam, debet fieri sensibilis dolor peccatorum, quæ quis confitetur, non autem dolor aliorum: ergo dolor aliorum, quæ tacet, non est pars Sacramenti, neque spectat ad ejus essentiam: adeóque etiamsi ille deficeret, maneret tota essentia Sacramenti.

Respon. concedo Maj. & nego Min. Ad prob. nego Min. Ad probat. distin. Maj. debet fieri sensibilis per Confessionem, nudè sumptam, nego, ut est ordinata ad reconciliationem cum Deo, concedo Maj. & distin. Min. nego Conseq. Ratio est, quia Confessio nudè sumpta dolorem non significat: potest enim dari nuda declaratio peccatorum, sine dolore. Confessio autem, ut est ordinata ad reconciliationem cum Deo, significat dolorem requisitum ad essentiam Sacramenti, quem ex parte sua debet apponere peccator, ut eam

eam reconciliationem obtineat: cùm autem ad eam reconciliationem non solùm requirat Christus Dominus dolorem de peccatis, quæ quis confitetur, sed etiam universalem se extendentem ad omnia commissa, etiam oblita invincibiliter, saltem ratione propositi universalis dolorosè procedentis, ut sæpè diximus, ea de causâ per validam Confessionem manet dolor ille significatus: quòd velint, nolint, tenentur dicere Adversarii, & omnes Catholici, ut patet in moribundo, qui nullum peccatum potest declarare, solúmque confitetur per signa: quæ Confessio significat dolorem omnium peccatorum, non ex alio titulo, nisi quia est ordinata ad reconciliationem cum Deo.

§. II.

307. OBjicies tertiò, supponendo casum, quo adultus, postquam suscepit Baptismum validum, & informem, ob defectum inculpabilem doloris peccatorum mortalium, quæ commiserat, ideóque quin ista fuerint ei remissa; posteà verò confiteatur peccata mortalia, vel solùm venialia commissa post Baptismum cum Attritione istorum ob eorum specialem turpitudinem, v. g. in ratione furti non communi peccatis ante Baptismum, vel quia ista sunt commissa ab homine Christiano cum proposito non peccandi, ob idem motivum malitiæ furti, vel reincidentiæ, vel peccati hominis Christiani, & præterea habeat etiam dolorem de commissò ante Baptismum ob suam specialem turpitudinem. Quo posito, sic formatur argumentum. In hoc casu ad effectum remissionis peccati commissi post Baptismum requiritur in Sacramento Pœnitentiæ etiam dolor de commissis ante Baptismum, quia sine tali dolore non delerentur illa, & consequenter nullum: atqui ad valorem, & essentiam Sacramenti Pœnitentiæ non requireretur, nec spectare posset dolor de commissis ante Baptismum: ergo ad remissionem peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ requiritur aliquis dolor, qui non requiritur, tanquam pars, ad essentiam Sacramenti: adeóque sine illo Sacramentum esset validum, & informe, cum solo dolore de commissis post Baptismum, nec virtualiter se extendente ad commissa ante Baptismum. Probatur Minor, quia commissa ante Baptismum non possunt esse materia Sacramenti Pœnitentiæ: ergo neque eorum dolor. Hoc argumentum magni faciunt Adversarii, at si advertissent, invenissent jam solutionem in Tridentino. Quapropter.

Respondeo: admisso casu, conc. Maj. 308.
& nego Min. Ad prob. & conc. Ant. nego Conseq. quia juxta Trident. n. 288. dolor, qui ex institutione Christi requiritur ad fructum hujus Sacramenti, est pars illius: in casu autem proposito dolor de commissis ante Baptismum requiritur ad fructum Sacramenti Pœnitentiæ; adeóque est pars hujus Sacramenti. Item in casu proposito requiritur propositum universale non peccandi de cætero dolorosè procedens, qui est dolor virtualis, non solùm de commissis post Baptismum, sed etiam ante Baptismum, cùm debeat excludere omnem voluntatem conditionatam committendi ea peccata, quamvis homo baptizatus non esset; sine cujus voluntatis conditionatæ exclusione, non excluderet illa Contritio omnem voluntatem peccandi, quam excludere debet, ut definit Tridentinum sess. 14. cap. 4.

Undè dolor ille requisitus ad valorem 309.
Sacramenti est virtualis dolor de omnibus commissis, quæ memoriæ non occurrunt, sivè commissa sint ante, sivè post Baptismum. Quapropter, quandò Adversarii dicunt, sufficere propositum non reincidendi, vel non committendi peccatum, quòd denominet hominem christianum peccantem; simúlque docent dolorem illum non se extendere ad peccata ante Baptismum, vel ante illam Confessionem commissa, manifestam implicantiam in terminis docent. Ratio est: quia illa Contritio excludit omnem affectum peccaminosum ad peccata præterita; aliter non esset incompossibilis cum omni voluntate peccandi: atqui est manifesta in terminis implicantia, dicere, quod excludit omnem affectum ad peccata præterita, & quod non se extendit ad illa: ergo implicatoria manifestè docent.

Undè licèt reincidere, vel committere 310.
peccatum post Baptismum, non sit primò committere peccatum, vel committere tempore infidelitatis; est tamen excludere affectum ad peccatum, quod commisit

tempore infidelitatis, & tempore, quo non erat reincidentia, sed prima peccati commissio: Undè quæcúmque apponatur conditio in motivo doloris, exponenda est, ut intelligatur, an dolor ille sufficiens sit ad valorem Sacramenti. Si enim illa conditio non tollit rationem motivi universalis, adeóque, neque quòd affectus ille excludat omnia peccata, talis dolor erit sufficiens ad valorem, simúlque ad fructum Sacramenti; si verò ea conditio tollat talem rationem motivi universalis, dolor elicitus, neque sufficiens erit ad fructum, neque ad valorem: adeóque ex eo capite omninò repugnat Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe.

311. Ratio autem Theologica pro Adversariis, simúlque pro nobis est, quia actus ille universalis non solùm excludit peccata commissa, quæ fuerunt peccata reincidentiæ, sed ea, quæ fuerunt primæ commissionis, sive quod idem est, non solùm excludit peccata reincidentiæ præsuppositivè, sed quæ essent reincidentiæ constitutivè: cùm autem sub hujusmodi reincidentia, non solùm comprehendantur peccata post Baptismum, sed etiam ante Baptismum commissa, neque solùm ea, in quæ quis relapsus fuit, sed etiam ea, in quæ lapsus fuit; ea de causa ejusmodi affectus universales excludunt omnem voluntatem peccandi, & sunt sufficientes non solùm ad valorem, sed etiam ad fructum Sacramenti. Quòd ulteriùs evidenter demonstratur: nam si aliquis solùm excluderet, & detestaretur sola peccata, in quæ relapsus fuit, non autem ea, quæ solùm semel commisit, talis actus nequaquam excluderet omnem voluntatem peccandi, adeóque neque satis esset, juxta Tridentini doctrinam, ad valorem Sacramenti. Si autem eam voluntatem excludat, sufficiens est, & ad valorem, & ad fructum Sacramenti, sivè ad Sacramentum validum, & formatum. Undè ex nullo titulo reperiri potest unquam Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe.

312. Objicies quartò: Quamvis Tridentinum de dolore dicat, esse partem hujus Sacramenti, quatenùs ex institutione divina ad integritatem Sacramenti, & peccatorum remissionem requiritur, adhuc tamen est dubium, an loquatur de parte essentiali, an de integrali: etenim de satisfactione Sacramentali idem dicit, & tamen non est pars essentialis, sed integralis, sine qua potest esse Sacramentum in tota sua essentia & valore: ergo manebit etiam locus in Trid. ut dicamus, dolorem de oblitis, aut de iis, de quibus est justa causa tacendi, scilicèt de commissis ante Baptismum, esse quidem hujus Sacramenti, quatenùs ad remissionem culparum gravium requiritur; non tamen esse partem essentialem, sed integralem, sine qua potest esse tota essentia, & valor Sacramenti.

Respondeo: nego Antecedens, nimirùm posse esse tale dubium: nam si semel admittatur, dolorem esse partem necessariam ad remissionem, necessario debet concedi, esse partem essentialem Sacramenti, sine qua Sacramentum non possit esse validum. Ratio est: quia pars essentialiter requisita ad veritatem Absolutionis est essentialiter requisita ad veritatem, sivè ad valorem Sacramenti: cùm autem ea, quæ essentialiter requiritur ad remissionem, essentialiter requiratur ad veritatem Absolutionis, requiritur etiam essentialiter ad valorem Sacramenti. Nulla autem est paritas de Satisfactione: hæc enim ita est pars Sacramenti, ut nequaquam requiratur essentialiter ad remissionem, ut constat à num. 75. adeóque non est pars essentialis, sed integralis Sacramenti. Cæterùm, ut hæc clariùs appareant, facilè potest ostendi, quàm debile sit argumentum, & quantò magis pugnaret contrà Adversarios, quàm contra nos: nam si liceret arguere ex cerebro nostro, non attendendo ad Tridentini doctrinam, & praxim Ecclesiæ, facilè possemus contrà ipsos ita argumentum retorquere, nimirùm: cur non erit locus in Tridentino, ut dicamus, dolorem de peccatis, quæ quis confitetur, esse quidem partem, quatenùs ad eorum remissionem requiritur; non tamen esse essentialem, sed integralem, atque adeò sine ullo dolore poterit hoc Sacramentum esse validum, licèt informe? aut cur non idem poterit dici de Confessione? quæcúmque enim ratio assignetur ab Adversariis est solutio argumenti, quod efformant contrà nostram doctrinam.

* * *

DISPU-

DISPUTATIO VII.

DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI.

314 SAtisfactio Sacramentalis, quæ pœnitentia dici solet vulgariter, est executio pœnæ à Confessario injunctæ ob peccata legitimè confessa. Vocatur autem Sacramentalis satisfactio, quia licèt non sit essentialis; est tamen verè pars integralis Sacramenti ex dictis à numero 73. & 75. Quæri tamen solet in præsenti circa hujus Satisfactionis effectum, an ex opere operato causet aliquam gratiam actualem, aut habitualem, an verò solam remissionem pœnitentiæ temporalis: Prima Sententia affirmat non solùm causare remissionem pœnæ, sed etiam gratiam actualem, & habitualem. Ita Mart. Perez cum aliis, quos ipse citat quæst. 56. §. 2. ad 3. Secunda Sententia docet, non causare ex opere operato, nisi remissionem pœnæ temporalis. Ita cum communi DD. Lugo disput. 25. sect. 1. & Arriaga quæst. 47. sect. 1. Pro cujus decisione sit.

SECTIO I.

De effectu Sacramentalis Absolutionis.

§. I.

315 ASsero primò cum communi Sententia: SatisfactioSacramentalis non causat gratiam habitualem ex opere operato, nec actualem in ordine ad præservandum hominem à peccatis. Probatur primò de gratia habituali: quia nullum habemus fundamentum ad tribuendum satisfactioni vim causativam gratiæ habitualis ex opere operato. Etenim Concilia, & PP. quoties de eâ loquuntur, solùm declarant illius vim in ordine ad remissionem pœnæ temporalis. Ad hoc autem non requiritur, quòd infundat gratiam, ut constat in Indulgentiis, & Sacrificio Missæ mihi ab alio applicatæ, quæ sine infusione gratiæ remittunt pœnam temporalem. Imò si ad hanc remissionem infusio gratiæ requireretur, sufficeret planè ea, quæ datur ex opere operantis, quandò Satisfactio debito modo expletur: atqui in satisfactione non possumus admittere eam vim absque fundamento in Conciliis, & PP. ergo &c.

316 Probatur secunda pars de gratia actuali, quia neque ad hoc datur fundamentum; maximè cùm gratia actualis, & vis ad illam tempore opportuno accipiendam fundetur in habituali, quæ intuitu Sacramenti confertur: atqui ex num. superiori satisfactio Sacramentalis non confert gratiam habitualem: ergo &c. Quapropter, quandò in Tridentino sess. 14. cap. 8. dicitur, satisfactionem non solùm esse in vindictam peccatorum, seu ad extinguendam pœnam debitam; sed etiam ad curationem, & medelam in futurum, hoc non ideò dicitur, quia illa ex opere operato det auxilium ad præservandum, aliàs non opus esset, quòd Confessarius quæreret medicinalem pœnitentiam, ex se medicinalis esset: si enim vera esset opinio Adversariorum, quæcúmque pœnitentia ex se esset medicinalis. Undè ea Concilii verba significant, pœnitentiam impendendam talem esse debere, ut ex se aliquo modo possit frænare peccatorem, ne in eadem peccata labatur. Quapropter gratiæ actuales præservantes non conferuntur ex vi satisfactionis, sed ex vi Sacramenti præcedentis; istud enim, sicut & alia Sacramenta, habet vim causandi in sua susceptione gratiam habitualem, & deindè tempore opportuno auxilia actualia, ut constat à num. 202. de Sacramentis.

317 Assero secundò: satisfactioSacramentalis ex opere operato remittit pœnam aliquam temporalem. Probatur ex communi Ecclesiæ sensu, & ex Tridentino sess 14. cap. 3. asserente, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem esse partes materiales hujus Sacramenti, quatenùs ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur: atqui Satisfactio non requiritur ad remissionem peccati, quoad culpam; quandòquidem Sacramentum Pœnitentiæ validum, & formatum reperiri potest sine illa, ut constat à num. 75. ergo requiritur ad remissionem ejus, quoad pœnam. Con-

firmatur: si Satisfactio haberet solùm vim remittendi pœnam ex opere operantis, nihil ampliùs haberet, ut est pars integralis Sacramenti, quàm quodcúmque aliud opus bonum in gratia elicitum: hoc enim ex opere operantis aliquid pœnæ tollit: sed Satisfactio, eo quòd sit imposita à Sacerdote & sit pars Sacramenti, habet aliquam specialem vim ex institutione divina ad remittendam pœnam: aliter vera non esset doctrina citata Tridentini: ergo ex opere operato remittit pœnam. Exindè

318. Quæri potest in præsenti, an quælibet Satisfactio imposita à Sacerdote tollat omnem reatum pœnæ debitæ pro peccatis ritè confessis? Certum est, si Sacerdos imponat pœnitentiam, quam judicet multò minorem, quàm qualitas peccatorum requirat, per eam non extingui reatum totius pœnæ temporalis debitæ. Quid autem dicendum esset, quando Sacerdos imponit Pœnitentiam, quam prudenter judicat proportionatam peccatis confessis, licèt re ipsa non sit, tunc enim extinguet totum reatum pœnæ debitæ? Negandum censeo cum Exim. Doctore Vazquez, & communi Doctorum. Ratio est, quia ad causandos alios effectus Sacramentorum non sufficit prudens æstimatio Ministri. In his enim Minister non operatur ad suum arbitrium, sed juxta Christi institutionem. Sic ut Absolutio afferat gratiam, non sufficit, quòd Minister prudenter existimet, pœnitentem esse rectè dispositum: sed requiritur, quòd sit rectè dispositus: ergo &c. Confirmatur: Christus Dominus non pro arbitrio, & judicio Sacerdotis, sed pro sua voluntate tantæ Satisfactioni tantam annexuit remissionem pœnæ, eo modo, quo in Sacramentis determinatè voluit, ut tanta Gratia, pro tanta pœnitentis dispositione, conferretur: ergo judicium Sacerdotis non potest illam reddere æqualem, si reverâ in se æqualis non sit.

319. Quapropter nullo modo credibile est, ex judicio Confessarii voluisse Christum pendere sufficientiam Sacramentalis satisfactionis, quoad æqualitatem cum debito pœnæ: in cujus confirmationem plures possunt esse rationes. Etenim Confessarius ignorat primò qnantitatem peccati in malitia. Secundò, quantitatem pœnæ debitæ. Tertiò, proportionem, & æqualitatem satisfactionis Sacramentalis cum pœnis debitis. Quartò, quantitatem Contritionis: ex qua etenim pœnitentia debita minuitur. Quintò, cum quanto dolore, & acerbitate pœnitens expleturus sit pœnitentiam: quo enim majori dolore expletur, eo major pœna remittitur: ergo non potest esse Sacerdos bonus Judex de proportione Pœnitentiæ cum debita pœna. Ex dictis.

§. II.

FIt primò: Satisfactionem Sacramentalem non causare statim suum effectum; benè verò post collatam Absolutionem. Undè si Satisfactio impleatur ante Absolutionem, non causabit suum effectum ex opere operato, quamvis pœnitens sit in gratia. Ratio ex Lugo, Arriaga, & communi, est: quia Sacramentum non causat suum effectum ex opere operato; donec ponatur ejus forma, etsi materia jam posita sit: sed satisfactio ex se solùm est pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ: ergo debet per formam Absolutionis informari, ut causet suum effectum. Confirmatur: remissio pœnæ temporalis per satisfactionem est effectus secundarius subsequens ex se remissionem culpæ per Sacramentum: sed Sacramentum non remittit ex se culpam, nisi ponatur Absolutio ex se culpæ remissiva: ergo &c.

Fit secundò: cum comtnuni sententia: Satisfactionem impletam in statu peccati mortalis sufficere ad adimplendum præceptum à Confessario impositum. Ratio est, quia ad alia præcepta adimplenda, v. g. jejunandi, audiendi Sacramentum, &c. non requiritur status gratiæ, sed sufficit ponere substantiam operis præcepti, ut communiter dicitur in tract. de Legibus: ergo idem erit de præcepto implendi pœnam. Confirmatur. Confessarius, sicut & Legislator, tantùm præcipit opus non modum, nec finem operis præcepti: Finis enim Legis, juxta commune Theologorum proloquium, non cadit sub præcepto: Undè licet Legislator præcipiat opus ob aliquem finem obtinendum, si subditus facit opus, licèt non obtineat finem, adimplet præceptum: ergo similiter, licèt Confessarius injungat opus satisfacto-

factorium ad finem remissionis pœnæ temporalis, si pœnitens faciat opus, adimplebit præceptum, licèt non obtineat eam remissionem. Advertendum tamen est, cum Arriaga, & Tannero, quod licèt alia præcepta adimpleantur per substantiam operis injuncti, etiamsi ea ponantur per actum internum malum; Satisfactio tamen debet esse opus ex se bonum elicitum per actum internum ex se bonum, licèt fiat in statu peccati. Ratio est: quia Concilia, & maximè Tridentinum sess. 14. cap. 8. ajunt, satisfactionem esse valdè à Scripturis commendatam, & consistere in operibus satisfactoriis, & moventibus Deum ad avertendum suam iram à nobis: ergo debet esse opus ex se bonum, & elicitum per bonum actum internum: aliter enim erit de se incapax, satisfaciendi, merendi remissionem pœnæ, avertendi iram Divinam à nobis, adeòque & reviviscendi post peccatum ad hos effectus præstandos.

322. Fit tertiò. Satisfactionem impletam in statu peccati mortalis, non conferre pœnitenti suum effectum remissionis pœnæ, durante eo statu. Ratio ex communi sententia est, quia Deus homini inimico suo non facit gratiam aliquam, adhuc in ordine ad remissionem pœnæ debitæ pro peccatis jam remissis quoad culpam. Undè si pro illo applicetur Sacrificium Missæ, non remittitur illi pœna temporalis, talibus peccatis correspondens: atqui pœnitentia imposita in Confessione non remittit ex opere operato pœnam temporalem, nisi ob favorem Christi Domini permutantis acerbas Purgatorii pœnas in levem illam pœnam, cui ad hunc effectum ipsi adjungit merita, & satisfactionem suæ Passionis: ergo, cùm Peccator indignissimus sit isto favore, durante eo statu, non fit illi gratia remissionis, etiamsi Christus potuisset id fecisse tam in hoc Sacramento, quàm in Missæ Sacrificio.

323. Fit quartò. Recedente peccato, Sacramentalem satisfactionem in statu peccati impletam habere suum effectum remissionis pœnæ temporalis. Ratio est: quia talis pœnitentia, & Satisfactio, cùm sit pars integralis Sacramenti, atque adeò & opus Christi, ex dictis à num. 193. de Sacramentis, non videtur omninò esse opus mortuum, sed tantùm mortificatum; adeóque recedente obice, habebit suum effectum, ut contingit in aliis Sacramentis, quæ, si in peccato suscipiantur, causant deindè gratiam, recedente obice, & fictione, Et licèt ab hac regula excipiatur Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter sumptum, eo quòd non possit esse validum, & informe, ex numero 284. eò quòd vel dolor debet sufficere ad effectum Sacramenti, vel non sufficit ad valorem. At Satisfactio Sacramantalis, cùm in sui adimpletione non requirat talem dolorem, nec statum gratiæ, poterit validè impleri, & sine fructu, qui posteà obtinebitur vi satisfactionis præteritæ, cùm homo à peccato resurgit.

Fit quintò: nullum esse peccatum ne 324.
quidem veniale, satisfactionem implere in statu mortalis. Ratio est, quia status gratiæ requiritur ratione Sacramenti essentialiter sumpti, quod gratiam confert, & nomine Christi perficitur: adeòque dispositio gratiæ requiritur ex parte pœnitentis, quando essentialiter perficiendum est Sacramentum, Satisfactio verò, neque gratiam confert, neque est pars essentialis Sacramenti, sed solùm integralis: ergo nulla est obligatio eam agendi in statu gratiæ. Confirmatur primò: Confessio, & Attritio sunt partes essentiales Sacramenti, & tamen licitè ponuntur ab homine existente in mortali, & antequàm per Absolutionem constituatur in statu gratiæ: ergo etiam licitè in statu peccati poterit adimpleri Satisfactio, quæ tamen est pars integralis. Confirmatur secundò ex praxi Fidelium: nam etsi alicui pro pœnitentia injungatur, ut singulis diebus recitet Rosarium, & singulis Hebdomadis die Veneris jejunet, nullus existimat, se ex hoc capite, vel venialiter peccare, quod toto anno non sit in gratia, ad eas pœnitentias adimplendas: ergo nullus supponit, hoc esse peccatum, adhùc leve. Videatur Lugo, Arriaga, Perez: & alii, cum Gobat. tract. 7. num. 770. hæc latè prosequentes & roborantes.

§. III.

OBjicies primò, contrà Assertiones, & 325.
Illationes. Christus Dominus ita potuit instituere pœnitentiam Sacramentalem, ut ex opere operato augeret gratiam actualem, & habitualem, neque ejus

adimpletio in peccato lethali sufficiens esset ad implendum præceptum : ergo absque fundamento negatur talis vis augmentativa gratiæ pœnitentiæ Sacramentali, & asseritur sufficiens ejus adimpletio in peccato. Retorqueo argumentum : Christus Dominus ita potuit instituere Satisfactionem Sacramentalem, ut non augeret ex opere operato gratiam actualem, ejusque adimpletio in lethali sufficeret : ergo absque fundamento negatur, ita non instituisse. Resp. deindè : concedo Antecedens, & nego Consequentiam, quia in rebus hujusmodi pendentibus à Christi beneplacito, non debemus discurrere, ex eo quod Christus potuit, sed ex eo quod voluit. Quid autem voluerit, inferendum est non quidem ex libito nostro, sed juxta doctrinam Scripturæ, Conciliorum, aut PP. vel juxta praxim Ecclesiæ. Hæc autem Assertiones nostras, & Illationes confirmant ex dictis; secùs autem assumptum Adversariorum.

326. Objicies secundò. Si Pontifex dispenset in aliquo voto, vel impedimento, prudenter existimans sufficientem causam, valet dispensatio, etsi causa reverâ non sit sufficiens. Tùm etiamsi concedat indulgentiam, prudenter putans, causam esse sufficientem, etsi causa reverâ sufficiens non sit, valet indulgentia, quæ si plenaria sit, remittit totam pœnam debitam, sive parva sit, sive magna, sive conditio requisita à Pontifice impleatur cum magna devotione, sivè cum parva : ergo idem dicendum erit de Satisfactione, quoad vim remittendi totam pœnam debitam pro peccatis, si Sacerdos judicet prudenter, satisfactionem eam esse sufficientem, etsi reverâ sufficiens non sit. Respon. concedo Antecedens, & nego Consequentiam. Disparitas est : quia in his rebus, quæ pendent à mera voluntate, & libera institutione Christi, non valet paritas ab una ad aliam, quandò de una constat, ita voluisse Christum, & id non constat de alia.

327. In præsenti autem certum est, Pontificem, tanquam dispensatorem, posse Indulgentias concedere, & in votis dispensare : docet enim Universa Ecclesia, hanc Potestatem fuisse à Christo datam Pontifici, tanquam dispensatori immediato, in quo solùm requiritur, quod sit prudens dispensator, & non dissipator, ut ejus dispensatio sit valida. Hanc autem potestatem datam fuisse cuilibet Confessario fine fundamento dicitur : aliter quælibet prudens impositio pœnitentiæ esset quasi Indulgentia Plenaria pœnitenti à Confessario concessa; & ita Indulgentia Plenaria concedi solida contritis, & confessis ferè nunquam lucranda esset, eo quòd supponeretur remissa tota pœna temporalis per satisfactionem à Sacerdote impositam quod dici non potest. Quapropter ex magna illa potestate residente in Pontifice, non infertur, residere similem potestatem in quolibet Confessario, sed potiùs oppositum debet inferri, ut constat, ex dictis numero 318.

SECTIO II.

De Obligatione Confessarii ad injungendam Pœnitentiam, & Pœnitentis ad acceptandam, & implendam.

§. I.

Asfero. Confessarius, per se loquendo, tenetur sub gravi pœnitentiam justam injungere, & pœnitens eam acceptare : Ita communis Theologorum contra Scotum, Navarrum, & alios asserentes, pœnitentem non habere obligationem acceptandi, sed solùm acceptatam pœnitentiam adimplendi; tùm etiam contra alios, quos impugnat Lugo disp. 25. sect. 5. dicentes, nec habere obligationem acceptandi, nec acceptatam implendi. Probatur primò Conclusio ex Tridentino sess. 14. cap. 8. dicente : *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus, & Prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne, si fortè peccatis connivent, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Modò sic : Hæc verba, per se loquendo, gravem obligationem significant : peccatum quippè grave esse, Confessarium fieri participem peccato pœnitentis, quin immò ly *debent* satis indicat Confessarii obligationem. Hæc au-

tem

tem obligatio Confessarii inanis esset, si pœnitens non teneretur, neque acceptare, neque implere pœnitentiam: ergo &c.

329. Probatur secundò. Confessarius in hoc Sacramento est judex, & Medicus, ut constat ex Tridentino sess. 14. cap. 8, ubi loquens de Satisfactione, quam imponit Confessarius, ait, *Medentur quoque peccatorum reliquiis.* Et ex Lateranen. in cap. omnis utriúsque dicente. *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti Medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciato*: ergo ut Judex, tenetur ex Justitia vindicativa æquitatem in pœnis injungendis servare, pro gravitate, & qualitate criminum; ut Medicus autem curare vulnera pœnitentis, ideóque sæpè obligatur adhibere pœnitentiam præservativam ad medelam pœnitentis contra aliquod peccatum, in quod timetur re lapsurus: sed non est minor obligatio pœnitentis, ad acceptandam justam pœnam à suo legitimo Superiore injunctam: ergo &c. Confirmatur. Magis est obligatus pœnitens ex præcepto Confessarii, quàm populus ex lege lata à Principe: sed populus tenetur ad acceptandam legem latam à Principe, quando justa non est causa excusationis, ut constat ex Alexandro VII. qui hanc 28. propositionem damnavit: *Populus non peccat; etiamsi, absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam*: ergo &c. Ex dictis.

330. Fit primò: pœnitentiam à Confessario esse imponendam, per se loquendo, sub gravi, cùm Sacramentum istud per se sit Sacramentum mortuorum, adeóque per se tendat ad compensandam materiam gravem: per accidens autem obligatio ista potest esse sub levi tàm in Confessario ad injungendam pœnitentiam, quàm in pœnitente ad eam adimplendam. Ratio est: quia, ut benè notat Card. de Lugo disput. 25. sect. 4. sicut pœnitens non tenetur sub gravi adimplere pœnitentiam, quando ea est levissima, eo quòd tunc leviter solùm maneat imperfectum Sacramentum, neque ulla alia considerari possit imperfectio nisi ipsa omissio pœnitentiæ, quæ levis est; ita in Confessario nulla alia considerari potest omissio in eo casu, nisi levis: solúmque adest hoc discrimen, quòd Confessarius satisfacit suæ obligationi, injungendo pœnitentiam, quam acceptat pœnitens; at pœnitens non satisfacit solùm acceptando, sed ulteriùs tenetur implere, nisi per accidens excusetur ratione impotentiæ, aut inculpabilis ignorantiæ, ab ejus adimpletione. Undè, quando ex prudenti judicio Confessarii, solùm injungenda est pœnitentia levis, dum non sit contemptûs periculum, dumtaxat datur obligatio sub levi in Confessario ad eam imponendam, & in pœnitente ad acceptandam, & implendam. Utrùm aliquando pro venialibus imponi possit pœnitentia gravis? Affirmant Lugo, & Arriaga: negant alii cum Eximio Doctore disp. 38. sect. 7. num. 5. Cæterùm omnes fatentur, rarò pro venialibus imponi posse pœnitentiam gravem, quia rarò erit justa; si verò justa fuerit, tenebitur pœnitens ad eam sub gravi, si velit suscipere Sacramentum.

331. Fit secundò: quandoque per accidens nullum esse peccatum, si Confessarius levissimam, aut nullam injungat pœnitentiam, v. g. quandò pœnitens nullam perficere potest ob ægritudinem, ut si inter confitendum sensum amisit, vel si jam integrè expiarit sua peccata, quod licèt sine revelatione Dei certò constare non possit, satis est, dùm moraliter certò constet, ut ait Petrus Soto lect. ult. de Satisfactione. Item: quando pœnitens Indulgentiam plenariam mox est lucraturus, vel paulò à è lucratus est, nisi fortè egeat aliqua pœnitentia medicinali; vel si confitetur, inquit Arriaga, ut martyrium extinguatur omne debitum pœnæ temporalis ex num. 4. de Baptismo, non est cur imponatur pœnitentia.

332. Fit tertiò: Confessarium non posse imponere pœnitentiam sub consilio, sed debere eam imponere sub præcepto. Ratio est, quia obligationem imponendi pœnitentiam probat Trident. sess. 14. cap. 8. his verbis: *Nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui PP. & credunt, & docent.* Quibus verbis manifestè ostenditur, impositionem pœnitentiæ oriri ex potestate ligandi: atqui pœnitentia imposita per modum consilii non ligat pœnitentem, ergo quando imponitur ex consilio, non est Sacramentalis pœnitentia. Qua de causa idem Tridentinum cit. 328. dicit, Sacerdotes debere injungere pœnitentiam,

quæ

quæ verba non significant consilium, sed præceptum. Pœnitentia autem cùm sit pars integralis Sacramenti suscepti ab ipso pœnitente, sitque præceptum personale, sicuti præceptum jejunandi & audiendi Sacrum, ab eo ipso debet impleri, nec pro libito potest substituere alium, qui loco ipsius eam adimpleat. Qua de causa Alexander VII. damnavit 24. Septembris 1665. propositionem 15. quæ sic habebat: *Pœnitens propriâ auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiâ adimpleat.*

§. II.

333. Fit quartò: circa pœnitentiæ quantitatem, debere Confessarium pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutarem, & convenientem, pœnitentiam injungere, ut ait Trid. cit. nu. 328. Quapropter, ait post alios Card. de Lugo, peccat graviter Confessarius, si pro magnis peccatis imponat pœnitentiam valdè exiguam, nisi causa aliqua intercedat minuendi pœnitentiam; adeóque omnibus pensatis taxari debet, quæ juxta prudens Confessarii judicium æqualis appareat. Causæ autem, ob quas minui potest pœnitentia, variæ à variis assignantur. Prima: quando Confessarius credit, pœnitentem ob fragilitatem non adimpleturum pœnitentiam, aliàs justam: nunquam enim debet imponere pœnitentiam, quam credit, pœnitentem ob fragilitatem non impleturum. Ita Exim. Doct. Lessius, Coninck, Gobat, & alii. Secunda: quando minuendo pœnitentiam, allicitur pœnitens ad frequentiorem, utilémque Confessionem. Ita Bonacina cum aliis disp. 5. quæst. 5. §. 3. puncto 2. Tertia: quando intervenit difficultas, v. g. in infirmis, quibus non valentibus exequi debitas, injunguntur leviores, nimirùm, quòd pronuncient aliquotiès Sanctissima Nomina JESU, & MARIÆ, quòd tundant aliquotiès pectus, quòd offerant suos labores, & vitam suo Creatori ter quotidie, quod jubeant dari eleemosynas, & quod si convaluerint, audiant tot sacra, &c.

334. Quarta: quandò pœnitens est reipsa valdè contritus, & compunctus: nam suo dolore multum expunxit ex syllabo debitorum. Quinta: quando novit, pœnitentem ex se solere præstare multa bona opera in satisfactionem suorum peccatorum. Sexta: quando novit, pœnitentem esse lucratum, aut proximè lucraturum indulgentiam plenariam, quo casu non est imponenda, nisi pœnitentia medicinalis ad tollendas peccatorum reliquias, ex num. 331. Septima ex Navarro, & Diana: quando Confessarius reflexè dicit, *quid. quid boni egeris, & mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, &c.* quia valdè probabile est, ex vi eorum verborum cum intentione satisfactionis, elevari id, quòd pœnitens benè agit vel patienter sustinet. Undè, ut monet Diana 3. par. tract. 4. Resol. 82. non sunt ea verba facilè omittenda. Octava: quando Confessarius paratus est expiare suis pœnitentiis peccata pœnitentis: cujus rei exemplum narrant Turselinus, & Daniel Bartholus in vita S. Francisci Xaverii lib. 2. num. 44. Monet autem accuratè Gobat num. 760. debere Confessarium præcavere, ne in his casibus pœnitens, ex levitate pœnitentiæ, censeat, se leviter peccâsse, cùm tamen graviter deliquerit.

Fit quintò circa pœnitentiæ qualitatem, debere Confessarium imponere pœnitentiâ satisfactoriam, & medicinalem, quandò eâ opus sit: potest autem, ut docet communis sententia, in pœnitentiam injungere quævis opera bona meritoria. Ratio est, quia Tridentinum sess. 14. cap. 8. ita præscribit: *Habeant autem præ oculis, ut Satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Illa enim verba, *sed etiam*, utrámque partem conjungunt, adeóque, & pœnitentiam satisfactoriam, & medicinalem. Rursùs eâdem sess. 14. can. 13. ait: *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, Orationibus, Eleemosynis, vel aliis etiam pietatis Operibus, atque ideò optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam, anathema sit.* Quibus ex verbis constat, quævis opera bona meritoria, sivè interna, uti conformitas cum voluntate Dei in laboribus, oratio, &c. sivè externa, ut jejunium, eleemosyna, &c. esse opera satisfactoria: etenim, ut cum Lugo, & Ripalda

notat

notavit Martinus Perez disp. 55. sect. 4. nullum est de facto opus meritorium, quod non sit pœnale ob difficultatem, quæ vincenda est in exercitio talis operis contra inclinationem nostram nimis proclivem ad delectabilia, & à bono aversam : atqui Sacerdos potest in Satisfactionem injungere quodvis opus pœnale : ergo, &c.

336. Fit sextò : pœnitentem sub gravi teneri non solùm ad substantiam, verùm etiam ad circumstantias implendas operi satisfactorio injunctas, quæ graves sint, vel notabiliter pœnitentiam aggravantes. Ratio est, quia tenetur sub gravi ad Satisfactionem, quâ Satisfactio, sive quâ pœnalis graviter est : atqui illæ circumstantiæ notabiliter aggravantes addunt pœnitentiam gravem : ergo, &c. Undè si præcipiat Confessarius recitare Rosarium flexis genibus, vel jejunare in pane, & aqua, tenetur pœnitens sub gravi, quia ea circumstantia aggravat pœnitentiam. Si verò circumstantiæ leves sint, id est leviter solùm pœnitentiam aggravantes ; ut quod reciter Rosarium corèm tali imagine Virginis, tunc tenetur ad circumstantiam sub levi.

337. Fit septimò : teneri pœnitentem non differre satisfactionis adimpletionem per longum tempus, licèt Confessarius terminum non præfigat, tenetur sub gravi non differre notabiliter ultrà illud tempus adimpletionem. Ratio est, quia quando Confessarius terminum non præfigit, ex communi fidelium persuasione censetur, solùm adesse obligationem, ut fiat quandò commodè possit, ita ut in prudentum judicio gravis dilatio non censeatur : Id enim postulat, ait Card. de Lugo, medicinæ, aut justæ sententiæ titulus, quam Satisfactio præsefert. Quando verò Confessarius præscribit tempus, ad id pœnitens, obligatur, cùm jam determinatio á sola præsumptione non pendeat, sed à superioris præcepto, adeóque si ultrà hoc tempus notabiliter differatur, erit peccatum grave. Cæterùm quia pœnitentia non est onus temporis, sed onus, quod differri non potest ultra tale tempus : est enim onus ad gravem integritatem Sacramenti, si pœtentia sit gravis ; vel ad levem si sit levis, adeóque transacto tempore, non ideò transiit onus obligationis. Undè non manet exindè deobligatus, sed debet illam implere, ut de præcepto annuæ Confessionis diximus à num. 35. eadem enim ubique ratio militat. Quinimò, ut benè notavit Martinus Perez disput. 57. sect. 3. quamvis non possit pœnitens implere circumstantias, tenetur implere substantiam, si possit, cùm semper maneat titulus obligationis, nec prudenter præsumi possit aliter de mente Confessarii. Unde tenetur recitare v. g. Rosarium, etsi non possit flexis genibus coram tali Imagine.

Fit octavò : pœnitentem omninò oblitum pœnitentiæ impositæ non teneri quidquam aliud loco illius substituere Ratio est quia ut constat ex num. 332. pœnitentia sacramentalis descendit ex potestate ligandi, quam Confessarius habet supra peccata, de quibus judicat in judicio sacramentali, quam vim non habet opus, quod pœnitens substitueret ? adeóque. neque vim ullam habet ex opere operato. Unde sufficiet, confiteri oblivionem culpabilem, quin opus sit repetere Confessionem, ut nova pœnitentia imponatur, cùm non teneatur bis sua peccata confiteri. Quòd si statim post Confessionem obliviscatur pœnitentiæ, & existimet, Confessarium esse illius memorem, tenetur eum adire, aut consulere, ut in memoriam revocet, At si nec adire, nec consulere possit, non tenetur quidquam aliud substituere. Quinimò plures docent cum Gobat num. 769. quòd si pœnitens consulat Confessarium, & hic nec pœnitentiæ, nec peccatorum sit memor, caret potestate injungendi aliam, quia jam expiravit ejus vis coactiva supra pœnitentem, nec illius judicium moraliter perseverat. Vide num. 340.

338.

Fit nonò, cum communi Theologorum, contrà Dianam, Navarrum, & alios : pœnitentem, nec licitè, nec validè posse sibi commutare pœnitentiam in aliud opus, etiam evidenter melius, & excellentius. Ratio est, quia ex num. 332. pœnitentia Sacramentalis descendit ex potestate ligandi in judicio Sacramentali, & ita habet valorem ex opere operato, estque à Superiore legitimo præcepta, & pars integralis Sacramenti : sed hæc habere non potest, si ab ipso pœnitente commutetur. Quinimò inferior non habet potestatem ad commutandum præceptum Superioris ; aliter posset quisque in die Festo commutare sibi auditionem Sacri in communionem,

339.

nem, quæ evidenter melior est: ergo &c. Quapropter si pœnitentia imposita sit propter peccata reservata, non poterit commutari à Confessario, non habente jurisdictionem in reservata, ut contra Vasquez, & alios docent communiter Doctores, quia inferior non potest commutare legem à Superiore impositam, adeóque, neque pœnitentiam correspondentem peccatis, de quibus ipse judicare non poterat. Quinimò neque ullus alius Confessarius habens jurisdictionem, distinctus ab illo, qui pœnitentiam injunxit, potest illam commutare, nisi intrà Confessionem, & auditis peccatis, ob quæ imposita est, saltem in communi, ut possit formare judicium de illis, v. g. si dicat pœnitens, fuisse similia istis, quæ modò confitetur, aut quæ commisit alter, de quo Confessarius habet notitiam, vel quid simile. Ratio est, quia Confessarius dumtaxat in Sacramentali Confessione, & auditâ causâ potest exercere potestatem clavium: ergo & imponere, sivè pœnitentiam commutare. Exindè

340. Fit decimò: non posse eundem Confessarium, qui pœnitentiam imposuit, illam commutare, nisi intrà Confessionem moraliter perseverantem, & nonnisi habitâ memoriâ saltem confusâ peccatorum. Ratio est, quia Judex non potest sententiam ferre incognitâ causâ: commutatio autem pœnitentiæ est judicium revisivum, & lenitivum prioris sententiæ, adeóque requirit notitiam causæ sufficientem ad judicandum. Rursus: potestas ligandi, à qua satisfactio Sacramentalis descendit, non potest exerceri, nisi in judicio. At quia judicium, quoad pœnitentiam imponendam, consideratur, non solùm, ut physicè, sed & ut moraliter perseverans, juxta communem sensum Theologorum, tamdiù poterit Sacerdos, qui Confessionem audit, & judicium exercuit, pœnitentiam commutare, quamdiù moraliter duret, ut Judex, adeóque moraliter duret Confessio. Quantùm autem comprehendat temporis hæc moralis perseverantia, valdè incertum est apud Authores, adeóque ex solo prudenti judicio taxari potest, considerato toto eo tempore, quo Confessio duravit, & aliis similibus: solet enim quandoque fieri per plures dies generalis Confessio. Exindè aliqui docent, eam perseverantiam se extendere ad longum tempus; alii, nonnisi ad breve; Alii, ad dimidiam horam; alii, ad integrum diem; alii ad triduum. Tandem Vasquez, & Lugo extendunt eam durationem ad totum illud tempus, quo Confessarius recordetur Confessionis, vel statûs pœnitentis.

Fit undecimò: quandò peccata reservata non erant Superiori Confessario, quemlibet Confessarium posse intrà Confessionem commutare pœnitentiam ab alio Confessario impositam, cognitâ tamen causâ, sivè peccatis, ob quæ imposita est: Ratio ex communi Theologorum est, quia in eo casu secundus Confessarius succedit primo in eodem judicio, cum eadem jurisdictione, & potestate: ergo sicut primus Confessarius cognitâ causâ poterat in Sacramentali judicio pœnitentiam commutare; ita etiam secundus: quamvis enim secundus non possit eam commutare in judicio suo moraliter perseverante, cùm perseverare non possit judicium suum, quod, supponimus, nunquam extitit; at potest judicium instituere cum æquali auctoritate, ac institutum fuit à primo. Sic Summus Pontifex mutare potest præcepta sui prædecessoris, & Episcopus sui prædecessoris Episcopi.

SECTIO III.

Solvuntur Opposita.

OBjicies primò: licitè potest homo non satisfacere in hac vita pro pœna temporali, sed relinquere totam illam luendam in Purgatorio: ergo licitè potest non adimplere Satisfactionem Sacramentalem, sivè gravem, sivè levem, quæ ad illud debitum extinguendum ordinatur. Respondeo, dist. Antecedens: licitè potest, dum non tenetur ad hoc Sacramentum, omitto; dum tenetur, nego Antecedens, & Conseq. Ratio est, quia dum tenetur ad Sacramentum, tenetur etiam ad omnia onera Sacramento necessaria: sic licèt independenter ab hoc Sacramento non teneatur sua peccata alteri manifestare, tenetur ea manifestare Confessario, quando tenetur susci pere hoc Sacramentum. Sic etiam licèt non teneretur adimplere pœnitentiam, quam in hac vita solveret pro debito pœnæ temporalis, independenter ab

ab inſtitutione hujus Sacramenti, tenetur ad eam ſolutionem ex natura, & obligatione habita in ſuſceptione Sacramenti.

343. Objicies ſecundò: Pœnitens non tenetur ad pœnitentiam; quæ ſe ſola ſit æqualis ſatisfactio ad totum debitum extinguendum: ergo neque ad pœnitentiam, quæ ſe ſola ſit ſufficiens ad extinguendam partem debiti. Reſpondeo cum Card. de Lugo diſp. 25. ſect. 5. num. 73. concedo Antecedens, & nego Conſeq. quia pœnitens ſolùm tenetur ad pœnitentiam juſtam, & rationabilem, ſecùs ad irrationabilem. Suppoſitâ autem fragilitate hominum, & conſuetudine rationabili, quæ propter illam fragilitatem jam eſt introducta, non eſſet rationabilis talis pœnitentia. Quinimò Confeſſarius non debet excedere limites ſuæ poteſtatis, ne præceptum utpotè injuſtum ad nihil obliget. Satisfactio autem Sacramentalis non ſolùm habet valorem ex opere operantis, ſed ex opere operato ex num. 317. ideóque ut juſta ſit, non debet eſſe tanta, ut independenter à Sacramento maneret æqualis debito pœnæ temporalis. Qua de cauſa juxtà prudens Confeſſarii judicium, omnibus penſatis, injungenda eſt pœnitentia conveniens, ut habet Trid. cit. num. 328. ad quam tenetur ex præcepto pœnitens.

344. Objicies tertiò: Vovens poteſt propria auctoritate commutare ſibi votum in rem evidenter meliorem: ergo & pœnitens pœnitentiam injunctam, adeóque neque Confeſſarius obligare poteſt ſub præcepto, neque pœnitens tenebitur adimplere pœnitentiam ab illo aſſignatam. Reſp. omitto Antecedens, quod non ſemper eſt verum, & nego Conſeq. Ratio eſt, quia obligatio voti naſcitur ex propria voluntate voventis, ſe ipſum obligantis ad opus, quod credit Deo gratum: Dùm autem de divina voluntate contraria non conſtat, ſemper debet præſumere, Deo gratius futurum, quod in ſe melius eſt, ideóque poteſt mutare rem, quam vovit, in aliam evidenter meliorem. At obligatio præſens Sacramentalis naſcitur ex aliena voluntate Superioris obligantis declarata, & determinata, quam non poteſt mutare ſubditus, at manifeſtum eſt in aliis præceptis. Undè in præceptis non poteſt attendere ſubditus, quid in re ſit melius, ſed quid Superior præceperit.

345. Objicies quartò: inſtando ſimul ſolutionem. Confeſſarius injungit pœnitentiam ad finem ſatisfaciendi Deo: ergo ſi aliud opus evidenter ſit magis ſatisfactorium poterit ſubſtitui à pœnitente loco pœnitentiæ. Retorqueo Argumentum: Eccleſia præcipit audire Sacrum diebus Feſtis ad finem colendi Deum: ergo ſi aliud opus eſt evidenter melius ad hunc finem, poterit ſubſtitui à fidelibus loco auditionis Sacri. Reſpondeo deindè, diſt. Andecedens: ad finem ſatisfaciendi pro libito ſuo, nego; obediendo, conc. Anteced. & nego Conſ. Quinimò præceptum pœnitentiæ non ſolùm imponitur ut pœnitens utcúmque ſatisfaciat, ſed ut ſatisfaciat integrando Sacramentum, quod integrari non poteſt per opus ab eo ſubſtitutum, ſed per illud, quod à Confeſſario præſcriptum eſt ex num. 339.

346. Objicies quintò: Si quis poſt injunctam pœnitentiam plenè ſatisfaceret Deo pro peccatis, per aliud opus magis ſatisfactorium; idque pœnitenti per Dei revelationem conſtaret, jam non opus eſſet peragere pœnitentiam injunctam: ergo poteſt pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi opus illud loco pœnitentiæ. Reſpondeo: nego Antecedens: quia licèt opus non eſſet pœnitentia ad effectum ſatisfaciendi, eſſet tamen opus ad finem integrandi Sacramentum, quod ab initio ſuæ exiſtentiæ non fuit integrum: tunc enim opus erat pœnitentia ad plenam, & perfectam peccatorum remiſſionem. Sacramentum autem, quod ſemel non eſt integrum, ex defectu partis integralis, nunquam integratur, niſi poſita parte integrali; illud verò opus magis ſatisfactorium, cùm non deſcendat à poſtetate ligandi, nequit eſſe pars integralis Sacramenti. Undè quamvis poſito eo opere jam non ſit neceſſaria pœnitentia ad plenam, & perfectam remiſſionem peccatorum, ſatis eſt, quòd fuerit neceſſaria, quandò conficiebatur Sacramentum, ad ejus integritatem, ex eo, quòd fuerit injuncta à Confeſſario. Quamobrem adhuc in eo caſu teneretur pœnitens ſub præcepto ad pœnitentiam implendam.

347. Objicies ſextò, inſtando ſimul ſolutionem: ſi ex obligatione integrandi Sacramentum teneretur pœnitens adimplere pœnitentiam, nunquam poſſet commuta-

ri: ergo &c. Prob. Maj. Confessarius non habet facultatem ad faciendum, ne primum Sacramentum maneat mutilum, mancum, & non integrum: atqui si pœnitentia in alia Confessione commutaretur, quamvis esset pars illius novi Sacramenti, non esset pars Sacramenti primò susceptì, adeóque istud maneret non integrum: ergo &c. Respondeo, nego Major. Ad probationem, conced. Maj. & nego Min. quia Sacramentum non est totum Physicum, sed morale, adeóque ut Satisfactio aliqua sit pars integralis, sufficit moralis designatio à Ministro legitimo, quæ eadem potest esse respectu utriusque Sacramenti. Sicuti quando Sacerdos consecrat duas hostias, eadem verba sunt pars moralis essentialis Sacramenti sub utraq; hostia contenti; ità etiam secundus Confessarius conficiens secundum pœnitentiæ Sacramentum consulit integritati istius secundi, & alterius primi, quod licèt confectum omninò sit, quoad essentialia; adeóque quoad hæc independens omninò sit à secundo Confessario, non est completum, quoad integralia; adeóque & potens est, ex praxi Ecclesiæ, & ex auctoritate secundi Confessarii integraliter compleri, quàm optimè proindè potest, vel assignare eandem pœnitentiam, tanquam partem utriusque Sacramenti integralem, vel assignare unam pro integritate primi, & alteram pro integritate secundi Sacramenti.

348. Objicies septimò: instando iterùm solutionem. Non potest par in parem exercere jurisdictionem: atqui si secundus Confessarius posset commutare pœnitentiam à primo sibi æquali injunctam, par in parem exerceret jurisdictionem: ergo &c. Confirmatur. Appellatio non est apponenda coram æquali, sed coram Superiore: atqui si pœnitens adiret secundum Confessarium, ut pœnitentiam commutaret, apponeret appellationem coram æquali, & non coram superiore: ergo &c. Resp. concedo Ma: & nego Mi: quia secundus Confessarius non exercet jurisdictionem in primum Confessarium sibi æqualem, sed suprà pœnitentem sibi subditum. Sic Pontifex mutans legem prædecessoris non exercet jurisdictionem in prædecessorem, sed in subditos. Ad Confirmat. concedo Ma: & nego Mi: quia hæc non est appellatio, sed recursus, per modum revisionis ad æqualem judicem, & æquale Tribunal; sivè ad idem moraliter Tribunal. Si autem esset appellatio, neque ad primum Confessarium posset recurrere. Sicut ergo potest recurrere ad primum, non quidem per modum appellationis, sed per modum revisionis ejusdm sententiæ; ita etiam potest recurrere ad secundum.

Objicies octavò. Si pœnitens posset re- 349
currere, per modum revisionis, ad secundum Confessarium; posset etiam adire ipsum, licèt peccata fuissent priùs reservata; sed in eo casu recurrere non potest, ex nu. 339. ergo in nullo. Probatur Ma: illa peccata, semel absoluta à superiore, jam non manent reservata: ergo jurisdictionem in illa habet Confessarius inferior, adeóque posset pœnitens ad illum recurrere. Confirmatur. Si Superior commutet votum reservatum in materiam non reservatam, poterit inferior commutare hanc secundam materiam: ergo idem erit in nostro casu. Resp. nego Ma. ad probat. distin. Antecedens: non manent reservata, quoad effectus pendentes à reservatione, quam habebant, nego: quoad effectus independentes, concedo Antecedens, & nego Conseq. Ratio est, quia sententia Superioris, quoad peccata pendebat à reservatione, adeóque & revisio illius sententiæ; cùm esse debeat saltem ab æquali judice, requirit jurisdictionem se extendentem ad reservationem.

Ad Confirmat. concedo Antecedens, & 350
nego Conseq. quia ad commutandam materiam non reservatam, opus non est examinare, aut revidere Superioris judicium, sed supponere facultatem ab ipso concessam: commutatio enim illa non est præceptum à Superiore impositũ, sed est facultas data subdito, ut circà illam materiam se possit gerere, tanquam circà materiam non reservatam; at pœnitentia propter reservata non confert facultatem, sed est obligatoria ex judicio, & præcepto Superioris, quod præceptum nequit commutari ab inferiori, neque illud judicium ab inferiori jurisdictione examinari valet, aut revideri. Si autem Superior commutaret votum reservatum, non quidem conferendo hanc facultaten, sed præcipiendo, ut subditus circà illam assignatam materiam se exerceret, nequaquam posset in eo casu ab inferiori commutari.

DISPU-

DISPUTATIO VIII.

DE MINISTRI MUNERIBUS, ET OBLIGATIONE.

351. PRincipia generalia ad praxim pertinentia circà rectam Sacramentorum administrationem, ex quibus peculiares resolutiones in hoc, & reliquis Sacramentis, inferendæ sunt, latè dedi in tract. de Sacramentis in genere, à num. 298. usque ad 377. qua de causa, ne actum agamus, opus non est in præsenti ea iterùm repetere. Notare autem oportet octo præcipuè propositiones, nimirùm à 58. usque ad 65. ab Innocentio XI. damnatas, quæ ex principiis ibi præjactis exponendæ sunt, ut statim dicemus.

SECTIO I.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

§. I.

352. ASsero primò : Minister Sacramenti pœnitentiæ est Sacerdos præditus potestate expedita ligandi, atque absolvendi in foro Sacramentali, sivè potestate expedita ad absolvendum Sacramentaliter pœnitentem. Probatur, & explicatur simul Conclusio. Sacerdos in sua Ordinatione recipit potestatem ad absolvendum, sine qua esse nequit Minister hujus Sacramenti: datur enim ea potestas per ea Episcopi verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* ut diximus à n. 2. Insuper : cùm ea potestas exerceri non possit, nisi in subditum, ut Sacerdos validè, & licitè suam exerceat potestatem, eget jurisdictione; sivè ordinariâ, qualem habent Episcopus, & Parochus ; sivè delegatâ, qualem habent alii Confessarii. Rursùs : ut ille, qui potestate, & jurisdictione præditus est, possit cum illis validè operari, necesse est, ut non habeat impedimentum, quo earum effectus invalidetur, sivè jurisdictio suspendatur, vel auferatur : Canonicum autem hujusmodi impedimentum est defectus approbationis pro Confessione Sæcularium ; adeóque, ut Confessarius possit eos validè absolvere cum legitima jurisdictione, eget approbatione. Undè ut aliquis ità sit expeditus ad ministrandum Sacramentum pœnitentiæ, sivè ut sit Minister, debet habere potestatem, jurisdictionem, & approbationem : hoc autem idem est, ac esse Sacerdotem præditum potestate expedita ligandi, atque solvendi in foro Sacramentali : ergo &c.

353. Confirmatur ex Tridentino hæc omnia exigente ad valorem Absolutionis in Ministro Sacramenti pœnitentiæ. Quod enim, ut habeat potestatem, debeat esse Sacerdos, constat ex sess. 14. cap. 6. ubi hæc habet : *Circa Ministrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus, falsas esse, & à veritate Evangelii pœnitùs alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos, & Sacerdotes clavium Ministerium perniciosè extendunt.* Quod autem debeat habere jurisdictionem, constat ex eadem sess. 14. cap. 7. ubi hæc habet. *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

354. Quod verò ad Absolutionis valorem, quæ impendatur sæcularibus, requiratur approbatio, constat ex eodem Tridentino sess. 23. cap. 15. dicente : *quamvis Presbyteri, in sua Ordinatione, à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat : privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus :* ergo Minister Sacramenti Pœnitentiæ debet habere potestatem, jurisdictionem, & approbationem ; sive quod idem est, debet esse præditus potestate ex-

pedita ligandi, atque solvendi in foro Sacramentali.

355. Quamobrem ad resolvendas difficultates, quæ circa hanc materiam solent occurrere, expendenda sunt constitutiva potestatis, jurisdictionis, & approbationis, simulque consideranda sunt varia decreta, tùm Conciliorum, tùm Pontificum, tùm Congregationum, quæ videri possunt apud Cardin. de Lugo disp. 21. & 22. & apud Fagnanum supra varia juris capita: Etenim cùm potestas in ordinationis Sacerdotalis charactere fundetur, inamissibilis est, sicut & ipse character ex num. 219. de Sacramentis.

356. Jurisdictio autem est jus dicendi, seu ferendi in alios Sacramentalem sententiam; ac proindè dare jurisdictionem alicui, est reipsa ei subditum assignare, in quem exerceat potestatem clavium. Hæc autem ex Trid. citato num. 353. duplex est, nimirùm vel ordinaria, vel delegata. Ordinaria est, quæ alicui competit ratione officii Ordinarii habentis annexam curam animarum, ut habent Episcopus, & Vicarius ejus in Spiritualibus, Parochus, Abbas, seu Prælatus Regularis. Delegata, seu extraordinaria est, quæ per commissionem delegatur ei, qui tale officium non habet, cui animarum cura commissa sit; quales sunt plures Capellani, & Religiosi, ex Privilegio Apostolico audientes Confessiones, unusquisque juxta tenorem suorum privilegiorum: etenim cùm jurisdictio ad placitum concedatur, limitatur, aut extenditur juxtà voluntatem concedentis. Undè unusquisque scire debet, qualem concessam habeat facultatem, seu jurisdictionem, & quomodò; nam possunt esse plures casus reservati, ad quos Confessarii jurisdictio non se extendat: ex consuetudine enim Cardinales, sibi, & domesticis eligere possunt Confessarium; Reges etiam sibi; at privilegium non extenditur ad familiam, sicuti, & domestici Pontificis. Verùm ille, qui eligitur, debet esse approbatus ab Ordinario, ut benè Lugo disp. 21. sect. 1. num. 3.

357. Tùm etiam ex consuetudine, Regulares peregrinantes, ex præsumpta voluntate Superiorum, si Ordinis socium non habeant, à quocumque Confessario etiam sæculari absolvuntur, exceptis reservatis, in quæ, si extra domicilium inciderint, non potest Confessarius, nisi juxtà tenorem suorum privilegiorum, Absolutionem impendere. In aliquibus Religionibus conceditur Confessario etiam sæculari facultas, ut eos ita peregrinantes absolvat, cum onere, ut posteà se sistant suo Superiori. Videatur Lugo disp. 15. sect. 6. & disp. 20. Quin imò, ut habent Suarius, Diana, & alii quamplures cum Lugo disp. 19. quandò communis est error, cum titulo putativo à legitimo Superiore collato, Ecclesia dat jurisdictionem propter publicam utilitatem: adeóque si aliquis simplex Sacerdos communi errore putaretur Parochus à legitimo Superiore institutus, cùm reipsa non esset, & ex illo titulo colorato se exponeret ad Confessiones audiendas, validè absolveret.

Si autem aliquis extra casum necessitatis, cum sola dubia jurisdictione, absolveret, graviter peccaret; cùm se exponeret periculo frustrandi Sacramentum; secùs autem si jurisdictionem haberet verè probabilem, quia tunc Pontifex dat certam ex dictis à num. 331. de Sacramentis. Qui autem confitetur legitimo Confessario, adeóque habenti veram suprà illum jurisdictionem, non tenetur iterum adhuc in Paschate confiteri proprio Parocho, ex num. 32. Qui autem in articulo mortis absolvitur à reservatis, probabile est, non teneri se sistere posteà suo Superioti, si hæc non habuerint annexam censuram; probabilius autem est oppositum: quia Ecclesia in eo casu solùm confert jurisdictionem, & facultatem cuilibet Sacerdoti ad absolvendum, ne pœnitens ex defectu Absolutionis incurrat damnationem æternam, ut patet ex Tridentino, n. 370. atqui ad hunc finem non est necesse, ut pœnitens excusetur ab obligatione se posteà sistendi, si potuerit, suo Superiori, sicuti non excusatur ab obligatione quærendi directam Absolutionem à censuris: ergo, &c.

Ratio ulterior, & mihi fundamentalis, est, quia sæpè Pontifices, & Ecclesia post Tridentinum concedunt privilegia, ut moribundus, à quibusvis reservatis, & à quolibet Sacerdote absolvi possit in articulo, seu in periculo mortis: periculum enim mortis absolutè dictum, & mortis articulus pro eodem sumuntur in jure, ut habet Diana par. 3. tract. 4. Resol. 57. 71. 72. Sic virtute Bullæ Cruciatæ conce-

dit Pontifex singulis septenniis hanc facultatem, & privilegium: atqui moribundus, sine hoc privilegio, verè manet absolutus ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, quæ vim legis habet, certâmque ex illa habet Confessarius jurisdictionem ex num. 332. de Sacramentis: ergo privilegium circà ea reservata aliquem afferre debet effectum, quem generalis illa facultas non præstat: iste autem nullus alius est, nisi quòd ille, qui absolvitur in articulo mortis, ex privilegio, à reservatis, non tenetur se posteà sistere superiori; benè verò ille, qui sine privilegio absolutus fuit ex sola generali facultate, quam omnes Sacerdotes habent, ad absolvendum à reservatis pœnitentem in articulo mortis.

860. Neque dici potest, quod ista privilegia ideò post Tridentinum conferuntur, quia non manet jam illa generalis facultas: hoc enim dici non potest, cùm per Tridentinũ ea generalis facultas sit potiùs roborata, & stabilita, sic etenim habet sess. 14. cap. 7. *Verùntamen piè admodùm, ne hâc ipsa occasione aliqis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibuslibet peccatis, & censuris absolvere possint.* Moneo tamen, juxta communem DD. Sententiam, servandum esse ordinem; ità ut, si sit Parochus, vel proprius Sacerdos ab Episcopo approbatus, & habens jurisdictionem, non debeat elegi extraneus, vel simplex Sacerdos. Quinimò ex declaratione Eminentiss. Cardinalium, quam refert Prosper Fagnanus in cap. non est nobis de sponsal. & Matr. invalidè absolvit excommunicatus, degratatus, suspensus, hæreticus, &c. si sit alius carens his vitiis. Ex quo magis roboratur communior sententia de ordine servando.

861. Approbatio autem est authentica seù auctoritativa declaratio, quâ declaratur, personam, quæ approbatur, esse instructam qualitatibus necessariis ad fungendum officio Confessarii, dummodò accedat jurisdictio. Undè approbare aliquem, est declarare, illum esse dignum, & idoneum, cui à legitimo Superiore possint re ipsa in actu secundo committi subditi, in quos exerceat potestatem clavium. Ex quo apparet, quòd licèt Episcopus possit pro libito suo non admittere aliquem ad examen, eo quòd alios nolit in sua Diœcesi Confessarios; si jam admittat, non posse absque injustitiâ negare approbationem iis, qui verè digni sunt. Quod autem jurisdictio, & approbatio, solùm durante beneplacito, vel ad determinatum tempus, quandoque concedantur, parùm refert; nam ex eò non negatur aptitudo præsens; sed quia homines mutabiles sunt, fieri potest, ut vel in doctrina, vel in moribus posteà aliter se habeant. Quâ de causa non invenio difficultatem, quam aliqui concipiunt, eò quòd aliqui in primo suo ad Episcopatum ingressu, vel revocant, vel suspendunt, usq; ad novam approbationem licentias ad excipiendas Confessionis.

§. II.

362. Asfero secundò: Munera propria Confessarii tria præcipuè sunt, nimirùm Medici, Doctoris & Judicis, juxtà quæ operari tenetur. Probatur & explicatur simùl Conclusio: quia Confessarius tenetur præscribere pœnitentiam medicinalem, quando rationabiliter credit pœnitentem indigere hujusmodi præscriptione ad alicujus peccati mortalis emendationem ex num. 435. & 328: adeóque tenetur, ut Medicus, operari. Tum etiam tenetur habere scientiam, etsi non ad resolvenda omnia dubia, quæ occurrunt, saltem ad communia, ità ut de difficilioribus sciat dubitare, & libros, aut peritiores consulere: etenim licèt non requiratur tanta scientia ad audiendam Confessionem hominis imperiti; neque tanta ad Confessionem puerorum, vel rusticorum, quanta ad Confessionem non rusticorum, judicum, aut aliorum, qui casus habent difficiliores; attamen peccaret graviter, qui absque scientia respectivè requisitâ se exponeret ad audiendas Confessiones extra casum urgentissimæ necessitatis, qualis est articulus mortis, vel quod sæpè evenit, quando aliquibus Oppidis exiguis. & valdè remotis præficiuntur Parochi indocti, & rudes, quia cùm non inveniatur aptior volens curam illam susc ipere, propter penuriam rerum, ac pauperiem incolarum, melius est eo modo, quo potest, illis ovibus succurrere, quàm absque ullo remedio relinquere, admonendo Parochum de defectu scientiæ, & obligatione, quam habet, illam, prout possit, comparandi: adeóque ex munere suo tenetur semper, ut Doctor, operari.

Quam-

863. Quamobrem tenetur instruere discretè pœnitentem, quando invenit eum laborantem aliquo dubio, vel ignorantia vincibili, quæ est causa plurium formalium peccatorum. Quando verò ignorantia est invincibilis, solúmque est causa peccatorum materialium, tunc debet monere, si speratur fructus, & non timentur majora mala. Si autem prudenter timentur, præstat communiter, tacendo, illum relinquere in sua bona fide, ne perseveret malâ fide in his, in quibus anteà bona fide perstabat, & peccet formaliter in his, in quibus solùm materialiter peccabat, juxta illud Augustini in cap. *Si quis* de pœnit. dist. 7. *Si scirem tibi non prodesse, te non monerem, te non terrerem.*

864. Non tamen licèt talem pœnitentem positivè hortari ad prosequendum tale malum, licèt solùm materiale. Si autem Confessarius de hoc interrogetur à pœnitente dubitante, tenetur illi aperire veritatem, prudenter tamen, non plus dicendo, quàm interrogatur, & speratur profuturum, ex dicendis à num. 376. Debet etiam instituere laborantem ignorantiâ circà ea, quæ necessaria sunt ad validam, & licitam susceptionem Sacramenti, & circà res fidei necessarias, vel certò, vel probabiliter necessitate medii: Ratio est, quia si certò sunt necessaria necessitate medii, certum est, absque illis Sacramentum non dari; si verò probabiliter sunt necessaria necessitate medii, probabile est, Sacramentum frustrari, quamvis inculpabiliter omitterentur: cùm autem Minister non possit se exponere periculo frustrandi Sacramentum, ea de causa Confessarius tenetur antè absolutionem circa ista pœnitentem instruere. Cùm autem probabile sit, post Evangelij promulgationem necessariam esse necessitate medii ad justificationem, fidem explicitam Mysteriorum SS. Trinitatis, & Incarnationis, ut defendunt S. Thom. Bonaventura, Durandus, Molina, Valentia, Th. Sanctez, Granado Contr. 1. de fide tract. 10. disp. 2. sect. 2. aliiq; quamplures contra alios, tùm antiquos, tùm modernos; exindè extra articulum mortis, quandò aliter fieri non posset, nequit absolvi pœnitens cum ignorantia horum Mysteriorum.

865. Hæc autem est ratio, propter quam meritò damnata fuit ab Innocentio XI. propositio 64. quæ sic habebat: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C. & 65. Sufficit illa Mysteria semèl credidisse*: licèt enim non teneantur fideles explicitè credere omnia fidei Mysteria: quis enim obligatur ad credendum explicitè, Christum Dominum in Sepulchro novo fuisse sepultum & alia similia, quæ in Evangelio continentur? obligantur autem ad credendum explicitè aliqua, necessitate medii, nimirum & Deum esse, & remuneratorem esse, ut constat ex num. 5. de Deo. Tenentur etiam credere necessitate præcepti præcipua fidei nostræ Mysteria, ità ut ea duo Mysteria Trinitatis, & Incarnationis, valdè probabile sit, debero credi fide explicita. Unde ea, quæ certò, vel probabiliter credi debent fide explicita, necessitate medii, si ignorentur, reddunt pœnitentem incapacem Absolutionis; secùs autem ea, quæ certò requiruntur necessaria solùm necessitate præcepti, ut plures habent cum Lessio, dummodò de peccato ignorantiæ doleat, & promittat, se daturum operam, ut ea discat, primo quoque tempore. Exinde clarè constat, quomodò Confessarius exercere teneatur munus Doctoris.

Tenetur tandem Confessarius munus judicis exercere ex Tridentino sess. 14. c. 2. Exercet autem hoc munus, primò: dum examinat pœnitentem. Secundò: dum judicat de ipsius peccatis, sint ne mortalia, an venialia juxta dicta à num. 101, Tertiò: dum impertitur, aut negat Absolutionem. Quartò: dum imponit pœnitentiam, aut satisfactionem debitam, vel soli Deo, aut etiam hominibus: debet enim Confessarius in his se gerere cum debita prudentia, ut caveat, ne absolvat indispositum: debet enim ei moraliter constare de bona dispositione pœnitentis; aliter absolvendo, peccaret mortaliter. Unde non licet absolvere eum, qui non præbet signa doloris, & propositi non peccandi de cætero: atque adeò neque eum, qui cùm possit, non est paratus restituere, vel proximas peccandi occasiones fugere, vel odium inimici deponere, & sic de aliis. Ad hæc autem meliùs præstanda, habendæ sunt præ oculis propositiones huc spectantes damnatæ ab

ab Innocentio XI. præſertim ſubſequentes.

367. *LVIII. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetidinem. LIX. Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus Feſtivitatis, aut Indulgentiæ. LX. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contrà Legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt deneganda, nec differenda Abſolutio, dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem. LXI. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult ommittere, quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit. LXII. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit. LXIII. Licitum eſt, quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono Spirituali, noſtro, vel proximi.*

SECTIO II.

Solvuntur Oppoſita.

§. I.

368. OBjicies primò contrà primam Aſſertionem: Cuicumque Sacerdoti in ſua Ordinatione conceditur talis poteſtas abſolvendi, ut vi illius verè maneant remiſſa peccata, quæ ab eo remittuntur: ergo non eſt neceſſe, ut ſuperaddatur alia juriſdictio, aut approbatio ad validam, etſi requiratur ex præcepto, ad licitam Abſolutionem. Confirmatur primò: volente Parocho, poteſt ſimplex Sacerdos validè ſuas oves abſolvere: ergo multò meliùs poterit habere approbationem abſq; ullo Epiſcopi authentico teſtimonio. Confirmatur ſecundò: ſimplex Sacerdos validè abſolvit à venialibus, vel à mortalibus, jam ritè confeſſis: ergo in Ordinatione recipit omnia requiſita ad valorem, licèt non ad licitam Abſolutionem. Confirmatur tertiò: nullus poteſt abſolvere adhuc in articulo mortis, quin habeat omnia neceſſaria ad valorem Abſolutionis: ſed quilibet Sacerdos in eo caſu abſolvere poteſt, ex num. 358. ergo ex vi ſuæ Ordinationis habet, quidquid requiritur ad validam Abſolutionem. Confirmatur quartò: ſi ex vi ſuæ ordinationis non haberet quicumque Sacerdos, quidquid requiritur ad validam abſolutionem, Romanus Pontifex non poſſet habere Confeſſarium, cùm nulli alii ſit ſubjectus, nec poſſit dare ſupra ſe juriſdictionem. ergo, &c.

Reſpondeo, diſt. Antecedens, ut vi illius, tanquam neceſſariò requiſitæ, concedo, tanquam unicè requiſitæ, nego Antecedens, & Conſeq. Ratio eſt, quia quando ad conſtituendam potentiam aliquam expeditam requiruntur plura, futilis valde argumentatio eſt, ſi dicatur: hoc unum eſt neceſſariò requiſitum: ergo & unicè requiſitum. Sic ad conſtituendum hominem, eſt corpus neceſſariò requiſitum, ſed non unicè requiſitum, cùm requiratur etiam anima, & unio. Pariter ad facultatem Confeſſarii expeditam ad validè Abſolvendum, ex Tridentino cit. à num. 352. requiruntur tria, nimirùm poteſtas, jurisdictio, & approbatio. Undè inutilis omninò argumentatio eſt, dicere: poteſtas Ordinis Sacerdotalis neceſſario requiritur: ergo & unicè requiritur. Ad primam Conf. diſt. Antec. Si ſit approbatus, concedo: Si non ſit, nego Antecedens, & Conſeq. quia jurisdictio, & approbatio conferri poſſunt ſeorſim abſque ulla inter ipſas dependentia. Sic Pontifex aliquibus Religionibus confert immediatè jurisdictionem, non autem approbationem: Epiſcopus autem confert illis approbationem, quin ſua egeant jurisdictione: Parochus verò, cùm in Spiritualibus ſuarum ovium ſit Superior, poteſt ſimplici Sacerdoti conferre circà illas jurisdictionem; ſecùs approbationem, quam Ordinarius, vel Epiſcopus debet conferre, ex num. 354. Ex quo patet, talem approbationem neceſſariam non eſſe ex Tridentino ad audiendas Confeſſiones Regularium. 369.

Ad ſecundam Confirmationem: diſt. Antecedens: ſi habeat jurisdictionem, & approbationem conceſſas ab Eccleſia per conſuetudinem, concedo: ſi non habeat, nego Antecedens, & Conſequentiam. Ratio eſt, quia licèt antè decreta Innocentii XI. tanquam certa ſupponeretur à ferè omnibus Authoribus ea facultas conceſſa ab Eccleſia, ex immemorabili conſuetu- 370.

dine, sivè, ut ajebat Vasquez, ex jure divino; at Innocentius XI. in decreto, circa Communionem quotidianam, dato Romæ 12. Februarii 1679. sic præcipit Ordinariis: *Non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.* Ex quibus verbis aliqui judicant, Ecclesiam non concedere illam jurisdictionem, quæ per consuetudinem, ex tacito Ecclesiæ consensu, habebatur, adeóque non esse jam validam talem Absolutionem; Alii dicunt, dubium esse, an illa facultas revocetur, adeóque dubium esse Absolutionis valorem.

271. Alii verò cum Cardenas dis. 2. cap. 6. art. 9. & 10. judicant, ex illis verbis solùm inferri, Absolutionem esse illicitam, secùs invalidam; adeóque esse adhuc in eo casu certò validam, & exindè manere absolutum directè à mortalibus illum, qui bonâ fide confitetur ea peccata, simúlque Sacerdos absolvit bona fide. Quidquid tamen de hoc sit, non habetur ea facultas ex sola potestate Ordinis, sed si habetur, est ex Ecclesiæ concessione, ut reliqui concedunt, præter Vazquez, qui censet haberi ex jure divino, adeóque sola potestas Ordinis satis non est ad validè ministrandum pœnitentiæ Sacramentum; sed ultrà illam potestatem necessaria est jurisdictio expedita, & non ablata, neque ad effectum ilsum suspensa.

272. Ad tertiam Confirmationam: concedo Ma: & dist. Mi: potest absolvere, ex jurisdictione expedita concessa ei ab Ecclesia, concedo; absque tali jurisdictione, nego Mi: & Conseq. Ratio est, quia talis expedita jurisdictio pro eo casu conceditur ab Ecclesia simplici Sacerdoti ex num. 358. Ad quartam Confirmationem, nego Anteced. Pontifex enim potest dare jurisdictionem Confessario juxtà facultatem, quam habet à Christo Domino ad eam conferendam: Cùm autem Christus Dominus ei dederit facultatem, non solùm ut instituat Confessarium pro aliis, sed etiam pro se, cùm non solùm alii, sed etiam ipse ex institutione hujus Sacramenti ad Confessionem Sacramentalem obligetur; exindè potest se alteri subjicere in foro Sacramentali, & ad hoc munus ei dare jurisdictionem. Sic etiam Episcopus sibi instituit Confessarium, & illa, quæ potest concedere subditis, potest sibi ipsi concedere, si illi non sit specialiter prohibitum.

Quamobrem, quandò cum communi 273
populo dispensat in aliquibus, v. g. in lege jejunii, ea dispensatio comprehendit ipsum Episcopum, adeóque potest committere suo Confessario, ut dispenset secum in iis, in quibus ipse Episcopus potest dispensare cum subditis, de quibus latè Thom. Sanchez tom. 3. de Matr. l. 8. disp. 3. Nec refert, quòd se ipsum designare non possit ad habendam dignitatem, vel beneficium, quod potest alteri conferre, quia hoc est illi specialiter prohibitum in cap. final. de instit. ubi dicitur, inter dantem, & accipientem, debere esse distinctionem personalem. In casu autem nostro, nulla quidem requiritur personalis distinctio inter subjicientem, & subjectum: sicuti, quando aliquis se ipsum humiliat, nulla requiritur personalis distinctio inter humiliantem, & humiliatum.

§. II.

Objicies secundò contrà secundam 274
Conclusionem. Si confessarius teneretur operari juxtà munera à nobis exposita, peccarent Episcopi, qui multoties Parochos indoctos constituunt: atqui durum est, eam praxim improbare: ergo, &c. Confirmatur primò: munera à Christo data Confessario non redundant per se in pœnam habentis; sunt quidem gratia, & non supplicium: atqui si Confessarius teneretur operari juxtà ea munera, per se redundarent in pœnam habentis: ergo, &c. Probatur Minor: quando pœnitens laboraret ignorantiâ invincibili, sive facti sive juris humani, sive divini, vel naturalis, non posset excusari à peccato, quomodocumque cum pœnitente se gereret, v. g. quando conjux, cujus matrimonium est nullum, non vult reddere debitum viro, putans invincibiliter esse validum; Confessarius verò timet plura peccata, si rem aperiat, peccabit, quomodocumque se gerat: nam si dicat, quòd reddat debitum, inducit ad peccatum, adeóque peccat; si aperit veritatem, est causa aliorum peccatorum, quæ prævidet: ergo &c. Confirmatur secundò: quando Judex confiteretur peccatum suum, quia non satisfacit suo debito condemnandi reum pœnâ capitis, si

Con-

Confeſſarius taceret, non adimpleret munus ſuum, adeóque peccaret; ſi doceat, & hortetur ad id faciendum, erit cauſa mortis, adeóque irregularis: ergo &c.

875. Reſpondeo: diſt. Maj. qui conſtituunt, nulla cohoneſtante neceſſitate, concedo: urgente neceſſitate, nego Maj. & diſt. Min. nego Conſeq. Ratio eſt, quiá quandò aliquis inter duo extrema mala reperitur, quorum unum vitari non poteſt, niſi amplectendo alterum, non eſt peccatum amplecti minus, ad vitandum majus; ſed eſt valdè prudens, & naturæ rationali conforme. Cùm autem Epiſcopi ità ſe gerant, quandò præficiunt Parochos minùs aptos, & doctos; exinde non peccant, ſi ſe gerant, ut diximus num. 362. Quòd ſi præficerent ineptos, quando poſſunt aptos præficere, manifeſtè peccarent. Ad primam Confirmationem, concedo Ma. & nego Mi. Ad probationem, nego Antecedens, quia Confeſſarius, ſi in eo, & ſimilibus caſibus, ſe gerat, ut debet, nullatenùs peccat: cùm enim ejus munus ordinetur ad bonum pœnitentis, conſiderare, & ponderare debet utrumque malum, nimirùm malum illud violationis legis Dei naturalis, & abſque formali peccato, & illud aliud malum, & detrimentum, ſive ſpirituale, ſive temporale, quod ex admonitione incurreretur: hoc enim poteſt aliquando illi præponderare, & tunc abſque peccato omittitur admonitio.

876. Quamobrem Sotus in 4. diſtin. 18. quæſt. 2, art. 4. ad 2. dicit, non poſſe Confeſſarium, in caſu argumenti, dicere uxori abſolutè, quòd reddat debitum, cùm id ſit conſulere fornicationem; ſed debere dicere in genere, quòd conjuges tenentur reddere debitum. Hanc tamen diſtinctionem impugnat Sanchez lib. 2. de Matr. diſp. 38. quia illa verba in iis circumſtantiis eandem vim habent, ac ſi diceret: *redde debitum.* Unde Cardin. de Lugo, pluréſque alii cum Sanchez docent, poſſe licitè Confeſſarium tunc abſolutè dicere: *Tu teneris reddere debitum*: quia in eo ſtatu, & cum ea bona fide tenetur tub peccato reddere debitum. Si verò admonitio redundaret in bonum commune, & ignorantia illa in ſolum bonum particulare, admonendus foret pœnitens. Exemplum eſto, quando Parochus invincibilitèr habet opiniones erroneas, quàs ſubditis ingerit circà mores; vel quando aliqnis bona fide putat, ſe eſſe Sacerdotem, cùm non ſit, cujus ignorantia redundat in damnum commune eorum, qui ab eo Sacramenta irrita ſuſcipiunt; vel ſi eſſet publica fama, & ſcandalum de nullitate matrimonii; conjux autem ipſe eam ignoraret, & ſic de aliis, &c.

Ad ſecundam Confirmationem: nego 877.
Antecedens, quia in eo caſu Confeſſarius, neque eſt irregularis, adimplendo, ut debet, munus ſuum. Sed quomodò adimplere debet? Henriquez lib. 14 de Irregularitate cap. 16. num. 4. Avila part. 7. de cenſ. diſp. 5. ſect. 2. dub. 6. Concl. 2. docent, Confeſſarium fore irregularem, ſi in caſu aliquo particulari dicat, debere occidi aliquem reum, vel ſi id pœnitenti conſulat. Molina tom. 4. de Juſt. tract. 3. diſp. 34. Bonacina cum aliis, quos ipſe refert diſp. 7. de cenſuris quæſt. 4. punct. 1. num. 7. docent, Confeſſarium poſſe dicere, quid dictent leges in communi, nihil aut præcipiendo aut conſulendo in particulari, nec dicendo, quid ipſe ſentiat. Hoc autem quàm difficile ſit, nemo eſt, qui non videat: quia illa verba generalia in illis circumſtantiis æquivalent re vera conſilio, vel præcepto occidendi hunc reum: cur ergo non poterit conſulere, aut præcipere, ſi poteſt impunè in illis circumſtantiis ea verba facere, & talem doctrinam docere?

Qua de cauſa probabilior mihi videtur 878.
ſententia, quam defendunt P. Vazquez, Luiſius Turrianus lib. 9. de Cenſ. diſp. 66. dub. 4. & 2. 2. tom. 1. diſput. 93. dub. 2. Diana par. 2. tract. 5. miſcel: Reſol. 80. Card. de Lugo diſp. 22. de pœnitentia, ſect. 2. num. 33. & plurimi Recentiores docentes, non incurri irregularitatem à Confeſſario propter tale conſilium, vel præceptum. Ratio eſt, quia Confeſſarius eam obligationem docendo, & præcipiendo, non excedit limites ſui muneris: atque ideò non habet, unde contrahat irregularitatem, quæ muneri Confeſſarii neutiquàm eſt annexa. Quinimò, ut cum Vazquez defendit Turrianus ſupra citatâ diſp. 66. dub. 3. & ſubſcribunt Lugo, Tamburinus, & communiter Recentiores, irregularitas illa, quæ ex defectu lenitatis provenit,

non incurritur à personis privatis, sed à solis iis, qui spectant ad judicium, & à Ministris Justitiæ, ut Judice, Tabellione, Advocato, Procuratore, Accusatore, Teste &c. non verò ab aliis, qui sunt extra judicium, neque sunt Ministri Justitiæ; quia pro illis non invenitur in jure talis irregularitas imposita. Ex qua doctrina, quæ verè probabilis est, nullus manet scrupulus in casu nostro.

DISPUTATIO IX.
DE SIGILLO SACRAMENTALI.

379. SIgillum Sacramentale translatâ metaphora ab eo, quo secreta obsignantur, ne aliis palam fiant, dicitur, & est obligatio juris divini servandi secreta, & tecta, in omni casu, illa, quæ accepta sunt ex Confessione Sacramentali. Quamobrem vi sigilli obligatur Confessarius jure divino strictissimè in omni casu, etiam quo totius mundi salus periclitaretur, ad omninò tacendum, & nullatenùs manifestandum, adhuc indirectè, & post mortem pœnitentis, omnia audita, & cognita ex Confessione, quorum revelatio redderet Sacramentum onerosum, & odiosum: Adeò constans, & certum fuit semper hoc Divinum præceptum in Ecclesia Dei, ut nec Hæretici hoc unquam negaverint, ideóque necessaria non fuit peculiaris definitio Concilii Tridentini in hoc articulo. Quâ de causa, relictis aliorum probationibus, ex hoc ipso principio ostendemus facilè, tale præceptum non esse juris humani, sed divini. Pro quo sit.

SECTIO I.

De præcepto, & materia Sigilli Sacramentalis.

§. I.

380. ASsero primò: obligatio Confessarii servandi secreta, & tecta in omni casu, quæ in ordine ad claves accepit ex Confessione Sacramentali, oritur ex præcepto, & jure divino. Probatur primò: plura sunt in Ecclesiâ Dei per traditionem ab Apostolis habita ex jure, & præcepto divino, & constat ex Paul. 1. ad Corint. 11. dicente: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, & cap. 15. *tradidi enim vobis in primis, quod & accepi.* Et ad Galat. 1. *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod Evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem. Neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem JEsu Christi.* Et 2. ad Thes. cap. 2. *tenete traditiones, quas didicistis.* Undè ea, quæ à tempore Apostolorum per continuam Ecclesiæ traditionem habita sunt à fidelibus, non quidem, ut obligatoria ex jure humano, sed ex jure, & præcepto divino; certissimum est, ex divino præcepto obligare, ut definit Tridentinum sess. 4. in decreto de Canonicis Scripturis: atqui talis est ea obligatio sigilli Sacramentalis, ut constat ex num. Superiori: ergo &c.

Probatur secundò: Ecclesia Catholica, quando agit de obligatione sigilli Sacramentalis non innovat, sed supponit certissimam illam obligationem: ergo claré supponit, eam esse ex jure divino. Probatur Antecedens ex Gregorio Papa in cap. *Sacerdos* de Pœnitentia dist. 6. ubi ait: *Propter nullum scandalum vitandum, frangendum esse hoc sigillum.* Sic etiam Conc. Lateran. in cap. *Omnis utriusque sexus*, ait: *Caveat autem omninò, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenùs peccatorem; sed si prudentiorum consilio indiguerit, illud, absque ulla expositione personæ, cautè requirat*: ergo &c. Quapropter licèt ex suppositione hujus Sacramenti maneret Confessarius ad naturale secretum jure naturæ obligatus; Christus Dominus non contentus obligatione orta ex secreto juris naturalis, quod ad evitandum totius Reipublicæ maximum detrimentum aperiri potest, aliisque in casibus apud Authores videndis, voluit strictiorem imponere obligationem ex novo præcepto, cognito à nobis per traditionem, ut in nullo casu secretum hoc revelari posset, ut notavit optimè contra alios P. Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 1. n. 10. & Coninck disp. 9. de pœnitentia, dub. 2. plurésque alii cum ipsis.

Quæ-

382. Quapropter verissima est persuasio Fidelium de eo, quòd revelatio Confessionis esset injuriosa, contra reverentiam debitam Sacramento, ejúsque Institutionem. Ratio est, quia ex hujusmodi Institutione constat, voluisse Christum Dominum, ne ex metu revelationis sigilli retraherentur Fideles ab hoc Sacramento, adeóque de facto excusatur pœnitens à Confessione sui peccati, quando prudenter timet, Confessarium non observaturum sigillum, ex n. 123. atqui, per revelationem sigilli, & Fideles retraherentur, ut per se notum est: quinimò legimus apud Abissinos, vel Æthiopes, hoc Sacramentum ferè abiisse in desuetudinem propter malitiam Sacerdotum, qui sigillum religiosè non observabant: ergo revelatio sigilli esset injuriosa contra reverentiam debitam huic Sacramento. Undè ex communi Doctorum, in revelatione Sigilli, multiplex malitia contraheretur. Primò, Malitia Sacrilegii contra Reverentiam huic Sacramento debitam ex Jure Divino, & in hoc non datur parvitas materiæ. Secundò, Malitia injustitiæ, cùm unusquisque habeat jus, ut ipsi servetur secretum, quod servari debet; & hoc semper debeat servari. Tertiò, Malitia contra Charitatem ex præcepto non infamandi proximum, cùm nimirùm revelatur peccatum, pœnitentem infamans. Exindè

383. Assero secundò: Obligatio sigilli oritur ex omni, & sola Confessione Sacramentali, qualis est ea, in qua aperiuntur peccata alteri, sivè Sacerdoti vero, sivè existimato, qui loco Christi Domini putabatur pollere potestate remittendi peccata, adeóque fiebat Confessio in ordine ad Absolutionem, & remissionem peccatorum impetrandam, sivè Confessio illa sit valida, sivè invalida, ex defectu, vel jurisdictionis, vel integritatis, vel doloris, vel propositi. Probatur primò: quia ita habet communis persuasio Fidelium, ut testantur ferè omnes DD. videndi apud Gobat, tract. 7. Etenim qui ita confitebitur, sivè Sacerdos sit reipsa talis, sivè existimatus, vult illud Sacramentum modo, quo Christus instituit, & eo fine quærit Absolutionem, adeóque ex intentione pœnitentis, ea Confessio est Sacramentalis: atqui ad obligationem sigilli sufficit Confessio ita Sacramentalis, licèt Absolutio, vel invalida sit, vel nulla: aliter, quando Confessarius agnoscens carentiam propositi, vel alium defectum, negat pœnitenti Absolutionem, non obligaretur ad sigillum, quod est contra omnes Catholicos: ergo &c.

Probatur secundò: Obligatio sigilli oritur ex Confessione illa, quæ verè comprehenditur sub fine, quem habuit Christus ad imponendum tale præceptum: sed talis Confessio verè comprehenditur sub tali fine: ergo &c. Probatur Min. finis, quem habuit Christus, est, ne retraherentur homines à Confessione Sacramentali, ex n. 382. sed si talis Confessio non sufficeret ad obligationem sigilli, facilè retraherentur homines à Confessione Sacramentali, cùm scire non possint, an talis Sacerdos sit verus, an solus existimatus: non enim scire possunt, an velit decipere, an sit verè Baptizatus, Ordinatus: ergo &c. Exindè cùm finis præcepti à Christo impositi tenderet, ut fideles accederent ad eum, quem existimabant Sacerdotem, & potentem remittere peccata, non valet paritas desumpta ab illo, qui accederet ad laicum cognitum, ut talem, etsi per errorem judicaret, posse peccata remittere: ex tali enim Confessione, ut contra Hurtadum, & Navarrum, docent cum Suario, & Valquez communiter Theologi, non oritur obligatio sigilli, quia ille error, utpotè deceptio in jure, non est satis ad retrahendum homines à Confessione; benè verò alter, qui non est ex deceptione in jure, sed ex ignorantia facti, quæ valdè diversa sunt, ut per se patet. 384.

Quamobrem non oritur obligatio sigilli ex Confessione simulata, seu facta fictè, & non ex animo confitendi Sacramentaliter, sed futandi, vel illudendi, vel pervertendi Confessarium, etsi in hoc casu prudenter sit tacendum; tum etiam, quando pœnitens accederet ad Confessarium, & diceret, nolo confiteri, sed volo schedulam de Confessione, ut Parocho tradam; cùm non daretur Confessio in Ordine ad Sacramentalem Absolutionem, non oriebatur obligatio sigilli. Quinimò neque frangitur sigillum, licèt neges schedulam indispositio, quem non absolvis, ut contra alios defendit Lugo disp. 23. sect. 4. num. 87. etsi ex ea Confessione verè oriatur obligatio sigilli: etenim negare schedu- 385.

lam non est reprobare sed præcisè non approbare testimonio positivo, ad quod tunc Confessarius non tenetur. Neque oritur obligatio sigilli, quando alicui, sive Confessario, sive non Confessario, extra Confessionem, neque in ordine ad Confessionem faciendam, dicitur aliquid sub secreto, etsi qui loquitur dicat, se hoc dicere sub secreto Confessionis: quia tunc cùm nulla re vera detur confessio, solùm datur obligatio secreti naturalis, gravior, aut levior pro rei qualitate.

386. Igitur ut oriatur obligatio sigilli, requiritur, quòd pœnitens non solùm consilii petendi gratiâ veniat ad Confessarium, sicut posset venire ad Diaconum, vel ad laicum, sed tanquam ad Judicem in illo foro, ut judicet de illius dispositione, & dirigat eum in ordine ad id, quod deesse judicat, ut possit Absolutionem aliquando obtinere. Sic licèt tunc pœnitens indispositus sit, jam dicitur illa confessio facta in ordine ad absolutionem Sacramentalem. Undè in cap. *quod quidam* de pœnit. & remiss. dicitur, admittendas esse, & audiendas confessiones meretricum, & aliorum similium, licèt non sit danda eis Absolutio. Unde ad obligationem sigilli oportet, quòd per illam confessionem velit pœnitens aliquomodò facere id, quod Christus præcepit. Hæc autem intentio à posteriori colligitur: nam si in illa qualicumque Confessione graviter mentiretur, putaret, se committere Sacrilegium contra veritatem, ac fidelitatem, & integritatem Confessioni debitam: atque adeò apprehendit eam, ut Confessionem à Christo institutam, & ex parte sua Sacramentalem; licèt ob indispositionem compleri non possit per formam Sacramenti.

§. II.

387. Assero tertiò: non solùm obligat Confessarium Sacramentale sigillum, verùm etiam omnes illos, ad quos citra consensum pœnitentis, vel immediatè, vel mediatè notitia Confessionis pervenerit, vel ad quos pervenerit cum pœnitentis licentia, prout in Ordine ad obtinendam Sacramentalem Absolutionem. Ita Suarius disp. 33. sect. 4. Card. de Lugo disp. 23. plurésque cum illis contra Tannerum, & alios. Probatur primò: quia talis est communis Fidelium persuasio: quæ in hac materia est melior interpres divini præcepti: etenim cùm Sacramentum pœnitentiæ sit difficillimum, & unum ex difficilioribus, quæ in lege gratiæ præcipiuntur, probabilius est, Christum suo præcepto prohibuisse omnia, quæ illud gravius, & difficilius efficiunt, & præcepisse, quæ facilius, & suavius reddunt: atqui si omnes illi, qui sive ex consensu, sive sine consensu pœnitentis, notitiam Confessionis habent, præter Confessarium, possent sine contraventione præcepti Christi, de sigillo Sacramentali servando, Confessionem revelare, redderetur profectò gravius, & onerosius Sacramentum: ergo eos omnes, præcepto sigilli interposito, obligavit Christus ad tacendum. Confirmatur: plures Authores contrariæ Sententiæ, videndi apud Dianam par. 5. tract. 11. Resol. 11, etsi non dubitent teneri eos omnes jure secreti naturalis, at in casu extremæ necessitatis, præsertim publicæ, ad publicum malum avertendum, censent, reliquos omnes præter Confessarium licitè posse revelare, quæ norunt, quæ non possent, si obligarentur lege sigilli; sed ex eo redderetur odiosa, & retraherentur Fideles à Confessione, contra finem præcepti, ex num. 382. ergo &c.

Probatur secundò, ratione mihi fundamentali. Quando aliquis casus occurrit, ex quo desumi potest de sensu Catholicorum experimentum; & Ecclesiæ Prælati, & Populus Catholicus censent fractorem sigilli Sacramentalis illum, qui eam notitiam ex Confessione habitam, absque licentia pœnitentis manifestat, sive ab ipso Confessario, sive à Laico, qui ex illo notitiam habuit, manifestetur. Qua de re præclarissimum habemus exemplum in vita S. Thomæ de Villanova Archiepiscopi Valentini: eo quippe tempore, quo Sanctus hic pariter, atque Doctissimus Præsul Ecclesiam illam gubernabat; quidam improbus Confessarius excepit confessionem rei, qui occiderat inimicum: Confessarius verò, occisi cognatus, rem laicis manifestavit, ut occisorem accusarent coram Regio Tribunali, & veritatem juramento firmarent: quod cùm ita factum esset, comprehensus fuit reus, & sententia mortis contrà ipsum pronunciata: ductus fuit ad patibulum. ut ibi suspensus pœnam luceret: Reus autem, etsi instanter rogatus à probis

probis hominibus, ut conscientiam suam, per Sacramentalem confessionem, antè mortem expiaret, omninò renuebat, ratus, confessionem sibi esse pernicioſam, quia ut ipse ajebat, soli Confessario factum revelaverat, adeóque testes neutiquam potuisse deponere contra ipsum, nisi per notitiam habitam ex Sacramentali Confessione.

389. Eo tempore S. Thom. ex publica licentia, quam in tali periculo constitutus reus illi offerebat, coram Crucifixo Confessarium illum examinabat, à quo scivit, verum esse, quod reus ajebat. Quo audito, S. Præsul, & Confessario acerrimas, quas merebatur, pœnas, & reo libertatem donavit: præcepit enim, ut Ministri justitiæ sisterent, usque dum ipse Proregem alloqueretur. Zelo itaque Dei armatus Proregem adiit, conquestus acriter, quòd homo innocens, condemnaretur. Obstupuit Prorex, delicti rei non ignarus ex juramento testium. At S. Præsul Christum Dominum Regem Regum in defensorem vocavit, qui Sacramentale sigillum ita observandum præceperat, ut per notitiam ex illo habitam nemo auderet, neque directè, neque indirectè pœnitentem infamare: qua de causa sub comminatione divini judicii exigebat, ut sententia prolata revocaretur, & de illo homine, tanquam de innocente judicium fieret: veritate comprobata annuit libenter Prorex, & summo cum ingentis illius populi plausu, & Ecclesiæ Catholicæ honore, homo ille, tanquàm innocens, & vitæ dignus, libertate donatur. En casum, ex quo

390. Sic formatur argumentum. Notitia, quæ ad Regium Tribunal advenerat, non quidem per Confessarium, sed per Laicos advenerat: atqui ex doctrina S. Thomæ de Villanova Regium Tribunal, ne Sacramentalis sigilli violationem incurreret, ita debebat se gerere, ac si notitiam illam non haberet: ergo &c. Undè licèt soli Confessario datum fuerit à Christo Domino Ministerium clavium, & in hoc sensu, solus ipse dicatur habere propriè sigillum; at si sigillum non sumatur in hoc sensu, sed pro obligatione secreti ex illo orta, modo, quo illud sumimus in præsenti, non solùm ad Confessarium, sed etiam se extendit ad Laicos, & ad omnes, qui per Sacramentalem Confessionem notitiam habuerint, hancque judico esse Angelici Præceptoris mentem, si benè expendatur; quidquid Tannerus, & alii reclament: ità enim habet Augelicus Doctor quæst. 11. Supplementi, artic. 3. *Respondeo dicendum, quòd sigillum confessionis competit Sacerdoti, in quantum est Minister hujus Sacramenti, quod nihil aliud est, quàm debitum confessionem celandi, sicut clavis est potestas absolvendi; tamen sicut aliquis qui non est Sacerdos, in aliquo casu participat aliquid de actu clavis, dum Confessionem audit propter necessitatem; ita etiam participat aliquid de actu sigilli Confessionis, & tenetur celare; quamvis propriè loquendo, sigillum Confessionis non habeat.* Unde ex mente D. Thomæ aliud est habere sigillum, & aliud, obligationem ortam ex sigillo. Hanc habet in casu nostro propriè Laicus, licèt sigillum propriè non habeat.

391. Exindè omnes isti habent obligationem sigilli. Primò, interpres pœnitentis. Secundò, Superior, cui se sistit absolutus à reservato, vel ad quem delatus est casus reservatus, pro Absolutione, vel licentia absolvendi. Tertiò, Doctor, vel alius, quem ex licentia pœnitentis consulit confessarius ad rectitudinem sui muneris. Quartò, qui casu, vel nequiter audit pœnitentem confitentem aliquod peccatum: valdè quidem molestum esset, si pœnitens deberet attendere, singulo quoque verbo, an audiretur, absque sigilli onere. Quintò, ille, cui confessarius revelavit peccatum pœnitentis, absque hujus licentia. Sextò, omnes universim, ad quos mediatè, vel immediatè pervenit notitia Confessionis, citrà consensum pœnitentis. Septimò, qui alterius rudis confessionem scripsit, vel scriptam reperit. Octavò, Laicus, qui se fingens Sacerdotem, & Confessarium, Confessionem audit: ex quibus facilè est, alios casus inferre. Pœnitens autem non obligatur sigillo Sacramentali; etsi teneatur tacere, quæ audit à Confessario, vi legis secreti naturalis, quando res ipsæ postularent hujusmodi secretum.

392. Assero quartò. Omnia, quæ pœnitens manifestat, animo se accusandi in ordine ad Sacramentalem Absolutionem, simúlque omne illud in sola Sacramentali Confessione cognitum, cujus revelatio meritò posset reddere Confessionem gravem, & odiosam, est materia sigilli Sacramen-

mentalis. Ita Bonacina cum communi quæst. 6. sect. 1. punct. 2. & Valentia disp. 7. quæst. 13. punct. 3. Probatur Conclusio facilè ex dictis: quia præceptum Divinum, de sigillo Sacramentali, ad id tendit, ut Fideles non retrahantur à Sacramentali Confessione, ex timore manifestationis eorum, quæ in Ordine ad Sacramentalem Absolutionem declarantur, ex num. 381. atqui si timerent manifestanda ea, de quibus se accusant, aut quæ in sola Confessione cognita redderent illam gravem, & odiosam, meritò retraherentur à Confessione Sacramentali: ergo &c. Confirmatur. Quamvis Confessarius solùm manifestaret peccata venialia, aut alia similia, etsi pœnitens ob sui humiliationem, quandoque forsan non malè ferret; attamen si absque explicito, & libero ipsius consensu fieret, meritò posset conqueri, adeóque & confessio, quantum est ex parte talis revelationis, fieret ei gravis, & onerosa, ut ex Ecclesiæ praxi, & doctrina tenent omnes Fideles: ergo ea omnia sunt vera materia sigilli Sacramentalis. Ex dictis

393. Cadunt sub Sacramentale sigillum hæc omnia. Primò: peccata omnia tam præterita, quàm futura pœnitentis, nimirùm proposita peccaminosa, sive executioni mandata, sive mandanda, aut retractata, vel retractanda, esto sint, aut tantùm venialia aut omnibus cognita, tam quæ vera peccata sunt, quàm falsò existimata. Unde reus erit sigilli Confessarius, si de latrone mox suspendendo dicat: *O cum quanta contritione Confessus est mihi sua furta;* vel si dicat, *Petrum sibi confessum esse aliquod mortale, etiamsi non nominet peccatum;* vel si exprimat *certum aliquod veniale, aut in genere dicat, confessum esse plura venialia.* Quod si dicat, confessum esse aliquod veniale, non exindè franget sigillum, cùm sit materia minor, quæ ad Confessionem requiritur, adeóque perindè est dicere, se illum absolvisse, ac dicere eum ad minus aliquod veniale confessum fuisse.

394. Secundò. Cadunt sub sigillum omnes peccatorum circumstantiæ, imò & objecta, v. g. quando quis in Confessione se accusat, quòd dixerit de Petro esse blasphemum, vel de Joanne esse adulterum; non potest ex hac notitia Confessarius dicere, Petrum esse blasphemum, aut Joannem esse adulterum, ut notat bene Filiucius tract. 7. num. 321. Pariter cùm quis confitetur, impatienter tulisse, quòd Petrus sit incarceratus ob sua crimina, non poterit ex hac notitia dicere, Petrum esse incarceratum, eò quòd sit objectum, sive materia circa quam peccati confessi. Tertiò. Defectus naturales, qui deteguntur in confessione ad explicandam rationem sui peccati, v. g. si pœnitens confiteatur, malè suscepisse Ordines Sacros, quia est illegitimus, non poterit ex hac notitia Confessarius hunc defectum manifestare, etsi posset loqui de circumstantiis publicis, quæ probro carent. Addit Lugo disput. 23. num. 60. distinguendum esse inter defectus notos ex confessione, vel notos, non quidem ex confessione, sed in confessione, v. g. si ex modo loquendi notaret Confessarius pœnitentem esse blesum, surdastrum, hebetis, aut pertinacis ingenii, naturæ irresolutæ, & molestæ, scrupulosum, & suis næniis, impertinentiis, & minutiis obtundere caput Confessariis: cùm enim pœnitens de his nequaquam se accuset, non cognoscuntur ex confessione, sed in confessione, atque ideò censet Lugo cum Navarro, non esse materiam sigilli. Meliùs autem distinguunt Coninck, & Gobat: nam si aliqua in confessione cognita, etsi publicentur, non reddunt confessionem gravem, & odiosam, adeóque non sunt materia sigilli; alia verò eam odiosam merito redderent, adeóque talia sunt materia sigilli.

Quartò. Cadunt sub sigillum peccata complicis, tum quando complex nominatus est, ad malitiam actus explicandam, ut omnes tradunt; tum etiam quando ea nominatio fit, absque necessitate, imò & cum peccato, ut quando pœnitens dicit juvi Petrum, vel fratrem meum in furto, quod patravit. Quintò. Pœnitentia imposita pœnitenti, si gravis sit, quæ solet injungi pro uno mortali, vel quæ imponitur pro veniali magno, aut pro pluribus venialibus. Virtutes autem, quas in Confessione, vel ex confessione pœnitentis novisti fixisse sedem in ejus animo, non cadunt sub sigillo, ut communiter tenent Doctores cum Sa, verbo *Confessio num.* 3. nisi, ut ait Lugo, enarratæ sint ad declarandam suam ingratitudinem erga Deum post tot cœlestia dona. Similiter vota

Reli-

Religionis aut propositum nubendi, & alia hujusmodi impertinentia ad confessionem quæ per accidens in ea interponuntur, non cadunt sub sigillo, nisi, ut ait Tannerus, pœnitens talia dixerit, in ordine ad explicanda peccata, vel talia essent, quæ ex se possent, si revelarentur, meritò reddere Confessionem odiosam, ex numero superiori. Reliqua, quæ hìc possent superaddi, meliùs intelligentur ex solutione argumentorum.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

§. I.

OBjicies primò, contrà primam Conclusionem : Non constat de ullo
396. Christi præcepto in ordine ad sigillum, cotradistincto à jure naturali tacendi, quæ audiuntur in confessione, ex suppositione institutionis hujus Sacramenti : ergo obligatio sigilli non oritur ex jure Divino, sed ex jure naturali, suppositâ divinâ hujus Sacramenti institutione. Confirmatur primò: in Concilio Carthaginensi octavo relato in cap. *Placuit* 9. quæst. 2. supponitur, posse Episcopum aliquid dicere, quod in Confessione audivit : ergo &c. Confirmatur secundò, ex Concilio Moguntino cap. 10. & 21. ubi significatur, fuisse olim in usu, ut quædam peccata in confessione audita tacerentur, alia verò in publicum proferrentur : ergo &c. Resp. dist. Antecedens : Non constat jure Divino scripto, concedo, tradito, nego Antecedens, & Consequentiam, ex numero 380.

397. Ad primam Confirmat. distin. Antecedens : quæ audivit in confessione Sacramentali, nego : in confessione non Sacramentali sed publica, quæ olim erat in usu cum consensu pœnitentium, concedo Antecedens, & nego Conseq. quia cùm illa confessio nequaquam tenderet ad Absolutionem Sacramentalem, sed ad humiliationem pœnitentium, & ædificationem audientium, non ferebat secum obligationem Sacramentalis sigilli. Quinimò ob inconvenientia, quæ ex illa nascebantur, abrogata fuit ab Ecclesia tum Latina, tum Græca, ex numero 52. Exinde ad secundam Confirmationem, distinct. Antecedens : proferrentur audita in confessione Sacramentali, nego ; in publica, vel de licentia pœnitentis, concedo Antecedens, & nego Conseq. ea enim, quæ in Sacramentali confessione dicuntur, nunquam revelari potuêre in Ecclesia Dei, absque licentia pœnitentis, sine crimine violationis sigilli. Exinde

Frangeret sacrilegè Confessarius sigil- 398.
lum Sacramentale his omnibus modis. Primò, quando rem comprehensam sigillo ita manifestaret directè, vel indirectè, verbo, vel facto, ut quisquam prudenter posset, vel opinione, vel suspicione assequi, quisnam in individuo rem illam patraverit, vel ad quem res illa pertineat, cùm ex hoc modo loquendi, vel agendi Confessio meritò redderetur odiosa. Dixi prudenter. *Nam de suspicione imprudente, improbabili, & temerariâ non est habendâ cura, cùm impediri non possit.* Tunc autem censetur indirectè revelari pœnitens, complex, aut objectum, quando dicis, facis, aut omittis aliquid, ex quo prævides futurum, ut qui illud dictum, factum, aut immediatè cognoscaet, sint probabiliter judicaturi, aut suspicaturi, quisnam in individuo sit ille, quem tuum dictum, factum, aut omissio tangebat.

Frangeret secundò : quando uteretur 399.
notitia Confessionis intrà Confessionem ipsam cum molestia pœnitentis non utili, aut necessaria ; vel si extra confessionem loqueretur de auditis in confessione cum pœnitente non consentiente, etiamsi loquatur, ut consoletur. Non verò frangis sigillum, quando, in hodierna confessione, loquens utiliter cum pœnitente de auditis in alia confessione facta ante mensem ; vel quando statim post finitam, datámque Absolutionem mones pœnitentem, de aliquo, cujus fueras oblitus, quia meritò hæc non possunt reddere confessionem odiosam, ut contra Dianam, & alios, docent Lugo, Tannerus, plurésque alii cum Gobat. n. 828.

Frangeret : tertiò si diceret : Petrus mihi 400.
confessus est, sed negavi Absolutionem. Ratio est, quia tunc prudenter suspicari possunt audientes, an fuerit negata, vel quia attulit casum reservatum, vel quia caruit proposito emendationis ; secùs esset si diceret : negavi Absolutionem, quia non attulit materiam sufficientem, vel quia non est compos mentis. Quinimò, etsi Petrus ultrò, & publicè dicat, te ei negâsse Absolutionem, non ideò tu poteris id fateri, aut confirmare veritatem : quia tu teneris sigillo, non ille. Addunt Diana, Malderus, & alii, violari sigillum, si Confessarius dicat, se in tali Monasterio audivisse grave peccatum,

tum, etsi non nominet personam: quia satis est ad reddendam in eo Monasterto confessionem odiosam, & gravem. Exinde Hurtado, Malderus, & alii docent, non licere Confessario dicere: in hoc Oppido, vel Urbe, si exigua sit, committi solent talia peccata, nec posse absque scandalo Confessarii, qui paucos habet pœnitentes, v.g. moniales unius Monasterii, coram illis concionari de vitiis auditis in Confessione, quia pœnitentes facilè suffunduntur rubore.

401. Quamobrem peccaret Abbas, Guardianus, aut Rector, qui suo Provinciali, Visitatori, aut Generali scriberet, sibi suos subditos esse validè molestos in casibus reservatis. Peccat etiam contra sigillum Confessarius, ita altè coram aliis loquens, absque licentia pœnitentis, ut præsentes intelligant aliquod peccatum; sicut, & injungens pœnitentiam renitenti, faciendam coram aliis: ex quo hi possent colligere, confessum esse peccatum grave. Quando autem peccatum fuerit publicum, fas est Confessario, imponere pœnitentiã publicam in satisfactionem aliorũ, quam si pœnitens, ut tenetur, acceptet, non adest violatio sigilli peccaminosa, quia consentiente pœnitente fit. At si pœnitens habeat rationabilẽ causam non acceptandi, reniti poterit.

402. Objies secundò, contra secundam Conclusionem: scriptura continens peccata ad faciendam Confessionem, vel Confessionis factæ, non est confessio, & obligat ad sigillum ex num. 391. confessio invalida, utpotè non Sacramentalis, obligare nequit ad sigillum: ergo obligatio sigilli, neque oritur ex sola, neque ex omni confessione facta in Ordine ad Absolutionem. Confirmatur primò: quando Confessarius consulit alterum in Ordine ad Absolutionem, Consiliarius non tenetur sigillo: etenim si consuleretur à pœnitente, non obligaretur ad sigillum: quando autem à Confessario consulitur, perindè est, ac consuli à pœnitente, medio Confessario: sed habet notitiam peccatorum in Ordine ad Absolutionem: ergo &c. Confirmatur secundò: si aliquis audiret pœnitentem se examinantem, ut confiteretur sua peccata, non obligaretur sigillo: atqui ea notitia est habita in ordine ad Absolutionẽ: ergo &c. ex quo videtur, neq; teneri sigillo, qui scribit, vel peccata reperit scripta, cùm perindè se habeat, ac si pœnitentem se examinantem audiret.

403. Resp. dist. Antecedens, quoad primam partem: non est confessio, quæ fit Sacerdoti, concedo: non est confessio disposita juxta præceptum Christi, ut Sacerdoti fiat, aut quæ facta fuit, nego hanc, & secundam partem Antecedentis, cum Consequentia. Ratio est, quia confessio illa scripta æquivalenter est manifestatio per interpretem, vel ut accuratiùs fiat, ne peccata è memoria decidant, quod nequaquam fieret, nisi ex animo accuratè satisfaciendi præcepto. Unde sicut interpres, statim atque audit peccatum pœnitentis, & antequàm ipse manifestet illud Confessario, jam obligatur, postquàm peccatum dixit; pariter peccata, sub ea scriptura contenta, annexam habent obligationem sigilli, & antequàm dicantur & postquàm dicta sunt Sacerdoti à pœnitente: utrumque enim sub finem præcepti cadit; adeóque si revelaretur, merito redderet Confessionem onerosam. Unde ut oriatur obligatio sigilli, non est necesse, quòd confessio sit Sacramentum, sed fat est, quòd à posteriori colligamus, esse factam in Ordine ad Absolutionem Sacramentalem: ex quo, & confessio invalida inducit veram sigilli obligationẽ ex n. 386.

Ad primam Confirmationem, nego Maj. quia Consiliarius in eo casu habet notitiam ex confessione jam ordinata ad Ablutionem, & non ex confessione purè ordinanda, qualem haberet, si consuleretur à pœnitente, ut confessionem suam ordinaret: adeóque licèt tunc non obligaretur, nunc autem sigillo obligatur. Sic quando pœnitens purè consulit Confessarium, ut suam ordinet confessionem, non exindè inducit obligationem sigilli; bene verò, quando jam ordinatam manifestat illam Confessario, qui ante Absolutionem jam tenetur ad sigillum. Quinimò si incipit illam ordinare, revelando illam modo, quo præcipit Christus, jam est sufficiens ad obligationem illam inducendam, ex num. 386. Cæterùm cùm hæc ordinatio, ex ibi dictis, solùm colligi possit à posteriori, & per actionem peccati manifestativam, sive formalem, qualis est confessio vocalis, sive æquivalentem, qualis est nutualis, & Epistolaris confessio; exinde istæ solùm manifestationes inducunt obligationem sigilli. Undè ad secundam Confirmationem, concedo Maj. & dist. Min. in Ordine ad Absolutionem per Confessionem ordinandam, concedo, ordinatam per expressionem formalem, aut æquivalentem, nego

Min.

Min. & conseq. Nam quando est ita ordinata, absque dubio redderetur onerosa confessio, si absque fractione sigilli unicuique liceret eâ notitiâ uti; secùs quando ordinata non est, ut ex ipsa experientia, & communi persuasione fidelium unusquisque facilè comprobabit, ex quo dissoluta manet ratio ibi subjuncta. Videatur in simili Lugo disp. 23. sect. 2. à num. 36.

405. Exindè communiter docent Authores cum D. Thom. & Suario, non sufficere licentiam pœnitentis præsumptam, tacitam, interpretativam, aut virtualem, sed requiri licentiam pœnitentis formalem, & expressam, ut Confessarius possit agere, sive cum ipso pœnitente, sive cum aliis, de auditis in confessione, etiam quando cedit in bonum ipsius pœnitentis, eámque licentiam debere esse liberam, & spontaneam, non autem vi, dolo, injuria, precibus importunis, aut metu etiam reverentiali erga ipsum Confessarium extortam, aut obtentam. Præterea debet esse non revocata: nam data à pœnitente semper potest pro ipsius libito, etiam sine causa, revocari, etsi opus non sit, ut habeatur in scripto. Quando autem dubium sit, an Sacerdos locutus fuerit cum, vel sine licentia, Sacerdoti potiùs credendum est, quàm pœnitenti, aut ejus hæredibus, cùm de licentia defuncti revelat restitutionem ab eis faciendam: licentia autem expressa potest dari à pœnitente tam dicto, quàm facto, quòd æquivaleat expressæ concessioni, ut si pœnitens extra confessionem incipiat loqui cum Confessario de dictis in Confessione, tunc poterit Confessarius prosequi, quod expedierit circa materiam subjectam à pœnitente.

406. Quando autem nullum est periculum revelationis sigilli, tunc Confessarius licitè loqui potest, sed cautè omnia pericula præcludendo. Undè etsi dicere possis, hunc hominem, cujus excepisti confessionem, esse probum, & innocentem, hoc quippe non dicendum est comparativè ad alios, aut in circumstantiis, quibus colligi possit, alios esse nocentes, aut confessos esse mortalia. Pariter, etsi quando nullum est periculum, dicere possis, Petrum tibi esse confessum; aliquando autem non licet, & præcipuè, quando pœnitens verbo, aut facto significaret, se nolle sciri, aut cognosci, v. g. si clàm, aut noctu accedat ad confessionem, ne ab aliis videatur. Exindè quando narras peccata, etiam indicando personam, sola notitia utens, quam habebas extrà confessionem; nullo modo potes notitia confessionis uti ad rem magis individuandam, aut certiùs asseverandam, vel confirmandam. Quandò autem peccata etiam particularia, ità refers, præscindendo à loco, tempore, aliisque circumstantiis, ità ut moraliter loquendo, persona innotescere non possit, neque aliqua communitas infamari, nullum est peccatum.

§. II.

QBjicies tertiò contrà tertiam Conclu- 407.
sionem: ex S. Thom. quæst. 11. suppl. art: 3. §. Sed contrà dicente: homo *tenetur ea, quæ in confessione audivit, celare, si non scit ea, ut homo, sed ut Deus; sed solus Sacerdos est Minister Dei: ergo solus Sacerdos tenetur occultare*: ergo alii ad quos mediatè, vel immediatè notitia confessionis pervenerit, etiam absque licentia pœnitentis, non obligantur sigillo Sacramentali. Respondeo; concedo totum primum D. Thomæ Syllogismum, & nego Conseq. exinde deductam. Ratio est, quia D. Thom. eo ipso loco in corpore ejusdem articuli suam mentem satis explicat, dicens, solum Confessarium habere sigillum, quatenùs hoc significat, habere munus claudendi, sivè ministerium clavium; alios verò etsi hoc modo sigillum non habeant, participare tamen de actu sigilli, ex eo quòd obligantur ad secretum, ex num. 390. quæ, ut ibi notavimus, est expressa doctrina nostra: dicimus, enim ministerium clavium, adeóque & sigillum in hoc sensu solùm competere Sacerdoti; obligationem autem ad silentium, exinde deductam (quæ licèt non sit sigillum, est vera, & propria obligatio sigilli) non competere soli Sacerdoti, sed etiam iis omnibus, ad quos citrà pœnitentis licentiam ea notitia pervenerit,

Quapropter valdè cautè respon. debet 408.
Confessarius ad aliquas, quæ à probis, vel improbis, acutis, vel simplicibus hominibus fieri possunt, interrogationes. Si enim interrogetur: utrùm sciat, an hic, vel ille homo commiserit tale peccatum, vel illud ab eo audierit in confessione? Respondere debet, se nihil scire de iis, quæ audit in confessione, & nequaquam recordari, an ullus pœnitens tale peccatum dixerit, vel non dixerit. Quinimò talem interrogationē indignā esse, quæ ab homine Christiano fiat. Si autem Confessarius conjiciat, se meliùs con-

consulturum famæ pœnitentis, negando absolutè, quòd audierit tale peccatũ, licitè potest negare, & si opus fuerit, jurare; subintelligens ad revelandum; nullam enim habet talem notitiã, quæ revelari possit, sicuti de die Judicii dixit Christus Marc. 13. *De die illo nemo scit, neque filius hominis.* Si autem animus interrogantis non tendat ad explorandum, an pœnitens peccatum illud commiserit, cùm benè præsciat illud commisisse, sed ad explorandum, an rectè, ut desiderat, confessus fuerit, quâ ratione aliquæ piæ, & simplices matres nonnunquàm interrogant Confessarios, an filiæ confessæ sint hoc, vel illud peccatum, quod probè norunt, filias patrâsse; tunc rectius est modo jam expositò respondere, se non recordari, an dixerint, vel non dixerint, quàm si absolutè responderet, negando: nam sicuti tunc affirmando, revelaret confessionem; ita negando induceretur mater ad credendum defectum in integritate materiali Confessionis. Qua de causa opus est, illam de Doctrina Catholica certiorem facere, ne unquã tales faciat interrogationes.

Objicies quartò, contrà quartam Conclusionem: si ea omnia essent materia sigilli Sacramentalis, nunquam posset Confessarius uti notitiâ habita ex sola confessione, sed ex doctrina plurium Doctorum aliquandò potest: ergo, &c. Respondeo: dist. Ma. nunquam posset, cum periculo adhuc indirecto revelationis sigilli, vel suspicionis prudentis, quâ pœnitenti reddi posset odiosa confessio, concedo: absque tali periculo, nego Ma: & dist. Mi. nego Consequentiam. Ratio est, quia nunquàm concedunt DD. id posse fieri, si adsit tale periculum, sed solum dicunt, aliquas actiones nullum ex se afferre periculum, adeóque licitas esse. Quamobrem aliqui docent, nullum esse periculum, adeóque licere, secretò negare suffragium ei quem, ex sola confessione, scis esse indignum: Similiter claudere ostium, per quod quis ingredietur ad peccandum, aut monere de diligenti custodia, cognitâ proditione futura; vel impedire clàm matrimonium, quandò ex Confessione scis impedimentum. Cæterùm cùm probabilius sit aliquod ibi immisceri periculum, & ex ea Doctrina posse absterreri pœnitentem à Confessione, probabilius est, eas actiones

409.

non licere, ut cum Sanchez, Diana, & Lugo docent plurimi. Quomodò enim subditus non suspicabitur, ei ad Prælaturam negatum fuisse Suffragium à suo Provinciali v.g. ex peccato ei in confessione revelato, si nulla alia negandi causa subdito appareat?

Cautè propter hanc rationem, quæ ex se efficacissima est, & mihi certissima R. P. Claudius Aquaviva Gen. Soc. ad præcavendum, ne contraria doctrina in Societ. doceretur â anno 1590. decreto suo prohibuit, ne ullus unquàm eam doctrinam publicè, aut privatim doceret, eâve uteretur, Neque in ordine ad externam saltem gubernationem possumus jam dubitare de falsitate contrariæ opinionis, postquàm Clemens VIII. à anno 1594. die 26. Maii. decretum edidit pro Prælatis omnibus Regularibus usum notitiæ habitæ ex Confessione prohibet his verbis. *Tùm Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarius, qui posteà ad superioritatis traduin fuerit promotus caveant diligentissime, ne eâ notitiâ, quam de aliorũ peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur: & infrà; atq; ita per quoscúmque Regularium Superiores, quicúmque illi sint, observari mandamus.* Unde ille solus usus erit licitus, qui neque directè, neque indirectè revelet peccatum pœnitentis, vel ille de quo, quamvis solus pœnitens suspicari posset, nequaquam illi redderetur onerosa confessio, quamvis sciret, Confessarium posse ea notitia uti. Exemplum esto. Si Confessarius propter confidentiam, quam pœnitens erga ipsum ostendit confitendo ei peccata gravissima, & cum magnis pœnitentiæ signis, peculiari eum affectu prosequatur, idque beneficiis, & speciali circà ipsum curâ manifestet, licèt pœnitens intelligat totum id oriri ex confessionis notia, non ideò ægrè feret, nec confessio propterea gravior, aut dificilior reddetur. Ex quo principio censent Enriquez, Coninck. Layman, & alii, quando non est periculum ullum revelationis peccati, licere Confessario uti notitiâ Confessionis ad sui ipsius gubernationem, v. g. abstinendo à Calice, ubi scit esse venenum, declinando à Sylva, ubi ex unius Latronis Confessione novit, insidias sibi esse paratas. Ex his enim facile erit in hac materia reliquos, qui occurrere possunt, casus decidere.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM
TOMI II.

Littera prior F. Folium, posterior N. Numerum Marginalem denotat.

A.

Absolutio.

Absolutio, licet non sit actus pœnitentis, est tamen actus & forma Sacramenti pœnitentiæ. fol. 432. n. 49.

Non sola verba Absolutionis sed totum Sacramentum Pœnitentiæ ex Christi Institutione significant & causant remissionem peccatorum. f. 433. n. 50.

Absolutio est pars formalis intrinseca Sacramenti pœnitentiæ. f. 719. n. 73.

Absolutio sub conditione de futuro collata, est invalida. f. 761. n. 214.

Verborum Absolutionis genuinus & legitimus sensus. f. 758. n. 205. Item f. 759. n. 210.

Absolutio deprecatoria est invalida. f. 760. n. 212.

Essentialia verba absolutionis constitutiva. f. 753. n. 185.

Forma absolutionis requirit verba propriè dicta. f. 752. n. 182.

Forma essentialis sita est in verbis illis : *Absolvo te à peccatis.* f. 753. n. 185.

Absolutio quandoque potest haberi licitè & validè à duobus. f. 762. n. 217.

Nunquam haberi potest validè à duobus, si unusquisque, ut partialis causa, intendat absolvere. f. 762. n. 218.

Repetitio Sacramentalis absolutionis, sine justa causa, non est licita. f. 762. n. 219.

Quot sint casus, in quibus adest rationabile dubium, ad repetendam absolutionem. f. 763. n. 220.

Potestas ligandi & absolvendi. f. 694. n. 2.

Actio.

Actio Assumptiva humanitatis physicè quidem procedit à tribus Divinis personis, non tamen vi illius possunt dici assumentes. f. 351. n. 676.

Varia acceptio hujus Actionis assumptivæ. ibid. n. 679.

Accusare.

Accusare quilibet potest non tantùm ad suam tuitionem, & injuriam propulsandam, sed etiam ad vindictam publicam: nisi specialiter & expresse inveniatur hoc ipsi in jure prohibitum. f. 197. n. 922.

Adam.

Utrum Adamo non peccante, adhuc Christus venisset? vid. Verbo *Christus.*

Advocatus.

Advocatus, si ita defendat Clientem, cui intentatur actio criminalis, ut accusator non potuerit convincere, & ideo damnatus maneat ad pœnam Talionis, non tenetur ad restitutionem illius damni. f. 203. n. 948.

Alia de Advocato. Ibid. n. 949. Item f. 202. n. 946.

Amicitia.

Amicitia erga Deum in multis differt ab Amicitia erga homines. f. 627. n. 272.

Amor Dei.

Intensio non est de essentia amoris Dei super omnia, aut charitatis perfectæ. f. 628. n. 281.

Anima.

Anima separata exigit naturaliter reunionem cum corpore, saltem specificativè sumptam, fol. 218. n. 55.

Animæ non habet homo plenum dominium. f. 70. n. 324.

Annus.

Discrimen inter annum solarem & Lunarem. f. 247. n. 203.

Annus Ecclesiasticus, quoad præceptum confessionis, quomodo debeat computari? f. 704. n. 33.

Approbatio.

Approbatio Confessarii quid sit? f. 799. n. 361.

Attritio.

Attritio naturalis non sufficit ad constituendum Sacramentum pœnitentiæ. f. 650. n. 375.

Attritio supernaturalis ex metu gehennæ, cum spe veniæ, certò sufficit ad causandam gratiam cum Sacramento. f. 679. n. 447.

Attritus quomodo fiat in Sacramento contritus? f. 623. n. 256.

Axiomata.

Quæ sunt idem cum uno tertio, sunt idem inter se, non extenditur ad prædicata Divina. f. 210. n. 15.

Quod à Verbo assumptum non fuit, neque fuit curatum, quomodo intelligendum? f. 346. n. 654.

Quomodo illud intelligatur : Quod verbum semel assumpsit, nunquam dimisit. f. 358. n. 706.

Actiones sunt suppositorum. f. 332. n. 593.

B.

Baptismus.

BAptismus tempore Apostolorum probabiliter validè ministrabatur nomine solius Christi. f. 437. n. 74.
Probabilius videtur, Baptismum pro Apostolis & pro Omnibus, à Christo institutum fuisse sub expressione Trinitatis. f. 437. n. 76.
Baptismus triplex, Flaminis, Sanguinis & Fluminis, & in quo quilibet consistat. f. 497. n. 1. & seqq.
Baptismi Sacramentum in re vel in voto est necessarium necessitate medii ad salutem. f. 498. n. 6.
Baptismi Sacramentum institutum fuit à Christo ante mortem ipsius. f. 498. n. 7.
Ante resurrectionem Christi non tenebantur homines determinatâ lege Baptismi. f. 499. n. 11.
Probabilius est, Baptismum institutum fuisse à Christo, quando ipse baptizatus fuit in Jordane. f. 500. n. 12.
Baptismus fictè susceptus, recedente fictione reviviscit & causat gratiam. f. 503. n. 25.
Baptismus Theologicè sumptus, pro significatione practica effectus interioris, ita Metaphysicè definitur : *Est Sacramentum Characteristicum Fidei, perfectissimè remissivum per se omnium peccatorum præcedentium.* f. 506. n. 41.
Baptizatus qualiter ad Sacramentum pœnitentiæ obligetur? f. 699. n 16.
Baptismum fictè suscipiens tenetur confiteri lethalia in instanti Baptismi commissa. f. 700. n. 19.
Baptizatus non potest apponere pro materia aut necessaria, aut sufficiente Sacramento Pœnitentiæ, peccata ante baptismum commissa. f. 718. n. 71.

Beati.

Beati non habent pœnitentiæ virtutem. f. 616. n. 222.

Beneficiarii.

Beneficiarii universim illius partis fructuum, quæ congruæ eorum sustentationi est necessaria, fiunt veri Domini. f. 92. n. 419.
Eam verò partem fructuum, quæ excedit commodam sustentationem, expendere tenentur in pauperes, vel usus pios, sub gravi obligatione. f. 96. n. 435.
Et quidem ex Justitia. ibid. n. 435.
Solvuntur opposita. f. 102. n. 465. & seqq.

Bona.

Bonorum, quorum homines capaces sunt, est triplex genus. Quædam sunt intrinseca. Quædam sunt bona extrinseca quidem, habentia tamen intra ipsum hominem mensuram. Quædam demum sunt purè externa. f. 69. n. 323.
Bona fortunæ cadunt sub dominio proprietatis hominis. f. 71. n. 330.

Bonitas.

Bonitas moralis objectiva, in quo sita sit? f. 571. n. 9.
Bonitas creata est ultimum resolutivum virtutum purè moralium. f. 590. n. 97.

C.

Caput.

MAgnum Discrimen inter Caput Mysticum sive morale, & caput naturale, f. 417. n. 964.
Christus est caput viatorum, ut Deus Homo, ac proinde secundùm utramque gratiam, tam substantialem, quàm accidentalem, f. 418. n. 966.
Ex triplici titulo convenit Christo analogia capitis. ibid. n. 966.
Christus est caput, non solùm omnium viatorum, aut qui in purgatorio detinentur, sed etiam beatorum, sed secundùm diversos gradus. f. 418. n. 967.
Non est caput infidelium in actu, sed potentia, sicuti illi non sunt membra Ecclesiæ actu, sed potentiâ. f. 419. n. 969.
Participant tamen influxum Christi Capitis, quo possunt fieri actu membra Ecclesiæ. ibid.
Est etiam caput SS. Angelorum, non tamen reproborum Angelorum. ibid. n. 970.
SS. Angelos redemit saltem redemptione præservativâ. f. 422. n. 980.
Respectu damnatorum non est caput mortis, sed tantùm dicitur caput per Excellentiam. f. 421. n. 978.
Christus nequit dici membrum Ecclesiæ, sed caput. ibid. n. 978.

Caro.

Caro assumpta à Verbo nunquam fuit infecta peccato. f. 223. n. 75.

Causa.

Idem effectus potest absolutè à duplici causa totali procedere. f. 339. n. 627.

Character.

Characteres Baptismi, Confirmationis & Ordinis retinent damnati ad suam ignominiam. f. 277. n. 57.
Congruentia, quare Baptismus, Confirmatio, & ordo Characterem imprimant; non item reliqua quatuor Sacramenta. f. 467. n. 220. & 222.
Character est signum spirituale indelebile in anima Christiana impressum. f. 467. n. 221.
Est qualitas Physica. ibid. n. 224.
Non est accidens modale, sed entitativum. f. 468. n. 227.
Immediatè subjectatur in anima. ibid.
Est capax Intensionis. ibid. n. 225.
Proprius constituitur sub tertia specie qualitatis, & reductivè sub aliis. f. 469. n. 231.

Christus.

Christus est simul Deus & homo. f. 256. n. 241.
Non phantasticè sed realiter, est verus homo. f. 257. n. 246. & f. 248. n. 208.
Appellatur in Evangeliis Nazarenus & Galilæus, non à loco Nativitatis, sed à Domicilio Parentum. f. 254. n. 234.
Christus ex humanitate & dignitate Veri constitutus, est simpliciter infinitus. f. 436. n. 437.
Personalitas Verbi est extremum constitutivum hujus compositi, quod est Christus. ibid. n. 438.

Christus moriendo non solùm redemit nos à peccato originali, sed etiam ab Actualibus, vel quoad efficaciam, vel quoad sufficientiam. f. 381. n. 809.
Mansit absolutè constitutus Redemptor & passibilis, antequam prævideretur omnium hominum peccata absolutè futura. ibid. n. 810.
Præcipuum motivum, ut Christus maneret absolutè Redemptor reparativus ex parte Dei fuit peccatum originale. ibid. n. 811.
Non potuit absolutè prædefiniri Redemptor reparativus ante absolutam prævisionem peccati. f. 368. n. 750.
Imò si prædefiniisset Deus Christum hoc modo ante prævisionem peccati, censeretur velle interpretativè peccatum. f. 370. n. 755. & f. 372. n. 762.
Est primogenitus omnium creaturarum, cadens sub primaria intentione Dei. f. 377. n. 787.
Quod non verificaretur, si motivum primarium esset redemptio nostra. ibid.
S. Scriptura non dicit unicè venisse in remedium peccati. ibid. 790.
SS. PP. Intelligendi, quòd Adamo non peccante, non venisset in carne passibili. ibid. n. 792.
Venisset, Adamo non peccante, in carne impassibili. f. 379. n. 803.
Hoc probabile etiam judicat S. Thomas. f. 380. n. 806.
Licet absque dubio in oppositam sententiam magis inclinet. ibid. n. 805.
Christus est exemplar hominum & Angelorum, eorumque caput mysticum. f. 412. 943.
In Christo sunt duo intellectus & Voluntates, cum distinctis Operationibus. f. 393. n. 854.
Humana ejus Voluntas nunquam fuit divinæ Voluntati contraria. ibid. n. 855.
Quando petiit à se transferri calicem passionis, fuit tantùm inefficax & conditionata voluntas. ibid.
Non potuit peccare in sensu composito unionis hypostaticæ. f. 395. n. 862.
Neque peccare potuit destruendo unionem hypostaticam per peccatum. ibid. 864.
Ex hypothesi, quòd Christus mortuus fuerit pro hominibus, etiam pro Angelis consequenter mortuus fuit. f. 424. n. 993.
Non tamen eodem modo mortuus est pro Angelis & Matre sua, quo pro hominibus. ibid. n. 992.
Christus Dominus est Author omnium Sacramentorum novæ legis, & quidem immediatus. f. 452. n. 152.
Christus non habuit Virtutem pœnitentiæ. f. 616. n. 222.

Circumcisio.

Circumcisio neque physicè, neque moraliter causabat gratiam, sed erat signum à DEo destinatum, quò positò Deus gratiam causabat. f. 428. n. 20.

Circumstantia.

Circumstantiæ peccatorum quot & quales? f. 734. n. 120.
Circumstantiæ intra eandem speciem duntaxat aggravantes, non debent ex necessitate in confessione aperiri, benè verò, quæ sive formaliter sive æquivalenter peccatorum numerum augent. f. 739. n. 139.

Clericus.

Clerici non Religiosi habent verum Dominium Bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium: possuntqve de illis, ut Laici, disponere. f. 91. n. 416.

Communicatio Idiomatum.

Vide Verbo *Idiomata.*

Compositio.

Compositio est duplex: Altera absoluta, altera relativa. f. 339. n. 621.
Quotuplex sit in Sacramentis? f. 717. n. 69.

Conceptio Immaculata.

Vid. verbo *S. Maria.* Item Verbo *S. Thomas.*

Confessarius.

Confessarius per se loquendo, tenetur pœnitentiam justam injungere. f. 791. n. 330.
Tria præcipua Confessarii munera, scilicet, Medici, Doctoris, & judicis. f. 799. n. 362.

Confessio.

Confessio, licèt verbis fiat, intelligitur tamen sub nomine Rerum in Sacramento pœnitentiæ. f. 432. n. 45.
Causæ excusantes à materiali Confessionis integritate. f. 735. n. 123.
Confessio est pars materialis intrinseca Sacramenti pœnitentiæ. f. 719. n. 73.
In Confessione, in ratione moris, infimæ peccatorum species aperiendæ sunt. f. 729. n. 103.
Integritas tum materialis, tum formalis, requisita ad confessionem. f. 737. n. 130.
Non est necesse, in confessione aperire omnes species peccatorum purè physicas. f. 728. n. 102.
Præcepto annuæ Confessionis, aut annuæ communionis, non satis fit per confessionem, aut communionem sacrilegas. f. 701. n. 25.
In Confessione omnes species morales peccatorum mortalium aperiendæ sunt. f. 728. n. 102.

Confirmatio.

Sacramenti Confirmationis Veritas, Scripturâ, Traditione, & SS. Patribus comprobatur. f. 516. n. 3. & seq.
Confirmationis Sacramentum quoad substantiam, verosimiliùs institutum est à Christo Domino in nocte Cœnæ. f. 520. n. 25.
Sacramentum Confirmationis Theologicè sumptum pro significatione practica effectus interioris, ita definitur: Est Sacramentum Characteristicum ad roborandum in fide, per se gratiæ augmentativum. f. 521. n. 27.
Episcopus, dummodo sit consecratus, validè confert Sacramentum Confirmationis, etiamsi sit excommunicatus, suspensus, degradatus, aut hæreticus. f. 532. n. 78.
Confirmare non potest Episcopus in Diocesi aliena, sine expressa licentia Ordinarii loci. ibid. n. 79.

Consecratio.

In Consecratione Hostiæ liberè & advertenter omittere particulam, *enim*, est peccatum mortale. f. 435. n. 67.

Acetum, Aqua Vitæ, & his similia non sunt materia sufficiens Consecrationi. f. 550. n. 75.

In Consecratione Eucharistiæ non potest subrogari omne esculentum loco panis, neque omne poculentum loco vini. f. 554. n. 72.

Consuetudo.

Consuetudo exposita, quando sufficiat ad aperiendum numerum peccatorum? f. 731. n. 112.

Contractus.

Contractus alius est tantùm in utilitatem accipientis: alius in utilitatem solius dantis, alius in utilitatem utriusque. f. 182. n. 835. & 836.

Circa obligationem ortam mediatè ex contractu, immediatè verò ex culpa, extant tres Dispositiones Juris Civilis. ibid.

Varia doctrina practica. ibid. n. 839. & seqq.

In quasi contractibus nullus obligatur in conscientia, ante sententiam Judicis, ad Restitutionem, ob culpam levem, aut levissimam solùm Juridicam. f. 185. n. 852.

Varia doctrina practica de Medico, officiali, artifice. ibid. n. 853. & seqq.

Contritio.

Duratio Actus non est de Essentia perfectæ contritionis. f. 630. n. 286.

Ecclesiæ praxis circa contritionem in Sacramento pœnitentiæ. f. 668. n. 446

Moribundus non tenetur ad contritionem perfectam, necessitate medii, ut obtineat gratiam, cum Sacramento pœnitentiæ. f. 683. n. 46.

Naturalis contritio insufficiens est ad constituendum pœnitentiæ Sacramentum. f. 574. n. 22. & fol. 651. n. 381.

Contritio perfecta quomodo attingat motivum charitatis? f. 630. n. 287.

Quomodo sit obedientialis Dei amor? f. 630. n. 290.

Ex quo motivo procedat? f. 621 n. 247.

Non indiget intensione aut duratione. f. 629. n. 284.

Quantumcunque remissa, sat est ad Justificationem. f. 667. n. 444

Est pars materialis intrinseca Sacramenti pœnitentiæ. f. 719. n. 73

Cooperatio.

Cooperandi in damnum alterius contra Justitiam novem sunt genera. Explicantur singula. f. 186. n. 859. & 860.

Varia Doctrina practica. f. 187. n. 864 & seqq.

Corpus Christi.

Corpus Christi non conservatur in minima & insensibili hostiæ particula. f. 428. n. 23 & 24.

Creatura.

Creatura nequit acquirere jus proprietatis contra Deum. f. 114 n. 523

Solvuntur opposita. f. 118 n. 540 & seqq.

Culpa.

Culpa est duplex: Theologica nimirum, & Civilis; Posterior hæc est quintuplex: videlicet latissima, latior, lata, levis, & levissima. f. 168 n. 767 & seqq.

D.

Damnum.

DAmnum, si Patre aut Domino nesciente, nullâque inter veniente gravi culpa negligentiæ, Filius vel famulus proximo intulerint; ad nihil postea tenentur Pater, aut Dominus, neque in foro externo, neque in interno. f. 178 n. 824.

Secus dicendum, si mancipium aut Bestia alicujus, etiam sine ullâ Domini culpâ damnum alteri intulerint. ibid. n. 825.

Decreta.

Decreta Dei; alia intentiva; alia executiva. f. 374 n. 775

Possibile est decretum executivum, quod attingat totam rei substantiam cum omnibus circumstantiis. f. 374 n. 777.

Christus per Decretum intentivum fuit prædefinitus ante absolutam prævisionem peccati. f. 375. n. 779.

Et in hoc sensu primarium motivum Incarnationis fuit ipsa Excellentia hujus mysterii. ibid.

Ex vi præsentis Decreti intentivi venisset Christus, etiam Adamo non peccante. f. 376. n. 783.

Alio modo venit Christus vi decreti executivi, alio modo venisset vi decreti intentivi. f. 37[illegible] n. 763.

Ordo Decretorum Dei assignatur. f. 382. n. 8[illegible]

Tria possunt considerari signa, in quibus cum ordine quodam possunt intelligi diversa virtualiter decreta Dei. ibid.

In primo omnium signo, scilicet ante Adamum decrevit Deus, producere Christum propter Excellentiam Mysterii, præscindendo ex vi illius decreti, an esset venturus in carne passibili vel impassibili. ibid. n. 81[illegible]

Ad hoc primum signum etiam pertinet Decretum intentivum producendi beatissimam Virginem ex meritis Christi prævisis. ibid. n. 815.

In secundo signo ex meritis Christi Deus decrevit Adamum & Evam, eosque prædestinavit. f. 385. n. 824.

Sicut etiam decrevit in hoc signo, ordinare ad gloriam omnes homines producendos, quamvis pro eo signo non derminatè hos homines præ aliis. f. ibid.

In tertio signo, præviso jam absolutè peccato Adami, mansit Christus absolutè constitutus Redemptor reparativus & passibilis. f. 386. n. 828.

Decretum Dei intentivum & executivum sunt virtualiter distincta. f. 387. n. 8[illegible]

Christus vi Decreti executivi, prævisus fuit ut procedens ab Adamo, non tamen vi decreti intentivi. f. 388. n. 8[illegible]

Plura sunt in Deo Decreta non solùm extrinsecè sed intrinsecè efficacia. f. 392. n. 8[illegible]

Deus.

Deus non propriè delectatur de aliquibus rebus. f. 219. n. 6[illegible]

Nu-

Nec ei propriè & intrinsecè est aliquid utile. ibid.
Operatur omnia convenientissimè, sed secundùm præscriptum suæ Sapientiæ & Voluntatis. f. 228. n. 108.
Deus se communicat creaturis non necessariò sed liberè. f. 238. n. 156. & 157.

Dies Judicii.

Quo sensu nesciat Christus Diem judicii extremi? f. 255. n. 238.

Dilectio.

Dilectio, quam exigit Tridentinum, cum Sacramento pœnitentiæ, qualis sit? f. 639. n. 328.
Super omnia diligere, quid significet? f. 628. n. 279.

Dolor.

Dolor animi, in quo consistat? f. 615. n. 218.
Dolor sufficiens ad valòrem, sufficit quoque ad fructum Sacramenti pœnitentiæ. f. 684. n. 463.
Necessarius non est necessitate medii ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, dolor de omnibus venialibus, quæ quis confitetur. f. 691. n. 488.
Dolor necessitate Sacramenti ad Confessionem venialium requisitus. f. 743. n. 150.
Dolor universalis, non censetur per unum veniale adæquatè retractatus. f. 722. n. 84.

Dominium.

Dominium duorum in solidum repugnat. f. 313. n. 505. Item fol. 125. n. 570.
Solvuntur opposita. f. 132. n. 601. & seqq.
Dominium homini in alium hominem tanquam in verum servum licitum est ex quatuor Titulis. f. 136. n. 621. & seqq.
Solvitur objectio. f. 139. n. 631.
Dominium circa bona externa acquiri potest *Effectione, Occupatione, Translatione voluntariâ, & non voluntariâ.* f. 136. n. 620.
Dominium creatum proprietatis in aliquibus casibus à jure expressis acquiritur per solum Titulum ante Traditionem vel possessionem. f. 54. n. 249.
Assignantur sex casus. ibid. n. 250. & seqq.
Solvuntur opposita. f. 62. n. 286. & seqq.
Doctrinæ hujus utiles illationes. f. 56. n. 259. & seqq.

Divisio rerum.

Divisio prima rerum nec fuit facta jure divino, nec jure naturæ simpliciter sumpto, sed jure Gentium. f. 66. & 67. n. 310. & 311.
Solvuntur opposita. f. 68. n. 319. & seqq.
Prima rerum divisio non fuit illicita. f. 67. n. 310.
Solvuntur opposita. ibid. n. 314. & seqq.

Donum Spiritus Sancti.

Donum Spiritus S. in quo differat à virtute? f. 570. n. 3.

Dubium.

Peccata dubia aperienda sunt in Confessione. f. 737. n. 131.
Peccata dicta ut dubia, si postea constet esse certa, aperienda sunt, ut certa. f. 730. n. 110.

E.

Ecclesia.

Ecclesia strictè sumpta dicit tantùm congregationem Justorum, in universaliori significatione tamen complectitur etiam peccatores fideles. f. 422. n. 984.

Effectio.

Effectione homo liber, jurisque proprietatis capax, si rei natura id patiatur, nullâque lege sit irritum, comparat Dominium proprietatis in rem effectam. f. 137. n. 626.
Solvitur Objectio. f. 139. n. 633.

Elias.

Elias erit præcursor Christi in secundo ejus Adventu. f. 254. n. 234.

Emendatio.

Emendatio, aut pura mutatio vitæ satis non est ad veram pœnitentiam. f. 574. n. 23.

Ens.

Ens aliud supernaturale Theologicè, aliud supernaturale Philosophicè. f. 217. n. 51.
Ens creatum immediatè dividitur in substantiam & accidens. f. 312. n. 592.
Ens creatum sive substantiale sive accidentale importat dependentiam à priori & posteriori. ibid.

Episcopus.

Episcoporum Protestatio, antequam ordines conferant, quomòdo accipienda? f. 447. n. 130.

Essentia.

Essentiæ sortiuntur diversas proprietates secundùm diversum sui statum. f. 343. n. 642.
Essentiale constitutivum & purus terminus ab Institutione Christi præfixus, valde differunt. f. 724. n. 89.

Eucharistia.

Eucharistiæ Sacramentum institutum fuit à Christo in nocte cœnæ ultimæ, factæ cum Discipulis, pridie quàm pateretur. f. 536. n. 10.
Eucharistia Theologicè sumpta pro significatione practica effectus interioris, ita Metaphysice definitur: Est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, per se gratiæ augmentativum, ad fovendam, vi hujus Convivii, præcipuam charitatem. fol. 542. n. 40.
Eucharistia sub speciebus panis, & sub speciebus vini, non est duo, sed unum specie Sacramentum. f. 547. n. 65.
Eucharistiæ Sacramentum est Causa moralis gratiæ, eamque causat, quando Sacramentum istud sumitur & manducatur. f. 552. n. 86.

F.

Fama.

Famæ suæ homo vere est Dominus. f. 70. n. 327.

Fides.

Fides non docet contraria rationibus naturalibus. f. 208. n. 5.
Signa credibilitatis nostræ fidei & mysteriorum ejus. f. 252. n. 242.

Intellectus assentitur firmissimè objectis fidei sine evidentia. f. 259. n. 257.
Fides est quasi forma membrorum Ecclesiæ, f. 419. n. 969.
Peccator fidelis adhuc manet membrum Ecclesiæ mysticum vivens vitâ saltem imperfectâ totius, quæ est fides. f. 422. n. 985.
Angeli viatores actu fidei divinæ crediderunt mysterium Incarnationis. f. 420. n. 975.

Forma.

Pro Forma Sacramentorum Christus Dominus non determinavit Verba ut Concionatoria; sed ut consecratoria & ritualia. f. 435. n. 63.
Forma sufficiens & necessaria Baptismi est ista, vel quæ perfectè isti æquivalet: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* f. 508. n. 51.
For[illegible] Consecrationis panis, essentialis & necessari[illegible] est ista, vel quæ juxta Christi institutionem [illegible]fectè æquivalet: *Hoc est Corpus meu*[illegible] f. 543. n. 46.
Forma Consecrationis vini, essentialis & necessaria est ista, vel quæ juxta institutionem Christi huic perfectè æquivalet: *Hic est Calix Sanguinis mei.* Vel: *Hic est Sanguis meus.* Unde verba subsequentia: *novi & æterni Testamenti &c.* non sunt essentialia. f. 545. n. 54.
Forma Sacramenti Confirmationis est ista, vel quæ isti perfectè æquivalet: Signo te, signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. f. 522. n. 33.
Forma non denominat semper Objectum suum per convenientiam; sed aliquando etiam per contrareitatem. f. 577. n. 39.
Quænam sit Formalitas pertinens ad substantiam, & quænam ad circumstantiam in actu? f. 729. n. 106.

Furtum.

Furtum ut committatur, non sufficit præcisa acceptio bonorum alterius, sed requiritur talis, quæ satis sit, ut Dominus sit rationabiliter invitus. f. 156. n. 709.
Varia Doctrina practica circa Furta. ibid. & seqq. Item f. 160. n. 731. & seqq.

G.

Gratia Habitualis.

DAtur gratia habitualis in Christo non minùs, quàm in puris hominibus. f. 408. n. 924.
Non denominat tamen Christum Filium Dei Adoptivum, & quare? f. 406. n. 915. & f. 414. n. 948.
Non participat Sanctitatem increatam secundùm omnia prædicata. f. 407. n. 918.
Non fuit ea gratia Christo collata, ut opera Christi essent condignè satisfactoria pro peccato. f. 408. n. 924.
Probabiliùs hæc gratia distinguitur ab habitu Charitatis. ibid.
Non facit hæc gratia Christum intensivè magis Sanctum, cùm per Sanctitatem increatam sit simpliciter infinitè Sanctus. ibid. n. 925.
Fuit hæc gratia collata Christo in primo instanti suæ Incarnationis. ibid.
Producitur à Solo Deo per Omnipotentiam. f. 409. n. 927.
Sanctificat humanitatem Christi Sanctitate accidentali. ibid. n. 928.
Gratia increata substantialis & gratia creata habitualis non se impediunt in sanctificanda humanitate Christi. ibid. n. 93[illegible]
Non fuit gratia habitualis in Christo infinita. f. 410. n. 932.
Dicitur Christus gratiâ plenus modo diverso, quàm beatissima Virgo aut alii Sancti. f. 411. n. 938.
Fuit non solùm Christus plenus gratiâ substantiali, sed etiam habituali. Ibid. n. 940.
Gratia beatissimæ Virginis, quamvis sit finita, est tamen major gratiâ omnium hominum & Angelorum collectivè sumptâ. f. 412. n. 941.
Quando dicitur Christo collata gratia non ad mensuram, hoc dicitur comparativè ad dignitatem personæ, non ad qualitatem gratiæ. f. 41[illegible] n. 953.
Ratione gratiæ habitualis non dicitur Christus magis gratus Deo, sed novo titulo formali. ibid. n. 954.
Successu temporis gratia Christi non est aucta propriè. f. 416. n. 960.
Quo sensu dicatur Christus profecisse gratiâ apud homines, declaratur. ibid.
Quid importet gratia capitalis? f. 417. n. 964.
Gratia essentialis & Accidentalis, quomodo in Angelis distinguantur? f. 420. n. 972.
Gratia Justificans secum affert virtutum habitus, non modò in adultis, verùm etiam in parvulis. f. 582. n. 62.
Gratia justificans obtineri potest à moribundo, cum Sacramento pœnitentiæ, absque contritione perfecta. f. 683. n. 46.
Infusa gratiâ justificante, adsunt etiam infusi virtutum habitus. f. 582. n. 62.
Gratia habitualis non causatur à satisfactione Sacramentali, ex opere operato. f. 787. n. 35.

H.

Habitus.

HAbitus per se infusus, & acquisitus, in quo distinguantur? f. 570. n. 6.

Hæresis.

Hæresis Hussii & Wiclefi circa Christum. f. 329. n. 580.
Hæreses Nestorii & Eutichetis circa mysterium Incarnationis. f. 330. n. 584. Item f. 24[illegible] n. 180.
Hæresis Monothelitarum circa Voluntates Christi. f. 393. n. 1[illegible]
Hæreses Montanistarum, Novatianorum, Andianorum, Messalianorum, Wiclefi, Petri de Osma, Lutheri, & Calvini, circa Sacramentum Pœnitentiæ. f. 693. n. [illegible]

Hebdomadæ.

Quomodo intelligantur hebdomadæ 70, post quas Gabriel Angelus promisit Messiam venturum? f. 247. n. 20[illegible]
Diversæ sententiæ in assignando initio hebdomadarum. f. 248. n. 204.

Ha.

Hoc.

Per Pronomen *Hoc* (idem suo modo de pronomine, *Hic*) in Consecratione demonstratur in Recto & ad intellectum id, quod subsistat accidentibus panis: in obliquo verò & ad sensum accidentia panis. f. 551. n. 84.

Homo.

Potuisset Deus absolutè hominem relinquere post lapsum sine remedio peccati. f. 228. n. 111.

Potuisset hominem etiam reparare absque condigna satisfactione per incarnationem. f. 230. n. 120.

Et conferre eidem dona supernaturalia absque meritis Christi. ibid. n. 121. & seqq.

Honor.

Quomodo honor distinguatur à fama; & inhonoratio à diffamatione? f. 262. n. 267.

Inhonoratio crescit ex magnitudine personæ offensæ & inhonoratæ, & ex vilitate inhonorantis. f. 263. n. 272.

Honoris sui homo verè est Dominus. f. 70. n. 327.

Hostia.

Si quis sumens Hostiam, non recipit propter obicem effectum Sacramenti, licet conteratur, antequam sumat sanguinem eâdem morali sumptione, non exinde suscipiet Sacramenti gratiam. f. 548. n. 70.

Humanitas.

Humanitas subsistens divinâ subsistentiâ non patitur violentiam. f. 211. n. 23.

Christus ex humanitate & Verbo constitutus, est simpliciter infinitè Sanctus. f. 299. n. 448.

Non tamen humanitas Christi abstractè sumpta est hoc modo Sancta. ibid.

Non unitur humanitas Verbo duplici unione. f. 358. n. 709.

Humanitas Christi habuit tantùm potentiam remotam ad peccandum. f. 396. n. 868.

Humanitas peccatoris non posset assumi à Verbo, retento peccato; maneret tamen assumptibilis in instanti, quo remitteretur peccatum. ibid.

I.

Idiomatum communicatio.

PEr communicationem Idiomatum Christus potest dici esse ubique. f. 260. n. 261. & f. 328. n. 578.

Quid sit ea communicatio Idiomatum? f. 324. n. 560.

Ratione talis communicationis propriè verificantur istæ prædicationes: *Deus est homo*: *Homo est Deus*. f. 325. n. 564.

Ratione illius etiam ea, quæ dicuntur in concreto de Filio Dei, possunt dici de Homine Christo in concreto, & è converso, saltem specificativè. ibid. n. 566.

Hinc verificantur istæ propositiones: *Deus est passus, mortuus* &c. & earum contradictoriæ sunt falsæ. f. 326. n. 568.

Non tamen sine addito possunt concedi istæ Propositiones: *Christus est creatura, incepit esse*. &c. ibid. n. 569.

Ut istæ prædicationes sint veræ, debet communicatio Idiomatum fieri in concreto. ibid. n. 570.

Hinc Deitas in abstracto nequit prædicari de humanitate in abstracto. f. 327. n. 574.

Hæc communicatio Idiomatum non fit inter Verbum & partes humanitatis, sed inter Verbum & hominem. f. 556. n. 700.

Incarnatio.

Incarnatio excellit inter opera Omnipotentiæ. f. 207. n. 2.

Non est communis toti Trinitati, sed specialis Filio. ibid. & f. 258. n. 251.

Mysterium incarnationis nequit ab intellectu creato solis viribus naturæ positivè possibile demonstrari, antequam fiat. f. 208. n. 6.

Imò ne quidem his viribus probabiliter positivè cognosci. f. 208. n. 9.

Potuit tamen habere Intellectus suis viribus aliquam suspicionem de possibilitate Incarnationis metaphysicè sumptæ. ibid. n. 10.

De mysterio hoc, prout de facto contigit, non posset intellectus propriis viribus habere suspicionem. f. 209. n. 14.

Neque potest illud, prout jam factum, absque sui captivatione cognoscere. f. 215. n. 40.

Incarnatio fuit conveniens Deo, ad manifestandas plures perfectiones Divinas. f. 219. n. 63.

Fuit conveniens
- humanitati assumptæ. f. 220. n. 63.
- toti generi humano. ibid. n. 66.
- toti universo creaturarum. ibid. n. 68.
- ipsis damnatis & dæmonibus. f. 221. n. 69.

Non fuit Deus Physicè aut Metaphysicè necessitatus ad incarnationem. f. 225. n. 93.

Neque etiam moraliter. f. 233. n. 131.

Unde non fuit necessitatus
- vel ex præcisa suppositione mundi conditi. ibid. n. 95.
- vel ex præcisa suppositione peccati originalis. f. 226. n. 97.
- nec ex suppositione reparandi hominem. ibid. n. 98.

Astruitur incarnatio jam facta contra Judæos. f. 244. n. 186.

Ex S. Scripturæ testimoniis. ibid. n. 187.

Ex miraculis Apostolorum. f. 245. n. 190.

Ex impletis Prophetiis de Messia. ibid. n. 192.

Dæmones habuerunt aliquam suspicionem de Incarnatione. f. 217. n. 53.

Credibilitas ejus suadetur rationibus contra paganos. f. 256. n. 244.

Errores circa Incarnationem. vid. *V. Hæresis.*

Infamatio.

Infamatio sui ipsius de veris criminibus ex justa causa licet; videlicet ad petendum consilium: ad heroicam humiliationem: & proximorum utilitatem. f. 71. n. 333.

Imponere tamen alteri falsum crimen, illumque infamare, neque sub colore & prætextu defensionis licet. ibid. n. 334.

Infinitum.

Duo Infinita ejusdem rationis sub eodem genere repugnant. f. 301. n. 454.

Implicat absolutè infinitum creatum categorematicum in actu. f. 410. n. 933.

Injustitia.

Injustitia est peccatum ex genere suo mortale. f. 150. n. 682.

Sufficit porro ad materiam gravem in bonis fortunæ, si sit persona extranea, unius diei victus personæ, cui furaris, proportionatus. f. 153. n. 699.

Solvuntur opposita. f. 155. n. 707.

Materia minor istâ censenda est levis. f. 158. n. 718.

Solvuntur opposita. f. 159. n. 725.

Innocentes.

Innocentes non habent virtutem Pœnitentiæ. f. 616. n. 222.

Intellectus Christi.

Vide *Christus.*

Intensio.

Intensio non est de Essentiâ amoris Dei super omnia, aut charitatis perfectæ. f. 628. n. 281.

Intentio.

Intentio Ministri faciendi, quod facit Ecclesia, requiritur ad valorem Sacramenti. f. 446. n. 125.

Intentio Ministri faciendi quod facit Ecclesia, prout contradistincta ab intentione requisita ad constituenda verba secundùm humanam significationem, non est de essentiali constitutivo Sacramenti. f. 441. n. 102.

Deficiente intentione Ministri, deficit Sacramentum, non formaliter, sed illativè. f. 442. n. 105.

Intentio Ministri perficit Sacramentum, non intrinsecè & constitutivè, sed extrinsecè ex parte causæ effectivæ se tenens. f. 444. n. 112.

Ad valorem Sacramentorum non sufficit intentio purè habitualis: benè autem formalis aut virtualis f. 448. n. 132.

Quid sit intentio habitualis, formalis aut virtualis? ibid.

Intentio interpretativa & indirecta non sufficit ad valorem Sacramenti. f. 449. n. 137.

Intentio Ministri semper debet esse ad materiam circa quam, & personam determinatam. f. 449. n. 138.

Ad purè recipienda validè Sacramenta, quæ consistunt in usu, si cætera adsint, requiritur & sufficit illa recipiendi saltem habitualis. f. 470. n. 239.

Non sufficit ad valorem Sacramenti, quòd suscipiens nunquam habuerit intentionem contrariam; si aliunde nunquam habuit voluntatem suscipiendi Sacramentum. f. 471. n. 243.

Sufficit intentio coacta & metu gravi extorta ad recipienda Sacramenta validè, uno excepto Matrimonio. ibid.

Judex.

Judex non potest condemnare reum, quem per Testes legitimè probatus est criminosus; quem tamen scientiâ humanâ noscit innocentem. f. 192. n. 899. & seqq.

Solvuntur opposita. f. 195. n. 911. & seqq.

Juramentum.

Juramenta, si sint contra leges civiles jubentes ac prohibentes aliquid, non sunt obligatoria: benè verò, si solùm jubeat lex permittens. f. 143. n. 671. & seqq.

Solvuntur opposita. f. 145. n. 678. & 679.

Jus.

Juris variæ Acceptiones. f. 1. n. 1.

Variæ item ejusdem Definitiones. ibid. & f. 45. n. 214.

Ad acquirendum jus in re requiruntur Titulus, & traditio, seu possessio. f. 45. n. 215.

Jus proprietatis est legitima potestas, directè & principaliter in bonum propriæ libertatis, ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem alterius. f. 38. n. 178.

Solvuntur opposita. f. 39. n. 183.

Hinc jus proprietatis conveniens creaturæ formaliter in Lege, seu quasi Lege, favere uni, & gravante reliquos. f. 44. n. 210.

Solvuntur opposita. f. 47. n. 225.

Jurisdictio.

Jurisdictio in foro Sacramentali, quid? f. 358. n. 356.

Justitia.

Justitia commutativa nequit depurari ab omni imperfectione. f. 183. n. 857.

Justitia est *constans & perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuens.* f. 4. n. 16.

Explicatur in quo sensu hæc definitio sit admittenda. ibid.

Solvuntur opposita. f. 9. n. 30. & seqq.

Brevius & clariùs justitia universaliter sumpta definitur hoc modo: *Est habitus per se operativus ex honestate reddendi alteri æquale juri suo.* f. 5. n. 13.

Solvuntur opposita. f. 10. n. 33. & seqq.

Justitiæ partes subjectivæ, seu species rigoris, sunt tres: videlicet, Justitia Legalis, Distributiva, & Commutativa. f. 5. n. 15.

---Ex his speciebus sola justitia Commutativa obligat ad restitutionem. f. 6. n. 18.

Item f. 13. n. 52. & seqq.

Justitia legalis formaliter quidem est particularis; causaliter tamen est communis, universalis, & generalis justitia. f. 1. n. 4.

Justitiæ partes potentiales, seu potestativæ recensentur. f. 6. n. 18. &c.

Justitia commutativa est virtus voluntatis non quidem Theologica, sed moralis. f. 18. n. 86.

Solvuntur opposita. f. 22. n. 96. & seqq.

Objectum formale *Quo*, & *Quod* ejusdem assignantur. f. 19. n. 78. & 79.

Justitia commutativa, cæteris paribus est præstantior ex genere suo aliis virtutibus moralibus, quæ non sunt ad alterum. f. 20. n. 88.

Solvuntur opposita. f. 21. n. 94.

Justitia legalis per se, & ex objecto formali est perfectior justitiâ commutativâ. f. 30. n. 138.

Justitia

Justitia econtra Commutativa hominis erga Deum excellit, cæteris paribus, Justitiam legalem. f. 30. n. 139.
Justitia non obligat determinatè ad operandum semper ex suo formali motivo, obligat tamen aliquando vagè saltem ad ita operandum. f. 33. n. 152.
Solvuntur opposita. f. 34. n. 161.
Ad satisfaciendum determinatè exigentiæ justitiæ, non requiritur, ut ponatur Justum simpliciter. f. 34. n. 156.
Solvuntur opposita. f. 35. n. 164.

L.

Libertas.

IN Christo non fuit libertas contrarietatis ad bonum & malum, benè tamen libertas contradictionis. f. 397. n. 869.
Etiam posito moriendi præcepto Christus fuit absolutè liber, ut moreretur vel non, sine transgressione præcepti. f. 398. n. 875.
Hoc declaratur aptè per hoc: Quòd fuerit liber ad acceptandum præceptum, vel ad petendam & obtinendam dispensationem illius. ibid.

M.

Malitia, Malum.

MAlum Physicum potest Deus velle ob varios fines, non tamen malum morale. f. 222. n. 73.
Malitia moralis objectiva, in quo consistat? f. 571. n. 9.

S. Maria.

Beatissima Virgo Maria non descendit ab Adamo ut peccatore, sed ut innocente. f. 223. n. 79.
Indecens esset Deo, si non præservasset eam à peccato originali. f. 242. n. 177.
Non tantùm immunis fuit à culpa, sed etiam à debito proximo illam contrahendi. f. 382. n. 815.
Adhuc tamen salvatur esse verè redemptam intuitu meritorum Christi, ut humani Generis Redemptoris. f. 383. n. 817.
Tantùm potuit comprehendi in pacto cum Adamo inito. f. 384. n. 920

Materia Sacramentorum.

Omnium Sacramentorum Materiam & formam, quoad substantiam determinavit Christus Dominus. f. 434. n. 58.
Non tamen æquali restrictione. ibid. n. 60.
Quando non datur Materia certa in casu necessitatis, sed solùm probabilis, aut probabilior, tenetur Parochus ex contractu, reliqui ex Charitate adhibere utramque; primò probabiliorem, postea sub conditione minùs probabilem. f. 436. n. 72.
Materia remota Baptismi est aqua naturalis, proxima verò est ablutio talis aquæ. f. 507. n. 45.
Panis sive azimus, sive fermentatus est materia certò sufficiens Eucharistiæ; & uterque ritus Ecclesiæ tam Latinæ quàm Græcæ est rationabilis. f. 539 n. 23
Materia remota Confirmationis est Chrisma, ex oleo olivarum & balsamo ab Episcopo benedictum. f. 521. n. 28.
Ejusdem Materia proxima est unctio talis Chrismatis in fronte recipientis, per manum Ministri in formam crucis facta. f. 522. n. 31.
Materia consecranda ita debet esse præsens, ut suprà ipsam rectè cadant, ea Consecrationis Pronomia, *Hic*, & *Hoc &c.* f. 550. n. 76.

Matrimonium.

Matrimonium contrahentes in statu peccati mortalis, duplex committunt peccatum. f. 450. n. 144.

Medicus.

Medicus ægrotum visitans, tenetur eum monere de confessione facienda. f. 700. n. 20.

Membra.

Membrorum non habet homo plenum Dominium. f. 70. n. 324.

Merita.

Merita nostra no. adæquant bonitatem præmii supernaturalis. f. 265. n. 281.
Nequit pura creatura etiam de potentia absoluta mereri peccatori gratiam sanctificantem, aut remissionem peccati mortalis. f. 270. n. 305.
Meriti Christi triplex effectus: scilicet gloria corporis, sui nominis exaltatio, gratia & gloria nobis collata. f. 286. n. 383.
Merita Christi non solum habent valorem à gratia habituali desumptum. f. 286. n. 384.
Sed etiam à Persona Verbi. ibid. n. 385. & f. 292. n. 412.
Etiam Deitas ut condistincta à Personalitate condignificat Christi meritum. ibid. n. 388.
Etiam Personalitas ex præciso conceptu sui confert valorem merito Christi. f. 287. n. 388.
Merita hominis justi non crescunt in ordine ad præmium ex perfectiori gratia, sed ex perfectiori actu supernaturali libero, à gratia dignificato. f. 292. n. 411.
Licet Entitas operum meritoriorum Christi non sit simpliciter infinita, tamen concretum ex entitate operationis & dignitate Personæ constitutum est simpliciter infinitum. f. 293. n. 416.
Meritum Christi in ratione meriti & valoris est simpliciter infinitum. f. 295. n. 427.
Unde unum Meritum Christi non est absolutè perfectius alio. f. 296. n. 429. & f. 300. n. 450.
Nostra opera non sunt meritoria de condigno sine gratia habituali. f. 297. n. 435.
Meritum Christi licet sit infinitum, non tamen potest denominari æternum. f. 298. n. 442.
Valde diversa sunt: actio Christi & meritum Christi. f. 299. n. 448.
Meritum Christi continet omnem valorem possibilem in linea operationis meritoriæ, licet non in omni linea. f. 300. n. 449.
Actio libera Dei nequit cadere sub merito Christi. f. 301. n. 456.
Meritum & præmium debent essentialiter distingui. ibid.

Visio beata animæ Christi Domini, remissio peccatorum generis humani & alia dona supernaturalia cadunt sub merito Christi. ibid.
Merita Christi tantùm merentur præmium syncategorematicè infinitum. f. 302 n. 457
Meritum Christi condignificatum à Persona verbi non est minoris valoris, quàm si esset condignificatum à tribus Personis, ibid. n. 461.
Gratia & gloria essentialis est Angelis data propter merita Christi. f. 420. n. 974.

Metus.

Metus non causat indispensabiliter involuntarium. f. 655 n. 399.
Metus servilis non est indispensabiliter malus. f. 655 n. 398.

Minister.

Ministri Sacramentorum de lege ordinaria sunt soli homines viatores. f. 440. n. 95
Per se loquendo Minister quicunque conficiens Sacramentum in peccato lethali, conficit quidem validè, sed illicitè. f. 449 n. 140
Minister Ordinarius Baptismi ex officio est Sacerdos habens jurisdictionem aut commissionem. f. 510. n. 62
Minister Ordinarius Sacramenti Confirmationis est Solus Episcopus : ex concessione tamen Summi Pontificis potest simplex Sacerdos licite & valide Confirmationem ministrare. f. 529 n. 64 & 65.
Minister Sacramenti Pœnitentiæ. f. 797 n. 352

Miraculosum.

Miraculosæ Christi penetrationes recensentur. f. 259 n. 258

Mutatio.

Mutatio substantialis Materiæ & formæ Sacramentorum inducit eorum nullitatem ; non verò purè accidentalis. f. 435. n. 67.
Mutatio substantialis Materiæ datur ; quando tanta est, ut juxta communem existimationem distinguatur specie morali ab ea, quam Christus requisivit. Accidentalis verò reputatur, quando non datur talis distinctio, sive una materia distinguatur specie Physica ab alia, sive non. f. 436. n. 68.
Mutatio Formæ tunc æstimanda substantialis, quando verba non retinent eundem sensum, ac verba à Christo instituta. Secus verò judicanda est mutatio solùm accidentalis. ibid. n. 69.
Mutatio verborum cum animo inducendi errorem, est substantialis. ibid. n. 70.
Quando ex ignorantia Linguæ Latinæ, aut balbutici ita proferuntur verba, ut tamen significationem, quam apud homines habent, & à Christo instituta, retineant, est mutatio accidentalis. ibid.

N.

Natura Divina.

Natura Divina non assumpsit humanitatem immediatè, sed mediatè ratione personalitatis. f. 364. n. 732.
Est eminenter Sancta. f. 406. n. 915

Necessarium. Necessitas.

Necessitas duplex : antecedens & consequens quid utraque importet? f. 225. n. 91.
Necessitatur Deus ad producendum optimum f. 235 n. 143
Si Deus etiam moraliter necessitaretur ad producendum optimum, hoc derogaret libertati ejus. f. 237 n. 153
Necessarium necessitate medii, aut necessitate præcepti, quomodo differant. f. 683 n. 363 item f. 498 n. 6.

Numerus.

Determinatus ac certus peccatorum numerus quomodo in Confessione aperiendus? f. 730 n. 108
Peccatorum numerus quomodo dignoscendus? f. 731 n. 113

O.

Objectum.

Objectum materiale Tractatus de Incarnatione assignatur. f. 216 n. 48
Item Objectum formale adæquatum. ibid. n. 49.

Occupatio.

Occupata legitimè res, jure gentium fit occupantis. f. 138 n. 627 & seqq.
Ubi plura pro praxi deciduntur de occupatione animalium, de pascuis, & cæsione lignorum.
Solvitur Objectio. f. 140 n. 635 & seqq. Ubi plura resolvuntur de Thesauro invento, Rebus inventis in viâ, & de Bonis vacantibus.

Offensa.

Duplex acceptio offensæ declaratur. f. 262 n. 267
Discrimen inter offensam latè & strictè sumptam. ibid. n. 270
Peccatum mortale non est simpliciter infinitum in ratione offensæ sive Physicè sive moraliter. f. 277 n. 341
Offensa alia effectiva, alia affectiva. ibid. n. 340
Offensa non est infinita ratione vilitatis creaturæ offendentis. f. 280 n. 358
Nec ratione Dei offensi. f. 281 n. 362
Est tamen infinita secundum quid, ratione objecti infiniti. f. 281 n. 362
Non crescit juxta dignitatem Personæ offensæ proportione Arithmeticâ sed Geometricâ f. 282. n. 363.
Discrimen inter indignitatem peccatoris ad gravificandam offensam, & inter dignitatem Christi ad condignificandum Obsequium. f. 287 n. 389.
Vide etiam V. *Satisfactio.*
Nulla est offensa, quæ injuriam non affert f. 595 n. 143.
Offensa remitti non potest pro instanti, in quo committitur. f. 599 n. 143

Omnipotentia.

Omnipotentia divina non cognoscitur naturaliter in ordine ad effectus supernaturales, bene tamen in ordine ad se. f. 210 n. 13

Opinio Probabilis.

Utilitas opinionis verè speculativè probabilis f. 682. n. 455.
Opinio solùm speculativè probabilis non sufficit ad licitum usum Sacramenti pœnitentiæ. f. 721. n. 81. Ordi-

Ordo.

In Materia & forma Sacramenti Ordinis determinatio purè materialis relicta est Ecclesiæ. f. 437. n. 79.

P.

Parabola.

PArabola Evangelica de nonaginta Ovibus in deserto relictis, & inquisitione unius perditæ, quomodo intelligenda? f. 423. n. 989.

Passibilitas.

Passibilitas & Impassibilitas est duplex: radicalis & proxima. f. 378. n. 797.

Passibilitas formalis est quidem proprietas humanæ naturæ, non tamen necessariò, necessitate metaphysicâ connexa. f. 390. n. 844.

Peccatum.

Omnia peccata venialia nequit homo diu sine speciali gratiâ vitare. f. 234. n. 138.

Hæc tamen impotentia ad vitandum est tantùm moralis, non Physica. ibid.

Peccatum purè Philosophicum repugnat, & sententia illud affirmans damnata. f. 269. n. 300. & f. 272. n. 314.

A gravi peccato nequit homo suis viribus resurgere. f. 272. n. 314. & f. 267. n. 293.

Peccata venialia non sunt propriè offensa Dei. f. 272. n. 315. & f. 275. n. 332.

Peccatum veniale non opponitur simpliciter dignitati Dei, sed bono per legem intento. f. 276. n. 333.

Non minuit veniale charitatem habitualem, sed actualem. ibid. n. 334.

Necessarius non est necessitate medii ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, dolor de omnibus venialibus, quæ quis confitetur. f. 691. n. 488.

Peccata, quæ à pœnitente committi possunt, sunt etiam objectum materiale pœnitentiæ. f. 601. n. 149.

Peccatum quodcunque est per veram pœnitentiam remissibile. f. 610. n. 191.

Nova peccata aperienda sunt, ut nova. f. 733. n. 118.

Peccatorum numerus quomodo dignoscendus? f. 731. n. 113.

Quot sint peccati vincula? f. 757. n. 202.

Reperiri possunt in eodem actu plures malitiæ in Confessione explicandæ. f. 729. n. 105.

Peculium.

Peculium est quadruplex: *Castrense, Quasi Castrense, Adventitium, & Profecticium.* f. 111. n. 507. & seqq.

Primi & secundi Filius familias habet plenum Dominium. f. 112. n. 512.

Tertii Filius non emancipatus habet dominium directum: Pater verò usumfructum & administrationem. ibid. n. 513.

Quarti nullum dominium habet Filius familias. ibid. n. 515.

Persona.

Tres personæ divinæ simpliciter sunt magis unum in essentia, quàm in Christo duæ naturæ in Persona verbi. f. 324. n. 559.

Persona verbi est compositione relativâ composita cum humanitate. f. 339. n. 623.

Plures Personæ possent de potentia absolutâ assumere unam numero naturam, imò una persona plures naturas. f. 361. n. 719.

Licet una persona non possit à Beatis videri sine alia, tamen una Persona potest hypostaticè uniri humanitati sine alia. f. 366. n. 739.

Quæ conveniunt uni personæ ratione proprietatis personalis, non dicuntur de ullâ aliâ. f. 366. n. 742.

Pœna.

Pœna damnatorum in quo consistat? f. 288. n. 392.

Pœnitentia.

Pœnitentiæ Definitio. f. 574. n. 22.

Virtus Pœnitentiæ non reperitur in Christo, Deiparâ, Innocentibus & Beatis f. 616. n. 222.

Ecclesiæ praxis circa contritionem in Sacramento Pœnitentiæ. f. 668. n. 446.

Finis intentus à Sacramenti Pœnitentiæ præcepto, qualis sit? f. 627. n. 274.

Habitus Pœnitentiæ, quare sit virtus? f. 572. n. 12.

Habitus purè deletivus peccatorum, minimè datur in hac providentia. f. 588. n. 90.

Quomodo concurrat motivum universale ad Actum pœnitentiæ? f. 583. n. 67.

Pœnitentiæ virtutis objectum formale multiplex. f. 604. n. 165.

Ejusdem objectum materiale duplex, alterum fugæ, & alterum prosecutionis. f. 601. n. 149 & f. 604. n. 162.

Pœnitentia in tota sua latitudine sumpta, quid significet. f. 569. n. 2.

Sacramentum Pœnitentiæ, absque Dilectione Dei super omnia, certò causat gratiam. f. 679. n. 447.

Sacramentum Pœnitentiæ juxta Ecclesiæ praxin non exigit dilectionem ex charitate. Vide Elenchum f. 668. n. 446.

Pœnitentiæ Virtus restrictè sumpta qualis sit? f. 583. n. 66.

Actus pœnitentiæ, quasnam formalitates includat? f. 572. n. 15.

Actus unus indivisibilis potest omnes pœnitentiæ formalitates complecti. f. 573. n. 18.

Actus virtuosus pœnitentiæ est efficax. f. 575. n. 26.

Objectum materiale Pœnitentiæ sunt bona plura per modum prosecutionis. f. 604. n. 162.

Forma intrinseca & essentialis Sacramenti pœnitentiæ, sita est in Absolutione. f. 719. n. 73.

Graviter obligatur Confessarius, per se loquendo, ad justam pœnitentiam injungendam, & pœnitens ad acceptandam. f. 790. n. 328.

Institutio Sacramenti pœnitentiæ, quo tempore facta? f. 694. n. 3.

Materia sufficiens Sacramento pœnitentiæ non extenditur ad peccata ante Baptismum commissa. f. 718. n. 71.

Pœnitentia Sacramentalis imponi debet, non quidem sub consilio, sed sub præcepto. f. 791 n. 332.

Quænam opera injungi possint in pœnitentiam? f. 792 n. 335

Sacramentum pœnitentiæ validum & informe, repugnat. f. 780 n. 284.

Potestas.

Potestas delegata instituendi Sacramenta po-

test communicari puræ creaturæ. f. 453 n. 156

Prædicatum.

Prædicatum absolutum distinguitur à relativo in divinis, quod absolutum reperiatur in tribus personis, secus relativum. f. 207. n. 2

Prædicata divina alia sunt puræ determinationes ad intra, alia etiam ad extra possunt denominare subjectum. f. 405 n. 910

Qualia prædicata Divina non possint denominare subjectum? ibid. n. 911

Præscriptio.

Præscriptionis Definitio. f. 145 n. 662

Quatuor conditiones requiruntur ad legitimam præscriptionem. f. 146 n. 663 & seqq.

Præscriptio legitima juvat pro utroque foro ad retinendam bonâ conscientiâ rem legitimè præscriptam. f. 147 n. 668 & seqq.

Solvuntur opposita. f. 148 n. 670. & seqq.

Promissio.

Promissio, ad quam promittens solùm se vult obligare ex fidelitate, non verò ex justitia, neque intendit se obligare sub gravi, non obligat promittentem sub gravi. f. 142 n. 648.

Solvuntur opposita. ibid. n. 656. & seqq. ubi quoque de ludo agitur.

Propositiones damnatæ.

Sub Damnatione primæ propositionis, ex 65. ab Innoc. XI. 3. Martii 1679. damnatis: continetur ea opinio, quæ extra casum necessitatis exponit Sacramentum fructrationi. f. 481. n. 302.

Licet, per dictam propositionem non damnetur formaliter & expressè; illicitum esse suscipienti uti opinione probabili, quoad Valorem Sacramenti, relictâ tutiore damnatur tamen virtualiter. f. 483 n. 308

Damnatio prædictæ primæ propositionis in praxi extenditur ad plures sententias, circa materias & formas singulorum Sacramentorum in particulari. f. 483. n. 313. & seqq.

Vi damnationis alterius propositionis ex dictis 65. quæ est in ordine 29. damnatur non solùm simulatio formalis, sed etiam quævis propria simulatio materialis in administratione Sacramentorum. f. 490. n. 347.

Quid formalis, quid materialis simulatio? f. 489. n. 342.

Ex vi dictæ damnationis, damnatur virtualiter simulatio propria, sive formalis, sive materialis susceptionis Sacramenti. f. 491. n. 354.

Extenditur damnatio hujus propositionis 29. in praxi ad plures sententias circa Sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Matrimonii. f. 492. n. 358. & seq.

Propositum.

Propositum non æquivalet dolori, sicut dolor proposito. f. 617. n. 229.

Propositum formale ex universali motivo procedens, perinde se habet, ac dolor formalis. f. 685. n. 468.

R.

Religio. Religiosi.

RElegio univocè dicitur de novâ & veteri. f. 426. n. 8.

Religiones, quibus habere licet Bona in generali, gaudent dominio suorum bonorum, quamvis ligato, & impedito ad plures effectus. f. 106. n. 49.

Religiosi particulares ideo per votum solenne paupertatis incapaces fiunt dominii rerum temporalium, quia ex jure positivo Ecclesiastico inhabilitantur ad dominium, voventes solenniter paupertatem. f. 107. n. 49.

Solvuntur opposita. f. 110. n. 52.

Remissio.

Effectus remissionis pœnæ temporalis, durante statu peccati mortalis, non caufatur à satisfactione in eo statu facta, benè verò recedente peccato. f. 789. n. 522.

Respiscentia.

Lutheranorum Respiscentia sat non est ad actum veræ pœnitentiæ. f. 574. n. 23.

Restitutio.

Restitutio est necessaria ad salutem, non necessitate medii, sed præcepti. f. 162. n. 739. & 742.

Restitutionis præceptum est affirmativum. f. 165. n. 754.

Solvuntur opposita. f. 166. n. 762. & seqq.

Restitutio in re non est ita necessaria, ut neglectâ eâ animæ detineantur in Purgatorio, quousque Hæres, vel Executor Testamenti debita defuncti persolvat. f. 162. n. 741.

Solvuntur opposita. f. 163. n. 746. & seqq.

Restitutionis radices objectivæ sunt duæ, nempe *res occupata* ac *injusta acceptio*. f. 168. n. 770.

Solvuntur opposita. f. 170. n. 781. & seqq.

In casu culpæ juridicæ, etiam latæ, cum sola veniali Theologica nulla est obligatio gravis restituendi in Conscientiâ ante sententiam judicis, licet damnum sit grave. f. 171. n. 749. & seqq.

Solvuntur opposita. f. 174. n. 802. & seqq.

Restitutionis circumstantiæ, causæque à restitutione excusantes enumerantur, ac explicantur. f. 189. n. 874. & seqq.

Item f. 190. n. 882. & seqq.

Retrotractio.

Retrotractio Juris, quid juvet? f. 739. n. 208.

Reus.

Reus ante Judicis sententiam non solùm declaratoriam delicti, sed etiam condemnatoriam & executivam pœnæ non tenetur Bona sua conferre Fisco. f. 144. n. 657.

Solvitur objectio. f. 145. n. 660.

Reus damnatus ad mortem non solùm ante, sed etiam post condemnationem potest fugere, & si opus sit, vincula rumpere, & carcerem perfringere f. 202. n. 944. & seq.

Solvuntur opposita. f. 204. n. 957. & seqq.

Reus, si esset puniendus pœnâ capitali, vel Tremium, aut aliâ simili, etiamsi judex judicè interroget; si tamen delictum solùm semiplenè probatum, non tenetur in conscientia fateri crimen suum. f. 201. n. 939.

Solvuntur opposita. f. 203. n. 951. & seqq.

S.

Sacramentum.

Nomen *Sacramentum* diversas habet significationes. f. 425. n. 1.

Sacramenta antiquæ legis non erant vere & propriè Sacramenta. f. 425. n. 3.

Sacra-

Sacrificia legis novæ & veteris univocè conveniunt. f. 426. n. 9.
Sacramenta vivorum sunt, quæ ex primæva sui institutione ordinantur ad augmentum gratiæ. Mortuorum verò, quæ ordinantur ad causandam primam gratiam. f. 426. n. 11.
Sacramentorum variæ apud Authores definitiones. f. 426. n. 12. & 13.
De essentia Sacramenti non est, quod conferatur ab homine. f. 428. n. 25.
Omnia Sacramenta Ecclesiæ constant rebus & verbis formalibus; præter Matrimonium, quod aliquando constare potest verbis virtualibus. f. 429. n. 29.
Compositio ex rebus & verbis se habet tanquam materia, respectu institutionis Christi, quæ est forma intrinseca constitutiva Sacramenti in esse talis. f. 431. n. 42.
In Sacramento pœnitentiæ, licet tam à Sacerdotis quàm pœnitentis actibus proveniat remissio peccatorum; solus tamen sacerdos dicitur remittere, quia solus ille concurrit ut judex. f. 433. n. 51.
In Sacramento pœnitentiæ dolor internus fit sensibilis per confessionem. f. 434. n. 56.
Sacramenta Baptismi, Ordinis & Confirmationis sub conditione repetenda sunt, si probabile sit, non fuisse ritè confecta. f. 435 n. 67.
In Sacramentorum confectione est peccatum lethale, uti materiâ & formâ probabilibus, quando adsunt certæ. f. 436. n. 72.
Declaratur, quid in quolibet Sacramento sit res tantùm; quid Sacramentum tantùm? & quid res & Sacramentum simul. f. 440. n. 93. & 94.
Sacramenta non causant physicè gratiam. f. 455. n. 167.
Sunt tamen causa moralis gratiæ. f. 461. n. 193.
Sacramenta causant gratiam in eodem instanti, in quo adest ultimum & essentiale eorum constitutivum, si non sit obex in recipiente. f. 462. n. 200.
Sacramenti effectus primarius est gratia sanctificans; Character verò, qui in Baptismo, Confirmatione & Ordine confertur, est effectus secundarius. f. 463. n. 202.
Ad fines Sacramentorum ritè obtinendos plures gratiæ actuales conceduntur. ibid.
Soli homines viatores sunt capaces Sacramentorum, vi præsentis institutionis; non autem Angeli, Beati, damnati, neque animæ purgatorii. f. 470. n. 235.
Ad fructum sanctificantis gratiæ per Sacramentum, requiruntur ex parte adulti plures dispositiones, & quæ? f. 470. n. 237.
Sacramenta vivorum possunt aliquando conferre primam gratiam. f. 474. n. 263.
Qui accedit ad Sacramenta vivorum cum inculpabili oblivione sui peccati mortalis, & judicat, se esse in gratia, non peccat, suscipiendo Sacramentum: gratiam autem non recipit, quâ remittatur mortale, nisi habeat saltem attritionem. f. 480. n. 296.
Accedere ad Sacramenta vivorum cum scientia mortalis peccati, est peccatum mortale per se loquendo. ibid.

Sanctitas.

Sanctitas duplex: alia creata, alia increata. f. 401. n. 887.
Christi humanitas verè sanctificatur per sanctitatem increatam. ibid. n. 889.
Quid importet sanctitas creata? f. 402. n. 894.
Non solùm personalitas Verbi, ut virtualiter distincta à natura, sanctificat Christi humanitatem. f. 403. n. 897.
Sed etiam Divinitas, ut virtualiter distincta à Personalitate. ibid. n. 900.
Unio hypostatica est Sanctitas formalis humanitatis non solùm ut quo, sed etiam ut quod. ibid. n. 901.
Si Verbum assumpsisset naturam irrationalem non sanctificaret illam ob incapacitatem subjecti. f. 404. n. 904.
Quamvis Sanctitas increata ex parte sui sit simpliciter infinita, non tamen sanctificat humanitatem infinitè. ibid. n. 905.

Sanguis.

Sanguis non tantùm pertinet ad alimentum, sed etiam ad integritatem humani corporis. f. 353. n. 684.
Est quoddam organum generale ad operationes animæ. ibid. n. 686.
Unica gutta sanguinis Christi Domini sufficiens fuit ad opus Redemptionis nostræ. ibid. n. 688.
Sanguis in passione effusus mansit in triduo mortis Verbo unitus. f. 354. n. 692.
Probabilius est, aliquas guttas sanguinis post resurrectionem dimissas à Verbo. ibid. n. 693

Satisfactio.

Discrimen inter satisfactionem condignam & congruam ostenditur. f. 262. n. 267.
Nequit pura creatura Deo pro offensa lethali condignè satisfacere, sed tantùm Deus hypostaticè unitus creaturæ rationali. f. 263. n. 267.
Potest tamen pura creatura pro veniali satisfacere. f. 268. n. 294. f. 272. n. 315.
Offensa gravis Dei non est ullo merito puræ creaturæ condignè compensabilis. f. 269. n. 299. & f. 274. n. 325.
Nec potest pura creatura etiam nomine Christi pro culpa lethali de condigno satisfacere. f. 272. n. 317.
Neque etiam ut membrum Christi. f. 273. n. 319.
De ratione satisfactionis est, ut sit obsequium offenso gratum & voluntariè ei exhibitum à satisfaciente ad placandam offensam. f. 287. n. 390.
Discrimen inter satisfactionem & satispassionem. f. 288. n. 393.
Satisfactio Christi non minus est simpliciter infinita in ratione satisfactionis, quàm meritum ejus in genere meriti. f. 303. n. 462.
Duplex acceptio satisfactionis in actu primo & in actu secundo. ibid. n. 463.
Christus non solùm condignè, sed etiam superabundanter satisfecit pro peccatis mundi. ibid. n. 465.
Habuit eam dignitatem & superabundantiam in actu primo, secluso omni favore extrinseco acceptationis. f. 304. n. 467.
Non fuit tamen Deus obligatus ad acceptan-

dam Christi satisfactionem in actu secundo pro peccatis nostris, nisi post pactum, quod inter Deum & Christum intercessit. f. 305. n. 473.
Christus tamen liberè iniit illud pactum cum patre ad satisfaciendum pro peccatis. f. 306. n. 477.
Non satisfecit Christus Deo pro peccatis nostris ex rigorosa justitia commutativa. f. 310. n. 494.
Imò videtur derogari satisfactioni Christi, si dicatur fuisse ex rigorosa justitia commutativa. f. 313 n. 506.
Satisfecit ergo Patri ex fidelitate, quâ vi pacti se obligavit, atque ex speciali honestate in ipso pacto inclusâ. f. 315. n. 515.
Satisfactio Christi applicatur adultis, mediante eorum dispositione: parvulis, mediante baptismo. f. 316. n. 518.
Ex speciali privilegio potuit aliter applicari ibid.
Tendit non solùm ad remissionem peccatorum, sed etiam ad infusionem gratiæ & aliorum donorum supernaturalium. ibid. n. 519.
Essentialiter consistit in hoc, quòd Christus vi suorum meritorum obtinuerit omnibus media sufficientia ad salutem. ibid. n. 520.
Aperuit cœli Januas, quas peccatum clauserat. ibid. n. 521
Ante eam morte Christi consummatam nullus hominum beatitudinem obtinuit. ibid.
Habet se per modum causæ universalis non excludentis concursum causæ particularis. f. 317 n. 523.
Hinc adhuc incumbit nobis nececeſſitas benè operandi. ibid.
Nec ex hoc quidquam derogatur infinitati satisfactionis. ibid.
Non solùm satis fecit pro peccato, sed etiam redemit à potestate Dæmonis. ibid. n. 524.
Satisfactio est pars materialis intrinseca Sacramenti pœnitentiæ. f. 719 n. 73.
Satisfactionem implere in statu peccati mortalis, nullum est peccatum, ne quidem veniale. f. 789 n. 324
Satisfactio sive ut injuncta, sive ut impleta, non est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ. f. 723 n. 86.
Non causat ex opere operato gratiam, aut actualem, aut habitualem. f. 787 n. 315
Ex opere operato remittit aliquam pœnam temporalem. f. 787 n. 317

Scientia.

Scientia media regulat prædefinitiones Divinas circa actus nostros liberos. f. 235 n. 137

S. Scriptura.

Regula ad intelligendos & explicandos sensus S. Scripturæ. f. 253 n. 227
Mutuò se adjuvant & explicant varii textus S. Scripturæ. ibid. n. 231

Servitus.

Servitus unius creaturæ ad alteram est accidentalis & abdicabilis: secus est de servitute creaturæ ad Deum. f. 313. n. 508

Sigillum.

Materia Sacramentalis sigilli, quænam? f. 807 n. 392.
Obligatio sigilli Sacramentalis, ex quânam confessione habeatur? f. 805. n. 385.
An, & quomodo extendatur ad alios præter Confessarium? f. 806. n. 387.
Sigillum Sacramentale, quid? f. 804. n. 379.
Obligatio sigilli Sacramentalis oritur ex præcepto & jure divino. f. 804 n. 380

Subsistentia.

Subsistentia dicitur principium quod operationis: Essentia, principium quo. f. 332 n. 592.
Subsistentia Verbi supplet subsistentiam creatam humanitatis. f. 338. n. 616.
Unde humanitas Christi subsistit subsistentiâ Verbi. ibid. n. 618. & f. 440. n. 626.
Partes naturæ compositæ ex materia & formâ habent partiales subsistentias. f. 341. n. 631.
Subsistentia reddit naturam immediatè incommunicabilem naturæ subsistenti. f. 342. n. 637.
Subsistentia Verbi non propriè consumpsit subsistentiam humanitatis, sed impedivit & compensavit eam. f. 344. n. 644.
Subsistentia interdum sumitur minùs propriè pro natura. f. 346. n. 654.

Substantia.

Substantia dividitur in primam & secundam; quid utraque importet? f. 332. n. 594.
Non est dabilis substantia creata, quæ conveniat eminenter adæquatè totam perfectionem alterius substantiæ. f. 349. n. 666.

Supernaturale.

Supernaturale Theologicum, per quid constituatur? f. 652. n. 386.
Supernaturale, duplex. f. 652. n. 385.

Suppositum.

Definitio suppositi explicatur. f. 333. n. 596.
Suppositum addit suprà naturam creatam aliquid reverâ distinctum. f. 334. n. 666.
Quod non est pura negatio sed complementum substantiale positivum. ibid. n. 602. & f. 349 n. 668.
Humanitas Christi Domini nequit subsistere in alio quàm Divino supposito. f. 338. n. 618.

T.

Testis.

TEstes duo legitimi fide digni, & omni exceptione majores requiruntur, & sufficiunt, quando per Testes veritas inquiritur in causis criminalibus. f. 198 n. 927
Solvitur objectio. f. 200. n. 932
Testis delicti occulti manifestatio si necessaria sit ad Rei defensionem, licitum erit Reo tale delictum accusatoris manifestare. f. 72 n. 356.

S. Thomas Aquinas.

S. Thomas Aquinas quomodo possit commodè explicari pro sententia pia immaculatæ conceptionis Beatissimæ Virginis. f. 392 n. 816
Revelatio S. Thomæ circa immaculatam eandem Beatissimæ Virginis conceptionem. f. 385. n. 822.
Ejusdem S. Thomæ manifesta authoritas propia sententia. ibid. n. 821.

Timor.

Timor servilis laudabilis & honestus. f. 649 n. 371.
Timor gehennæ, supernaturalis. f. 658. n. 4[illegible]

Tra-

Transubstantiatio.

Transubstantiatio panis & vini, in corpus & sanguinem Christi fit in eo instanti, in quo verificatur: nunc verba sunt sufficienter prolata, & immediatè ante nondum erant. f. 550 n. 81.

Transubstantiatio non est pura commutatio, translocatio, aut transmigratio. f. 559. n. 120

Est conversio totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi; & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus. f. 563. n. 136.

Non est actio adductiva Corporis & Sanguinis Christi, ad solam præsentiam localem formaliter terminata. ibid. n. 138

Non salvatur verus conceptus Transubstantionis, ex eo præcisè, quòd Corpus & Sanguis Christi uniantur formaliter speciebus panis & vini loco substantiæ ipsorum. f. 564 n. 143

Nec est pura Corporis & Sanguinis Christi Conservatio. ibid. n. 145.

Sed est actio reproductiva Corporis Christi sub accidentibus panis, & exigitiva destructionis substantiæ panis sub illis accidentibus. Idem suo modo esto de actione transubstantiativa vini in Sanguinem Christi. f. 565. n. 146.

Transubstantiatio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, ex verbis Consecrationis rectè colligitur. f. 566. n. 150.

SS. Trinitas.

In Trinitate non dantur tres sancti absolutè, sicut dantur tres Personalitates. f. 406. n. 915.

Tyrannus.

Tyrannus, qui usurpatione potestatis jam in pace imperat, licet peccet usurpatione judicii jus dicendo: Sententiæ tamen ipsius sunt validæ, & tenentur cives illis obtemperare, donec irritentur. f. 192. n. 895.

Solvuntur oppositа. f. 194. n. 908. & seqq.

V.

Verecundia.

VErecundia, cur non sit virtus? f. 575. n. 29.

Verbum.

Verbum unitur humanitati non ratione formali naturæ, sed ratione formali filiationis. f. 207. n. 2. & f. 359. n. 712.

Non mutatur intrinsecè verbum unitum humanitati. f. 212. n. 25.

Non obstat distinctio humanitatis à Verbo, quo minus convenienter uniantur. f. 222. n. 74.

Verbum caro factum, non significat, quod Verbum sit conversum in carnem, sed sibi carnem in unitate copulaverit. f. 223. n. 82.

Verbum assumpsit humanitatem non hominem. f. 338. n. 617.

Verbum divinum assumpsit corpus integrum. f. 352. n. 687.

Etiam immediatè secundùm hypostasim omnes partes corporis humani, quæ animâ rationali informantur. ibid. n. 682.

Etiam sanguis Christi Domini proximè fuit unitus Verbo. ibid. n. 683.

Non solùm humanitas est à Verbo assumptibilis, sed etiam alia natura non rationalis, ut Leonis. f. 354. n. 689.

Etiam natura Angelica. ibid. n. 690.

Verbum etiam assumpsit alios tres humores præter sanguinem: sicut etiam dentes, capillos, & ungues. f. 355. n. 694.

Accidentia tamen non immediatè assumpsit. Ibid. n. 695.

Quæ pertinent ad integritatem humanitatis, omnia simul in eodem reali instanti assumpsit. ibid. n. 696.

Verba Consecrationis recitativè simul & enuntiativè proferuntur. f. 551. n. 82.

Virtus.

Virtus quomodo definiatur? f. 570. n. 3. & 4.

Quot sint in via virtutes Theologicæ, per se infusæ? f. 582. n. 59.

Virtutes per se infusæ, aliæ sunt Theologicæ, & aliæ morales. ibid. n. 60.

Virtus Theologica, in quo differat à Morali? f. 589. n. 95.

Unio.

Unio hypostatica est modus substantialis realiter distinctus ab extremis. f. 318. n. 531.

Distinguitur etiam realiter ab unione naturali humanitatis, quâ anima & corpus Christi uniuntur. f. 319. n. 536.

Nequit consistere in speciali influxu Verbi. f. 320. n. 538.

Distinguitur realiter etiam ab actione productiva humanitatis. f. 321. n. 542.

Est entitativè supernaturalis. ibid. n. 543.

Causa principalis effectiva illius est sola Trinitas. ibid. n. 544.

Instrumentalis adhuc' potuit esse Beatissima Virgo. ibid.

Dantur plures uniones partiales hypostaticæ. f. 322. n. 551.

Unio hypostatica est maxima dignitate inter uniones creatas. f. 324. n. 558.

Uxor.

UXor circa plura Bona est capax dominii. Assignantur quadruplicis generis Bona. f. 112. n. 516.

Dotis habet dominium directum: Maritus verò usumfructum & Administrationem. ibid.

Uxor adultera, Bonorum, ex turpi sui corporis concessione acquisitorum, obtinet dominium. f. 112. n. 516.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN